

APPULEII
OPERUM OMNIUM
TOMUS TERTIUS.

APPULEII OUDENDORPIANI

TOMUS TERTIUS,

SIVE

APPENDIX APPULEIANA,

CONTINENS

PHILIPPI BEROALDI AD METAMORPHOSEON LIBROS COMMENTARII SPECIMEN,

IOANNIS PRICAEI AD EOSDEM LIBROS NOTAS INTEGRAS,

EXCERPTA EX IANI GRUTERI SUSPICIONUM LIBRIS INEDITIS,

IOANNIS PRICAEI COMMENTARIUM AD APOLOGIAM,

SCIPIONIS GENTILIS NOTAS SELECTAS AD APOLOGIAM,

IOANNIS BOSSCHA DISPUTATIONEM DE APPULEII VITA, SCRIPTIS, CODICIBUS MSS. ET EDITIONIBUS,

ET

INDICES NECESSARIOS.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCCXXIII.

APPENDIX
APPULEIANA.

IN

COMMENTARIOS APPULEIANOS

PHILIPPI BEROALDI

PRAEFATIO.

Magica ars, quae in maxima fuit apud priscos dignatione, tres alias artes imperiosissimas humanae mentis complexa in unam se redegisse creditur: videlicet medicinam, religionem, ac astrologiam. Ita possessis hominum sensibus triplici vinculo, in tantum fastigium adolevit, ut in Oriente regum regibus imperaret: sine dubio illic orta à Zoroastre conditore. Quippe inter prima regalia docebatur: nec ullus apud Persas regnare poterat, nisi magiam calleret. Auctor est Plato, pueris regum doctores quatuor attribui, quos regios paedagogos appellant: quorum primus magicam peculiariter docet. Tota penè Homeri Odyssea non aliunde quàm ex magia constat: siquidem Protei transfigurationes, et Sirenum cantus, et Circes pocula, et Inferorum evocatio, magico intellectu convelantur. Primum de ea commentatum Hosthanem esse, memoriae prodiderunt: qui Xerxen regem bella Graeciae inferentem comitatus, ad rabiem, non aviditatem modò huiusce artis Graecorum populos egit: tantaque antiquitus claritas gloriaque ex hac scientia penè semper petita est, ut Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato, lumina doctrinarum, ad hanc discendam navigaverint, peregrinationibus susceptis hanc reversi praedicaverint, hanc in arcanis habuerint. Hystaspes quoque, rex prudentissimus, Darii pater, cùm Indiae secreta penetraret, ad nemorosam quandam venit solitudinem, cuius tranquillis silentiis praecelsa Brachmanum ingenia potiuntur: eorumque monitu edoctus puros sacrorum ritus, ex his quae didicit Magorum sensibus infudit, quae illi cum disciplinis praesentiendi futura per suam quisque progeniem posteris aetatibus tradiderunt. ex eo per secula multa una eademque prosapiae multitudo creata, deorum cultibus dedicatur. Quinetiam Moses ille Iudaicarum legum conditor et famigeratus, Magices factionem illustrasse proditur. Et planè, quod inter auctores constat, orbem terrarum magia peragravit: Oceanum quoque transgressa, et in Britanniam usque profecta, quae illam attonitè celebravit. Gallias quoque possedit, Druydis (qui Gallorum magi sunt) illustrata. Est autem magia (ut interpretatur Plato) Deorum cultura: sic enim ait in Alcibiade primo: *μαγεία ἐστὶν τῶν θεῶν θεραπεία.* Unde ab Appuleio dicta coelitum antistita, colendique eos ac venerandi gnara. Duplicem magiam esse eruditi autumant: quarum altera Platonica est et philosophica, quae nihil aliud esse traditur quàm naturalis philosophiae absoluta consummatio: cuius cultor religioso sanctoque vocabulo Magus appel-

 latur:

latur: etenim Persarum lingua magus est, qui nostra sacerdos. Altera daemonum potentia constat, res medius fidius execranda, detestabilis, portentosa, quam nomine detestabili *γοητείαν goetian*, vel horribiliori *theurgian* vocant. quamvis Porphyrius Platonicus quandam quasi purgationem animae per theurgian promittit: qui tamen hanc artem modò tanquam fallacem, legibusque prohibitam, cavendam monet: modò utilem mundandae animae parti esse dicit. Caeterùm vulgari more magum eum esse dicunt, qui communione quadam loquendi cum diis immortalibus, ad omnia quae velit incredibilia quadam vi cantaminum polleat. Et vulgò magi malefici, ob facinorum magnitudinem nuncupantur, ut scribit divus Augustinus, et repetitum est in decretis Canonicis XXXVI. q. quinta. Hi sunt, qui elementa concutiunt, mentes hominum turbant violentia cantaminis, citra tamen veneni haustum. Ex quo cecinit Lucanus:

Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Excantata perit. —

Magos dici arbitratur Porphyrii Commentator, quasi magnagos, à magnis videlicet rebus, quas se perficere posse gloriantur; aitque eos carminibus convertere sensus animosque mortalium. hinc (teste Tertulliano) sunt fantasmata castorum, et aqua cribro gestata, et navis cingulo promota, et barba tactu irruffata. Magia legibus duodecim Tabularum fuit antiquitus interdicta. Verba ipsarum legum decemviralium sunt haec: *qui fruges excantasset*, *qui malum carmen incantasset.* et illud: *Neúe alienam segetem pellexeris.* hac enim doctrina fructus alicui in alienos agros transferri posse credebantur. Ideoque duodecim Tabulis ei qui hoc fecerit, supplicium (ut Cicero memorat) constitutum fuit. Hinc ait Dido Virgiliana:

— *Magicas se invitam accingier artes.*

Species magiae plures. est enim ex aqua, quae *Hydromantia* nuncupatur: ex securibus, quae *Axinomantia.* alia fit per specula, quam *Catoptromantiam* nominant, de qua intelligi voluit Spartianus in Didio Iuliano his verbis: *Carmina prophana incantaverunt, et ea quae ad speculum dicunt fieri, in quo pueri praeligatis oculis incantando ventura respicere dicuntur, Iulianus fecit.* Est et *Lecanomantia*, quae ex pelvibus divina promittit, quas Graeci *lecanas* vocant. Et apud Persas erant magi (Strab. teste in XVI.) *lecanomantici* cognominati, quasi ex pelvibus divinantes. Psellus quoque libro de Daemonibus tradit, Lecanomantiam apud Assyrios frequentatam, scribens vaticinantes accipere pelvim aqua plenam, daemonibus congruentem, in profunda repentibus: ubi autem daemon illapsus est, aqua edi sonum quendam fatidicum. Praeterea notissimae sunt *Pyromantia*, *Geomantia*, *Chiromantia:* videlicet per ignem, terram, et incisuras manuum factae divinationes. *Necromantia*, sive *Necyomantia* ea est, qua umbrarum evocationes fiunt, et inferorum colloquia celebrantur: à qua *necromantici* illi famigerati nomen sortiuntur, quorum incantamentis mortui resuscitati, divinare et ad interrogata respondere videntur. Nec fit talis divinatio sine sanguine. Talis est apud Homerum evocatio manium, facta ab Ulysse: talis apud Silium, à Scipione: apud Valerium Flaccum, ab Aesone: apud Papinium, à Tiresia: apud Horatium, à foeminis veneficis. Quidam Necyomantiam Sciomantiamque ita distinguunt, ut Necyomantiae ad erigendum cadaver sanguis sit necessarius: in Sciomantia verò sola sufficiat umbrae evocatio, unde et

no-

nomen. Est et *Capnomantia* ars quaedam, ex fumo arae verum praevidendi. et ex motione fumi quae sunt futura cognoscendi: cuiusmodi divinaculos à fumo *Capnomantas* appellant. Ex hoc magiae fonte derivati sunt apud Romanos Ethrusci auspices, apud Indos Brachmanes et Gymnosophistae, apud Gallos Druydae et Bardi, apud Siculos Galeatae, apud cunctas nationes Planetarii, qui mathematici sunt, et vulgò Astrologi nominantur. Plin. ubique alacriter oppugnat illuditque placita Magorum, atque promissa, Magicasque ferè semper vanitates appellat, nec veritus est scribere, magiam artem esse intestabilem, irritam, inanem. Quintus Curtius magiam non artem esse profitetur, sed vanissimi cuiusque ludibrium. Ecclesiastici conditores magicas *Praestigias* vocitant, tanquam fallacia quadam praestringentes hominum mentes rerum veritatem ementiantur, et ita curiositati mortalium callenter illudant. Caeterùm non parum multi credulitatem suam addixerunt magicae doctrinae, perinde ac rerum cunctarum potentissimae: inter quos (ut caeteros praeteream) L. Lucianus Patrensis divinationis gnarus, nec minus elegans sophista quàm mordax, scripsit se petiisse Thessaliam, desiderio noscendae magiae flagrans: ibique dum se in avem verti cuperet, in asinum à Palaestra ancilla unguenti potentia esse demutatum. Et ita sub asinali effigie, humano tamen sensu et mente incolumi retenta, multas aerumnas exantlasse, multiiugosque labores tolerasse commemorat: donec gustatis rosis in pristinum Lucium reformaretur. Hic igitur apud Graecos stilo pereleganti lusit asinum aureum. quem noster Appuleius aemulatus, et ipse apud Latinos consimili argumento stiloque nitidissimo condidit undecim volumina de Asino aureo, sive Metamorphoseon: in quibus elegans est, eruditus, emunctus. Et cùm haud dubiè ex racemis Luciani sibi fecerit vindemiam, eoque uno archetypo propè peculiariter sit usus, magna tamen inter Graecum Latinumque asinum differentia est. Ille brevis, hic copiosus: ille uniformis, et summatim ex homine in asinum, ex asino in hominem transformationem reformationemque praescribens: noster verò multiplex, et fabulis tempestiviter intersertis omne aurium fastidium penitus abstergit. Graecus ille magiam primoribus labris gustasse videri potest, quamvis de se scripserit μάντις ἀγαθὸς, Vaticinus bonus: hic verò noster plenis faucibus hausisse, in tantum ut magorum maximus crederetur. Et ut auctor est Augustinus, Appuleium et Apollonium dixêre non minora quàm Christum fecísse miracula. Et ut Lactantius refert, solent Appuleii et multa et mira memorari: ipse tamen Magi nomen respuens, adversus calumniantes, qui ei magicarum artium crimen intenderant, eloquentissimè se defendit. Sunt praeterea in Lucio nostro verba non parum multa interseminata, quibus magis delecter, quàm utar: plurima verò, quibus perinde utar ac delecter. Et sanè novator plerumque verborum est elegantissimus: tantoque cum decore et venere, ut nihil decentius, nihil venustius fieri possit. Denique hic noster asinus, sicut verbo dicitur, ita re ipsa aureus conspicitur: tanto dicendi lepôre, tanto cultu, tanta verborum minimè trivialium elegantia concinnatus, compositusque, ut de eo id dici meritissimò possit, Musas Appuleiano sermone loquuturas fuisse, si Latinè loqui vellent: et (ut dicam quod sentio) plurimùm conferre Appuleii frequens lectio ad excolendam linguam potest, et ad eam eloquentiae partem, quam Sermocinatricem appellant, maximè est accommodata. Cuius eloquentiam Sidonius Apollinaris velut fulminantem praeconio virtutis extollit: et divus Augustinus in epistolis Appuleium elo-

quentissimum esse testatur. de quo sic scribit: *Apuleius Afer honesto patriae suae loco natus, et liberaliter educatus, magnaque praeditus eloquentia.* Eundem in libris de civitate Dei, Platonicum Graeca et Latina lingua nobilem appellat. Quamobrem te Lector oro, moneo, hortor, ut familiaris tibi fiat hic scriptor, sitque tuum quasi manuale et enchiridion: in quo si quid durum videbitur, id nostrorum commentariorum expolitione emollietur ac laevigabitur: quorum ianuam repandet praecursoria haec, et veluti prodromos enarratio compendiaria, de Lucii Appuleii patria, ingenio et libris. Solet enim et haec quoque studiosis esse non iniucunda cognitio. [Quae ad vitam et scripta auctoris pertinent, infra colligentur.]

SCRIPTORIS INTENTIO

ATQUE CONSILIUM.

In exponendis auctoribus id quoque spectari quaerique solet, quae fuerit scribentis intentio, consiliumque. Ego Appuleium quidem nostrum confirmo Lucianum, Graecum scriptorem, argumento consimili imitari; verùm sub hoc transmutationis involucro, naturam mortalium et mores humanos quasi transeunter designare voluisse: ut admoneremur, ex hominibus asinos fieri, quando voluptatibus beluinis immersi, asinali stoliditate brutescimus, nec ulla rationis virtutisque scintilla in nobis elucescit. Sic enim homo (ut docet Origenes in libris περὶ ἀρχῶν) fit equus et mulus, sic transmutatur humanum corpus in corpora pecuina. Rursus ex asino in hominem reformatio significat, calcatis voluptatibus exutisque corporalibus deliciis rationem resipiscere, et hominem interiorem, qui verus est homo, relicto ergastulo illo coenoso, ad lucidum habitaculum, virtute et religione ducibus remigrasse. Ita ut dicere possimus, iuvenes illice voluptatum possessos, in asinos transmutari: mox senescentes, oculo mentis vigente, maturescentibusque virtutibus, exuta bruti effigie humanam resumere. Scribit enim Plato in Symposio, quòd tunc mentis oculus acutè incipit cernere, cùm primùm corporis oculus deflorescit. Quinetiam Proclus nobilis Platonicus monet, multos esse in vita lupos, multos porcos, plurimos alia quadam bruti specie circumfusos. Quod minime mirari nos oportet, cum terrenus locus Circes ipsius sit diversorium, cum animae aut unguentis delibutae, aut pharmacis epotis inebriatae transfigurentur in brutas animantes. Pharmaca autem sunt, oblivio, error, inscitia: quibus anima consopita brutescit: donec gustatis rosis, hoc est, scientia, quae mentis illustratio est, cuiusque odor suavissimus, avidè hausta in humanam formam, hoc est, rationalem intelligentiam revertatur, exuto asinali corio: id est, depo-

posito inscitiae et rerum terrenarum crassiore velamento. Et sanè reperiuntur animae quàm paucissimae, quae corporeis pedicis involutae, et brutalibus voluptatibus irretitae, existant sobriae, purae, imperturbatae, nulla in asinum aliasque brutas animantes facta transfiguratione. Potest et Metamorphoseos causa referri ad multiiugos humanae vitae labores, multiformesque varietates, quibus homo penè quotidie transmutatur: illa verò eruditioribus principalis huiusce transmutationis causa valdeque probabilis videri potest, et ut sub hoc mystico praetextu noster Pythagoricae Platonicaeque philosophiae consultissimus, dogmata utriusque doctoris ostenderet, et sub hac ludicra narratione palingenesian atque metempsychosin, id est, regenerationem transmutationemque dissimulanter assereret: et ut simul, quanta eloquentia Latiali homo Afer, quanta elegantia, quanta rerum verborumque copia praeditus esset, evidenter edoceret. Caeterùm cùm istae Praefationes libentiùs nos ad lectionem propositae materiae perducant, eiusque evidentiorem praestent intellectum, singulis libris hypothesin, sive argumentum praemittam, summatim breviterque conscriptum, ut quid in quoque volumine contineatur, statim lector intelligat.

PHIL-

PHILIPPI BEROALDI

IN

APPULEII METAMOPHORSEON LIBROS

COMMENTARII.

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Lucius Appuleius, magiae noscendae cupiens, Thessaliam petit, ubi artes magicae pollebant. In itinere duobus viatoribus se tertium comitem adiungit. Narrantur inter eundum mira quaedam et incredunda de circulatore, deque Meroë et Panthia lamiis ac sagis. Mox accessus Lucii ad Hypatam civitatem, hospitiumque Milonis, et hospes ipse describitur. Fuit opinor operae pretium haec carptim degustasse, ne illotis (ut aiunt) pedibus lector ingrederetur. et ut tyrocinium scholasticorum commodiùs instrueretur, libuit aliquantum evagari, et quoddam quasi thema futurae interpretationis anteloquio isto praemittere. Sed iam tempus est, ut cum Commentariis nostris Appuleium curiosius inspicias: quem in vita philosophum, in scriptis amatorem, res ipsa demonstrat, et testatur Ausonius.

Pag. huius Edit. 2. AT EGO SERMONE.] Lusurus Asinum aureum, exorditur ab epigrammate iambico bimembri, quo Faustinum filium sive Lectorem alloquens, instar poëtarum summatim proponit, quid sit toto in Opere edissertaturus. Docilitas autem captatur, et attentio colligitur. *At*, particula interdum inceptiva est, ad ornatum pertinens, ut docet Servius in nono Commentario. Ait Donatus, principium esse increpationi aptum. ut Virg. *At tibi pro scelere exclamat, pro talibus ausis.* Consimile illud Horatianum: *At ô Deorum quisquis in coelo regis.*

Ibid. SERMONE MILESIO.] fabuloso, lepido, iocoso, delicato, ludicro. hoc enim significat *sermo Milesius*, à Milesiorum Ioniae populis dictus, qui deliciis luxuque notabiles fuêre, quorum est illud memoratissimum: *Nemo nostrûm frugi esto, alioqui cum aliis eiiciatur.* Hinc *Milesias* prisci appellaverunt poëmata et fabulas lascivientes, sive ut quidam putant, Milesiae dicuntur fabulae aniles et vaniдicae, in quibus nec pes nec caput appareat: nec instar apologorum epimythion ullum morale continentes. Iulius Capitolinus in Clodio Albino sic ait: *Agri colendi peritissimus, ita ut etiam Georgica conscripserit. Milesias nonnulli eiusdem esse dicunt, quarum fama non ignobilis habetur, quamvis mediocriter scriptae sint.* Extat epistola Severi imperatoris ad Senatum missa, in qua id quod ad hanc rem maximè pertinet, scriptum legimus. sic enim ait: *Maior fuit dolor quod illum pro literato laudandum plerique duxistis, cùm ille naeniis quibusdam anilibus occupatus, inter Milesias Punicas Apuleii sui, et ludicra literaria consenesceret.* Ex his Severi verbis apparet, Milesias Appuleii significari fabellas huiusce Asini aurei, quas ipsemet sermone Milesio contextas et conditas esse significat. Martianus quoque Capella in libro de nuptiis Philologiae inquit: *Diversitatis delicias Milesias Aristides poëta Graecus composuit.* Milesias: hoc est: poëma Milesiacon per quàm impudicum: cuius rei Plutarchus et Appianus meminerunt. quod et Ovid. lib. Tristium II. apertè docet, sic scribens:

Iunxit Aristides Milesia carmina secum,
Pulsus Aristides nec tamen urbe sua est.

Emaculandus est hoc loco maculosus divi Hieronymi codex, ubi de Milesiis hisce fit mentio, et in sinceram lectionem restituendus. namque in libris contra Ruffinum sic passim legitur: *Quasi non curatorum turba Milesiorum in scholis figmenta decantent.* Vbi non *curatorum*, sed *Cirratorum* legendum est: hoc est, comatulorum puerorum. Iuxta illud vulgatissimum: *Ten' cirratorum centum dictata fuisse Pro nihilo pendas?* Praeterea *Milesiarum* lego, non *Milesiorum:* quoniam, ut iam docuimus, foeminino genere *Milesias* dicere maluerunt, quàm neutro *Mi-*

gunt, nec satis enarrant. Apud Graecos talis narratur historia: Ancaeus, Neptuni filius, cum vineam plantasset, famulorumque vestigiis interdixisset, unus ex illis dixit, non esse fas domino fructum vineae carpere neque vinum novum gustare. Mox maturis uvis, Ancaeus gaudibundus cum poculum esset labris admoturus, iussit servum meminisse verbi quod dixerat. Interea venit nuncius, domino referens, vineam ab apro immenso vastari: tunc Ancaeus abiecto poculo, dum concitatus currit ad aprum perimendum, ab eo percussus occubuit: et ita, ut servus praedixerat, gustare non potuit vinum, quod iam habebat paratum, labrisque propinquum. Alii tradunt hanc paroemiam ab Antinoi casu ortam esse, unius ex procis Penelopes: qui cum poculum labris admoveret bibiturus, corruit moribundus, ab Ulysse sagitta confixus. Quidam referunt ad Calchantem, quem vites serentem, quidam augur vicinus praeteriens dixit errare: non enim ei fas esse novum vinum gustare. Consimile est illud apud nostros minus notum, *Inter manum et mentum.*

Ibid. In convivas aemulos.] Solemus in convivio hoc saepe factitare, ut avide cibos transvoremus in frusta enormia concisos, vixque commanducatos, dum timemus ne convivae gulones cuncta voraciter in barathrum coniiciant. Et ob hoc, in aemulos convivas dixit Appuleius se contruncasse mordicus offulam grandiorem. Alii exponunt, dum cibum vellet frustatim secare, ut singulis convivis suae partes distribuerentur.

Pag. 19. Gestio.] cupio. Alias *gestire* significat, laetum esse, et gestu corporis laetitiam significare, ut Nonius Serviusque notificant, enarrantes illud Virgilianum:

Et studio incassum videas gestire lavandi.

Gestit ille, qui (ut ait Festus Pompeius) *subita felicitate exhilaratus, nimio corporis motu praeter consuetudinem exultat.*

Ibid. Glutinosi.] Vulgo talis cibus *viscosus* appellatur.

Ibid. Ima gulae.] Summum gulae fauces vocantur, postremum stomachus.

Pag. 20. Spiritum detinentis.] Significat interclusum fuisse à cibo deërrante spiritum, meantem per fistulam spiritalem. Duae enim sunt fistulae, et quasi canaliculae à faucibus deorsum proficiscentes, per quarum alteram delabuntur in stomachum esculenta omnia, et poculenta, ex quo cibalis dicta: per alteram spiritus à summo ore in pulmonem, atque inde rursum in os et in nares commeat, perque eandem viam vocis quoque fit meatus, à spiritu *spiritalis* haec *fistula* nominatur, quam Graeci vocant τραχεῖαν ἀρτηρίαν: hoc est, asperam arteriam. M. Varro capite de capris et hoedis. Lactantius in lib. de Opificio, *gurgulionem* appellat. Aliquando cibus potusque labitur in hanc fistulam, per quam spiritus reciprocatur, eaque offensione intercluditur animae meatus. Quod sibi accidisse significat Appuleius, dum ait cibum glutinosum retentasse spiritum meantem, et deërrasse in alienum tramitem. Ob hoc arte quadam et ope naturae duabus fistulis, cibali scilicet et spiritali, interposita est lingula, quae dicitur epiglottis, quae inter edendum bibendumque operit canaliculam spiritalem, ne si cibus potusve in alienum deërraverit tramitem, hominem torqueat. Auctores, Aristoteles, Plinius, Gellius, et Erasistratus.

Ibid. Minimo minus.] Vix minimum abfuit quin interirem.

Ibid. Proximo.] appropinquo. Verbum est.

Ibid. Ante Poecilen porticum.] Poecile porticus fuit Athenis, in qua Stoici philosophabantur. Latinè dici potest varia, sive variegata, à pictura scilicet multiplici, quae illic visebatur. Polygnotus pinxit gratuito porticum hanc Poecilen, cum partem eius Mycon mercede pingeret: unde maior fuit Polygnoto auctoritas. Siquidem Amphictyones, quod est publicum Graeciae concilium, hospitia ei gratuita statuère. De hac porticu intellexit Persius, cum ait: *Brachatis illita Medis Porticus.* De eadem sic scribit Aemylius Probus: In hac porticu Poecile cum pugna depingeretur Marathonia, tributus est hic honos Miltiadi, ut in decem praetorum numero prima eius imago poneretur. In 6. Suetonii commentario scripsimus copiosissime de Poecile porticu, emaculantes maculosum Spartiani locum. illinc poteris mutuari, si quid ex curiositate uberius fusiusque desideraveris. ποικίλον Graeci varium vocant, ποικιλίαν varietatem: unde Poecile porticus dicta, à varietate picturarum. Hinc et *pyropoecilon* vocarunt lapidem punctis ignei coloris variegatum. Et gemmam *sideropoecilon*, quae ferro similis, est guttis variantibus. Fuit et in Helide porticus Poecile, ut Pausanias tradit, quae à Plinio *Heptaphonos* appellatur, quoniam septies eadem vox in ea reddebatur.

Ibid. Gemino obtutu aspexi.] ambobus oculis. Figura est, quam grammatici pleonasmon vocant: quae fit, ut auctor est Quint. in 8. cum supervacuis verbis oratio oneratur: ut, *Ego oculis meis vidi.* sat enim est, *vidi.* Et, *Sic ore loquuta est.* cum utique sufficeret, *sic loquuta est.* *Obtutus* alias significat aspectum. ut illud:

Dum stupet, obtutuque haeret defixus in uno.

Dicitur autem *obtutus*, quasi obtuitus, à verbo *tuor*, quod significat video. *Hoc gemino obtutu*, asseverantis est. sic Terentius: *Hisce oculis.*

Ibid. Circulatorem.] *Circulatores* sunt circumforanei, qui praestigiis quibusdam magicis videntur devorare gladios acutos, irritare serpentes venenatos, et alia id genus incredunda efficere, maxima spectatorum admiratione, pecuniarum maximi aeruscatores. Ex hoc genere sunt

pharmacopolae, et Marsi, qui anguium virulentorum domitores sunt: quos Iulius Firmicus in 7. Matheseos, nasci ait oriente sidere Ophiucho. Qui sint circulatores, docet Paulus Iurisconsultus, titulo De extraordinariis criminibus, sic scribens: *In circulatores, qui serpentes circumferunt et proponunt, si cui ob eorum metum damnum datum est, pro modo admissi actio dabitur.* A circulo et circumferendo nomen circulatoris deductum est, cuius foemininum est *circulatrix.* Ovid. in Priapeis: *Hic quando Teletusa circulatrix.* Videturque foemina circulatrix ea dici, quae lucri gratia urbem circuit, et saltando, alioque ludicri genere mercedulam aucupatur. *Circitores* vero in re militari dicuntur, qui vigilias circumeunt, ut renuncient si quae emerserit culpa: quos olim *circuitores* appellabant, ut auctor est Vegetius. De circitore in Priapeis: *Quid mecum tibi circitor moleste?* Ulpianus Iurisconsultus, titulo de institutoria actione, circitores quoque eos dici vulgo ostendit, quibus vestiarii dant vestem circumferendam, et distrahendam. Plin. in epistolis, circulatorem eum intelligit, qui in foro, in corona popularium, legendo, canendoque oblectat: quales hodieque non parum multi in foro nostro audiuntur.

Ibid. SPATHAM.] Multa sunt Graeca vel Graecanica vocabula Latinis notiora, usitatioraque quam nostratia: quod oppido quam mirum videri debet. Et ut exempli causa, pauca quaedam breviloqua oratione succingam, nonne multa inter morborum nomina Graecanica sunt notissima, usitatissimaque, perinde atque vernacula Medicis nostri temporis, quorum aures latinas eorundem morborum dictiones penitus aspernantur? Quid sit *dysenteria*, qui sint *dysenterici*, norunt omnes, quae Graeca sunt. At si *tormina* et *torminosos* dixeris (sic enim Latinè dicuntur) verbi novitate perculsi obstupescent. Item, quid sit apud Hippocratem et Galenum *synanche*, norunt, quam tamen perperam *squinantiam* dicere consueverunt: quid vero sit *angina* nesciunt, quae Latina dictio est, synanchenque significat. *Lienteriam*, quae intestinorum laevitas est et solutio, probe callent, *aluinos* nesciunt: ita enim Latinè lienterici vocantur. *Hepaticos* sciunt dici, qui morbo laborant hepatario, quae Graeca dictio est: *iecorosos* dici nesciunt, quae Latina vox est. Consimiliter, ut ad propositum revertar, *Spatham* tam viri quam foeminae vulgo nominant, cum dictio Graeca sit, quae Latino sermone dicitur gladius, ensis, mucro: sed illud Graecum, quam haec Latina, cognobilius, vulgatiusque. Vegetius gladios maiores *spathas* vocari docet, minores vero *semispathas.* Praeterea *spatha* significat ramusculum palmae cum balanis: hoc est, ipsis dactylis: ut tradit Iulius Pollux. Hinc apud Martial. *Lema est spathalion carictarum.* Qua dictione significatur ramulus cum cariotis, id est, dactylis palmarum dependentibus. Item in Levitico scriptum legimus: *Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimae, spathulasque palmarum.* Pro eo est, ramusculos palmarum cum fructibus. Sed, quod cum pace bonaque venia eruditissimorum virorum dictum sit, *spathalion* apud Plin. et Plautum, ut ego opinor, non à spatha, id est, palma deducitur, sed à verbo Graeco σπαθάω, sive σπαθαλάω, quod significat delicias ago, et lascivio, inclinatur. Quo verbo usus est Aristophanes, cum ait ἐν νεφέλαις, ὦ γύναι λίαν σπαθᾷς. Est enim spathalion ornamentum muliebre, inter delicias foemineas annumeratum. Ne forte quaeras ubi Plin. meminerit spathalii, sic ait in 13, *Spathalia eo facere, et monilia foeminas.* Et Plautus in Menaechmis: *Amabo Menaechme, inaureis da mihi faciendas, pondo duum nummum spathalia, ut te libenter videam cum ad nos veneris.* Praeterea Plinio spatha est instrumentum et rudicula, qua utimur in versandis rebus quae coquuntur.

Pag. 21. MUCRONE INFESTO.] cuspide noxia ac letifera. *Mucronatus* dicitur à mucrone, mucronis effigiem gerens. Plin. lib. 23. Xiphiam piscem, id est, gladium, rostro *mucronato* esse ait. Interdum *mucro* significat ipsum gladium, et ut docet Quint. *Prosa oratio mucronem pro gladio recipiet.* Priscianus, *Synonyma sunt*, inquit, *quae diversis nominibus idem significant, ut ensis, mucro, gladius.*

Ibid. EXIGUAE STIPIS.] minimi pretii incitamento. *Stipem* pecuniam dicebant, à stipando, ut interpretatur M. Varro: quia qui asses, hoc est, nummos librales habebant maiori numero, non in arca ponebant, sed in aliqua cella *stipabant*, id est, componebant. A stipe *stipendium* dictum: et *stipendiarii*, qui stipem pendebant. Hinc *dispensator*, ab stipe pendenda nominatus. Hinc pecunia *stipulari* dicitur, et *restipulari*, in obligationibus.

Ibid. LANCEAM.] Hispanicum vocabulum est, ut ait Varro, et repetit Gellius. A lancea *lanceatus*, id est, lancea percussus. Qui habuerit horoscopum in 17. parte Aquarii, auctore Firmico Materno, lanceatus morietur. *Lancearios* nostri vocant, quos Graeci λογχητοὺς καὶ λογχοφόρους appellant, à λογχή, id est, lancea, sive lanceam gestando.

Ibid. QUA PARTE.] id est, cuspide.

Ibid. PONE FERRUM.] post ferrum. Virg. *Pone subit coniunx.* Et alibi: *Pone sequens.* Et ut ait Priscian. in 17. adverbium est, quod soli accusativo adiungitur: ut, *pone tribunal*, vel *pone domum.*

Ibid. BACILLUM.] Diminutivum à baculo. Iuven. — *nullo dextram subeunte bacillo.* Livius: *Lectores cum bacillis.*

Ibid. INVERSI TELI.] Sensus est circulatorem il-

illum praestigiis praepotentem, per partes inguinum infernas, perque viscera immisisse ferrum lanceae, quae adacta usque ad occipitium emersit, ostentans in mucrone puerum saltatorium, quae res inter mira miracula referri potest, qualia ex portentosa vanitatis magicae officina depromuntur.

Ibid. PER INGUINEM.] Lego *per inguen. Inguina* autem tam viri quam foeminae verenda significantur. Martial. *Accedo quoties ad opus, mixtisque movemur Inguinibus.* Inguina sunt sub scorpione. Manilius: *at scorpius inguine gaudet.* Hinc *inguinaria* dicta herba, quae sedat inguinis dolores, quam quidam *argemonem* vocant, cuius meminit Plin. in 26.

Ibid. AD OCCIPITIUM.] *Occiput* et *occipitium* vocamus partem capitis posteriorem. Occipitium, ut docent philosophi, et tradit Macrob. in ultimo Saturnalium, nunquam calvum visitur, ob siccitatem. Sub arietis dominio caput collocatur. Manil. in secundo Astronomicon: — *Aries caput est ante omnia princeps Sortitus.*

Ibid. IN MOLLICIEM DECORUS.] in quibus decor est corporis, iunctus fortitudini: et talis pulchritudo ornat, ut ait Donatus, virum fortem. In quibusdam forma est cum mollicie copulata: et tales magis inter foeminas, quam inter viros sunt numerandi. Qui nascentur orientibus pleiadibus, corpus in foeminam transferent, effoeminati, molliter ambulantes, vestigia suspendent: poenitebit nos, quod viri nati sint: auctor Maternus in 8. Matheseos.

Ibid. ENERVAM SALTATIONEM.] Decentibus vocabulis saltationem molliculam infractamque depinxit. *Enerva* enim et *exossis*, quasi sine nervis et ossibus significantur: quales non parum iam multos vidimus, qui sinuosis flexibus et corpore plicatili oblectant spectatores cum admiratione. Nati sub sidere leporis, levitate corporis aves superare videbuntur.

Pag. 22. DEI MEDICI BACULO.] Aesculapius significatur, cuius gestamen est baculus serpente involutus. Apollinis filius, vetustissimus medicinae repertor: cum tantum medicina caeteris praestaret, ut non satis ei videretur hominum dolores levare, nisi etiam mortuos ad vitam revocaret, fertur Hippolytum discerptum ad vitam revocasse. Nonnulli Glaucum Minois filium eius opera revixisse dixerunt, pro qua re fulmine Ioviali incensus periit. qui deinde inter sidera constitutus fuisse proditur, anguem tenens. Hac de causa anguem tenere dictus, quod cum Glaucum sanaret, manuque bacillum, cum quid ageret, agitaret, dicitur anguis ad bacillum eius arrepsisse. quem Aesulapius mente commotus interfecit, bacillo saepius feriens fugientem. Postea fertur alter anguis eodem venisse, ore ferens herbam, et in caput eius serpentis imposuisse: quo facto, utrosque illinc fugisse. Quare Aesculapius eadem herba usus, Glaucum revocavit ad vitam. Itaque in astris dicitur collocatus esse, anguem tenens, qui Graece *ophiuchus*: Latine *anguitenens* nominatur. In tutela quoque Aesculapii dracones constituti sunt. et ex hac consuetudine posteritas instituit, ut Medici anguibus uterentur: auctor Hyginus, in lib. de signis. Plin. vero lib. 29. ideo anguem Aesculapio dicatum esse refert, quia ei inesse remedia multa credantur. Macrob. in 1. Saturnalium auctor est, simulacris Aesculapii ideo subiungi draconem, quia sit acie acutissima, et pervigili unde ἀπὸ τοῦ δέρκειν, id est, videre nuncupetur. Medicum autem talem esse debere praescribit, qui acie mentis vel commoda vel incommoda in corpore mortalium praenoscat. Ut enim ait verissime Hippocrates in prognosticis: Oportet Medicum dicere de aegroto praeterita, praesentia, et futura. Cornel. Celsus scribit, Aesculapium in Deorum numerum receptum esse, cum medicinam adhuc rudem, paulo subtilius excoluisset, illustrassetque. Fabulantur Graeci Aesculapium collegisse sanguinem fluentem ex venis caesae Gorgonis, ita ut qui fluxerat ex sinistris venis, eo sanguine ad hominum perniciem: qui vero ex dextris, πρὸς σωτηρίαν, id est, ad salutem uteretur. Chirurgiae quoque inventum Aesculapio assignat Diodor. in 6. Sensus Appuleii est, puerum repentinum ex magicis praestigiis insurrexisse in lanceae cuspide, tam flexuosum, tam lubricum, ut credere posses serpentem esse illum, qui in baculo dei Aesculapii sinuosus figuratur. Sidonius mentionem facit baculi, tanquam id peculiare insigne sit Aesculapii. sic enim ait in 2. Epistolarum: *Tenere non abnuit cum Orpheo plectrum, cum Aesculapio baculum, cum Archimede radium, cum Vitruvio perpendiculum.* Augustinus in tertio Aesculapium appellat *Archiatrum*, quasi principem praesidemque Medicorum. Graece enim ἰατρὸς Medicus, et ἀρχιατρὸς primus Medicorum. Graeci *Asclepium* vocant Aesculapium. Unde ait Martianus: *Ascribit Asclepio Graecia medicinam.* De hoc Aesculapii gestamine sic scribit Ovidius:

Hic modo serpentem, baculum qui nexibus ambit, Perspice ——.

Ibid. QUOD GERIT.] Neutro genere *baculum* usurpat, sicut et veteres factitaverunt. Silius: *Pastorale Deo baculum.* Ovidius: — *baculumque tenens agreste sinistra.*

Ibid. CEDO.] Idem significat *cedo*, ac dic mihi, ut ait Donatus, et da. Verbum est comicum. Plaut. *Cedo manum.* M. T. in Oratore: *Libenter*, inquit, *etiam copulando verba iungebant: ut sodes, pro si audes: si, pro si vis: et capsis, in quo tria verba sunt, quod significat, cape si vis.* Est autem *Sodes* vox exhortantis, ut ait Donatus in Andria. Diomedes dixit esse adverbium precationis.

Pag. 23. STABULUM.] Hospitium significat: et *stabularium* vocant ipsum cauponem, qui vulgo hospes appellatur. Ulpianus Iurisconsultus: *Caupones*, ait, *et stabularios eos accipimus, qui cauponam vel stabulum exercent.* Et Caius ait, *stabularium accipere mercedem, ut permittat iumenta apud eum stabulari: custodiaeque nomine tenetur.* Augustinus lib. de civitate Dei, 8. *Stabularias* vocat *mulieres*, quae exercent stabulum, et viatores mercede pascunt. *Stabularii* sunt Catoni, famuli villatici, qui stabulario praesunt. *Sic enim*, inquit, *oportet habeat villicus stabularios*, 4. Obiter annotandum, Graeco vocabulo stabularium dici πανδοχέα, ut intelligas illud Iosephi ex libro 3. Antiquitatum: *Neque ancillam, neque captivam eis nubere voluit, et eas quae de cauponibus et pandochibus vitam agunt.*

Ibid. PRANDIO PARTICIPABO.] Id est, mecum prandebis asymbolos, et immunis. Ego enim pro te resolvam, et stabulario satisfaciam. M. Varro tradit, locarium dici pretium, quod datur in stabulo et taberna, pro loco ubi consistant.

Ibid. HIC.] pro haec. Loquutio est frequens, et prope peculiaris Appuleii: interdum significat tunc, ut docet Priscianus.

Ibid. AEQUI BONIQUE FACIO.] Proverbialiter locutus, quod significat, in bonam partem accipio. Ita enim loqui consuevimus, quando benignitate verborum prosequimur pollicitatores, invitatoresque. Potest accipi et eo intellectu, ut exponas non magni pendo. Cui consimile est illud, *Susque deque facio.* Terentius: *Caeterum equidem istuc, Chreme, aequi bonique facio.* Titus Livius: *Ne serpat latius contagio eius mali, nos aequi bonique facimus.* M. Tul. in Epistolis ad Atticum, sine particula coniunctiva, quod decentius est, dixit, *Aequi boni facit.*

Ibid. PORRO.] in futurum, deinceps: futuri temporis adverbium est. alias coniunctio est expletiva, ut docet Donatus, qui alibi ait adverbium esse modo temporis, modo ordinis.

Ibid. DEIERABO.] valde iurabo. *De* enim interdum significat intentionem, ut *demiror*. Apud Terent. *Deamo te Syre*, pro, *valde amo.* Tertul. in Apologetico: *Sacra faciebant pro salute Imperatoris, et genium eius deierabant.* Hinc *deiurium* dictum iusiurandum. A. Gel. *Deiurio vincti forent. Deierare* autem, sive iurare Deum, ornatior elocutio est, ut ait Ser. in 12. commentario, quam si velis addere praepositionem. Sic Virg. — *terram, mare, sidera iuro.* Hoc enim elegantius est, quam si dicas, per terram iuro, per mare, per sidera. Plaut. tamen elegantissimus scriptorum dixit, *Per omneis deos et deas deieravit, occisurum eum hac nocte, quicum cubaret.*

Ibid. VIDENTEM DEUM.] Plin. de sole scribens ait: *Praeclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens.* Ab Ovid. dictum est: — *videt hic Deus omnia primus.* Graece dicitur πάνθ' ὁρῶν, καὶ πάντ' ἀκούων: hoc est, cuncta videns, cuncta audiens. Est enim sol oculus mundi. Tolle solem de mundo, cuncta noctescent. Hinc illud Heracliti: εἰ μὴ ἥλιος (φησι) ἦν, εὐφρόνη ἂν ἦν: id est, si sol non esset, nox esset.

Pag. 24. THESSALIAM.] hic Thessalia non pro regione accipitur, sed pro oppido. Quod si legas *Thessalicam* nomine adiectivo, significatur Hypata civitas Thessaliae.

Ibid. QUAE PALAM GESTA SUNT.] Subintelligendum est, de his, vel horum, vel aliquid consimile. ut sit sensus: Sermonem iactari per ora populi Thessalici super his rebus quae illic palam gestae fuerant.

Ibid. CUIATIS.] Nomen est gentile, et significat cuius gentis. Antiqui enim, ut ait Prisc. nominativum proferebant *cuius* et *cuiatis* communi genere. Plaut. *Rogitant cuiatis sit.*

Ibid. QUAESTUM.] ad quaerendum lucrum ritu mercatorio.

Ibid. EAM.] vadam: verbum est.

Ibid. AEGINENSIS QUIDEM SUM.] Aegina, cuius hic se municipem esse ait, insula est, ab Aegina Aeaci matre dicta, cum prius Oenopia nominaretur. Ovid.

Oenopiam veteres appellavere: sed ipse
Aeacus Aeginam genitricis nomine dixit.

Aes Aegineticum, teste Plin. fuit in laude. ex quo candelabrorum superficiem elaborabant. Quidam codices habent *Aegiensis*, tanquam ab Aegio deducto nomine. Est enim Aegium oppidum Peloponnessi, quo in loco Iovem à capra caprino lacte nutritum fabulantur, sicut Aratus prodidit. Unde et loco nomen. αἶγα enim capram vocant. Sunt et Aegae Euboicae, à quibus Aegaeum mare dici autumat Strabo. Sunt et Aegae Achaicae, penes quas Cratis amnis labitur.

Pag. 25. AETHNAEO MELLE.] Id est, Siculo, quod bonitatis nota censetur. Prima nobilitas est Attico, quod Hymettium vocant: proxima Siculo, quod Hyblaeum ab oppido nuncupatur: mox Calymnae insulae. Hinc ait Ovid. — *foecundaque melle Calymne.* Appuleius *Aethnaeum mel* appellat, intelligi volens Hyblaeum, sive Siculum, ab Aethna monte, quae ardet noctibus semper. Quidam legunt *Aennaeo*, ab Aenna civitate Siciliae in colle sita, in qua sacra Cereris aedes est, ut docet Strab. in 6. Hinc illud in Carmine obscoeno: *Aennaeae Cererem nurus frequentant.*

Ibid. CAUPONARUM MERCIBUS.] Esculentas merces significat, quae pertinent ad edulia cauponarum. Est autem *caupona* et mulier, et taberna. Potest referri et ad cauponationem, quam

quam ut illiberalem improbat Plato, lib. II. de Legibus: de quo suo loco mox plura.

Pag. 26. AETOLIAM.] Aetolia regio est proxima Epiro, quam ab Acarnania dirimit amnis Achelous. Hinc Ovidius Acheloum appellat Acarnanum fluvium, illo versu:

Amnis Acarnanus laetissimus hospite tanto.

In Aetolia oppidum est nomine Naupactum, à quo idem Achelous Naupacteus ab eodem poëta est dictus. Aetoliae oppidum est Calydon: unde Calydonius ille aper famigeratus.

Ibid. BOEOTIAM.] Cum Latini Graecos in omnibus pene sequantur, ut ait Priscianus, Barbarismus fit Boëtiam Boëtiosque scriptitando, pronunciandoque: sicut obtinuit, inveteravitque falsa et pertinax consuetudo neotericorum. Boeotiam enim et Boeotios scribere ac proferre debemus, ex Graecorum ratione, apud quos βοιωτία, βοιωτοί, nec unquam aliter scribuntur. Et ita illud Flacci legendum est: *Boeotum in crasso iurares aëre natum.* Homer. in Catalogo: βοιωτῶν μὲν πηνέλεως καὶ λήϊτος ἦρχον. Auctoritatem tamen et rationem, et regulam, consuetudo superavit, quae (ut ait Gellius) domina rerum est, maximeque verborum. In ore enim omnium est Boëtia, cum Boeotia insolens, inauditum, aspernabile verbum esse videatur. Caeterum ego ipse sequar Fabium Quint. qui vocat consuetudinem sermonis, consensum eruditorum, non usum trivialium Grammatistarum.

Ibid. COMPERTO.] cum comperissem. Absoluta elocutio est apud veteres usitatissima. Cor. Tacitus: *Igitur Zosines diu pensitato, Mithridatisne rebus externis, an patrio regno consuleret.* Silius: *Auditoque furens socias non defore vires.*

Ibid. HYPATAE.] Itidem Lucianus se Hypatam accessisse commemorat, Thessaliae civitatem, quam Appuleius signat fuisse metropolim, et quasi principalem totius regionis. Livius meminit Hypatae in 36. scribitque consulem Romanum esse depopulatum agrum Hypatensem.

Ibid. CASEUS SCITI SAPORIS.] Caseo Nemausensi, quae civitas Galliarum est, laus fuit apud antiquos praecipua, et musteo tantum, hoc est, recenti commendatio. Caseus Lunensis magnitudine conspicuus celebratur, quippe qui ad singula millia pondo premebatur, ut docet Plin. in II. Hinc illud Epigrammatarii poëtae.

Caseus Ethruscae signatus imagine Lunae
Praestabit pueris prandia mille tuis.

Caseus à coacto lacte dictus, ut interpretatur M. Varro: sive à coëundo, ut ait Festus. Casei recentes et molles sunt alibiles magis, quam veteres et aridi. Inter cibos castrenses, caseus quoque numeratur. Spartianus: *Ne Adriano haec, cibis etiam castrensibus in propatulo libenter utens: hoc est, larido, caseo, et posca, exemplo Scipionis Aemiliani et Metelli, et auctoris sui Traiani.* Galenus lib. de Alimentis 3, recentem caseum, veluti omnium probatissimum saluberrimumque, quem vocari ait à Pergamenis municipibus suis oxygalacticum, miro praeconio extollit. Ut autem intelligas quid sit caseus oxygalacticus apud Galenum, scito *oxygalam* dici quasi acetosum lac. nam Graeci ὄξος acetum vocant, γάλα lac. Unde Galactopotae dicti populi, quibus lac victum commodat, quorum meminit et Columella in 8. Oxygala autem, ut docet Plin. volumine 28. fit e lacte quod in summo fluit, addito sale. Oxygala alio modo fit, acido lacte addito in recens: quod, dum accessit, utilissimum est stomacho. *Hippacem* vocat antiquitas caseum equinum, cui eosdem affectus quos bubulo caseo Sestius assignat. Genus est casei quod *saprum* vocant, quasi dicas marcidum: qui cum sale et sorbis siccis è vino tritus, potusque medetur coeliacis. In universum haec de caseis traduntur: stomacho utiles sunt, qui non sunt salsi, id est, recentes: veteres alvum sistunt, corpusque minuunt.

Ibid. SCITI SAPORIS.] Probi iucundique gustatus. *Scitus* interdum dicitur elegans. Terent. *scitum puerum* appellat pulchrum et elegantem. Fiscellus dicebatur à priscis, casei mollis appetitor.

Ibid. PRETIO DISTRAHI.] Vendibilem fuisse caseum significat, qui levi pretio coemi posset. *Distrahere* enim est vendere, Oratoribus et Iurisconsultis. Inde *merces distractae:* et *distractio*, venditio. Ulpian. titulo de transactionibus: *Si uni pluribusque fundus ad alimenta fuerit relictus, velitque eum distrahere, necesse est emptorem de eius distractione et transactione arbitrari.* Alias significat disseparare, atque divellere.

Ibid. PRAESTINATURUS.] Empturus. *Praestinare* verbum vetus est, quod significat emere. Plaut. in Epidico: *Ut praestines argento priusquam venit filius*, et apud eundem saepissime. A quo *destinare* quoque, quod usitatius est, usurpatur in eodem significatu, cum ait in Persa: *Dii Deaeque te agitent irati, scelus, qui hanc non properes destinare.*

Pag. 27. SINISTRO PEDE.] Improspero omine et inauspicato. Si enim (ut Donatus, Virgilianus interpres, scite inquit) dexter pes bonus est, procul dubio sinister malus accipiendus est. A contrario dixit Virg. in 8:

Et nos et tua dexter adi pede sacra secundo:

hoc est, ut Ser. interpretatur, propitius, et prospero omine. Divus Aug. quod mehercule scitu memoratuque est dignum refert in epistolis, Phanionem dici boni pedis hominem, cuius adventus afferat aliquid foelicitatis. *Sic*, inquit, *solemus dicere secundo pede introisse, cuius in-*

troitum prosperitas aliqua consecuta sit. Illud obiter annotandum, in auguriis sinistrum accipi pro prospero et salutari et sinistras aves, quae portendunt foelicitatem. Autumat Festus Pomp. et Servius, *auspicium sinistrum à sinendo* dici, quod nos agere aliquid sinat. M. Varro in lib. Epistolicarum quaestionum ait, ad sinistram partem esse mundi exorientes, ad dextram occidentes. Unde factum arbitrantur, ut sinistra meliora auspicia, quam dextra esse existimentur. Idem fere sentiunt Capito et Cincius, vetustissimi scriptores. Plin. quoque fulmina laeva, hoc est, sinistra refert prospera existimari, quoniam laeva parte mundi ortus est. Idem Don. refert, in sacris signis idcirco prospera accipi, quae sunt laeva, quia sacrificantis, vel precantis latus laevum, dextrum est eius qui postulata largitur. Ex hac augurii consuetudine dixit Ennius: *Contonuit laevum bene tempestate serena.* Et Ennium aemulatus Virg. cecinit in serio opere: *subitoque fragore Intonuit laevum:* significare volens sinistrum: hoc est prosperum factum esse augurium. E contrario Graecis et barbaris dextra meliora videntur, quam sinistra. Unde Homericus Aiax: *Nescio quid hoc modo nunciet: prospera Iupiter his dextris fulgoribus edit. Quanquam haud ignoramus*, ut inquit M. Tul. in 2. de Divin. *quae bona sint sinistra dici, etiamsi dextra sint.*

Ibid. SPES COMPENDII.] Lucri: contra *dispendium* significat detrimentum.

Ibid. LUPUS.] Nomen proprium negotiatoris. Alias dicitur instrumentum uncinatum, quod vulgus lingua vernacula *graphium* vocat. Palladius *lupos* serrulas manubriatas interpretatur, numeratque inter rustica ferramenta. Alias *lupos* dicimus frenos, et lupata, iuxta illud: *Accipit ore lupos.* De lupo pisce, et animali quadrupede, nemo est qui nesciat. *Magnarius.*] Non a regione quae Magnesia dicitur, inclinatum est hoc nomen: sed à magno, magnitudineque negotiationis: veluti famigeratus, clarus in obeundis magnis mercaturis.

Ibid. COMMODUM.] Non parum multae particulae sunt in Latina lingua usitatissimae quidem, sed paucis bene cognitae, intellectaeque; sicut est adverbium hoc, *Commodum:* quod significat tunc, id temporis, eo momento. Qua dictione non solum Appuleius noster saepicule, sed et Plaut. et M Tul. Gel. et omnis classicorum scriptorum ordo usus est. Donatus enarrans illud Terentianum ex Phormione: *Id cum hoc agebam commodum:* dixit adverbium esse temporis, et tantum significare. Idem alibi apertius et planius exponit, *Commodum huc advertcrat, ipso eodemque tempore.*

Ibid. AD BALNEAS.] Proprie et significanter foeminino genere *balneas* publicas appellamus, cum privata neutro genere *balnea* appellitentur. Quod docet M. Varro. Et ita fere semper apud idoneos auctores invenies dici pro publicis thermis. Attamen M. Tul. *balneas* vocat, balnea Marci Bruti privata. Sic enim ait in 2. de Oratore: *Quam multa de balneis, quas nuper ille vendiderat.* Idem in oratione pro Cluentio: *Eas*, inquit, *balneas non ex libris patris, sed ex tabulis, et ex censu quaerere.* Graeci βάλανον appellant, ab eo quod anxietatem pellat ex animo: quod et divus Aug. testatur lib. 9. Confessionum, et nos fusius scripsimus in commentariis Suet. unde nostri *balineum* dicunt, et per syncopam *balneum.*

Ibid. ECCE.] Proprium Ciceroni et Virg. hoc est, in rebus improvisis et repentinis: ut, *Ecce autem gemini, à Tenedo:* et *Ecce trahebatur passis Priameia virgo.*

Pag. 28. PALLIASTRO.] A *pallio*, quae Graecorum vestis est, ut toga Romanorum, inclinatur *palliastrum:* cuiuscemodi nomina autumant Grammatici significare diminutionem. et profecto quaedam sunt in *aster*, vel in *astrum* desinentia, quae diminutionis regulam servant: ut *surdaster*, quasi obsurdus: et *recalvaster*, modice calvus. Cic. in 5. Tuscul. *Erat*, inquit, *surdaster M. Crassus.* In Levitico ait Moses: *Et si à fronte ceciderint pili, recalvaster et mundus est.* Unde et *recalvatio dicta*, non plenum calvicium, sed pusilla capillorum deglabratio. Itidem *palliastrum* accipi videtur, pro pallio mutilo et breviculo. Compluscula tamen sunt ex hoc inclinatu derivata, quae imitationem potius significant quam diminutionem. ut *Pinaster:* quo non parva pinus significatur, sed ut ait Plin. in 16. nihil aliud est quam pinus sylvestris mira altitudine. Ita *apiastrum*, quod herbae genus melissophyllon Hyginus vocat. Ita *mentastrum*, quae menta sylvestris est. Consimiliter à Cic. dicitur *Fulviaster* et *Antoniaster*, contra Priscian. sententiam, quas Fulviae Antoniique imitator. Et à Terent. in Adelphis, *parasitaster* dictus non tam parvus parasitus, quam aemulus imitatorque parasitorum. De palliastro in Floridis: *Niceno procinctu palliastri magistratum in secreto defendisset.*

Ibid. SCISSILI.] Lacero, et divulso. Alias *scissile* dicitur, ut *fissile*, quod facile scindi potest.

Ibid. SEMIAMICTUS.] Ex hoc aperte liquet, palliastrum pusillum et breve pallium significare, quo Socrates non totus vestiebatur, sed semivestitus conspiciebatur.

Ibid. LURORE.] Squallore, et pallore buxanti. Est enim *luridus*, supra modum pallidus. unde *rana lurida* Varroni, et *venena lurida* poëtis dicuntur.

Ibid. DEFORMATUS.] Sentus, incultus, et dehonestamento formae demutatus. Alias *deformare*, est figurare, fabricare, et nova forma insig-

signire. Vitruvius in 5. *Tragicae scenae deformantur columnis, signis, et regalibus rebus.*

Ibid. STIPES EROGARE.] Significat, contubernalem ad incitas, hoc est, egestatem fortunae fulminantis saevitia redactum esse, adeò ut mendicare cogeretur. Quod genus homines Plaut. eleganter appellat *mendicabula:* et Laberius mendicitatem dixit *mendicimonium.* In triviis autem potissimum mendici stabulantur, utpote locis frequentioribus, per quae ultro citroque commeant homines negotia obeuntes.

Ibid. QUAMQUAM NECESSARIUM.] Quamvis mihi necessitudine contubernalitateque coniunctum, et consequenter cognitissimum. Necessarii enim dicuntur, qui iure affinitatis familiaritatisque coniuncti sunt, ut docet Gel. lib. 12. noctium Atticarum.

Pag. 29. QUAE FACIES.] Admiratur in Socrate contubernali tantam deformitatem, tantamque vultus ac totius corporis illuviem. Est enim *facies*, forma omnis, et modus et factura quaedam corporis totius, à *faciendo* dicta: auctor Gel. in 12. Plaut. quoque in Poenulo, *faciem* pro totius corporis colorisque habitu dixit, his versibus. *Sed earum nutrix qua sit facie mihi expedi. Statura non magna, corpore aquilo est.* Aquilum corpus a colore aquilo dictum, qui fuscus est, et subniger, ab aqua nominatus. Caeterum quotidianae locutionis consuetudo *faciem* usurpat pro oris specie, quod Graeci πρόσωπον dicunt, in quo significatu est illud Plin. ex 12: *Facies homini tantum, caeteris os, aut rostra.*

Ibid. DEFLETUS.] Deploratus, delamentatus. Participium ab eo quod est *fleor*, ut ait Ser. Virg. — *tum membra thoro defleta reponunt.*

Ibid. CONCLAMATUS ES.] tanquam de vita tua transactum finitumque sit. Donatus enarrans illud Teren. ex Eunucho: *Iam conclamatum est:* modo interpretatur transactum ac finitum, ut corpora nihil reliqui habent ad vitae officia: modo manifestum, ut in conclamatis funeribus nulla dilatio est doloris ac luctus, *Conclamatum* pro satis deploratum satisque vociferatum esse exponit. Ser. vero in expositione illius hemistichii 6. Aeneid. *Pars calidos latices:* ait morem fuisse apud veteres, ut mortui calida aqua abluerentur, et per intervalla conclamarentur, propterea quod solet plerumque vitalis spiritus exclusus putari, et homines fallere: ideoque servabantur cadavera septem diebus, et calida aqua abluebantur, et post ultimam conclamationem comburebantur. Et hinc tractum esse refert illud Terentii: *Desine, iam conclamatum est.* Consimile est illud Lucani ex 2. Pharsaliae: — *corpora nondum conclamata iacent.*

Ibid. IURIDICI PROVIN.] Iuridicus provincialis significatur is magistratus, qui ius dicit in provincia, sive is praetor sit, sive proconsul, sive praeses, sive alius qui provinciam regat. Titulus est apud Iurisconsultos de officio iuridici Alexandriae, ubi sic ait Ulp. *Iuridico qui Alexandriae agit, datio tutoris constitutione divi Marci concessa est.* Sensus est, datos esse tutores filiis Socratis, qui demortuus credebatur, ex auctoritate decretoque iuridici, qui provinciam illius patriam regebat. Nam, ut refert Ulp. titulo de iurisdictione iudicum, *Ius dicentis latissimum est. Nam et pupillis non habentibus tutores constituere potest.* Tutores autem sunt, ut docet Paulus lib. 26. digestorum, qui vim ac potestatem habent tuendi eum, qui propter aetatem suam sponte se defendere nequit: dicti quasi tuitores atque defensores. Mutus et surdus tutor dari non potest. Tutorum alii legitimi, alii fiduciarii, alii honorarii nuncupati. Analogistas, sive analogas appellat tutores Iulianus Iuris. eos qui non tenentur reddere rationem administratae tutelae. Ius dandi tutores datum est, ut ait Ulp. omnibus magistratibus municipalibus. Praetor ipse se tutorem dare non potest. Illud semper constitit, praesidem posse tutorem dare tam absentem quam praesentem; et tam praesenti, quam absenti: nec non ignoranti, et invito.

Ibid. LIBERIS.] Liberûm appellatione non solum filii, sed et nepotes continentur, ut tradit Ulp. titulo de testamentaria tutela. Liberos, secundum Cassium, et ultra trinepotem accipimus. Antiqui oratores historicique etiam unum filium, filiamve, liberos multitudinis numero appellaverunt. Sempronius Asellio libro rerum gestarum quinto, de Tiberio Graccho ita scripsit: *Orare coepit ut se defenderet, liberosque suos, eum quem virilis sexus tum in eo tempore habebat, produci iussit, populoque commendavit prope flens.*

Ibid. FERALIBUS OFFICIIS.] *Feralia officia* appellamus, quae inferis defunctisque exhibentur. Scribit Ovid. in 2. Fastorum, feralia dici diem mense Februario, qua feruntur iusta manibus parentum, et celebratis parentalibus placant animas defunctorum. Festus quoque Pomp. ait, feralia esse festa sacrata Diis manibus, à ferendis epulis, vel à feriendis pecudibus appellata. Hinc *foedera feralia*, et *tedas ferales*, et *arma feralia* dixit Lucan. pro mortiferis et pernicialibus. Et *ferales* cultus Ovid. pro funebres et lugubres. Uxor, apud veteres decem menses à funere maritali, lugebat maritum, quia annus id temporis erat decimestris, ut docet Ovid. Scribit Seneca libro 7. Epistolarum, annum tempus foeminis ad lugendum constitutum fuisse à maioribus, non ut tandiu lugerent, sed ne diutius. Viris nullum lugendi legitimum tempus est, quia nullum

lum est honestum. Lugentes diebus luctus erant in pellibus.

Ibid. DEFORMATA.] deturpata, sordidataque.

Ibid. DIFFLETIS OCULIS.] Tamdiu, tamque continenter deflevisse foeminam significat, ut pene luminum sive oculorum captivitatem orbitatemque pateretur. In hanc sententiam Quintil. in declamatione quae inscribitur Insepultus, sic inquit: *Cognita clade rarissimi uxor exempli totos efflevit oculos, fontemque illum perennium lachrymarum tantum caecitas clausit.*

Ibid. A SUIS PARENTIBUS.] patre et matre. Interdum *parentes* vulgari more, ut ait divus Hieronymus, dicuntur affines et cognati, et ita nos vulgo vernacula lingua sermocinantes usurpamus. In hoc significatu *parentes* appellat Spartianus, cum ait, *omnibus parentibus suis tantam reverentiam, quantam privatus, exhibuit.* Praeterea appellatione *parentum* omnes superioris gradus usque ad tritavum quidam appellari aiunt: sed Caius Cassius, cui Ulpianus astipulatur, omnes in infinitum dici parentes asseverat.

Ibid. NOVARUM NUPTIARUM GAUDIIS.] luctus fiebatur nuptiarum causa.

Ibid. HILARARE INFORTUNIUM.] exhilarare et discusso pectoris nubilo disserenare, ac nova immissa hilaritate discutere, et in laetitiam gaudiumque demutare. *Hilaria* veteres diem appellaverunt 8. Kalendas Aprileis, quo fit aequinoctium vernum. quo primum tempore sol diem longiorem nocte protendebat, perinde ac tunc primum exordium laetitiae et hilaritudinis celebraretur. auctor Macrobius. Haec hilaria significavit Vopiscus, sic scribens in Aureliano: *Hilaribus, quibus omnia festa et fieri debere scimus, et dici impletis solennibus.*

Ibid. SUIS SIBI.] Vetus locutio est. ita Terentius: *Suo sibi hunc gladio iugulo.* ubi exponit Donatus, veteres sic solitos loqui.

Ibid. LARVALE SIMULACHRUM.] Augustinus in 9. de civitate Dei, Martianus Capella in nuptiis Philologiae, et noster Appuleius daemonio Socratis, *larvas* dici tradunt animas hominum depravatas, et malis vitae meritis maculosas, quae à corpore seiugatae terriculamentum sunt mortalibus, et occursacula nocturna. Hinc *larvale simulachrum* dicitur deformatum, pallens, luridum, evisceratum, emaciatum, ac prorsus horrendum sicuti larva est. In Priapeiis scriptum est, *Ad me nocte solet venire, et affert Pallorem maciemque larvalem.* Ubi annotandum, in carmine phalaecio *larvalem* pronunciari debere per diaeresim. A larva, *larvati* dicuntur furiosi, et mente moti, quasi larvis exciti. Appuleius in Apologia: *Hunc denique, qui larvam putat, ipse est larvatus.* Idem, *Tertium*, inquit, *mendacium fuit macilentam, vel omnino evisceratam formam, diri cadaveris fabricatam, prorsus horribilem, et larvalem.* In hanc sententiam est illud Sidonii Apollinaris: *Facies veluti umbris moestificata larvalibus.* Apud Horatium, quod nescio an alibi facile reperias, *larva* accipitur pro persona, sicut vulgo usurpatur eo versu: *Nil illi larva, aut tragicis opus esse cothurnis.*

Ibid. ARISTOMENE.] Vocativus casus est, qui apud veteres salutorius quoque vocabatur. Verba sunt Socratis, respondentis amico Aristomeni. Ita enim nominabatur sermocinator hic, introductus à Lucio nostro.

Ibid. FORTUNARUM LUBRICAS AMBAGES.] Saepe diximus, saepe annotavimus, fortunam volubilem, vagam, inconstantem, lubricam, brutam appellari, quam antiqui sine pedibus esse dixerunt, eamque in pila stantem figurantes, manuatam pennatamque fecerunt: quae cum manus porrigit, pennas quoque comprehendere non sinit. *Fortunarum* autem pluraliter dixit, quia multiplex est multinominisque fortuna, sicuti à nobis scriptum est in libro De foelicitate. Refert Macrobius, simulachra Fortunarum apud Antium conveniri solita ad danda responsa. Papinius quoque Sylvula quadam *Praenestinas sorores* appellavit fortunas, quae apud Praeneste sub effigie sororum colebantur. Romae fuit ara malae Fortunae in Exquiliis, et nos olim ludentes scripsimus in libello elegiaco:

Est fortuna mala, est convertens, est bene sperans:
Fortis habet nomen, mascula culta dea est.
Ut tua multiiuga est varia et numerosa potestas:
Sic sunt multa tibi nomina facta deae.

In coelo est ἀγαθὴ τύχη καὶ κακὴ τύχη: id est, bona fortuna et mala fortuna. auctor Iulius Firmicus. Alias *fortunae* pro divitiis opulentiisque accipiuntur.

Ibid. CUM DICTO.] Frequens et pene peculiaris Appuleii locutio, quae significat statim post verba, et vixdum finito sermone.

Ibid. SUTILI CENTUCULO.] Quod supra *palliastrum scissile* dixit, modo *sutilem centuculum* appellat, à centone ὑποκοριστικῶς, id est, per diminutionem deducto vocabulo. Est autem cento vestis crassior, viliorque, ex pannis diversorum in unum consutis coagmentatisque, cuius usus in re militari apud veteres fuit frequentissimus, ad incendium arcendum. Hinc praecipit Vegetius lib. 4. turres et vineas, quae machinae sunt militares, centonibus esse aut crudis coriis extrinsecus operiendas, communiendasque, ne immisso concrementur incendio. Caesar quoque commentario belli civilis Pompeiani secundo refert, in oppugnatione Massiliae turrim latericiam à suis structam fuisse, cui centones insuper iniecerunt, ne aut tela tormentis missa tabulatione perfringerent, aut saxa ex catapultis latericium discuterent. Idem in structura musculi, quae et ipsa machina oppugnatoria est, ait coria inducta fuisse, super coria centones iniectos, ne igni ac la-

Milesia. nisi quis tutari velit, *Milesia* neutraliter dici posse, ut *Georgica*, *argonautica*, et alia consimiliter.

Pag. 3. LEPIDO SUSURRO.] eleganti quadam sermocinatione, cuius sonus veluti susurrus blandus et suavis aures permulceat. Potest et ob hoc videri usus hac dictione *susurro*, ut ostendat, haec non esse invulganda, neque prophanis palàm nuncianda, sed clam apud aures religiosas promenda, instar mysteriorum, quae in sanctuariis, et ut Graeci dicunt ἀποῤῥήτοις habentur. *Lepidus* dicitur, qui politus est, auctore Donato, ut λεπὶς: id est, lama. Plin. *lepidas* vocari tradit squamas aeris minutissimas. Unde et *lepidotes* gemma dicta, quae squamas piscium imitatur.

Ibid. PAPYRUM AEGYPTIAM.] chartam papyraceam. est enim Papyrum, sive papyrus (utroque enim modo dicitur) frutex nascens in palustribus Aegypti, aut quiescentibus Nili aquis, unde *Niliacas papyros* appellavit Epigrammatarius poëta: brachiali crassitudine, decem cubitorum longitudine, in gracilitatem fastigiatur. Ex libro papyri texunt vestem, et stragula. hinc illud Satyrographi: *Succinctus prima quondam Crispine papyro.* Ex hoc fiunt chartae multiplices. Plin. in 13, quomodo fiant papyraceae chartae luculenter, ut omnia solet, enarrat. à quo commendatur Augusta charta, cui principatus fuit in epistolis, ob tenuitatem: quae antiquitus appellata est *Hieratica*, quasi sacrata, religiosis tantum voluminibus dicata. *Emporetica* dicitur charta quasi mercatoria, inutilis in scribendo, sed involucris usum praebet in mercibus. Inter principales chartas fuêre *Fanniana*, *Liviana*, et praelata omnibus *Claudiana.* In chartis spectantur tenuitas, densitas, candor, laevor. Sacerdotes Aegyptii calceos papyraceos gestant, nec alia calciamenta eis induere fas est: auctor Herodotus. Chartis legatis, papyrum ad chartas paratum non continetur: ut docet Ulpianus volumine 3. de legatis.

Ibid. ARGUTIA.] lepôre et festivitate, et salibus Aegyptiis. illi enim nequissimi mollissimique fuerunt. ex quo est illud:

Niliacis primùm puer hic nascatur in oris,
Nequitias tellus scit dare nulla magis.

Idem aliubi *sales Niliacos* memorat. Scribit Flavius Vopiscus, Aegyptios esse versificatores epigrammatarios, et ad cantilenas publicas propensos. Quintilianus delicias Alexandrinas, ut omnium mollissimas, nominatim taxat.

Pag. 4. NILOTICI CALAMI.] Calamos Aegyptios ad scribendum idoneos maximè probant, qui, ut ait Plin. 16. inserviunt chartis cognatione quadam papyri: probatiores tamen Gnidii existimantur. Sagittis autem nullus aptior calamus est, quàm qui nascitur in Rheno Bononiensi amne, cui plurima est medulla. De calamis Niloticis ait Epigrammatista:

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus.
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Pag. 5. IN ALIAS IMAGINES CONVERSAS.] An homines in alias imagines, ut luporum et asinorum, verti possint, magna inter eruditos et subtilis quaestio est. Vulgo enim in tantum infixa est fama haec, ut in maledictis habeant versipelles. Ex quo est illud Plautinum: *Versipellem sese facit, quando lubet.* Plin. Graecae vanitatis haec esse mendacia, figmentaque asserit. Divus quoque August. autumat haec esse fabulosa, et daemonum ludificationes. Quidam nomine Praestantius olim denarravit patri suo contigisse, ut veneno magico in caseo sumpto fieret caballus, annonamque inter alia iumenta militibus baiularet.

Ibid. IN SE RURSUM REFECTAS.] Hoc ideo dicit, quia ex homine asinus factus est, mox ex asino in pristinum hominem reformatus, refectusque.

Ibid. MUTUO NEXU.] Per quasdam quasi vicissitudines: ut scilicet vicissatim ex homine asinus, ex asino homo fieret, mutua quadam conversione, eadem subsistente materia.

Pag. 6. QUIS ILLE.] Extrinsecus subintelligendum sit, qui in alias imagines conversus, et in se rursum refectus fuerit. Significatur autem ipsemet Apuleius.

Ibid. HYMETTOS ATTICA.] Post anteloquium epigrammatis, ingreditur narrationem prosa oratione, docens se magis Graeco quam Latino sermone linguam excoluisse. Loca Graeciae famigerata percenset, perinde ac veterem prosapiam: tanquam natus sit in Africa, sed oriundus fuerit in Graecia. Hymettus mons est in Attica inclytus marmore et melle. L. Crassus orator columnas habuit Hymettias sex, duodenûm pedum longitudine. Mel Hymettium, quod et Atticum appellatur, primatum obtinet bonitatis: unde Plinius et Galenus mel Atticum cum primis probant in medicamentis. Strabo quoque libro 9. mel Hymettium reliquis anteponens, id ait esse probatissimum quod acapnistum vocant, quasi nullo fumo infectum, quo et apes et mella inficiuntur. Ideoque ait Plin. noster, id mel servari, quod acapnon vocant, quasi dicas sine fumo. Solinus de Hymetto scribit haec: *Hymetto meritissimò tribuitur principatus, quòd apprimè florulentus, eximio mellis sapore et externos omnes et suos vincit.*

Ibid. ISTHMOS EPHYRAEA.] Angustiae Peloponnesi inter duo maria Aegaeum et Ionium coërcitae, Isthmos appellantur. In medio Isthmo Corinthus est, quam Cicero *totius Graeciae lumen* appellat, antea Ephyre dicta: ex quo Poëta *Aera* dixit *Ephyraea*, intelligi volens Corinthia. Isthmos ludis quinquennalibus et delubro Neptuni inclytus perhibetur. quos ludos, auctore Solino, ea propter institutos ferunt, quòd maria quin-

quinque allatrant oram Peloponnensem. Pinea corona victores apud Isthmum coronabantur, ut refert Plin. in XV. Plutarchus tradit, Isthmia à Theseo primitus instituta fuisse in honorem Neptuni Herculis aemulatione, qui Iovi Olympia primus instituit. Alii Isthmia in honorem Palaemonis instituta fuisse dicunt, ut Archias poëta, cuius extat nobile epigramma Graecum, inclyta Graecorum certamina complexum. Athenienses ad spectaculum Isthmiorum accedentes, sedendo caeteris spectatoribus praeferebantur. De Isthmo quem perfodere tentaverunt dictator Caesar, C. Caligula, Nero et Demetrius, scripsimus affatim in Tranquilli commentariis.

Pag. 7. TENAROS SPARTIACA.] In Laconia promontorium est Tenaros, et oppidum. est et spiraculum eodem nomine, ex quo descensus ad inferos patet. est in ipso Tenaro templum Neptuno dicatum: Pomponius Mela et Solinus auctores. Dicitur Spartiaca, à Sparta civitate, quae Laconiae metropolis est, condita à Sparte filia Phoronei, ut docet Eusebius chronographus: unde Spartani sive Spartiatae, qui alio nomine Lacedaemonii celebratissimi. Fuit autem Sparta priscis temporibus ut Graeci dicunt, πόλις ἀτείχιστος; id est, civitas sine muris, tanquam vera urbis sepimenta essent armati viri, non saxa constructa. Unde olim interrogatus Agesilaus, Quamobrem Sparta esset sine muris? ostendens cives armatos dixit: ταῦτ' ἐστι λακεδαιμονίων τείχη. quod Latinè dicitur, *Hi sunt Lacedaemoniorum muri.* Lacones et loquendo et scribendo amatores fuerunt brevitatis propè peculiariter. Unde et *Laconismus* breviloquium significat, de quo Cicero in epistolis: *Laconismo tuo non utar.* et à Symmacho itidem in epistolis dictum est, *Memini brevitatem Spartanam quondam laudi fuisse.* Annotanda hoc loco est eloquutio Appuleiana, à quo genere foeminino *Isthmos*, *Tenaros* et *Hymettos* enunciantur cùm caeteri ferè masculino genere usurpaverint. sed videtur Lucius noster non tam locos quàm urbes ibidem conditas signare voluisse.

Ibid. GLEBAE FELICES.] Sensus est, Haec loca praedicta ubere glebae et foecunditate segetum felicia creduntur: quoniam ita libris scriptorum proditum est, qui haud dubiè feliciores sunt, utpote ipsi aeterni, et aeternitatem donantes his de quibus sermocinantur. *Glebae* autem patrius est casus, qui vulgo dicitur genitivus. sic enim loquimur Latinè et eleganter, *Felix aevi.* Silius:

Felix heu nemorum, et vitae laudandus opacae.

Pag. 8. PROSAPIA.] generis origo, et familiae, dicta à *proserpendo.* Alio nomine *prosapiens* nominatur. dictio est vetus, et ut ait Quintilianus, *ab ultimis, et iam obliteratis repetita temporibus.*

Ibid. IN ATHIDE.] Athenas significat. *Athis* enim est Attica regio, cui Cranai filia nomine Athis nomen dedit: quod et Iustinus refert. De qua Strabo libro Geographiae IX. sic refert: Ab Actaeone Activam dicunt. Athidem verò et Athicam ab Athide Cranai filia, à qua et inquilini Cranai vocantur: ipsa autem civitas Athenarum nomen sortita est à dea Minerva, quam Graeci ἀθήνην: hoc est, Athenam vocant.

Ibid. PUERITIAE STIPENDIIS.] Signat se prima Graecarum litterarum elementa Athenis didicisse, quae civitas domicilium fuit et veluti officina ingenuarum disciplinarum.

Ibid. MERUI.] militavi. Militia autem puerorum militariaque stipendia sunt in gymnasio literatorio: *merere* enim significat militare. Varro: *Equo publico merent.* et apud Suetonium in Iulio Caesare scriptum est: *Meruit et sub Servilio Isaurico in Cilicia. Merere* interdum pro *mereri* usurpatur, ut apud Plautum: *Etsi aliter meres*, pro mereris. est etiam *merere*, sordidissimum quaestum capere. hinc *mercenarii* et *meretrices* dicuntur. Aulus Gellius: *Lais*, inquit, *Corinthia ob elegantiam venustatemque formae grandem pecuniam demerebat.*

Pag. 9. IN URBE LATIA.] Romam significat, non solum Latii, sed et cunctarum terrarum caput, quae communis patria, auctore Seneca, dici potest.

Ibid. STUDIORUM QUIRITIUM.] Studia Romanae linguae sese didicisse in ipsa urbe Roma significat. Quirites autem Romanos dici, nemo est qui nesciat. *Indigenam sermonem* appellat vernaculum et peculiarem Romanorum, qui sermo Latinus est. *Latinitas* enim (ut inquit Diomedes Grammaticus) *est incorrupta loquendi observatio, secundum Romanam linguam.* Omnes antiquitùs tam docti quàm indocti, tam foeminae quàm viri tam pueri quàm senes, apud Romanos Latinè loquebantur, nec tamen grammaticè. Aliud enim est Latinè, aliud grammaticè loqui, ut docet Quintilianus in primo; qui libro XII. prodidit, fuisse quosdam qui illam tantum esse naturalem putarent eloquentiam, quae sit quotidiano sermoni simillima: qua cum amicis, coniugibus, servis loquamur, nihil accersiti elaboratique requirentes. Item M. Tullius ait in Bruto, populum eloquentiae et oratoris iudicem esse. qui in tertio de Oratore tradidit, vulgum in versu videre si peccatum est, et si quid in oratione claudicat sentire. Quod profectò facere non posset inscius latinitatis. Item, *Nemo*, inquit, *unquam est oratorem, quod Latinè loqueretur, admiratus: si est aliter, irrident, neque eum oratorem tantummodò, sed hominem non putant.* Hoc haud dubiè non diceret, si Latinè loqui fuisset in paucis, sicut in praesentia est. Idem refert, mulieres conservare facilius incorruptam antiquitatem, quòd multorum sermonis expertes, ea tenent per quae prima di-

dixerunt. Ex quo L. Crassus orator socrum suam Laeliam sic audire se solitum testatur, ut Plautum sibi aut Naevium audire videretur. quae res evidentissimè omnem dubitationem eliminat, ne dubitemus priscos omneis Latinè loqui solitos indiscriminatim. Quod eo copiosiùs retuli, quia super hac re altercatio non modica fuit temporibus nostris inter viros eruditos. *Indigena* autem, ut ad propositum revertamur, opponitur advenae, et significat inde genitum, non alienigenam, non adventitium, sed vernaculum, proprium, et quasi peculiarem.

Ibid. AERUMNALI LABORE.] difficili, molesto. *Aerumnae* enim labores onerosos significant. *Maiores nostri*, ut auctor est M. Tullius 2. de Finib. *labores non fugiendos aerumnas nominaverunt.* unde labores Herculis *aerumnae* dicuntur. Plaut. in Persa: *Superavit aerumnis suis aerumnas Herculis.* Ausonius:

Prima Cleonei tolerata aerumna laboris.

Idem M. Tullius in 4. Tusculana: *Aerumna*, inquit, *est aegritudo laboriosa.* Aerumnulas ὑποκοριστικῶς furculas appellaverunt: quibus religatas sarcinas viatores gerebant, quarum usum quia C. Marius retulit, *muli Mariani* postea appellabantur. Operae pretium est hoc in loco obiter annotare super mulis Marianis quaedam digna cognitu nec indigna relatu, quae apud Frontinum legimus, qui lib. 4. Strategematicon scribit haec: *C. Marius recidendorum impedimentorum gratia, quibus maximè exercitus agmen oneratur, vasa et cibaria militum in fasciculos aptata furcis imposuit, sub quibus et habile onus et facilis requies esset. unde et in proverbium tractum est, Muli Mariani.* Aliam huiusce proverbii causam refert Plutarchus in Mario, qui id quoque memorat, quòd scilicet Marius imperator eadem ferebat, obibatque onera in re militari, quaecunque militibus imperabat. quare post haec cùm labores et iussa imperatoris milites libenter subirent, muli Mariani vocabantur. Vulgus hodieque hinc, ut opinor, ducta origine, *caballos Marianos* appellat homines, qui pedibus suis ambulantes se in equo sedere et vehi mentiuntur in ludicro spectaculo.

Ibid. NULLO MAGISTRO PRAEEUNTE.] sine doctore. Insinuat se didicisse perinde ac si fuerit αὐτοδίδακτος. sic enim Graeco vocabulo dicitur, qui seipsum magistrum habet. Talis fuit antiquitùs Manilius Senator Romanus, quem Plinius maximis nobilem doctrinis doctore nullo fuisse prodidit. Divus quoque Augustinus libro Confessionum 4. gloriatur, per semetipsum solum, citra doctorem legisse libros artium liberalium, et intellexisse. *Aristotelica quoque praedicamenta*, inquit, *quas appellant Categorias, solus legi, et intellexi.* Fuit et Syllanion statuarius nullo doctore nobilis.

Ibid. EXOTICI SERMONIS.] *Exoticum sermonem* appellat Romanam linguam, veluti alienigenam ac insititiam, sibique meritò peregrinam, cùm ipse natione Afer atticissare didicisset, et in patria stridulam Barbariam puerilibus labris degustasset. *Exoticus* enim significat peregrinum et externum, vocabulo quidem Graeco, sed apud Latinos usitatissimo. hinc apud Plin. et Plautum *unguenta exotica*, apud Gellium *vinum exoticum* pro alienigena et peregrino.

Ibid. FORENSIS.] Vel Romani, quo oratores utuntur in foro. unde et *forensis eloquentia*, et *forenses* apud Sidonium *tabulae*: et *forenses* apud Ciceronem *literae*, quibus utimur in foro. Vel externi, ab hoc adverbio *foris* derivatur, omnino Romanus sermo significatur. Apud Livium *forensis factio et turba* accipitur pro humili, sordida, insincera, quam Fabius excretam ab integro populo in quatuor tribus convertit, urbanasque eas appellavit.

Pag. 10. IPSA IMMUTATIO.] Tanquam nunc primùm Latinè coeperit scriptitare, cùm prius eloquio Graeco uteretur. Hinc in deo Socratis ait: *Satis oratio nostra atticissaverit.*

Ibid. DESULTORIAE SCIENTIAE.] Decenti quadam translatione *desultoriam scientiam* appellat ludicram, voluptariamque, veluti desilientem à studio pristino severiore: sicuti *desultorii equi* vocantur, ex quibus homines agilitate corporis praediti repentè desiliebant. De quibus lege quae annotavimus in primo Suetonii commentario, illud enarrantes: *Equos desultorios agitaverunt nobilissimi iuvenes.* Relege illa quoque, quae scripsimus in quarto Propertii commentario, super eo versu:

Traiicit alterno qui leue pondus equo.

ubi docuimus, *desultorem* designari, qui equos desultorios alit, et exercet illa transili pernicique saltatione. Martianus quoque eadem penè translatione usus, qua et Appuleius: *Decenter*, inquit, *levitate pernix desultoria gestiebat.* Illud adde, quod à Cassiodoro traditur, equos desultorios repertos esse, per quos Circensium ministri missos denunciant exituros. Erit ergo hic sensus: Ut desultores ex equo in equum, sic ego ex Graeca lingua et scientia in Romanam desilio. Potest et dici conducenter *scientia desultoria*, historia de asino, in qua ex homine in asinum desilit, et vertitur, videlicet in mores belluinos propensior: mox ab asino in hominem reformatur, cum relictis voluptatum pedicis, duce ratione emergit in viam virtutis, et hominem sese verum praestat. Verus autem homo est animus. Apud scriptores qui transfigurantur in belluas, ad hunc intellectum referri possunt. Proverbium illud ab asino cadere, quod quidam huic loco agglutinare contendunt, mihi haudquaquam convenire videtur, cuius meminit Aristopha-

pha-

phanes in Nubibus, et retulit Plato in Gryllo, qui et in tertio de Legibus sic tradit: *Cur haec nobis dicta sunt, repetendum videtur, ut oratio quasi equus retrahatur, ne si os effrenatum habeat, dicendi concita impetu, ab asino (ut proverbio ferunt) excutiatur.*

Pag. 11. FABULAM GRAECANICAM.] Ideo *Graecanicam* appellat, quia ad exemplar Luciani Graeci scriptoris condita est, ex quo asinum aureum penè transcribit: vel quia in Thessalia, regione Graeca, haec res gesta est. Differt autem *Graecanicus* à *Graeco*. nam ut docet M. Varro libro 6. de analogia: *Graecanica* adventitia sunt, de Graecis veluti notha: ut Hectores, Nestores, et ita haec fabula ex Graeco Luciano deducta derivataque est.

Ibid. THESSALIAM.] Fabulam asini aurei auspicatur ab eo principio, à quo exorsus est Lucianus, cuius initium est hoc: ἀπῄειν ποτὲ ἐς θετταλίαν: id est, Olim in Thessaliam proficiscebar. *Thessalia* autem prisco seculo Pyrrhea, à Pyrrha Deucalionis uxore denominabatur, mox Haemonia ab Haemone, à cuius filio Thessalo Thessalia vocata est. Homerus Argos Pelasgicon appellat.

Ibid. NAM ET ILLIC.] Hoc per interpositionem, quae Graeco vocabulo parenthesis, dictum est.

Ibid. ORIGINIS MATERNAE.] Annotavimus in vita Appuleii, matrem eius fuisse Salviam, à Plutarchi familia prognatam. Fuit autem Plutarchus Chaeronensis, quae civitas est Boeotiae: quod et ipse testatur in Sylla, scribens patriam suam Chaeroneam, ab Archelai impetu incolumem evasisse, providentia Syllae, qui eo in loco victoriam ex hostibus victis adeptus est. Idem in Lucullo ait, Chaeronenses municipes suos Luculli testimonio evasisse periculum. quod Orchomenii per calumnias intentabant, ex quo statuam lapideam in foro Chaeroneae publica impensa Lucullo dicaverunt. et ob id beneficium non solùm confitetur, sed etiam palàm profitetur, se plurimam gratiam debere Romano Lucullo. Idem in Demosthene refert, quemadmodum apud Chaeroneam patriam suam Philippus Macedoniae rex praelio magno Athenienses vicit, finisque libertati Graecorum impositus est: ex quo praelio Demosthenes, qui alios ad pugnam animare solebat, salutem fuga quaesivit. Cumque id ei, quòd fugerat, probrose obiiceretur, versu illo notissimo elusit: ἀνὴρ, inquit, ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται: id est, Vir fugiens et denuò pugnabit. Floruit autem Plutarchus sub Traiano et Adriano imperatoribus. Traiano libros Apophthegmaton dedicavit, vir haud dubiè primae notae inter eruditos, et multiiuga eruditione mirabilis, foecundus sanè scriptor, et qui iure polygraphotatos nominari possit, à copia voluminum. Unde nunc non immeritò gloriatur Appuleius, maternam originem à Plutarcho derivatam sibi gloriam parere.

Ibid. SEXTO PHILOSOPHO.] Hic Sextus Philosophus doctor fuit Marci Antonini Imperatoris, de quo Iulius Capitolinus: *Audivit et Sextum Philosophum Chaeronensem, Plutarchi nepotem.* et ab Eusebio in Chronicis scriptum est: *Plutarchus Chaeroneus et Sextus Philosophi insignes habentur Adriani principatu.*

Ibid. EX NEGOTIO PETEBAM.] Imitatus est Lucianum, qui ait se Thessaliam petiisse, ob negotium quoddam paternum, cum homine Thessalico.

Ibid. POSTQUAM ARDUA MONTIUM.] Exornatio Rhetorica est, quae compar appellatur: et altera similiter cadens. in his autem figuris felicissimè audax est noster Appuleius. et quamvis affectatione nihil odiosius sit, tamen talis affectatio in hoc penè peculiariter est amabilis, imitabilisque. *Ardua* autem *montium* dixit, arduos montes intelligi volens: sicuti per *lubrica vallium* lubricas valles, et *roscida cespitum*, roscidos cespites, et *glebosa camporum*, glebosos campos. Sic Virg. *urbem Patavi* circum locutione usus pro Patavio, *fontem Timavi* pro ipso Timavo dixit.

Ibid. LUBRICA VALLIUM.] *Lubricus* locus dicitur, in quo facilè labimur: lubrica res, quae labilis est, et è manu elabitur, vixque contineri potest ob laevorem. A Virgilio *lubricus anguis*, et *loca lubrica* dicuntur.

Pag. 12. ROSCIDA CESPITUM.] *Roscidus* significat rorulentum, et rore conspersum. A Virg. *luna roscida* eleganter scienterque dicta est, veluti roris humorisque parens foecundissima: ex quo sidus lunae foemineum ac molle nominatur ab eruditis, quae nocturnum solvit humorem, et (ut ait Plin.) *cuncta humifico spiritu laxat.* Rores existunt neque gelu, neque ardoribus, neque ventis, nec nisi serena nocte. in confesso est, roscidas aestate Aphricae noctes esse. Scribit Aristot. in primo Meteororum, rorem fieri ex vaporatione modica, cùm pluvia ex largo vapore progeneretur. Appuleius in lib. de mundo: *Ros, inquit, nocturnus humor est, quem serenitatis tenuitas spargit.* Graecè δρόσος dicitur *ros*, et δροσερὸς *roscidus*. *Cespes* autem terra est, cum herbarum radicibus circumcisa ferramentis. ex cespitibus castra circundantur, et aggeres castrenses fiunt, ut docet Vegetius in tertio de Re militari. Hinc illud Plinianum ex lib. 35. *Cespitum natura castrorum vallis accommodata contra fluminum impetus aggeribus.* Ex cespite fiunt arae, dictae ob id cespiticiae. Iulius Capitolinus: *Centum arae uno in loco cespiticiae extruuntur, ad eas centum sues, centum oves mactantur.*

Ibid. GLEBOSA.] glebis grandibus plena et extantia. Columella id genus glebas appellat *scamna*,

na, de quibus Plin. in 18: *Scamna inter duos sulcos, cruda ne relinquantur, glebae ne exultent.* Graecè βῶλαξ καὶ βῶλος nominatur. Inde ab Homero, Phthia ἐριβῶλαξ dicta ab ubere glebae.

Ibid. EMERSI.] Difficulter se superasse asperdines locorum significat.

Ibid. INDIGENA.] Thessalico, quasi inde genito, nec aliunde ascito. Vel *indigenam* appellat, equum patrium, veluti vernaculum et domesticum.

Pag. 13. FATIGATIONEM SEDENTARIAM.] Eleganter *sedentaria fatigatio* dicitur illa, qua sedentes in equo ex diutina equitatione vexamur. Columella in 13. scribit, operam villici non esse sedentariam: intelligi volens, non esse desidiosam et ignavam, ut sedens operetur. A Plinio quoque Panegyrista decenter dicitur *sedentaria senatus assentiendi necessitas*, qui sedens assentiri cogebatur principi truculento. Quinetiam *sedentarias artes*, et *sellularias* eruditi appellant, quae à sedentibus per otiositatem exercentur, quas Numae lex à peregrinis et servis tantùm exerceri sanxit, civibus interdictas, tanquam his animi vigor et corporis pariter elanguescat. Plautus in Aulularia *sedentarios* nominat, qua dictione signare illos videtur, qui sedes fabricant, et sellas.

Ibid. FRONTEM EXTRICO.] Numerosa oratione, et similiter desinente indicat, se omnia illa factitasse, quae fieri solent ab equitariis sive equisonibus erga equos labore exhaustos, et sudore diffluentes, ut scilicet frontem extricaret, aures remulceret, frenos detraheret. Fronte autem maximè sudant animalia, et potissimùm homines, propterea quod caput humidum laxumque est, cerebro autem humectissimo frons prima subdita est, Aristot. auctor in secundo problematum. Frontem à foratu oculorum nominatam Varro existimavit, et credidit Lactantius in lib. de Opificio. A' fronte dicti *Frontones*, quod cognomentum est nobilium Romanorum. Hinc ait Cicero in primo de Natura Deorum: *Silos et Flaccos, Frontones, Capitones, quae sunt in nobis.* Sili, ut hoc quoque in transcursu declaremus, dicti sunt, quorum nasus sursum versus est repandus. unde galeae quoque à similitudine *silae* appellantur. Flacci verò nominati, quorum aures demissae erant, pendulae et languidae ac flaccescentes. Ab his enim, ut ait Plin. sunt Flaccorum cognomina.

Ibid. SENSIM PROVEHO.] Non potuit significantiùs exprimere, id quod quotidie usurpari videmus in equis ex cursura dissudantibus, et lassitudine defectis, qui scilicet gradu lentissimo, dorsualibus operti sensim provehuntur, ne ex refrigeratione periclitentur.

Ibid. ALVI PRAESIDIUM.] Excrementa signat, et urinam, quo naturae praesidio maximè equi fatigati recreantur.

Ibid. ELIQUARET.] emitteret, redderet, et veluti liquidiora stercora fistulatim excuteret, quae ab antiquis *foria* dicebantur. Unde *foriolus* dictus, qui foria facilè emittat, solutioris scilicet ventris.

Pag. 14. IENTACULUM AMBULATORIUM.] *Ientaculum*, auctore Fulgentio Placiade, dicitur gustatio, et est quasi praegustativa comestio. Est enim cibus matutinus, quasi ieiuna anima sumptus: et *ientare* vetus verbum est, quod significat ientaculum capere. Afranius: *Haec ieiuna ientavit.* Vitellius Imperator epulas quadrifariam dispartiebat, auctore Tranquillo, in ientacula, prandia, coenas, et comessationes. Graeci *ientaculum* ἀκρατισμὸν, vocant καὶ ἀκράτισμα. Hinc Aristot. lib. de animalibus 9. scribit, aquilam non operari, sed quiescere, μέχρι ἀκρατίσματος; hoc est, usque ad horam ientaculi. In quibusdam codicibus Aristot. legitur, μέχρι ἀγορᾶς, quod Plin. Aristotelis interpres emunctus ita transtulit: *Donec implcantur hominum conventu fora, ignavae sedent.* Antiqui prandium sive prandiolum vocavère ientaculum, quasi parvum prandium, quod M. Tul. eleganti vocabulo *pranduscultum* dixit, et ita legas in sincerioribus codicibus Epistolarum ad Atticum. Nunc oppidò quàm eleganter ab Appuleio dicitur *ientaculum ambulatorium*, quod sensim ambulando carpit equus in prato. *Ambulatoria* hominis *voluntas* usque ad mortem est, ut tradunt iurisconsulti: hoc est, mobilis, varia, mutabilis. *Porticus* quoque *ambulatoria* dicitur, quae ambulationis causa extructa est.

Ibid. PRONUS ALLECTAT.] Solent equi os in latus detorquentes delectare, et quasi demulcere. *Allectat* enim significat illicit, et delectat.

Pag. 15. TERTIUM ME FACIO.] Id est, copulo, adiungo me tertium comitem, duobus comitibus progredientibus.

Ibid. ALTER.] ex duobus scilicet comitibus.

Ibid. CACHINNO.] risu soluto, qui reprehensibilis est. Hinc ait Seneca: *Sit risus sine cachinno.* Praeterea *cachinnus* non risum tantum, sed sonum quoque vehementiorem significat, sicut apud Catullum ita scribentem: *Procedunt leviterque sonant plangore cachinni. Cachinnare* etiam non de risu tantum, sed de sonitu strepituque maiore vetustas dici voluit. Hinc illud Accianum: *Saeva sonando crepitu clangentes cachinnant.* Est autem *cachinnus* verbum secundum ὀνοματοποιΐαν fictum, à sono risus.

Ibid. IN VERBA ISTA.] Subintelligendum est, alterum ex duobus comitibus denarravisse inter eundum multa de divina potentia magices incredibilia, ita ut alter surdis auribus diceret, supersedendum esse talibus verbis, quae mera mendacia et immania portenta resonarent.

Ibid. ISTO ACCEPTO.] cùm hoc audivissem.

Pag. 16. SITITOR NOVITATIS.] cupitor rerum novarum. Nam, ut inquit Ovidius: *Est quoque cunctarum novitas gratissima rerum.* Et, ut auctor est Seneca in Declamationibus: *Ad nova homines concurrunt, ad nova conveniunt.* Idem scribit libro Quaestionum naturalium novissimo: *Quod naturale est, magis nova quàm magna mirari. Qui sidere Caprae oriente nascentur, erunt curiosi omnium rerum, ut semper nova quaeque curiosa desiderii cupiditate sectentur:* auctor Iulius Firmicus in 7. matheseos.

Ibid. NON QUIDEM CURIOSUM.] In libro Annotationum nostrarum hic locus copiosè satis opinor explicatus est: ex quo poteris, si quid amplius desideraveris, mutuari. ubi docuimus, *curionem* pro ministro atque praecone usurpari, in quo significatu Plinius, Iulius Capitolinus, Martialis, Eusebius, itidemque Appuleius usurpant. Apud Plautum, *agnus curio* significatur macilentus, quasi nimia cura gracilis et emaceratus, sicuti è contrario *incuriosum agnum* dixit Appuleius in Floridis, intelligi volens opimum et succulentum. Videtur autem *curio* hoc in loco à cura festiviter deduci, quasi *curiosus*, qui curat et satagit nosse curiosè res novas. Est itaque sensus: Non sum ego quidem curiosus, cùm curiositas sit signum loquacitatis: et nemo curiosus sit, qui non sit malevolus.

Pag. 17. VERUMTAMEN CUPIO NOSSE PLURIMA.] Atqui ipse tamen toto opere testatur, se genuina curiositate praeditum fuisse. et *natura*, ut inquit Seneca, *nobis curiosum dedit ingenium.* Curiositatem ut noxiam taxat Fulgentius Mythologus his verbis: *Curiositas semper periculorum germana, detrimenta suis amatoribus novit parturire potius quàm gaudia.*

Ibid. IUGI.] collis, et loci editioris. *Insurgimus* i. e. ascendimus.

Ibid. LAEVIGABIT.] Haec duo opponuntur veluti per antitheton, *asperitudo* et *laevigatio.* Est enim *laevigare*, laevore quodam expolire quod asperum est. In itinere autem comes facundus, ut dicere solebat Publius mimographus, pro vehiculo est. Unde fit, ut asperitas viae sermocinatione comitis iucunda laevigetur.

Ibid. NAE.] certè. Graecum est adverbium, Latinis quoque usitatissimum, quo Plautus, Terent. M. Tul. caeteri frequenter utuntur.

Ibid. ISTUD MENDACIUM.] Quod scilicet dixisse videbatur ille assertor magicae factionis, qui quaedam incredenda ad comitem narraverat. Inter *mentiri* autem, et *mendacium dicere*, distat. Qui enim mentitur, ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur: qui mendacium dicit, ipse fallitur. auctor Pub. Nigidius, qui hoc quoque addit: *Vir bonus*, inquit, *praestare debet, ne mentiatur: prudens, ne mendacium dicat.* Divus August. in libro de mendacio, colligit octo genera esse mendaciorum, quibus abstinendum esse in totum praecipit. ubi indiscriminatim *mentiri* et *mendacium dicere* usurpantur. Quod et in decretis Canonicis 22. quaestione 2. repetitum est. Nati sub sidere ingeniculi, erunt mendaces, frugaces, callidi.

Ibid. SUSURRAMINE.] incantamento: quod clam, et voce summissa, ne prophani percipiant, fieri solet. *Magia* enim, ut idem Appuleius asserit in Apologia, *occulta res est, plerumque noctibus vigilata, et tenebris abstrusa, et arbitris solitaria, et carminibus murmurata: cui paucissimi adhibeantur.* Libro quarto Institutionum, *susurros magicos* dici legimus incantamenta magicorum, et quae à Lucio nostro *susurramina* nominantur.

Ibid. AMNES REVERTI.] Persuasum est, vi magici cantaminis cuncta, quae naturaliter impossibilia sunt, fieri posse: flumina ad fontes revocari, mare glaciari, ventos tranquillari, denique omnia quae hîc memorat Appuleius posse confici. Cui sententiae astipulatur polypharmaca, hoc est, trivenefica illa Medea, quae sic ait apud Ovidium:

— *cum volui, ripis mirantibus, amnes*
In fontes rediêre suos, concussaque sisto,
Stantia concutio cantu freta, nubila pello,
Nubilaque induco, ventos abigoque vocoque,
Te quoque luna traho.

Illud quoque Maronianum ex Aeneidos quarto huc pertinet:

Sistere aquam fluviis, et vertere flumina retrò.

Ibid. MARE COLLIGARI.] Id est, congelascere, contra naturam suam. Mare enim omne incongelabile est, sicut Philosophi autumant: et memorat Gellius in 16. noctium Atticarum. Tametsi Herodotus, Graecae historiae scriptor, scribit in 4. historiarum, mare Scythicum congelascere. Unde à Iuvenale dictus *Oceanus glacialis.* Auctor est Plinius, septentrionalem Oceanum *Marimarusam* à Cymbris vocari: hoc est, mortuum mare. Hecataeus *Amalchium* appellat, quod nomen lingua Scythica significat congelatum.

Ibid. VENTOS INANIMES EXPIRARE.] Id est, ventos esse sine spiritu: quod impossibile est. Ventus enim nomen venti perderet, cùm esset inanimis: id est sine anima, et spiritus agitatione. A Graecis dicitur ἄνεμος, unde animus et anima deducuntur, ex quo animae interdum pro ventis usurpantur. Horatius: *Impellunt animae linthea Thraciae.* Virgilius: *Quantum ignes animaeque valent.* Est autem ventus, fluens aër et agitatus: ut Hippocrates in libro de flatibus, Aristoteles, Seneca, et caeteri Quaestionum physicarum conditores prodiderunt. Nihil autem est in rerum natura potentius spiritu. Ignem spiritus concitat. Aquis ventum detrahas, inertes sunt. Potest spiritus dissipare spatia terrarum, et novos montes extollere, qui est causa tremoris ter-

terrae. Unde Epicuro nullus motus placet, praeter spiritum, qui possit tanta conari.

Ibid. EXPIRARE.] spiritum exhalare et mori: sicut animantia expirant, spiritu emisso deficientia, sine quo nihil vitale est.

Ibid. SOLEM INHIBERI.] Sol, qui est *mundi oculus*, et *cor coeli*, et *iucunditas diei*, et *coeli pulchritudo*, *naturae gratia*, ut inquit Ambrosius in 4. Hexameri: qui, ut asserit Plinius, *naturae regimen ac numen est*, *syderum ipsorum coelique rector*, creditur potentia magici carminis posse inhiberi, quo minus cursum suum statum et nunquam erraticum circumagat. Hinc Lucanus cecinit in 6. Pharsaliae:

Cessavêre vices rerum, dilataque mundi
Haesit nocte dies.

Prisca illa rudis et indocta mortalitas, in deliquio Solis ac lunae, stellarumque defectibus scelera aut mortem aliquam siderum pavebant.

Ibid. LUNAM DESPUMARI.] Carminibus praestigiisque magorum lunam coelo deduci posse creditum est. ex qua credulitate est illud notissimum:

Carmina vel coelo possunt deducere lunam.

Credebant quoque lunam cantu magico depressam cogi, ut despumaret in herbas suppositas, et lunare virus infunderet, quibus mox ad magicen utebantur. Quod et idem Lucanus insinuat, cùm sic ait in 6. de luna loquens:

Et patitur tantos cantu depressa labores
Donec suppositas propior despumet in herbas.

Item alibi:

— vt virus largè lunare ministrat.

Mortalitas ignara causarum naturalium, in lunae defectu veneficia arguebat: et ob id crepitu dissono auxiliabatur. Auctor Plinius in 2. et Livius in 26. *Disposita*, inquit, *in muris Campanorum imbellis multitudo*, *tantum cum aeris crepitu*, *qualis in defectu lunae silenti nocte fieri solet*, *edidit clamorem.* Hinc illud Satyrici poëtae:

Una laboranti potèrit succurrere lunae.

Igitur luna despumatur, quando spuma depurgatur, quam cogitur infundere in herbas subiectas magis. Itidem mel despumatum dicitur, quando spuma detracta purum, liquidum, defecatum relinquitur. et ut ait Plin. in 22. *usus despumati mellis semper aptior est.*

Ibid. STELLAS EVELLI.] Marcianus Capella in libro de Astrologia, stellas à stando, sidera à considendo dicta fuisse commemorat. Cùm itaque stellae coelo affixae sint, cantamine magico revelli posse putantur. Interdum stellas ex coelo labi, et volitare conspicimus. ex quo illud Maronianum:

— stellas vento impendente videbis,
Praecipites coelo labi.

Plin. in 18. *Discurrere*, inquit, *stellae videntur interdum*, *ventique protinus sequuntur*, *in quarum parte ita praesagivêre.* Inibi ex intervallo, *si volitare*, inquit, *plures stellae videbuntur*, *quò feruntur albescentes*, *ventos ex his partibus nunciant.* Vulgus existimat aliquem extingui, cum stella decidua: verùm, ut inquit verissimè idem Plinius, *non tanta coelo societas nobiscum est*, *ut nostro fato mortalis sit ille quoque siderum fulgor.* Verùm cùm decidere videntur, id fit nimio alimento tracti humoris: sicuti luminibus accensis, id ex liquore olei notamus accidere. Graeci ἀποῤῥοίας vocant defluxus quosdam aërios, qui ad terram labentes stellarum casus imitantur.

Ibid. DIEM TOLLI.] Tanquam arte magica possit dies mutato canonico cursu interpellari, et nox congeminari, iuxta illud Lucani:

Cessavêre vices rerum, dilataque longa
Haesit nocte dies, legi non paruit aether.

Pag. 18. ET AD ALIUM.] conversus scilicet, ad illum qui exorto cachinno dixerat, supersedendum esse talibus verbis, tanquam absurdis et incredibilibus.

Ibid. MINUS HERCULE CALLES.] Sensus est: Profectò nescis, multa quae vera sunt, ideò existimari mendacia, ob depravatam hominum opinionem, quia sunt nova, et supra vires nostras sublimata. In hanc sententiam ait Sallustius in Catilina: *Quae sibi quisque facilia factu putat*, *aequo animo accipit: supra ea*, *veluti ficta pro falsis ducit.*

Ibid. VESPERA.] hora vespertina, et (ut ait Sidonius) crepusculascente. Dies civilis, qui à media nocte incipit, ita dividitur. Primum tempus dicitur *mediae noctis inclinatio:* deinde *gallicinium*: inde *conticinium*, cùm et galli conticescunt, et homines etiam tunc quiescunt. cuius meminit Plautus in Asinaria, cùm ait: *Videbitur*, *factum volo*, *redito conticinio.* Deindè est *diluculum*, id autem est, cùm incipit dignosci dies. Inde *mane*, dum dies clarus. Legibus duodecim tabularum ortus tantum et occasus nominabatur, post aliquot annos adiectus est et meridies. Novissimum diei tempus *suprema tempestas* nominatur. Hinc illud 12. Tab. *Solis occasus suprema tempestas esto.* Quamvis plurimi ex his verbis supremam tempestatem post occasum Solis esse existimaverint. Post supremam dicitur vespera, à stella quam Graeci *hesperam*, Plautus *vesperuginem*, Ennius *vesperum*, Martianus *phosphorum*, Virgil. *hesperon* appellant. Inde *crepusculum*, à crepero, quod dubium significat, dictum: tanquam lux dubia id horae sit, incertumque existat id temporis noctisne sit an diei. Inde *crepusci* nominati à Sabinis, qui eo tempore erant nati: et à Lucretio dictum est *creperum bellum*; cuius anceps et dubius est eventus. *Oracula* quoque *crepera* vocitarunt, quasi ancipitia, ambagiosa, dubiosa. Hinc senes *decrepitos* dici quidam autumant, quasi dubiae

biae sint vitae. Post crepusculum id sequitur tempus, quod à luminibus accensis *prima fax* dicitur. Deinde *concubia*, sive *concubium*, quòd ferè omnes tunc cubarent. Alii ab eo quod sileretur, id tempus *silentium noctis* appellaverunt. sicut Livius. Novissimo loco *intempesta nox*, dicta ex eo, quòd non habet idoneum tempus rebus gerendis, et eo tempore nil agi tempestivum est. Cassius: *Nocte intempesta nostram devenit domum.* Haec est diei civilis à Romanis observata divisio, quam pluribus verbis explicavi, propterea quòd haec enarratio est futura conducibilis studiosis antiquarum lectionum. Auctores, Marcus Varro, Macrobius, Plin. Censorinus, caeteri.

Ibid. POLENTAE CASEATAE.] *Polenta*, cuius meminit Plautus in Asinaria, cibus fuit antiquitus Graeciae peculiaris, et ut ait Plin. in 18. videtur polenta tam ignota Italiae fuisse, quam puls Graeciae. Pluribus fit haec modis. Graeci perfusum aqua hordeum siccant nocte una, ac postero die fingunt. deinde molis frangunt, nec aliunde laudatior quàm ex hordeo conficitur. Vicenis autem libris ternas seminis lini, et coriandri selibras miscent. Ovidius neutro genere *polenta* dixit, illo versu:

Dulce dedit testa quod coxerat ante polenta.

Placentam Appuleius *caseatam* vocat, veluti caseo indito subactam: sicut libum et placentam fieri docet Cato in libro de Re rustica. Ad eundem modum et scriblita fit, adhibito caseo, coquiturque. de qua Epigrammatista: *Circumlata diu mensis scriblita secundis.* Plautus quoque in Poenulo: *Nunc dum scriblitae aestuant occurrite.* Videtur autem Appuleius nomine caseatae polentae significare obsonium consimile epityro. Est autem *epityrum* vocabulum cibi, quo frequentius Sicilia quàm Italia usa est, ut auctor est M. Varro. De quo Plautus in Milite: *Si unum epityrum edam apud illum esuriens insane.* In Plautinis codicibus coniunctim et intercisim implicata est lectio. Sic enim impressi codices habent, *Epityredam*, pro epityrum edam. Dictum autem est *epityrum*, ut ego opinor, à caseo, ex quo fit id cibi genus, perinde ac caseatum sit, τυρὸς enim Graecè, caseus Latinè significatur: et τυρόκνηστις dicitur id instrumentum coquinatorium, quo foraminato caseus minutatim disteritur. Hinc illud Callippi salsè simul et dolenter dictum celebratur apud Graecos, qui dum Catinam Siciliae civitatem capere adortus, Syracusas amisisset, dixisse fertur: *Tyrocnestin habeo pro civitate.* Non me praeterit, apud Columellam libro rei rusticae 13, epityrum vocari genus conditurae ex olivis fractis concinnatum, quod in civitatibus Graecis plerunque usurpabatur, quod quidam pityrum dicere malunt. Cato quoque docet, epityrum album, nigrum fieri ex olivis, addito coriandro, foeniculo, ruta, menta, citra casei mentionem. Non invitus in haec interdum veluti diverticula transilio, ut ita varietate rerum fastidium abstergatur, quod nulla res magis quàm uniformis narratio parit. Apud Iurisconsultos *taberna casearia* decenter est dicta, ubi fit caseus. Sed antequam digrediamur ab epityro et caseo, conducibile videtur explicare, quid sit apud M. Tullium *Tyrotarichus:* de quo multi multa, perpauci benè. In epistolis ad Papyrium Paetum, in epistolis ad Atticum, *tyrotarichus*, et *patina tyrotarichi* persaepe memoratur: qua dictione significari puto genus obsonii ex caseo salsamentisque confecti. unde ex utroque compositum nomen. Τυρὸς enim, ut iam diximus, Graecè dicitur caseus: τάριχος, salsamentum. Proinde *tyrotarichos* legendum, ut sit nomen pentasyllabon. Qui *tyrotarichum* accipiunt pro nomine coqui, sive villae, à vero devii hallucinantur.

Ibid. MORDICO.] *Mordicare* est, morsu capere. Quidam legunt *Modicò securius*, tanquam adverbium sit, significetque paulò licentius frustum, sive buccellam ex illa caseata polenta contruncasse. Ego legere malim *mordicus*, vel (si ita placeat) *mordicò*, ut adverbium sit, quod significat cum morsu et dentibus, et ut veteres dixerunt *morsicatim.* Sensus autem sic ordinatur: Cum morsu contruncare voluissem buccellam ex polenta caseata grandiorem, propterea quòd convivae voratores raptim taburnantes vorant, paulum abfuit quin interirem, dum faucibus inhaeret, ac spiritum strangulat cibus ille glutinosus, ex casei mollitie et lentore.

Ibid. OFFULAM.] *Offula* hîc accipitur pro buccea, sive buccella, et frustulo polentae. *Offa* enim, cuius diminutivum est *offula*, et tertio gradu *offella*, significat frusta esculenta, in quae potissimùm caro conciditur. Columella, de salsura suillae carnis scribens, ait: *Caro in libralia frusta conciditur, deinde offulae carnis spissae componuntur, et alternis sal ingeritur.* Claudius Imperator, cùm de laniis ageretur, exclamavit in curia: *Rogo vos, quis potest sine offula vivere?* Ubi *offula* accipi videtur pro esca scitissimi saporis, quae fit ex iecinore porcino in frustula conciso, vulgò iecuscula dicuntur. Per translationem dixit decenter Satyrographus: — *et patruo similes effunderet offas:* intelligi volens imperfectos foetus, et frusta carnis, qualia sunt in abortivis. Dicitur *offa* quoque de iis quae non manduntur, ut apud Plinium: *Offae bubuli fimi.* Vulgatissimum est vetus proverbium, *Inter os et offam:* quod pro buccella et frustulo cibi capitur. Cuius meminit Cato, idem fermè significans quod Graecus ille παροιμιώδης versus: πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. Et quoniam incidimus in hoc proverbium, non ab re est notasse causam, unde proverbialis versus factus est, quem nostri in transcursu attingunt,

lapidibus corrumperetur. Docet Portius Cato, centones fieri ex vestimentis familiae veteribus, cum ait: *Quotienscunque tunicam aut saga familiae dabis, prius veterem accipito, unde centones fiant.* Macrobius in I. Saturnalium, centones accipit pro veste stragula, lectique operimento, cum ait: *Scrophae cadaver sub centonibus collocat, super quos uxor cubabat.* Laus sarcinatoris est, si bene centonem suere noverit, quia ex dissimilibus minutisque consarcinatur. Hinc illud, Lucianum sarcinatorem esse summum, suere centonem optime. Consimiliter *cento* apud Iuvenalem accipitur pro vestitu familiari, crasso et sordido, sic scribentem:

Intravit calidum veteri centone lupanar.

Centonibus enim involuta vestitaque Messalina, ibat in lustra, ne agnosceretur. Seneca quoque in II. Epistolarum ait, *Diurnum accipit, in centuculo dormit.* Ubi *centuculus* pro vili et plebeia veste stragula usurpatur. Frontinus et Livius *centuculos* accipere videntur pro dorsualibus et instratis iumentorum. similitudine vestis centunculi, herba *centunculus* dicta, de qua scribens Plinius noster, innuit centuculum esse penulam. Cuius verba subscripsi ex volumine 24, quae sunt haec: *Itali centunculum vocant rostratis foliis ad similitudinem capitis penularum iacentem in arvis.* Propterea cento, ut scienter docet Ausonius, est opusculum structum ex variis diversisque carminibus, cuius structura ita solidatur, ut coëant aut caesi duo versus, aut unus et sequens cum medio. Nam duos iunctim locare ineptum est. Ita ipse centonem formavit nuptialem, ex filis poëmatis Maroniani consutum. Hinc Homero centonas et Virgilio centonas legisse sese, divus Hieronymus refert in prologo veteris instrumenti, significare volens opuscula contexta ex Homeri Virgiliique carminibus, transducta accommodataque ad sensum conditoris. *Sutilis* autem dicitur centuculus, consutus, contextusque: à suendo. Cymbam Charonis sutilem vocat poëta, hoc est (ut exponit Servius) intextam, sutamque.

Pag. 30. PUNICANTEM PRAE PUDORE.] rubentem ob verecundiam. *Puniceus* enim color ruffus est, et exuberantiam splendoremque significat ruboris. Graece dicitur φοινικὸς, auctor Gellius in 2. Facies autem pudibundi verecundique hominis erubescere consuevit, quoniam (ut inquit Arist. in Problematis) sanguis de corde in omnes corporis partes diffunditur pudentibus ita ut superficiem occupet. Est autem verecundia bonum, ut dicit Seneca, in adolescente signum, et (ut dicere solebat Cynicus Diogenes) rubor virtutis est color. Nihil fuisse mollius ore Pompeii, annotaverunt eruditi, qui nunquam non coram pluribus erubuit, utique et in concionibus Plautus in Asinaria: *Verecundum esse decet adolescentem Argyrippe.* Quintilianus verecundiam vitium esse dicit, sed amabile, et quod virtutes generet.

Ibid. PUBE TENUS.] usque ad pubem. Haec particula iungitur cum ablativo singulari numero: ut, *Capulo tenus abdidit ensem.* Plurali vero, cum genuino: ut *Crurum tenus à mento palearia pendent.* quo in loco, ut Priscian. ostendit, usus est poëta hellenismo. Plin. quoque dixit: *Corporum tenus curiosus.*

Ibid. FRUATUR TROPAEO FORTUNA.] Verba sunt Socratis aerumnosi, Aristomeni respondentis, sinendum esse fortunam de seipso triumphare, et ipso tropaeo diutissime frui. Tanquam ipse sit tropaeum fixum à victrice fortuna: sicut tropaea figi solebant à victoribus, ut essent monumenta victoriarum sempiterna, quae vetustate consumpta nefas erat refici ac resarciri, ut docet Plutarchus in quaestionibus. De tropaeis affatim scripsimus in I. Tranquilli commentario: illinc poteris siquid desideras mutuari.

Pag. 31. EX DUABUS LACINIIS.] vestibus. Est autem proprie lacinia, ut inquit Sextus Pompeius, pars vestimenti flexuosa sinuosaque. Unde *laciniosum* derivatur, quod tortuosum implicatumque significat. Hinc *laciniosa oratio*, Hieronymo: et *Laciniosus fibris splendes in ostreis.* Plin. *Laciniosa convallis* Appuleio dicta. et adverbium inde fit *Laciniatim*, quod significat in lacinias. Columella praecipit gregem pecoris ovilli in lacinias distribuendum: hoc est, in particulas, et ut adverbialiter dicam, particulatim, videlicet à laciniis, quae partes sunt vestimentorum, et interdum pro tota veste accipiuntur.

Ibid. QUOD CURSUI.] Emenda, *quod tersui.* Significat enim, se ministrasse amico balnei utensilia: videlicet ampullam oleariam, et strigilem, et linteam teritoriam, quibus ad tergendum utebantur.

Ibid. ENORMEM ELUVIEM.] immodicam spurciciem et illuviem. Plin. et Iuvenalis, *eluviem* dixere feculentiam cloacalem.

Ibid. PROBE CURATO.] cum diligenter lotus curatusque esset.

Ibid. LECTULO REFOVEO.] cibo satio. Homoeoteleuton, et homoeoptoton, quae Latine dicuntur, Similiter desinens, similiter cadens. Exornationes sunt, quae rarenter intersparsae, concinniorem faciunt festivioremque elocutionem, in quibus nitidus est et praepollens Appuleius: si immodice haec fiant, transeunt in vitium, ut in quarto Rhetoricorum proditum est. Ideoque dixit A. Gellius, insipida et inertia et puerilia esse id genus in collocandis verbis scitamenta, si immodice fiant, et rancide, sicut facetissime lusit Lucilius. Sed ad propositum: Omnis animi impetus, omnisque tristitia cibo mollitur, potuque discutitur. *Vinum dissipat curas edaces*, ut ait Horatius: et Plinio teste, somno est accommodatum, ac securitatibus. Et hoc fuit

illud poculum Nepenthes, quod Helena illa Homerica Telemacho ministravit, quod oblivionem tristitiae, veniamque afferebat, quod utique foret cunctis mortalibus ab Helena propinandum. Sed de hoc Nepenthe, quod sine luctu significat, plura in libro Annotationum.

Ibid. AD LUBENTIAS.] A lubendo, sive libendo, *lubentia*, et *libentia* dicta est: ut docet M. Varro lib. 2. Lat. linguae. Plaut. in Asinaria: *Lubentiorem te faciam, quam lubentia est.* Lubentias appellat hilaritates, laetitias, et voluptates sermonum et iocorum, ad quas iam proclivem factum esse Socratem, seiugata paulisper tristitudine, significat. A. Gellius in 14. *Nam cui lubentiae gratiaeque omnes conviviorum incognitae sint, quique illarum omnino expers sit.*

Ibid. SCITUM CAVILLUM.] elegans et faceta cavillatio, iocatioque. *Cavillum* enim pro cavillatione et irrisione accipitur. auctor Festus: et *cavillari*, est iocari. Quae Graeci *sophismata* vocant, Cicero et Seneca cavillationes interpretantur.

Pag. 32. DICACITAS TINNULA.] *Dicacitas*, sicuti docet Quintil. in 7. proprie significat sermonem cum risu aliquos incessentem. Ideo Demosthenem urbanum fuisse dicunt, dicacem negant. A dicendo ducta est. Hac potissimum utuntur scurrae. unde dicacitas scurrilis appellata, quae oratori magnopere fugienda est. Duo sunt genera facetiarum, ut inquit Caesar et Cicero in 2. de Oratore: alterum fusum, alterum peracutum. Illa à veteribus superior cavillatio, haec altera dicacitas nominata est. Apud veteres Ganio praecone nemo dicacior fuit, de quo multa Lucilius, et non pauca M. Tullius in oratione pro Cn. Planco. Hic Nasicae non pepercit. Idem M. Drusum, hominem potentissimum, dicacitate pulsavit. Idem L. Crassi et M. Antonii oratorum voluntates asperioribus facetiis saepe perstrinxit impune. *Tinnula*] sonora, et obstrepera, sublatiore sermone. *Tinnire* est sonare, verbum fictum ex onomatopoeia. Unde tinnitus aurium. Plin. in 29. *Quin et absentes tinnitu aurium praesentire sermones de se receptum est.*

Ibid. FRONTEM REPLAUDENS.] manu repercutiens, retegensque, capillis reiectis. Quod in luctu tristitiaque usitatum est. *Plaudo* enim, quod et *plodo* dicitur, manibus pulso et strepitum facio: unde *Plausus* dictus, quo boni excipiebantur, cum mali exsibilarentur. Hinc *complodere*, *supplodere*, *explodere*, *replodere* derivantur, quae inter se finitima, utpote ab eodem fonte derivata, aliquo tamen interstitio discriminantur. quod antiquarum lectionum curioso facile liquet, et à nobis perinde ut in legendo fuerint obvia annotabuntur.

Ibid. INFIT.] inquit, alias *incipit:* In carmine Naeviano legimus, *Fieri impendio infit:* pro fieri impense incipit.

Ibid. FAMIGERABILIS.] inclytus, clarus, opulentus. *Famigerabilis* enim, et *famigeratus*, in eodem significatu, pro cognobilis et fama notus usurpatur. *Famigeratores* autem dicuntur rumigeruli, quasi famae rumorumque gestores, seminatoresve, de quibus Plaut. in Trinummo: *Ego de verbis eorum famigeratorum inscius prosilui, Amicum castigatum innoxium, quod si exquiratur usque ad stirpem auctoritas, Unde quicquid auditum, nisi id appareat, famigerator ne sit cum detrimento et damno.*

Ibid. AERUMNAS.] calamitates, laboresque. *Animus aequus optimum est aerumnae condimentum*, ut inquit Plautinus servus.

Pag. 33. SECUNDUM QUAESTUM.] post factum lucrum. *Secundum* enim aliquando significat iuxta, et post. Livius: *Secundum orationem praetoris murmur ortum.* Idem, in epistolis solitum scribi *secundum salutem*, testis est hisce verbis: *Praetores Syracusani Marcello secundum salutem, ut assolet:* pro eo quod est, post salutem. M. Tul. in epistolis ad Quintum fratrem: *Ille mihi secundum te et liberos nostros ita est, ut sit pene par.* Idem in secundo Officiorum: *Proxime et secundum deos, homines hominibus maxime utiles esse possunt:* id est, post deos. *Secundum flumina*, dixit Virg. pro iuxta. *Secundum aurem* pugione percussum fuisse M. Marcellum, scribit Servius Sulpitius. quod significat, iuxta aurem, sive post aurem. Accipitur aliquando *Secundum*, pro eo quod est, pro: ut, *Secundum te litando*, pro te, Notissima est illa significatio, *secundum Plaut. secundum Aristot.* Lucanus: *Secundum Emathiam lis tanta datur.* Graeci in hac significatione dicunt, ut ait Priscianus, *κατὰ καὶ μετὰ.*

Ibid. MACEDONIA.] Casus est ablativus. olim Emathia dicta, duobus inclyta regibus, Philippo et Alexandro: quondamque terrarum imperio famigerata, cui Macedo Deucalionis nepos nomen indidit: auctor Solinus in polyhistore.

Ibid. NUMMATIOR.] pecuniosior, et nummis suffarcinatus. Qui bene nummatus est, is more Romano dicitur dives: ut festiviter iocatur M. Tul. in epistolis ad Trebatium. Stoici vero dicunt, omnes esse divites, qui coelo et terra frui possunt.

Ibid. LARISSAM.] Civitatem Thessaliae significat, quam Pensilem et Pelasgiam cognominant, à qua *Larissaeus Achilles* dictus. Multas autem fuisse Larissas, ex multiplici lectione discimus. Fuit enim Larissa in Creta, et in Asia: altera iuxta Cymam. In agro quoque Attico Larissa est. Trallianus quoque vicus nomine *Larissala*, à qua *Larissius Iupiter* cognomen sumpsit. Est et Larissa pagus monti Haemo finitimus. Quin etiam in Peloponneso Argivorum arx Larissa memoratur, quam Cyclopes

pes condiderunt, quos Gastrochiras, id est, ventrimanos vocant, quoniam suo artificio alebantur. ob hoc *Larissaeus apex* appellatur à Statio arx Argivorum: qui alibi dixit, Cyclopum fabricatam manu.

Ibid. OBITURUS.] aditurus, spectaturus.

Ibid. AVIA CONVALLE.] inaccessa et difficili. *Avia* enim *loca* dicuntur, sine via, et ob hoc impervia, minimeque commeabilia. Lucretius:

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo.

Et *homo avius*, longe à via remotus. Item, *avius*, *à vera longe ratione vagatus.* Hinc illud per annotationem sive traiectionem celebratum, *Avium dulcedo ad avium ducit.*

Ibid. LACINIOSA.] flexuosa et plicatili, sicut iam docuimus.

Pag. 34. ULTIME AFFECTUS.] ad extremam redactus calamitatem, vel nimia lassitudine defectus, exhaustusve.

Ibid. MEROE.] Nomen est cauponae ex re fictum, tanquam esset *merobiba.* Sicut apud Ausonium iocus est de foemina bibacissima, cui ideo Meroes nomen inditum facetissime ludit, quia vinum dilutum non bibebat, potare immixtum sueta, merumque merum. Alias Meroë insula est clarissima Niliacarum insularum, in qua et civitas cognominis à matre Cambysae regis nuncupata.

Ibid. SCITULAM.] elegantem et argutulam. Nec enim ad corporis formam referri potest, cùm esset anus, et interdum haec diminutiva urbanitatis et blandimenti causa usurpantur.

Ibid. DEVORTO.] divertor, accedo veluti ad diversorium. Frequentissima apud Appuleium locutio. Inde *taberna diversoria* Plauto, in quam viatores divertunt. M. Tullius *diversores* decenter appellat, eos qui in tabernam cauponamque divertuntur. et est proprie verbum viatorum.

Ibid. DOMUITIONIS.] Componunt dictiones ex duabus integris, ut *tribunusplebis.* aut integro et corrupto, ut *malevolus*, *extorris.* aut ex corrupto et integro, ut *noctivagus:* aut ex duobus corruptis, ut *pedissequus*, *pinirapus.* auctores Quint. et Prisc. *Domuitio* copulatur ex corrupto et integro, quasi *domumitio.* Significat autem reditum ad penates. *Itiones* autem dici, sicut *reditiones*, et *abitiones*, testis est Terentius, qui ait in Phormione: *Haeccine erant itiones crebrae, et mansiones diutinae?* Hac dictione deinde ut elegantissima utitur et M. Tullius, qui sic scribit in primo de Divinatione: *Sed Rhodiorum classi propinquum reditum ac domuitionem dari. Domicoenium* novo vocabulo finxit, non magis licenter quam decenter, Epigrammatista Martialis, pro coena domestica.

Ibid. SPOLIATIONIS DIVINAE.] Lego *diurnae.* Diurnam enim appellat spoliationem, quam de die passus erat: cum rarenter homines de die spoliari soleant, nocturnae vero spoliationes et grassaturae sint creberrimae.

Ibid. COENAE GRATAE.] Sensus sic ordinatur: Applicat me coenae gratuitae, pro qua nulla mercedula exigebatur.

Pag. 35. VRIGINE PERCITA.] ardore libidinis extimulata, et tentigine veluti quadam concita. Est enim urigo, uredo quaedam, et pruritus libidinis, ab urendo dicta.

Ibid. AB UNICO CONGRESSU.] Prudenter concubitum significat.

Ibid. ANNOSAM AC PESTILENTEM.] Cauponam intelligit, ex cuius vetulae concubitu se contagione quadam pestilenti infectum esse significat. *Anatem* veteres appellaverunt morbum anuum, id est, vetularum: sicut *senium*, morbum senum. Anus autem dicta est ab annorum multitudine: vel quod iam sit sine sensu, qui Graece dicitur νοῦς. Anicularum enim propria est deliratio.

Pag. 36. IN EAM CONTULI.] Significat se pro pretio concubitus, quicquid vestium sibi reliquerant latrones, dono dedisse cauponae.

Ibid. OPERULAS ETIAM.] scilicet contuli in cauponam. Qua dictione significat reculas quasdam operose fabrefactas, quas acquisiverat dum exercet sagariam negotiationem. Ab *opera* hypocoristicos fit *opella* et *operula.* Quid autem sit *facere sagariam*, copiose explicavimus in libro Annotationum: ubi hic quoque locus enarratur. Verum, quia (ut ait Plato) non nocet bis idem dicere, et Graecum proverbium est, δὶς καὶ τρὶς τὸ καλὸν: id est, bis terque pulchra dicenda: scito *sagariam* nuncupari negociationem, vocabulo à sagis inclinato, quando scilicet saga et alia id genus vestimenta emimus et distrahimus lucri faciundi causa. Quod iurisconsulti evidenter docent, apud quos, tit. pro socio, talis casus explicatur: Quidam sagariam negotiationem inierunt, alter ex his ad merces comparandas profectus in latrones incidit, suamque pecuniam perdidit: servi quoque eius vulnerati sunt, resque proprias perdidit. Dicit Iulianus, damnum esse commune. Tit. quoque de tributoria actione sic scribitur: Duas negotiationes exercebat, puta, sagariam et linteariam. Dicitur autem *sagaria* simpliciter, et significatur huiuscemodi negotiatio, sicuti nomine *linteariae* intelligitur negotiatio linteorum. Itidem absolute dixerunt *argentariam*, *sequestriariam*, aliaque consimilia. *Sagariam* autem, quam *saccariam*, legere malim. Quod si nihil placet immutare, *saccaria* in eodem significatu accipietur, quasi à *saccis* derivata, quae sunt viliora vestimenta. Aliquando *sacci*, et per diminutionem *sacculi*, et *sacelli*, sunt numorum receptacula, ut docet Pedianus Asconius. Saccarium Ulpianus titulo de contrahenda emptione, accipit non pro negotiatione saccorum, sed pro ba-

baiulo, scribens: *Si quid ex sacco saccarii cecidisset.*

Ibid. MEREBAM.] parabam, acquirebam.

Pag. 37. BONA UXOR.] Eironicôs caupona significatur, quae illi fuit detrimentosa, cuius concubitu perinde ac uxoris potitus est.

Ibid. MALA FORTUNA.] Propter latrocinalem spoliationem. Romae fanum malae Fortunae fuit in Esquiliis, Graece dicitur κακὴ τύχη.

Ibid. EXTREMA.] suprema exitia.

Ibid. NOVISSIMO EXTREMIUS.] tanquam nihil peius deteriusque inveniri possit ea labe, cladeque quam perceperat ex complexu cauponae: quod facinus illi extremum, et pessimo peius fuit, quod et ultimo loco perpetratum contigit. *Novissimum* enim extremum significat. quod verbum (auctore M. Varrone) Laelius et senes aliquot, quod nimis novum esset, vitaverunt: et sicut à *vetere*, *vetustus* ac *veterrimus*, sic à *novo* declinatur *novissimum*, quod est extremum. sic ab eadem origine *novitas* et *novitius*. Autumat Gellius, libro 9. noctium Attic. M. Ciceronem noluisse uti isto verbo, tanquam non Latino et improbo. Sed (quod pace veniaque tanti viri dictum sit) M. Tullium usum esse hoc verbo observavimus, sic scribentem in Oratore: *Nec in hac modo re, quae ad vulgi sensum spectet, et ad aurium voluptatem, quae duo sunt ad iudicandum novissima.* Verum sicut ille qui semel risit, nunquam risisse traditur: ita qui semel hac dictione usus est, haud immerito dici poterit ea nunquam usus fuisse. Nam, ut inquit Asconius, *semel vicinum est ad pene nunquam.*

Ibid. SCORTUM SCORTEUM.] *Scorta* dici meretrices, et *scortari*, meretriculas ducere, nemo est qui nesciat: a pelle quam antiqui dicebant *scortum*, ducto verbo: quia sicut pelliculae subigantur. Scortea quoque dicimus ea, quae ex corio ac pellibus sunt facta. Inde in aliquot sacris ac sacellis nefas erat aliquod scorteum adhiberi. Proinde Ovidius in Fastis ait:

Scortea non ulli fas est inferre sacello.

In Attellanis fabulis licebat antiquitus animadvertere, rusticos ioculariter dicere, se adduxisse pro scorto pelliculam. Donatus enarrans illud ex Eunucho, *Forte habui scortum:* ait, abdomen quod in corpore foeminarum patiens est coitus, scortum dici. Vel ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, quod Graece est palpitare, quod faciunt meretrices crissando, ut ita concinniorem venerem exhibeant viris: aut sibi abigant conceptum semen, quod in vulva foeminae in ipso coitu non se moventis inhaerescit. In commentariis Tranquilli docuimus, scorta dici diobolaria quae duobus obolis, hoc est, vilissima mercedula conducuntur. Ubi emendavimus locum M. Var. mendosissimum. Festiviter appellat Apuleius *scortum scorteum*, meretricem annosam, vietam, deformem, inamabilem, perinde atque esset instar pelliculae et corii, rugosa, flaccida, languida, minimeque succulenta. Meretrices autem id genus sordidae, duobus apud veteres vocabulis elegantibus appellantur, *Scractiae* et *Scrupeae.* Dicuntur aut *scractiae* ab excreando, quod vitium est in vetula: *scrupeae* vero, sive *scrupidae* à duritia molestiaque lapillorum, qui *scrupi*, et per diminutionem *scrupuli* dicuntur. Hoc ideo transeunter apposui, ut emendares intelligeresque illud Plautinum, quod refertur à Gellio in 3. noctium Att. *Stratae scruppae destrato vulvae sordidae.* tu corrige. *Scractiae scrupeae.*

Ibid. DIGITUM A POLLICE PROXIMUM.] Indicem significat, quo ori admoto silentium indicimus, commonemusve quod maxime salutare est. Unde et salutare dictum esse à vetustis scriptoribus existimo, sicuti à Tranquillo, qui ait Augustum habuisse digitum salutarem sinistrae manus imbecillum: ubi non parum multa digna scitu annotavimus. Marcianus Capella et ipse sic scribit: *Verum quidam reditus puer ad os compresso digito salutari, silentia commonebat.* Is digitus exprobrando et indicando, unde ei indicis nomen est, plurimum valet. Quo usum esse optime Crassum oratorem, Cicero Quintilianusque notificant.

Ibid. TUTAMENTA SERMONIS.] ut tuto loqui posset, ne quispiam arbiter clanculum arbitraretur. Sic et captivus Plautinus: *Secede huc*, inquit, *ne arbitri dicta nostra arbitrari queant.* Saepe enim dicuntur voces, quae postea mortiferae fiunt ipsis sermocinatoribus redeuntque per iugulum, excipientibus delatoribus. Unde illud in usu vulgi frequens, Plures necat lingua quam gladius. Sententiae vulgari subscribit versus ille sententialiter prolatus, ἡ γλῶσσα πολλοὺς ἐς ὄλεθρον ἤγαγε· id est, lingua multos egit in perniciem.

Ibid. PARCE IN FOEMINAM.] abstine à maledictis foeminae, quae arte magica pollens, merito veluti divina metuenda est.

Ibid. NE QUAM NOXAM.] aliquod periculum et detrimentum. Alias *noxa* accipitur pro culpa et delicto, ut alibi latius explicavimus. *Ain'*] Aisne.

Ibid. REGINA.] tanquam regia potestate praestans.

Ibid. QUID MULIERIS EST.] Scire te convenit, cum interrogatio per obliquum casum maximeque genitivum profertur, contemptum significari: ut, *Quid hoc est hominis? Quid mulieris? Quid ornatus?* auctor Donatus.

Ibid. SAGA.] Sagas dici mulieres, docet Porphyrius, magicarum herbarum scientes, tanquam satis agas, et multum agentes. Tibullus: *Pollicita est magico saga ministerio.* Lactantius, sive is Luctatius est, Papinii Statii commentator, *sa-*

sagos clangores, in 8. Thebaidos interpretatur divinos. Unde *praesagia*, praedivinationes mentis dicta. M. T. libro primo de Divinatione: *Sagire*, inquit, *est acute sentire, ex quo sagae, et sagarli dicti, qui scire multa volunt: et sagaces canes.*

Ibid. COELUM DEPONERE.] Quae impossibilia naturaliter sunt, ait effici posse possibilia, potestate et vi sagae mulieris. Et hoc totum decenter positum est per antitheta sive contraposita, quae in ornamentis elocutionis, ut inquit Augustinus in 8. de civitate Dei, sunt decentissima. Est et in hoc loco exornatio illa, quae dicitur Similiter desinens, Graece *homoeoteleuton*. Est et figura Grammaticalis dissolutum sive disiunctio, quod Graece dicimus *dialyton*, et *asyntheton*.

Ibid. MONTES DILUERE.] Quod est aquarum et liquoris.

Pag. 38. DEOS INFIRMARE.] Mundior et purior lectio est, *infimare*, quod est infimos facere. Idem ait in daemonio Socratis: *Ingenia illa ad beatitudinem sublimata sint, haec ad miserias infimata. Sublimare* autem et *infimare* inter se opposita decenter attende, sicuti manes et deos. Manes enim inferni significantur. Dei vero superni. De manibus satis multa in commentariis Propertianis.

Ibid. TARTARUM.] Plato in Phaedone tartarum esse scribit barathrum in profundo terrae et inferorum, ex quo origo sit omnium aquarum et fons, et quo confluant flumina. Quod impossibile ait esse Aristot. aperte dissidens à praeceptore lib. 2. Meteororum. Poëtae tartarum appellant carcerem inferorum. De quo Tertullianus in Apologetico sic: *In imum tartarum demerserit, quem carcerem poenarum infernarum cum multis affirmatis.* A *tartaro*, *tartareus* et *tartarinus* deducitur. Hinc illud: *Corpore tartarino prognata palude virago.* Tartari origo, ut ait M. Varro, Graeca est. namque ἀπὸ τῆς ταραχῆς, id est, perturbatione dicitur, quia illic omnia perturbata. Vel ἀπὸ τοῦ ταρανίζειν, quod significat tremere et frigere. Ex tartaro, ut ait Plato, nunquam egrediuntur nocentes.

Ibid. AULAEUM TRAGICUM.] Magna caligo verborum, quibus subobscure significat talem de saga foemina sermocinationem magis tragicam esse, quam narrationi familiari accommodatam: ideoque removendam esse suadet. Nam dum aulaeum tragicum dimovendum esse dicit, et siparium scenicum complicandum, intelligi vult talem narrationem esse sequestrandam, quae tragico argumento conveniat, tragicisque portentis. Aulaeum enim tragicum dicitur, quo scena in agendis tragoediis exornatur, quod levabatur tollebaturque cum finita fabula cantor dicebat, *Valete, plaudite.* Hinc illud Horatii:

Si plausoris eges aulaea manentis, et usque
Sessuri, donec cantor Vos plaudite dicat.

Ait Donat. aulaea in scena sterni solita, quod pictus ornatus erat, ex Attalica regia Romam usque perlatus. Annotavimus alibi, aulaea dici vela picta, quae alio nomine dicuntur peristromata, et peripetasmata, ab aula Attali regis Asiae, qui populum Romanum scripsit haeredem. Ait Plin. in 8. Attalum primum invenisse aurum intexere in vestibus: unde nomen Attalicis est. Hinc illud Propertii: *Porticus aulaeis nobilis Attalicis.*

Ibid. SIPARIUM SCENICUM.] Festus et Donatus scribunt, siparium esse velum minutum. Ego existimo non *minutum*, sed *mimicum* legendum esse: ut sit id quod Appuleius appellat *scenicum*. Eo enim utebantur Mimi, scenicique artifices, ad scenam velandam, quod populo obsistebat. Et haec siparia pro aulaeis aetas posterior usurpavit. De hoc intellexit Satyrographus poëta illo versu:

Consumptis opibus vocem Damasippe locasti
Sipario ——.

Significat enim, Damasippum mercedula conductum fecisse histrionicam, et egisse fabulas scenicas. Idem Appuleius in 10. ait consimiliter: *Aulaeo subducto, et complicitis sipariis scena disponitur.* Impressi codices pro *aulaeo subducto*, habent *alveo subducto*, quae dictio mendosa expungenda est. Quidam *suparium* legunt, cum inter *u* et *i* maxima cognatio sit. Seneca in lib. de tranquillitate vitae, appellat *verba cothurno et sipariis fortiora*, quae grandia sunt, et supra sublimitatem tragicam evehuntur. Idem 11. epistolarum ait *Supara*, unde per diminutionem *suparia* inclinari. Videntur esse insignia navium Alexandrinarum, quibus solis licet suparum intendere, quod in alto non omnes habent naves. Et Lucan. *supara velorum* dixit. Alias *suparum* vestimentum puellare lineum est, de quo Affranius: *Puella non sum, si suparo induta sum.* Eiusdem meminit Plaut. in Epidico. Significat Appuleius symbolicôs, tollenda esse è medio sermocinationis ea, quae ad tragoediam pertinent.

Ibid. CEDO.] dic. *Communibus.*] quibus in communi quotidianoque sermone uti solemus.

Ibid. EFFLICTIM.] vehementer, et ardenter.

Ibid. AETHIOPES UTIQUE.] Homer. in 1. Odysseae Aethiopas bipartitos esse auctor est, alteros ad orientem, alteros ad occidentem spectare. Sic enim ait: οἱ μὲν δυσσομένου ὑπερίονος, οἱ δὲ ἀνίοντος, id est, Solis ad occasum quidam, quidam sed ad ortum. Super quo versu non parum multa Strabo in 1. Geographiae. Sunt autem Aethiopes, ut idem asserit, ἔσχατοι ἀνδρῶν, id est, postremi hominum. Plin. in 5. sic ait: *Verissima opinio est eorum, qui desertis Africae duas Aethiopias superponunt, et ante omnes Homerus, qui bipartitos tradit Aethiopas, ad or-*

tum occasumque versos. Idem in 6. Aethiopiam appellatam esse memorat, ab Aethiope Vulcani filio. Alii à colore populorum, quos Solis vicinitas torret. Causas refert Aristoteles in Problematis, cur Aethiopes sint blaesis pedibus, candidis dentibus, longaevae vitae, animo timidiore.

Ibid. ANTICHTHONES.] Qui habitant in zona Chimerina, hoc est, hyemali, quos separat à nobis torrida. Appellantur Antichthones, ὡς τὴν ἐναντίαν χθόνα, quasi contrariam terram habitantes. auctor Probus. Hos alio nomine Graeci ἀντοίκους vocant. De quibus multa Macrob. 2. in somn. Scipionis. Ex his colligimus, Antipodas non esse Antichthones, quos transversos nobis stare autumat M. Tul. inferiorem zonae nostrae partem tenentes. Verum an esse possint hi Antipodes, multa quaestio est apud eruditos: aliis astruentibus, aliis destruentibus. Martianus Antichthones seiungit ab Anticis et Antipodibus cuius verba haec sunt ex libro Geometriae: *Antici habitant contrariam zonam: qui infernatem nobis obversam habitant, Antipodes memorantur, qui contra illos quos Anticos dicimus, Antichthones appellantur.*

Ibid. FOLIA SUNT ARTIS.] Id est, levia et nugatoria, comparatione eorum quae maiora mirabilioraque facit ex artis magicae potentia.

Ibid. IN ALIAM TEMERASSET.] cum alia puella concubuisset.

Pag. 39. REPRAECISIONE GENITALIUM.] Aesopus ille è Phrygia fabulator, festiviter refert, castora, ex genere quadrupedum, degere ἐν δίπναις, id est, in lacubus: cuius genitalia medicis utilia esse ferunt, qui ob id se peti gnarus, abscindens sibi genitalia, ita à persecutionibus salutem consequitur. Hinc illud Satyrographi:

— imitatus castora, qui se
Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno
Testiculi, adeo medicatum intelligit inguen.

Plin. et M. Varro *fibros* appellant, qui circa oras fluminum extremas videri solent: unde et nomen. *Fibrum* enim antiqui dicebant extremum. unde et vestimentis *fimbriae:* et in iecore, *fibrae* dictae, quae sunt extremae. Animal est horrendi morsus, arbores iuxta flumina ut ferro caedit: hominis parte comprehensa, non ante quam fracta concrepuerint ossa, morsu resolvit. Cauda piscium castori est, caetera species lutrae, pilus mollior pluma. Germani *biferam* vocant: Ex genere sunt amphibio. sic enim philograeci vocant animalia, quibus in aqua et terra victus est. Illud annotatu scituque dignum, quod à Sestio, diligentissimo medicinae conditore proditum est. negat enim testes amputari ab ipso castore, cum capitur: quinimo parvos esse ait, substrictosque; et adhaerentes spinae, nec adimi sine vita animalis posse: verum folliculos geminos ex uno nexu dependentes, qui amputentur, quorum vis medica sit. Castorea vocant medici, quae medentur pluribus morbis, et in primis vertigini, tremulis nervorum vitiis, stomachicis, paralyticis, ischiadicis, quos vulgus sciaticos appellat, et opisthotonis. ita enim dicuntur, quorum cervix rigida et inflexibilis dolor est, quod alibi fusius uberiusque enarravimus. Castorea magnificat Galenus, adhibetque pluribus medicinis. Demiror Albertum magnum, et Isidorum, qui castoris nomen à castrando deducant: cum dictio Graeca sit, et ita à Graecis passim nominetur. Nomen autem Graecum etymologiam Latinam non accipere, sat notum est, et Grammatici prodiderunt. Memorant quidam, quod post amputationem genitalium, si iterum petatur à venatoribus, erigere se soleat, ostentantem nihil in se praecisis testibus esse amplius expetendum.

Ibid. OB ID AEMULUM.] Aemulatio enim et invidentia est inter vicinos, et eiusdem artificii professores, ut inquit Hesiodus: καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων: invidet figulus figulo, et faber fabro. Aemulum autem dici aliquando invidum, aliquando imitatorem, sciunt omnes, et tradit Donatus in commentariis Aeneidos. De aemulatione M. Tullius in 4. Tusculana.

Ibid. SENEX ILLE.] caupo. *Dolium innatans vini.*] Deformatus in ranam caupo, natabat in vino: contra naturam ranarum, quibus aqua vita est, vinum aspernantibus. Unde et paroemia, βατράχοις οἶνον ἐγχέεις, id est, ranis vinum infundis. Quod proverbium dicitur de his, qui ea praebent, quae nulli usui futura sint accipientibus. Cui contrarium est alterum proverbium, βατράχῳ ὕδωρ, id est, ranae aqua. de his qui ea dant, quibus maxime laetantur et gestiunt accipientes, sicuti aqua gaudet rana.

Ibid. ADVENTORES.] Viatores intelligit, qui in cauponis cauponam soliti erant devortere. Hodieque vulgo *adventores* dicuntur, qui prope peculiariter frequentant officinam quampiam ac tabernam. Meretrices quoque suos habent adventores. hinc Plautina meretrix in Truculento: *si equum facies, adventores meos non incuses.*

Ibid. OFFICIOSIS RONCHIS.] id est, coaxatione et narium sonitu obstrepero. *Ronchus* enim significat proprie sonum illum nasi, qui à stertentibus fit dormiendo: à quo inclinatur verbum *ronchisso*, quod est sterto, et naribus insono. Plaut. *Dum dormit ronchissat.* Et quia derisores solent talem naso sonitum in derisu conficere, inde fit ut *ronchi* pro derisionibus derisoribusque usurpentur. Martialis: *Maiores nusquam ronchi.* Hinc *ronchisonus*, qui sonat ronchos, et derisor est. Sidonius:

Nec nos ronchisono Rhinocerote notat.

Quidam existimant vocabulum esse facticium à sono, sicut tinnitus et clangor. Ego dictionem Graecanicam esse autumo. Graece enim ῥόγχος di-

dicitur stertendi sonus, καὶ ῥέγχω sterto. Unde *pararenchos* dictus est Cipius is, qui simulabat dormientem, quo securius impunitiusque eius uxor moecharetur, cuius meminit Lucilius. A quo natum est proverbium: *Non omnibus dormio.* quod Cicero sciens invertit, qui in epistolis ait, *Non omnibus vigilo.*

Ibid. ALIUM DE FORO.] Forensem oratorem, sive rabulam significat.

Ibid. CAUSAS AGIT.] tanquam pristinum institutum oblivisci non possit.

Ibid. DICACULE.] Adverbium est, et significat mordaciter, et cum falsa dicacitate.

Ibid. PROBRUM.] convicium. Livius: *Occursant portis, probra ingerunt.* Alias *probrum* pro stupro flagitioque accipitur. *Probrum* virginis vestalis ut capite puniretur, veteres sanxerunt.

Pag. 40. OBSITO.] Lego *obsepto*, quasi claustris quibusdam munito, obturatoque.

Ibid. UTERO.] Uterus in foemina iunctus est vesicae, significatque matricem. alio nomine locos appellant, ut docet Plin. in II. Inde loci in foemina viriosi dicuntur Catoni, qui appetentes sunt concubitus virilis. Servius, Virgilianus interpres: *Uterus*, inquit, *est mulierum alvus, quo effluunt sordes: venter, qui videtur. Uter*, pro uterus dixit Caecilius: *Nunc uter crescit, non potest celari.*

Ibid. REPUGNATO FOETU.] interdicta prohibitaque partitudine. Tunc enim foetus repugnatur, cum iam maturus exire non potest ex utero materno, quasi coërcitus, vinctusque.

Ibid. DISTENDITUR.] impletur et turget. Virg. — *distendunt nectare cellas.* unde *Distentus*, plenus.

Ibid. VELUT ELEPHANTUM PARITURA.] Decem annis gestare elephantum in utero, vulgus existimat. ex quo est illud proverbiale, *Celerius elephanti parient.* Aristoteles tamen biennio tantum ferre ventrem elephantum asserit. Ab elephanto alterum quoque proverbium impossibilitatis factum est apud priscos, quod usurpat Ennius sic scribens: *Prius pariet locusta lucam bovem*, id est, elephantum. Cur autem elephas dicatur *luca bos*, docent Plin. Solinus, et M. Varro, et nos alibi annotavimus.

Ibid. SUBINDE.] Identidem, frequenter. Alias significat mox, et deinde.

Ibid. NOCERENTUR.] laederentur; et nocumento afficerentur. Passivum verbum est vetus, quod et iurisconsulti usurpant, à quibus dicitur: *Nisi ei nocitum sit ex quo aquam ducit.*

Pag. 41. PUBLICITUS.] publice, adverbium est. Plautus: *Hospitio publicitus accipiet.* Caecilius: *Ad plebem pergitur publicitus, defendendum est.*

Ibid. SAXORUM IACULATIONIBUS.] Lapidationem in foeminam magam publice decretam fuisse significat.

Ibid. CANTIONUM.] incantamentorum. Alias *cantiones* cantilenae dicuntur. In Floridis: *Hanc putat cantionem, ubi omnia quae didicit maledicta percensuit. Cantio Graeca*, Plauto in Sticho dicitur convivale.

Ibid. ANTEVERTIT.] praevenit, anticipavit.

Ibid. DIECULAE.] *Diecula* significat parvam diem, et tempusculum. Terent. in Andria: *Non sat est quod tibi dieculam addo?* ubi ait Donatus, ὑποκόρισμα est *diecula: hoc est, tempusculum, et sumitur ab eo quod est haec dies. Diecula, mora, et quasi parva dies.* Ascon. *Dies foeminino genere tempus, et ideo diminutive diecula dicitur breve tempus et mora.*

Ibid. MEDEA.] Medea illa fabulosa, perdito patre, perempto fratre, relicta genitali patria, secuta Iasonem est, amoris aestu flagrans: cum quo annos circiter decem vixisse proditur, filiosque ex eo peperisse: Didymum, Thessalum, Alcimenum, et Tisandrum. Mox Iason captus amore Glaucae, vel, ut alii tradunt, Creusae Creontis filiae, regis Corinthiorum, virginem à patre uxorem petit: à quo annuente, certumque nuptiarum diem constituente, Iason Medeae nititur ultroneum divortium suadere: quam id egerrime ferentem, deosque testes fidei datae implorantem, urbe expulit, oblitus pristinorum beneficiorem. Illa brevem fugae moram à Creonte petit: qui dieculam dedit, qui apud Senecam sic ait: *Unus parando dabitur exilio dies.* Tunc veneno infectam pallam misit ad novam nuptam, veluti munus nuptiale. Quo dono exiliens ignis, regiam cum Creonte et nova nupta deussit. Baiuli tam exitialis doni fuerunt, ipsius Medeae filii. Hinc ait Horat. in Epodo:

— *cur dira barbarae minus*
Venena Medeae valent?
Quibus superba fugit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam,
Cum palla, tabo munus imbutum, novam
Incendio nuptam abstulit?

Hoc idem memorat Seneca in Medea. Diodor. vero auctor est Medeam, impetrato à Creonte diei unius tempusculo, noctu regiam ingressam esse, quibusdam medicamentis factam versipellem, et radice quadam magica, cuius ea vis est, ut ignis indidem factus extingui nequeat, incendisse regium domicilium: quo conflagrante, Iasonem evasisse, Creonte et filia igne absumptis. Quidam prodiderunt, Medeae filios dona quaedam sponsae attulisse, illita venenis: quae cum illa corpori applicuisset, incidisse in morbum: et in patrem auxilium filiae ferentem, cum corpori illius haesisset, illico expirasse. Sed Appuleius noster, et Plin. coronam fuisse asserunt, quae à Medea dono missa ad Iasonis sponsam sit, cuiusque veneno pellex cum regia cremata sit. Autumat Plin. in 2. volumine, venenum id fuisse *naphtham*, quod genus est bituminis, cu-

ius vis ardens ignium naturae cognata, transilientium protinus in eam undecunque visam. *Ita*, inquit, *ferunt à Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat corona igne rapta.* Idem in 35. meminit eiusdem naphthae inter genera bituminis. Galenus lib. 3. complexionum, mentionem facit huiusce medicamenti, quo Medea usa est ad pellicem ulciscendam, aitque id ex sulphure et asphalto fuisse compositum. *Asphalton* autem Graeci bitumen appellant, et *pissasphalton*, ex argumento picis et bituminis. Hinc *asphaltites* lacus Iudaeae dictus, qui nihil praeter bitumen gignit.

Ibid. INDUCIIS.] Lycaon primus inducias invenit, auctore Plin. Sunt autem *induciae* pax in paucos dies: ex eo dictae, vel quod in diem dentur, vel quod in dies otium praebeant, ut docet Donatus. Alibi locum mendosum, apud Gellium ex lib. 1. repurgavimus. Graeci ἐκεχειρίαν vocant, ex eo quod tempore induciarum manus cohibeantur. M. Varro festiviter: *Induciae*, inquit, *sunt pax castrensis paucorum dierum.* Item alio loco: *Induciae*, inquit, *sunt belli feriae.*

Ibid. DEVOTIONIBUS SEPULCHRALIBUS.] Servius devotiones interpretatur imprecationes. unde *devotor* et *devotrix* dicti, qui imprecantur diris incantationibus magicisque carminibus. *Devotiones* enim execrationes sunt, et dira: et *devovere* significat interdum detestari, execrarique. Ovid.

Illum ego devoveo, quem mens intelligit, Ibin.
Hinc *devotum*, dirum et execrandum. Idem ait:
Vivite devoto foemina virque thoro.

Hinc carmina *devotoria*, apud Livium et Macrobium, quibus homines urbesque devoventur: quibus Decii, pater, filius, et nepos, se devotaverunt. *Sepulchrales* appellat, quibus uti solebant sagae foeminae evocatione manium ad sepulchra defunctorum. Tibullus: — *Manesque sepulchris Elicit.* Consimiliter Erichtho illa apud Lucanum in 6. Pharsaliae, adhibet et devotiones sepulchrales.

Ibid. IN SCROBEM PROCURATIS.] Tangit ritum magicum, cuius meminit Homerus in 11. Odysseae, referens Ulyssem scrobem cubitalem gladio fecisse, ad evocandos manes: inibique melicraton, id est, mulsum cum aqua et polenta commiscuisse. dein cruorem victimarum eodem infudisse. Quod aemulatus Silius est in 13. Punicorum, dum itidem memorat à Scipione factam esse scrobem, et illic procurato magico sacro evocatos esse manes. Ob id dixit Appuleius in Apologia: *Nec Ulysses scrobem pisculento medicavit.* Apud Senecam, Valerium Flaccum, Horatium, poëtas fere omnes, invenitur id genus sacrificii magici, quod in scrobem fit.

Pag. 42. CONSONE.] concorditer, communique sententia.

Ibid. DEIERANTES.] valde iurantes. Non solum Grammatici, sed et Iurisconsulti docent, tit. depositi, praepositionem hanc *De* augere in compositione.

Ibid. ADMOLITUROS.] nullam violentiam illaturos sese sagae illi deierabant.

Ibid. PROPITIATA.] placata, et exorata.

Ibid. ABSOLVIT.] cum omnes intra domos inclusos violentia magica coërcuisset.

Ibid. COETUS ILLIUS AUCTOREM.] Sensus ordinatur sic: saga illa transtulit, hoc est, transportavit in civitatem longinquam, illum qui fecerat coetum, primusque suaserat, ut saxorum iaculationibus foemina vindicaretur. *Coetus* conventus est, vel congregatio, à *coëundo* dictus. Quod et in decretis canonicis leges, d. 15. *Qui coetum fecerit*, ut inquit Seneca in declamationibus, *capitalis sit.* *Coetus* autem, ut ipse docet, multitudinis magnae nomen est, coëuntis ex consensu quodam.

Ibid. NOCTE INTEMPESTA.] Media nocte. Dicta ex eo, quod non habeat idoneum tempus rebus gerendis. Quod alii concubium appellarunt, quod fere omnes tunc cubarent. Alii, ab eo quod sileretur, silentium noctis, quod tempus à Plauto dicitur *conticinium.* Sed de hoc in superioribus multa.

Ibid. ET IPSO SOLO.] Terram ipsam, quae alioqui immobilis est, una cum parietibus translatam significat. Membra autem domus sunt, fundamentum, parietes, et tecta: quae simul coniuncta, ut ait Boëtius in commentariis Topicorum, totum efficiunt, et *domus* dicuntur: cum fundamenta sola domus vocabulo minime nuncupentur, neque parietes, neque tecta.

Ibid. AD CENTESIMUM LAPIDEM.] ad centesimum miliarium. Antiqui enim milliaria lapidibus fixis designabant. Auctor est Plutarchus, C. Gracchum singulis miliariis columnas lapideas spatiis signa praeferentes constituisse. Mart.

Ad lapidem Torquatus habet praeconia quartum.
Iuven.

Ad primum lapidem vectari cum placet, hora
Sumitur ex libro ——.

Ibid. VERTICE MONTIS.] *Vertex* est, ut docet Quintil. in 8. contorta in se aqua, vel quicquid aliud similiter vertitur. Inde propter flexum capillorum, pars summa capitis *vertex* dicitur. Ex hoc in montibus eminentissimum recte dicimus *verticem.* Virg. *Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.* Antiqui *vortices* dicebant per literam *o*, sicut et *vorsus*, caeteraque consimilia, quae primus Scipio Africanus in *e* literam vertisse dicitur. Montibus dantur à scriptoribus latera, iuga, vertices, radices.

Ibid. AD AQUAS STERILEM.] Montana oppida, et in verticibus editis sita, fere semper laborant aquarum sterilitate, cuius in aedificando ratio cum primis habenda est. Quoniam, ut auctor

ctor est Vitruvius, si animalia fuerint sine humoris potestate exsanguinata et exsucta, à principiorum liquore interarescent. Aristoteles quoque in 7. Politicorum praecipit, cisternas in civitatibus faciendas, ut aqua deesse non possit, et aquas salubres inducendas.

Pag. 43. ANTE PORTAM.] Saga ante portam civitatis illius montanae proiecit domum, cum intra urbem, ob frequentiam aedificiorum locus non esset recipiendo novo domicilio, novoque hospiti.

Ibid. INIECTO NON SCRUPULO.] *Scrupi*, et per diminutionem *scrupuli*, lapilli sunt, qui pressi sollicitudinem faciunt. Unde proverbiale est illud Terentianum, *Inieci scrupulum:* pro sollicitudine. Et Plin. in epistolis ait: *Exime mihi hunc scrupulum.* Et *scrupulosa quaestio*, quae difficilis est explicatu.

Ibid. NOMINIS MINISTERIO.] Deum artis magicae ministerialem significat. Tertullianus auctor est, daemonas praeesse magicis praestigiis. Et Plato, Platonicusque Appuleius et Proclus autumant, magorum varia miracula regi à daemonibus, qui inter mortales coelicolasque ultro citroque portant hinc petitiones, inde suppetias, veluti quaepiam mediae potestates inter homines ac deos.

Ibid. SERMONES ISTOS COGNOSCAT.] Omnis daemon ales est, igitur (ut ait Tertullianus in apologetico) momento ubique sunt, quid ubique geratur tam facile sciunt, quam enunciant. Merito ergo timet hic, ne anus illa maga cognoscat sermones suos, nunciante videlicet daemone, qui ubique praesto est, cuius ministerium magos infatuat.

Ibid. SOMNO LEVATA LASSITUDINE.] Somnus donum est deorum, mortalibus aegris concessum ad refectionem. Unde ait Seneca: *Placidus fessum lenisque foves Pavidum laeti genus humanum, Cogis longam discere mortem.*

Pag. 44. ADDUCTA FORE.] clauso cubiculi ostio. Antiqui singulari numero *forem* usurpabant, cum nos *fores* pluraliter enunciamus. Plautus in Amphitryone: *Orationem comprimam, crepuit foris.* Horatius: *Exclusus fore, cum Longaremus foret intus.* *Fores* ex eo dici Grammatici tradunt, quod *foris* aperiantur: sicut apud veteres usitatum. Fores domus publicolarum extra aperiebantur, et ianua in publicum reiiciebatur. Hoc erat, ut verbis Plinii utar, clarissimum insigne inter triumphales quoque domos. Forculum Deum prisci coluerunt, qui foribus praeesset: auctor divus Augustinus in 4.

Ibid. PESSULIS.] Pessuli sunt instrumenta, quibus ostia seu fores clauduntur. Terentius in Eunucho: *Pessulum ostio obdo.* Plautus in Curculione: *Pessuli vos saluto lubens.* Et mox paulo: *Tandem aedepol mihi morigeri pessuli fiunt.* Inde *pessulatas fores* dicimus, pessulis clausas, munitasque.

Ibid. GRABATULO.] lectulo. quod Lucianus Graece *Clinidion* vocat, id Appuleius fere *grabatulum* interpretatur. Martialis: *In grabatulis tegetibusque concepti.* Vox quoque Graeca est. Illi enim κράββατον, καὶ ὑποκοριστικῶς κραββάτιον vocant: nos *grabatum* et *grabatulum*. Hinc illud ex Euangelio cantatissimum: *Tolle grabatum tuum, et ambula.* Quod Graece dicitur, ἔγειραι, καὶ ἆρόν σου τὸν κράββατον, καὶ περιπάτει. Ubi annotandum, quod apud Graecos haec dicio scribitur duplici ββ, prima syllaba producta: cum apud nostros per simplex *b* scribatur, prima correpta, quod satis liquet vel ex illo Maroniano: *Membra levat sensim vili demissa grabato.*

Ibid. PONE CARDINES.] post ostii cardines. Alio quodam diverticulo significationis *cardo* in agrorum limitatione appellatur limes, qui per agrum currit à meridie ad septentrionem: sicut *decumanus* vocatur *limes* ille, qui secat agrum ab exortu ad occasum. auctores Plin. et Columella. Fuit apud antiquos dea Cardea, quae Cardinibus praeerat.

Ibid. CIRCA TERTIAM VIGILIAM.] post mediam noctem. Nox enim in quatuor vigilias dividitur, quae singulae trium horarum spatio supputantur, ut tradit Hieronymus in expositione psalmorum. Quod ex disciplina castrensi factitatum est. Nam quia impossibile videbatur, per totam noctem vigilantes singulos in speculis permanere: ideo in quatuor partes ad clepsydram sunt divisae vigiliae, ut non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. A tubicine, ut auctor est Vegetius in tertio, omnes vigiliae committuntur, et finitis horis à cornicine revocantur. Tribuni idoneos eligebant, qui vigilias circuirent, quos circuitores appellabant: dein circitores dicti sunt. Frequentissima apud historicos mentio est primae vigiliae, secundae, tertiae et quartae: tot enim sunt. Ob hoc dixit Lucanus in 5. Pharsaliae:

Tertia iam vigiles commoverat hora secundos.

Cum significare vellet, finita prima vigilia, cuius horae tres sunt, excitatos esse vigiles secundae vigiliae.

Ibid. PAULULUM CONNIVEO.] oculos claudo, non tam somno vacans, quam succumbens. *Connivere* enim est, oculos genis claudere. *Graviores alites*, auctore Plin. *inferiore gena connivent: columbae vero, et similia, utraque connivent.*

Ibid. COMMODUM QUIEVERAM.] Sunt in Latina lingua res parvae quidem, et minutae, et hominibus male eruditis aspernabiles, sed ad veterum scripta penitus noscenda cum primis necessariae: veluti est haec dictio *commodum*. Adverbium est temporis, significat tunc, et ut ait Do-

Donatus, tantum. A. Gellius in 2. noctium Atticarum: *Taurus sectatoribus commodum dimissis, sedebat pro cubiculi sui foribus.* M. Tullius in epist. ad Atticum: *Commodum discesseras heri, cum Trebatius venit.* Quod significat vix, et tunc. Idem Donatus exponens illud Terentianum: *Commodum huc adverterat:* ait, *ipso eodemque tempore.*

Ibid. RESERANTUR.] aperiuntur.

Ibid. IANUAE.] Ianua est primus domus ingressus: dicta, ut ait Servius, quia Iano consecratum est omne principium.

Ibid. IMO VERO.] Correctio est, quae exornatio tollit id quod dictum est, et pro eo quod magis idoneum est reponit, hoc pacto: *Si iste suos hospites rogasset, imo invenisset.* Haec exornatio, ut ait M. Tullius in 4. Rhetoricorum, rem facit insigniorem.

Ibid. UNO PEDE MUTILUS.] imminutus. *Mutilare* enim, ut ait Donatus in Hecyrae commentario, est imminuere. Unde *mutili* dicti sunt boves et capri sine cornibus. Hinc illud veluti proverbiale apud Ovid. *Turpe pecus mutilum.* Ait Plin. quod *mutilis capris est lactis maior ubertas.* In codicibus Plinianis inolevit mendum. nam pro *mutilis* passim legitur *multis.* Columella lib. 1. Agricolationis, aliter curari ait *caprinum pecus mutilum et raripilum*, aliter *cornutum et setosum.* Idem in 8. meliorem ait *arietem mutilum*, quam *cornutum*: quia *mutilus*, inquit, cum se tanquam exarmatum intelligat, nec ad rixam promptus, et est in venere mitior. Scurra Horatianus per festivam translationem *mutilus* dicitur, qui altero oculo tanquam cornu exsecto erat deformatus. Verba Horatii haec sunt:

— o tua Cornu
Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, cum
Sic mutilus miniteris? at illi foeda cicatrix
Setosam levi frontem turpaverat oris.

Mutulus vero in aedificiis est proiectura prominens: et ut docet Vitruv. in 4. in operibus lapideis et marmoreis *mutuli* inclinatis sculpturis deformantur. *Mutulos* capita trabium eminentia esse autumant Grammatici, qui et *proceres* dicuntur. Unde et nos principes civitatis proceres nominamus, quasi eminentes in urbe, ut *mutuli*, quos proceres vocant, eminent in aedificiis.

Ibid. PEDE.] Ingens copia rerum est sine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, sed alienis commodatisque: ut refert Seneca lib. 2. de Beneficiis. Sic et *pedem* nostrum dicimus, et lecti, et carminis. Sic canem et venaticum et marinum, et sidus: quia non sufficimus, ut singulis singula signemus, quoties opus est mutuamur. Plin. tradit 24. herbam quampiam nominari *clinopodion*, quia in speciem lecti pedem praebeat.

Ibid. RECIDENS IN INVERSUM.] Significat cum inverteretur grabbatus, et quod erat in imo fieret summum, ex concussu fuisse coopertum, convelatumque.

Pag. 45. QUOSDAM AFFECTUS.] Philosophi Latini *affectus* vel *affectiones* vocant animorum motus, quibus afficimur: veluti cupiditatem, iram, metum, amorem, odium, et (ut latissime scribit Aristot. in 2. Ethicorum, affectus non sunt neque virtutes, neque vitia: ideoque secundum affectus neque laudamur, neque vituperamur. Graeci πάθη appellant. apud Quint. lib. 6. caput est de affectibus ubi docet duas esse species affectuum: alteros concitatos, alteros mites; dici concitatos tragoediae, mites comoediae similes esse.

Ibid. SAEPICULE.] Adverbium est diminutivum à *saepe*, sicut à *saepius* comparativo fit *saepiuscule:* ut docet Prisc. in 4. Plaut. in Casina: *Saepiuscule peccas.*

Ibid. LACHRYMAE PRAE GAUDIO PRODEUNT.] Vulgatum est illud Terentianum in hanc sententiam: *Ohe, lachrymo prae gaudio.* Et apud Livium in 5. *Certatim patribus plebique manare gaudio lachrymae.* Quintil. in 11. *Lachrymas natura mentis indices dedit, quae erumpunt dolore, aut laetitia manant.*

Ibid. DE ARISTOMENE TESTUDO FACTUS.] Quia lecto inverso, veluti tegumento quodam coopertus latebat: ideo dicit se factum testudinem, quae sub suo tegumento tota contegitur, et quasi delitescit. Pacuvius testudinem appellat *domiportam*, ex eo quod domum portet: *tardigradam*, à grado tardo et lento. unde et Plauto *Testudineus gradus* dictus. Apud mythicum fabulatoremque illum Aesopum apologus est, quemadmodum olim Iupiter ad nuptias animalia cuncta invitaverat: quae cum in tempore affuissent, praeter unam testudinem, quae novissima omnium venit, sciscitatur Iupiter causam tarditatis. Illa ait, οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος: Domus dulcis, domus optima: scilicet, fuit lentitudinis causa. Ex quo indignatus Iupiter, affecit eam hac poena, ut domum semper circumferat. Graeci χελώνην vocant. unde *Chelonophagi* dicti populi testudinum carne vescentes: quarum tanta magnitudo est, ut singularum superficie habitabiles casas integant, et his navigent cymbis. Proverbium Graecum est, ἢ δεῖ χελώνης κρέα φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν. Quod significat: Ex carne testudinis vel multum edendum, vel nihil edendum, quoniam modica in cibis dolores intestinorum facit, copiosa purgat et sanat. A testudinis similitudine dicitur testudo in aedificiis. Virg. *— media testudine templi.* *Testudinatum aedificium*, fornicibus structum, qualia sub septentrione facienda esse praecipit Vitruvius in 6. In machinis bellicis *testudo* est arietaria cognominata: in qua (ut ait Vitruvius in 10.) suspensus erat aries, quae auctore

Vegetio, vocabulum sumpsit à similitudine verae testudinis: quia sicut illa modo reducit, modo educit caput: ita machinamentum bellicum interdum reducit trabem, interdum exerit, ut fortius feriat. *Testudo* quoque apud poëtas pro cithara usurpatur.

Ibid. INFIMUM DEJECTUS.] in infimam partem. Adverbium est. *Infimatis* dicitur, qui in imo est: sicut *summatis*, qui in summo. Plaut. *Infimatis infimus.*

Ibid. OPERIOR.] expecto, attendoque.

Ibid. ALTIORIS AETATIS.] magnas natu, longaevas, quarumque aetas vergebat in senium.

Ibid. PANTHIA.] Modo nomen est magae. alias Panthia foemina fuit speciosissima, et uxor Abradatae, cuius amore captus Araspas urebatur intimus. quae historia facundissime latissimeque perscribitur à Xenophonte in Paedia. Ob hoc nos, in libello Erotico atque Venerio, sub nomine Panthiae amicam, immo dominam celebravimus.

Ibid. CARUS ENDOSMYON.] Ironicôs pronunciandum videtur, et legendum *Hedyosimion*, quod Graece significat dulciculum: nomenque est amatori conveniens, sicut a Plauto blandimenti causa dicitur *dulciculus caseus.* Praeterea ἡδυσμὸν, vocant mentam, herbam hortensem, odoratam iucundamque, ut inde nomen amatoris derivari posse videatur: tanquam odoratus suavisque animae sit, ut menta est, cuius odor, ut ait Plin. in 20. animum excitat, et sapor aviditatem in cibis. Usus est Plin. hac dictione aliquot in locis. Subiiciam quod suppetit ad praesens, illud ex 35: *Utuntur et ad quartanas bitumnis drachma hedyosmi pari pondere, cum myrrhae obolo subacti.* Quid si legas *Charus Endymion:* ut ita appelletur amator, propter Endymionem illum famigeratum, quem Luna dilexit. De quo Propertius:

Nudus et Endymion Phoebi cepisse sororem
Dicitur, et nudae concubuisse deae.

Sunt auctores, Endymionem primum hominum deprendisse naturam Lunae multiformem, et ob id amore eius captum fama proditum. Lego apud eundem Plinium in 13. *Hedysmata* dici unguenta pretiosa: ad quem intellectum non absurde referri posset hic sensus, ut *Hedysmion* vocetur nomine unguenti, perinde ac suavissimus amasius, pretiosissimusque.

Ibid. CATAMITUS MEUS.] Ganymedes meus, delicium meum. Nam dixerunt *Catamitum* veteres pro Ganymede, qui fuit Iovis concubinus et deliciolum. auctor Festus. Hinc Lactantius lib. I. *rapuisse dicitur in aquila Catamitum.* Plaut. in Menaechmis: *Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adonium.* Servius quoque Grammaticus pueros meritorios, qui corpore prostituto quaestum faciunt, Catamitos interpretatur. Hinc illa atrox M. Tullii in M. Antonium peroratio: *O hominem nequam (quid enim aliud dicam magis proprie, nihil possum dicere) Ergo te ut catamitum, neque opinato cum ostendisses, praeter spem mulier aspiceret? idcirco urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbasti.*

Ibid. ILLUSIT AETATULAM.] *Illudo tibi*, dicimus proprie per dativum: *Illudo te* figuratum est, si credimus Servio, ita scribenti in enarratione illius Virgiliani: — *verbis virtutem illude superbis.*

Ibid. AETATULAM.] Lepide dixit *aetatulam*, quae est puellarum: cum ipsa esset vetula, atque annis obsita, sed quae tamen appeteret lusus amoresque puellares. M. Varro: *Properate vivere puerae, quas sinit aetatula ludere, esse, amare, et veneris tenere bigas.* à Varrone *puerae* dicuntur, pro puellae, ex prisca locutione.

Pag. 46. SUBTERHABITIS.] vel furtim usurpatis; vel posthabitis, et per contemtionem conculcatis.

Ibid. DIFFAMAT PROBRIS.] infamat conviciis probrosis.

Ibid. FUGAM INSTRUIT.] parat. Veteres dicebant *Pedem struit*, pro fugam parat.

Ibid. ULYSSI ASTU.] Comparat Socratem, amoris sui desertorem, Ulyssi, qui Calypsonem deseruit, domuitionem ad Penelopem desideranter capessens. *Ulyssi* autem casu patrio, hoc est genitivo, dixit, sicuti veteres usurparunt, apud quos *Ulysseus Ulyssei* proferebatur, ut docet Priscian. in II. Horatius:

Remigium viciosum Ithacensis Ulyssei.

Ovid.

Neritius Machareus comes experientis Ulyssei.

Ex quo videtur scribendum esse *Ulyssei*, et per syncresin proferendum: nisi dicere velis *Ulyssi* pro *Ulyssis*, sicut Virg. dixit *Achilli* pro *Achillis*, euphoniae causa detracta *s* litera: quae plerunque (ut ait Servius) pro sibilo habetur, et apud veteres detrahebatur. Quintilian. in I. sic genitivos *Ulyssi* et *Achilli* fecit, sic alia plurima.

Ibid. ASTU.] ἄστυ Graeci vocant civitatem, ut Homerus persaepe. sic Athenienses vocabant urbem suam, ut ait Donatus, et indicat Terentius in Eunucho, cum ait, *An in astu venit.* Probus quoque Aemilius in Alcibiade: *Postquam astu venit, concione advocata verba sic fecit.* Hinc *astutiae*, *astus*, *astuti* dicti: quoniam qui in urbibus degunt, callidiores sunt in agro degentibus. Interdum *astu* pro *astute* ponitur, et est adverbium: nunc vero nomen. *Astutissimum* autem fuisse Ulyssem, callidissimumque mortalium, quis ignorat? qui a Virgilio *scelerum inventor* dictus, ab Homero *polytropos*, à varietate scilicet morum, ingenioque versatili; cuius vita nihil aliud fuit quam versutiarum conciliabulum, et dolorum officina; qui technarum architectus totus

totus erat ex fraudibus astutiisque conglutinatus.

Ibid. CALYPSONIS.] Usus antiquorum Latinorum comprobat, dici *Didonem*, *Ionem*, *Calypsonem:* contra rationem Graecam declinandi, quae *Calypsus* pro *Calypsonis*, *Calypso* pro *Calypsonem:* Priscianus auctor in sexto, qui utitur auctoritate Livii Andronici, à quo in Odyssea scriptum est, *apud nympham Athlantis filiam Calypsonem.* quamvis Phocas Grammaticus reclamet huic declinationi. Caesar quoque *Calypsonem* ita dicebat, ut Iunonem, media scilicet producta: sed (ut auctor est Quint.) auctoritatem consuetudo superavit. Fuit autem Calypso, ut ait Homerus, filia Athlantis: quae δῖα θεάων, hoc est, generosa dearum, in insula Ogygia σπέσιν ἐν γλαφυροῖσιν, id est, in antris voluptariis concavisque Ulyssem retinebat amorabunda: quem iussu Mercurii abire, et in patriam redire permisit, quamvis invita et gemebunda: et ita in solitudine relicta, dolenter tulit abitum Ulyssis. Ovidius: *Ah quoties illum doluit properare Calypso.*

Ibid. GRABATULO SUCCUBANS.] subiacens.

Ibid. FAXO.] faciam, verbum vetus.

Pag. 47. IMMO STATIM.] Correctio est.

Ibid. PRAECEDENTIS DICACITATIS.] qua usus erat Aristomenes, appellando scilicet scortum ipsam Meroën.

Ibid. ACCEPI.] audivi *Sudore frigido.*] Inter signa aegrotantium est frigidus sudor, ut inquit Corn. Celsus in secundo: peior, si in capite et cervice tantum eruperit, ut refert Hippocrates in Prognosticis. Virg. in Georgic. *Sudor et ille quidem morituris frigidus haeret.* Item: *Frigidus e toto manabat corpore sudor.* Haud absimile est illud Plautinum: *Non temere est quando qui sudat tremit.*

Ibid. TREMORE VISCERA QUATIOR.] Metuentibus cor, cui est viscerum principatus, cum primis palpitare consuevit. unde Plaut. *Continuo meum cor coepit artem facere ludicram, atque in pectus emicare.* Idem in Casina festivissime inquit: *Cor lienosum opinor habeo, ita iamdudum salit de labore*, etc. Scribit Aristot. in problematis encycliis, metuentes tremere, quoniam deficit calor atque contrahitur: ex quo fit, ut alvus plerisque ob timorem solvatur. Hinc illud Satyrographi: — *solvunt tibi cornua ventrem Cum lituis audita.* Ventrem quoque eorum qui metuunt crepere solitum, idem refert.

Ibid. SUCCUSSUS SUM.] sursum excussus, agitatusque prae formidine. *Succutere* enim et *succussare* est, frequenter excutere succum. unde *succussores* et *succussatores* equi dicti, qui sessorem concutiunt et vexant ex gradu molesto et incondito, dissimiles gradariis, quorum mollis est gradus, et sine succussatura. Lucilius: *Succussatoris tardi rarique caballi.* Idem: *Campsanus sonipes succussor nullus sequitur.* Hinc et *succussatura* dicta ipsa agitatio vexatioque, quae fit ab equo succussore: gressum quoque ipsum talis equi significat.

Ibid. AT BONA.] Ironicôs. Terent. *Ille autem bonus vir nusquam apparet.*

Ibid. BACHATIM DISCERPIMUS.] dilaniamus, more ritque bacchantium, quae furore bacchico exstimulatae, olim Orphea discerpserunt, et Penthea obtruncarunt. Orgia enim Bacchi fiunt à bacchantibus, hoc est, furentibus foeminis, unde ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id est, à furore, orgia dicta sunt: unde et à bacchantibus Bacchum dictum esse autumat Diod. Inde *bacchari* significat furere. Virg. 4. Aen. *Saevit inops animi, totaque incensa per urbem Bacchatur*, id est, ut exponit Serv. *furit more bacchantum.* Loca quoque in quibus sit debacchatum, bacchata dixerunt. Virg. in 2. Georg. — *et virginibus bacchata Lacenis Taygeta.* Plaut. in Aul. *Bacchanal* vocat locum furoris et vesaniae, sic scribens: *Ad bacchas inveni bacchanal coquinatum.* et mox paulo: *Aperit bacchanal, adest.*

Ibid. MEMBRIS DESTINATIS.] deligatis. prope peculiariter significat hoc apud Appuleium id verbum *destinare*, sicut infra frequenter. Interdum *destinare* significat emere, et idem quod *praestinare*, Lucilio et Plaut.

Pag. 48. RE AB SE.] Corrigo, *reapse:* hoc est, re ipsa, ut veteres dicebant. Pacuvius: *Si non est ingratum quod reapse feci.* Sensus est: Ex re ipsa, inquit, magis quam ex fabula Socratis sermocinatione, cognovi Meroën merito nominari à mero, scilicet cuius esset avidissima. *Hic.*] Aristomenes.

Ibid. SALTEM.] Particulam hanc *Saltem* quidam autumant, si aliter: idque ipsum dici pro defectione. tanquam plena sententia sit: si aliter non potest. Fuerunt et qui dicerent, *saltem* dici, *U* media litera extrita, *salutem* ante dictum, quod nos *saltem* diceremus. nam cum alia quaedam petita et non impetrata sunt, tum solemus (inquiunt) quasi extremum aliquid petituri, quod negari minime debeat, dicere, Hoc saltem fieri aut dari oportere: tanquam salutem postremo petentes, quam et impetrari certe et obtineri sit aequissimum. Sed haec A. Gellio videntur esse commentitia, ideoque lib. 11. censet amplius quaerendum. *Miselli huius.*] Socratis.

Ibid. CONTUMULET.] sepeliat. *Humo.*] Antiquissimum sepulturae genus id fuit, ut humo iniecta corpora contegerentur. Redditur enim terrae corpus, et quasi operimento matris tegitur. unde *humati* dicuntur, humo contecti: *sepulti* vero, et *siti*, quoquomodo conditi. Locus autem ipse nihil habet religionis, priusquam iniecta gleba est tumulis. et tunc *humatus* vocatur, et religiosa iura complectitur. auctores Plin. et M. Tul.

Tullius lib. 2. de Legib. Hoc genus sepulturae tetigit Virg. illo versu:

Eripe me his invicte malis, aut tu mihi terram
Iniice, namque potes.

In eandem sententiam est illud Horatianum: *Licebit iniecto ter pulvere curras.*

Ibid. PER IUGULUM SINISTRUM.] Plin. in 11. *Terrestrium*, inquit, *solus homo bipes, uni iuguli, uni humeri, caeteris armi.* Duplex autem est iugulum: dextrum et sinistrum. Corn. Celsus in 8. *A dextro iugulo, si id fractum est, ad alam sinistram: à sinistro, ad dextram, rursusque sub ala sua fasciari debet.* Ovid.

Perque latus summum iugulo est exacta sinistro.

Et quia iuguli locus maxime mortifer est, inde fit *iugulare*, quod non solum de ferro dicitur, sed etiam de morbo. Idem Celsus: *Quartana neminem iugulat.* Quid sit *petere iugulum* in causis forensibus, in commentariis Suet. leges explanatum.

Ibid. CAPULO TENUS.] Sic. Virg.

— et lateri capulo tenus abdidit ensem.

Est enim capulus, manubrium gladii, ex eo dictus, quod manu capiatur. Tradit Plin. Indos ex sardonyce gemma capulos factitare. Capulum quoque veteres dici voluerunt sarcophagum, id est, sepulchrum, quod corpora capiat. Plaut. in Asin. *Ut osculatur carnifex capuli decus.* et dicit mox Appul. in 4. *Ibi capulos carie et vetustate contectos, quos inhabitant pulverei mortui.* Inde *capularis senex*, capulo dignus, et capulo proximus. Lucilius: *— Incedit capulare cadaver.* Idem Plaut. *capulare stamen* appellat filum Parcarum, pertinens ad senem et Acheronticum hominem. sic enim ab eodem vocatur, qui iam iam Acheronta et manes est ex senio petiturus. Quidam capulum accipiunt pro feretro, quo cadavera efferuntur.

Ibid. UTERCULO.] pusillum utrem significat, sive vesicam. Similiter Plin. uterculos vocat in apibus, ventriculos, in quos congeritur mellis liquor acris.

Ibid. STILLA.] gutta. Interrogatus Rhemnius Palaemon, quae differentia foret inter guttam et stillam: *Gutta*, inquit, *stat: stilla cadit.* *Stillaticiam* resinam vocant, quae ruffo colore lentescit: ex eo opinor, quod guttatim distillaret.

Ibid. A VICTIMAE RELIGIONE.] In imolatione victimarum solet victimarius viscera interiora educere, ut aruspex ex eorum contemplatu ac inspectione praenoscat praedicatque futura. Quod disciplinae genus aruspicinam vocant, et extispicium. Itidem nunc, tanquam aruspicina fiat, expromitur ex interioribus visceribus cor Socratis, sicut ex victima revelabat aruspex.

Pag. 49. CONTUBERNALIS MEI.] Socratem significat, cum quo sibi contubernalitas erat. sic enim Cyprian. appellat ius contubernii.

Ibid. PROTULIT.] extulit in apertum, et ex penitioribus praecordiis exprompsit.

Ibid. TELI.] modo gladium significat, ut apud Virg. Silium, et caeteros poëtas frequenter usurpatur. alias *telum*, quicquid longe iaci potest, ἀπὸ τοῦ τηλόθεν: et ut scriptum reliquit Caius iurisconsultus ex interpretatione legum 12. Tabularum, teli nomine significatur omne quod manu mittitur: unde lignum et lapis, et ferrum hoc nomine continetur.

Ibid. SPIRITUM REBULLIRET.] quasi per bullas aestuantes refunderet. *Ebullire* est feruescere, et *rebullire* referuescere.

Ibid. SPONGIA EFFULCIENS.] Septimus casus est, et significat Panthiam spongia obturasse occlusisseque ipsum vulnus. *Offulcire* enim est, fulciendo sarcire, implere, obturare.

Ibid. SPONGIA IN MARI NATA.] Spongiarum tria genera celebrant scriptores. nascuntur in petris: fracturae et vulnera spongiis utilissime foventur: vulnerum inflammationibus imponuntur, sanguinis profluvium sistunt ex aceto aut frigida. Medici Africanas laudant, quarum firmius sit robur: et Rhodiacas, quae ad fovendum molliores sunt, Poly. auctor est, super aegrum suspensam spongiam quietiores facere noctes. de his satis multa Plin. in 9. et 31. qui spongiam animal esse autumat, et inter aquatilia marina percenset. Sensus Appuleianus est. Ait Panthia: o spongia, quae marina es, noli transire per fluvium: hoc est, cum ad amnem bibendi causa accesserit Socrates, egredere et exili, ne aqua amnica sive fluviali contingaris: quod infra factum esse monstrabitur. A *spongia* verbum fit *spongiare*, quod significat spongia extergere: quo frequenter utitur Apitius.

Ibid. VARICUS RESIDENTES.] Adverbium est significatque cruribus divaricatis, divisisque: quod fieri solet à foemina micturiente. *Varicare* enim est, crura aperire, disiungere, extendere, et diversum separare. Quint. in 11. *Varicare supra modum et stando deforme est, et accedente motu prope obscoenum:* inde *varica foemina* dicta ab Ovid. quae non tam incedit quam ambulat gradibus praegrandibus gradiens: quod foeminam parum decet. Versus Ovid. ex poëmate Erotico hic est:

Ambulat, ingentes varica fertque gradus.

Divaricare quoque significat distendere, et in diversum separare: quod à prostitutis meretricibus fit. Hinc ait Hier. in epistola ad Eustach. *Divaricabit pedes suos omni transeunti*, quod transtulit ex Ezechiele propheta, qui in Instrumento veteri sic inquit: *Divisisti pedes tuos omni transeunti, et multiplicasti fornicationes tuas.* Marcel. *Cruribus innexit divaricatum sine spiramento ullo adusque praetorium traxere praefecti.* *Vari* quoque dicuntur homines obtortis plantis. unde et *varices venae* dic-

dictae in suris, inversae vel obtortae, ut Nonius M. refert. M. Varro lib. 2. de re Rust. scribit, *canes esse debere cruribus rectis, ac potius variis, quam vaciis.* idem M. Varro lib. 5. Latinae linguae: *Si quis puerorum*, inquit, *per delicias pedes male ponere atque imitari vacias coepit, hos corrigi oportere, si concidat: contra si quis consuetudine ambulandi iam factus sit vacia, aut compernis. Vaciae* autem (ut id quoque Varronianum verbum obiter explicemus) contrarii sunt variis, et in exteriorem partem inflectuntur. Hinc *vaciae* apud Rom. cognominati, ut refert Plin. quorum scilicet crura erant obtorta. et Seneca in epistolis moralibus meminit cuiusdam Servilii Vaciae, qui nulla alia re, quam otio notus, in villa consenuit: et hoc unum felix habebatur, de quo dicere solebant homines synchroni, hoc est, contemporanei: *O Vacia, tu solus scis vivere. Valgum* etiam intortum a veteribus dictum, et *vatrax* et *vatricosus*, qui erant pedibus vitiosis.

Ibid. VESICAM EXONERANT.] Onus vesicae est lotium sive urina, quae exoneratur micturiendo. Omnia animalia quae vesicam habent, alvum etiam habent, at vero quae alvum habent, non et omnia vesicam possident. Humidi excrementi conceptaculum vesica est, sicci alvus: auctor Aristot. in 1. de Animalibus. *Vesicae foeminarum*, ut ait Plinius, *iunctus uterus est, quam vulgo matricem vocant.* vesicae morbum stranguriam appellant: quo vesica exonerari non potest, et aegre lotium it, fitque *substillum*: ita enim appellat Cato urinae difficultatem.

Ibid. MADORE.] Nomen est a *madendo* inclinatum, ut *fluor* à *fluendo*. Sed autem profluvio urinae, veluti per syphones emanantis, madefactum significat.

Ibid. COMMODUM.] vix tunc, tunc, eoque ipso temporis momento. id enim significat hoc adverbium, ut supra demonstravimus.

Pag. 50. POSTES AD REPAGULA REDEUNT.] In ostio duo sunt postes, qui cardinibus continentur, et repagulis clauduntur. sunt enim *repagula*, quae patefaciendi gratia ita figuntur, ut contrario pangantur. haec et *repages* dicuntur M. Tul. in primo de Divin. Herculis valvae clausae, repagulis subito seipsae aperuerunt. inde *repagula* pro omnibus claustris obicibusque usurpantur. Lucanus de equo cursore loquens,

— *Pedibusque repagula laxat.*

Ibid. ETIAM NUNC.] Nitidior lectio est, et tersior, *Etiamnum:* quod veteres usurpant pro etiam, qua dictione scatet Plinius.

Ibid. INANIMIS.] quasi sine anima, nulla respiratione, nullo anhelitu, qui indicat animal viuere. Argumentum enim apud Dialecticos est et oratores, quod recurrit, et retrorsum idem valet: ut, Vivere hominem qui spirat, et spirare qui vivit. *Inanima* veteres dici voluerunt, quae sine anima sunt, nec spirant: vulgo *inanimatum* vocant, Graeci ἄψυχον. M. Tullius: *Quae ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanima, ut aurum et argentum:* sic et homo inanimis, qui sine anima et spiritu est vegeto et vitali. tales sunt intermortui, et ingenti pavore perculsi. talem fuisse se significat Aristomenes.

Ibid. ET LOTIO PERLITUS.] urina perfusus. lotium enim urinam veteres dixerunt. Columella: *Stercore suillo et humano lotio veteri radices rigato.* Suetonius in Vespasiano: *Haec è lotio est. Perlitus* autem ea figura dicitur, qua *illitus* et *delitus:* sicut enim à *delino delitum* nascitur, quod grammatici Probus et Caper comprobant, sic ab *interlino interlitum* inclinatur. M. Tul. *Tulit moleste, quod literae delitae sunt mihi à te redditae.* Idem in quarto Verrinarum: *Tabulae sunt in medio, quae se corruptas atque interlitas esse clamant.* Ulpianus tit. ad legem Aquilam de falsis legis Corneliae poena damnari scribit eum, qui testamentum deleverit, *interleverit*, resignaverit dolo malo.

Ibid. QUASI RECENS.] Modo adverbium est, pro *recenter*: alias nomen. Virg. in Georgicis:

Sole recens orto, aut noctem ducentibus astris.

Exposuit Servius, *recens*, *statim.* Divus August. in lib. de grammatica, citat hoc Maronianum, et exponit recens: *id est, recenti tempore.* Verbum est vetus *recentare*, quod significat renovare, et iterum fieri recens: ut Nonius Gelliusque notificant. Hinc illud Cn. Marii in Mimi iambis: *Iam iam albicascit polus, et recentatur.*

Ibid. UTERO MATRIS EDITUS.] Significat se ita madentem fuisse, sicut infantes sunt, cum primum ex utero materno egrediuntur, involuti secundis rubentes, scilicet erumpente menstruo, et pariter profluvio sanguinis pariter egredientis. Hinc illud Satyrici poëtae:

— *modo primos incipientem*

Edere vagitus, et adhuc à matre rubentem.

Albius imperator, auctore Iulio Capitolino, exceptus est utero candidissimus, contra consuetudinem puerorum qui nascuntur, et solent rubere. unde Albius est dictus.

Ibid. SUPERVIVENS.] *Supervivere* is dicitur, qui cum iam mortuus videretur, refocillatus respiravit ac veluti revixit.

Ibid. ET POSTHUMUS.] Eleganter se *posthumum* sibimet ait fuisse Aristomenes, tanquam post mortem renatus sit: sicut *posthumos* illos vocant, qui post mortem patris nascuntur, quasi post humationem parentis nati sint, ut interpretatur Servius, enarrans illud Virgilianum e sexto Aeneidos:

Sylvius Albanum nomen, tua posthuma proles.

Ce-

*C*eselius tamen in commentario lectionum antiquarum: *Posthuma*, inquit, *proles non eum significat, qui patre mortuo, sed qui postremo loco natus est.* Ceselium refellit A. Gel. libro secundo noctium Atticarum. Hinc fit verbum *posthumare*, quod significat postremo loco esse, quasi post humationem antecessorum. Tertullianus in apologetico ait: *Caeteri quoque Moysi posthumant*: id est, Moysi posteriores sunt. Sidonius Apollinaris decenter *posthumam* dixit *aetatem*, pro postera et sequente.

Ibid. Candidatus.] Sicut *candidati* dicuntur petitores magistratuum, à toga candida, quam petitores induebant: ita *candidatus crucis* eleganti translatione dicitur is qui petit crucem: hoc est, qui futurus est iamiam crucifixus, et (ut veteres dicebant) *directus*. à Quint. dicitur *candidatus eloquentiae*, qui eloquentiam auspicatur. Ab altero seniore Quint. *candidata sacerdotii*, quae petit sacerdotium à Hieronymo *candidatus fidei*, qui ad fidem instruitur: à Plin. panegyrisi, *candidatus gloriae et immortalitatis*. De candidatis, et tota candida affatim scripsimus in primo Tranquilli commentario. Unde munus candidatorum M. Tullio dictum, pro omni officio et labore petitorio. et Plautino sale *crucisalus* dictus candidatus crucis, quasi in crucem saliens.

Pag. 51. Paruerit.] visus fuerit, comparuerit. nam *parere* idem est quod apparere, alias obsequi.

Ibid. Verisimilia dicere.] Ex disciplina rhetorica etenim narratio fit verisimilis, credibilisque. sunt enim plurima, ut ait Quintilianus in quarto, vera quidem, sed parum credibilia, sicut falsa quoque frequenter verisimilia.

Ibid. Proclamares saltem suppetiatum.] Prosopopoeia, quae Latine conformatio appellatur fit autem haec figura, cum aliqua quae non adest persona confingitur quasi adsit, et ei oratio attribuitur. ut hoc in loco verba memorantur, quae dici possent ab adversariis ita argumentantibus, socium ab Aristomene fuisse interfectum, tanquam sic culpantes dicant: Debuisses saltem, si vera autumas, inclamare auxilium, et suppetias. nam *suppetiatum* dixit, pro auxiliatum: et *suppetiae* dicuntur auxilia, et *suppetiari* est auxiliari. supra quo verbo satis multa in decimo Tranquilli commentario. ubi ait: *Consularem suppetias ferentem rapta aquila fugaverunt.* Ubi exposuimus, *suppetiatum* posse inclinari tanquam nomen quarti ordinis: ut *arbitratus*, ut *allegatus*, ut *sacrificatus*, ut multa consimilia inclinantur.

Ibid. Vir mulieri nequibas.] Antitheton est: quasi dicas, fortis imbelli, robustus infirmae. parum enim probabile argumentum est, virum à foemina vinci, cum mulier naturaliter imbecillis sit et meticulosa: vir vero robustior et audentior. unde vir nominatus est, quod in eo maior vis est quam in foemina: et hinc *virtus* nomen accepit, ut docet Lactantius in libro de Opificio Dei. Item *mulier* à Varrone interpretatur, à mollitie dicta. Ob hoc ait Aristoteles in Problematis: *Mulierem interfecisse iniquius esse quam virum, quamvis mas foemina praestantior sit: quia scilicet foemina imbecillior est, id est, minus facere iniuriam potest.* item, *Eniti adversus id quod longe infirmius est, nihil virile, immo stolidum atque iniquissimum est.* Hoc signare voluit Aeneas Virgilianus, cum ait:

— etsi nullum memorabile nomen
Foeminea in poena est, nec habet victoria laudem.

Pag. 52. Vel propter indicium.] Sensus est: si contubernalis tuus, ut asseris, interfectus est crudelitate foeminea, cur eadem crudelitas te quoque non peremit, vel ob hoc, ne tu, arbiter et contemplator sceleris patrati, posses indicare auctores homicidii?

Ibid. Arbitro.] speculatori, inspectorique homicidii. *Arbitrari* est inspicere et speculari: Plaut. in Captivis: *Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant.* *Arbiter* dicitur iudex, qui rei arbitrium habet et facultatem. *arbitrium* dicitur sententia, quae ab arbitro statuitur. et *arbitrari* est iudicare, ut apud iurisconsultos tit. de receptis. *Arbitrarium* vero, cum adhuc res apud arbitrum geritur. De arbitri iudicisque differentia, non indiligenter scripsimus in commentariis Tranquil. et docet M. Tul. in oratione pro Roscio Comoedo.

Ibid. Nunc illo redi.] scilicet ad mortem regredere, quam evasisti.

Ibid. Identidem.] frequenter, subinde.

Ibid. Anteluculo.] hora antelucana, hoc est, matutina, et ante Solis exortum. Adverbium est. Iustinus in primo ait: *Antelucano tempore ruri iter ingressus Cyrus, obvium habuit servum de ergastulo.* Refert Plin. mel venire ex aëre *sublucanis temporibus*, intelligi volens, hora matutina, quae sub lucem et auroram est. Terent. in Adelphis: *Cras rus cum filio cum primo lucu ibo hinc.* ubi exponit scienter Donatus, quod veteres dicebant *lucum* pro *luce*, masculino genere, ponentes pro Sole. Sicut ergo apud Terent. *cum primo lucu* significat, cum primum Sol coeperit illucescere: ita *anteluculo*, quod adverbium est, significat, antequam lux oriatur, et Sol tenebras illuminet: sicuti *diluculo*, cum iam dilucescit. *Diluculum* enim est, ut Macrob. docet, cum iam incipit dignosci dies.

Ibid. Licet trepido.] quamvis titubanti, vel potius propero: cum formido homines volaticos faciat, et pennatos.

Ibid. Sumo sarcinulam meam.] Quod Lucianus dicit Graece τὰ σκεύη, id Appuleius *sarcinulam* appellat.

Ibid.

Ibid. PESSULOS REDUCO.] ostium cubiculi repando, quod reductis retractisque pessulis fit. in Cantico legimus, *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo:* id ridicule exponit, et cum delirio, Nicolaus de Lira, pessulum esse ostiolum in magno ostio.

Ibid. DESERATAE.] reseratae, patefactaeque.

Pag. 53. VALVAS STABULI ABSOLVE.] Verba sunt Aristomenis, stabularium inclamantis, ut ianuam stabuli adaperiat, quae ex valvis constat. Sunt autem *valvae* ex eo dictae, ut Varro et Servius interpretantur, quod revolvuntur et se velant. *absolvere valvas* est, liberare à claustris, repagulisque, quibus alligatae continentur: translatio à debitore.

Ibid. ANTELUCIO.] Adverbium est, idem significans quod *anteluculo*, de quo iam dictum est. sed hoc quasi *ante lucum*, sicut veteres usurpabant: illud quasi *ante lucem*, videri potest inclinatum.

Ibid. PONE.] post, quod gravi sono antiqui enunciabant, differentiae causa.

Ibid. SEMISOMNUS.] semisopitus. sicuti *exanimus* dicitur et *exanimis*, *inermus* et *inermis*, ita *semisomnus* et *semisomnis*, secunda et tertia declinatione.

Ibid. HOC NOCTIS.] hac hora nocturna, hoc tempore. vetus locutio est. Plaut. in Amphitrione: *Qui hoc noctis solus ambulem.*

Ibid. FACINORIS CONSCIUS.] *Scius* et *conscius* hoc differunt, quod *scius* secum, *conscius* cum alio scius est: ut docet Nonius. cui subscribunt Iuven. cum ait: *Quis nunc diligitur nisi conscius?* et Mar. *Vis fieri dives Bithynice, conscius esto.* Sed *conscium* indifferenter positum legimus, ut hoc loco: namque hic *conscius* accipitur pro eo, qui secum scius est flagitii.

Ibid. NOS CUCURBITAE CAPUT NON HABEMUS.] Veluti proverbialiter significat, capita hominum non esse vilia, objiciendaque trucidationi: sicuti cucurbitae caput, quae inter hortensia vulgaris est et plebeia. Plin. lib. 22. tradit esse genera cucurbitarum: camerarium, quod levi umbra cameras ac pergulas operit: alterum plebeium, quod humi creditur. Videtur Appuleius veluti alludens festiviter id dixisse, quia seminosae sunt cucurbitae, et ita appellantur ab Ovid. in Priapeis: ex quo fit, ut singula semina singulae quasi animae cucurbitarum videri possint. ex quo fit, ut cucurbita vicariam et quasi succedaneam pro aliena anima animam impendere possit, cum infinitas hoc pacto animas possideat, quod secus est in nobis. Cucurbitae quo longiores tenuioresque sunt, eo gratiores: semina quae proxima collo fuerint, proceras pariunt: quae in medio, rotundas: quae in lateribus crassas. auctores Colum. et Plin. A cucurbita fit *cucurbitarium*, accipiturque pro loco in quo cucurbitae seruntur: sicuti *cucumerarium*, ubi cucumeres. Esaias: *Sicut*, inquit, *tugurium in cucumerario.* Cyprianus usurpans hoc Esaiae testimonium, non dixit tugurium, sed (quod elegantius est) *custodiarium.* Hieronymus cucurbitarios vocat, veluti cucurbitae amatores: dum diluit ac refellit in epistola ab Augustinum, obiectam cucurbitae calumniam. *Cucurbitula* vero non tam parvam cucurbitam significat, quam vasculum illud quo medici utuntur ad sanguinis detractionem. Corn. Cels. in 2. *Usus*, inquit, *cucurbitulae praecipuus est, ubi non in toto corpore, sed in parte aliqua vitium est.* idque auxilium ut minus vehemens, ita magis tutum, nec unquam periculosum esse autumat. In hanc sententiam est illud Satyrographi poëtae.

— *vacuumque cerebro*
Iampridem caput hoc ventosa cucurbita quaerit.

Graeci *colocynthida* vocant cucurbitam. à Plin. *coloquintis* dicitur cucurbita sylvestris, quam minorem esse ait quam sativam.

Ibid. DE SUMMA PAUPERIE.] Pauperies immunda est, et mendicitas egestasque significatur. unde ait Horat. *Pauperies immunda procul domus absit. paupertas* vero, ut inquit Porphyrio, honestae parsimoniae nomen est, et usurpatur pro fortuna mediocri. Laudes paupertatis graphice Appuleius noster, ut omnia, specioseque perscribit in Apologia, ubi ait, paupertatem fuisse in Aristide iustam, in Phocione benignam, in Epaminonda strenuam, in Socrate sapientem, in Homero desertam. Alias *pauperies* damnum significat. quod satis liquet ex titulo illo apud iurisconsultos notissimo, *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.* Consimiliter apud Graecos πενίᾳ καὶ πτωχεία disparantur. cum appellatione πενίας paupertas significetur, πτωχείας vero ipsa egestas, mendicitasque: sicut apud Aristophanem claret, qui in Pluto ait πτωχείαν esse ἀδελφὴν, id est, sororem τῆς πενίας, et πτωχὸν, id est, egenum esse eum qui nihil habet, πένητα vero, id est, pauperem dici, cui suppetunt necessaria.

Ibid. NEC A DECEM PALAESTRITIS.] In hanc sententiam ait Hieronymus: *Nudus viator non timet latronis insidias.* quod transtulit ex illo vulgatissimo: *Cantabit vacuus coram latrone viator.* Consimiliter Plaut. in Asin. *Nudo detrahere vestimenta me iubes.* appellatione autem palaestritarum, robustiores exercitatoresque intelligi vult. sunt enim palaestritae magistri luctationis, et gnari omnis palaestricae exercitationis. Graeci πάλην vocant palaestram et luctam, unde *palaestritae*, autumat Servius, palaestram dici posse ἀπὸ τοῦ πάλλειν, id est, à motu urnae: quoniam ducti sorte luctabantur. luctatores in certamine palaestrico nudabant corpora, et oleo ungebantur: quod primi Lacedaemonii factitarunt, auctore Thucydide. *Apalaestros* Graeci vocant, ignaros palaestrae, de quibus M. Tul. in Ora-

Oratore: *Itaque qualis eorum motus, quos apalaestros Graeci vocant, talis horum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris sententias.* Domitianus *clinopalem* vocabat assiduitatem concubitus, veluti lecti palaestram. Papinius et Sidonius Apollinaris *palem* pro palaestra usurpant, Graeca dictione. quod uberius à nobis scriptum reperies in Tranquilli commentariis. Putat Quintilianus, ne illos quidem oratores reprehendendos esse, qui paulum etiam palaestritis vacaverunt. ubi indicat palaestritas non solum dici, qui vitam partim in oleo, partim in vino consumunt, qui corporum cura mentem obruunt: sed et eos quoque, à quibus motus gestusque formatur. De *palaestritis* magna est mentio apud Ciceronem in Verrinis.

Pag. 54. CONVECTORE.] Socrates significatur. *Convectores* dicimus eos, qui simul iter faciunt, simulque vehuntur: quae dictio proprie nauticorum est, qua iurisconsultus crebro utitur.

Ibid. DEVERTERAS.] in stabulum hospitiumque deveneras.

Ibid. ILLUD HORAE.] illa hora: id temporis, eo tempore, archaismos est. *Dehiscente.*] patente.

Ibid. CANEM CERBERUM.] Mythici fabulantur, canem Cerberum custodem esse aulae Plutonicae. de quo Silius: — *lachrymosae ianitor aulae.* quem latratu trifauci regna inferna personantem, Hercules ad superos traxerit reluctantem. Historici vero prodiderunt, et memorat Eusebius Chronographus, Orcum regem Molossorum habuisse canem ingentis magnitudinis, nomine Cerberum, qui Pirithoum ad raptum Proserpinae eius uxoris venientem devoravit. Grammatici terram interpretantur. De tricerbero causae nescio quid indictum dicit Fulgentius in Mythologiis.

Ibid. CRUCI ME SERVASSE.] ut perinde atque homicida, et Socratis contubernalis mei interfector, crucis supplicio afficerer.

Ibid. DE GENERE TUMULTUARIO MORTIS.] *Tumultuarium* dici voluerunt, quod tumultu quodam fit, et sine consultatione festinanter et incondite. A. Gellius *tumultuarium studium* nominat, quod raptim et per successiva tempora fit. *Oratio* quoque *tumultuaria* dicta, quasi extemporalis et tumultuose condita. *Tumultuarius dux* à Livio dicitur L. Marcius, tumultu militari creatus, non formula legitima. ita *tumultuarium genus mortis* nunc appellat Appuleius quod perturbate et tumultuarie paratur. est enim *tumultus* (ut docet M. Tullius in 8. Antonianarum, perturbatio tanta, ut maior timor oriatur. unde etiam nomen dictum est tumultus. ita maiores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus: tumultum Gallicum, quod erat Italiae finitimus, praeterea nullum tumultum nominabant. Gravius autem fuisse tumultum quam bellum, hinc intelligi licet, quod bello vacationes valent, tumultu non valent.

Pag. 55. AERUMNAS EXANCLASTI.] tot labores exhausisti et perpessus es: id enim est aerumnas exanclare. M. Tullius in prima Tusculana: *Quod cum exanclavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum. Anclare*, quod et *antlare*, verbo Graeco significat haurire: *exanclare* exhaurire. hinc *anclabra*, vasa quibus sacerdotes utebantur: et *anclabris*, mensa ministeriis apta divinis. Graeci ἀντλάω dicunt, pro haurio. unde et Latini *antlare* usurparunt, et ita potius legendum videtur *exantlare*, per literam *t* quam per *c*. Livius: *Florem antlabant Liberi ex carchesiis.* cum signare vellet, vinum ex poculis hauriri. Hinc *antlia* accipitur pro vase accommodo ad hauriendi ministerium, de quo Epigrammatarius: *Antlia tollit aquas.* Quo in loco labitur, opinor, interpres. Hinc Phreantles cognominatus est Cleanthes, eo quod puteos hauriret.

Ibid. ARBITER QUAE NOCTE.] subintellige, *eorum.* ut sensus integer sit, spectator earum rerum omnium quae gestae sunt noctu. quasi dicere velit, lectulum solum esse conscium suae innocentiae.

Ibid. IN MEO REATU.] accusatione, et causae dictione. Messala primus (auctore Quintiliano) *reatum* dixit. *Reus* autem, unde *reatus* nomen ductum est, is dicitur, qui causam dicit, qui arguitur: et item qui quid promisit, spopondit ve, ac debet. Gallus Aelius lib. secundo significationum verborum quae ad ius pertinent: *Reus est*, inquit, *qui cum altero litem contestatam habet; sive is egit, sive cum eo actum est.* In eadem sententia est Capito Atteius. *Reos olim*, ut refert M. Tullius in secundo de Oratore, *appellabant non eos modo qui arguuntur, sed omnes quorum de re disceptatur. Reum fieri quid est*, inquit Pedianus Asconius, *nisi apud praetorem legibus interrogari? Agi* dicitur reus, cum accusatur: *peragi*, cum damnatur: ut apud Tranquillum et Propertium explicatum est.

Ibid. ET CUM DICTO.] statim, vix talibus dictis, cum talia dixissem. frequens locutio apud Appuleium, et prope peculiaris in hoc significatu. proverbium Graecum est ἅμ' ἔπος ἅμ' ἔργον: quod dicitur de his qui ocyssime et *cum dicto* rem expediunt. sic enim interpretamur, simul verbum, simul opus.

Ibid. RESTIM.] funem, et proverbiale est apud priscos, *ad restim res redit:* quod, significat, res deperditas esse, et de suspendio cogitandum. In saltatione *restim ducere* dicuntur chori puerorum, puellarumque, manu conserti. ex quo sensu dictum est illud Terentianum: *Tu inter eas restim ductitans saltabis.* item Liv. in 27. *Per manus reste data virgines, sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt.* A reste fit ὑποκοι-

σειρτικῶς resticula. à qua similitudine, aliorum connexa capita restes dicuntur. Plin. in 20. *Allium ad serpentium ictus potum cum restibus suis.* *Resticula ficorum* Varroni decenter dicta est, sicut et vulgo nuncupatur. Quod autem lecti restibus et fasciis contineantur, indicat Porphyrio, explicans illud Horatianum: — *tenta cubilia, tectaque rumpit.* Lectum dici ait restibus sive fasciolis subtentum. A *reste* fit *restio*, accipiturque apud Plautum oppido quam decenter, pro eo qui se pensilem facit, laqueo restis strangulatus. sic enim in Mostellaria loquitur lanista: *Illi erant bucaedae potius quam ego sim restio.* quod significat, illi potius caedentur bubulis loris, quam ego me suspendam.

Ibid. TIGILLO.] trabi. à *tigno* fit *tigillum*. *Tigni* autem appellatione in legibus 12. Tabularum, omne genus materiae, ex qua aedificia constant, significatur. Idem docet Iurisconsultus tit. de tigno iniuncto. Praeterea *tignum invenies*, antiquitus dicebatur: quod et Festus docet. *Tigillum sororium* Romae fuit, ex eo dictum, quia transmisso per viam tigillo, Horatius sororicida adoperto capite veluti sub iugo missus est. Liv. auctor.

Ibid. ALTRINSECUS.] Adverbium est, quod hîc significare videtur, in altiore parte: cum alias ex utraque parte, ex utroque latere dicatur.

Ibid. OBDITA.] alligata, et firmiter apposita.

Ibid. FUNICULI.] Quam modo restim dixit, nunc funiculum nominat, diminutivum à fune. Quintilianus in 1. *Diminutio genus, ut funem masculinum esse funiculus ostendit.* *Napuras* prisci funiculos vocaverunt, ut in commentario sacrorum usurpatur, *Pontifex napuras nectito:* id est, funiculos facito. Illud adde, *funeta* dici in vineis, cum palmites inter se funium modo iunguntur, et arcus fiunt, quorum meminit Plin. in 17. Reperio apud auctores, Gratianum Valentiniani imperatoris patrem, appellatum esse *Funarium*, eo quod venalitium funem portanti quinque milites nequiverint extorquere.

Ibid. AD EXITIUM SUBLIMATUS.] ad subeundam ultroneam mortem sublevatus, ita ut pensilis fieri posset.

Ibid. FULCIMENTUM.] grabatulum significat, quo sustentabatur. *fulcire* enim sustinere est, et stabilire. *fulcimentum* et *fultura* pro stabilimento.

Ibid. Ad INGLUVIEM.] ad gulam. et proprie intelligit gurgulionem, sive asperam arteriam, qua spiritus ab ore in pulmonem, atque inde rursum in os et in nares ultro citroque semper commeat: quo tramite intersepto, homo statim extinguitur, cum spirare non possit. Ideoque ait Hippocrates in libro de Flatibus, triplici alimento corpora nutriri: cibo, potu, et spiritu: qui adeo corpori necessarius est, ut possit homo sine esca et potione multos dies vivere, sine spiritu vero intra breve tempusculum moriatur. Inde eleganter dixit, spiritum patrem esse et avum morborum omnium. Ob hoc dixit Corn. Celsus, visum esse Hippocrati, omne vitium in spiritu esse [i. e. aëre, ut saepe apud Hipp.] Plin. poenam laquei scite praeposteram vocat: quia scilicet includitur spiritus, cui quaeri debet exitus. Alias *ingluvies* significat ventris capacitatem, si credimus Servio, sic exponenti illud Maronianum:

Improbus ingluviem ranisque loquacibus explet.

Ego existimo ingluviem non tam ad ventris quam ad gulae capacitatem esse referendum: ex quo interdum accipitur pro gulonum helluatione, et voratrina. A. Gellius, *nomina, generaque edulium et domicilia ciborum profunda ingluvies investigavit.* Macrob. in tertio: *Nec contenta illa ingluvies fuit maris sui copiis.*

Pag. 56. DISCLUDERET.] excluderet, dissepararet, interciperet. Virg.

Tum durare solum et discludere Nerea ponto.

Lucretius: *Cum paribus iungi res, et discludere mundum.* M. Tul. *Semotas à mente et disclusas putat.*

Ibid. EXERTE CLAMITANS.] voce sublatissima. adverbium est, quod significat aperte et denudate, qualis est vox sublatior. *Exerere* et *exertare* significat nudare. Quadrigarius in annalibus: *Gallus irridere coepit, atque linguam exertare.*

Ibid. STRATIS INVOLUTUS.] Extrinsecus subintelligendum, *Es.* ut integrum sit, stratis involutus es, et nunc quiescis in lecto.

Ibid. ABSONO.] barbaro, incondito, agresti vociferatu. hoc enim est absonum. Qui ait absonum dici, parvi et fere nullius soni, fallitur. Quod hic ait *clamore absono*, post etiam paulo dicit *Vasto:* ut absonus et vastus clamor idem significetur.

Ibid. NE IMMERITO.] num immerito.

Ibid. HOSPITES.] adventores, qui à stabulariis stabulo hospitioque recipiuntur.

Ibid. MARCIDUS.] vinolentus et ebrius. *Vina* quoque *marcida* dici, quod marcidos faciant homines, testis est Papinius, qui ait in Sylvis: *Illi marcida vina largiuntur.* à Martiali quoque *marcentes uvae* dictae sunt. epitheton est Bacchi, quem *marcidum* poëtae cognominant.

Ibid. COMES ET PATER MEUS.] Nomina sunt affectus nostros testantia, quibus Aristomenes Socratem contubernalem suum appellat.

Ibid. CUM DICTO.] ab his verbis.

Ibid. OLORE.] odore et foetore: ab *oleo* dictum. Alias *olor* significat cygnum. *Spurcissimi humoris.*] urinae, sive lotii.

Ibid. INFECERANT.] foedaverant, maculaverant. *Inficere* enim significat tingere: inde *infectum*, tinctum: *infectores*, tinctores: *infectus*, ipsa tinctura. ex quo *infectum* dicimus pollutum,

et

et maculosum maculis ineluibilibus. Seneca: *Vitiis*, inquit, *infecti sumus*. Alias *infectum* dicitur non factum, ut illud:

— sunt auri pondera facti Infectique mihi.

et illud Plautinum proverbiale: *Quod vis fieri factum est, fieri infectum non potest.*

Ibid. LAMIAE.] Lamias prisci magas et voratrices puerorum vocant. Horat. in arte poëtica:

Neu pransae lamiae puerum vivum extrahat alvo.

Λαιμὸς Graece dicitur ingluvies, unde lamiae dictae, ut autumat Porphyrio. unde et lamiae voragines; de quibus idem Horat. in epistolis: *Viribus uteris per clivos, flumina, lamas.* Graeci scribunt, lamias terriculamenta esse puerilia, quibus oculi sint exemptiles. Philostratus in Apollonio ait, lamias à quibusdam larvas et lemures appellari, esseque ad amorem et venerem propensas, et carnes humanas, maximeque formosorum esurienter appetere: qui libidinis cupiditate alliciant eos, quos postea cupiant devorare. Talem lamiam Apollonius Tyanaeus olim Corinthi deprehendit. In instrumento veteri ait Hieremias: *Lamiae nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos.* quo in loco non pro foeminis, sed pro feris *lamiae* accipi videntur.

Ibid. APAGETE FOETOREM.] removeto et abducito. *Apage* et *apagete* dictio comica est, ducta à verbo Graeco ἀπάγω, quod significat abduco et abigo. Et Plautus in Curculione: *Apage hanc caniculam.*

Ibid. LATRINAE.] *Latrina* conceptaculum est immunditiarum et excrementorum, quae in cloacas corrivantur. Columella: *Immundis quaecunque vomit latrina cloacis.* Quicunque habuerit horoscopum in 28. parte Arietis, latrinas semper cloacasque mundabit. Item, cuius horoscopus fuerit in secundo gradu Tauri, baiulabit stercora, latrinas purgabit. auctor Maternus in 7. Matheseos.

Ibid. COMITER.] benigne, suaviter: vel (ut interpretatur M. Varro) hilare ac libenter. adverbium est. Ennius: *Mensam sermonesque suos rerumque suarum Comiter impartit.* M. Tullius in oratione pro Corn. Balbo: *Comites*, inquit, *benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur: qui erranti comiter monstrat viam, benigne, non gravate.*

Ibid. LOCO.] lege *ioco.*

Pag. 58. MANSIONIS.] A *manendo mansio* dicta, sicut à *remanendo remansio.* M. Tul. in epistola ad Q. fratrem: *Primum tuam remansionem etiam atque etiam probo.* Plin. in 6. scribit mansiones esse dispositas aquationum ratione, qua camelis itur in Arabia, ex quo *hydreum* et *hydrema*, ab aqua dicuntur. Idem in 12. tradit, regionem qua thus convehitur, dividi in mansiones camelorum sexaginta duas. Ubi pro mansionibus non nummos dant, sed thus pendunt.

Ibid. IUBARIS EXORTU.] *Iubar* dicitur stella lucifer, qui in summo habet lumen diffusum, ut leo in capite iubam: auctor M. Varro. Hic ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, ut sol alter, diemque maturans: claritatis quidem tantae, ut unius huius stellae radiis umbrae reddantur. Plin. auctor. *Itaque merito*, ait, *exoriente iubare cuncta illustrari et lucida fieri.* Virg. *It portis iubare exorto delecta iuventus.* ubi exponit Servius, nato lucifero, qui iubar dicitur, quod iubas lucis effundat. unde quicquid iam splendet, *iubar* dicitur: ut iubar auri, argenti, gemmarum. Quapropter *exortum iubaris* accipere malim pro sole, cuius exorientis splendor cuncta collustrat: sicut poëtae appellant *iubar Solis.* et Seneca ait in Hercule Oetaeo: *Dum lapsum Titan mergat oceano iubar.*

Ibid. SEDULO ARBITRABAR.] diligenter inspiciebam. Donatus *sedulo* interpretatur, sine dolo, impense et diligenter.

Ibid. ET MECUM: VESANE, AIO.] Sermocinans secum Aristomenes, opinatur se crapula et vinolentia obrutum, somniasse illa quae viderat: cum Socrates integer et illaesus viseretur.

Ibid. EXTREMA SOMNIASTI.] portentosa, tumultuosaque: qualia temeto ingurgitatus, aut cibo distentus somniare solet, quod *phantasma* Graeci vocant: quod Cic. *visum* appellat. in quo genere est, ut ait Macrob. ἐφιάλτης, quem Avicenna *incubum* nominat: quem publica persuasio opinatur quiescentes invadere, et pondere suo pressos ac sentientes gravare.

Ibid. SPONGIA UBI.] Cum spongia illa nusquam appareret, qua vulnus Socratis Panthia obfulciverat, ita secum per interrogationem attonitus Aristomenes sermocinatur.

Ibid. ET AD ILLUM.] ad Socratem conversus dixi.

Pag. 59. DISTENTOS.] plenos, et saturos, fartos. Vinum capitis dolorem et vertigines facit. ab hoc, ut inquit Plinius in 23. dicta *crapula* est. Est autem crapula, ut docet Aristoteles in Problematis, fervor quidam et inflammatio, quae plus conflictat quam temulentia. Crapulam, eodem auctore, sedat brassica. Ex hac Aristotelica sententia dixit Cato in libro de re Rustica: *Si voles in convivio multum bibere, coenareque libenter, ante coenam esto brassicam crudam quantum voles, ex aceto: et item ubi coenaveris, comesto aliqua folia, quae reddent te quasi nihil ederis biberisque, bibes quantum voles.*

Ibid. AUTUMANT.] dicunt, opinantur, censent. id enim significat *autumo*, ut docet Gell. in 14. P. vero Nigidius id compositum esse ex *ab* praepositione et verbo *extimo* coniectat, dictumque intercise *autumo*, quasi *ab extimo*, quod significat totum existimo, tanquam ab numero: sed Nigidianum hoc interpretamentum argutius esse videtur quam verius.

Ibid. Saeva et gravia somniare.] Socrates in Platonis politia dicit, quum dormientibus ea pars animi quae mentis et rationis est particeps, sopita langueat: illa autem in qua feritas quaedam sit atque agrestis immanitas, cum sit immoderato obstupefacta potu atque pastu, exultare eam insomnio, immoderateque iactari. Ita huic omnia visa obiiciuntur à mente ac ratione varia, ut aut cum matre corpus miscere videatur, aut trucidare aliquem, et impie cruentari, multaque facere impura atque tetra cum temeritate atque impudentia. Iubet igitur Plato, sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo et Pythagoras interdixit, ne faba vescerentur: quod is cibus habeat inflationem magnam, et insomnia gravia facit.

Ibid. Vesperi.] hora vespertina et coenatica.

Ibid. Minus temperavi.] Sapientis viri super mensam celebre dictum est: *Prima*, inquit, *cratera ad sitim pertinet*, *secunda ad hilaritatem*, *tertia ad voluptatem*, *quarta ad insaniam*.

Ibid. Diras imag.] Vinolenti saepe, cum dormire vix coeperint, aspicere videntur irruentes, vel passim vagantes formas, à natura seu magnitudine seu specie discrepantes, variasque tempestates rerum velatas, vel turbulentas. *Interdum* (ut Macrob. ait) *temeto ingurgitatus*, *aut distentus cibo*, *extimat se vel abundantia praefocari*, *vel gravantibus exonerari. interdum esuriens cibum sitiens potum invenisse videtur.*

Ibid. Impiatum.] contaminatum, impuratum, maculatum. *Impiare* enim maculare est: *piare* vero, expiare. Unde et *piatrix* dicebatur sacerdos, quae expiare erat solita, quam *sagam* alii vocant. et *piacularis porta* Romae dicta, propter piacula quae ibidem fiebant.

Ibid. Iugulari visus sum.] Quod revera passus erat Socrates, id se per somnium vidisse significat: tanquam totum hoc negotium magicum phantasticumque sit, et per praestigias quasdam illudat hominibus. et hoc est quod ait Augustinus in 18. de Civitate Dei, phantasticum hominis varias formas carpere posse. memoratque exemplum cuiusdam, cui vi magica contigerat, ut iaceret in lecto suo quasi dormiens, nec ullo modo posset excitari. post aliquot autem dies eum evigilasse, et quasi somnia narrasse quae passus sit: caballum se scilicet factum, annonam inter alia iumenta baiulasse militibus. Quod ita ut narravit, factum fuisse compertum est: quae tamen illi sua somnia videbantur. Indicavit et alius, se domi suae per noctem vidisse venientem ad se quendam philosophum, sibique exposuisse quaedam Platonica, quae antea interrogatus exponere noluisset: et cum ab eodem philosopho quaesitum fuisset, Cur tunc fecerit, quod prius petenti negaverat? *non feci*, inquit, *sed me fecisse somniavi.* ac per hoc alteri per imaginem phantasticam exhibitum est vigilanti, quod alter vidit in somnis.

Ibid. Nihil nam.] Lego *nihil non:* ut sit, non nihil: quod significat aliquid, et aliquantum.

Ibid. Istum.] Dicticῶs est.

Ibid. Spiritu deficior.] Annotavimus in commentariis Suetonii, λειποψύχους dici, qui anima et spiritu deficiuntur: quos Plin. appellat *defectos*. *Lipothymia* et *lipopsychia* Graece dicitur, Latine *defectus animi*, sive *defectus animae*. Apud Plin. *Syntectici* esse videntur in eodem significatu, accipique pro defectis: et *syntexis*, pro ipsa defectione animi, sive defectu.

Pag. 60.] Genua quatior.] Consimile est illud, *Genua labant.*

Ibid. Cibatus.] cibi: Casus patrius est, quem genitivum Grammatici vocant.

Ibid. Refovendo spiritu.] cibo vinoque refici corpora, et roborari vires, quis ignorat? Virg. *Tum victu revocant vires.* Homer. in 6. Iliad. μένος μέγα οἶνος ἀέξει: id est, robur magnum auget vinum. et Columella in 7. roborandum esse praecipit largo cibo equum admissarium, ut Veneri supersit. Livius frequenter ait, *cibo corpora refecta* esse. Lucretius: — *capitur cibus ut suffulciat artus.*

Ibid. Ientaculum.] cibus matutinus, et gustulum. Antiqui prandicula dixere *ientacula*, et *ientare* pro ientaculum capere, super quo verbo satis multa in superioribus, et apud Sueton. in nono commentario. Graeci ἀκράτισμα vocant ientaculum.

Ibid. Mantica.] Quod supra sarcinulam dixit, nunc *manticam* appellat. est enim pera viatoria, qua viatores circumferunt utensilia. Aesopus fabulator tradit, singulos homines duas manticas habere: unam ante, alteram retro; in priorem aliena vitia mitti, in posteriorem nostra. quo apologo significat, nos in alienis vitiis spectandis esse oculatos, in nostris caecutientes. Ex hac Aesopica fabula est illud Catullianum velut proverbiale, *Nemo videt manticae quod in tergo est.* et illud Persianum: *Sed praecedenti spectatur mantica tergo.* Seneca vocabulo Graeco *Hippoperas* appellat sarcinas, quae à tergo equi gestantur: quasi dicas peras et manticas equestres. ἵππος enim Graece equus, καὶ πήρα pera. Verba Senecae ex libro Epistolarum moralium haec sunt: *M. Cato Censorius canterio utebatur*, *hippoperis quidem impositis*, *ut secum utensilia portaret.* Idem mox paulo: *Quantum erat seculi decus*, *imperatorem triumphalem*, *censorium*, *et quod super omnia haec est*, *Catonem uno caballo esse contentum? et ne toto quidem; partem enim sarcinae ab utroque latere pendentes occupabant. Ita non omnibus*, *obesis mannis*, *et asturconibus*, *et tollutaribus praeferes illum unicum equum ab ipso Catone defrictum?*

tum? Libuit plura ex Seneca verba transcribere, ut cognosceres, viros illos graves et imperatorios, seculo illo prisco et sancto fuisse contentos unico equo, in quo ipsimet sarcinulas suas circumferebant: cum hac tempestate luxus effervescens suaserit Cardinalibus, ut nunquam minus ducentis equis antecedentibus egrediantur, idque pompabiliter: ipsi vero vehuntur mannis et asturconibus, qui sunt equi gradarii et molles. habent et mulas *tollutares*, hoc est, quae *tollutim*, id est, volubiliter et quadam pedum glomeratione gradiuntur. ita enim appellantur equi tollutares, ut alibi annotavimus. A mantica, ut ap propositum revertamur, fit *manticula*. Manticularum usus pauperibus in numis recondendis fuit. unde deductum est verbum vetus *Manticulari:* quod significat dolose quid agere. Pacuvius: *Ad manticulandum astu aggreditur.* item: *Deinde aggrediar astu regem, manticulandum est hic mihi.*

Ibid. IUXTA PLATANUM.] Arbor peregrina est, umbrae gratia tantum ex alieno petita orbe. Commendatio platani non alia maior est, quam solem aestate arcere, hyeme admittere. mero infuso nutriuntur: compertum id maxime prodesse radicibus. *Docuimusque*, ut inquit decenter Plin. *etiam arbores vina potare.* Idem aliubi tradit, latissima folia esse fico, viti, platano. Ab Ovidio *genialis* nominatur, quasi voluptaria, et ad delicias reperta. *Chamaeplatani* vocantur pusillae et breves, quasi abortus platanorum: nam et in genere arborum pumiliones sunt. sicuti *chamaedaphne* dicitur humilis laurus, *chamaemyrsine* pusilla myrthus, et brevitate spectabilis. *Platanonas* vocant loca consita platanis. Hortensius orator, auctore Macrob. platanos suas vino irrigare consueverat.

Ibid. INDIDEM.] ex caseo et pane. adverbium est.

Ibid. ESITANTEM.] Ab *edo*, frequentativum fit *esito*.

Ibid. PALLORE BUXEO.] Inter ea quae pallore notabilia sunt, maxime notabilis est buxus: etenim pallidissima est, unde in comparationem palloris usurpatur. Ovid. in carmine obscoeno: *Buxo pallidior, novaque cera.* Hinc pallorem *buxantem* et *buxeum* optimo epitheto dixerunt. Plin. in 16, buxum esse ait quadam duritia ac pallore commendabilem, cuius materies honorata est. plurima nascitur in Pyrenaeis ac Citoro montibus. inde à Catullo dictum est, *Amastri Pontica et Citore buxifer.* Virg. quoque in Georgicis: *Et iuvat undantem buxo spectare Citorum.* Ex buxo *pecten* fit laudatus. indeque *Citoriacus* dictus ab Ovidio, quasi buxus à Citoro monte. sic enim ait in 4. Metamorphoseon: *Saepe Citoriaco deducit pectine crines.* Impressi codices habent *Cytheriaco:* quod Grammatici exponunt pro venereo. Sed tu lege *Citoriaco*, et expone pro buxeo, ut docuimus.

Pag. 61. NOCTURNAS FURIAS.] Meroën et Panthiam magas intelligit. sic et Horatius, veneficas foeminas et praestigiis magicis infames, appellat furias, illo versu. *Horruerim voces furiarum et facta duarum.*

Ibid. FRUSTULUM PANIS.] buccella: diminutivum est à *frusto*, quod significat particulam. Virg. *Pars in frusta secant.* inde adverbia sunt, *frustatim*, et *frustillatim.* Plautus in Curculione: *Ego te faciam ut hic formicae frustillatim differant.*

Ibid. NEQUE DEORSUM DEMEARE.] Non potuit significantius exprimere, quod interdum usu venire solet in aegrotis et anxiis, ut scilicet cibus quodam veluti lentore inhaerens faucibus, neque descendere possit in stomachum, neque superna repetere. Auctor est Plin in 28. *Si quid è pisce haeserit faucibus demissis in aquam frigidam pedibus cadere: si vero panis haereat, ex eodem in utranque aurem addito pane, quod inhaeserit decidere.*

Ibid. BREVITAS COMMEANTIUM.] paucitas simul euntium. duo tantum erant. Abusio est, quae Graece catachresis appellatur, quae verba finitima usurpat: hoc modo, *Vires* hominis *breves* sunt, *oratio magna: longum* in homine *consilium. paucus sermo.* Ita *brevitas commeantium*, pro paucitas viatorum.

Ibid. SINE ALTERIUS NOXA.] Modo culpa: alias periculum, damnumque significat, ut in notis Servii fusius explicavimus.

Ibid. LENIS FLUVIUS.] leniter et citra impetum fluens.

Ibid. IN SPECIEM PLACIDAE PALUDIS.] Palustres aquas placidas esse et stagnantes videmus, quas merito damnant medici, utiliores quae profluunt existimantes. quod et Plinius noster memorat lib. trigesimoprimo.

Ibid. IGNAVIUS.] lentius, contatiusque fluebat.

Pag. 62. AEMULUS IN COLOREM.] Laus aquae fluvialis, quae ita limpida erat, ut vel argentea vel vitrea videri posset. Antiqui *aquilum colorem* dixêre subnigrum, quasi inter album nigrumque intermedium: ab aqua, cuius incertus est color. Tria namque elementa sunt sine sapore, sine odore, sine succo: aqua, aër, ignis. *Aquilex* eleganti vocabulo dictus est aquae vestigator et ductor. Plinius: *Subesse aquis credunt, et hoc habent signum Aquileges.*

Ibid. EXPLERE.] Pro *exple te:* Imperativus est passivus, quem veteres frequenter usurpant pro activo. Ovidius:

Cingere littorea flaventia tempora myrtho.

Ibid. LATICE LACTEO.] aqua pura et nitida. *Latex*, ut ait Servius grammaticus, *proprie aqua est,*

est, ab eo quod intra terrae venas lateat. Et vinum *laticem* dicimus, quod latet intra uvam. Denique omnis liquor *latex* dici potest, sicut Lucretius dixit *laticem absinthii:* et Ovidius *latices Palladios*, pro olei liquore: et Maro *laticem Lyaeum*, pro vino. Solinus quoque in Polyhistore licentius paulo sic scripsit: *Non coibunt in corpus unum latex vineus, et latex aquae.*

Ibid. MARGINEM COMPLICITUS.] Significat, Socratem manibus apprehendisse tenacius marginem ripae herbascentem, instar eorum qui aquam amnicam poturi apprehendunt herbam, complicantque marginem manibus, ne praecipites ruant in flumen.

Ibid. IN GENUA APPRONAT SE.] Eleganter dictum, pro eo quod est, inflectit genua: et, ut veteres dicebant, *ingeniculatur.* In coelo signum est, quod Graeco vocabulo *Engonasis*, Latine *ingeniculus* nominatur: de quo sic scribit Maternus Firmicus in 6. *Ingeniculus, qui Engonasis, in extremis partibus Piscium oritur: hoc sidere nati erunt mendaces, fugaces, callidi.* Ovid. dixit in 8. Metamorphoseon:

Qui medius nixique genu est, anguemque tenentis.

Ubi *Nixus genu*, eleganter significatur Ingeniculus, qui Hercules est, ut docet Hyginus: qui dextro genu nixus, sinistro pede capitis draconis dextram partem opprimere conatur. Aeschylus ait, Herculem cum Liguribus manus contulisse, et complures eorum sagittis confixisse, sed cum iam deficeret, defessum se ingeniculasse, multis iam vulneribus acceptis. Iovem autem misertum filii, curasse ut circa eum magna lapidum copia esset, quibus se Herculem defendisse, et hostes fugasse. Ita Iovem in similitudinem pugnantis inter sidera constituisse De hoc intelligi voluit Manilius in 5. Astronomicôn, illo versu:

Nixa genu species et Graio nomine dicta.

Nam *Nixa genu* Ingeniculum signat, *Graio nomine dicta*, *Engonasin* designat, qui Graeco nomine *nixus genu* interpretatur: ἐγγονάζομαι enim est, *flecto genua.*

Ibid. DEHISCIT.] vehementer aperitur, et patet. *hiscere* enim est hiare: id est, aperire, quod veteres *hietare* et *hiatare* dixerunt. Laberius, *Hietantur fores* dixit, pro eo quod est hietant: id est, patent. Item Caelius: *Sequere me tu, qui mihi oscitans hietansque restas.*

Ibid. PATOREM.] hiatum et apertionem. nomen est à patendo deductum: cui consimile est *vagor* pro vagitu, qua dictione usus est Ennius: et *fluor* pro fluxu.

Ibid. SPONGIA DEVOLVITUR.] ne scilicet per flumen transiret. quod Panthia superius cavendum esse praeceperat, cum inquit: *Heus tu spongia, cave in mari nata per flumen ne transeas.* A spongia verbum est Apitianum *Spongiare*, quod significat spongia extergere.

Ibid. EXANIMATUM.] Modo mortuum, alias conturbatum. Inter *exanimatum* et *exanimum*, ut ait Donatus, hoc interest: *exanimatus* est conterritus, conturbatus, ut illud Terentianum: *Ibi tum exanimatus Pamphilus. exanimus*, est occisus: ut Virg. *Corpus ubi exanimum.* Nonnunquam *exanimatus* accipitur pro extincto et mortuo: ut hoc in loco, et apud Historicos persaepe.

Pag. 63. VIX ET AEGRE.] Adverbia sunt difficultatem conatumque laboriosum significantia.

Ibid. PRO TEMPORE.] Sunt res quaedam ex tempore et ex consilio, non ex sua natura considerandae, quibus in omnibus quid tempora petant, aut quid personis dignum sit considerandum est, et non quid fiat, sed quo tempore fiat, attendendum est. quod et M. Tul. docet in II. Rhetoricorum.

Ibid. IN AMNIS VICINIA.] Significat se in praecipiis fluminis, et iuxta fluutalem ripam humasse inter harenas defunctum Socratem.

Ibid. EXIMIE.] valde, et excellenter, supraque mortem hominum.

Ibid. AVIAS SOLITUDINES.] inaccessas, invias, et via carentes. Lucretius: *Avia Pieridum peragro loca.* sic et homo dicitur, *avius*, extra viam rationis. Idem: *Avius à vera longe ratione vagaris*: Notum est illud apud Rhethoricos doctores: *Avium dulcedo avium ducit.*

Ibid. RELICTA PATRIA ET LARE.] *Larem* pro domo usurpant. sunt enim Lares dei domestici, de quibus sic scribit Tertullianus in Apologetico: *Domesticos deos, quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis.* De laribus et larario, quod sacrarium domesticum est, plura in secundo Tranquilli commentario. Appuleius noster in libro de deo Socratis: *Lar*, inquit, *dicitur familiaris, qui ex lemuribus postericorum suorum curam sortitus, pacato et quieto numine domum possidet.*

Ibid. ULTRONEUM.] spontaneum. Hieron. in epistola ad Marcellam: *Tritum quippe est proverbium, Ultroneas putere merces.*

Ibid. NUNC AETOLIAM COLO.] inhabito. *Deos non ob aliud appellant Coelicolas*, ut auctor est Augustin. in 10. de Civitate Dei, *nisi quod coe-* [illegible] *tando, quasi quosdam coeli colonos.*

Ibid. HAEC ARISTOMENES.] Scilicet, sermocinatione satis longa fabulatus est.

Ibid. SERMONEM RESPUEBAT.] *Respuere* sermonem hominis, nihil aliud est, quam non approbare, neque recipere, perinde ac vanum et fabulosum.

Ibid. UT HABITUS ET HABITUDO DEMONSTRANT.]

STRANT.] *Habitus* formam corporis et liniamenta, ipsamque corporaturam significat. Livius: *Habitum oris liniamentaque intueri.* Plaut. *Qualis habitus oris? Habitudo* quoque, ut tradit Festus Pom. habitus corporum significatur. *Habitior* dicitur pinguior et corpulentior, apud Plaut. *Habitissimus*, pinguissimus. A. Gellius in 4. *Equum nimis strigosum, et male habitum, sed equitem eius uberrimum et habitissimum viderunt.* Ubi *strigosus* equus accipitur pro macro, sive emaciato: *strigosus* enim quasi *stringosus*, dictus ab eo quod corpora stringat. Livius *equos strigosiores* appellat, macriores et exiliores. Praeterea *habitus* dicitur vestitus. Plin. *Qui ad nos lugubri habitu advenerat, et capillatior solito.* Apud philosophos *habitus* in alia significatione usurpatur: Graece dicitur ἕξις, de quo Aristoteles in secundo Ethicorum satis multa. Ipse autem habitus et habitudo saepe declarant hominis conditionem et dignitatem. unde merito ornatum virum vocat, ex habitus elegantis habitudinisque ingenuae coniectura. ubi habitus referri potest ad vestitum quoque, habitudo ad corporaturam.

Pag. 64. ACCEDIS HUIC FABULAE] credis ne hanc fabulam? Interrogative legendum est.

Ibid. UTCUNQUE FATA DECREVERINT.] In hanc sententiam ait Manilius: *Fata regunt orbem, certa stant omnia lege.* Tertul. in apologetico: *Scite*, inquit, *fato stat Iuppiter ipse.* Idem significat Graecus ille in hanc sententiam versus: *Fatum summum exsuperat Iovem.* Significanter autem et proprie *Decreverint* dixit. est enim *decernere*, constituere ex potestate. unde *decreta fatorum* et *siderum* dicta. Iulius Firm. frequens est in hac elocutione, ut dicat sidera decernere foelicitates infoelicitatesque mortalibus: et Plin. ait, *Deo semel decretum in omnes futuros unquam.* Hinc *senatus decretum*, quod à *consulto* Helius Gallus sic distinguit, ut *decretum* dicat particulam quandam esse senatusconsulti, veluti cum provincia alicui decernitur. idem Firmicus Maternus ait in primo: *Fatum nobis vitae ianuas pandit, finemque vivendi fatalis legis necessitas statuit. Et nihil non positum est in fati potestate.* Seneca quoque libro de Mundi gubernatione: *Fata*, inquit, *nos ducunt: et olim constitutum est quid gaudeas, quid fleas.*

Ibid. USU EVENIRE.] contingere. *Evenire*] Archaismos est.

Ibid. PENE INFECTA.] quasi nunquam prius facta, et ob hoc incredibilia.

Ibid. HERCULES.] certe, medius fidius: adverbium est iurisiurandi, quod Mehercules dicitur, quod solis viris convenit. Foeminae enim per Herculem non iurant, et Herculaneo sacrificio abstinent. de quo in commentariis Propertii copiosius.

Pag. 65. AVOCAVIT.] amovit, abduxit, abstraxit à sensu laboris per voluptariam sermocinationem. *Comes* enim *facundus*, ut inquit Publius mimographus, *in via pro vehiculo est.* *Avocare* enim est removere, alienare, avertere. Virg. *Oblectat hortus, avocat, pascit, tenet.* Callistratus iurisconsultus tit. de nundinis: *Avocentur*, inquit, *agrorum cultores ab opere rustico.* et Pomp. ait: *Cum consules avocarentur bellis finitimis.*

Ibid. VECTOREM MEUM.] Equum significat, qui merito laetatus est se tantisper exoneratum fuisse sarcina sessoris sui, dum ille pellectus festivitate fabulatoris, sititorque audiendi, provectus est usque ad Hypatam.

Ibid. MEIS AURIBUS.] *Provehi* dicimur eleganter et festiviter, quando audientes aliquid auditu dignum et delectabile, laborem pedum non sentimus, tanquam aures nos vehant, non pedes. Dixit olim Xerxes Persarum rex, animum in auribus hominum habitare. Qui bene audit, voluptate perfunditur: qui vero male, is perturbatur et excandescit.

Ibid. FINIS SERMONIS ET ITINERIS.] Consimiliter Horatius:

Brundusium nobis finis chartaeque viaeque.

Ibid. LAEVORSUM ABIÊRE.] sinistram partem peregerunt. *laevorsum* enim significat, ad laevam partem. adverbium est, sicut et *sinistrorsum.* Horatius: *Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit.* *Aliorsum* dixit Cato, et *illorsum*, pro in aliam partem, et in illam partem.

Ibid. INGRESSU.] Pro *ingressui*. casus dandi est, quo ita usi sunt veteres, ut dicerent *victu*, pro *victui*: *anu*, *dominatu*, pro *anui* et *dominatui* et caetera his consimilia. Lucilius: *Quod sumptum atque epulas victu praeponis honesto.* Virgil. quoque in Georg. ait: *Quod nec concubitu indulgent.* Idem: — *teque aspectu ne subtrahe nostro.* Caesar dictator in Anticatone: *Unius*, inquit, *arrogantiae superbiaeque dominatuque.* Caput est apud Gellium in 4. noctium Atticarum super hac re scienter conditum: et Grammatici observaverunt.

Ibid. STABULUM.] cauponam. hospitium, de quo supra.

Ibid. ET DE QUADAM ANU.] Splendida locutio est, ut dicamus: *Percontor de te*, *quaero de te*, pro *à te.* Ita M. Tul. decenter usurpat: *Quaesivi de mea Tullia quid egisset.* Ita veteres omnes frequenter locuti sunt. Horatius in secundo Sermonum:

Quaerit de pueris, num sit quoque facta lagena.

Ibid. CAUPONAM.] *Cauponam* tam mulierem dicimus, quam tabernam: ut docet Priscian. in quinto, καπήλους, hoc est caupones appellat Plato in secundo de Republica, qui se in foro ad venditionem emptionemque constituunt, quos necessarios esse ait in civitatibus magnis, bene-

que

que institutis. Idem tamen in libris de Legibus, interdicit civibus cauponationem, tanquam tota haec res per peregrinos sit exercenda. Iurisconsultus tit. de nundinis, meminit Platonicae sententiae de cauponationibus.

Ibid. PERCONTOR.] interrogo, perquiro. verbum est à *conto* deductum, quo nautae utuntur ad loca navibus opportuna: et ita scribitur per *o*. Si vero *percunctor* scribatur per *u* et *c*, tunc dicitur ab eo quod à *cunctis* perquiratur. auctor Donatus in Hecyrae commentario.

Pag. 66. ANNUIT.] nutu id esse significavit. Inter *annuere* et *nutare* et *nictare* veteres hoc interesse voluerunt, ut *Annuere* sit narium vel labiorum, *nutare* capitis, *nictare* oculorum. et ita Grammatici versum illum Plautinum ex Asinaria interpretantur: *Nec illa ulli homini nutet, nictet, annuat.* Sed haec Grammaticorum subtilitas scrupulosior est, quam verior. *Annuere* enim est, ipso capitis nutu approbare affirmareque. cuius contrarium est *renuere.* unde *nutus* et *renutus.* Plin. in primo Epistolarum: *Nam ego simili nutu et renutu respondere voto tuo possum.* Graeci dicunt νεύω καὶ ἀνανεύω.

Ibid. EX PRIMORIBUS.] summatibus, et primi ordinis hominibus.

Ibid. ARRISIT.] quia scilicet Mylonem è primoribus Hypatae appellaveram.

Ibid. PRIMUS ISTIC.] Ironicωs dictum, cum à contrario significare velit, infimum et sordidum fuisse Milonem, vix inter Hypatinos cives numerandum: cum esset exopolis, id est, extra muros urbis habitaret.

Ibid. EXTRA POMERIUM.] *Pomerium* locus est circa murum, quem in condendis urbibus consecrabant, quod spatium neque habitari neque arari fas erat. cuius verbi vim solum intuentes, post moenium interpretantur esse. Sed ut ait Livius, non magis quod post murum esset, quam murus post id, pomerium Romani appellaverunt. Pomerium augures Romani ita definierunt: *Pomerium est locus intra urbem effatus, per totius urbis circuitum pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicii:* Ex septem urbis montibus, Aventinus solus extra pomerium fuit quasi ominosus, quod in eo monte Remus auspicaverit, avesque irritas habuerit, superatusque à Romulo in auspicio sit: vel ob id, quod plebs eo secessisset, ut innuit Seneca in lib. de Brevitate vitae. Mos fuit apud antiquos, proferre pomerium agro non provinciali, sed Italico acquisito. Legimus apud historicos, Servium Tullium regem Romanum, Lucium Syllam, divum Iulium, divum Augustum, protulisse pomerium. Claudius quoque ut inquit Corn. Tacitus, pomerium urbis auxit more prisco, quo his qui protulere imperium, etiam terminos urbis propagare datur.

Ibid. PARENS OPTIMA.] Nomen venerationis, quo anum cauponam appellat.

Pag. 67. VIDESNE, INQUIT.] Dicticωs est; demonstrat enim manu et gestu Milonis diversorium.

Ibid. ALTRINSECUS.] in altiori parte, vel ex altera parte, vel potius ex utraque parte. hoc enim significat *altrinsecus*, apud auctores.

Ibid. ANGIPORTUM.] Quod exitum non habet, ac pervium non est, id *angiportum* appellarunt, quasi *angustum*, ab *angendo* et *portu.* auctor M. Varro. In Adelphis ait Terent. *Id quidem angiportum non est pervium:* id est, ut exponit Donatus, *angusta et curva via:* quasi *angiportus*, ut *angicia.* alii, quod inter portus sit locus angustus, hoc est, inter domos, quas vel portus vel insulas veteres dixerunt. de insulis in hoc significatu satis multa apud Suetonium. Horatius dixit *angiportu*, tanquam nomen sit quarti ordinis. sic enim ait in Sapphico carmine: *Flebis in solo levis angiportu.* ubi commentatores exposuerunt, *angiportum* dici vicum sine exitu, angustum et flexuosum in modum anguis.

Ibid. DIVERSATUR.] habitat, colit.

Ibid. AMPLITER NUMMATUS.] bene nummatus. Graece dicitur *polychrematos*, et *polyplusios*, quod genus ait Plaut. esse honoratissimum, in Captivis.

Ibid. ET SORDIS INFIMAE.] Avaros homines et deparcos merito sordidos appellant, cum avaritia ad incuriam usque corporis grassetur: ut per illam unam neque virtutis, neque virium, neque corporis, neque animi adsit cura: victus autem sordidus à tenui victu distabit, Ofello iudice, ut ait Horatius.

Ibid. SUB ARRABONE AURI.] sub pignore. *Arrabonem* pignus veteres dixerunt, quod alio nomine *arram.* Terent. *Ea relicta huic arraboni est pro illo argento.* Claudius Quadrigarius in annalibus, *arrabonem* dixit obsides: et id maluit quam pignus dicere, quoniam vis huius vocabuli in ea sententia gravior acriorque visa est, ut curiose pensitat A. Gellius. Sed nunc *arrabo*, ut idem Gellius autumat in 16. in sordidis verbis haberi coeptus, ac multo rectius videtur *arra.* De arra frequens est mentio apud Iurisconsultos: et versiculus ille notissimus, *Utilis haec, arram si dederitis, erit.* et nunc vulgo ita usurpatur, cum in quotidiano sermone negotiatorum sit: *Da arram*, pro, pignus. Plin. in 33. *Nondum*, inquit, *erat arra velocior.* de annulo loquens, qui ad sponsiones exilit, et pro pignore opponitur. De arrabone ait M. Varro haec: *Arrabo sic dicta, ut reliquum reddatur hoc verbum à Graeco ἀῤῥαβών.*

Ibid. EXIGUO LARE.] domuncula et tuguriunculo. Hoc proprium est divitis sordidi, ut exiguo lare includatur, dissimulator opulentiae, simu-

mulator inopiae. Saturnus, auctore Firmico Materno, si fuerit in secundo signo ab horoscopo per diem, reddit absconsos, latentes, et animo pauperes, et habere se aliquid semper negantes. *Infruniti est*, inquit Seneca, *iactare divitias: timidi, abscondere.*

Ibid. AERUGINI INTENTUS.] rei nummariae incubans, inhiansque. aeruginem enim pecuniam intelligi voluit, quae ex aere fit. ita Horatius: *At haec animos aerugo et cura peculi, Cum semel imbuerit.* Iuvenalis: *Si reddat veterem cum tota aerugine follem.* Est autem *aerugo* proprie, rubigo aeris: sicut *ferrugo*, ferri. Aeruginis magnus est usus, pluribusque fit modis, ut docet Plinius noster in 34. Vitruvius quoque in septimo ait, ex lamellis aereis in aceto obturatis fieri aeruginem: cum autem ex aere signato, fit nummi usus et pecuniae. unde et aerarium, et tribuni aerarii, et aera militum, et obaerati dicti. Hinc fit, ut *aerugo* quoque pro ipsa pecunia accipiatur. Cruda aerugo vulnerariis emplastris miscetur, et cellum fistularum erodit.

Ibid. CALAMITATIS.] avaritiae. Quid enim calamitosius avaro? qui in omnes malus est, in se pessimus: cui tam deest quod habet, quam quod non habet: qui inter opes inops degit vitam calamitosam.

Ibid. PRAETER UNICAM ANCILLULAM.] Consimiliter Lucianus in asino aureo tradit, se usum esse hospitio Hypatani Hipparchi, qui μίαν θεράπαιναν τρέφει, καὶ τὴν αὐτοῦ γαμετὴν, μόνας: id est, ancillam et uxorem solas domi alebat, cum esset (ut ipse ait) φιλαργυρώτατος, id est, avarissimus mortalium.

Pag. 68. BENIGNE ET PERSPICUE.] liberaliter et nitide. adverbia sunt ironicῶs legendum.

Ibid. NEC NIDORIS NEBULAM.] In domo avari et sordidi nunquam culina colitur, nec edulia lautiora discoquuntur, quorum nidor nares permeet. Plautinus Euclio, aridior pumice, divûm atque hominum inclamat fidem de suo tigillo, fumus si qua exit foras. Idem minitans Staphilae aniculae inquit: *Si ignis vivet, tu extinguere extemplo.* Est autem *nidor*, odor qui ex eduliis coctis olfactum excitat in tantum, ut quandoque desideremus illud Catullianum: *Quod cum olfacies, deos roga bis, Totum ut te faciant Fabulle nasum.* De nidore epularum illud celeberrimum: *Captum te nidore suae putat ille culinae.* Graece dicitur κνίσσα. Unde illud Hom. ex prima Iliados rhapsodia: κνίσση δὲ οὐρανὸν ἷκεν ἑλισσομένη περὶ καπνῷ. Interdum *nidor* pro putore ustrinae accipitur, ut apud Virg.

Occupat os flammis, illi ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit.

Ibid. MODICO SECUS.] non longe à caupona.

Ibid. OPPESSULATAM.] clausam, et pessulis immissis munitam.

Ibid. PULSARE VOCALITER.] Morem expressit usitatissimum, ut scilicet qui pulsat ostium etiam forinsecus, inclamet. Lucianus: ἐγὼ κόπτω προσελθὼν τὴν θύραν. Ego accedens ianuam pulto.

Ibid. SUB QUA SPECIE MUTUARI CUPIS.] sub quo pignore: quorum multae sunt species. Usus est verbo iurisconsultorum, qui ita scribunt tit. de rebus creditis: *Mutuum damus, recepturi non eandem speciem, quam dedimus (alioquin aut commodatum erit, aut depositum) sed idem genus.* hoc autem ideo dixit puella, tanquam nullus unquam accederet domum Milonis, nisi qui pecuniam mutuatitiam, vel potius foeneratitiam oppositis pignoribus sumere vellet. Mutuum autem à foenore hoc distat, quod mutuum sine usuris, foenus cum usuris sumitur. Hinc ait Plautinus amator in Asinaria: *Nam si mutuas, non potero: certum est, sumam foenore.* Paulus iurisconsultus: *Mutuum*, ait, *appellatum ab eo, quod de meo tuum fit.* Mutui datio consistit in his rebus quae pondere, numero, mensurave consistunt. *Mutuari* autem non significat mutuam pecuniam dare, ut semidocti literatores opinantur: sed mutuum sumere. Macrobius ait de Virg. quod scilicet ad excolendum se quaedam ab antiquioribus *mutuatus sit*, id est, mutua usurpaverit. et haec est proba et erudita eloquutio. adverbium est *mutuo* usitatissimum. est et *mutuiter*, minus frequens, quod idem significat. Varro: *Vive, meque ama mutuiter.*

Ibid. MELIORA OMINARE.] non solum deorum voces Pythagorei observaverunt, sed etiam hominum, quae vocant omina. quae maiores nostri (ut ait M. Tul.) plurimum valere censebant. ideo ait Appul. ad ancillam: Dic quaeso meliora verba. itidem apud Macrob. *Bona verba quaeso*, Praetextatus ait. antiqui *ominare* et *ominari* dixerunt, in eadem significatione. Pomp. *Ita sit et tibi bene, qui recte ominas.* est autem *ominari*, quasi verbis divinare et augurari.

Pag. 69. OFFENDERIM.] inventurus sim.

Ibid. QUAESTIONIS.] inquisitionis. Terent. *Cave in quaestione sis.*

Ibid. A CORINTHIO DEMEA.] Imitatur Lucianum, qui ad hospitem Hipparchum literas Decriani sophistae deferebat.

Ibid. OPERIMINOR.] Elegantius leges *Operitor*, quod significat expecta et praestolare.

Ibid. MODICO DEINDE.] post paulum.

Ibid. ACCUBANTEM.] *Accubare* verbum est convivale. M. Tul. *Qui mihi accubantes in conviviis.* Fuit enim mos priscorum, ut cubantes in lectulis coenitarent. qui mos apud Graecos Turcasque hodie quoque est usitatissimus. unde *discumbere* et *accumbere*, et *accubare*, *recubare* usurpata. Scribit Val. Maximus, foeminas cum viris cubantibus sedentes coenitare consuevisse.

Ibid. EXIGUO GRABATULO.] Lucianus consimi-

militer, κατέκειτο ἐπὶ κλινιδίου στενοῦ, id est, discumbebat in lectulo admodum angusto.

Pag. 70. COMMODUM.] tunc, id horae, eo momento. de hac dictione in superioribus satis multa.

Ibid. ASSIDEBAT PEDES.] sedebat ad pedes. Ego autem corrigo *penes* pro *pedes*: ut significet, uxorem penes, id est, iuxta maritum Milonem assedisse: conveniatque cum verbo Luciani, qui ait, γυνὴ δὲ αὐτοῦ καθῆστο πλησίον, id est, uxor autem ipsius prope assidebat.

Ibid. MENSA VACUA.] ex Luciani filis textura concinnatur. ille enim ait, καὶ τράπεζα μηδὲ ἓν ἔχουσα παρέκειτο, id est, mensa nihil continens adiacebat.

Ibid. BENE, EGO.] quasi dicat, Gratias ago pro hospitio oblato.

Ibid. ILLICO.] statim. *Eis.*] Lege, *ei*: scilicet Miloni.

Ibid. PROSPERITER.] Legendum *properiter*, quod significat propere et festinanter. Catullus: *Animula miserrima properiter adit.*

Ibid. EAM.] Corrige, *etiam.*

Ibid. VERECUNDIA CONTANTEM.] Pudor et verecundia homines facit contabundos et renitentes: nec non fari prohibemur ex pudore. unde non ineleganti epitheto dictus infans ab Horatio: quia nos infantes efficiat, et mutos. *Infans namque pudor prohibebat plura profari.*

Ibid. LACINIA.] veste. De *lacinia* et *lacinosa* convalle iam dictum est.

Ibid. NULLA EST FIBULA.] Causa redditur cur vocaverit Appuleium, ut assideret in uxoris sella. Quoniam, inquit, nihil satis clausum, satisque munitum est ab incursu latronum qui nullas nobis sellas reliquas fecerunt: et ita fibula accipietur pro claustro et obice. Sed elegantior lectio est, et verior: *Sellula*, sive *sessibula*: ut sit sensus, nullam aliam domi suae esse sellam sive sedile, prae metu latronum, qui sunt in causa ne supellex idonea paretur. est enim *sellula* diminutivum à *sella*, quasi parva sella: *sedes* autem, et *sedile*, et *sella* et *subsellium*, et *solium*, à *sedendo* dicuntur, *d* litera in *l* conversa. M. Varro et Festus Pompeius auctores. *Selliquastra* quoque sedilia, ab idoneis scriptoribus appellantur, à *sedendo* et ipsa dicta. Hyginus: *Cassiopea sedens in selliquastro collocata est.* idem alibi ait: *Inter sidera sedens in selliquastro constituta est.* Menda est in codicibus impressis, in quibus passim legitur *silliquastro*, pro *selliquastro*. Magna enim differentia est in significatu inter *silliquastrum* et *selliquastrum*, quamvis in scripto sit pusillum dissidium: est enim *selliquastrum*, ut iam docuimus, sedile: *silliquastrum* vero herba est hortensis, quae alio nomine *piperitis* appellatur, cuius meminit Plin. in 19. et 20. lib. Natural. historiae.

Pag. 71. FECI.] ut iussit Milo, assedi in uxoris sella. Quoniam incidit mentio sedilis, declarandum est Gellianum verbum, in quo plerique omnes haesitant. in 18. Noctium Atticarum sic scriptum est: *Offendimus eum cubantem in symphodio graeciensi.* ubi lege in *scimpodio*, et expone in sedili, vel potius in grabatulo. Graeci enim σκιμπόδεα vocant scabellum et grabatum: cuius diminutivum est *scimpodion.* Lucianus: τῷ δὲ παιδὶ τὸ σκιμπόδιον αὐτοῦ παραθήσω, id est, servo tuo grabatulum ipsi conveniens apponam.

Ibid. ET SIC.] Lege, *etsi.* Verba sunt Milonis ad Lucium.

Ibid. VIRGINALI VERECUNDIA.] Laudamus in iuvene verecundiam; est enim virtutis color. Plaut. *Adolescentem decet esse verecundum*, *Argyrippe.* sed in sene, ut ait Arist. in 4. Eth. digna laude non est: cum non omnem deceat aetatem verecundia. Optimum autem verecundiae epitheton est, ut virginalis appelletur. est enim virginum prope peculiaris pudor. Claudianus: *Flammea sollicitum praevelatura pudorem.* Maro quoque de Lavinia virgine scribens, affectum naturalem decenter expressit:

Flagrantes perfusa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor, et calefacta per ora cucurrit.

Ibid. RECTE CONIICEREM.] coniectarem, coniectatorie cognoscerem.

Ibid. EADEM TE.] scilicet esse generosa stirpe genitum.

Ibid. GURGUSTIOLI.] tuguriunculi, casulae, domunculae. *Gurgustium* enim, cuius diminutivum est *gurgustiolum*, significat genus habitationis angustum, à *gurgulione* dictum.

Ibid. DIGNATIONE TUA.] Domus non solum domino honestatur, sed etiam hospitum dignitate nobilitatur. hodieque gloriari solemus, domi nostrae fuisse hospites illustres. ut verum sit illud Sidonii: *Gloria magna viri, gratia parva loci.*

Ibid. SPECIMEN ARROGARIS.] gloriam tibi vendicabis ex humanitate, quoniam laudaberis non sprevisse tenue hospitiolum.

Ibid. CONTENTUS LARE PARVULO.] In hanc sententiam est illud Virgil. *Aude hospes contemnere opes, et te quoque dignum Finge deo rebusque veni non asper egenis.* et illud Nasonis: — *subière minores Saepe casas superi.*

Ibid. THESEI ILLIUS COGNOMINIS PATRIS TUI.] Hinc liquet, patrem Appuleii appellatum esse Theseum. est autem sensus: Si hospitiolum meum non spreveris, videberis esse imitator Thesei illius inclyti et famigerati, qui olim non erubuit uti hospitio Hecales rusticae vetulae, quae illi apposuit olera, vel potius herbas sylvestres pro eduliis, veluti sonchon et crethmon, ut scribit Callimachus, et retulit Plin. Corrige autem pro *Ales anus*, *Hecales anus*: sicut in lib. Annotationum corrigendum esse docuimus. Haec est illa Hecale, quae in carmine obscoeno signatur,

cum

cum ait, *Aequalis tibi quam domum revertens Theseus repperit in rogo iacentem.* Hecales meminit et Plutarchus in Theseo. De hac opinor intellexit Ovid. in libris de Remedio sic scribens: *Cur nemo est Hecalem, nulla est quae ceperit Irum? Nempe quod alter egens, altera pauper erat.* Scio in codicibus Ovidianis *Hecatem* legi, non *Hecalem*. *Cognominis.*] *Cognomines* dicuntur, eiusdem nominis: ut docet Servius, enarrans illud Virgilianum: — *gaudet cognomine terra.* hinc Plautus in Bacchidibus: *Quid agunt duae germanae meretrices cognomines?* Theseum appellat cognominem patris Appuleii: quia et ipsius pater dictus est Theseus.

Pag. 72. AEMULAVERIS.] imitatus fueris. locutio vetus. Antiquitus enim *aemulare* pro *aemulari* dicebatur, sicut *luctant* dixerunt pro *luctantur*, et *praeliant* pro *praeliantur*, et *convivant* pro *conviventur:* et hoc genus probe infinita, quod multorum exemplis satis liquet, et Grammaticorum observatione declaratur. *Aemulari* autem est imitari, et invidere. unde *aemulatio* dicitur imitatio virtutis cum laude. est et aegritudo, si eo quod quis concupiverit, alius potiatur, ipse careat.

Ibid. PHOTIS.] Apud Lucianum ancilla hospitis Hipparchi Palaestra non inscite appellatur, tanquam omnis luctae veneriae scia et gnara. Photis vero Appuleiana videri potest dicta ἀπὸ τοῦ φωτὸς, quod significat lucem et lumen, tanquam esset lucida puella, et ardescens in venerem.

Ibid. CUM FIDE CONDE.] fideliter repone.

Ibid. IN ILLUD CUBICULUM.] Lucianus Graece inquit, δὸς κοιτῶνα: id est, *da cubiculum.* Interpres Luciani hallucinatur, interpretatus, *Da tunicam:* videlicet deceptus proximitate vocis et literarum. si quidem Graece χιτὼν est tunica, κοιτὼν vero cubiculum. In significatu autem tam distant κοιτὼν et χιτὼν, quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.

Ibid. EX PROMPTUARIO.] Cellarium significat, ex quo promuntur usui necessaria, à promendo dictum: sicut et *promos* dici voluerunt, ministros qui praesunt cellae promptuariae, ut promant de intus usuaria: et *condos*, qui condant: auctor Fulgentius Placiades. Hinc Plautinum illud: *Sum promus, condus, procurator peni.* Appuleius in apologia, *promum librorum* eleganter vocat ministrum à libris. Symmachus *promptuarium* decenter appellat ingenium, perinde ac repositorium thesaurumque doctrinarum. Verba Symmachi ex epistolis haec sunt: *Utinam mihi falsis laudibus blandiaris, cum ais te aliquid ex nostro desiderare promptuario.* Plautus dixit carcerem, *promptuariam cellam.*

Ibid. UNCTUI.] ad unguentum, in balneis enim oleo corpora perungebant, quod in lecytho continebatur: sic enim vocaverunt ampullam oleariam, quam Cyprianus *capsacem* nominat, Iuvenalis *guttum.* cuius meminit M. Tul. in libris de Finib. et nos scripsimus in libro Annotationum. Loti distringebantur strigilibus, mox tergebantur linteis, quae M. Varro appellat *termentaria*, quod corpore terantur: de quibus Epigrammatarius poëta:

Non tam saepe teret lintea fullo tibi.

Ibid. TERSUI.] ad tergendum. Plinius in Epistolis. *Nam dum distringitur, tergiturque, audiebat aliquid, aut dictabat.*

Ibid. EIDEM USUI.] scilicet balneario. ad balneare autem instrumentum pertinebant et strigiles, de quibus plurima mentio est apud scriptores.

Ibid. OCYTER.] velociter.

Pag. 73. SATIS ARDUO ITINERE FATIGATUS.] Lucianus: πέμπε αὐτὸν εἰς βαλάνειον, οὐχὶ μετρίαν γὰρ ἐλήλυθεν ὁδὸν, produc, inquit, ipsum ad balneum, non enim parvam viam fecit.

Ibid. ITINERIS UBIQUE.] in omni itinere. Sic enim dicimus, *ubique locorum*, *ubique gentium.* Ipse alibi dixit, quod minus frequens est, *Ubique imaginum*, pro in omnibus imaginibus.

Ibid. STRENUE.] naviter, et perniciter. *strenua mors* dicitur à Curtio quae cito conficit.

Ibid. HORDEUM EMITO.] Lucianus: κριθιδείων τιμὴν εἰς τὸν ἵππον: id est, pretium hordei pro equo. Graece enim κρίθις dicitur hordeum, et ὑποκοριστικῶς κριθίδιον, quasi hordeolum. Hordeum autem quadrupedum refectibus vita tradidit, ut auctor est Plinius. Iuvenalis: *Et infundens iumentis hordea lassis.* Ex hordeo fit ptisana, Hippocratis praeconio celebrata. Apud Indos panis ex hordeo praecipuus fit: et gladiatorum cognomine, qui hordearii vocabantur, apparet antiquissimum in cibis hordeum fuisse, ex quo polentam Graeci praecipuam conficiebant. De panibus Hordeaciis meminit Galenus libro de Alimentis primo. Plinius sic ait: *Panem ex hordeo, antiquis usitatum, vita damnavit.*

Ibid. FORUM CUPEDINIS.] Numerius Cupes sive Cupedius, et Marcellus, consules Romani, ob latrocinium damnati, actique in exilium sunt, bona eorum publicata et aedes dirutae: ibique aedificatus est locus, in quo vendebantur ea quae vescendi causa in urbem erant allata. itaque ab altero *macellum*, ab altero *forum cupedinis* appellatum est. auctores M. Varro et Donatus. Alii à cupiditate *forum cupidinis* dici autumant locum, ubi esculenta et poculenta veneunt. Alii forum piscarium hoc nomine significari tantummodo arbitrantur. De foro cupedinis Festus Pompeius. Caeterum inde *cupedinarii* quorum meminit Terentius, dicti omnes qui esculenta vendunt, et poculenta. Symmachus *forum cupedinarium* appellat. *Coëmpta*, inquit, *ex foro cupedinario.* *Cupedias* antiqui lautiores ci-

cibos nominabant, sive à cupiditate, sive à cupidinis foro. A. Gel. in septimo: *Atque has undique vorsum indagines cupediarum maiore detestatione dignas censebimus.* Idem in sexto: *Convectabamus ad coenulam non cupedias ciborum, sed argutias quaestionum.* M. Tul. ut sentit Nonius, *cupediam* dixit pro cupiditate, cum ait in quaestionibus Tusculanis: *Avaritia, ambitio, mulierositas, pervicacia, liguritio, temulentia, cupedia, et si qua sunt similia.* Sed quod cum venia Nonii dictum sit, *Cupedia* dicitur à Cicerone non simpliciter quaecunque cupiditas: sed opinatio vehemens de ganea, tanquam lautiores cibi sint valde expetendi. *Forum* autem à ferendo dictum, quo feruntur quae vendere velint: ubi quod generatim, additum ex eo cognomen, ut forum olitorium, forum piscarium, forum boarium.

Ibid. PISCATUM OPIPAREM.] pisces copiosos et pretiosos. *Opiparum* enim copiosum significat: *opipare*, copiose et abundanter. M. Tul. in 3. Officiorum: *Opipare à Pythio apparatum convivium.* Dicitur *opiparus*, et *opiparis*, in secundo et tertio ordine.

Ibid. INDICARET.] aestimaret, et ut vulgo dicitur appretiaret. Utendum enim interdum est vulgaribus verbis et vernaculis dictionibus, ad rem dilucidandam, iuxta Graecum vetus verbum et pervulgatum, quod ait, ἀμαθέστερόν πως εἶπε, καὶ σαφέστερον: hoc est, indoctius loquere, et apertius. *Indicare* autem verbum negotiationis est, et rebus venalibus accommodatum, quod in mercibus distrahendis usurpatur, quando ille cuius est merx, pretium facit rei quam venundat. et in hunc significatum accipiunt Latinissimi vetustissimique scriptores. Plautus in Aulularia: *Venio ad macellum, rogito pisces, indicant caros.* Idem in Persa: *Indica, fac pretium.* et mox: *Age indica prognariter.* M. Tul. in tertio de Officiis: *Cum postulasset ut sibi fundus, cuius emptor erat, semel indicaretur, idque venditor ita fecisset, dixit se pluris aestimare.* Nonius Marcellus parum prospicienter pensitavit verbum Ciceronianum, exponens *indicare* pro addicere et promittere; cum non tam vendere significet, quam aestimare, et pretium facere rei venalis, quae res proprie pertinet ad venditorem, ut ipse dicat quanti mercem suam vendat. unde ait Plautinus leno in Persa: *Tua merx est, tua indicatio est.* ubi *indicatio* accipitur pro aestimatione ac pretio, et (ut dici solet) appretiatione, quae et *indicatura* nominatur. Plin. in prooemio Nat. historiae: *Haec fiducia operis, haec est indicatura.* Item lib. novissimo: *Neque est hodie murrhini alterius praestantior indicatura.* Idem in 28. signate, ut omnia, inquit: *Eadem ex causa emi lienem vituli, quanti indicatus sit, iubent.* Quod significat, quanti aestimatus, et quantum à venditore pretium petitum sit. Sed ut ad Appuleium revertamur, sensus est: Piscatorem petiisse centum nummos pro pretio piscatus expositi: quod cum immodicum Appuleio visum foret, emit pisciculos viliores, pretio viginti denariorum.

Pag. 74. PRAESTINAVI.] Expone *emi*, ut supra.

Ibid. COMMODUM.] ipso eodemque temporis momento. *Continuatur.*] subsequitur.

Ibid. APUD ATHENAS ATTICAS.] Emphaticoteron Atticas dixit, vel differentiae causa, cum trinae fuerint Athenae: ab una dicti Athenaei, ab altera Athenienses, à tertia Athenaeopolitae: auctor M. Varro in lib. de analogia primo.

Ibid. INVADIT.] aggreditur: et in bonam partem accipitur.

Ibid. COMITER.] hilare, suaviter, benigne.

Ibid. MI LUCI.] Praenomen Appuleii est Lucius, quo prisci nominatim quempiam appellantes utebantur. Horat. *Quinte puta, aut Publi, gaudent praenomine molles Auriculae.* Eos qui luce nati essent, Lucios dicebant: sicut Manios, qui mane, auctor M. Varro in libris de Analogia. Pueris non prius quam togam virilem sumerent, puellis non ante quam nuberent, praenomina imponi moris fuisse, auctores tradunt. Liber homo, ut Quintilianus docet, praenomen, nomen, cognomen, tribum habet. Hinc à Iuvenale dictum est, *Tanquam habeas tria nomina*: hoc est, tanquam liber sis, et ingenuus. Cui sententiae subscribit illud Ausonii: *Tria nomina nobiliorum Romulus et Remus, conditores urbis Romae, neque praenomen ullum, neque cognomen habuerunt.*

Ibid. SAT POL DIU.] satis longum tempus est. et interponit iusiurandum *Pol*, quod significat certe, quasi per Pollucem deum: sicut *Aedepol*, quod iusiurandum (ut inquit Gellius) et viro et foeminae commune est. quamvis M. Varro asseverat, antiquissimos viros neque per Castorem neque per Pollucem deierare solitos, sed id iusiurandum fuisse tantum foeminarum.

Ibid. INTERVISIMUS.] quasi ex intervallo invisimus. Alias *interviso* significat totum video. haec enim particula *Inter*, totum significat: ut *intercipit* apud Terentium, pro totum capit: *Interbibere* apud Plautum, pro totum bibere. *Interlegere* vero agricolationis scriptoribus est, poma per intervalla decerpere, ne turba oneret parentem. Palladius: *Si spissa poma ramos onerabunt, interlegenda sunt quaeque vitiosa, ut alimentum caeteris succus acquiparet.*

Ibid. HERCULES.] mediusfidius. *Hercules, mehercules* iusiurandum per Herculem, per quem soli viri deierant, sicut foeminae solae per Castorem. Mos fuit antiquorum Romanorum, ut pueri per Herculem deierantes id sub dio fa-

ce-

cerent non sub tecto. Causam refert Plutarchus in problematis, quia scilicet Herculem ferunt non umbratieam vitam domi egisse, sed foris ac sub dio semper vixisse. Vel illud potius per hanc rem occulte agitur, ne pueri insuescant deierare, sicut Favorinus existimabat: hoc enim, dum sub dio progrediuntur et in propatulum, quasi de industria moram efficit, et deliberandi dat spatium. Praeterea proditum est, Herculem cum primis religiosum fuisse, et ad iusiurandum verecundissimum: quippe qui semel in omni vita iuraverit.

Ibid. CUM A VESTIO MAGISTRO.] Post digressum ex schola literaria, in qua fuerunt condiscipuli, nunquam nisi hac hora se Appuleium invisisse significat. Vestius nomen est doctoris, sub quo in condiscipulatu literas Graecas didicerat.

Pag. 75. SED QUID ISTUD.] Ex cultu, crebroque famulitio, quod circa Pythiam condiscipulum videbat, sic interrogat.

Ibid. VOTI GAUDEO.] ex animo gaudeo. te voti compotem factum esse laetor. Constructio prisca. ita Virg. in II. *Nec veterum memini, laetorve malorum.* quod figura Graeca dictum esse ait Servius.

Ibid. LIXAS.] modo ministros magistratui servientes. Alias *lixae* ministri sunt militares, quorum officium est ut militibus aquam subministrent, quam veteres *lixam* vocaverunt. unde *elixum* dicimus, aqua coctum. Alii *lixas* à Lyca Herculis puero, appellatos dicunt. quidam à liguriendo quaestum, cuius gratia exercitum sequantur. apud Livium, miles gregarius seditionis princeps appellatur à Scipione *semilixa*, quasi semimancipium, nomine sordido et ignominioso: quod et in secundo Suetonii commentario annotavimus. Silius ait, *lixarum vulgus esse inutile marti.* *Lixula* vero quamvis diminutivum à lixa esse videatur, non tamen parvum lixam servulumque significat, sed, ut docet M. Varro, *lixulae*, et *semilixulae* dicuntur cibi ex farina, caseo et aqua commixti, vocabulo Sabino.

Ibid. VIRGAS.] quas ministri magistratuum praeferunt. Quaerit Plutarchus in quaestionibus, cur magistratuum virgae securibus alligatae praeferantur. An quia signum est, non oportere magistratus iracundiam dissolutam esse, sed cohibitam? An dum virgae dissolvuntur ad plectendum, interea mora et tarditate ira magistratus infringitur, et impetus mitigatur? Ex arbore betula, quae candore atque tenuitate praecellit, fiebant hae virgae. Ideoque Plinius 16. *betulam* appellat *terribilem magistratuum virgis.*

Ibid. HABITUM.] vestitum, qui in magistratibus conspectior erat, et prope peculiaris, ut toga praetexta: de qua sic ait Livius in 34. *Magistratibus in coloniis municipiisque togae praetextae habendae ius est: nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui.* Praeterea tunica palmata, et toga picta, erant consulum triumphantiumque gestamina.

Ibid. ANNONAM CURAMUS.] De praefecto annonae scribit Livius in quarto, atque Lucium Minutium primum creatum annonae praefectum, cum fame laboraret res Romana. Hic non tam significatur praefectus annonae frumentariae, quam macelli. Annona enim non solum ad fruges, sed etiam ad obsonia refertur. unde *annonam macelli* dixit Tranquillus. et à M. Tullio scriptum est: *Putarem annonam in macello cariorem fore.* Satyrographus quoque licenter quidem, sed decenter dixit:

His opibus nunquam cara est annona veneni.

Caesar in commentariis *naves annotinas* vocat, quibus annona frumentaria comportatur. Ab annona *lex annonaria* est dicta, pertinens ad annonam. Olim Clodius legem tulit annonariam, quae (ut inquit Pedianus Asconius) summe popularis fuit. Vegetius *annonarias expensas* vocat, eas frugum pabuli species, quas provinciales militibus expendunt.

Ibid. AEDILEM GERIMUS.] aedilitatem, sive (ut veteres dicebant) aedilatum agimus. De aedilibus relege quae scripsimus in primo Tranquilli commentario. In hoc loco significatur aedilis, is qui edictiones aedilitias habet, ad moderanda pretia cibariorum, qui *agoranomus* dicitur. ita enim Graeci appellant praefectum fori, et obsoniorum quae in foro venduntur, ut iusto scilicet et moderato pretio divendantur, ἀγορὰ forum Graece, et νόμος, unde agoranomos, quasi lex et regula fori, rerumque in foro venalium. Plato in sexto de Legibus: curatores appellat rerum venalium eos magistratus, qui fori venditionisque curam habuerint. In hanc sententiam est illud Plautinum ex Captivis: *Euge edictiones edilitias hic quidem habet, Mirumque adeo est nisi hunc fecerunt sibi Aetoli agoranomum.* Idem in Curculione: *Nec strategus, nec tyrannus quisquam, nec agoranomus.* Ubi *strategus* significatur dux exercitus, Graeco vocabulo. Scribit Dionysius Halicarnasseus, aediles tribunorum ministros fuisse: eosque et annonae forensis, ut affatim suppeteret curam habuisse: similesque, inquit, quodammodo sunt apud Graecos agoranomis. Pomponius Iurisconsultus prodidit Iulium Caesarem aediles duos constituisse, qui frumento praeessent, et à Cerere Cereales appellatos. Praeerant etiam aediles cibariis, quae in popinis cocta venduntur. Ob hoc dixit Seneca in libro ad Gallionem de vita beata: *Voluptatem invenies latitantem saepius, ac tenebras captantem circa balnea et su-*

datoria, ac loca aedilem metuentia. Aediles sacrosanctos et dici et esse, Livius Festusque notificant.

Ibid. ABSONARE.] Legendum est *Obsonare*, quod significat obsonia parare. unde *obsonatores* dicti, coëmptores obsoniorum, de quibus copiose diligenterque perscripsimus in libro Annotationum. Dixit Seneca obsonatoribus notitiam esse subtilem dominici palati. apud Plautum in Mostellaria, *obsonare pollucibiliter* significat, parare obsonia lauta et copiosa. *Pollucibiliter* idem pollet quod splendide et magnificenter: et *pollucibilem coenam* appellat Macrobius, intelligi volens lautam, adiicialem, esculentam. *Pollucibilitas* quoque dicta pro lautitia, et epularum magnificentia. Demiror Fulgentium in Mythologiis, *pollucibilitatem* interpretari humanitatem. nisi forte humanitatem capit pro benignitate aut largitate, qua in apparatu convivali uti solemus. Plautinum testimōnium, quod Fulgentius citat, nihil admodum fulcit roboratque hominis interpretamentum, cum Plautina verba à nobis sint, non à Fulgentio. *Polluctum* quoque Herculis antiqui dixerunt, sacrificium quod Herculi decuma data fiebat, quod erat splendidum: et *pollucere* est, libamenta Herculi in aram porricere. Corrigenda est obiter apud Macrob. dictio mendosa. sic enim passim in tertio Saturnalium scriptum est: *Proprie autem catilones dicebantur, qui ad pollutum Herculis ultimi catilos liguribant.* Tu illud *Ad pollutum*, immissa litera *c*, lege *ad polluctum.* sic enim significatur Herculis sacrificium, cum *pollutum* dicatur maculosum et foedum. *Catilones* autem (ut id quoque Macrobii verbum intelligas) antiqui gulosos appellabant, à carne videlicet catulina, quam esitavisse, hoc est, comedisse Romanos, Plauti fabulae sunt indicio. Plin. quoque in 29. auctor est, catulos lactentes existimatos esse adeo puros ad cibum, ut etiam placandis numinibus hostiarum vice uterentur. ius catuli namque in coelis deorum poni solitum. unde Lucilius catilonem appellat piscem lupum. quasi liguritorem et gulosum, qui stercus sectaretur.

COMMODABIMUS.] Potest, et qui aedilis est, facere ut minoris obsonia amicus comparet, cum ipse praesit rebus venalibus. Plato lib. 8. de Legibus, praecipit censoribus venalia curae esse, ne quid vendatur ematurque pluris minorisque quam lex iusserit, quam rerum venalium mensurae et pretia constituta sint.

Pag. 76. AFFATIM.] copiose, admodum, abundanter: adverbium est. Sallust. in Iugurtha: *Frumentum et alia omnia quae usui forent, affatim praebita.* Hanc dictionem prima acuta, non media veteres pronunciabant, ut docet Gellius. nec non Probus grammaticus hunc Plauti versum prima acuta legere solebat: *Aliorum est affatim qui faciant.* coniungitur saepe cum genitivo, ut apud Livium: *Habetis affatim ligneorum.*

Ibid. SUCCUSSISQUE.] concussu et agitatu eiectis.

Ibid. QUISQUILIAS.] Verba sunt Pythiae aedilis, qui pisciculos viles conspiciens, trivolosque coëmptos ab Appuleio, eos quisquilias appellat, quasi spurcitias piscium, et purgamenta. *Quisquiliae* enim purgamenta dicuntur, ut docet Servius in primo comment. Georg. et ut auctor est Pompeius Festus, *Quisquiliae putantur dici, quicquid surculorum foliorumque minutim cadit ex arboribus velut quicquid cadiae.* Naevius: *Abi, deturbate saxo quisquiliae, quid est?* Plinius volumine sextodecimo, *quisquilium* vocari tradit frutices parvos aquifoliae ilicis.

Ibid. POSTLIMINIO.] Verbum iuris. Titulus est apud iurisconsultos, *de captivis et postliminio reversis:* ubi Paulus, quid sit postliminium, scienter explicat his verbis: *Postliminium est, ius amissae rei recuperandae ab extraneo, et in statum pristinum restituendae, inter nos ac liberos omnes populos regesque moribus legibus constitutum.* Nam quod bello amisimus, aut etiam circa bellum, hoc si rursus recipiamus, dicimus postliminio recipere: idque naturali aequitate introductum, ut qui per iniuriam ab extraneis detinebatur, is ubi in fines suos redisset, pristinum ius suum reciperet. In bello et in pace postliminium est. Postliminio redeunt, homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa quae frena recipere solet, id est, domita: ut auctor est Boëtius in commentariis Topicorum. Marcellus iurisconsultus negat arma postliminio reverti, quod turpiter amittantur. De postliminio receptis copiose scribit Gallus lib. I. significationum quae ad ius pertinent. quod autem sit ipsum postliminii ius, potest ex ipsius nominis interpretatione cognosci. Postliminio enim redit, quisquis captus ab hostibus ad patriam remeaverit. Namque dum captivitatem hostium patitur, ius civium amittit. omnia autem iura recipit, si postliminio revertatur. Itaque *postliminii* vocabulo quaedam reversio significatur, ut docti autumant: qui ex adverbio *Post*, vim nominis interpretantur: reliquam vocabuli partem, protractionem solam et additamentum esse ostendentes, tanquam *liminium* nihil significet, sicuti *Tullium* supplementum est in *meditullio.* Igitur Appuleius *postliminio* scite et decenter dixit per adverbium, quasi reversionem quandam et reditum significans in forum cupedinis: de quo paulo ante satis multa.

Ibid. NUGAMENTA.] Quod supra *quisquilias* dixit, nunc *nugamenta* appellat, ex varietate elocutionis elegantiam captans. sicut Virg. in 3. Aeneid. nunc sylvam, nunc virgulta, nunc vimina, nunc arborem dicit, pro eodem. Plin. in 16. *nucamenta*, per literam *c*, appellat panniculas quasi quasdam, dependentes ex ramis abietis

et

et piceae. verum *nugamenta* à nugis, *nucamenta* à nuce inclinari videntur.

Ibid. SENICULUM.] senecionem. à sene enim fit diminutivum *seniculus* et *senecio*. Afranius: *Tu senecionem hunc satis est si servas anus.*

Pag. 77. PRO AEDILITATIS IMPERIO.] pro potestate magistratus. Magna est in oratione Latina varietas huiusce particulae *Pro*. aliter enim dicitur Pontifices pro collegio decrevisse, aliter testem pro testimonio dixisse, aliter pro rostris, aliter pro tribunali, aliter magistratum pro potestate intercessisse. Istam autem varietatem eiusdem quidem fontis et capitis, non eiusdem tamen esse finis, non insubtiliter disserit Gellius in 10. et ita facile putabit, si quis habeat bonorum scriptorum notitiam celebriorem.

Pag. 78. PISCES FRIVOLOS INDICATIS.] Supra docuimus, quemadmodum *indicare* non tam significat vendere quam aestimare, et pretium facere rei venalis. Castigatio est aedilis in piscatores, quod magnum nimis pretium petant pro pisciculis vilioribus, nugatoriisque. id enim est *frivolum*: cum *frivola* sint proprie, vasa fictilia quassa. Unde dicta *verba frivola*, quae minus sunt fide subnixa: et *res frivolae*, quae nullius pretii sunt, contemptibiles scilicet, et abjiciendae.

Ibid. FLOREM.] Hypatam significat, quae veluti flos et metropolis erat Thessaliae.

Ibid. INSTAR SOLITUDINIS.] Sensus est: Civitatem, quae alioqui florentissima est et primaria, facitis veluti desolatam viduatamque cultoribus, caritate cibariorum. Illa enim loca naturaliter frequentantur ab hominibus, ubi annona vilis est, et edulia minimo constant.

Ibid. EDILIUM.] Corrige *edulium*, hoc est, cibariorum.

Ibid. CARITATE.] pretii enormitate.

Ibid. FAXO.] faciam. *Sub meo magisterio.*] magistratu et aedilitate. *Magisterium* enim aliquando accipitur pro ipso magistratu: ut apud Plin. dicitur magisterium equitum, pro ipsa dignitate magistri equitum. Ita *magistri* dicuntur, maiores magistratus: unde *magister populi* apud antiquos is dicebatur, quem nos dictatorem dicimus: auctores M. Tul. Seneca, et Varro. *Magistrare* enim moderari est, et regere, unde *magisteria*, et *magistri* et *magistratus* dicti. M. Varro et Paulus iurisconsultus autumant, magistratus dici quasi per diminutionem, à magistris, tanquam minores hi magistri sint.

Pag. 79. OFFICIALEM.] ministrum. Antiqui praetores quia cum officio mittebantur in provincias, *officia provinciae* nominaverunt. unde *officiales* dicti apparitores, ministrique ipsorum magistratuum. et haec est vera verbi significatio. Vulgo *officialis* accipitur pro ipso magistratu. Iulius Capitolinus *officia Palatina* appellat, intelligi volens officiales, hoc est, ministros imperatorios, sic enim scribit in Gallienis: *Cum iret ad hortos nominis sui, omnia Palatina officia sequebantur.*

Ibid. OBTERERE.] conterere, conculcare, ignominiae causa. Plautus in Rudente evidenter ostendit aedilis officium hoc fuisse, ut merces venales, si improbae forent, iactaret, conculcaretque sic enim scribit: *Neptunus quamvis fastidiosus aedilis est, si quae improbae sunt merces, iactat omnes.*

Ibid. SEVERITUDINE.] severitate, acerbitateque castigatoria: sicut quoque nihil interest, *suavitudo* dicas an *suavitas*, *sanctitudo* an *sanctitas*, *acerbitudo* an *acerbitas*, *castitudo* an *castitas*: ita nihil refert, *severitudo* dicas an *severitas*. Plaut. in Epidico: *Quid illuc est, quod illi caperat frons severitudine?* Ubi *caperare* significat, rugis frontem contrahere et asperare: unde *caperata frons* dicta, pro tristi et severa.

Ibid. O LUCI.] Appuleius significatur.

Ibid. SENICULI.] piscatoris. A sene diminutivum nomen: cui subest occulta contemptio.

Ibid. PRUDENTIS.] Ironicῶs. intelligi enim vult à contrario, imprudentem fuisse Pythiam aedilem, qui tali consilio Appuleium privaverit, et nummis quos impenderat piscatori, et coena, cum pisces pedibus minister obtrivisset.

Ibid. LAUTUS.] modo lotus in balneis: alias splendidus et nitidus. unde et lautitia dicitur, epularum magnificentia. Epigrammatarius poëta: *Lauta quidem coena est, fateor, lautissima.* Locus extra urbem Romam dictus est *Lautulae*: quia cum illuc aqua flueret, lavandi usum exercebant.

Ibid. HOSPES.] Milo significatur. hîc enim *hospes* accipitur pro eo qui recipit: alias pro eo qui recipitur. hinc illud notissimum: *Non hospes ab hospite tutus.* Graece ξένος dicitur: unde ξένιος *Iupiter*, hospitalis, quem invocat Dido Virgiliana illo versu:

Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur.

Ibid. ABSTINENTIAE.] parsimoniae, vel potius avaritiae. modo ad vituperationem, alias ad laudem ponitur.

Ibid. SOMNO DILUENDAM.] Moraliter locutus. Contingere enim fere semper solet, ut lassitudo magis somno discutiatur quam cibo: et ut homo delassatus ex itinere magis somnum cupiat, quam coenam.

Ibid. ISTO ACCEPTO.] cum haec accepisset, audivissetque ex Photide Milo.

Ibid. DUM CONTOR.] remoror, et quasi resisto.

Pag. 80. INGRATIS.] invitum et nolentem. adverbium est, et, ut ait Donatus, significat non ultro: sicut *ingratus* significat invitus, et coactus. quae enim ultronea sunt, *grata* sunt, *ingrata* vero, quae ab inimicis fiunt, ac recusantibus. Plautus in Amphitryone: *Haec heri im-*

modestia coëgit me, qui hoc noctis à portu ingratis excitavit.

Ibid. GRABATULUM.] Graece κλινίδιον Lucianus appellat.

Ibid. AD ILLUM.] quasi contemptibilem et fastidiendum. Haec enim pronomina, *Iste* et *ille*, ut scienter inquit Donatus, saepe ad contemptum, aut ad odium referuntur. In pronominibus magnum est pondus. Virg. — *ille Sicheum Inpius ante aras: ille:* hoc est, sceleratus et nefarius, ut Donatus exponit.

Ibid. RESIDENTI.] mihi.

Ibid. QUAM SALVE.] quam prospere, quam feliciter. adverbium est, in hac loquendi consuetudine frequens. Apud Livium quaerit maritus de Lucretia: *Satin salue?* Illa respondens: *minime*, inquit, *quid enim salui est mulieri, amissa pudicitia?* Apud eundem in 10. *Satin salue*, inquit Appius: *Luci Volumni, ut sese insaniores habent?*

Ibid. QUID UXOR.] Brevis interrogatio, quae tamen multa complectitur, dum quaerit quid agat uxor Demeae, quid filii, quid tota familia.

Ibid. QUID VERNACULI? scilicet agunt. *Vernas* autem servos dici voluerunt, qui, ut ait Pompeius Festus, ex ancillis nati essent vere, quod tempus anni maxime naturalis foeturae est. Inde *vernula*, et *vernaculus* voce diminutiva, servus dictus. hinc *vernaculum*, domesticum appellant, et domi quasi nostrae natum ac peculiare. M. Varro lib. de analogia novissimo, tria genera verborum esse prodidit: *unum vernaculum ac domi natum, alterum adventitium, tertium nothum. Vernaculum est*, inquit, *domi natum: ut sutor et pistor.* Idem in tertio de Re rustica: *Praeterea quoque volucres, cum partim advenae sint, ut hirundines et grues: partim vernaculae, ut gallinae ac columbae.* Columella in gallinaceis probat *foecunditatem vernaculam*, hoc est, nostratium et domesticorum gallorum. A *verna* fit adverbium *vernaliter*, quod significat serviliter. Horatius in secundo Sermonum: — *nec non vernaliter ipsis Funditur officiis praelambens omne quod affert.* Ubi exposuit Acron, *Vernaliter*, id est, luxuriose: quae interpretatio an satis proba sit, ipse viderit. Nonius Marcellus *Vernaliter* exponit, pro adulatorie, à vernis, quibus haec vivendi ars est. A Cicerone dicta est *festivitas vernacula*, pro urbano lepore, salibusque Romanis.

Ibid. CAUSAS PEREGRINATIONIS.] Consimiliter Hipparchus Lucianum interrogat, quae illa sit via, et quo proficiscatur.

Ibid. PERTULI.] enarravi atque percensui.

Ibid. PRAESIDE.] quis scilicet sit praeses provinciae nostrae. Romani enim praesides provinciarum rectores missitabant: quo nomine et proconsules et legati Caesaris, et omnes provincias regentes appellantur. Est enim *praesidis* generale nomen, ut iurisconsulti prodiderunt: praesides autem provinciae suae celebrat Appuleius in Floridis et Apologia, Orfitum, et Severianum, et Maximum Claudium.

Ibid. SOMNULENTUM DESINERE.] Expressit id quod naturaliter accidere solet, ut somnulenti et iam dormitantes in mediis verbis deficiamus, veluti balbutientes: nec explicate satis, explanateque loquamur.

Pag. 81. VERBORUM SALEBRA.] asperitate. *Verba* enim *salebrosa* et asperata merito dici possunt in balbutiente et somnulento, propterea quod neque facile, neque expedite, neque tota enunciantur, quasi aspredine quadam et salebra atque offensaculo fistulam spiritalem offendentia. *Salebras* appellant asperitates, et loca aspera. M. Tullius in quinto de Finibus: *Venit ad extremum, haeret in salebra.* Idem de Oratore: *Alter sine ullis salebris, quasi sedatus amnis fluit.* Hinc salebrosum dixere. Virg. — *non tam salebrosus ut ante.*

Ibid. RANCIDI SENIS.] *Rancidum senem* festiviter, necnon et mordaciter appellat hospitem Milonem, vocabulo inamabili, et avaritiae sordes exprimente. Horatius *rancidum aprum* appellat insuavem. Ita à M. Tullio *caro rancida* dicitur in eo significatu, quo vulgus usurpat.

Ibid. LOQUAX ET FAMELICUM CONVIVIUM.] Tales sunt coenae sordidorum et deparcorum, ut plus loquacitatis habeant, quam liquaminis esculenti.

Ibid. COENATUS SOLIS FABULIS.] Ioculariter tanquam in coena verba tantum et fabulas propinaverit, vice obsoniorum. *coenatus* autem et *pransus* et *potus*, diversum valent quam indicant: ut docet Quintil. in primo.

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Dum Hypatae loca singula curiosius contemplatur, Byrrhenam matronam opulentam recognoscit: statuamque in eius domo faberrime factam explicat. à qua commonitus, ut ab uxore Milonis hospitis caveat, perinde ac maxima magarum, in ancillae amorem propensus labitur, cum qua complexus et colluctationes veneriae referuntur. Coenaticus Byrrhenae apparatus describitur. Inibi inseruntur et fabellae convivales, licentiosique cachinni constrepentes: mortui custodia: custodis nares auresque praesectae: mox regressio Lucii nocturna ad hospitium, non sine sudore et caede, qua non tam homicida factus est quam utricida.

Pag.

Pag. 82. UT PRIMUM.] Appuleius post somnum excussum in Milonis Hypatini hospitio, singula loca illius civitatis coepit curiose contemplari: utpote magiae noscendae cupidissimus. et cum videret se esse in media Thessalia, quae domicilium et officina est magicarum vanitatum, existimabat, quicquid spectaret, id totum vi cantaminum esse in alias effigies transfiguratum. Ex hac contemplandi curiositate incidit in matronam summatem, nomine Byrrhenam, cuius opulentia et cultus graphice referuntur.

Ibid. SOL NOVUS.] recenter exortus. Virg. *Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent.*

Ibid. EMERSUS.] Optimo verbo est usus, tanquam sopitus mersus sit in barathrum oblivionis.

Ibid. ANXIUS ALIOQUI.] Ordinatio verborum sic struitur: Anxius curiose singula considerabam.

Ibid. MEDIAE THESSALIAE LOCA.] Tanquam Hypata in meditullio Thessaliae sita sit.

Ibid. NATIVA CANTAMINA.] Significat artem magicam sedes habere originales in ipsa Thessalia, perinde ac ibidem nata sit, non aliunde advecta. Ita Lucanus in sexto Pharsaliae cantamina, hoc est, incantamenta magica, veluti nativa atque vernacula peculiariaque Thessaliae fuisse demonstrat. Menander quoque apud Graecos, *Thessalam* cognominavit fabulam, complexam ambages foeminarum detrahentium lunam. Autumat Plinius, magiam in Perside inventam à Zoroaste, transisseque illinc ad Thessalas urbes. Hinc Plautus *Thessalum veneficum* scitè dicit, intelligi volens maximum praestigiatorem, omnisque magici ludibrii gnarissimum.

Ibid. FABULAMQUE ILLAM.] subaudi reputans: hoc est, recolens.

Ibid. CIVITATIS.] Hypatae.

Ibid. ID ESSE CREDEREM.] Lucius habens persuasissimum, in Thessalia plurimum pollere magicas artes, credebat, quaecunque videbat, ea esse omnia vi cantaminum transformata, demutataque.

Pag. 83. FERALI MURMURE.] Magico cantamine, susurramineque pestifero.

Ibid. LAPIDES DE HOMINE DURATOS.] Lucianus in hanc sententiam, θεάσασθαί τι παράδοξον, ἢ πετόμενον ἄνθρωπον, ἢ λιθούμενον· Cupiebam, inquit spectare aliquid inopinabile, vel hominem volaticum, vel lapideum.

Ibid. INDIDEM.] Ex homine.

Ibid. FOLIATAS SIMILITER.] Scilicet ex humanis corporibus: tanquam homines potentia magica in lapides, in aves, in arbores, in fontes transfigurari possent: sicuti metamorphosis poëtica multiformiter tradit.

Ibid. LATICES.] Aquas. Supra dictum est, laticem dici omnem liquorem.

Ibid. FLUXOS.] Solutos, liquefactosque. Allusit ad naturam aquarum, fluidam ac fluentem. Alias fluxus dicitur mollis et effoeminatus, ut Martialis: *Cinaedo eviratior fluxo.* A Cypriano fluxura accipitur pro libidine, et mollitia veneria; scribit enim, castitatem exarmaturam esse fluxurarum: hoc est, libidinum.

Ibid. STATUAS ET IMAGINES.] *Statua* propriè lapidea est, sive aenea, et ex quacunque materia solidiore. *Imago* cerea est, et picta. Sed saepe indiscriminatim ponuntur. Sensus est: Ex persuasione magicae disciplinae credebam incredibilia. et ut Lucianus dixit Graece παράδοξα, hoc est, inopinabilia: quod imagines ambularent, boves pecudesque loquerentur. quod sane prodigiosum est, et contra naturam.

Ibid. INCESSURAS.] Ambulaturas.

Ibid. ID GENUS.] Huius generis. Eloquutio elegans, scriptoribusque usitatissima, *Id genus*, *hoc genus*, pro eius generis, et huius generis.

Ibid. PECUA.] Vetustissimi *hoc pecu* singulariter, et *haec pecua* pluraliter dicebant: ut docet Priscianus in sexto. Nonius Marcellus: *Pecua*, inquit, *et pecuda ita ut pecora, veteres dixerunt.* Plautus in Mercatore: *Nec pecua ruri pascere, nec pueros nutricare.* Idem in Rudente: *Squamosum pecu*, pro piscibus posuit: et Solinus in Polyhistore sic refert: *Ita pabulosa, ut pecua, nisi interdum aestate à pastibus arceantur, ad periculum agat satietas.* Mendosi codices non *pecua* habent sed *pecuaria.* Naevius in gymnastico: *Homines, pecua, belluasque.* Hinc *pecuarius* homo dictus à M. Tullio, qui habet pecuarias grandes: hoc est, qui pascit armenta et greges, ex quibus exuberant uberes quaestus. M. Varro in secundo de Re rustica: *Et ipse pecuarias habui grandes, in Apulia oviarias, et in Reatino equarias.* Et hoc est quod intelligi voluit Porcius Cato, agricolationis totius scientissimus, qui quaerenti quid maximè in re familiari expediret? respondit: *Bene pascere*, quid secundum: *Satis benè pascere.* hoc enim verbo declaravit, rem pecuariam esse in agricolatione quaestuosissimam.

Ibid. DICTURA PRAESAGIUM.] Apud priscos in prodigiis erat, bovem loquutum esse: quo nunciato senatum sub divo haberi, refert Plin. qui aliubi quoque sic tradit: Canem loquutum in prodigiis, quod quidem annotaverim, accepimus: et serpentem latrasse, cum pulsus est regno Tarquinius. Invenitur in annalibus, olim in villa Galerii locutum esse gallinaceum semel: quae omnia quia fiunt contra quam est nota natura, prodigiosa existimantur, creduntur que facere praesagium: hoc est, prognosticon rerum futurarum.

Ibid. IUBARIS ORBE.] Solis globosum corpus significat.

 Ibid.

Ibid. VENTURUM ORACULUM.] Quaecunque incredibilia impossibiliaque naturaliter sunt, ea credebat Appul. fieri posse Hypatae magici cantaminis vi atque potentia.

Ibid. ATTONITUS.] stupefactus. *Attonitos* proprie appellamus, ut auctor est Corn. Celsus, quorum et corpus et mens stupet. Quod genus mali fit interdum ictu fulminis, interdum morbo. hunc *apoplexiam* Graeci appellant. De attonito Servius sic: *Attonitus proprie dicitur, cui casus vicini fulminis, et sonitus tonitruum dant stuporem.*

Ibid. IMMO VERO.] Correctio est.

Pag. 84. CUPIDINIS MEAE.] cupiditatis, scilicet magiae noscendae. Interdum masculino genere *cupido* accipitur pro cupiditate. Horat. — *cupido sordidus aufert.* Idem in Sermonibus: *At bona pars hominum decepta cupidine falso.*

Ibid. IN LUXU NEPOTALI.] *Luxus nepotalis* significat immodicam profusionem, et victus largitatem. *nepos* enim prodigus dicitur: unde *nepotalis* derivatur. Eleganter à Tertulliano dictum est, *Aristippus in purpura nepotatur:* pro eo quod est, luxuriatur, et lautius vivit. *Nepotatus* quoque, ut apud Tranquill. annotavimus, dicitur ipse luxus atque prodigentia.

Ibid. OSTIATIM.] per singula ostia: adverbium est. consimilia sunt *templatim*, *vicatim*, *pagatim*, et id genus prope infinita. Quintil. in 5. *Scrutanda singula, et velut ostiatim pulsanda.*

Ibid. FORUM CUPEDINIS.] forum piscarium, et in quo esculenta venduntur. relege quae in primo commentario copiosius annotata sunt, super hac dictione.

Ibid. FAMULATIONE.] famulorum ancillarumque multitudine, quod et famulitium dicitur, ut idem Appuleius ait in Floridis: *Frequens famulitium, domus amplo ornata vestibulo.* Graece ait Lucianus, παῖδες πυκνοί, id est, frequentes ministri.

Ibid. AURUM IN GEMMIS.] Lucianus: ἱμάτια ἀνθινὰ καὶ χρυσίον πεττὸν, id est, vestimenta florida, et aurum copiosum.

Pag. 85. INFLEXUM.] scilicet in gemmis. Sabinus iurisconsultus ait, gemmas inclusas auro cedere. Etenim cedit, cuius maior est species. Unde si margaritae auro ornandi gratia adhibitae sunt, auro cedunt: si contra, aurum margaritis cedet. Idem, ut Ulpianus inquit, et in gemmis est, annulis inclusis: sed si gemmae ut habiliter geri possint, inclusae auro fuerint: tunc aurum gemmis cedere autumat Paulus.

Ibid. HIC INTEXTUM.] scilicet in tunicis. Aurum intexere vestibus, invenit Attalus rex: unde nomen Attalicis. auctor Plin. in octavo. Fiunt ex auro textili vestimenta, sine alia materie: quali paludamento indutam Agrippinam vidisse se refert idem Plin. netur enim aurum, ac texitur lanae modo, et sine lana. Tunica aurea triumphasse Tarquinium Priscum Verrius tradit.

Ibid. MATRONAM CONFITEBATUR.] ex cultu ornatuque matronali apparebat, eam esse matronam summatem. Cultus magnificus, ut Graeco versu testatum est, addit hominibus auctoritatem. *Hercules.*] certe. *Lucius.*] Appuleius.

Ibid. IN AUREM OBGANNIIT.] Ita Mart. *Gannis in aurem semper omnibus Cinna.* Unde et *obgannire* ductum est, quod significat murmurare. Et *gannitio* apud veteres, significat canum querulam murmurationem. *Gannitum* quoque nonnulli humanam vocem vocaverunt. Unde *obgannire in aurem*, est secreto loqui, et veluti immurmurare. Afranius: *Gannire ad aurem nunquam didici.*

Ibid. VEL IPSAM PARENTEM.] Verba sunt senis, hortantis Appuleium, ut matronam salutet, veluti parentem ac matrem: id enim venerationis nomen est.

Pag. 86. IGNOTAE MIHI FOEMINAE.] Extrinsecus subintelligendum, me offerre, vel tradere, vel aliquid simile.

Pag. 87. OBTUTUM CONVERSA.] oculis in me defixis.

Ibid. EN, INQUIT.] Verba matronae Byrrhenae ad Appuleium, quem recognovit ex lineamentis vultuque materno. nihil enim dubium est, (ut Columellae verbis utar) quin ipsa natura sobolem matri similem esse voluerit: et parentum notae plerunque natis inhaerent.

Ibid. SALVIAE.] Nomen est matris Appuleii. Alias herba est cana, odorata, mentae similis: vulgo nota. Herbarii Graece *Elelisphacon* vocant. à qua fortassis *salviatum* deducitur, quod genus est liquaminis sive potionis, cuius Columella et Plinius meminerunt. Quidam non *salviatum* legunt, sed *saliviatum*, à saliva, hoc est, succo, inclinata dictione.

Ibid. AEQUALITER AD REGULAM.] quasi dicat, cuncta corporis in Appuleio membra congruere maternis membris, veluti ad amussim, quae regula est fabrorum, qua architecti utuntur ad opus probandum. de qua ait et Maro: — *nil ut deliret amussis.*

Ibid. SUCCULENTA PROCERITAS.] Dictiones praeposterae, quae ita in ordinem redigendae sunt: *Inenormis proceritas*, *succulenta gracilitas.* ut quasi per antitheton, singulis singula opponantur: quae locutio splendida est. Vult enim significare, in Appuleio fuisse corporis proceritatem, sed inenormem, hoc est, moderatam, non immodicam: et ob hoc decoram fuisse gracilitatem, sed succosam, ut ita ex contrariis fiat temperamentum formositatis. Tale enim corpus habilissimum est, ut ait Corn. Celsus. nam longa statura, ut in iuventa decora est, sic matura senectute conficitur. Gracile autem corpus infirmum, obesum, hebes est. Talis statura qua-

quadrata ab eruditis nuncupatur, de qua scripsimus in 10. commentario apud Suetonium: qui tradit, Vespasianum fuisse statura quadrata. *Inenormis* significatur non enormis: hoc est, non nimia, neque immodica. Cic. in Topicis *privativa* appellat, quae Graece στερητικὰ dicuntur, in quibus adiecta est praepositio *in*. haec enim syllaba cum fuerit apposita, demit fere aliquid ex ea vi quam esset res quaelibet habitura, si *In* syllabam praepositam non haberet: ut humanitati *inhumanitas*, dignitati *indignitas*. *In* namque adposita, id de quo dicitur humanitate ac dignitate privavit. Unde et Boëtius scienter, hanc orationis particulam *privatoriam syllabam* vocat, in quarto commentario Topicorum. Sicut autem *enormis* dicitur grandis et prolixus: ita *inenormis* proceritas significatur statura quidem longa, sed non enormitate deformis, et quae mediocritatis temperamento decora sit. Consimiliter *gracilitas succulenta* dicitur, cum neque nimis gracile, neque nimis obesum corpus est: quae res hominem venustat. *Succulentum* dicimus succi plenum, et quasi succosum: quod tamen neque obesum aut pingue sit: qualis habitudo laudatur. Sidonius Apollinaris tradit, Theodericum regem fuisse colli non obesi, sed *succulenti*.

Pag. 88. RUBOR TEMPERATUS.] Galenus ἐν μικροτέχνῃ, inter signa craseos, hoc est complexionis, vel (ut latinius loquar) constitutionis bonae, enumerat colorem ex rubore candoreque concretum: capillos flavescentes, et modice crispos.

Ibid. CAPILLITIUM.] coma et capilli. Sic enim à *capillo* dicitur *capillitium*. ut à *famulo famulitium*, à *satellite satellitium*.

Ibid. INAFFECTATUM.] Ipse in Apologia capillos sese habuisse tradit non amoenos ac delicatos, nec ad lenocinium decoris promissos, quales *affectati* dicuntur, cum affectatione quadam et cura studiose colantur ab his qui (ut ait Seneca) *solicitiores sunt de capitis sui decore quam de salute: qui inter speculum pectinemque occupati sunt, qui concinniores esse malunt quam honestiores, qui rempublicam suam turbari minus curarent quam comam.* Archigenes medicus cosmotica, hoc est, medicamenta ad capillos venustandos composuit: quibus docet, flavos et crispos capillos fieri spuma salis, myrrha commixta. Galenus quoque non parum multa commemorat cosmoticorum, quae nigricant, candicant, ruffant capillos: quae foeminarum effeminatorumque peculiaris cura est. aitque vidisse mulieres complusculas immodica affectati capillitii curiositate defunctos, cum caput huiuscemodi pharmacis medicamentisque letifera frigiditate vexarint. *Calliblephara* dicuntur à Graecis, et à Plin. nostro, medicamenta, quibus oculorum palpebrae et supercilia venustantur, et capilli inficiuntur: quod et alibi annotavimus.

Ibid. OCULI CAESII.] caerulei, viridisque coloris. Caesius enim color viridis caeruleusque significatur, quem et alio nomine *glaucum* nuncupant. à Latinis veteribus *caesia* dicta est, quae Graecis *Glaucopis* dicitur: ut Nigidius ait, de colore coeli, quasi *Coelia*. Catullus *caesium* leonem appellat, à colore oculorum caeruleo. Corn. Celsus in 7. *Pupillae*, inquit, *color vel niger est, vel caesius, cum summa tunica tota alba sit.* Aristot. in primo de Animalibus, caesium in oculis colorem aliis esse tradit: aliis caprinum, quod morum optimorum indicium est, et ad cernendi claritatem primatum obtinet. et hoc est quod intelligi voluit Plin. cum ait in 11. Conditos oculos clarissime cernere, sicut in colore caprinos.

Ibid. MICANTES.] fulgentes et mobiles. *In aspectus aquilinos.*] Aquila clarissima oculorum acie praecellens est, ut Plin. in 10. et Appuleius in Floridis prodiderunt. unde *aspectus aquilinus* dictus, quo acutissimus clarissimusque significatur. Antiqui aquilum colorem, qui est fuscus et subniger, ab aquila dictum esse autumant. alii ab aqua denominaverunt, cuius incertus est color. Aristoteles in nono de animalibus: *Aquila*, inquit, *acie oculorum valens sedulo advolat.* Halietus, quod aquilarum genus est, et interpretari potest marina aquila, inter caeteras clarissima oculorum acie praeditus est: pullosque adhuc implumes cogit intueri adversus Solis radios; et si conniventem flentemque animadvertit, praecipitat è nido, velut adulterinum ac degenerem: illum cuius acies firma contra steterit, educat. Hoc intelligi voluit Silius, cum ait:

Phoebea dubios explorant lampade foetus.

Pag. 89. QUOQUO VERSUM FLORIDUS.] Ex omni parte corporis speciosum, et decenter amabilem Appuleium fuisse significat, et hic erit distinguendum, ut *floridus* ad hominem referatur. In hanc sententiam est illud Tibulli, in laudem Sulpitiae depromptum:

Illam, quicquid agit, quoquo vestigia movit,
Componit furtim sequiturque decor.

Potes connectere et cum subsequentibus, ut ita sensus ordinetur: Quoquo versum floridus incessus. Post laudationem superiorum membrorum, laudatur et incessus, ex eo quod floridus esset, nec affectatus, quancunque in partem vestigia moverentur. *impudicum* enim, ut inquit verissime Seneca, *ostendit incessus, et relatus ad caput digitus.* M. Tul. praecipit in primo de Officiis, cavendum esse, ne incessu molliores simus, ne similes pomparum ferculis videamur. Quin etiam in Decretis canonicis, d. xli. monentur sacerdotes, ut incessu ornati sint, ut gravitate itineris mentis maturitatem ostendant. In

compositio enim corporis, ut August. ait, qualitatem indicat mentis. Unde Sallustius inter caetera hoc quoque Catilinae probro dedit, quod eius incessus modo citus, modo tardus foret. Laus ergo incessus in homine est, ut immeditatus sit, neque affectione infractus, suspensusque. Scribit Iulius Firmicus, eos qui pleiades habent in horoscopo, molliter ambulantes vestigia suspendere; eosque poenitere, quod viri nati sint. Ambrosius olim clericum, ne sibi unquam praeiret, commonefecit: quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos sanctissimi hominis feriebat, qui mox ab ecclesia recessit: In cuius incessu lucebat imago quaedam levitatis, scurrilisque discursatio. Gressus autem probabilis est, ut idem Ambros. refert in primo de Officiis, in quo sit species auctoritatis, gravitatis pondus, tranquillitatis vestigium.

Ibid. QUID NI?] Dictio comica est, quae significat, cur non? Hor. *Militia est potior quid ni? concurritur horae Momento.*

Ibid. EANDEM NUTRICEM.] Idem lac nutritium hausimus. Vult intelligi, se fuisse collacteos. *Collacteus* enim dicitur, qui uno eodemque lacte educatus est. auctor Caper grammaticus.

Ibid. INNEXU.] Vinculo. una dictio est.

Ibid. UNA COALUIMUS.] Simul crevimus, adolevimusque. hoc enim significat *coalescere:* sicut *inolescere* est coaugmenti, *exolescere* evanescentis, ut docet Agretius.

Ibid. DISCERNIT.] disseparat, disiungit. *Illa.*] mater scilicet Appuleii.

Ibid. PRIVATAS NUPTIAS.] Semel positum *nuptias*, bis debemus accipere. ut sit sensus: Illa mater tua clarissimas nuptias fecit, ego vero privatas nuptias. Foeminae autem nubentes clarissimis personis, clarissimarum personarum appellatione continentur: ut scribit Ulpianus. Radiis enim maritorum coruscare uxores dicuntur.

Ibid. BYRRHENA ILLA.] Apud Lucianum consimilis matrona ἄβροια, hoc est, Abroea nuncupatur, quae amicam familiaremque Luciani matris sese fuisse demonstrat.

Pag. 90. FIDUCIA.] Cum fiducia, hoc est, fidenter, et ut vulgo dicitur, fiducialiter. Lucianus in hanc sententiam: τί οὖν οὐχὶ παρ' ἐμοὶ καταλύεις; id est, quid igitur apud me non devorteris?

Ibid. RUBORE DIGESTO.] Sequestrata verecundia, et depulso rubore, qui faciem occupaverat.

Ibid. PARENS.] Mater. reverentiae nomen. sic et Lucianus, ὦ μῆτερ.

Ibid. OFFICIIS INTEGRIS.] Tanquam officium mutiletur, si hospes deseratur.

Ibid. DEVORTAR.] Verbum est hospitale, sic et Plautus in Pseudolo: *Ego devortor extra portam huc in tabernam.*

Ibid. ALTERCAMUR.] Altercationem quasi quandam usurpamus, vicissatim intendentes, depellentesque. *Altercari* pars est rethoricae disciplinae, constans aut intentione aut depulsione. Praecipit Quintilianus in 6. ut bonus altercator vitio iracundiae careat, et ne turbidus et clamosus sit. Valet in altercatione plurimum acumen.

Ibid. ATRIA LONGE PULCHERRIMA.] Descriptio est Byrrhenae domus; cuius atria cum primis extollit, quae proxima ianuis sunt. Indicat M. Tul. epistola quadam ad Quintum fratrem, atriolum quasi minusculum atrium fieri solitum in maioribus aedificiis, in quibus est atrium maius. Atriorum longitudines quomodo formari debeant, docet Vitruvius. Grammatici *atrium* ab Adriatibus populis, sive ab atro fumo deduci autumant. Graeci in aedificiis non utebantur atriis.

Ibid. COLUMNIS QUADRIFARIAM STANTIBUS.] Quadratum atrium fuisse significat: sicuti in magnis domibus cavum aedium, peristylonque conspicimus. *Undique columnis septum.*] quae quadrifariam, hoc est, in quatuor partes excurrunt. Columnae autem in angulis stantes, hoc est, ultimae, dicuntur *antes*, quibus fabrica maxime sustinetur. Praecipit Vitruvius in 3. columnas angulares crassiores faciendas esse quam medianas, propterea quod graciliores esse videntur aspicientibus. Columnarum genera quatuor: Doricae, Ionicae, Tuscanicae et Corinthiae: quae caeteris graciliores. praeter has sunt Atticae, quae ternis angulis quadratae. Graeci στύλον columnam dicunt. Inde *tetrastylon*, *decastylon*, à numero columnarum. Inde et *pycnostylon* dictum aedificium, in quo densae spissaeque sunt columnae.

Pag. 91. DEAE PALMARIS.] Victoria significatur, quae à palma arbore *Palmaris* nominatur: quam in certaminibus victoriae signum placuit esse. August. in 4. Victoriae deae meminit, qua favente et propitia, ait gentes omnes subditas futuras, etiam Iove feriato. Idem alibi ludens, vel potius illudens ait: *Si victoria dea est, cur Deus non et triumphis et victoriae iungitur, vel maritus vel frater, vel filius.* A palma quoque manus dicitur *palmaris*, ut apud Quintilianum *in pariete palmato. Palmare* vestigium dictum, quod ex palmae impressae nota factum sit.

Ibid. PINNIS EXPLICITIS.] In singulis columnis angularibus singula erant simulachra Victoriae, ex lapide effigiata: tam fabre, tamque eleganter ut pennis expansis volare viderentur. Idque decenter: figuratur enim Victoria alata, pinnataque. Unde et *praepes* est cognominata à poëtis. Victoriolas aureas simulachrorum porrectis manibus sustineri solitas, M. Tullius Valeriusque notificant.

Ibid. PILAE.] columnae: à *pila* fit adverbium *pilatim*, quod per columnas significat: quo utitur Vitruvius.

Ibid.

Ibid. VOLUBILES.] Laus structurae, ut volubiles volaticaeque viderentur effigies victoriarum, cum tamen pilae essent stabiles.

Ibid. DECITANTES.] Nove dictum, sed eleganter: pro eo quod est decorantes, venustantesque. Forma frequentativa, ab hoc verbo *Decet*, *decitat:* unde *decitantes* inclinavit.

Ibid. LAPIS PARIUS.] Paros insula est una ex Cycladibus, marmore nobilis: quam primo Plateam, postea Minoida vocaverunt. auctor Plin. in 4. Idem scribit in 36. marmor Parium fuisse candidum, coeptumque appellari lapidem Lychnitem, quoniam ad lucernas in cuniculis caederetur. Ob candorem lapidis Parii Virg. *niveam* Paron appellavit, qui alibi quoque ait: *Pariusque lapis circumdatur auro.* De lapide Pario sic refert Strabo in 10. Paros lapidem producit, quem *Parion* appellant, ad marmoreas sculpturas aptissimum. Quintil. in 2. *Etsi Praxiteles signum aliquod ex morali lapide conatus esset exculpere*, *Parium marmor mallem rude.* Ex Paro fuit Archilochus poëta, iambici carminis repertor. Mendum est apud Strabonem, apud quem non Archilochus, sed Antilochus, Parius fuisse legitur. Ob hoc dixit Horatius in Epistolis: *Parios ego primus Iambos Ostendi Latio.* ubi exposuit Porphyrion, *Parios iambos* dici quasi Archilochios: quia Parios fuit Archilochus, iambici carminis repertor.

Ibid. IN DIANAM.] simulachrum.

Pag. 92. SIGNUM.] statua, simulachrum.

Ibid. LUCULENTUM.] nitidum, pulchrum, perspicuum: à luce dictum. Lutulentum vero, coenosum sordidumque, à luto.

Ibid. VESTE REFLATUM.] quasi flante vento renudatum. Consimile est id quod scribit Plin. Venerem reiectam nudamque à Praxitele factam fuisse, inter caeteras statuas famigeratam. *Reflatus* nomen est quarti ordinis, quo significatur flatus contrarius et noxius. M. Tul. in epist. ad Atticum: *Navis relata in Uticam reflatu.*

Ibid. PROCURSU VEGETUM.] Laus statuae, quae procurrere et moveri videbatur. Canes utrinque secus à lateribus statuae erant fabrefacti ex eodem lapide, canes quasi laterones: hoc est, latera Deae cingentes. Dianae enim sunt dicati canes, utpote deae venatrici. Hinc *turba Diania* dicuntur, poëtica periphrasi. Laribus quoque canes assignantur. ut docet Ovidius in Fastis.

Ibid. HIS OCULI.] Laus artificii, manuumque artificis, quae veritatem sic fuerant imitatae, ut mutae ac inanimales formae vivere ac moveri viderentur: quasi fiant ex natura, quae fieri videntur ex arte. Canes autem hi potissimum laudantur, veluti generosiores, qui oculis sunt nigrantibus aut ravis. Columella villaticum canem describens, ait eum esse eligendum, qui conspectu terreat, qui deiectis et propendentibus auribus sit, vasti latratus, sonorique.

Ibid. NARES HIANT.] patulae sunt. *Nares* autem appellari putant, quod per ea quasi foramina, odoris cuiusque *nari*, hoc est, periti fiamus. Sed melius dici à Graeco videntur, per inversionem literarum, quod Latinis consuetum est: ut ῥῖνες *nares*, τέρην *tener*, et multa huiusmodi. Ad vestigandas feras accommodatissimus est canis, nares sagax.

Ibid. SICUNDE.] si ex aliqua parte, ex aliquo loco: adverbium est. ut *alicunde* apud Plautum, quod significat ex aliquo loco.

Pag. 93. SIGNIFER.] corrige *signifex*, hoc est, statuarius, et signi, hoc est, simulachri fictor. ut enim ab arte *artifex*, ab auro *aurifex*, sic à signo faciendo *signifex* denominatur. Alio nomine *significus* dicitur ab eodem, sic scribente in daemonio Socratis: *Sed non pudet me esse significum.* nisi forte velis legere *significem*, ut *artificem.* A Marciano quoque in nuptiis Philologiae *signifex* usurpatur pro statuario, et artifice signorum. consimiliter Sidonius Apollinaris in 6. Graecia cementariis pictoribusque illustris. Divus August. in lib. de Grammatica, sic refert: *Ad hanc formam declinabis aurifex*, *artifex*, *carnifex*, *et alia.*

Ibid. SUBLATIS CANIBUS.] Signifex ita figuraverat canes ex lapide, ut sublatis pedibus prioribus, impetum facere et procurrere velle viderentur: pedibus vero posterioribus innixi consistebant, quae omnia ad laudem signorum mirique artificii dictae sunt.

Ibid. PONE TERGUM.] post tergum, à tergo.

Ibid. DEAE.] Dianae, ex Pario lapide effigiatae.

Ibid. MUSCIS.] Sicut à Virg. *muscosi* fontes dicti sunt, quia naturaliter musco herba obumbrantur: ita et speluncae lanugine musci viridiore et arbusculis vestitae conspiciuntur. A *musco* fit verbum *muscare*, quod significat convelare et contegere musco, quo prope peculiariter usus est Columel. Idem scriptor in 5. *muscum* ferro distringendum et eradendum esse, qui more compedis crura vitium devincta comprimit, situque et veterno macerat. Idem in 6. supra insitos surculos *muscum* imponendum esse tradit, et ita alligandum ne pluvia dilabatur. *Muscus* qui in aqua fuerit, Plinio teste, podagris illitus prodest.

Ibid. SPLENDOR.] Purior lectio est *Splendet:* ut sit sensus, umbram signi, hoc est, ipsius statuae, propter nitorem lapidis Parii, qui purissimus est, intus splendescere.

Ibid. SUB EXTREMA MARGINE.] Dicitur *hic margo*, et *haec margo*, masculino genere et foeminino. Hinc fit verbum elegans *Emargino*, quod significat extremitates supervacaneas auferre, et

margines ulcerum erodere. quo verbo utitur noster Plinius; *Margam* Britanni et Galli vocant pinguem terram, qua iniecta aluntur agri: cum sit quidam terrae adeps, et pinguitudo.

Pag. 94. FABERRIME.] elegantissime, perfectissimeque: adverbium est, deductum à *fabre*, quod significat polite et nitide: *adfabre*, quod valet valde fabre, nitideque. Pronunciatur prima acuta, sicuti *admodum* et *adprobe* dicuntur: quod Annianus poëta sentiebat, et probat Gellius. E diverso *infabre* dicitur, ineleganter et impolite. Horatius:

Quod sculptum infabre, quod fusum durius esset.

Ibid. ARS AEMULA NATURAE.] imitatrix, studiosa effectrix. ars enim naturam imitatur, eamque usque quaque effingere ac repraesentare contendit. libro 3. Rhetoricorum ad Herennium: *Imitatur*, inquit, *ars naturam*, *et quod ea desiderat inveniet*, *si quod ostendit sequatur.* Celebratum est Eupompi pictoris responsum, qui interrogatus quem sequeretur antecedentium, dixisse fertur, demonstrata hominum multitudine, naturam ipsam imitandam esse, non artificem. Plato volumine decimo de Legibus tradit omnia natura et arte fieri, artemque ipsam simulachra veritatis genuisse. Me ista condente, artem aemulam naturae esse evidenter ostendit municeps meus Francia, inter pictores aurifex maximus: inter aurifices pictor absolutissimus, utroque in opere mirandus artifex atque foecundus; cuius tabulae multae oculos tenent animosque spectantium. palmam habet tabula Franciae illa, quae dici potest exopolis, id est, extramurana; eam namque extra muros in aede Misericordiae suburbana dedicavit sidus aureum nostrum, et decus antistitum, pronotarius Bentivolus Antonius Galeacius: qui omni vitae colore tersissimus, liberalissimusque, in primis religionis cultor illustris, cum peregrinationem Hierosolymariam feliciter obiisset, e vestigio curavit ut tabula haec manu Franciae picta, omnique pretioso cultu exornata dedicaretur: qua nihil absolutius plerique omnes iudicant. In templo quoque divi Iacobi spectatur tabula altera, eodem artifice nobilitata, quam illustrissimus princeps noster Io. Bentivolus, et ipsius religiosi cultus servantissimus, in sacello suo dicavit, quam aemuli artifices non sine livore suspiciunt. In his Franciae tabulis ars aemula naturae in tantum cognoscitur, ut vultus imaginum spirantes vivere et anhelare videantur. Haec obiter dicta sint de artifice nunquam satis laudato, cuius manus certantes cum manibus priscorum, tam in pictorum quam aurificum opificio naturam in primis repraesentat: artes autem ipsae naturam imitantes, ex imparibus paria faciunt: pictura vero peculiariter ex discordibus pigmentorum coloribus confusione modica temperatis, imagines, his quae imitatur similes, facit.

Ibid. MUSTULENTUS AUTUMNUS.] Optimum autumni epitheton, ut *mustulentus* dicatur, propterea quod hoc tempore *spumat plenis vindemia labris*, ut ait poëta: et ab Ovidio decenter dictum est:

Stabat et autumnus calcatis sordidus uvis.

Cyprianus verborum novitate luxurians, *autumna* dixit neutraliter, sic scribens in epistola ad Demetrianum: *Nec adeo arboris foetibus autumna foecunda sunt.* Nec minus venuste Portius Cato *autumnitatem*, autumni tempestivitatem: sicuti antiqui *olivitatem* dixerunt, quando olea legebantur: et *ficitatem* fructus fici maturitatem. *Fidicula occasu suo autumnum inchoat*, ut ait Plinius in decimo octavo. Autumat Festus Pompeius, *autumnum* dictum esse ab augendo, quod tunc maxime augeantur hominum opes, coactis agrorum fructibus. Consensus medicorum autumnale tempus infamat veluti pestiferum, noxiumque. Causas refert Galenus in expositione Aphorismorum duas potissimum: quarum altera, quia eadem die aliquando frigus est, aliquando calor: altera, quia mali chymi, hoc est, mali succi in corporibus id temporis exuberant, ex pomorum fructuumque esu largiore. Corn. Celsus in secundo: *Ex tempestatibus*, inquit, *optimae aequales sunt*, *sive frigidae*, *sive calidae: pessimae*, *quae variant maxime: quo fit*, *ut autumnus plurimos comprimat.* nam fere meridianis temporibus calor, nocturnis atque matutinis simul etiam vespertinis frigus est. corpus ergo et aestate, et subinde meridianis caloribus relaxatum, subito frigore excipitur. Ob hoc dixit Ovidius, *inaequales autumni.* Idem alibi ait:

Cum modo frigoribus premimur, *modo solvimur aestu*,
Aëre non certo corpora languor habet.

Dicitur autem *mustulentus* ea formula, qua vinolentus, faeculentus, turbulentus. Plautina dictio est. sic enim scribit ille:

Ita mustulentus ventus nares obtigit.

Ibid. UT VITE.] tanquam in vite pendulos. *Racemos.*] Non solum de vitibus, sed de aliis quoque plantis *racemos* dici, testis est Plinius in decimo sexto, de hedera scribens: *Aliis*, inquit, *densus acinus*, *et grandior racemus*, *in orbem circumactis*, *qui vocantur corymbi.* à *Racemo* fit *racemosum*, quod significat racemis plenum: inde et *racematio*, qua dictione significantur vindemiarum reliquiae: sicut messibus peractis superest spicilegium. Tertullianus scite usurpat hoc verbum translatione oppido quam decenti, cum ait in Apologetico: *Post vindemiam parricidarum racematio superstes.* De spicilegio ait M. Varro proverbialiter, *Nemo reprensus qui è segete ad spicilegium relinquit stipulam.* Idem in primo de Re rustica: *Ad corbem messi facta spicilegium venire oportet*, *aut domi legere stipulam.*

Pag.

Pag. 95. NEC AGITATIONIS.] Sensus est: racemi lapidei veros racemos ita repraesentabant, ut in undis subiectis agitari, ludere, moveri viderentur.

Ibid. FRONDES LAPIDIS.] frondes ex lapide fabrefactae significantur.

Ibid. ACTAEON.] Actaeonem à Diana in cervum deformatum fuisse, quia nudam viderat in fonte lavantem, et à canibus suis discerptum mordicus quis ignorat? Fabula apud poëtas notissima. Laudatur ab Appuleio inter caetera Byrrhenae domus ornamenta, simulachrum Actaeonis, ex marmore factum tam fabre, tam scienter, tam graphice, ut obliquato aspectu, et in tergum reflexo, iam cervus factus, videretur expectare Dianam sese in aqua fontana lavaturam. Mythologi tradunt, ideo fingi Actaeonem in cervum esse transfiguratum, quia timidus fuerit, quasi corde cervino praeditus. ideo à canibus devoratum, quia dum venaticos canes pascit, venationis studiosissimus omnem substantiam perdidit. Plin. noster Actaeonem et Cippum in latina historia fabulosos retur.

Ibid. IN CERVUM FERIMUS.] Lego *ferinus*: ut ita eleganter nominetur Actaeon, quasi in ferinam cervinamque effigiem transfiguratus. A *fero* enim, *ferinus* dictus.

Ibid. IN FONTE.] Fontem quo se lavit Diana, ita describit Ovid.

Fons sonat à dextra, tenui perlucidus unda,
Margine gramineo patulos succinctus hiatus.

Ibid. IDENTIDEM.] frequenter, subinde.

Ibid. RIMABUNDUS.] speculabundus, vehementerque contemplans. nomina enim in *bundus* desinentia, non tam significant similitudinem, ut Grammatici hallucinantur, quam vim et copiam et quasi abundantiam rei. sicuti in notis Servii, citatis classicorum scriptorum testimoniis, diligenter annotavimus.

Ibid. SERMONE SECRETO.] ne arbitri dicta eorum arbitrari possent. itidem Plautus in Captivis: *Ut sine hisce arbitris nobis detis locum loquendi.*

Ibid. DISPULSIS.] in diversa semotis, amandatisque.

Ibid. PER HANC DEAM.] Dicticωs est. Dianam autem significat, cuius signum in meditullio domus Byrrhenae visebatur.

Pag. 96. UT ANXIE.] quam sollicite, quam vehementer. ita Virgilius:

Ut vidi ut perii, ut me malus abstulit error.

Ibid. TIBI METUO.] Metuimus homini, quem diligimus ne periclitetur, tanquam amico: metuimus hominem, ne nobis noceat, tanquam inimicum.

Ibid. UTPOTE PIGNORI MEO.] tanquam filio ex me ipsa nato. filii enim pignora sunt, et nexus quidam: ut tradit Aristot. in 8. Ethicorum. *Cave.*] à malis artibus Pamphiles. Consimiliter Luciano suadet matrona Abroea, ut caveat ab uxore Hipparchi in magia praecellente, *Φυλάττου, ἔφη, τὴν ἱππάρχου γυναῖκα, πάσῃ μηχανῇ, μάγος γάρ ἐστι δεινὴ καὶ μαχλός. Cave*, inquit, *tibi ab uxore Hipparchi omni studio: maga enim est potens, et impudica.*

Pag. 97. CARMINIS SEPULCHRALIS.] *Sepulchrale carmen* magicum est, quo utebantur ad sepulchra, ad manes eliciendos, in necromantia: quale est illud Lucani, quod Erichtho magarum maxima immurmurat ad sepulchrum:

Eumenides, stygiumque nefas, umbraeque silentûm.

Tibullus: *Manesque sepulchris Elicit.*

Ibid. SURCULIS ET LAPILLIS.] Scite *surculos* dixit, et *lapillos*: quoniam talibus rebus vis magica inest. Pythagoras atque Democritus consectati magos, herbas magicas non paucas celebravêre, portentosa tradentes. in primis *Aglaophotim*, quam et *marmaritidem* vocant: magos ea uti, cum velint deos evocare. *Gelotophilida* quoque herbam memorant, quae si bibatur cum myrrha et vino, varias observari species, ridendique finem non fieri: unde et nomen. Gemmae quoque et lapilli à magis complusculi memorantur: ut *ananchitis*, qua in necromantia dicunt evocari imagines deorum: ut *atizoe*, necessaria magis regem constituentibus: ut *heliotropium*, porracei coloris, quam gerentem admixta herba heliotropio conspici negant: ut *glossopetra*, linguae similis humanae, quae lenocinanti necessaria creditur. Innumera sunt prope surculorum et lapillorum genera, quibus magicae vanitates fulciuntur; quas Platonici quoque nobiles adstruunt, et in primis Proclus: qui scribit, sympathia quadam mutua et cognatione rerum terrenarum ad coelestia, posse talia effici: ideoque sacerdotii veteris auctores miscebant plura invicem, quia videbant simplicia nonnullam habere numinis proprietatem, non tamen singillatim sufficientem ad numinis evocationem. quam ob rem ipsa multorum commixtione attrahebant supernos influxus. nonnunquam herba una vel lapis unus sufficiebat ad divinum opus: sicut carduus credebatur sufficere ad subitam numinis alicuius apparitionem. in lapidibus enim et herbis luminum supernorum participatio est.

Ibid. INHALATIS.] afflatis, anhelitu verborum magicorum saturatis. *Inhalare* enim est, veluti halatum inspirare: ut *exhalare*, halitum emittere, quod morientium est. M. Tul. in Pisonem: *Cum isto ore foetido teterrimam nobis popinam inhalasses.*

Ibid. CHAOS.] Chaos (quod carminibus poëtarum cantatissimum est, de quo ait Lucanus: *Et chaos innumeros avidum confundere mundos*) appellatur confusa quaedam ab initio, informisque materia, hians patensque in profundum.

Pag. 98. SUMITUR.] Capitur, illaqueatur.

Ibid.

Ibid. VENUSTATE.] Pulchritudine. acyrologia est: venustas enim proprie foeminis assignatur, sicut dignitas viris. M. Tullius in primo de Officiis: *Cum pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas: venustatem muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem.* A *venustate* fit verbum *Venustare*, quod significat decorare, et exornare. Ambrosius in I. Hexameri: *Ideo primum fecit Deus, postea venustavit, ut eundem credamus ornasse qui fecit.*

Ibid. DETORQUET.] Deflectit. *Oculum.*] Qui in amore dux, et amoris origo est. Oculus impudicus, impudici cordis nuncius. *Oculi*, ut verissime scribit Quintil. in declamatione quae inscribitur Caecus in limine, *nos in omnia quotidie vitia praecipitant: mirantur, adamant, concupiscunt.* Lucianus in hanc sententiam: καὶ πᾶσι τοῖς νέοις ἐπιβάλλει τὸν ὀφθαλμόν: id est, omnibus adolescentioribus iniicit oculum.

Ibid. PEDICIS.] Laqueis, quibus sicut pedes illaqueantur, ita amatoris animus alligatur. Virg.

Tunc gruibus pedicas et retia ponere cervis.

Livius libro 21. *Ut pleraque velut pedica capta haererent in dura et alta concreta glacie.*

Ibid. IN SAXA IN PECUA.] Lucianus: καὶ πολλοὺς μεταμορφώσει εἰς ζῶα: id est, Et multos transformat in animalia.

Ibid. TREPIDO.] Timeo. verbum est. vel expone festinanti, ut sit nomen.

Pag. 99. PUER AETATEM.] Aetate puerili, ut sit archaismos. Sincerior lectio est, *Per aetatem.*

Ibid. A CAUTELA ABFUI.] Ita procul eram ut mihi caverem ab illecebris Pamphiles, ut ultroneus cuperem me illius dedere disciplinae: tanta magicae artis cupiditate rapiebar.

Ibid. GESTIREM.] Cuperem. *gestire* enim cupere est. gestire est laetum esse, et laetitiam habitu corporis significare, ut Servius et Nonius prodiderunt: et iam ante dictum est.

Ibid. TALI MAGISTERIO.] Disciplinae scilicet magicae, cuius magistra et sciens erat Pamphile.

Ibid. IN IPSUM BARATHRUM.] In ipsam artis magicae voratrinam et profundum. Translatio sumpta ab eo qui se praecipitat in vastam infernamque profunditatem. Barathrum locus apud inferos est profundus. Proprie autem apud Athenienses barathrum est locus, in quem noxii praecipitabantur: ut docet Diomedes grammaticus. Hinc *barathrum* ad alia quoque transfertur. Hinc epigrammatarius poëta non minus scite quam lepide, *barathrum foemineum* dixit, pro locis muliebribus. Idem stomachi imum hiatum appellavit *barathrum*, illo versu: *Extremo rectus si venit à barathro.* Horatius quoque in Sermonibus ait: — *quid enim differt barathrone Dones quicquid habes an nunquam utare paratis?* ubi *barathrum* accipitur pro ingluvie et voragine ventris. unde et *barathrones* dicti, gulones, qui in barathrum gulae mittunt totum patrimonium.

Ibid. VECORS ANIMI.] Vetus locutio, ut *infelix animi*, *praestans animi*, *falsus animi*, pro animo: per figuram antiptosim. *Vecors animi* dicitur insanus, turbati ac mali cordis: auctor Festus. M. Tul. in prima Tusculana: *Aliis cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur.* contra qui sapientia praestiterunt, ob id *Cati Corculi*, apud Romanos cognominati sunt, ut refert Plin. in septimo.

Ibid. SALVE ADDITO.] Verbum est tam abeuntis quam adeuntis: in discessu enim et in accessu usurpatur. hinc M. Tul. in epistolis ad Tironem, iunctim locat *Vale salve.* ideo mortuis *salve et vale* dicebatur, ut scribit M. Varro, et repetit Servius: quod ab his recedimus, eos nunquam visuri. In hanc sententiam Ausonius: *Dicto ave, dic vale, et actutum redi.*

Ibid. PERNICITER.] Celeriter, velociter. *pernix* enim velox est. Silius: — *gens pernicibus ignea plantis.* Catullus: *Viden' ut perniciter exiluere.* *Pernix* quoque dicitur, perseverans, à *pernitiendo*, si credimus Servio in commentario Maroniano.

Pag. 100. AMENTI SIMILIS.] Sallustius, ad notandam in Catilina vecordiam, dixit eius incessum modo citum, modo tardum esse. *Habitus* enim *mentis*, ut inquit Ambros. *in corporis motu cernitur: ut plerumque festinantes celerare vestigium videmus, quibus nemus amentiae et furoris subest.*

Ibid. O LUCI.] Sic secum sermocinatur.

Ibid. FABULIS MISERIS.] Corrige *miris*: hoc est mirandis, incredundisque: quales sunt magorum praestigiae. Vel potius lege *Milesiis*, de quibus repete quae annotavimus in principio commentariorum, explicantes quid significet sermo Milesius.

Ibid. COMINUS.] Prope, cuius contrarium est *Eminus*, quod significat longe et procul.

Ibid. GNAVITER.] Strenue, vigilanter, celeriter. à *gnavo* enim, qui dicitur industrius, et vegetus et celer, fit adverbium *gnaviter*, quod et *naviter* dicitur: sicut *navus* strenuum celereque significat, à navium velocitate dictus. cuius contrarium est *ignavus.*

Ibid. HOSPITIS.] Pamphiles.

Ibid. GENIALEM THORUM.] Coniugalem lectum, qui nuptiis sternitur in honorem genii, ut Fest. M. Tul. in oratione pro Cluentio, *lectum illum genialem, quem biennio ante filiae suae nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari et sterni, expulsa atque exturbata filia iubet.*

bet. Horat. *Lectus genialis in aula est.* De genio et geniis alibi plura, ex auctoritate August. et M. Censorini.

Ibid. SUSPICE.] Venerare et cole tanquam inviolabilem, et castitate religiosa vallatum.

Ibid. VERUM ENIMVERO.] Particula ratiocinativa est, ut Grammatici dicunt.

Ibid. ANNIXE.] Vehementer, omnique nixu et viribus.

Ibid. SCITULA.] Elegans, pulchra, venusta. Graece scitus ὡραῖος dicitur.

Ibid. FORMA.] Septimus est casus.

Ibid. ARGUTULA.] Loquela dicacula, venustula. *argutari* dixerunt veteres, loquaciter loqui. Naevius: *Totum diem argutatur quasi cicada. Argutus* dici ait Probus grammaticus, qui multum ac celeriter loquuntur: ut *arguta hirundo.* unde ὑποκοριστικῶς *argutula.*

Ibid. CUM SOMNO CONCEDERES.] Succumberes somno, et ob hoc ires cubitum. Sermocinatio est cum ipsomet, qua causam suam tutatur, et se Fotidi nunquam ingratum, neque inamabilem videri colligit.

Ibid. VULTU PRODIDIT.] Significavit: vultu enim et oculis et nutu et superciliis interiora animi produnt amatores.

Ibid. RETRORSA.] Reflexa, obliquata, retro conversa: quod ab amorabunda puella fieri solet cui convenit illud Virgilianum: *Et fugit ad salices, et se cupit ante videri.* inclinato vocabulo ab adverbio *retrorsum.* Horat. *Retrorsum vela dare atque iterare cursus.* Dictio est in vulgari sermone frequens.

Ibid. QUOD BONUM FELIX.] M. Tul. in primo de Divinatione testis est, maiores nostros in rebus omnibus agendis praefari solitos, *Quod bonum faustum fortunatumque esset:* quia scilicet valere censebant voces, quae vocant omina.

Pag. 102. PEDIBUS IN SENTENTIAM VADO.] Ex more Romano sumptum, apud quos ibatur pedibus in sententiam, quam probabant. Hinc ait Livius: *Sed tum quoque aut verbo assentiebat, aut pedibus in sententiam ibat.* Idem alibi: *Quibus haec salutaria videntur, agitedum in dextram partem pedibus transite. omnes transierunt.* Sensus est: mihi animo volutanti approbatur ea sententia, ut abstineam ab uxore Milonis, et Fotis ancilla ametur.

Ibid. IUSCUM.] Pulpamentum minutatim concisum, eleganti vocabulo *iuscum* appellat, quod vulgo *ius* nominitant. hinc Ciceronis ille iocus amphibologicus: *Ego coque tibi iure favebo.* et apud M. Varr. in tertio de Re rustica consimiliter: *Sic hos pisces nemo coquus in ius vocare audet.* Tria genera ganeatorum ciborum traduntur: primo assa, secundo elixa, tertio ex iure, uti coepisse natura docet. unde iurulentum dictum, quasi iure conditum, quod et iussulentum vocatur, Cor. Celsus in secundo: *Tum res eadem magis alit iurulenta quam assa, magis assa quam frixa.* iurulentam condituram intelligi voluit Satyrographus, cum ait: — *et eodem iure natantes Mergere ficedulas didicit nebulone parente.* à *iure* fit *iuscum*, et hypocoristicῶs *iusculum.* M. Cato: *Infervefacito paulisper, postea iusculum frigidum sorbere, et ipsam brassicam esse.* Apitius, scribens de pulmentario ad ventrem: *Iusculum*, inquit, *facere et potare: melius etiam, si in eo pullus sit decoctus.*

Ibid. FARTIM.] A *farciendo* adverbium *fartim* dicitur: hoc est, congestim et cumulatim. Talia autem condimenta fiunt in Gallia, ut caro minutim concisa, immo frustulenta, cum ovis et aromatibus in cacabum iuris optimi coniecta discoquatur: fitque pulmentarium scitissimi saporis, inter instrumenta ganeae praecellens. Apitius, porcellum farsilem, leporem farsilem, pisces farsiles vocat, qui in eduliis farciuntur variis condimentis.

Pag. 103. PULPAM.] Inter Apiciana cibaria est et minutal, ex eo dictum, quod minutatim, hoc est, frustatim et tessellatim conciditur caro, aliaque scitamenta conciduntur. Quod multiformiter fit appellaturque aliud minutal Apicianum, aliud Matianum, aliud dulce. fit et ex iocinoribus et pulmonibus lepusculorum, ex spatulis porcinis frustatim tessellatimque consectis: hoc est, per frustula et tessellas, quae sunt frusta quadrata, unde adverbium *Frustatim* fit, quod significat per frusta et minutatim. Hoc pulmenti genus signare videtur Plautus in Curculione, cum ait: *Vin' aquam? si frustulenta est, da obsecro; hercle obsorbeam.* Idem *frustillatim* dixit diminutiva forma, quasi per frustilla: *Iam ego te faciam ut hic formicae frustillatim differant.*

Ibid. ABACUM.] Modo mensam potoriam significat, alias tabulam geometricam, alias ornamentum columnarum, alias calculos supputatorios. De abaco in quinto Tusculanarum quaestionum commentario satis multa.

Ibid. PASCUE.] Opipare, laute, abundanter: adverbium est.

Ibid. HIRULENTAM.] Quidam corrigunt *iurulentam:* cuius significationis iam mentio facta est. Ego lego *Vinulentam*, ut sit epitheton mensae vinariae accommodatum, quae omni vinorum genere copiose instructa sit.

Pag. 104. NARIBUS ARIOLABAR.] Sagax nasus et acutior olfactus praesentit, et quasi ariolatur, hoc est, ex nidore divinat apparatum epularum. *Ariolari* enim est vaticinari, et *ariolus* dictus qui divina mente vaticinatur, quasi *fariolus*, à *fatis* et à *fando*, sive ab *halando:* nam halitu solent istiusmodi homines excludere velut mor-

talem animam, ut divinam recipiant. auctor Donatus. Praecipit M. Cato, ne villicus ariolum consuluisse velit.

Ibid. TUCETUM.] *Tuceta* dicuntur escae regiae, ut Callimachus: *Ambrosio redolent tuceta sapore.* ut Persius: — *pingues patinae, tucetaque crassa.* Obiter annotandum, inter militares cibos esse *buccellatum*, ex eo opinor dictum, quod in buccellas et quasi tessellata frusta consectum sit. de quo 12. Codicis volumine legimus, milites expeditionis tempore buccellatum primis diebus, mox lardum et carnem vervecinam percipere debere. Ammianus videtur innuere, buccellatum id esse proprie, quod biscoctum dicimus: quod *buccellatim*, ut ita dicam, tessellatimque formatur. Verba Ammiani haec sunt ex lib. 7. *Frumentum ad usus diuturnitatem excoctum, buccellatum, ut vulgo appellant, humeris imposuit libentium militum.*

Ibid. PERQUAM SAPIDISSIMUM.] Attende locutionis genus, contra morosas et praerancidas Grammaticorum observationes, qui duas hasce particulas *Per quam*, iungi semper praecipiunt positivo, ut dicas *perquam sapidum.* Sed idonei scriptores, elegantiae magis quam scripto grammaticali indulgentes, dicunt *Perquam maximum, perquam brevissimum, perquam sapidissimum.* Q. Curtius, scriptorum elegantissimus: *Bessum*, inquit, *quoque Bactrianorum ducem, perquam maximo posset exercitu coacto, descendere ad se iubet.* Pomponius iurisconsultus, quo pene nihil limatius, tit. de origine iuris, sic scriptum reliquit: *Nam ante eum Servius duos libros ad Brutum perquam brevissimos ad edictum subscriptos reliquit.* Ex hoc colligimus, Latinitatis elegantiam, qua nihil fusius uberiusque est, haud quaquam coërcendam esse intra cancellos normae grammaticalis, nec astringendam regulis Donatistarum: cum et Grammaticos ipsos videamus regulas fulcire oratorum poëtarumque fulturis, et ad auctoritatem veterum scriptorum veluti ad anchoram confugere.

Ibid. MUNDULE.] Eleganter, nitide, et sine sordibus. adverbium est.

Ibid. TUNICA LINEA.] vestimentum puellae lineum, quo induta erat Fotis: quod quidam *interulam* quidam *camisiam*, quidam *supparum* appellant. Iuxta illud Afranii: *Puella non sum, suppara si induta sum. Subucula* quoque dicitur, de qua est illud Horatianum: *Si fortè subucula pexae Trita subest tunicae.* et Hieronymus adversus Iovinianum: *Tunc pexa tunica et nigra subucula vestiebaris, sordidatus et pallidus.* Sed quod cum bona pace sanctissimi scriptoris dictum sit, qui Horatium aemulari volens, pexam tunicam pro lacera et sordida accepit: quod longe secus est. *pexa* enim *tunica* significatur elegans, pretiosa, concinna. unde et *pexatus* dictus, vestibus pexis indutus. Mart. *Pexatus pulchre rides mea Zoile trita:* A Quintiliano quoque *pexus doctor* decenter accipitur pro eleganti, terso ex exculto. Plin. ait in 8. *lanam Histriae vestibus pexis alienam esse.* Idem Mart. *Emi seu puerum, togamve pexam.* Denique ut breviter multa comprehendamus, pexum vestimentum opponitur trito, tanquam pretiosum abiectissimo: et ita intelligi voluit Horat. tanquam inconcinniter reprensibiliterque copuletur vestis pexa cum trita subucula: nec enim aliter Horatiana sententia elegantiam satyricam redoleret. Videri potest hallucinatus esse divus Hieronymus, ut crederet pexam tunicam accipi pro lacerata et vili, ex illo Terentiano: *Adeo depexum dabo, ut dum vivat meminerit semper mei.* Ubi Grammatici exponunt, *depexum* pro *laceratum.* Sed longe aliud pexa vestis est, aliud homo depexus. haec enim particula *de*, modo auctiva est, modo privatoria: ut *depexum* dicamus pexo contrarium, sicut *dehonestum* verbum dicitur turpe et contrarium honesto, et mille alia. quamvis tamen apud Terentium verbum illud *depexum* accipi conducenter posset pro expolito et exculto, sicut hodie quoque in communi loquendi consuetudine usurpatur, ut minitabundi dicamus, *Ego comam tibi pectam atque exornabo.* Et ita ego autumo hoc sensu dictum illud Terentianum: *Ego si vivo, adeo depexum dabo, ut dum vivat meminerit semper mei.* nam exornatum et depexum in eodem significatu accipiuntur: quamvis contrarium subintelligi velit. Haec iudicent volentes: quae à me dicuntur causa iuvandi, non obtrectandi. Dii enim mentem meliorem mihi.

Ibid. ET RURSUS SE A FASCIOLA.] Mendosus locus, quem ego sic emendo: *et russea fasciola.* ut sit sensus: Fotidem succinctam fuisse fasciola rubentis coloris. *Russus* enim et *Russeus*, appellationes sunt rufli coloris. Sicut enim fulvus et flavus et rubidus et phoeniceus, et rutilus et luteus, et spadix, ruffum colorem significant, quadam varietate distantes: ita *russeus* vocabulum est ruboris, quod in vernacula lingua hodie quoque vulgo est usitatissimum. Catullus: *Dentem atque russam defricare gingivam.* Quidam apud Catullum legere malunt *ruffam*, reformidantes videlicet vetustam dictionem, perinde ac inelegantem. Flavius Vopiscus: *Tunicas ducales russas quatuor, pallia proconsularia duo.* In epistola Valeriani scriptum legimus, tunicas russas militares annuas, sagos, chlamydes annuas duas. Hinc aurigas russeos sive russetos dictos esse opinor, à russo scilicet colore quo utebantur. sicut factiones aurigarum Veneta et Prasina nomen à coloribus sortiuntur, de quibus apud Suetonium affatim, et in lib. Annotationum non indiligenter explicavi, demonstrans quid sit apud Plautum Thalassicus or-

ornatus. Apud Plin. mentio fit russei sive russati aurigae. De auriga russato dictum est illud à Satyrographo poëta: *Parte alia solum russati pone Lacertae.* et si aliter legimus, exposuimusque locum hunc in libro Annotationum: tamen verior lectio et sensus purior hic videtur, ut ad aurigam russatae factionis nomine Lacertam referatur qui lucrosior erat et opulentior ex aurigandi studio, quam causidici exactione causarum. Fas enim est mutare sententiam, ubi posteriores cogitationes meliores sunt prioribus, et post inventa magis quadrant. Est et rusceus color à rusco virgulto dictus. unde ruscea facies, infecta colore rusci. Cato lib. 6. originum: *Mulieres opertae auro, purpureaque ruscea facie.*

Ibid. PRAENITENTE.] valde splendente, et fulgente.

Ibid. SUB IPSAS PAPILLAS.] Videtur signare strophium: hoc est, fasciam pectoralem, qua papillae cohibentur. Turpilius: *Me miseram, quid agam? inter vias epistola excidit mihi, inter strophium ac tunicam collocata.* De strophio in hoc significatu ait Catullus: *Non tereti strophio lactentis vincta papillas.* Alias antiqui strophia coronas tenuiores appellitant: unde nata strophiola, auctor Plin. in 21. Praeterea Graece στρόφιον vocatur, quod Latine *stroppus.* insigne autem capitis sacerdotale est. Quidam coronam esse dicunt, ideoque apud Faliscos festum fuit nomine Strupearia, quia coronati ambulabant. Nostri vernacula lingua adhuc *stropum* vulgo vocitant, quod in usu utilium est, et coronamenti rusticani vicem repraesentat.

Pag. 105. FLORIDIS PALMULIS.] venustis manibus. Ideo autem per ὑποκόρισμα dixit *palmulis*, ut ostenderet, in foemina tales manus esse elegantiores, cum enormitas sit inamabilis ac invenusta. Videtur Naevius dixisse *manciolas* diminutivo vocabulo, quasi parvas manus. *Manciolis*, inquit, *tene illis.* pro manibus.

Ibid. CREBRA SUCCUTIENS.] Expressit gestum motumque puellae, coquinariam facientis, quae saepe succutitur, rotans pulmentarium in cacabo, sive lebete coquinatorio, et ollula escaria. *Crebra* autem dixit, pro *crebro*: nomen pro adverbio. ut Virg. — *pede terram Crebra ferit.*

Ibid. ILLUBRICANS.] Lubricitate quadam insinuans. simul allusit ad lubricum puellae corpus, laevoremque membrorum praenitentium. *Lubricus* autem dicitur locus, in quo labimur, et corpus: ut *pavimentum lubricum, anguis lubricus.*

Ibid. VIBRANTIBUS.] fluctuantibus.

Ibid. SPINAM MOBILEM.] spina tereti structura compacta est, per media foramina, à cerebro medulla descendente: quae animali hoc est, quod navi carina. Ex medulla hominis spinali anguem gigni proditum est, quod et Pythagoras apud Ovid. tradit his versibus:

Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulchro
Mutari credant humanas angue medullas.

Ibid. INUNDABAT.] undatim agitabat. Quidam legunt *nudabat.*

Ibid. STETERUNT ET MEMBRA.] Honestis verbis genitalia arrecta fuisse designat, quae membra nominitant. Hinc in carmine obscoeno: *Priapus dictus membrosior aequo:* hoc est, mentulatior iusto. Hinc Annaeus Cornutus in illo carmine Virgiliano:

Optatos dedit amplexus, placidumque petivit
Coniugis infusus gremio, per membra soporem:

dixit, membra paulo incautius nominata esse, tanquam per membra signarentur genitalia. *Seminale membrum* dicitur ab Ovid. à semine et genitura.

Ibid. OLLULAM.] Inter *o* et *au* cognatio non parva est. unde *plostrum* et *plaustrum*, *cotes cautes*, *lotus lautus.* E contrario *austrum* pro *ostrum*, *ausculum* pro *osculum* antiqui dixerunt. Sic *ollam* et *aulam* indiscretim usurpant. unde *exta aulicoctia* dicta, quae in ollis coquebantur, id est, elixa. *auxilla* dicitur *ollula*, id est, olla parvula. Ab *olla*, *ollares uvae* dictae, quae in ollis fictilibus optime condiuntur. Statius in Sylvula: *Ollares rogo non licebat uvas.* In ollis pultes coquebantur. hinc dixit M. Varro: *Oculis observate ollam, pultis ne aduratur.* De quibus Epigrammatista: *Imbue plebeias Clusinis pultibus ollas.* Ab olla, *ollera* dicta, quia in ea decoquebantur. Graeco vocabulo *chytropodas* appellant ollas, quae pedibus sustentantur. In Levitico mendose legitur: *Sive clibani, sive sytropodes destruentur, et immundi erunt.* Tu lege, *chytropodes:* et accipe pro ollis pedatis. Nicolaus de Lyra super eo loco deliramenta loquitur.

Ibid. CUM NATIBUS INTORQUES.] Lucianus: ὦ καλὴ παλαῖστρα, τὴν πηγὴν τῇ χύτρᾳ ἅμα συμπεριφέρεις καὶ κλίνεις.

Ibid. PULMENTUM.] à pulte, qua longo tempore Romani vixerunt, *pulmenta* et *pulmentaria* dicuntur: auctores M. Varro et Plin.

Ibid. ILLIC.] In olla quamvis symbolicωs referri posset ad foeminae genitalia.

Ibid. INTINGERE.] Hinc *intinctus*, oppido quam eleganti vocabulo vocatur liquor, quo intingimus obsonia, ut commendatioris iucundiorisque saporis sint. ideoque vulgo sapor nuncupatur. Plin. in 15. ait, plerunque ad intinctus addi baccas myrti. Graeco vocabulo *embamma* nominatur, ἀπὸ τοῦ ἐμβάπτω, quod significat *intingo.* Columella lib. novissimo: *Hoc sinapi ad embammata non solum idoneo, sed etiam specioso uteris.* In Euangelio scriptum est: *Qui intinxerit mecum manum in paropside.* Graece dicitur, ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ τριβλίῳ.

Consimiliter, ex eademque aeschrologia Lucianus μακάριος ὅστις ἐνταῦθα ἐνέβατο, id est, foelix quicunque illic intinxerit.

Ibid. DICACULA.] Dicacitas à dicendo ducta est, quae proprie significat sermonem cum risu aliquos incessentem: ut ante dictum est. Hinc *dicax* et *dicaculus*, qui dicacitate et iocorum mordacitate praepollet. Demosthenem urbanum fuisse dicunt, dicacem negant. multi, ut auctor est Quint. in conviviis et sermonibus dicaces sunt. Hic dicacula puella significatur loquacula, petulans, venustula, et in verbis faceta. Graece dixit Lucianus, σφοδρὰ γὰρ ἦν ἰταμὸν καὶ χαρίτων μεστὸν τὸ κοράσιον, id est, Erat puella valde proterva, et plena venustatis.

Ibid. A FOCULO DISCEDE.] Eleganter *Foculus* dictus pro puella, quia amator uritur, et amor ignis est. Et sic et Terentius: *Accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis.* Diomedes grammaticus ait, acyrologiam esse apud Terentium, *Accede ad hunc ignem:* ubi nomine *ignis* significat meretrix.

Pag. 106. MEUS IGNICULUS.] amoris flamma et uredo. Virg. *At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.* Cyrus apud Xenophontem, amorem ostendit igne esse longe potentiorem, quod ignis urit homines tangentes; at amor formae eos etiam accendit qui procul spectant, in tantum, ut ardenter aestuent.

Ibid. NULLUS EXTINGUET.] Lepidius sane venustiusque id totum apud Lucianum Graecum est, ubi ait Palaestra: θεραπεύσει σε οὐδεὶς ἄλλος, οὐδὲ θεὸς ἰατρὸς, ἀλλὰ κατακαύσασά σε μόνη ἐγὼ, id est, Sanabit te nullus alius, neque medicus deus, sed ego sola quae te combussi. et mox paulo: ἄνθρωπον οἶδα ἔγωγε καὶ σφάττειν καὶ δέρειν καὶ κατακόπτειν, id est, Ego hominem novi et iugulare, et excoriare, et trucidare.

Ibid. ET OLLAM ET LECTULUM QUATERE.] Fotis quatenus coqua est, ollam rotare novit et quatere: quatenus amorabunda est, lectulum concutere, qui instrepere solet ex colluctatione veneria. Catullus: *Tremulique quassa lecti argutatio, inambulatioque.*

Ibid. HABITUDINEM.] corporis filum, habitum et membraturam. *Habitior* apud priscos dicitur pro pinguiori, *habitissimus* pro pinguissimo et corpulento usurpatur. è contrario *male habitus* pro emaciato, attenuatoque Gellius: *Equum nimis strigosum et male habitum, sed equitem eius uberrimum et habitissimum viderunt.* Ubi annotandum est, *strigosum* dici pro macro, exhaustoque, quasi stringosum: sic enim apud veteres dicitur, cuius corpus stringitur aut fame aut macie, aut alia vitii causa. Sic apud Livium strigosiores equi, pro exhaustis, et macie attenuatis.

Ibid. POSTEA PERSTRUI.] Apertior sensus, si legas *perfrui.*

Ibid. STATURA RATIONE.] Legas *ratio*, ut sit casus rectus.

Ibid. PARS ISTA CORPORIS.] caput et capillitium.

Pag. 107. ET QUIDEM.] Lege, *et quod.*

Ibid. NITOR NATIVUS.] Sicut membra corporis cultu vestis nitidioris conspectiora fiunt et venustiora: sic caput nitore capillorum, qui nativi sunt, condecoratur. Dixit Plautus, ornamenta purpurea et aurea convenire turpi mulieri. Caesaries autem speciosa et crinita cumprimis decet foeminam, quae (ut auctor est Ambrosius in 6. Hexamer.) reverenda est in senibus, veneranda in sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adolescentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris. Tolle arboris comam, tota arbor ingrata est. Tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo flaccescit. Hic ornatus est capitis obvius omnibus, et perspicuus, quo cerebrum munitur et vestitur, ne aut frigore vexetur, aut aestu: sicut nihil foedius est in foemina, quam caput capillitio depopulatum; ita nihil venustius caesariato, comatoque. In capite homini plurimus est pilus. inde cognomina capillatis Alpium incolis, Galliae Comatae. Myconii populi insulani carentes capillo gignuntur. Defluvium capillorum in muliere rarum, in spadonibus non visum. Tanta est decoris affectatio in mulieribus, ut aliena quoque coma caput exornent: adeo liquet capillum esse amabilem, illicibilemque. Ovid. sententialiter scribens ait:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus:
Et sine fronde frutex, et sine crine caput.

Ibid. AMICULA DIMOVENT.] vestimenta omnia amovent. ab amiciendo amictus, amicimem, amicula dicta.

Ibid. DE CUTIS ROSEO RUBORE.] Iuxta sententiam Plautinam, foemina nuda pulchra, est quam purpurata pulchrior.

Ibid. NEQUE SIT EXEMPLUM.] Utinam, inquit, nulla calva et sine capillo reperiatur: ut nullum extet exemplum calvitii foeminei. et sane mulieres naturaliter non calvescunt, quoniam natura earum similis puerorum naturae est. unde et spadones non canescunt, quoniam foeminam imitantur. auctores Aristoteles, Hippocrates, Galenus, caeteri. Annotatu dignum est obiter, id quod Seneca scripsit libro Epistolarum moralium 15. qui luxum carpens, mulieres tradit et calvas et podagricas fieri ex intemperantia: ut ita maximum medicorum Hippocratem faciant mendacem, qui in Aphorismis prodidit, foeminis nec capillos defluere, nec pedes laborare. Verum natura foeminarum mutata non est, sed vita, sed victus, sed ingluvies in causa est, ut calvescant foeminae, contra Hippocratis sententiam, quod et Galenus refert.

Pag.

Pag. 108. NATIVA SPECIE.] nativo decore, et pulchritudine capillorum, qui homini congeniti sunt. In homine enim pili partim simul, partim postea gignuntur: hos congenitos appellant, qui (ut auctor est Plin.) non desinunt, sicut nec foeminis magnopere.

Ibid. LICET ILLA COELO DEIECTA.] Sensus est: Si Venus calva foret, et comae honestamento viduata, haudquaquam placeret, fieretque inamabilis: adeo capillamenti decor foeminam decet. Venus autem ex spuma maris orta, et coelo deiecta esse fertur. Aiunt mythici, Saturnum Coeli patris pudenda abscidisse: quibus in mare deiectis, Venerem procreatam, quae à spuma, unde coaluit, ἀφροδίτη nomen accepit. ἀφρὸν enim Graeci spumam vocant. Hoc autem ideo fictum esse creditur, quia dicunt physici sudorem salsum esse, quem semper elicit coitus. Aristot. vero, cuius inventis nec ipsa natura dissentit, libro de Generatione animalium secundo, autumat genituram esse spumosam; ideoque deam quae rei veneriae praeest, ab ipsa spuma Aphroditen nominatam. Annotandum est, Herodotum, Graecae historiae principem, errore foedo lapsum esse, qui scripsit lib. 3. Historiarum, genituram Aethiopum esse nigram, et ob id Aethiopas etiam nigros existere. cum, eodem teste Aristotele, omnium animantium sperma, hoc est, semen genitale, album sit. De Venere, quae coelo deiecta, mari procreata sit, scribunt poëtae, et meminit Ausonius his versibus:

Orta salo, suscepta solo, patre edita Coelo,
Aeneadum genitrix hic habito alma Venus.

Ibid. GRATIARUM CHORO.] Gratiae, quas *Charitas* Graeco vocabulo appellitant, in comitatu Veneris esse produntur. Ex quo est illud Horatianum: *Fervidus tecum puer, et solutis Gratiae zonis properentque nymphae.* Nudae Gratiae, et sine nodis ideo figurantur, quia amici animos solutos ac nudos et apertos inter se habere debeant. Quidam Gratias Liberi et Veneris filias esse tradunt: nec immerito. Gratiae enim per horum fere numinum munera conciliantur. Quarum una aversa pingitur, duae nos respicientes: propterea quod profecta à nobis gratia, duplex solet reverti. Docet Seneca, quare tres Gratiae, et qualiter sorores sint, et quare manibus implexis, quare ridentes, quare iuvenes, et quare virgines soluta ac perlucida veste. Alii quidem videri volunt unam, quae det beneficium; alteram, quae accipiat; tertiam, quae reddat. Alii tria beneficiorum genera, promerentium, reddentium, simul et accipientium reddentiumque. Consertis manibus in se redeuntium chorus ob hoc est, quia ordo beneficii per manum transeuntis nihilo minus ad dantem revertitur, et totius speciem perdit, si unquam interruptus est: pulcherrimus, si cohaeserit et vices servat. Hilares sunt, quales solent esse qui dant vel accipiunt beneficia. Iuvenes, quia non debet beneficiorum memoria senescere. Virgines, quia incorrupta sunt, sincera, et omnibus sancta in quibus nihil alligati esse decet, neque ascripti: solutis itaque tunicis utuntur. perlucidis autem, quia beneficia conspici volunt. Hesiodus Aeglen, maximam natu appellat à splendore: mediam Euphrosynem, à laetitia: tertiam Thaliam, à viriditate. Homerus uni nomen mutavit, Pasitheam appellando, lib. Iliados 14. Chrysippus ait Gratias tres Iovis et Eurynomes filias esse. aetate autem minores quam Horas; sed meliuscula facie. et ideo Veneri datas comites. Diodorus auctor est, ad Gratias beneficii et gratiae retributionem pertinere: et ob id eas coli. Socrates sculptor Charitas fecit in propylaeis Atheniensium, in primis inclytas.

Ibid. CUPIDINUM POPULO.] Plato in Symposio, duos tantum Cupidines celebrat, alterum coelestem, alterum plebeium: de quibus et nos olim lusimus in carmine amatorio. Verum poëtae innumeros Cupidines assignant Veneri. sic Propertius alios cupidines faculis, alios sagittis, alios vinculis instructos, sibi obvios factos esse commemorat. Sic Statius in Sylvulis de cupidinibus numerosis loquens inquit. — *pharetrati pressere silentia fratres.* Et Silius cecinit in 8. Punicorum, *Cupidines complusculos:* ut merito Venus dicatur ab Appuleio, Cupidinum populo comitata. Quin etiam Alexander Aphrodiseus in problematis refert, plures esse Cupidines: quandoquidem aliter atque aliter quis concupiscit. et, ut inquit divinus Plato, amorem beluam esse multorum capitum, certum est: vel quod multis amoribus unus et idem saepe succumbit. Arcesilaum magnificat Varro, qui leaenam fecit marmoream, et cum ea aligeros Cupidines ludentes, quorum alii religatam tenerent, alii è cornu cogerent bibere, alii calciarent soccos: omnes ex uno lapide.

Ibid. BALTEO SUO CINCTA.] Ceston significat, qui balteus Veneris est, discolor et variegatus: cui insunt blanditiae omnes Cupidinis, suadelae, fraudulentiae, omnia denique amatoria veneficia, quae vel prudentis deliniant mentem. auctor Homerus in 14. Iliados, cuius hi versus sunt: ἦ, καὶ ἀπὸ στήθεσφιν ἐλύσατο κεστὸν ἱμάντα ποικίλον, ἔνθα δὲ οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο. ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστύς· πάρφασις, ἥτ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων Ab hoc cesto autumant Grammatici adulteria dici incesta, quasi sine cesto, in quo copulae ex matrimonio vis est. De hoc Epigrammatarius poëta: *Collo necte puer meros amores, Cestum de Veneris sinu calentem.* Idem: *Sume cytheriaco medicatum nectare ceston, Ussit amore quidem balteus iste Iovem.*

Ibid. CINNAMA FRAGRANS.] id est, odorem cin-

cinnameum redolens. Cinnamum, idemque cinnamomum, frutex est odoratissimus, duorum cubitorum altitudine: praecipua bonitas est in tenuissimis virgultorum partibus; vilissimum, quod radicibus proximum; summa gratia in cortice: ipsum lignum in fastidio est, quod Xylocinnamum vocatur. Ex cinnamo fit unguentum *Cinnaminum* dictum, inter caetera crassissimum. summa unguentorum commendatio est, ut transeuntem foeminam odor invitet, etiam aliud agentem.

Ibid. BALSAMA RORANS.] instar quasi roris guttas balsami fundens. Balsamum autem omnibus odoribus praefertur. Succum balsami *opobalsamum* vocant, eximiae suavitatis. *Xylobalsamum*, lignum dicunt; surculumque balsami, quod et ipsum pro succo substituerunt officinae. praecipua gratia balsamo est, secunda semini, tertia cortici, minima ligno. Summa balsami probatio, ut lac coagulet, et in veste maculas non faciat.

Ibid. NEC VULCANO SUO.] Si Venus calva placere non poterit Vulcano, à quo ardenter amatur, tanto minus reliquis placebit. Merito Venerem Vulcano coniungunt, quia sine calore et ignis viribus res venerea peragi non potest. Et quia incidit mentio Veneris calvae, scire debes, Romanos Veneri calvae aedem consecrasse in honorem matronarum, cum urbe à Gallis occupata, obsessi in Capitolio ex mulierum capillis tormenta fecissent. Auctores Lactantius et Iulius Capitolinus. econtrario Lacedaemonii coluerunt Venerem armatam, quam Graeci dicunt ἀφροδίτην ἔνοπλον, ex historia mulierum quae Messenios hostes fuderunt, armataeque obviam exiverunt viris. Hinc illud Ausonii:

Armatam vidit Venerem Lacedaemone Pallas.

Ibid. ILLUCET.] resplendet et radiat.

Ibid. ECCE SOLIS.] Corrigo, *Et contra Solis aciem.*

Ibid. GRAVEM.] Lego *gratiam.*

Ibid. IN MELLIS UMBRAM.] Sunt capilli, in quibus mellis color placet umbroso quasi fulgore perspicui. Galenus in microtechne ait, capillos flavos et rubentes, crisposque significare bonam corporis constitutionem. Domitius vero, capillos coniugis suae Poppeae succinos appellabat, à succino colore, qui in melle cognoscitur.

Pag. 109. CORVINA NIGREDINE,] Capillus coloris nigricantis expetitur à matronis, cum illa nigritia non parum venustet faciem candicantem. In daemonio Socratis: *Cum duo*, inquit, *colores praestabiles forent, piceus et niveus, quibus inter se nox cum die differunt: utrumque colorem Apollo suis alitibus donavit, candidum olori, nigrum corvo.*

Ibid. CAERULUS.] Caerulus color viridis est, et subniger, qualis in mari conspicitur: unde caerula maria à poëtis dicta. Ob id Thalassicus quoque nuncupatus, quasi marinus, à Plauto: Graeci glaucum appellant, quo et nostri utuntur. Latinis veteribus caesia dicta est, quae à Graecis *Glaucopis* dicitur: ut Nigidius ait, de colore coeli, quasi coelia. Ferrugineus color caeruleus est, super quo in lib. Annotationum plura.

Ibid. COLUMBARUM COLLIS.] Columbarum pluma, quae in collo est radians in Sole, varii coloris incertique conspicitur, modo enim rubra, modo viridis, et varietate quadam mutat colores: sicut et pavonis cauda, super qua re Lucretius lib. 2. luculenter scribit, cuius hi sunt versus:

Pluma columbarum quo pacto in Sole videtur,
Quae sita cervices circum collumque coronat.
Namque alias fit uti claro sit rubra pyropo,
Interdum quaedam sensu fit uti videatur,
Inter caeruleum viridis miscere smaragdos.

Hinc Arcesilas nobilissimus philosophus varietate ista columbini coloris motus, asserere coepit ἀκαταληψίαν, id est, incomprensibilitatem. Et hoc est quod intelligi voluit Martianus lib. de nuptiis philologiae: *Arcesilas collum intuens columbinum, dubitabat.* Hieronymus quoque rei huiusce commeminit. Seneca lib. primo quaestionum: *Columbarum cervix speciem falsi coloris et sumit et ponit, ubicunque deflectitur.* De quo Nero Caesar disertissime lusit:

Colla Tiberiacae splendent agitata columbae.

Plin. in 10 tradit, columbis inesse quendam gloriae intellectum, ut nosse credantur suos colores, varietatemque dispositam. Nunc Appuleius colorem in capillis gratum esse et amabilem significat, qui varietatem illam colli columbini imitatur, et reddit.

Ibid. GUTTIS ARABICIS.] unguento nardino: vel potius myrrhae lachryma, quae in Arabia laudatissima progignitur. Sudat autem myrrha sponte, priusquam incidatur, guttam, stacten dictam, cui nulla praefertur. auctor Plin. in 12. A verbo Graeco *stazo*, quod significat stillo, *stacte* nominata, qua dictione gutta sive lachryma liquoris significatur, de qua in expositione Psalmorum Hieronymus sic scribit: *Stacten, id est, stillam vel guttam exhibent Domino.* Narrant et qui aromatum novere virtutes, *stacten* florem esse myrrhae. Huius quoque meminit Columella in carmine de cultu hortorum. Myrrhae unguento, hoc est, stactes liquore, capilli ungebantur causa deliciarum. Ovidius in epistola Sapphus: *Non Arabo noster rore capillus olet*, id est, unguento myrrhae. de quo Plin. noster in 13. *Myrrha et per se unguentum facit sine oleo, stacte duntaxat.* Arabiae peculiaria sunt multa odorata, et ad unguenta pertinentia: ut thus, myrrha, mastice, ladanum, et alia complusculà: propter quae felix appellatur, Graeco vocabulo *Eudaemon* dicta.

Ibid.

Ibid. DISCRIMINATUR.] distinguitur, digeriturque, positura quadam venustiore. *Discrimen* vocant divisionem capillorum, quo mulieres in primis utuntur. de quo Ovid. *Compositum discrimen erit, discrimina lauda. Discerniculum* dicitur acus, quae capillos mulierum ante frontem dividit atque discriminat: dictum à discernendo, eo enim discernitur capillus, sicut dente pectinis explicatur; quem argutum appellat, vel quasi parvum et brevitate elegantem: vel quasi sonorum, dum pectitur coma.

Ibid. ET PONE.] à tergo, in cervice. Solet enim post cervicem coma nodari, et nodo quodam in summa parte constringi. ex quo fit, ut capillus spissior densiorque fulgorem reddat specularem. Virg. de Camilla: — *ut fibula crinem Auro internectat.* Idem de Didone: — *crines nodantur in aurum.* Graeci κροβύλην appellant *retiolum* illud, sive *reticulum*, quod comam continet, quod, ut ait M. Varro, à *rete* dictum est. *Capital* quoque veteres dixerunt fasciolam, qua capillum in capite colligarent.

Pag. 110. SPIRISUS.] Corrigo *spissus.* nam densitas et spissitudo capillorum gratiam augent, sicut raritas est dehonestamento.

Ibid. DORSA PERMANAT.] decurrit, explicaturque per humeros, et spinam dorsualem. Antiqui *dossum* dicebant, quod nunc *dorsum*: et ita vulgo usurpatur. Inde *dossuaria* iumenta à M. Varrone dicta, quae dosso vehunt. *Dorsualia* appellant velamenta, sive operimenta, quibus boum et equorum dorsa convelantur. Iulius Capitolinus: *Praecesserunt etiam alterinsecus centeni alteri boves, cornibus auro iugatis, et dorsualibus discoloribus praefulgentes.*

Pag. 111. CAPILLAMENTI.] capilli, sive capillitii et coma. scribit Plin. setarum capillamenta innasci quibusdam hominum in vesica. Idem auctor est, tubera nullis fibris nixa, aut saltem capillamentis gigni. Idem novissimo volumine, inter vitia gemmarum numerat capillamentum quod rimae simile sit.

Ibid. CAETERO MUNDO.] ornatu muliebri. *Mundus* enim ornatus muliebris dicitur, nomine à munditia ducto: ut docet M. Varr. de quo Ulpianus sic scribit: *Mundus muliebris est, quo mulier mundior sit.* Continentur eo et specula, matulae, unguenta, vasa unguentaria, et si qua similia dici possunt. Unguenta vero, quibus valetudinis causa ungimur, mundo non continentur. Livius lib. 34. *Munditiae ornatus et cultus haec foeminarum insignia sunt, his gaudent et gloriantur, hunc mundum muliebrem appellaverunt maiores nostri.* Lucilius *mundum* neutro genere appellavit, non masculino, ut caeteri, illo versu: *Legavit quidam uxori mundum omne, penumque.* Illud adde, mundum quo omnia continentur, à perfecta absolutaque elegantia *mundum* à nostris dici, quem Graeci *cosmon* nomine ornamenti appellaverunt.

Ibid. DISTINXERIT.] quasi discerniculo digesserit, et decenti positura discreverit.

Ibid. NON OPEROSUS.] Capillus interdum inordinatus incompositusque in foemina luculenta, gratior est, et amabilior, quam operosus, hoc est, multa opera concinnatus. Sicut enim pulchra foemina nuda est, quam purpura, pulchrior: ita capillus quoque passus, prolixus, circa caput reiectus negligenter, ut ait Terent. in formoso corpore decentior est, quam compositus discriminatusque.

Pag. 112. UBERES.] Spissus namque, ut dudum dictum est, capillus densitate fit commendatior. sic autem textus ordinatur: *Nodus astrinxerat uberes crines, et per colla dispositos.*

Ibid. SINUATO PATAGIO.] *Patagium* aurea chlamis est, quae pretiosis vestibus immitti solet. Inde *patagiata* foemina à Plauto in Epidico dicta, quae patagio induta est. et ab eodem in Aulularia, *Patagiarii*, artifices patagii nominati. Naevius: *Pallis patagiis, crocatis malacis.* In codicibus Nonianis, pro *malacis* mendosè scriptum est *manicis. Malacum* autem appellant vocabulo graecanico, molle et delicatum. *malacum pallium* dixit Plautus in Bacchidibus, pro molli et delicato, et mollicino. Verbum vetus est *malacissare*, quod significat mollire, mitigare, mansuefacere. Idem ait: *Malacissandus es*: id est, mitigandus, molliendusque. *Sinuatum* appellat à sinu vestimenti, quasi flexuosum et crispum. Festus ait: *patagium id dici, quod ad summam tunicam assui solet: quae et patagiata dicitur.* Quod et videtur verius, tanquam sit patagium id ornamenti genus, quod mulieres in summa camisiae parte circa cervices assuunt crispissimum, et (ut inquit) sinuatum. Patagus vero morbi genus est.

Ibid. MELLITISSIMUM ILLUD SAVIUM.] Significat, capillo se Fotidis impresisse basium illud dulcissimum, quod condimentis Veneris conditum, et (ut inquit Catullus) dulci dulcius Ambrosia est. Tria autem sunt osculandi genera, auctore Donato: osculum, basium et suavium. Oscula officiorum sunt, basia pudicorum affectuum, suavia libidinum vel amorum. In pronominibus autem magnum est dicendi pondus, magnusque ex his intellectus nascitur. nam dicendo *illud savium*, vult intelligi illud dulcissimum, illud quod amator amicae ardenter infigit, illud quo labella labellis ferruminantur, illud quod Venus quinta parte sui nectaris imbuit: denique illud, quod libidinis est suscitabulum et subantis anteludium.

Pag. 113. LIMIS.] obliquantibus, et transversis. nam *limis*, ut docet Donatus, significatur transversus. Unde *limen* quoque dicitur in ostio,

ostio, quod ingredientibus egredientibusque transversum est: et *limi* dicuntur obliqui generaliter. hoc tamen proprie de oculis dicitur, veneriis scilicet, et amasiis. Plautus in Milite: *Aspice limis oculis.* Scribit Solinus de leonibus: *Nunquam limo vident, minimeque ita se volunt aspici.* ubi *limo* significat, obliquis oculis et transversis. quod Plinius apertius dixit, et planius, cum ait: *Nec limis intuentur oculis, aspicique simili modo nolunt. Limare*, verbum vetus est, quod significat coniungere. ut apud Plautum: *Nunquam cum illa limavi caput.* et Turpilius in Leucadia: *Veritus sum ne amoris causa cum illa limasses caput.*

Ibid. MORSICANTIBUS.] Significantissimo vocabulo vim venustorum oculorum expressit, qui illices sunt Veneris, et potentissimum amoris incitamentum: quorum fulgor et amabiles intuitus, quodam quasi morsu vitalia populatur, et morsicatim medullas depascitur. Expertus loquor, sensi ipse, nec dissimulabo. Sensi inquam oculos in Panthia et Martia morsicantes, quibus nihil venustius, amabilius, speciosius novit vetustas, nec noscet ipsa posteritas. Natura exhausit cuncta narthecia, et omnes pulchritudinis pyxidiculas in formandis duabus mulieribus, quas Zeuxis vel singulas contentus fuisset inspicere, qui Crotoniatarum virgines nudas, ut M. Tullius, vel Agrigentinorum, ut Plin. sentit, inspicere voluit, picturus Helenae simulachrum: ut quod in quaque laudatissimum esset, pictura redderet.

Ibid. SCHOLASTICE.] Scholastici diminutivum est *scholasticulus:* qua dictione significatur, qui scholae operam dat, et in scholasticis controversiis exercetur. Plinius secundo Epistolarum: *Annum sexagesimum excedit, et adhuc tantum scholasticus est.*

Ibid. DULCE ET AMARUM.] Sententia Plautina ex Cistellaria Act. I. sc. I. *Amor et melle et felle est foecundissimum Gustu dat dulce, amarum ad satietatem usque aggerit.*

Ibid. BILIS AMARITUDINEM.] Per antitheton decentissimum significat, in amore plus esse amaroris quam dulcedinis. sicut enim mel dulcissimum est, ita bilis amarissima. Ex felle, ut physici tradunt, et memorat Plin. noster, bilis est, et magnum in hac parte virus: hinc it in mores crimen bilis nomine, cum se fundit in animum. De atra bili quam Graeci *melancholiam* vocant, de citrina, vitellina, prasina, adusta, scripsimus in commentariis Tusculanarum quaestionum, et copiose dissertant Plato, Galenus, Albertus magnus, caeteri.

Pag. 114. SUPER HUNC IGNEM.] Cum de igne elementali, quo coena à Fotide coquebatur, loqui simpliciter videatur, non infestiviter referri potest ad ignem meretricium, iuxta illud Terentianum: *Accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis.* ibi enim nomine ignis meretrix Thaïs significatur. id genus locutionis per acyrologiam fieri autumat Diomedes. à Virgilio quoque decenter dictum est: *At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.*

Ibid. ASSARI.] torreri, uri, excoqui, sicut assae carnes percoquuntur. *Primo*, ut auctor est M. Varro, *fuit assa caro: secundo elixa: tertio iurulenta.* Dictum *assum*, quod id igni assuedescit: sudando enim assum distillat calorem. Alii *assum* dici interpretantur, quasi solum: quoniam in obsoniis sine pigmento saporis alieni assae carnes inferebantur. antiqui enim *assum*, solum dixerunt: unde *assa vox* dicta, non admixtis aliis musicis concentibus. Laudes maiorum assa voce cantabantur, id est, ore prolata, et sine mixtura musices. Ab *asso*, *assaturae* dictae. Flavius Vopiscus scribit, Aurelianum imperatorem convivium de *assaturis* maxime dedisse. Cibaria iurulenta, hoc est, iure condita, auctore Corn. Celso, magis alunt quam assa: magis assa, quam frixa.

Ibid. CUM DICTO.] cum haec dicerem, et loquerer. Locutio Appuleii prope peculiaris, et frequens.

Ibid. SAVIARI.] basiare, osculari. Catullus: *Os oculosque suaviabor.* Tria sunt, ut proxime diximus, exosculandi genera: osculum scilicet, suavium, et basium: oscula officiorum sunt, basia pudicorum affectuum, suavia libidinum et amorum.

Ibid. CONGERMANESCENTI.] Vetusto verbo *congermanescens libido* dicta, quae compar est, et quadam quasi germanitate consimilis. Alii à *congerminando* id deducere malunt, quod non placet. nam *congermanescere* est evalescere, et consociari: unde *congermanescens libido*, eleganter pro coalescenti et consociata usurpatur. Quadrigarius: *Facit exempla eorum ut vos cum illis congermanescere sciatis.*

Ibid. IN HALATU CINNAMEO.] anima et anhelitu odoris suavissimi, qualis est cinnami. amator enim, amicae animam anhelitumque suaveolentia quadam fragrantem, et odoramentis commixtum esse sensit. Et nos olim osculum Panthiae praeconio suaveolentiae extollentes sic lusimus in idyllio:

Cinnama quod fragrant, quod olet Cynireïa
myrrha.

Ibid. ILLISU NECTAREO.] Oppido quam festiviter expressit mores amasiorum, qui linguam linguae inter osculandum illidere consueverunt: quae suaviatio mellitissima est, et nectaris dulcedine perfusa, nec non maximum quoque Veneris suscitabulum. In hanc sententiam est illud Plautinum: *Fac proserpentem bestiam me, duplicem ut habeam linguam.*

Ibid. ADLUBESCENTE.] *Adlubescere*, verbum vetus: quod significat, placet, aut placere incipit

pit Plautus in Milite: *Hercle vero iam adlubescit primulum palaestro.* Sicut à *lubet lubescit*, ita et *adlubescit* dicitur.

Ibid. PEREO INQUAM.] Verba deprompta ex intimo amoris promptuario, quibus amantes in complexus amicorum subinde uti consueverunt.

Ibid. PROPITIARIS.] placata sis, et propitia. *Esto.*] sis.

Ibid. MUTUA VOLUNTATE.] *Mutuum* in amore dicitur, ubi par voluntas accipitur, et redditur.

Ibid. MANCIPATA.] obnoxia, et quodam quasi mancipi nexu obligata, tanquam addicta.

Ibid. PRIMA FACE.] Horam vespertinam significat, qua faces accenduntur. Macrobius in primo Saturnalium scribit, quod post vesperam prima fax dicitur, deinde concubia.

Pag. 115. PRAELIABOR.] praelio scilicet venereo, de quo Virgilius: *At non in Venerem segnes, nocturnaque bella.* Et Epigrammatista: *O quae praelia, quas utrinque pugnas, Felix lectulus et lucerna vidit.* Sua est amori militia, ut Marti sua praelia, sui bellatores: et ut inquit ille: *Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.*

Ibid. OBGANNITIS SERMONIBUS.] immurmuratis, magisque clara voce enunciatis. *Gannire* enim, et *obgannire*, obmurmurare est. unde et *gannitio*, canum querula murmuratio significatur.

Ibid. COMMODUM.] tunc tunc, id horae, eo momento: ut saepe diximus.

Ibid. MITTIT XENIOLA.] Morem signat priscorum, qui hospitibus munera esculenta missitabant, quae xenia i. e. hospitalia appellaverunt. nam, ut auctor est Vitruvius in sexto, cum fuerint Graeci delicatiores, et à fortuna opulentiores, hospitibus advenientibus instruebant cubicula et triclinia, et cum penu cellas: primoque die ad coenam invitabant, postero mittebant pullos, ova, olera, poma, reliquasque res agrestes, quae xenia ab hospitibus appellaverunt. ξένος enim Graece hospes, ξένιος hospitalis, quo cognomento Iupiter colitur, ut meminit Dion. de quo intellexit poëta, cum ait:

Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur. Hinc *xenia*, munera dicta hospitalia, et ὑποκοριστικῶς *xeniola. Xenia*, ut inquit Ecclesiastes, *excaecant oculos iudicum.* Iurisconsultus xeniis non in totum abstinendum esse praecipit. Martialis celebrat *xenia* et *apophoreta.* ubi annotandum, *apophoreta* non tàm dici munera quae remittuntur ab his qui xenia accepere, quam vasa et id genus alia, quae convivis apponebantur, ut secum post convivium ea auferrent, donoque haberent: haec enim *apophoreta* vocabantur, ut auctor est Athenaeus: et apud nostros divus Ambrosius id plenissime enarrat in libro de cohortatione virginum scribens haec: *Qui ad convivium magnum invitantur, apophoreta secum referre consueverunt.* ad hunc intellectum referri debet illud Suetonii in Caligula: *Agitatori Citico comessatione quadam in apophoretis vicies sestertium contulit.* Scio me aliter tradidisse in commentariis: sed cum liceat quotidie meliora invenire praeteritis, et posteriores cogitationes prioribus sint sapientiores, volui obiter retractare id quod in Tranquilli commentariis poteram videri dormitans, conniventibusque oculis inspexisse: verum id à me alibi quoque fiet, quotienscunque repastinandi reformandique editos iam commentarios in meliorem sententiam dabitur occasio. Homines enim sumus: nec ullus inventus est ἀναμάρτητος, hoc est, impeccabilis. Hippocrates errores suos ingenue confessus est: Augustinus libro retractationum maculas priorum voluminum repurgavit: et M. Tullius non dubitavit aliquot iam editos libros aliis postea scriptis ipse damnare. Sed ad propositum. Idem Ambrosius apophoreta accipere videtur pro muneribus, cum de Vitali et Agricola martyribus scribens ait: *Haec apophoreta quidem plena sanctitate et gratia mecum detuli.* quod tamen per translationem de vasis dictum videri potest.

Ibid. IN AETATE PRETIOSI.] Vina generosa vetustate censentur: phalerni aetas media à quinto decimo anno incipit, ut docet Plin. in 23. Salomon in Ecclesiastico: *Vinum novum inveterascet, et cum suavitate bibes illud.* et Plautus quoque in Casina inquit: *Qui utuntur vino vetere, sapientes puto.* idem in Penulo, *Vinum edentulum* eleganter appellat quod vetustum intelligi vult, et ob id pretiosum; sicut senes ob vetustatem seniumque edentuli fiunt, hoc est, sine dentibus.

Ibid. VENERIS HORTATOR LIBER.] hoc est Bacchus, cuius nomine vinum significatur, maximum hauddubie est libidinis incentivum: ut merito armiger et hortàtor Veneris dici mereatur. Fabulantur antiqui, filium Liberi ac Veneris Priapum fuisse, ducti coniectura verisimili: propterea quod qui vino indulgeant, sint natura ad Venerem propensiores: ut autem *Vulcanum* pro igne per tropicam locutionem vulgo usurpamus: sic et *Venerem* pro coitu, *Liberum* et *Cererem* pro vino et pane, non minus decenter quam licenter dictitamus: quod et Quintil. refert in 8. Hinc illud vulgatissimum, *Sine Cerere et Libero friget Venus.* Apostolica sententia interdicitur sacerdoti vinum, in quo est luxuria: et qui altari servit vinum, et siceram bibere prohibetur. venter enim mero aestuans facile despumat in libidines. *Sicera* autem, ut inquit Hieronymus, et in decretis canonicis repetitum est, *Hebraeo sermone omnis potio nuncupatur, qua quis inebriari potest.* Liberum autem Bacchum ex eo dictum autumat Seneca, quia liberat servitio curarum animum, asseritque, et audaciorem in

omnes conatus facit. Quidam ob licentiam linguae et libertatem loquitandi Liberum dici opinantur, tanquam ex ebrietate fiant homines linguae liberioris, petulantiorisque. Si Plutarcho credimus, Liber ex eo dictus est, quod pro Graeciae libertate pugnavit. Augustinus, quod annotatu dignum est, libro 6. de civitate Dei, Liberum ex eo dici refert, quod mares in coëundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur. Hoc idem dicunt in foeminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant. et hinc Libero virilem corporis partem in templo poni, foemineam Liberae. et ob hoc addunt, mulieres attributas Libero, et vinum propter libidinem concitandam. Diem festum dicatum Libero patri, *liberalia* vocant, à Graeco vocabulo *Dionysia*.

Ibid. PUDORIS IGNAVIAM.] Inverecundus deus Liber nuncupatur à priscis, ex eo quod inverecundi per vinolentiam homines fiant. Horat. *Simul calentis inverecundus deus Fervidiore mero arcana promorat loco.*

Pag. 116. HAEC ENIM SITARCHIA NAVIGIO.] Emunctior lectio et tersior est: *Hac enim sitarchia navigium Veneris indiget sola.* ut sit sensus per metaphoram à navigantibus ductus, Venerem egere hac sola annona et alimento. *Sitarchiam* enim dici voluerunt pro commeatibus et re annonaria, ut illud ex lib. Regum primo: *Panis defecit in sitarchiis nostris, et sportulam non habemus.* dictio ex Graeco ducta: siquidem apud Graecos σιτὸν cibus, σῖτος frumentum, σῖτος esculentus significat, ut Hier. in libello quem condidit de captivo monacho, apertius id explicat his verbis: *Ascensis camelis, et nova sitarchia in annona refocillati.* Ut autem sitarchiae, id est, commeatus ratio cumprimis habetur in navibus à nauticis, sic Veneris navigium eget vino et oleo perinde ac sitarchia. Nam vino libido exstimulatur, oleo lucernae lumen aliter, qua amatores gaudent: tanquam pleniores sint voluptates nocturnae, quas lucerna ardente oculis quoque usurpant. nam, ut inquit ille: *Si nescis, oculi sunt in amore duces.* et ab Epigrammatista dictum est: *ô quae praelia, quas utrinque pugnas, Felix lectulus et lucerna vidit.*

Ibid. BONI.] ironicῶs. sic Terent. *Virum aequum Parmenonem.* Hinc virtutes pro vitiis interdum usurpant.

Ibid. CONCINNATITIAM MENSULAM.] Breviculam, modicam, deparcam. *Concinnare* enim est, apte conficere, et quasi in arctum breveque colligere. unde *concinnatitium* deducitur, pro brevi et collecto et apte cohibito. Supra dixit, *exiguum grabatulum.* Lucianus Graece ait, κλινίδειον στενὸν, id est, lectulum sive mensulam concinnatitiam.

Ibid. QUAM POTE TUTUS.] id est, quantum fieri poterat.

Ibid. INIBI.] aspectu Fotidis.

Ibid. RECREABAR ANIMI.] Elocutio vetus et usitatissima. Ita *pendeo animi, felix animi, et praestans animi* frequenter dictum.

Ibid. ADERIT CRASTINO.] Eam divinationem magicae artis significat, quae per lucernas fit. de qua intelligi voluit Plinius cum lib. 30. sic inquit, *Species magicae plures sunt. namque ex aqua et sphaeris, et ex aëre et stellis et lucernis ac pelvibus, securibusque, et multis aliis modis divina promittit.* Quod autem ait Plin. ex pelvibus et securibus promitti divinationem à magica, signat lecanomantiam et axinomantiam, de quibus diximus in principio Commentariorum. sic Graece dicitur divinatio quae fit per pelves et per secures λεκανὴν enim pelvim, et ἀξίνην securim dicunt. hinc apud Strabonem lib. 16. lecanomantici accipiuntur pro magis Persarum, per secures sive dolabras divinantibus. Praesagia autem sive prognostica ex ignibus terrenis fieri nemo non novit, et observant eruditi: unde orta pyromantia, et quae nostri vocant ignispicia, quae Amphiaraus primus invenit. namque pallidi murmurantesque ignes, tempestatum nuncii sentiuntur. pluviae etiam, si in lucernis fungi: si flexuose volitet flamma, ventos praesagant: et lumina cum prae se flammas elidunt, cum in ea pendentes coacervantur scintillae, vel cum tollentibus ollas carbo adhaerescit, item cum carbo vehementer perlucet.

Pag. 117. LUCERNAE SIBYLLAM.] id est, divinatricem. Sibyllas enim dici foeminas deo plenas, vaticinasque, tradunt omnes.

Ibid. PARCIMUS.] Lego, *pascimus.*

Ibid. DE SPECULA CANDELABRI.] Attende, *candelabrum* et *lucernam* indifferenter usurpari, cum proprie candelabrum à candela dictum sit.

Ibid. LICET MODICUM ISTUM IGNICULUM.] Ignis iste terrenus, qui in usu est mortalium, cognatione quadam igni coelesti et aethereo copulatus, potest nobis enunciare, quid divinus ille portendat. theologorum enim et philosophorum una vox est, mundum hunc inferiorem superioribus motibus esse contiguum, et haec crassiora per corpora subtiliora regi atque moveri. unde dubium non est, igni illi coelesti igniculum hunc terrenum elementariumque ancillari et subservire. Quod autem ignis hic noster immortalis illius et coelestis ignis cognatus sit, argumento est institutum priscorum, qui, ut auctor est Plutarchus, ignem in lychno non extinguebant, sed per se languescere ac emori permittebant, quasi inextinguibilis aetherei ignis cognatissimum. De sympathia, hoc est, cognatione et concordia quae est rebus terrenis cum coelestibus, subtiliter scribit Proclus Platonicus.

Pag. 118. CORINTHI.] Civitas est in Peloponneso, Achaiae caput, Graeciae decus, inter duo maria Ionium et Aegaeum quasi spectaculo ex-

exposita, quam Romani (ut inquit M. Tullius) diruendam esse censuerunt, perinde ac praepotentem, et aliquando Romano imperio nocituram. alio nomine Ephyre dicta, unde aera Ephyreia pro Corinthia apud poëtas, ut supra diximus.

Ibid. CHALDAEUS.] Assyriorum magi ex gentis vocabulo Chaldaei nominantur, qui diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut praedici posset quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset. Chaldaeorum astronomicorum genera multa sunt. nam quidam Orcheni dicuntur, quidam Borsipeni, et alii complures: qui per sectas distincti sunt. Hi per omnem vitam philosophantur, multa futura praedicentes: qui tum auguriis, tum sacris, tum aliis quibusdam incantamentis et mala avertere ab hominibus, et bona afferre, somnia insuper et prodigia interpretari consueverunt: de quibus non parum multa Diodorus, Strabo, et M. Tul. Adversum Chaldaeos, qui et genethliaci appellantur, Phavorinus philosophus olim disseruit egregia atque illustri oratione. *Vulgus*, ut inquit Gellius, *quos gentilitio vocabulo Chaldaeos dicere oportet*, *mathematicos dixit*. De his poëta satyricus: *Chaldaeis sed maior erit fiducia quicquid Dixerit Astrologus*, *credent à fronte relatum Hammonis*. In Chaldaico sermone se etiam laborasse testatur divus Hieronymus, in tantum, ut vix posset anhelantia et stridentia verba proferre.

Ibid. CIVITATEM.] Corinthum.

Ibid. TURBULENTA.] Lego *turbulentat:* ut verbum sit, quod significat perturbat, vexatque.

Ibid. STIPIBUS EMERENDIS.] lucro parando, et nummis congerendis. *stipem* enim nummum, à *stipando* appellaverunt. nam cum asses librales essent, eos in aliqua cella stipabant, id est, componebant, ut inquit M. Varro, quo minus loci acciperent. Hinc *stipulari*, et *restipulari*. *stipendiarii* dicti, qui stipem pendebant. erant autem stipes aereae: cuius nummi ponderandi pensatores, auctore Plinio, *libripendes* dicuntur.

Ibid. DIES NUPTIARUM.] *Plena sunt*, inquit Augustinus in enchiridio, *conventicula nostra hominibus*, *qui tempora rerum agendarum à mathematicis accipiunt. iam vero ut aliquid inchoetur aut aedificiorum*, *aut huiusmodi quorum libet operum*, *diebus quos Aegyptiacos vocant*, *saepe etiam nos monere non dubitant*. Hinc in decretis canonicis 26. quaestione 7. praecipitur, ne observentur dies qui dicuntur Aegyptiaci, ne tempora aut lunae cursus: quia quicunque has divinationes observat aut consentit observantibus, inutiliter sine causa magis ad sui damnationem quam ad salutem tendit. idem Augustinus volumine quinto de Civitate Dei, vaniloquia mathematicorum illudens: *O stultitiam*, inquit, *singularem: eligitur dies*, *ut ducatur uxor. credo propterea*, *quia potest in diem non bonum nisi eligatur incurri*, *et infeliciter duci. A nonnullis praedicatur*, *quod quidam sapiens horam elegit*, *qua cum uxore concumberet*, *unde filium mirabilem gigneret*. Persuasum fuit veteribus ex vana quadam superstitione, mensem Maium copulae nuptiali esse infelicem ac infaustum. hinc illud poëticum, proverbii vice celebratum, *Mense malum Maio nubere vulgus ait*. Econtrario mensis Iunius nubentibus felix et accommodus existimabatur. causa autem huiusce superstitiosae observationis illa fuisse videtur, quod cum Maius à maioribus natu nominatus sit: Iunius vero à iunioribus, nuptiis haud dubie accommodatiores sunt iuniores quam seniores. nam ut inquit poëta: *Frigidus in venerem senior:* quod et Plutarchus refert in Problematis.

Ibid. FUNDAMENTA MOENIUM.] Ita sua sunt civitatibus fata, sicut et hominibus: et antiqui non solum diem, sed et horam et momenta captabant in auspicanda urbium aedificatione. Quod satis liquet exemplo Seleuci, à quo acciti sunt magi, qui diem et horam, qua fundamenta urbis Seleuciae iaceret, eligerent, qui horam ementiti sunt. verum incumbenti fatali hora, qua civitas illa erat exaedificanda, opifices à nullo commoniti, ultro ad opus advolarunt, urbis fundamenta iacientes. Tunc magi cognito vim fati esse ineffugibilem, à Seleuco rege veniam deprecantes: Fatalem (inquiunt) sortem ô rex, sive bonam sive malam, neque hominis neque urbis fas est permutare: quaedam enim urbium, quemadmodum et hominum, sors est. auctor Appianus in Syriacis.

Ibid. QUI NEGOTIATORI COMMODUS.] Solent negotiatores, viatores, nautici, negotiationem, iter, navigationem auspicaturi, consulere mathematicum super hora felici, tanquam alii dies et horae aliis sint fortunatiores, infortunatioresque. hinc prognostica illa Maroniana: *Ipsa dies alios alio dedit ordine luna Felices operum*. et mox paulo: *Septima post decimam felix et ponere vites*, *Et prensos domitare boves*, *et licia telae Addere*, *nona fugae melior*, *contraria furtis*. Hesiodus quoque novissimam mensis diem feriatam esse praecipit, et genialem: quarta die uxorem ducendam: octavam felicem esse castrationi, nonam plantationi, undecimam putationi: compluraque id genus commemorat, ex cuius racemis uberibus vindemiam sibi succulentam fecit Maro noster.

Ibid. OPPIDO MIRA.] valde miranda.

Pag. 119. INCREDENDAM FABULAM ET LIBROS ME FACTURUM.] Signat sibi à Chaldaeo praedictum fuisse, quod in asinum ex homine transfiguraretur, et quod libros hosce de hac historia componeret: quae res haud dubie incredibilis est, et vix apud posteros invenit fidem.

Ibid. RENIDENS.] ridens. ita Catullus: *Renidet usquequaque.* Luctatius Papinii interpres, *renidens* exponit: pro labra contrahens. Porphyrio commentator Horatianus, enarrans illud ex Sermonibus: *nasum nidore supinor:* exponit *nidorem* pro *risu. unde*, inquit, *fit renideo.* alias *renidere* est splendescere.

Ibid. HABITUDINE.] Habitudo corporis, ut ante dictum, est corporatura.

Ibid. SUFFUSCULUS.] facie nigranti, et cum temperamento modice declinante in fuscum colorem. haec enim particula *Sub*, in compositione, ut saepe diximus, significat temperamentum.

Ibid. AIT.] scilicet Milo.

Ibid. OPTIMAS.] lege *Opimas.* significat enim, Diophanem suis praedictionibus opulentas mercedes et uberes divitias consecutum esse.

Ibid. SEVERAM AN SAEVAM.] Annominatio elegans, ex dictionum proximitate, quae est inter severam et saevam.

Ibid. CIRCULO SEPTUS.] corona populari circundatus. sicut saepe videmus circumforaneos homines et pharmacopolas atque vaticinos circumvallari turba vulgi, satagentis ad huiusmodi vaniloquia et praestigias, quibus subinde illuduntur, et cum dispendio.

Pag. 120. FATA DONARET.] tanquam fata in manu sint et potestate Chaldaei, ut illa disponere possit prout velit. Quod longe secus est, si philosophis credimus: qui tradunt, fatum esse immutabile, inexorabile, ineffugibile, quo stet et Iupiter ipse. vel expone *Fata donaret:* id est, praedicaret singulis quae fata tam bona quam mala sint futura singulorum.

Ibid. CERDO.] Graece *cerdos* lucrum dicitur. unde *cerdones* dicti, qui Latino vocabulo *lucriones* nominantur. Sunt autem artifices sordidi, quorum frequens mentio apud poëtas et oratores. vulgo cerdonem vocitant sutorem veterum calceorum, quem à Tranquillo diximus nuncupari veteramentarium.

Ibid. NOMINE NEGOTIATOR.] tanquam hoc nomine appellitaretur, ab excellentia negotiationis. sic enim solent aliquanti vulgo negotiatores nuncupari, quo nomine non secus quam proprio noscitantur.

Ibid. CENTUM DENARIIS.] Denarius ex argento erat, et ut inquit Plin. placuit pro decem libris aeris, sicut quinarius pro quinque. postea Hannibale Romanos urgente, placuit, denarium 16. assibus permutari, quinarium octonis: in militari tamen stipendio semper denarius pro 10. assibus datus est. Notae denarii argentei fuere, bigae atque quadrigae: et inde *bigati quadrigatique* dicti. Fuit et *victoriatus* nummus argenteus, Victoriae nota insignitus, unde et nomen. Hoc ideo annotavi, quia mentionem saepe fieri invenies victoriati apud scriptores idoneos.

Ibid. QUOS MIHI CEDEM.] Corrige *mercedem.* significat enim pro mercede divinationis dinumeratos fuisse denarios, quos Chaldaeus auferret.

Ibid. LACINIA.] parte vestis, de qua iam dictum est.

Ibid. CONVERSUS.] Lege, et *conversum amplexus.* est enim sensus, Conversum esse Chaldaeum ex pressione laciniae, quem amplexatus est adolescentulus.

Pag. 121. PRAESENTIS NEGOTII OBLITUS.] Inopinatus amici superventus saepe causa est, ut praesentis negotii, quod gerimus, obliviscamur. quod accidit Chaldaeo, qui attonitus stupefactusque visione repentina amici adolescentuli, oblitus est pecuniam capere, quam cerdo dinumeraverat.

Ibid. INFIT.] loquitur. alias incipit. Virg. *Infit, eo dicente, deûm domus alta silescit.*

Ibid. ILLE ALIUS.] Adolescentulum significat, qui lacinia prehenderat Chaldaeum, qui dixit se advenisse hora vespertina tunc primum exoriente. hoc enim significat *Commodum:* super qua dictione iam satis ac super.

Ibid. FRATER.] Nomen affectus et charitatis. Certe quoties blandiri volumus amicis, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen potest, ut fratres vocemus.

Ibid. EUBOEA INSULA.] Boeotiae avulsa Euboea est, ante vocitata *Chalcodotis* et *Macris*, ut Dionysius et Ephorus tradunt: dicta quoque *Chalcis* est, aere ibi primum reperto, quod Graece *Chalcos* dicitur, à poëtis *Abantias* nominata.

Ibid. MENTE VIDUUS.] pro viduatus, id est, privatus. significatur autem impos mentis, insensatus ac brutus. compar elocutio est illa Horatiana: *Viduus pharetra Risit Apollo.*

Ibid. ULYSSEAM PEREGRINATIONEM.] Inter duras et aerumnosas peregrinationes imprimis memoratur Ulyssis peregrinatio, qui diutino errore vexatus, pertulit illa omnia decennali peregrinatione, immo (ut verius loquar) naufraga iactatione, quae in Odyssea canit Homerus: ut merito Ulysses exemplum sit tolerantiae et laborum, et Ulyssea peregrinatio pro laboriosa accipiatur, ac plena periculorum.

Pag. 122. TURBINIBUS PROCELLARUM QUASSATA.] Ventus circumactus, et eundem ambiens locum, ac se ipsum vertigine concitans, turbo est: auctor Seneca lib. 5. quaestionum. Appuleius noster in Cosmographia brevius: *Turbo*, inquit, *dicitur qui repentinis flabris prosilit, atque universa perturbat.* de quo Plin. Turbinem vocant proxima quaeque prosternentem: procella vero fit ex flatibus vi maiore contortis, quae vocatur à Graecis *Ecnephias*, de qua Aristot. in 3. Meteororum Plin. et caeteri. Procellam ab eo quod omnia procellat, dictam esse autumant Grammatici: quae à Servio definitur, vis

vis ventorum cum pluvia. qui et turbinem exponit, vim esse ventorum. Sed haec ex secretariis philosophorum magis eruenda sunt, quam ex promptuariis grammatistarum.

Ibid. UTROQUE REGIMINE.] remorum et velorum. hoc enim duplex est navium regimen. Clavus quoque quod gubernaculum est navigii, quem rector tenet, regimen est nauticorum. ex quo illud: *Dum clavum rectum teneam.* et illud: *Sedebamus in puppi, clavumque tenebamus.*

Ibid. DETRUSA.] *Trudes* vocant, quibus inhaerens saxo navigium trudi et retrorsum revocari potest. de quibus poëta: *Aeratasque trudes et acuta cuspide contos Expediunt.*

Ibid. VEL IGNOTORUM MISERATIONE.] Ex affectu dictum, cum etiam ignoti et alieni homines miseratione quadam prosequantur naufragos, et liberalitate refoveant. tunc enim, ut saluberrime praecipit Persius: — *de cespide vivo Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret Caerulea in tabula.*

Ibid. QUORUM AUDACIA.] Attende elocutionem. nam cum praemiserit *Miseratione latrocinalis manus* subiunxit, *quorum*, intelligi volens latronum. E contrario Sallustius: *Sed ante item pauci coniuravere contra rempub. in quibus Catilina fuit, de qua quam verissime potero dicam.* nam cum dicere debuisset, *de quibus* scilicet coniuratoribus *dicam*: subintulit, *de qua* scilicet coniuratione.

Pag. 123. SUB ISTIS OCULIS.] Cum oculorum sensus acerrimus sit, acerbiora impedio sunt quae videmus, quam quae audimus. Hinc illud: — *quaeque ipse miserrima vidi, Et quorum pars magna fui.*

Ibid. EXPERGITUS.] excitatus et evigilans.

Ibid. CIRCUMSECUS.] ex omni parte circumstantes.

Ibid. SENSIT LABEM.] Ex hoc commonefacit nos Appuleius, astrologis et Chaldaeis non esse credendum, qui in alienis negotiis videri volunt oculatissimi, cum in suis rebus sint hebetes et talpae. qui dum abdita fata scrutantur, quae sunt ante pedes non prospiciunt, fiuntque ridiculi.

Ibid. LUCI.] Ait Milo ad Appuleium, se optare ut illi Chaldaeus vera dixerit, et ut Appuleiana peregrinatio sit felix et fortunata. *Luci* autem vocativus est casus, quem antiqui salutatorium dixerunt. Nominatur autem Appuleius: siquidem honorificentior appellatio fit per praenomen, quam per nomen. hinc illud Horatianum:

Quinte puta, aut Publi, gaudent praenomine molles
Auriculae. Liber, ut inquit Quintil. in 7. *habet praenomen, nomen, cognomen: quibus caret servus.* ideoque Persius cum de libertate per manumissionem facta loqueretur: — *momento temporis exit Marcus Damma.* et mox paulo: *Marcus dixit ita est, assigna Marce tabellas.* Servus enim manumissus repente praenomine patroni insignitur, nominaturque. Lucius autem praenomen est apud Romanos frequens, à *luce* dictum. nam qui luci natus esset, Lucius: sicut qui mane, Manius dicebatur: auctor M. Varro. Gens Domitia praenomina nulla praeterquam Cnei et Lucii usurpavit. nam primum, secundumque ac tertium, Aenobarborum, Domitiorum, Lucios continua serie nominatos accepimus.

Ibid. DOMINE.] Honoris causa *dominum* appellat. Augustus tamen, ut in commentariis Suetonii annotavimus, *Domini* appellationem, ut maledictum et opprobrium, semper exhorruit, Dominumque se serio vel ioco appellari prohibuit. Alexander quoque Romanus imperator, dominum se dici vetuit. Et sane dominatio et principatus diversa natura sunt, ut docet Plin. panegyrista: *Nec aliis est princeps gratior, quam qui maxime dominum graventur.* Scribit Seneca in epistolis moralibus, quod relatu scituque dignum est, obvios salutari à nobis dominos solere, si nomen nobis non succurrit. Ex quo doctis videtur sensus ille Epigrammatarii poëtae: *Cum te non nossem, dominum regemque vocabam.*

Ibid. PORRIGAS.] Lego *pergas.* optat enim, ut pergat iter dextrum, hoc est, prosperum et faustum. dextrum enim passim usurpatur pro fausto et prospero. *Succensebam.*] irascebar mihi ipsi. *Succensere* irasci est iusta de causa.

Pag. 124. VESPERE.] horae vespertinae.

Ibid. FRUCTUM.] concubitum, complexumque Fotidis significat.

Ibid. CONFERAT MARI AC TERRAE.] Cum ait *mari*, refertur ad naufragium, quo mari Diophanis navis turbinibus procellarum quassata, rebus omnibus amissis demersa est. *terrae* vero inquit, propter latrocinalem manum, quae in terra invasit reliquias Diophanis bonorum.

Ibid. FATIGATIONIS SAUCIO.] Nova locutio, ut dicas, Saucius fatigationis hesternae, pro eo quod est, defessus labore peregrinationis pridianae. Medici, et Plinius noster, acopa appellant medicamenta lassitudinis, imposito ex re vocabulo. Hinc acopis quoque gemma dicta est, cum qua oleum suffervefactum perunctis lassitudinem solvit.

Ibid. FACESSO.] abscedo in cubiculum. Alias *facessere* pro *facere*: ut illud *Iussa facessunt.*

Ibid. NAM ET PUERI.] Sensus est, Servis instratum fuisse lectulum extra limen cubiculi sui, sibi vero procul ab his, ne illi subauscultare possent nocturnas coëuntium voces. Ex Luciano sumptum, qui Graece ait: τῷ μὲν παιδὶ ἔξω ὑπέστρωτο: id est, servo extrinsecus

stratus erat lectus. Appellatione autem *puerorum* servos significari, quis ignorat? ex quo illud Plautinum: *Pueri mensam apponite.* et illud, *Puere pulta.* inde apud priscos *marcipores* et *publipores* nominati, quasi pueri, hoc est servi Marci et Publii.

Ibid. ARBITRIO.] speculatu, contemplatuque. *Arbitrari* enim est spectare. Plautus: *Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant.* Hinc arbitrum vocamus iudicem, qui totius rei habebat arbitrium et facultatem: quia scilicet arbitratur, hoc est, spectat et explorat diligenter controversiam litigatorum; et arbitrium dicitur sententia, quae ab arbitro statuitur: et arbitrarium, cum adhuc res apud arbitrum geritur. Quidam, qui non legere quae à Luciano scripta sunt pro *pueris* emendarunt *prius*. Alii, *ut pueri*: sed male, cum sententiae Luciani, unde haec mutuantur, nostra lectio ad amussim quadret. Potest et hoc de pueris extra limen, non indocte neque ineleganter referri ad servulos liminis custodes, quos *liminarchas* vocant: de quibus sensisse videtur Silius in primo Punicorum:

— *Famuli turbato ad limina somno,*
Expavere trucem per vasta silentia vocem.

Ubi famuli ad limina, signantur liminarchae, hoc est, liminis praefecti, cubiculique custodes. At tamen apud iurisconsultos tit. de muneribus et honoribus, liminarchae ponuntur pro militibus qui imperii limitibus atque confinio praeficiuntur: quos *limitarchas* dicere possis, quasi limitum praefectos, qui et *limitanei* nominantur ab historicis. Volumine quoque Codicis imperatorii 12. mentio fit de limitaneis militibus, et limitaneis agris. ubi limitanei agri dicuntur, qui sunt in limitibus, hoc est, collimitio atque confinio collocati. *Limentinum deum* vocant, qui limini praeest.

Pag. 125. QUAM PROCUL DISTRACTUM.] Videtur legendum *distratum:* ut à sternendo *distratum* intelligas, non à distrahendo *distractum*. ut sensus: Stratum fuisse lectum et mensam pueris quam procul à grabato Appuleii.

Ibid. ASSISTIT MENSULAE.] Lego *mensula*. ut sit rectus casus, et hoc totum colon cum inferioribus iungendum: Grabatulum meum assistit mensula. Est enim sensus: grabatulo assistebat mensula, cum reliquiis coenae et poculis. ex Luciano totum, qui sic scribit: τράπεζα δὲ τῇ κλίνῃ παραστήκει, ποτήριον ἔχουσα, καὶ οἶνος αὐτοῦ παρέκειτο. καὶ ὕδωρ ἑτοῖμον καὶ ψυχρὸν καὶ θερμόν· hoc est: Mensula iuxta lectum astabat, poculum habens, et vinum adiacebat, et aqua frigida atque calida erat in promptu.

Ibid. LATICE.] *Latex* dicitur omnis liquor. unde et *latex vini*, *latex aquae*, *olei*, *absinthii*, apud poëtas frequentissime. Hic *laticem* pro vino accipimus. significat enim, calices bonos, hoc est, capaces, semiplenos fuisse infuso vino praeparatos ad temperiem aquae sustinendam. mos enim fuit veterum, modo frigida, modo calida aqua mixta potiones temperare. Ex quo illud Epigrammatarii: *Frigida non desit, non deerit calda petenti.* Item: *Me conviva leget mixto quincunce, sed ante Incipiat positus quam tepuisse calix.* et apud Satyrographum: — *calidae gelidaeque minister.* M. Ofilius comoediarum histrio, cum in coena calidam potionem in pultario poposcisset, repente expiravit, rigens nullo sentiente, donec accubantium proximus tepescere potionem admonet.

Ibid. LAGENA.] ποτήριον, id est, poculum significat, hoc est, vas vinarium. Quint. *Occidissemus te, nisi nos lagena defecisset.* Diminutivum est *laguncula*. Plin. in Epistolis: *Proinde cum venabere, licebit auctore me, ut panarium et lagunculam, sic etiam pugillares feras.*

Ibid. OFFICIO CESSIM.] Mendosissimus locus: qui ut sentio, ita emendandus est: *Orificio sensim dehiscente patescens.* Significat enim lagenam fuisse in orificio et in summa parte patentiorem in imo angustiorem: sicut sunt pleraque id genus vasa vinaria, ex quibus facilior est haustus. Igitur patescebat lagena, et patula fiebat summo orificio dehiscente, id est, sese expandente atque aperiente: sensim tamen, ob venustatem. *Orificium* autem dicimus, ut *opificium*, ab ore. est enim summum os, et hiatus ac pator. Scribit Macrobius duo esse ventris orificia, quorum superius erectum, recipit devoratque, et in follem ventris recondit: inferius vero demissum, intestinis adiacentibus inseritur, et inde via est egerendi.

Pag. 126. ANTECOENIA.] Novator verborum non minus eleganter quam licenter appellat lagenam Veneris antecoeniam tanquam praegustatio quaedam sit et praeludium ac praeparatio ad palaestram Veneream exercendam. Vinum enim subsequitur libido. nam sine Cerere et Baccho friget Venus. Unde Horatius scitissime crateram vini, *sodalem Veneris* appellat. Dicitur autem *antecoenia*, quasi ante coenam sumpta, dictione composita ex integro et corrupto: sicut Martial. finxit *Domicoenium*, quod domi coenare significat.

Ibid. VENERIS GLADIATORIAE.] tanquam palaestra Veneris sit pugna quaedam gladiatoria, et amatores in concubitu praelientur atque confligant.

Ibid. COMMODUM.] vix, tunc primum.

Ibid. ROSA SERTA.] Lucianus: τῶν στρωμάτων ῥόδα πολλὰ κατεπέπαστο· id est, rosae multae per strata spergebantur.

Pag. 127. TUBERANTE.] tumescente. Rosae enim

enim solutae in sinu et gremio extuberare ac tumescere videntur. Proverbium vetus obiter referendum est, quod erit: *Nec mulieri nec gremio credi oportere:* cum et illa incerti et levis animi sit, et plerumque in gremio posita cum in oblivionem venerunt exurgentium procidant.

Ibid. PRESSIM.] cum pressura, quod amantium est, ut scilicet oscula infigant imprimantque pressis labellis. adverbium est.

Ibid. COROLLIS REVINCTO.] Hoc totum amatoris specimen est et argumentum, ut coronis amator ab amica revinciatur, ac floribus oppleatur. Sutiles coronae, ut auctor est Plin. solennes in coenis fuerunt, et in potu atque hilaritate praecipue usurpabantur. Interdum et coronas ipsas bibebant, quod exemplo Cleopatrae satis liquet, quae in convivali hilaritate invitavit Antonium, ut coronas biberet. strophia antiqui appellarunt, unde nata *strophiola.* Cum vero ex floribus fierent serta, à serendo *serviae* appellabantur. à coronis *corollae*, diminutivo vocabulo propter gracilitatem nominatae. Unde et *corollaria*, de quibus apud Tranquillum copiosius, et mox suo loco dicemus.

Ibid. AQUA CALIDA INIECTA.] Dudum diximus, quod mixtura calidae pocula temperebantur. Omnem decoctam aquam utiliorem esse convenit: item calefactam magis refrigerari, subtilissimo inventu, ut tradit Plin. noster lib. 31. Neronis principis inventum est, decoquere aquam, ultroque demissam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit sine vitiis nivis. hinc illa in desperatione apud Suetonium vox: *Haec est decocta Neronis.*

Ibid. PAULATIM.] minutatim, et (ut inquit Plautus) *ductim:* quod cum quadam inter bibendum cunctatione à potoribus fieri solet.

Ibid. SORBILLAT.] sorbillo haurit. Plautus in Penulo: *Hem mihi, iam video prope victi tantum sorbillo:* hoc est, sorbitione. Ex animantibus alia sugunt, alia lambunt, alia sorbent. Appius Auferius repentina morte obiit, cum sorberet ovum. *Ovum sorbile vel molle imbecillissimae materiae est*, ut inquit Celsus: qui crassiorem quoque pituitam fierit tradit ovis *sorbilibus.*

Ibid. SEQUENS ET TERTIUM.] Prima viri cratera ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam. Nihil sic inflammat medullas, et titillat membra genitalia, sicut vinum, cui natura est exhausto accendendi calore viscera intus: quo nihil est perniciosius, si modus absit. Gloriam bibendi virtute Parthi quaerunt, famam hic apud Graecos Alcibiades meruit. Cicero, M. Ciceronis illius inclytissimi oratoris filius, avidissime apprehendit gloriam ebrietatis, qui binos congios simul haurire solitus erat: à quo olim marcido ac temulento scyphus impactus est M. Agrippae. Proverbium vetus est *Sapientiam vino obumbrari:* quo nihil potest esse foedius, cum vino mens hominis obrutescat, et vertigine caliget. Libet interdum talia transcursu interspargere, ad castigandos non paucos, qui ad vina perdenda geniti sunt: qui ob hoc tantum se natos esse arbitrantur, ut bibant. Quod olim de Bonoso imperatore Romano Aurelianus dictitabat: *Non ut vivat*, inquit, *natus est, sed ut bibat: qui bibit quantum hominum nemo.* in quo fuit hoc mirabile, ut quantum bibisset, tantum mingeret, qui cum laqueo vitam finivisset, talis extitit iocus: *Amphoram pendere, non hominem.* Fuit quidam ex numero phagonum sive comedonum, quo vehementissime delectatus est Aurelianus, qui, ut refert Flavius Vopiscus, bibebat *infundibulo plus orca.* Est autem *infundibulum*, ut id quoque transeuntes annotemus, instrumentum vinarium, quo vinum in dolium infunditur. Praecipit Cato, ut villicus habeat *infundibula* duo. Legitur in monumentis Hebraeorum, quosdam esse ex his qui audiunt sapientem, similes *infundibulo:* tales nihil continere; qui sicut *infundibulum*, quantum hauriunt, tantundem transmittunt. *Orca* autem vas est ficarium, teres atque uniformi specie, dicta à similitudine orcae marinae belluae. Praecipit Columella, in *orcas* picatas meridiano tempore calentem ficum condi, et calcari diligenter oportere. Plin. quoque in 15. *Ubi copia*, inquit, *ficorum abundat. implentur orcae.* M. Varro *orcam* capit pro vase vinario, cum in primo de Re rustica sic scribit: *Quod saepe ubi conditum novum vinum, orcae, ut in Hispania, fervore musti ruptae: nec non et dolia, ut in Italia, ne vinum prolueret.* Apud Persium pro vase salsamentorum capitur, illo versu: *Menaque quod nondum prima defecerit orca.* et haec notiora. Illud remotius, *orcam* dici vasculum aleatorium, quo coniectae agitataeque tesserae et tali mittuntur in aleam, ad evitandas aleatorum imposturas. à Martiali dicitur *turricula*, ab Horatio *pyrgus.* In hoc significatu accipitur apud Persium sic scribentem: — *angustae collo non fallier orcae.* Ubi Grammatici meras nugas effutiunt. Huic sententiae nostrae evidenter astipulatur illud Pomponii: *Iterum dum contemplor orcam: taxillos perdidi.*

Ibid. CORPORE IPSO.] Aliquando, ut inquit verissime Augustinus, cum in animo concupiscentia ferveat, friget in corpore, et ille libidinis motus destituit inhiantem. ex quo fit, ut libidini libido non serviat. Nunc ait Appuleius, et animo et corpore sese ad libidinem fuisse incitatissimum.

Ibid. INQUIENS.] Lege *inquietus*, vel *inquies*, ut antiqui dictitabant; quo vocabulo idem significatur quod *inquietus*, et est adiectivum. Livius: *Iam sibi satis gloriae quaesitum, et potuisse se desinere, ni animus inquies pasceretur opere.* à Plinio dicitur *inquies* pro inquietudine, si modo fas est

La-

Latino homini *inquietudinem* usurpare. sic enim inquit in 14. *Furiales somni et inquies nocturnae.*

Ibid. SAUCIUS INGUINUM.] pro *inguinibus.* figurate locutus est. Veteres enim genitivum pro ablativo frequenter usurpant: ut, *praestans animi*, *felix animi*. ita et *Saucius inguinum* dicitur oppido quam eleganter, habens inguina tumentia. Sicut enim membra in homine saucio intumescunt, sic saucius inguinum dicitur, cuius turgent genitalia ex libidinis desiderio. Horat. *Tument tibi cum inguina.*

Ibid. SINE.] Tersior lectio est *Sane.*

Ibid. SINE FINALI OFFICIO.] tanquam nullus finis venerei praelii esset futurus. Quidam legunt *sine feriali officio:* quod perinde est ac si dicas, sine cessatione. Verbum est iurisconsultorum, *ut in causa finali.*

Pag. ARCUM MEUM.] Perstat in translatione. Nam cum praemiserit, sagittam Cupidinis qua ille amatores ferit, merito subintulit, *Arcum tetendit:* quod plane referendum est ad genitalia, quae vigore nervi instar arcus tenduntur. scribit Plin. camelino genitali *arcus intendi* à populis Orientis. Ad consimilem significantiam allusit Ovid. cum ait in carmine obscoeno: *Nemo meo melius nervum tendebat Ulysse: Sive illud laterum, seu fuit artis opus.* Item in Amorum voluminibus: *Penelope vires iuvenum tentabat in arcu: Qui latus argueret, corneus arcus erat.* Nam cum de arcu simplicius loqui videatur, quem proci tendere nequivêre, et solus Ulysses tetendit, prout latissime canit Homerus: tamen occulte allusit ad arcum et nervum genitalium, de quo nervo Hor. *Cuius in indomito constantior inguine nervus.*

Ibid. ET OPPIDO FORMIDO.] valde timeo.

Ibid. INEFFUSUM LAXA CRINEM.] Petit à Fotide, ut comam solvat, ut capillos habeat effusos, dissolutosque qui undanter fluant, verbum est imperantis *Laxa.*

Pag. 130. LACINIIS RENUDATA.] exutis vestimentis omnibus, etiam interula, sive camisia deposita. In amore enim vix ulla etiam nuda, sat nuda est.

Ibid. IN SPECIEM VENERIS REFORMATA.] Laus magna Fotidis, cuius nudae formam comparat Veneri, quae nuda subit marinos fluctus, et nuda illinc exit: utpote ex maris spuma genita. Venerem nudam è mari exeuntem pinxit Apelles, quae *Anadyomene* vocatur: quo opere nihil absolutius iudicant eruditi. Anadyomene autem Graeca appellatione dicitur emergens, sive exiens, sive egrediens ex mari.

Ibid. GLABELLA.] delicata, et laevore cutis venusta. *Glaber*, et per diminutionem *glabellus* dicitur, laevis, politus, et sine pilis. Verbum vetus est *deglabrare*, quod significat depilare, et glabrum facere. *Glabreta* antiqui loca dixerunt, quasi calvata, quae fructibus nuda sunt, utpote nihil gignentia: quae Graeci Φαλάκρας vocant, à similitudine calvitii, quod Φαλακρὸν dicunt. Unde *phalacrocoraces*, calvi corvi. Hinc apud Suetonium vicus, in quo natus est Vespasianus, *Phalacrine* nomen duxisse videri potest: quod ea loca essent Φαλακρὰ, hoc est, calveta sive glabreta, id est, fruticibus viduata, et penitus sterilia. quamvis in commentariis coniectatorie tradiderimus, nomen Phalacrine inditum videri posse ex eo, quod homines calvi illic nascerentur, quos Graeci Φαλακροὺς vocant. De glabretis ait Columella: *Et glabreta signis adhibitis notari convenit, ut suo tempore eiusmodi vitiis medeamur.* Ab eodem decenter dicitur, *glabrescit area:* pro eo quod est, fit glabra, et sine herbis.

Pag. 131. QUAM TEGENS VERECUNDIA.] Lego *verecunda.* ut sit sensus: Fotidem manu expansa non tam texisse, quam obumbrasse verecunda, hoc est, genitalia: qui mos est mulieribus prope peculiaris, ut pudenda conspici nolint, quorum membrorum nuditas erubescenda: et (ut auctor est Augustinus volumine de civitate Dei) omnes gentes adeo tenent in usu pudenda velare, ut quidam barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant, sed cum earum tegumentis lavent: apud Romanos nudi iuvenes corpora in campo exercentes, pudenda operiebant, unde ita succinctos vulgus campestratos appellat.

Ibid. PRAELIARE.] congressu scilicet et pugna venerea.

Ibid. NEC TERGA VORTAM.] Translatio à bellatoribus, qui cominus et adverso pectore depugnant, neque tergiversantes, neque cedentes: cum eius sit terga vertere, qui timidus est, et fugere malit quam mori.

Ibid. MISSIONEM.] Hoc est quod supra dixit, praelium nobis sine finali officio indixeras. perstat in metaphora praelii militaris.

Ibid. GRASSARE GNAVITER.] strenue depugna. *Grassari* antiquitas ponebat pro adulari: modo latrocinale verbum est. nam *grassari* dicuntur latrones vias obsidentes, videlicet ab impetu gradiendi. Unde *grassatores* dicti, et *grassaturae.* Mars et luna in 8. ab horoscopo loco simul collocati, grassatorem efficient, qui latrocinantem manum profusione sanguinis cruentabit. Interdum *grassari* honesta significatione significat ire et gradi. ut illud Silii Italici: *grassandum ad clara Periclis.* et Sallustii: *Animus ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est.* *Gnaviter* autem dicitur industrie, strenue, celeriter: quod et naviter, cuius contrarium est, *Ignaviter.* *Navus* autem, celer ac strenuus, à navium celeritate dictus. Grammatici protesin figuram appellant, quando appositio quaedam literae fit ad principium dictio-

tionis: ut *gnatus* pro *natus*, *gnavus* pro *navus*, *gnaviter* pro *naviter*. *Noti*, inquit M. Tul. *erant et navi, et nari, quibus cum in praeponi debet, dulcius visum est ignoti, ignavi, et ignari dicere, quam ut veritas postulabat.*

Pag. 132. CREBRA.] crebro, nomen pro adverbio. Virg. — *et pede terram Crebra ferit.*

Ibid. MOBILEM SPINAM QUATIENS.] In re venerea exigitur motus et agitatio: ut illae merito damnentur, quae immobiles iacent. habet enim mobilitas illa nescio quid incentivum et illicium, efficitque venerem viris concinniorem. Ex quo est illud Epigrammatistae: *Nec motu dignaris opus, nec voce iuvare.* Contra Sappho Ovidiana inquit: *Crebraque mobilitas, aptaque verba ioco.* Lucretius motum illum concubitus efficere ait venerem concinniorem, qui tamen sit causa ne foeminae concipiant. sic enim refert in quarto: *Idque sua causa consuerunt scorta moveri, Ne complerentur crebro gravidaeque iacerent, Et simul ipsa viris Venus ut concinnior esset.* Spina autem dorsualis à medicis longum cerebrum vocatur. ex spinali medulla pudendis, atque etiam matrici, ut suum ministerium impleant, nervi ministrantur.

Ibid. PENDULAE VENERIS.] Eleganter *pendulam venerem* vocat, quae fit à foemina superstante. de quo concubitu inquit Ovid.

Parva vehatur equo: quod erat longissima, nunquam
Thebais Hectoreo nupta resedit equo.

Plerisque quadrupedum, ut inquit Plin. foeminae in coitu superveniunt.

Ibid. ARTUBUS.] languentibus membris. Quid est, inquit Aristot. in problematis, quod homo inter caetera animantia à concubitu dissolvitur et languescit? An quod semen pro sui corporis proportione plurimum emittit? qui vero multum geniturae sive spermatis emittit, pallescit ac debilitatur non secus ac debilitaretur, si quadrupes tantum de sanguine emitteret. Quod ideo fit, quia sperma sive genitura gignitur ex sanguine optime digesto, quarta novissimaque digestione: auctor Albertus magnus. Dicere solebat Pythagoras, tunc aphrodisia, id est, venerea exercenda esse, cum teipso infirmior fieri vis. Venerem damnat Democritus, cuius raritatem utiliorem esse verissime sentit Plinius noster. et ante Plinium dixerat Corn. Celsus probe ex oraculo: Concubitus rarus corpus excitat, frequens solvit. Ab artubus membrorum, derivatur *artuatus:* quae dictio significat dissipatum, et quasi per artus laceratum. Maternus in quinto: *Ut sic artuatis viscerum partibus, membra omnia crudelis artificii praesidio proferantur.* Fit et verbum *deartuare*, quod est quasi per artus concidere. Plautus: *Deartuatus sum miser.*

Ibid. SIMUL AMBO CORRUIMUS.] Illa est omnibus numeris solida voluptas, qua vir et foemina coëuntes simul commoriuntur. Ovid. *Ad metam properate simul tunc plena voluptas, Cum pariter victi foemina virque iacent.* Vulgo creditur ad concipiendum necessariam esse utriusque coëuntis cum voluptate, parique concursu seminis profusionem: quod negat Aristoteles, qui lib. I. de generatione animalium, foeminas saepenumero concipere affirmat, sine ea quae per coitum fit voluptate, quod et reliqui Peripatetici testantur.

Ibid. COLLUCTATIONIBUS.] tanquam palaestra quaedam et luctatio sit Venereus concubitus. Ideoque Domitianus *clinopalem* vocabat libidinis assiduitatem, velut palaestram lecti, et exercitamentum.

Pag. 133. LIBIDINEM INCITANTES.] Isocolon est, qua figura prope peculiariter ubique locorum utitur Appuleius: Latine dicitur *compar.*

Ibid. IMPENDIO.] valde: adverbium est.

Ibid. NEGAVIT VENIAM.] Dixit se mihi non ignoturam, nec veniam daturam, nisi promisissem me apud eam coenaturum.

Ibid. CONSILIUM VELUT AUSPICIUM PETENDUM.] Quemadmodum praesides et magistratus reguntur auspiciis, sine quibus nihil militiae domique agebatur. Ita mihi, inquit, consilium erat petendum à Fotide, ut magistratus auspicia ab auspicibus petere consueverunt. Plin. de gallis gallinaceis scribens sic refert: *Hi magistratus nostros quotidie regunt, domusque ipsi suas claudunt aut reserant: hi fasces Romanos impellunt aut retinent: iubent acies aut prohibent, victoriarum omnium toto orbe partarum auspices.*

Ibid. UNGUE LATIUS.] *unguem latum*, ac *digitum transversum*, proverbialiter usurpamus, ad significandum intervallum oppido quam pusillum: quanta scilicet est latitudo unguis et digiti transversi. Plaut. in Aulularia: *Digitum transversum, aut unguem latum excesseris.* Hieronymus et Cicero hac proverbiali locutione decenter utuntur.

Ibid. COMITER.] hilare ac libenter, ut exponit Varro: adverbium est. *Comes* (ut inquit Cicero) *dicimus homines, faciles et benignos.*

Ibid. AMATORIAE MILITIAE.] Ovid. *Militiae species amor est, discedite segnes.* item: *Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.*

Ibid. VESANA FACTIO.] Malorum consensus et conspiratio dicitur factio. alias factio signat opulentiam: ut illud Plauti ex Aulularia: *istas magnas factiones nihil moror.* olim *factio* honestum erat vocabulum: unde factiones histrionum et quadrigariorum dictae. modo nomine factionis seditio et arma vocantur, et homines *factiosi* dicti. Sallust. *Erat Cn. Piso eodem tempore adulescens nobilis summae audaciae, egenus, factiosus.* Tertullianus in apologetico: *At è contrario illis nomen factionum accommodandum est, qui in odium bonorum et proborum conspirant.*

Ibid. INFECTA.] Lego *infecit:* hoc est, polluit, foedavit, perturbavit.

Ibid. PER MEDIAS PLATEAS.] non clam, sed palam et in propatulo, caedes à factione vesana fieri solitas significat. *Platea* autem media producta enunciatur, si Donato credimus, qui enarrans illud Terentianum: *In hac platea dicunt habitasse Chrysidem:* hoc innuit, cum ait, Graeci πλατεῖαν *dixerunt, quam nos plateam dicimus:* secundum formam eiusmodi μήδειαν et medeam, σπονδεῖον et spondeum scribimus: tamen apud Horat. et Ausonium *platea* profertur media correpta. sic enim in epistolis Horatii legitur:

Purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet.

Pag. 134. PRAESIDIS AUXILIO.] Congruit bono et gravi praesidi, ut Ulpiani verbis utar, curare ut pacata et quieta provincia sit quam regit: quod non difficile obtinebit, si sollicite agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat. nam et sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet, et prout quisque deliquerit, in eum animadvertere. Praeses provinciae, ut inquit Paulus, in sua provincia tantum imperium habet, et habet interdum imperium adversus extraneos homines, si qui malum commiserint. nam et in mandatis principum est, ut curet is qui provinciae praeest, malis hominibus carere provinciam. praesidis autem nomen generale est, quo omnes provincias regentes appellantur. Quod autem dixit Ulpianus, *plagiarios conquiri à praeside debere:* scito nomine *plagiarii* non tam eum significari qui surripit alienos servos, ut autumat Accursius, quam eum qui liberum hominem asserit in servitutem: quique hominem emit, quem scit liberum esse: et qui huiusmodi hominem sciens vendit, aut pro servo tenet. Dictus *plagiarius*, quod lege Phania plagis damnatus esset: ipsa vero lex *plagiaria*, crimen *plagium* vocatur. Martial. decenti metaphora *plagiarium* appellat furem librorum suorum, qui illos tanquam suos tenet in servitute. Ego opinor potius *plagiarium* à vocabulo Graeco duci: id est, πλαγίῳ, quod significat obliquum et transversum: et πλαγιάζω dicitur obliquo. nam qui plagiarius est, quasi ex obliquo et transverso in servitutem trahit illum qui liber sit. praeterea in *plagiario* syllaba prima corripitur, in *plaga* producitur.

Ibid. CONTEMPTUS PEREGRINATIONIS.] Peregrini dum contemnuntur, insidiis magis obnoxii sunt: cum naturaliter civibus nostris magis quam peregrinis faveamus. Cuius rei argumento est exemplum illud Agoracriti et Alcamenis Atheniensis. nam cum duo hi sculptores, in marmore sculpendo clarissimi, Venerem fecissent, vicit Alcamenes non opere, sed Atheniensium suffragiis, qui contra peregrinum suo faverunt. praecipit Plato lib. 8. de Legibus, peregrinos post exactos 20. annos, alligatis sarcinulis, ex civitate in qua habitaverint migrare debere. Idem lib. 9. peregrinum ob homicidium maiori mulcta afficiendum esse quam indigenam. Item libro 11. iubet, ut peregrini duntaxat et advenae cauponarias exercitationes faciant. *Contemptus* ponitur pro contemptione.

Ibid. NEC INCOMITATUS.] Comes fidissimus est gladius, quoque comitatum iturum sese spondet Appuleius.

Ibid. GLADIOLO.] Quidam ex veteribus *gladia* neutraliter dixerunt, genere excidentes: ut notat Quint. *Gladiola* dixit Messala. *Gladium*, à clade, *C* in *G* commutato, dici autumat M. Varro: quia fit ad hostium cladem. Lacedaemonii primi, auctore Plinio, gladium invenerunt.

Ibid. ALTRINSECUS.] altiore corporis parte. Adverbium est. vel ab altero latere: sic enim machaerophori gladium ad latus alterum alligatum gestare consueverunt.

Ibid. COENAE.] ad quam scilicet invitaverat me Byrrhena.

Ibid. EPULONUM.] convivarum. Ab epulis epulones dicti, et pro convictoribus accipiuntur. Antiqui *epolonos* dicebant, quos nunc *epulones* dicunt, et significabantur hi, qui habebant indicendi epulas Iovi caeterisque diis potestatem, pontifices veteres. auctor est M. T. in 3. de Oratore, tres viros epulones esse voluerunt, à quibus fieret ludorum epulare sacrificium. Mox numerus epulonum auctus, et pro tribus septem esse coeperunt: de quibus intelligi voluit Lucan. illo versu:

Septem virque epulis festus, Titiique sodales.

Plin. quoque iunior scribit, Marium Bethecum fuisse septemvirum epulonum. Sodales autem Titii (ut id quoque transeunter attingam) apud Lucanum significantur sacerdotes, dicti ab titiis avibus, quas in auguriis certis observare solent. *Coëpulonus* Plauto dictus convictor, et iisdem epulis vescens. sic enim ait in Persa: *O mi Iupiter terrestris et coëpulonus compellativus.* Ubi annotandum, quod *copulativus*, quam *compellativus*, emendatius quadrat Plautinae sententiae. Prisci scitissime facetissimeque epulones deos parasitos Iovis appellaverunt, et ad illius mensam constituerunt. Lex convivalis praecipit, ne in convivio epulones, hoc est, convivae plures sint quam novem, nec pauciores quam tres. oportet enim numerum convivarum à Gratiarum numero incipere, et progredi ad Musarum: id est, proficisci à tribus et consistere in novem: nam multos esse, inquit M. Varro, non convenit, quod turba plerumque est turbulenta. Notissimum dictum est de numero convivarum, prout meminit Iulius Capitolinus: *Septem convivium, novem vero convicium.* Archestratus poëta Graecus: Convivae, inquit, aut tres aut quatuor, aut non plures quinque sunto, alias mercenariorum et rapto viventium conventus fuerit.

rit. Athenaeus quoque auctor est, olim non plures quinque in convivium adhiberi solitos.

Ibid. OPIPARES LECTI.] Dicimus *opipares* et *opiparos*, ut *exanimes*, et *exanimos*, ut *inermes* et *inermos*, in secundo et tertio ordine. *Opiparum* autem antiqui dicebant magnarum opum apparatum, ut *opiparum convivium*. à Plauto in Persa, *opiparae Athenae* dictae, pro opulentae et magnificae. à quo *opipare*, abundanter, copiose. hîc *lecti opipares* significantur mensae magnificae ac pretiosae, utpote et citro et ebore confectae. nam, ut inquit Plin. mensis citreis nihil erat pretiosius. Olim Cethegus mensam citream permutaverat fundi taxatione. Rotundae erant et orbiculatae. Mensis citreis praecipua dos in venam crispis: tigrinae et pantherinae vocabantur. mulsi color in his maxime probabatur: de quibus Lucanus, Mart. Iuvenalis, Seneca, scriptores omnes. Harum mensarum pedes ex ebore fiebant. ob id dixit Plinius: *Eodem ebore numinum ora spectari, et mensarum pedes.* Iuven. — *latos nisi sustinet orbes Grande ebur.* Epigrammatarius poëta: *Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.*

Pag. 136. Hîc VITRUM FABRE SIGILLATUM.] Vitrum aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti mòdo celatur. Sidon officinis quondam vitreariis nobilis. usus vitri ad potandum argenti metalla et auri pepulit. Ferunt Tiberio principe excogitatum vitri temperamentum, ut flexibile esset, et totam officinam eius artificis abolitam, ne aeris, argenti, auri, metallis pretia detraherentur. auctor Plin. lib. 36. Graeci *hyalon* vitrum vocant. unde *Hyalinus* color, vitreus. Virg. *Carpebant hyali saturo fucata colore.* Galienus imperator aspernatus est calices vitreos, dicens: *Nil vitro communius. Fabre*, eleganter et ad amussim caelatum.

Ibid. CRISTALLUM IMPICTUM.] Crystallum glaciem esse certum est: unde et nomen Graeci dedêre. κρύσταλλος enim Graece glacies, κρυσταλλώδης glacialis. hinc illud in obscoeno carmine: *Rigetque dura barba vincta cristallo.* auctor est Xenocrates, vas amphorale ex crystallo visum. Poculis crystallinis maxima auctoritas. Nero amissarum rerum nuncio accepto, duos calices crystallinos in suprema ira fregit illisos. Mater familias olim mercata est trullam crystallinam sextertiis centum quinquaginta milibus. *Impictum* autem *crystallum* appellat, vel quasi non pictum, et sincerum, quale dicitur asyntheton: vel quia pingi solitum est, quod et Plin. refert, scribens ex crystallo tingi smaragdos, aliasque translucentes gemmas. In frigido potu maxime crystallina commendantur, cum materia illa sit caloris impatiens.

Ibid. ARGENTUM ALIBI CLARUM.] Argentea suppellex, et argentea vasa in apparatu mensarum regiarum usurpantur, utpote pretiosissimus. Lances ex centenis libris argenti super quingentas numero Romae fuisse constat. Cornelius Nepos tradit, triclinia Romae argentea fuisse: repositoriis argentum addi sua memoria coeptum, Fenestella dicit. Lectos operuisse argento totos primus traditur Carbilius Pollio, eques Romanus: qui aureos fecit. Vasa coquinaria ex argento Calvus orator fieri queritur. *Anaglypha* vocant, quae in asperitatem excisa sunt: ut Plin. ostendit in 33. de quibus epigrammatista: *Et mensis anaglypta de paternis.* Dixit Maro: *cymbiaque ex auro perfectâ atque aspera signis.* Interpretatur Servius anaglypha significari. In argento autem clariorem colorem esse quam in auro, magisque diei similem, tradit idem Plin. Ideoque militaribus signis familiariorem, quoniam is longius fulget. Graeci ἄργυρον argentum vocant, unde argyraspides à clypeis argentatis dicti milites Alexandri. et Apollo *argyrotoxos* apud Homerum cognominatus, ab arcu argenteo. et gemma *argyrodamas*, quam et *androdamanta* vocant, quoniam impetus hominum et iracundias domat.

Ibid. AURUM FULGURANS.] Quaerit Plin. cur aurum praelatum sit caeteris metallis: quia, inquit, rerum uni nihil igne deperit. quinimo quo saepius arsit, proficit ad bonitatem: aurique experimento ignis est. Idque ipsum obryzum vocant, quasi sincerum, quod valde pretiosum est: idque ecclesiastici scriptores *ophir* appellant, ut docet Fortunatus. Altera causa pretii maior in auro est, quod minimum usus deterit super caetera; non rubigo ulla est, non aerugo, non aliud ex ipso quod consumat bonitatem, minuatque pondus. Messala orator prodidit, Antonium triumvirum aureis usum vasis in omnibus obscoenis desideriis. Ptolemaeus olim mille convivas totidem aureis poculis saginasse fertur, immutans vasa cum ferculis.

Ibid. SUCCINUM MIRE CAVATUM.] Prisci crediderunt, succum arboris succinum esse: et nomen argumento est, ut auctor est Plinius. à Germanis appellatur *glessum*, et ob id insularum una in septentrionali Oceano *Glessaria* nominata. Liquidum primo distillare, indicio sunt quaedam intus translucentia: ut formicae, culices, lacertae. Candidum odoris praestantissimi, fulvo maior auctoritas: summa laus Phalerno, ita à vini colore dicto. Attritu digitorum accepta vi caloris, attrahit in se paleas et folia arida, ut magnes lapis ferrum. unde harpaga à rapiendo vocitarunt. Taxatio succini in deliciis maxima est, in tantum ut hominis quamvis parva ex succino effigies vivorum hominum, vigentiumque pretia superet. Domitius Nero princeps capillos uxoris suae Poppeae succinos appellabat. Alio nomine *electrum* appellant à Sole, ex fabula vulgatissima. vocant et electrum metallum ex auri argentique mixtura, cui auctoritas

ritas fuit apud priscos, Homero teste, qui Menelai regiam electro fulgere tradit. Helena in templo Minervae sacravit calicem ex electro, mammae suae mensura. Iurisconsultus: *Si quis*, inquit, *electrum ex alieno auro argentoque miscuerit*, Iulius Capitolinus auctor est, Corn. Macrum pateram electrinam habuisse, quae per convivas circumferretur. in cuius meditullio effigies Alexandri expressa visebatur. quod idcirco posui, quia dicuntur iuvari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant, vel argento. *Cavatum.*] scilicet in pocula electrina.

Pag. 137. ET LAPIDES.] Significat vel lapides pretiosos in convivio Byrrhenae fuisse excavatos ad pocula, vel calices potorios lapidibus et gemmis ornatos. de quibus Martialis: *Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum, Aspice quot digitos exuit iste calix.* et Satyrographus: *Nam viro ut multi gemmas ad pocula transfert A digitis.* Plin. quoque inquit: *Turba gemmarum potamus, et smaragdis teximus calices.* Quod autem ex lapidibus pocula figurarentur, docet idem Plinius, qui tradit visa potoria ex onochyte lapide, et ex murrha escaria facta. Aliorum quoque lapidum commeminit rex, quibus pocula fierent. Quin etiam M. T. in Verrinis autumat, trullam ex una gemma excavatam fuisse.

Ibid. DIRIVITORES PLUSCULI.] Antiqui diribitorum appellatione intelligi voluerunt ministros, distributoresque: qua dictione praeter Appuleium, usi sunt Ammianus Marcellinus et Cicero. In antiquissimo Latino lexico scriptum legitur: *diribitorium*, à *diribendo*, hoc est, distribuendo nominatum fuisse locum, in quo stipendia militibus numerarentur. Fortassis hinc vocabulum *diribitoris*, super qua dictione non pauca annotavimus in 5. Suetonii commentario, sic scribentis: *Cum Aemiliana pertinacius arderet, in diribitorio duabus noctibus mansit.*

Ibid. SCITULE.] decenter et pulchre. in convivio enim hoc maxime spectatur, ut fercula non tam sint copiosa, quam eleganter et nitide mensis importata, illataque: ubi structores ex arte structoria decenter secent altilia et pisces. *Scitus*, elegans: et pulchre apud priscos dicitur diminutive *scitulus*. apud Plaut. in Rudente: *Sunt facie scitula.* inde adverbia, *Scite* et *scitule*.

Pag. 138. PUERI CALAMISTRATI.] *Calamistrum* est acus maior, quae calefacta torquet capillos: unde *calamistratus puer*, pro crispulo cirratoque: et *calamistrata coma*, quam M. T. probro dat Gabinio. Delicatorum enim est, et mollium, capillos inurere calamistro. Tales, ut inquit verissime Seneca, suam mallent rempublicam turbari, quam comam. M. Varro refert, calamistrum parari ob ornatum, quod calefactum in cinere capillos ornat. qui calamistrum ministrabat à cinere, *cinerarius* et *cinislo* est appellatus. Cinislonum meminit Horatius. apud Plautum probroso convicio dictum est, *Cinaede calamistrate.* hinc ministri significantur, crispa coma et annulatis calamistro capillis conspicui: quales in conviviis regum esse decet. Papinius, celebrans Domitiani Saturnalia, ita laudat ministerium: *Idaeos totidem putes ministros.*

Ibid. PULCHRE INCLUSITATI.] Hoc est, eleganter vestiti. Legere malo *Indusiati.* est autem inclusium, vel potius indusium, vestimentum corpori adhaerens, quasi intusium. Plautus in Epidico: *Intusiatam, patagiatam, caltulam, aut croculam.* quo versu significatur vestis indusium et patagium, de quo supra diximus. *Caltulae* vero nomine, et *croculae*, demonstratur vestis coloris caltae et croci, ab herba calta, cuius color luteus est, *caltula* dicta, de qua Virg. *Mollia luteola pingit vaccinia calta.* Hinc ab eodem Plauto in Aulularia dicti *indusiarii* et *caltuarii patagiarii*, pro confectoribus horum vestimentorum. quamvis in Plautinis codicibus non *caltuarii* scriptum sit, sed *cerinarii*: quasi à colore cerae nominati. M. Varro *intusium* dicere maluit, quam *indusium.* qui de indutu sive amictu scribens, sic inquit: *Unum quod foris ac palam, pala: alterum, quod intus, à quo intusium.*

Ibid. OFFERRE.] pro offerebant. Infinitivus pro indicativo, quo historici et poëtae utuntur.

Ibid. EPULARIS SERMO.] Ex praescripto legis convivalis oportet convivas nec loquaces esse, nec mutos: quia eloquentia in foro, silentium vero in cubiculo esse debet. *Sermo* autem *epularis* hic est, qui inter epulas seritur: et debet esse iucundus atque invitabilis, et cum quadam illecebra et voluptate utilis. Dum vescimur, tunc tacendum est: ob hoc dixit Gellius: *Interea puer venerat, et olla deferbuerat, tempusque esse coeperat edendi et tacendi.*

Ibid. IOCI LIBERALES.] Non dicteria omnia et scommata accommodata sunt convivali hilaritati, sed ioci minus asperi, et dentatae beluae morsus in convivio dici et debent et solent. Apud Graecos laedoria et scomma nominantur ioci mordaciores, et urbanitas amarulenta. *Sapiens*, ut inquit Macrob. *inter mensas et pocula praecipue exercet id scommatis genus, hoc est morsum figurarum, quod urbanitate tegitur, nec semper ad amaritudinem pergit. Veteres nostri iocos dicteria dicebant.* Plautus comicus, et Tul. orator, iocorum venustate caeteris praestitisse memorantur. Tyro Tullius Ciceronis libertus libros tres de patroni iocis composuit. Iocum id accipimus, ut docet Quintilianus in 6. quod est contrarium serio. M. Tul. in primo de Officiis: *Duplex*, inquit, *est iocandi genus: unum illiberare, petulans, flagitiosum, obscoenum*,

num: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Illiberali ioco abstinere, ingenuo uti debemus. Tunc autem ioco uti licet, cum seriis rebus satis fecerimus.

Ibid. CAVILLUS HINCINDE.] Ex omni parte convivii cavillationes resonabant: est enim *cavillus*, sive *cavillatio*, irrisio et iocosa calumniatio: ut supra diximus.

Ibid. TEMPLIS ET LAVACRIS.] Consimiliter Sidonius Apollinaris, Narbonae Galliae civitatem à delubrorum et thermarum magnificentia commendat

Ibid. POLLEMUS AFFATIM.] copia utensilium abundamus. *Affatim* adverbium est, quod admodum, abundanter et copiose significat, ut Grammatici autumant: cuius dictionis syllaba prima acuitur, et ita Probus Grammaticus et veteres pronunciabant: et testis est Gel. Coniungitur ferè semper cum genitivo: ut *affatim lignorum*, *affatim copiarum*, *affatim pecuniae.* est apud eruditos frequentissimum, et nos in superioribus annotavimus.

Pag. 139. CERTA LIBERTAS.] Laus illa est maxima civitatis, in qua sit libertas certa, aequaque tam civibus quam peregrinis. *Vult*, inquit Arist. lib. 4. Politicorum, *lex popularitatis pares esse divites et pauperes, et utrosque iuxta aequales.* popularis enim libertas est, ut idem in 6. refert, propositum popularis reipub. est libertas, quae, ut iurisconsulti memorant, inaestimabilis res est. de qua Plautinus leno sic: *Aedepol libertas lepida res.* Prisci festivitatem Libertatis colebant, *Eleutheria*, quasi dicas *liberatoria* appellantes. Plautus in Persa: *Basilice agito Eleutheria.*

Ibid. OTIOSA.] Pulchrior sensus est, si legas, *Otioso et negotioso quidem advenae*, hoc intellectu: Otiosis hominibus in Hypata est certa libertas: negotiatoribus vero advenis, qui frequentia gaudent, hic videtur esse tam frequens multitudo, quam Romae convisitur. vel quod Hypatam negotiatores quoque Romani frequentes colerent. nihil tamen immuto ex priori lectione, cuius sensus subsistit.

Ibid. QUIES VILLATICA.] Mirificum optimae urbis praeconium, in qua hospites et alienigenae ea quiete et otio degunt, qua in villa perfruuntur. Officium autem peregrini et incolae est, ut praecipit M. T. nihil praeter suum negotium agere, minime in aliena esse Repub. curiosum.

Ibid. PROVINCIA.] Thessaliam significat, ubi erat Hypata.

Ibid. MAGNA.] Lego *magis.*

Ibid. OPPIDO.] valde. veteres *antigerio* dicebant, in eadem significatione. Sed verba quae ab ultimis et iam obliteratis sunt repetita temporibus, ea omittere debemus, si Quintiliano praecipienti credimus, qui ait, nihil esse odiosius affectatione.

Pag. 140. EX BUSTIS ET ROGIS.] *Bustum* proprie est locus, in quo mortuus est combustus et sepultus. Dicitur *bustum*, quasi *bene ustum.* Aliquando *busta* sepulturam vocamus. Serv. pyras, busta et rogos ita discriminat: *Pyra*, inquit, *est lignorum congeries, rogus cum ardere coeperit, bustum vero iam exustum vocatur.* quem ordinem servat Virg. dicens:

Ter circum accensos decurrere rogos.

item: — *semiustaque servant Busta.* Donatus vero sic refert in II. Aeneidos commentario: *Busta sunt*, inquit, *loca in quibus busta arserunt. primo enim pyra dicuntur, et rogi: postea busta vocitantur, ubi arserunt.* Apud Solonem poena ex lege constituta est, si quis bustum violaverit, deiecerit. Bustum putat appellari M. Tul. quod Graeci *tumbam* vocant. A busto, *bustuarii* gladiatores dicti, qui ante sepulchra depugnare solebant.

Ibid. CADAVERUM.] Apud Lucanum Erichto, magarum formosissima, ossa ardentia ex mediis rogis rapit, ferales quoque vestes colligit; eadem desaevit in artus defunctorum:

Immergitque manus oculis, gaudetque gelatos
Effodisse orbes, et siccae pallida rodit
Excrementa manus.

Ubi annotandum, à Lucano *excrementa manus* dici, quae alii *resegmina* vocant, et *praesegmina*: hoc est, excrescentia purgamenta, quae ex unguibus eminulis subinde resecantur. Magi, ut tradit Plin. lib. duodetrigesimo: *resegmina unguium ex pedibus manibusque cera permixta, tertianae vel quartanae febri mederi dicunt.* Idem iubet, resegmina unguium ad cavernas formicarum abiici, eamque quae prima coepit trahere correptam subnecti collo, et ita discuti morbum febris. Idem Plin. ait, magos omnia esse persecutos usque ad resegmina unguium. Plaut. in Aulularia: *Quando ipsi pridem tonsor ungues dempserat, colligit omnia, abstulit praesegmina.* Praeterea Democritus commentatus est, et Apollonius scripsit, ossa defunctorum esse efficacissima ad quosdam morbos. Artemon ait: *Calvaria interfecti aquam fontanam si quis propinet, comitialibus morbis mederi. quidam ex eadem calvaria suspendiosi hominis catapotia fecerunt, contra canis rabidi morsus.*

Ibid. CHORAGII FUN.] apparatus funebris. Pensitata diligenter et solerter significatione huiusce vocabuli, animadverti, *choragium* generali vocabulo dici instrumentum atque apparatum. unde *choragium gloriae* in 4. Rhetoricorum ad Herennium: *choragium scenae*, apud Festum: *choragium funeris*, apud Appul. pro instrumento scilicet apparatus. Fulgentius Placiades non satis scienter et recte *choragium* accipit pro virgi-

nali funere, super quo copiosius in secundo Suetonii commentario. *Choragus* autem significatur praefectus choragii, pro, expensae suppeditator, choreae princeps, necnon chori conviviique magister. ut apud Plaut. in Persa scribentem: *Ornamenta ab chorago sumito.* item in Trinummo: *ipsa ornamenta ab chorago sumpsit suo periculo.* Appul. in apologia, *choragium thymelicum* appellat: intelligi volens instrumentum scenicum et histrionicum apparatum. Vitruvius in 5. de architectura, praecipit porticus post scenam constituendas esse, ut cum imbres repentini ludos interpellaverint, habeat populus quo se recipiat ex theatro: *Choragia laxamentum habeant ad comparandum, uti sunt porticus Pompeianae.*

Ibid. PERPETI.] Perpetua, continua, durabili. *perpetem* enim veteres pro *perpetuum* dixerunt. Plautus in Amphitryone: *Nisi item unam verberatus quam pependi perpetem.* sed hoc in loco legere malim *praepeti celeritate*, quasi veloci et strenua: sicut à Virg. dictum est, *Praepetibus pennis.* item alibi: — *praepetis omina pennae.* quod vocabulum augurale est, ut Hyginus tradit. *Praepetes* enim vocantur aves, quae volatu futura praedicunt, quasi superiora petentes: quae cum sint boni augurii, ut docet Ser. ideo dixit Maro *praepetibus pennis*, pro felicibus. Hyginus ait, *praepetes* aves ab auguribus appellari, quae aut opportune praevolant, aut idoneas sedes capiunt. Locos quoque *praepetes*, quod idonei felicesque sint, augures appellant. Et Ennius in annalibus dixit: *Praepetibus hilares sese pulchrisque locis dant.* Item: *Brundusium pulchro procinctum praepete portu.* Trimatius poëta Victoriam volucrem praepetem appellavit, hoc versu:

Dum dat vincenti praepes victoria palmam.

Discrepant à praepetibus avibus inferae aves, auctore Nigidio Fibulo: ex quo est coniectare ut Auli Gellii verbis utar, *praepetes* appellatas, quae altius sublimiusque volitent. Homer. praepetes alites appellat τανυπτέρυγας· id est, ingentibus alis patulas atque porrectas.

Ibid. ANTEVORTUNT.] Sensus est, Aniculae magia pollentes, celeritate quadam pernicissima, dum apparatus funebris instruitur, dum necessaria ad funerandum praeparantur, praeripiunt anticipantque alienam sepulturam.

Ibid. ISTIC.] Hypatae, et in tota Thessalia.

Ibid. NESCIO QUIS.] De ignoto homine, et ignobili, sic loqui consuevimus. Plautus: *Certe enim hic nescio quis loquitur.* M. Tul. in Orationibus: *Nescio quis iste Ligus, additamentum inimicorum meorum.*

Ibid. OMNIFARIAM.] Ex omni parte: adverbium est. *omnifariae* disciplinae dicuntur omnis generis, sicut et *multifariae*. *Multifariam* dixerunt antiqui, quod videlicet in multis locis fari poterat.

Ibid. DEFORMATO.] Dehonestato, devenustato, depulpato: alias formato, figuratoque. *Deformare* enim modo est polluere, et dedecorare: alias per formas designare, ut apud Vitruvium oppido quam frequenter in hac significatione. Cic. in 3. de Orat. *deformatam Rempub.* dixit. Virg. — *horrida vultum Deformat macies.*

Ibid. LICENTIOSIS CACHINNIS.] Solutiore risu, et sonantiore. *Obtutus.*] oculi.

Pag. 141. SECUBANTEM.] Seorsum, seiunctimque cubantem. Id enim significat secubare. Amatores secubant, hoc est, seiunctim disseparatimque dormiunt, causa religionis et castitatis. Ovid. *Secubat in vacuo sola puella toro.* Livius: *Nolle eam mirari, quod per aliquot noctes secubuisset.*

Ibid. OBSTINATIONE.] Id est, aspectu obfirmato et immobili.

Ibid. INDIGNA MURMURABUNDUS.] Ob indignationem murmurans, archaismos est. *Murmurabundus* autem, ut alibi docuimus, non tam dicitur murmuranti similis, quam immodice et intemperanter murmurans: sicut nomina in *bundus* desinentia fere semper demonstrant largam copiam, et fluentem, et quasi abundantiam rei unde inclinantur.

Ibid. SUBSISTE PAULISPER.] Cum Telephron vellet exsurgere, merito dixit matrona Byrrhena, *subsiste:* hoc est, cohibe te et contine.

Ibid. REMETIRE.] Renarra, repete. Translatio ab his quae pondere et mensura metiri solemus, ac remetiri. dixit Virg. — *pelagoque remenso Improvisi aderunt.*

Ibid. FILIUS MEUS.] Nomen amoris et affectus. *Lucius.*] Appuleium intelligit.

Ibid. SIC ILLE COMMOTUS.] Sic Telephron dixit, indignatione percitus, et bile commotus.

Ibid. INGRATIS.] Non ultro, et nolentem, et quasi reluctantem adegit, ut fabularetur. *Ultronea*, ut inquit Donatus, *grata sunt: ingrata, quae ab invitis fiunt, ac recusantibus. Ingratus* dicitur invitus et coactus, ut apud Terent. in Eunucho: *Opus faciam ut defatiger, usque ingratus ut dormiam.*

Pag. 142. EFFULTIS IN CUBITUM.] Mos est sermocinaturi in convivio, ut sese componat ad dicendum, ut aggerem quasi quendam faciat ex veste stragula et mensali, cubitumque effulciat. sicut apud poëtam: *Aeneas medio stans aggere fatur.*

Ibid. CONFORMAT ARTICULUM.] Manus oratoris, sine quibus (ut inquit verissime Quint.) trunca est actio ac debilis, innumeros motus habens, ipsam verborum copiam persequentes, immo (ut ita dicam) ipsae in oratore manus loquun-

quuntur: cuius gestus ille maxime comis est, quo medius digitus in pollicem contrahitur, explicitis tribus: duo quoque medii digiti sub pollicem veniunt, et est hic adhuc priore gestu instantior, principio et narrationi accommodatus. interdum tres contracti pollice premuntur: digitusque ille index nominatur, qui est pollici proximus (qui exprobrando et indicando, unde et nomen est, potissimum valet) explicari solet: quo usum optime Crassum Cicero dicit. Nunc Lucius noster ait, ita conformatam oratoris manum, ut duo digiti infimi, minimus scilicet et minimo proximus clauderentur, caeteris discapedinatis et exporrectis. nam talis quoque gestus dicturo convenit.

Ibid. INFESTO POLLICE.] Erecto, et quasi minante. pollet enim plurimum in tota manu pollex: unde et nomen, ab eo quod polleat, accepit. apud Graecos ἀντίχειρ vocatur, quasi manus altera. Praecisis pollicibus militia removentur, ut inutiles. hinc apud Rhetores famigerata est illa *achromos*, id est, sine colore controversia: Decem milites belli tempore pollices sibi amputaverunt, ne militare possent: Rei sunt laesae reipublicae. Scribit Ammianus Marcellinus, quod nemo ex Gallis pollicem sibi praecidit unquam, munus Martium pertimescens. hos ioculariter murcos appellant, quasi ignavos, ut opinor, et desides. namque et prisci Murceam deam vocaverunt, quae faceret hominem (ut ait Pomponius, et narrat Augustinus) murcidum, id est, nimis desidiosum. Olim, ut apud Historicos scriptum legimus Athenienses pollices praecidi iusserunt Aeginetis, ut rei nauticae inhabiles redderentur: classe enim valebant.

Pag. 143. INFIT.] Modo incipit, modo loquitur significat. Virg.

Infit, eo dicente Deûm domus alta silescit.

Item:

Et Venulus dicto parens ita farier infit.

apud Plautum in Rudente: *Infit lenoni suadere.*

Ibid. MILETO.] Civitas est Ioniae caput, Lelegeis antea et Anactoria nominata, super octoginta urbium genitrix. Ex Mileto fuerunt Thales, unus de septem sapientibus et Anaximander, et Anaximenes. Item Hecataeus historicus, et Aeschines orator. Proverbium est apud Aristophanem, et Graecos, de Milesiis, ποτὲ ἄλκιμοι μιλήσιοι, olim fortes fuere Milesii: cum amplius non essent, ut pote luxu emolliti, enervatique. Altera quoque paroemia celebratur οἴκοι μιλήσια, id est, domi Milesia: de his qui delicias intempestiviter, neque ubi convenit, ostentant. nam cum Aristagoras Milesius Lacedaemonem venisset, rogans ferre suppetias Ionibus bello Persarum pressis, concionabatur indutus veste delicata et pretiosa. Tunc unus ex Laconibus ephoris, ad illum versus dixit οἴκοι τὰ μιλήσια, hoc est, Domi deliciae Milesiae usurpandae sunt, non apud nos, quando videlicet cupitis impetrare auxilium. non enim convenit calamitosis delicatus apparatus.

Ibid. AD SPECTACULUM OLYMPICUM.] Olympiacis ludis apud scriptores fere omnes nihil celebratius, de quibus copiose apud Suetonium perscripsi: ideoque in praesentia supersedendum.

Ibid. FAMIGERABILIS.] Clarus et inclytus, hoc vocabulo significatur: sicut et *famigeratus: famigeratores* vero dicuntur hi, qui famam rumusculosque disseminant ac circumferunt, vanidici et mendaciloqui, quos senex Plaut. in Trinummo, malo et damno dignos censet.

Ibid. FUSCIS AVIBUS.] malo augurio, et improspero. fuscae enim aves nigrique coloris ominosae fere sunt, et infortunium portendunt: sicut econtrario, candidae aves accipiuntur pro bonis, et felicitatem praedicunt. In hanc sententiam Horatius: *Mala soluta navis exit alite*, dixit pro infelici et diro augurio. Cornix, corvus, bubo, nigro colore et fusco, inter auspicatas aves numerantur à Plinio in 10. Naturalis historiae.

Ibid. LARISSAM.] civitatem Thessaliae clarissimam, unde Achilles Larissaeus dictus est: et Larissa Argivorum arx, Cyclopum opus, qui *gasterocheres*, id est, ventrimani appellantur: ut ante diximus. Larissa quoque Ossae locus est, pensilis nominata. Est et alia in Creta. fuit et Larissa in Asia, iuxta Cymam. in agro quoque Attico Larissa, et Trallibus vicus nomine Larissa.

Ibid. INSISTEBAT LAPIDEM.] Praeconem fuisse significat. siquidem ex more prisco solebant praecones ex lapide facere praeconium. ubi mancipia quoque venalia, praeconis voce venalia proclamabantur. Ob id servos de lapide emptos, dici reperies. Plautus in Bacchidibus: *ó stulte, nescis nunc vendi te? atque in eo ipso adstas lapide, ubi praeco praedicat.* M. Tullius in oratione contra Pisonem, translatione decenti tribunos de lapide emptos esse ait: quia, ut interpretatur Asconius Pedianus mercede id faciebant. De hoc genere servorum qui de lapide empti sunt, intelligi voluit Columella his verbis, quae ex libro quarto agricolationis subiecimus: *Non tamen excedunt septem iugera unius operam vinitoris, quem vulgus quidem parvi aeris, vel de lapide noxium posse comparari putat.* Hic de lapide noxius, hauddubie significatur venalis, de lapide emptus. Corrector Columellae, vir alioquin eruditus (quem nominari in hac parte, in qua reprehenditur, inhumanum est) in Annotamentis quae in scriptores agricolationis annotavit, de lapide noxium interpretatur, de Capitolino lapide deiectum, errore non dubio: cum, ut alia omittam, emi non possit is qui ob noxam de saxo Tarpeio ad mortem praecipitatus sit. Non inficior, de saxo Tarpeio solitos deiici ob

atrox

atrox delictum sontes: ut olim T. Manlius, et alii: sed ad sententiam Columellae hoc adeo non pertinet, ut sit penitus contrarium.

Ibid. De pretio liceretur.] indicare pretium faceret, quantum sibi dari vellet, qui mortui cadaver sese servaturum esse promitteret. Hoc enim praeconium illic fieri solebat, ad defendendas scilicet magarum praestigias, quae mortuis irrepentes sub habitu bestiolarum corpora demorsicabant, et frusta amputantes subducebantur. *Liceri* autem proprie est, pretium deferre pro re emenda, ut sibi potius quam alteri venalia addicantur. Ulpianus: *Si res eius venierit, et existat qui plus liceatur, an integrum propter lucrum restituendum sit.* Praeceptum est M. Tullii in Officiis, ne *licitatorem* venditor, nec contra se qui *liceatur* emptor apponat. Apud Curtium Alexander in epistola ad Darium: *Impia*, inquit, *bella suscipitis, et cum habeatis arma, licitamini hostium capita*, hoc est, pretium offertis pro capite meo. Darius enim Persarum rex pro capite Alexandri mille talenta percussori daturum sese promiserat. Plautus in Sticho: *Iocos ridiculos vendo, age licemini.*

Ibid. Comperior.] Pleraque verba utroque modo, faciendi scilicet et patiendi, apud priscos efferebantur: ut *luxuriatus luxuriat*, *fluctuatus fluctuat*, *assentior assentio*, *comperior comperio.* auctor Quint. in 9.

Pag. 144. Oppido puer.] valde puer, puerilitatis inscitia praeditus. Talia merito dicuntur ad ignarum Thessalici moris.

Ibid. Sagae.] incantatrices, et scientes artis magicae. super qua dictione in primo commentario satis ac super.

Ibid. Dic sodes.] Dictio comica est: et, ut auctor est M. Tull. in Oratore, ex copulatis verbis coagmentata. dicitur enim *Sodes*, pro si audes: sicut *sis*, pro si vis.

Ibid. Custodela feralis.] mortui custodia. diminutivum est: cui consimilia sunt *fugela*, *cautela*, *axela*, *mandatela*, *umbela*, et huiusmodi alia: de quibus Priscianus in 3. *Feralis* i. e. ad mortuos pertinens. *feralia* dixerunt, dis manibus sacrata festa.

Ibid. Perpetem noctem.] nocte perpetua et integra. *perpetem* enim, ut supra diximus, *perpetuum* dici voluerunt.

Ibid. Exertis oculis.] vigilantibus, et inconniventibus. Sicut enim *exertum* dicitur, quod denudatum est: ita *exertus oculus* eleganter appellatur, apertus et vigil. talis enim denudatus, intectusque est.

Ibid. Acies.] scilicet oculorum.

Ibid. Versipelles.] Magas sive sagas intelligit, quae potentia magica transfigurantur in varias effigies animalium. *Versipelles* enim dicti sunt, quolibet genere sese commutantes. Plautus in Amphitryone: *Versipellem sese facit quando lubet.* Plinius ex opinione fabulosa homines tradit in lupos verti, rursusque restitui sibi dicit; inde factum esse, ut in maledictis versipelles habeantur.

Pag. 145. Oculos Solis et Iustitiae.] Nihil Sole oculatius est: quippe qui omnia intuens, omnia etiam exaudiens esse dicitur ab Homero et Plinio. Ambrosius in Hexamero, Solem esse ait mundi oculum, iucunditatem diei, coeli pulchritudinem. A Graecis πανδ᾽ ὁρῶν, id est, omnia videns. Osiris, qui est sol, interpretatur multioculus: ut Diodorus et Eusebius prodidere. Iustitia quoque oculatissima esse fingitur, oculo vegetissimo, acie perspicaci et cuncta perspiciente: quam Chrysippus fieri solitam esse prodidit aspectu formidabili, luminibus oculorum acribus: neque humilis, neque atrocis, sed reverendae cuiusdam tristitiae dignitate. Plato volumine de legibus nono, Iustitiam omnium speculatricem atque vindicem appellat, et ita dici à priscis sacerdotibus tradit. Lucius noster itidem in tertio, iunctim ponit: *Solis et Iustitiae testatus oculum.* Quod autem quidam dicunt, de oculo iustitiae mentionem fieri à Diodoro, et inter sacras Aegyptiorum literas referri, id haud utique verum est: etenim Diodorus in 4. Bibliothecae, disserens de literis Hieroglyphicis, ait, in illis oculum hominis scribi, qui significat iustitiae servatorem, et totius corporis custodem: nulla facta mentione de oculo iustitiae. Lege et pensita diligenter verba Diodori, apertissime cognosces ita esse et significare, uti nos docuimus.

Ibid. Muscas induunt.] in muscas et aves transfigurantur. induere autem est, in avem transformari. A Virgilio dictum est, *Induit mucronem*, pro mucrone confoditur.

Ibid. Pene praeterieram.] Sic Plinius: *Pene praeterii, quod minime praetereundum fuit.*

Ibid. Corpus.] defuncti, quod custodiendum receperit.

Ibid. Mane.] hora matutina.

Ibid. Sarcire compellitur.] tanquam talionis poenae subiiciatur, quae oculum pro oculo, dentem pro dente, membrum pro membro reposcit.

Pag. 146. Commasculo.] roboro, firmo, et mascula quadam virilitate persulcio, nam quae mascula sunt, valentiora sunt, et robustiora. Unde *masculum* pro forti et vehementi, usurpat antiquitas, ut testatur Nonius. Arboribus, immo potius omnibus quae terra gignit, herbisque etiam, utrumque sexum esse, diligentissimi scriptores tradunt: maresque in omni genere fortiores esse, praeterquam in pantheris et ursis. *Masculescere* verbum Plinianum est, pro eo quod est masculinum fieri. *Masculeta* quoque in vineis dicta, cum palmites induruerunt per pedamenta propagati.

Ibid.

Ibid. ADEST CUSTOS PARATUS.] id est, ego adsum. nam de nobis, ut auctor est Quintil. loquimur tanquam de aliis, ut, Dicit Servius, negat Tullius: pro eo quod est, Ego Servius dico, Ego Tullius nego.

Ibid. CEDO.] dic. da praemium. Verbum comicum, et apud Plaut. frequentissimum.

Ibid. CLAMARE DESINE.] Tamdiu clamat praeco in re aut vendenda aut locanda, quamdiu adest emptor vel conductor: quo parato, clamare desistit.

Ibid. CADAVER A MALIS HARPYIS.] Praecipit praeco, cadaver illud primarii iuvenis solerter custodiendum esse à nequissimis mulieribus, quas scite appellat *malas harpyias*, quoniam instar harpyiarum rapiebant, et raptu immundo furtivoque cuncta prophanabant. Harpyias Iovis canes dictas esse tradunt, quas Apollonius duas esse dixit, alii tres, quas poëta inclytus luculentis versibus ita describit: *Virginei volucrum vultus, foedissima ventris Proluvies, uncaeque manus et pallida semper Ora fame.* Ab ἁρπάζω, quod est rapio, harpyias nominari autumant: quas quidam Neptuni filias esse prodiderunt, quia fere prodigorum omnium pater est. Alii dicunt harpyias filias Thaumantis et Electrae. Nomine harpyiarum, rapaces furtifici avari significantur.

Ibid. HOMINEM FERREUM.] Semetipsum Telephron signat, qui loquendi modus est usitatissimus.

Ibid. INSOMNEM.] pervigilem, ac sine somno. *Insomnia* dicitur vigilia, et *insomnis* vigil. Unde apud Virg. Grammatici legunt: *Anna soror, quae me suspensam insomnia terret?* ut *insomnia* generis foeminini, et numeri singularis, vigiliam significet.

Ibid. IPSO LYNCEO.] Valerius Flaccus in primo Argonauticon, Lynceum memorat in catalogo Argonautarum: quem dicit fuisse oculatissimum perspicacissimumque mortalium, his versibus:

Fluctibus et mediis terras dabit ille magistro,
Et dabit astra rati, cumque aethera Iuppiter umbra
Perdiderit, solus transibit nubila Lynceus.

Autumat Plin. fabulam cernendi Lynceo inde ortam, quod novissimam primamque lunam in Ariete primus eadem die conspexerit: quod nullo alio in signo contingit. De Lynceo sic scribit Hieronymus contra Iohannem Origenistam: *Lynceus, ut fabulae ferunt, videbat trans parietem. hinc proverbialiter Lynceus pro oculatissimo, et acutissimi visus usurpatur.* M. Tullius: *Quis est tam Lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat?* Horat. *Non oculo possis quantum contendere Lynceus.* Item: — *ne corporis optima lyncis Contemplere oculis.* Quidam oculos *lynceos* à lyncibus, quae clarissime omnium quadrupedum cernunt, falso deducunt.

Ibid. ARGO.] Argum totum stellatum oculeumque fuisse, nullus ignorat, qui vel illud Nasonis notissimum legerit: *Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.* Huic custodi Ionis vigilantissimo, Mercurius falcato ense caput amputavit, cuius oculos excepit Iuno, eosque collocans in pennis pavonis, caudam gemmis stellantibus implet. hinc *Argiphontes* poëtis dictus Mercurius, quasi Argi peremptor. mysticè autem *Argus* est, coelum stellarum luce distinctum, quibus inesse quaedam species coelestium videtur oculorum. Coelum autem *Argum* vocari placuit, à candore et velocitate. hic ergo ambitus coeli stellarum luminibus ornatus, existimatur enectus esse à Mercurio: quia sol, qui et Mercurius est, diuturno tempore obscurando sidera veluti enecat, vi luminis sui conspectum eorum auferendo mortalibus.

Ibid. ILLICO.] statim. *Obseptis.*] occlusis, obfirmatisque.

Ibid. POSTICULAM.] hoc est, per postes tergo relictos, et posteriorem domus partem, quod et posticum dicitur: diminutive posticulum. Plautus in Trinummo: *Posticulum hoc recipit, cum aedes vendidit.* Servius Grammaticus ait *posticam* foeminini generis à *postico* differre, eo quod *postica* verbum augurale sit, et ad augures tantum pertineat, quae in coelo designatur. de qua M. Varro: *Templi in coelo quatuor partes dicuntur: Sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem.* Annotavimus in Tranquilli commentariis, *pseudothyron* perquam eleganter et scite pro postico usurpari ab Ammiano Marcellino, M. Tullio, Paulo Orosio, aliisque scriptoribus luculentis.

Ibid. CONCLAVE QUODDAM.] *Conclavia* dicuntur loca, quae una clave clauduntur. *Conclavata* quoque dicebantur apud veteres, quae sub eadem erant clave. Mart.

In omnibus Vaccerra quod conclavibus.

Pag. 147. FUSCA VESTE.] Nigra vestimenta lugentibus accommodata sunt. à Varrone *amiculum nigellum* dicitur vestitus lugubris. Prisci *antracinum* nigrum dici voluerunt: *anthrax* enim Graece carbo appellatur, unde *antracina* lugentium vestis. Illud notabile, quod tradit Plutarchus in problematis: mulieres scilicet in luctu albis vestibus indui solitas, ut quemadmodum mortui corpus albis vestibus velabatur, idem et propinquos factitare voluerunt. Alba autem veste idcirco cadaver exornabant, quia solus albor, color sincerus ac purus, minimeque inquinatus est, et ob id mortuis aptissimus. De nigris autem vestibus non minus quam purpureis illud dici merito potest: *Dolosae vestes, dolosi colores.*

Ibid. PROPTER.] prope, iuxta, ut Virgilius: *Propter aquae rivum.* AUCTORATUS.] Id est, auctoramento obligatus, et mercede conductus, et pretio emptus ad custodiendum cadaver. Interpres Horatianus illud ex Sermonibus, *Auctoratus eas*, haudquaquam inscite interpretatur tali interpretamento: addictus, condemnatus. qui se vendunt ludo, auctorati vocantur. In tertio Suetonii commentario non parum multa perscripsi super auctoramento, et auctoratis gladiatoribus. Porphyrion signans gladiatorem, inquit: *Auctorabitur in ludum.* Illud adde, quod auctorandi potestatem, hoc est, vovendi consecrandique, nisi patres, non habebant. est enim auctorare, obligare: auctoratus, obligatus. quod nomen maxime ad gladiatores refertur, qui auctoramento et mercedis obligatione addicuntur; mancipanturque gladiaturae: et proprie auctorati ad periculum conducuntur. Contra *exauctorati* dicuntur milites, quasi exobligati solutique à militari consecratione, obligationeque, quod interdum per ignominiam contingit, ut legiones exauctorentur ab imperatore: nonnunquam citra ignominiam. Plin. in 14. *Vindemitorem auctoratum* decenter dixit, mercede conductum, et sublimitate vitis periclitantem. Item 36. *populum Rom.* decenter *auctoratum* appellat, in spectaculis periclitantem instar gladiatorum, qui auctorati, id est, conducti sunt ad mortem. De auctoramento mentio est apud Senecam, M. Tullium, et Suetonium. In hanc ferme sententiam Livius in 37. *Eo vero pignore velut auctoratum sibi proditorem ratus est.* Pomponius poëta Bononiensis, scriptor Attellanarum, fabulam scripsit cui tit. est Auctoratus, cuius testimonia Grammatici identidem advocant. Quint. quoque senior in declamationibus unam condidit, quae inscribitur *Auctoratus.* ubi hoc legimus: *Illum maiores prohibuerunt theatro, qui vilitate, qui gula se auctorasset.*

Ibid. CRINIBUS ANTEPENDULIS.] *Caproneas* dici voluerunt veteres, capillos, qui ante frontem sunt, quasi *à capite pronos*, qui alio nomine *antiae* nominantur, quos in praesentia Appuleius *antependulos* vocat, quos alibi *anteventulos* dixit, et *propendulos.* In Floridis: *Iam primum*, inquit, *crines eius praemulsis antiis, promulsis caproneis anteventuli et propenduli.*

Ibid. ETIAM IN MOERORE LUCULENTAM.] Mira profecto et exuperantissima esse creditur formositas illa, quae etiam in moerore et aegritudine luculenta conspicitur.

Pag. 148. QUAM EXPERGITE MUNUS OBEAS.] ut vigilanter officium iniunctum peragas. *Obire munus*, est officium facere. Namque hac praepositione *Ob* antiqui usi sunt pro ad. ut *ob os*, ad os: *obmoveto*, pro admoveto. *occensos* dixit Ennius, pro accensos. et in Iphigenia: *Acherontem obibo*, inquit, pro adibo. Item, *ob Romam* dixit, pro ad Romam, illo versu:

Ob Romam noctu legiones ducere coepit.

Obire diem significat mori, quasi ire ad diem fato destinatum. Apud Suetonium et M. Tullium *obire diem* significat adire diem, et in tempore esse ad munus obeundum de praestituto.

Ibid. MODO COROLLARIUM.] Sensus est: omnem curam exue, et sollicitudinem missam facito, ô matrona: modo mihi praepares aliquod quasi auctarium et munusculum, praeter legitimam constitutamque mercedulam. nam corollarium dixerunt antiqui, id quod additum foret legitimo praemio ac mercedi, praeterquam quod debitum. vocabulum à corollis ductum: quod hae, cum placuerunt auctores in scena, dari sunt solitae: auctor M. Varro. Scribit Suetonius, quod Augustus corollaria praemia, in alienis quoque muneribus ac ludis et crebra et grandia de suo offerebat. quo loco pauca quaedam annotavimus. Apud scriptores idoneos corollarii mentio fit in hoc significatu, ut accipiatur pro quodam additamento et re tenuissima, cum corollae, quae et ipsae corollaria nominantur, minimi ob gracilitatem pretii dari soleant histrionibus. de quibus Plin. haec in 21. *Paulatim et Romae subrepsit appellatio, corollis inter initia propter gracilitatem nominatis, mox et corollariis.* Item in 9. *Corollarium* pro re minimi pretii usurpavit: sicut M. Tullius *corollarium nummorum* dixit in Verrinis, quasi (ut ita dicam) pro accessorio atque appendicula. infra Appuleius festiviter appellat *puerile corollarium*, praeposterum concubitum. Plinius neoteros, *operae theatralis corollaria* posuit pro mercedula et praemio laboris theatrici.

Ibid. SPLENDENTIBUS LINTEIS.] Supra diximus, quod color albus ob sinceritatem, puritatemque defuncti est accommodatissimus. velamenta quoque linea non modo indutui et amictui et sanctissimis Aegyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpantur. In Euangelio scriptum legimus, corpus Domini sindone indutum fuisse: quo vocabulo significatur lineum velamentum.

Ibid. SEPTEM TESTIBUS.] Allusit ad numerum testium, qui ex constitutionibus leguntur, et edicto praetoris adhiberi solent et debent faciendis testamentis, quorum signacula et subscriptiones necessariae sunt. Possunt autem septem testes omnes signare uno annulo testamentum. Quod si quis sine scriptis voluerit ordinare testamentum iure civili, septem testibus adhibitis, et sua voluntate coram eis nuncupata, sciat hoc perfectissimum esse testamentum.

Ibid. REVELAT.] discooperit, renudat, retegit.

Ibid. USU PERFLETO.] Legendum *Visu:* hoc est, difletis oculis.

Pag,

Pag. 149. VERBA CONCEPTA.] Dicimus *verba concepta*, quae prout enunciantur, ita perscribi solent: nec aliquid praeposterum dici fas est. Saepe iusiurandum offerri solet conceptis verbis. Plautus in Asinaria: *Ubi verbis conceptis sciens periuraris.*

Ibid. TABULIS PRAENOTANTE.] Notarium sive tabellionem significat, quem et libellionem vocant. Papinius in Sylvis: *De capsa miseri libellionis.* Ex eodem ordine videntur esse *novatae*, quorum meminit Horatius illo versu:

De re communi scribae magna atque novatae. Titulus est apud Iurisconsultos de novationibus, unde et novatis nomen.

Ibid. ECCE NASUS INTEGER.] Matrona coram testibus membra defuncti integra assignat custodi: quae ille ex pacto integra et illibata debet repraesentare, peracta custodia.

Ibid. ILLIBATAE LABIAE.] integra labra. *Labia* et *labias* neutro et foeminino genere indifferenter apud antiquos usurpata reperies. proinde quidam inanem facere discretionem voluerunt, ut virorum *labra*, mulierum *labia* esse dicerent. Antiquus versiculus est memoratu dignus, qui ait: *Anima aegra et saucia cucurrit ad labias mihi.* Donatus in Eunuchum: *Labia*, inquit, *sunt superiora*, *labia inferiora*, *labiae asinorum proprie dicuntur.*

Ibid. MENTUM.] Nulli praeter hominem mentum est. Antiquis Graeciae in supplicando mentum attingere mos erat: auctor Plin. De feris quoque dici mentum posse, scripturae canonicae testantur, apud quas libro Regum primo scriptum legimus: *Leo et ursus consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam interficiebamque eos.* Vetus proverbium est, *Inter manum et mentum:* idem fere significans quod illud, *Inter os et offam*, de quo supra diximus.

Ibid. CONSIGNATIS.] signo scilicet septem testium.

Ibid. FACESSIT.] abit, recedit, verbum comicum.

Ibid. OLEUM AD LUCEM SUFFICIENS.] Petit tantum olei sibi exhiberi ad noctem illuminandam, lucemque in loco tenebroso faciendam, quantum per totam noctem durabile sit usque in lucem matutinam. Decenter autem dictum, *Ad lucem luci diei venientis:* alterum ad lucem illuminationis, quam facit lucerna.

Pag. 150. OENOPHORIS.] vasis vinariis. *oenophorum* enim, ut nominis argumento liquet, significat vas vinarium, apud Lucianum et Mart. reliquosque. Augustinus in 7. de civitate Dei auctor est, in Liberi aede oenophorum sisti solere: quod significaret vinum, per id quod continet, id quod continetur. Praxiteles inter caetera opera quae percenset Plin. fecit et oenophorum: quod, ut opinor, non tam vas vinarium significat, quam ministrum vini poculum inferentem.

Ibid. DISCUS.] Discum vocant vas escarium: unde *discophoros* dictus, qui in disco, in mensa prandium refert. Divus Hieronymus *discophorum* scito elegantique vocabulo appellat *Abacuch*, quia scilicet prandium Danieli deportavit, in lacum leonum coniecto. Legimus in Euangelio, caput Ioannis Baptistae allatum in disco, et puellae datum fuisse. Apud antiquos *aristophorum* quoque dicebatur vas, in quo prandium offertur. Alias *discus* pro massa plumbi sive ferri accipitur: quod genus est ludi, quo iuvenes in ludo contendebant. Disco periit Hiacynthus, deliciolum Apollinis. Poëtae frequenter disci meminerunt: aliter *possinaculum* vocant. Inde *discobolos* dictus, qui discum iaculatur. in quo significatu accipitur apud auctores, scribentes discobolon factum esse à Myrone, aliisque artificibus.

Ibid. CAPITE QUASSANTI.] Indignantis specimen est: ut apud Virg. de Turno in 12. *Ille caput quassans.* et apud Plautum Trinummo: *Quid quassas caput?*

Ibid. PARTES.] Significanter locutus est: nam partes dicuntur eduliorum in mensa, quas amoris testificandi causa solent principes convictoribus dare: ut apud Suetonium et Xenophontem legimus, et infra apud Lucium quoque evidenter ostenditur. Graece μερίδες dicuntur. Scribit Dicaearchus, non fuisse moris apud antiquos in coenis partes distribuere: postea obtinuit consuetudo, ut deficientibus eduliis partes viritim darentur, cum prius potentiores infirmorum alimenta corrumperent: et inde contingeret, ut ex voratrina suffocarentur. Unde factum est proverbium, μερὶς οὐ πνίγει, id est, Pars non strangulat. Haec ex monumentis Graecorum, secretariisque deprompsimus, studiosorum utilitati consulentes, qui frequenter legent, partes in coena dari solitas.

Ibid. TOTIIUGIS DIEBUS.] id est, tot diebus: nam qua forma *multiiuga* pro multis, eadem *totiiuga* pro tot usurpamus. et sicut in *postliminio* et *legitimo*, illud *liminium* et illud *timum* nihil significant, sed pro nominis supplemento ponuntur: ita *multiiuga* et *totiiuga* et horum nominum opinor esse producta, ut *iuga* pro additamento supervacue ponatur. In apologia: *Legisti Aristotelis multiiuga volumina.* M. T. ad Atticum scribens ait, se *multiiugas* literas accepisse.

Ibid. COMESSATUM.] convivatum, epulatum, compotatum, ut scilicet et gulae ventrique genialiter indulgeas. De comessationibus et comessatoribus scripsi affatim in nono Suetonii commentario. ubi id quoque annotavimus, *comessari* proprie dici post coenam epulari et compotare.]

Pag. 151. MYRRHENE.] Nomen ancillae. μυῤῥίνη Graece dicitur myrthus, μύραινα muraena.

Ibid. CUSTODE.] Isto scilicet Telephrone, qui se custodem cadaveris futurum spopondit. *Facesse.*] abi, discede.

Ibid. DESOLATUS.] quasi solus, solitariusque relictus.

Ibid. PERFRICTIS OCULIS.] Moris est oculos digitis perfricare, ad somnum repellendum, quando reluctantes et invitos placidissimus ille deorum cogit connivere, et ramum letheo rore madentem supra capita dormitantium quassat.

Ibid. CREPUSCULUM.] Post occasum Solis dicitur tempus illud *crepusculum*, à *crepero*, quod vocabulo Sabino significat dubium: à quo res dubiae dictae creperae. et à Lucretio dictum est, — *creperi certamina belli.* Est enim crepusculum id tempus, quo dies sit an nox, est dubium. *Crepusculi* apud antiquos nominati, qui eo tempore erant nati, ut Lucii, qui prima luce, *Manii*, qui hora matutina. à Sidonio Apollinari *crepusculascens* hora eleganter dicta est pro vespertina, temporeque crepusculi.

Ibid. ALTIOR.] profundior. *Concubia.*] apud Macrob. dies ita dividitur, ut post vesperam prima fax dicatur, deinde concubia, et inde intempesta, quae non habet idoneum tempus gerendis rebus. M. Varro noctem intempestam ab aliis concubium appellari docet, ab eo quod fere omnes cubent: ab aliis, quod sileretur, silentium noctis: quod idem tempus *conticinium* Plautus vocat. Hinc apud historicos, maximeque apud Livium, identidem leges, *silentio noctis* eductas copias. ubi accipe pro nocte intempesta sive concubia, super qua re in superioribus quoque non indiligenter scripsi. Scito autem me non tam ex oblivione quam animi sententia, non parum multa bis terque repetere, ut scilicet satisfaciam veteri proverbio, quod inquit, δίς καὶ τρὶς τὸ καλὸν. quod significatur, quae pulchra sunt, bis et ter et saepius dici oportere.

Ibid. MUSTELA.] Significatur maga, quae in mustelam transfigurata, introrepsit intra cubiculum. Placita magorum, vel potius vaniloquia, existimant vi magica homines, potissimumque mulieres transformari in mustelas, mures, feles, et id genus bestiolas, quod et vulgus credit, cui id quoque persuasum est, foeminas certis quibusdam diebus equitare super bestiolas, et cum Diana sive Nerodia de silentio noctis loca multa peragrare. Cuius rei mentio fit in decretis canonicis 26. quaestione 5. Caeterum haec omnia falsa esse, confidenter existimare debemus. etenim ut docet divus Augustinus, non potest homo immutari in aliam effigiem: sed illusiones sunt, et phantasmata daemonum, qui ludificatores sunt mortalium: qui instar Protei omnia transformant sese in miracula rerum, quibus homini praestigiae difficiles esse non possunt. Denique huc referunt ecclesiastici scriptores omnia illa, quae de Circe, quae socios Ulyssis mutavit in bestias: quae de Arcadibus, qui in lupos transfigurabantur: quae de his qui in iumenta versi annonam baiulabant, memorantur. Sed ad propositum: Mustelarum duo sunt genera, distant magnitudine, Graeci vocant ἰκτίδας, dicitur et γαλῆ. est quaedam mustela domestica, quae in domibus nostris oberrat, et catulos suos (ut auctor est Cic.) quotidie transfert, mutatque sedem. ob hoc dixit Plaut. in Sticho: *Certum est mustelae posthac nunquam credere: nam incertiorem nullam novi bestiam, quia et ipsa decies in die mutat locum.* Plin. et Solinus tradunt, mustellarum virus exitio esse basiliscis, quos interficiunt in cavernis sola tabe. necantur illi simul odore, commoriunturque, et naturae pugnam conficiunt. Fel stellionum tritum in aqua, mustelas congregare dicitur. Scribunt Grammatici, mustelam dici, quasi murem longum, à longitudine, unde et telum dictum. Genitalia ossea sunt mustelis. Catulus mustelae efficax est contra mala medicamenta.

Pag. 152. TANTILLUM ANIMALIS.] Elegantius dicimus *tantillum animalis*, pro parva bestiola, quam tantillum animal. Ita enim enunciatum, refertur ad contemptum. Annotat Donatus, hac elocutione per obliquum, ut *quid hominis, quid mulieris*, contemptum significari: quod si recto casu proferatur, non esse contumeliosum.

Ibid. INCURATA BESTIA.] impura, maculosa, foeda. impurus aliquo vitio maculatus dicitur et improbus. Plautus: *Incurate leno.*

Ibid. MUSCULOS.] tanquam et mustela ipsa ex musculorum genere sit. Iecuscula musculorum bruma dicuntur augeri: auctor M. Tullius in 2. de Divinatione. Inter ea quae neque placida sunt, neque fera, sed mediae inter utramque naturae, numerantur à Plin. mures domorum incolae: qui tradit, musculis inesse praesagia, ut scilicet ruinis imminentibus praemigrent. Hinc festiviter M. Tullius: *Reliquae tabernae rimas agunt: itaque non solum inquilini, sed mures migraverunt.* Scitum est illud M. Catonis. Consultus, à quodam, qui sibi à soricibus sive musculis erosas caligas diceret, respondit, illud monstrum non esse: sed monstrum illud habendum fuisse, si sorices à caligis roderentur. De musculis, quam in homine sint innumeri, suo loco mox plura dicentur.

Ibid. PRAESENTARIAM.] quae nunc et in praesentia sine procrastinatione exhibebitur. *praesentaria remedia*, quae illico sanant: et *praesentaria pecunia*, quae praesens numeratur. *venenum non praesentarium* ab A. Gellio dictum, quod non statim necaret, mortemque in diem proferret. Plautus in Mostellaria: *Ubi id erit factum*

à

a me argentum petito praesentarium. Plin. remedia *praesentissima* identidem ea vocat, quae ocyssime auxiliantur.

Pag. 153. SOMNUS PROFUNDUS.] Intelligi vult, hunc somnum altissimum vi magica immissum esse ab illa maga, quae sub specie mustelae introrepens, fuerat exterminata eiectaque.

Ibid. IN IMUM BARATHRUM.] in ipsam quasi mortis et manium profunditatem. [Quae hic de Barathro habet Beroald. supra iam dicta sunt: quare ea repetere nihil opus.]

Ibid. DEUS DELPHICUS.] Apollo, qui Deus est divinationis. Delphis fuit clarissimum in terris oraculum Apollinis, sub monte Parnaso, ubi medium et umbilicus terrarum esse traditur: quod negat Varro.

Ibid. INANIMIS.] quasi sine anima et spiritu: hoc est, exanimis. M. Tul. in Hortensio, solertia effici dicit, ut in anima quae sunt, vivere et spirare videntur.

Ibid. CANTUS CRISTATAE COHORTIS.] Gallos gallinaceos significat, qui, ut Plin. noster eloquenter tradit, vigiles nocturni sunt, atque excitandis in opera mortalibus, rupendoque somno geniti. norunt sidera, et ternas distinguunt horas, quartaque castrensi vigilia ad curas laboremque revocant. Ambrosius in 5. Hexameri, de galli cantu haec refert: *Est galli cantus suavis in noctibus: nec solum suavis, sed etiam utilis: qui quasi bonus cohabitator, et dormientem excitat, et sollicitum admonet, et viantem solatur, processum noctis canora voce protestans.* Hinc tempus post mediam noctem, auctore Macrob. *gallicinium* dictum. *Noctis inducias* non minus scite quam eleganter appellat, horas nocturnae quietis, quibus per quasdam quasi inducias animantes tuto dormiunt, quiescunt, recreantur: id quod induciis datis fieri solet. *induciae* autem sunt, ut docet M. Var. pax castrensis paucorum dierum. Item alio in loco: *Induciae*, inquit, *sunt belli feriae.* Donatus, inter Grammaticos classicus, atque emunctae naris, Inducias dici ex eo autumat, vel quod in diem dentur: vel quod in dies otium praebeant. Aliter Aurelius Omilies, et A. Gell. super induciarum etymologia. Graeci ἐκεχειρίαν, ab abstinendis manibus appellarunt nam per cessationem istam pugnae pacticinam non pugnatur, et manus cohibentur. Inducias primus invenit Lycaon.

Ibid. EXPERGITUS.] evigilans. Apud antiquos *expergere* accipitur pro expergefacere et excitari. Iidem dicebant *expergisceret*, pro expergisceretur, Pomponius: *Ut si quis dormitaret, expergisceret.*

Ibid. REVELATA.] reiecta, discooperta.

Ibid. RIMABAR.] curiose scrutabar. *Rimari* enim est scrutari, et quaerere. *Rimari* proprie dicuntur sues, ut Grammatici tradunt, cum pascentes cibi gratia glandes rimantur de rimis terrarum: unde rimari significat pascere. Virg. *Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri.*

Pag. 154. HESTERNIS.] qui hesterno die evocati introductique fuerant. ab heri hesternus, non ab extra.

Ibid. PHILODESPOTUM.] Nomen proprium est ex duabus dictionibus Graecis compositum: quod significat domini, sive dominae amatorem.

Ibid. SEDULUM.] navum, diligens, industrium. *Sedulo* adverbium est, quod significat sine dolo et impense: auctores Donatus et Nonius.

Ibid. IDENTIDEM VENTILABAM.] frequenter agitabam. Signate locutus est. ita enim facere solemus, ut nummos manu tractantes quasi *ventilemus.* Columella praecipit, ne frumenta in horreo *ventilentur.* Notissimum illud:

Ventilat aestivum digitis sudantibus aurum.

Ibid. OMNIFARIAM.] ex omni parte. *aliquot fariam* dixit Varro in primo de Re rustica: pro eo quod est, in aliquot partibus et locis. Tradit Festus, antiquos dixisse *multifariam.* quod videlicet in multis locis fari poterat. *omnifariam* doctrinam vocant omnigenam, et omni disciplinarum genere consarcinatam.

Ibid. EXERTIS.] eductis, expositisque. Peculiare fuit et gentilitium Cethegorum, ut humero exerto irent in expeditionem: unde nudi poëtico epitheto appellati. Silius: *Ille humero exertus gentili more parentum.*

Pag. 155. OFFENDERE.] pro *offendebat:* infinitivus pro indicativo, apud historicos et poëtas frequentissimus.

Ibid. IMPINGERE.] impingebat, contundebatque. Hieron. *Impegi novissime in Danielem.*

Ibid. IN MODUM ADONI.] Adonis Myrrhae filius, Veneris delicium, formositate praecellens, apri dente sub inguine pressus, laceratusque prosternitur leto, ut canunt nostri. Graeci vero tradunt, Martem sub specie apri ob zelotypiam id factitasse. Venus miserata, in florem Adonidem transformavit, qui sanguineo est colore. scribit Plin. In 21. Adonium florem esse alsiosum. ubi annotandum, dici alsiosum id quod frigore infestatur, et algorem ferre non potest. M. Varro pecus caprinum alsiosum esse ait. Ob interfectum ab apro Adonim, suillum genus invisum Veneri esse prodiderunt. Adonis in mysteriis arcanis symbolum est frugum, et fructus perfectos significat: auctor Eusebius in 3. Praeparationis euangelicae. *Adonia* antiqui dixerunt diem festum, et solennia Adonidi dedicata, quae cum planctu colebantur, ob planctum Veneris repraesentandum, hinc ait Venus apud Ovid. — *luctus monumenta manebunt Semper Adoni mei.* Ezechiel quoque propheta: *Ecce*, inquit, *tibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* Physici tradunt, Adonin esse Solem: ab aproque interemptum fingunt, Herculis imaginem in hoc ani-

mali figurantes, quod scilicet aper hispidus et asper gaudet locis brumalibus, proprie hyemali fructu pascitur glande. Hyems autem veluti vulnus est Solis, quae et lucem eius nobis minuit, et calorem. Ausonius *Adoneum* vocat, aitque cum hoc nomine coli à gente Arabum, qui idem sit Osiris et Bacchus et Dionysius. De his Ammianus Marcellinus volumine 22. sic refert: *Evenerat iisdem diebus, annuo cursu completo Adonia ritu veteri celebrari, amato Veneris, ut fabulae fingunt, apri dente ferali deleto: quod in adulto flore sectarum indicium est frugum. Adon* dicitur Fulgentio, recto casu, qui à caeteris *Adonis*, à Plauto *Adoneus*. *Adon* Graece suavitas dicitur: et quia myrrha odore suavis est, Adonem dicitur genuisse. ideo autem Venerem amasse dicunt, quod hoc genus pigmenti sit valde fervidum. Lego apud Lucianum in libro de dea Syria, Adonin fluvium ex Libano monte profluentem, singulis annis sanguinolentum fieri: per eos dies maxime, quibus Adonis fuit interfectus: et sanguinem in aquam profluentem, immutasse fluminis colorem. Idem tradit, Orgia fieri in honorem Adonidis: quibus caeduntur, lamentantur, et capita radunt. Apud Graecos proverbium est, ἀκαρπότερος εἶς ἀδόνιδος κηπῶν, id est, infructiosior es quam Adonidis horti: de his, qui nil pariunt generosum. Hortorum Adonidis meminit Plato in Phaedro. Attamen Plin. noster tradit, antiquitatem miratam esse hortos Adonis et Alcinoi. Extat apud eosdem Graecos epitaphion sive naenia de morte Adonidis, cuius principium est: αἰάζω τὸν ἄδωνιν, ἀπώλετο καλὸς ἄδωνις.

Pag. 156. MUSTELATIS PILETIS.] Lego *mustelatis peplis*, hoc intellectu, ut dicat: vestimenta quibus erat indutus, sanguine suo perfusa, fuisse ad instar mustelini coloris. *Peplum* vestem dici, nullus ignorat: qua dictione scatent libri Graecorum et Latinorum. hinc Homer. ἑλκεσιπέπλους vocat foeminas, vestes trahentes. Autumat Servius, *peplum* proprie dici pallam pictam foemineam, Minervae consecratam: hodie tamen multi abutuntur hoc nomine. *Mustelatis* autem dixit, à colore mustelino. Terent. *Senex veternosus colore mustelino.* Ubi exponit Donatus, *mustelinum colorem* dici sublividum ac lentiginosum. Talis color fieri solet vestibus, quae sanguineis guttis inspersae, quasi lentiginosae fiunt, et maculosae. In vetusto codice manuscripto emendatius legitur, *Musae vatis Pimpleidos.* quae lectio probabilis est, referturque ad Orpheum, hoc intellectu puro et congruente: Ego domo proturbor, laceratus discerptùsque in modum Adonis, quem aper discerpsit: et ad instar Orphei, quem à foeminis divulsum dilaniatumque frustatim sciunt omnes, et canunt poëtae. Ita ergo legetur, *discerptus in modum vatis Musae Pimpleidos*, id est Orphei, filii Musae Calliopes. ex Graeca loquendi formula. Illis enim familiare est sic loqui, ut dicant κλεόμβροτος ὁ παυσανίου, id est, Cleombrotus Pausaniae, et subintelligatur filius. λεωνίδης ὁ ἀναξανδρείδα, Leonidas Anaxandridae, scilicet filius. εὐδαμίδας ὁ ἀρχιδάμου, Eudamidas Archidami, videlicet filius. Ita et hic, vates Musae dicitur Orpheus musae scilicet filius. Pimpleidas autem vocari Musas, poëtico nomine, quis ignorat? sive à loco Pieriae regionis, sive fonte Musis dicato, ubi et Calliope Orphea genuisse fertur.

Ibid. IMPROVIDI SERMONIS.] Quo scilicet impuratam bestiam mustelam appellaverat, eique vim praesentariam, ni abiret, fuerat comminatus.

Ibid. ULTIMUM CONCLAMATUS.] ultimo clamore et novissimis lachrymis deploratus. Nam per intervalla mortui identidem conclamabantur, post ultimam tandem conclamationem efferebantur, cremabanturque, ut ante diximus.

Ibid. DEFLETUS.] Participium est, ut inquit Servius ab eo quod est *fleor:* si tamen inveniatur. alias sine verbi origine esse dicemus. Virg. *Fit gemitus, tum membra thoro defleta reponunt.*

Ibid. PROCESSERAT.] efferebatur. Ritu naturae, ut auctor est Plinius, capite hominem gigni mos est, pedibus efferri. Hinc Persianum illud: *In portam rigidos calces extendit.*

Ibid. POMPA FUNERIS.] Ulpianus titulo de religiosis: Sumptus funeris pro facultatibus vel dignitate defuncti faciendos esse praecipit. Per forum hodieque ducuntur funera nobilium: et antiquitus duci solita signat Horatius, cum ait: *— plaustraque ducant, Concurrantque foro tria funera, magna sonabit.*

Pag. 157. ADANXIUS.] valde anxius. quidam codices habent *adlatus*, lucidiore sensu.

Ibid. INVELLERAS.] Corrigere *revellens.* hoc enim intellectu, fieri solet ut crines revellant, et canitiem turpent. iuxta illud Virgilianum: *Canitiem immundo perfusam pulvere turpans.* Genialem appellat, vel quasi voluptuariam, tanquam senex canitie gaudeat, perinde ac ex illa venerabilis. vel Genialem expone pro ingenitam, quasi genitalem.

Ibid. CONTENTA.] exerta et clamosa. unde *contentio vocis* apud scriptores: et contentio, ut in Rhetoricis traditur, est oratio acris, ad confirmandum et confutandum accommodata.

Ibid. SUBSISTE.] opem ferte, et succurrite. *Istam mulierem.*] Uxorem signat defuncti, cuius pater eam arguit veneno filium extinxisse, ut adultero gratificaretur, et haereditatem mariti occuparet. haec enim proxima sunt, et quadam quasi cognatione connexa, ut mulier quae impudica est, eadem quoque sit venefica. Nam M. Cato: Nullam adulteram nisi eandem esse veneficam dixit. Quod et Quint. tradit in 5. *Istam* autem dixit, pessimam intelligi volens nam in pro-

pronominibus ut ante dictum est, maximum est pondus.

Pag. 158. CREDU.] Emenda, *Credulitatem.* Narratio enim quae probabilis est, et verisimilis, facit criminis credulitatem.

Ibid. EMEDITATIS FLETIBUS.] Foeminarum hoc prope peculiare est, ut fletus et lachrymas habeant paratas, ac velut in promptuario positas, ut cum velint praesto sit secundus lachrymarum fons, iuxta illud: *Uberibus semperque lachrymis in statione sua paratis.*

Ibid. ABNUEBAT.] negabat, inficiabatur, depellebat. controversiae enim et lites constant ex intentione et depulsione. Intentio est, quod accusator proponit, qua facit litem: ut Occidisti Aiacem. Depulsio est, quod defensor respondet: ut Non occidi. Id Graeci vocant *Apophasin*, quasi dicas abnuentiam criminis eius quod accusator intenderit. auctor Fortunatianus. Merito ergo dixit, *abnuebat*, quasi per ἀπόφασιν, id est, abnuentiam crimen obiectum inficiabatur ac negabat.

Ibid. AEGYPTIUS PROPHETA.] Aegyptii divinorum omnium conscii dicuntur, à quibus clarissimi in studiis literarum disciplinas ingenuas hauserunt. Apud hos sacerdotes fuerunt et prophetae rerum coelestium scientia praecellentes, qui mystici erant, et ut Graeci dicunt, ἀκοινώνητοι, id est, incommunicabiles: qui cum arcana doctrinarum occultarent, vix pauca quaedam communicarunt cum Platone et Eudoxo, qui annos 14. in Aegypto commorati sunt. Pythagoras quoque Aegyptias disciplinas petiisse memoratur, atque ibi à sacerdotibus cerimoniarum incredendas potentias didicisse. Apollonius ille Tyaneus Aegyptios prophetas accessit eruditionis causa. Hermes Trismegistus Aegyptum vocat coeli imaginem.

Ibid. ZACHLAS.] Nomen prophetae. apud Plin. Zachlias Babylonius celebratur, qui in libris quos scripsit ad regem Mythridatem, humana gemmis fata attribuit, in canonicis scripturis Zachariae prophetae nomen est celeberrimum.

Pag. 159. POSTLIMINIO MORTIS.] reversione à morte, et post mortem. nam postliminium ex notatione nominis ita clarescere potest, auctore Boëtio, ut quia semper post id significat quod retro relinquitur, *postliminii* vocabulo quaedam reversio significetur. [V. supra.]

Ibid. ILLECTUM.] Lego *intectum*, ut significet sacerdotem linea veste et candida indutum, ab integendo dictum. *Amicula* autem, ab amiciendo, vestimenta nominamus, quibus linteis sacerdotes vestiuntur. est enim lineum textum purissimum, rebus divinis velamentum: quod non modo indutui et amictui sanctissimis Aegyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpatur. idque ex Orphei et Pythagorae decretis. Hinc apud Iuvenalem, Martialem, Ovidium, caeteros, *linigeri* dicti sacerdotes Aegyptii, quasi gerentes linea vestimenta. Apollonius Tyaneus apud Philostratum accusatur, quod vestitu linteo amiciatur, seque inibi ratione reddita defendit. erat enim Pythagoricus, et ad Pythagorae praescripta vivebat. De Isiacis sacerdotibus, qui lineo amictu vestiebantur, affatim in Suetonii commentariis.

Ibid. PALMEIS BAXEIS.] *Baxeae* sunt calciamenta, de quibus Plautus in Menaechmis: *Quis iste est peniculus, qui extergentur baxeae*, mendose in codicibus Plautinis impressum est *bexae*. Peniculo quoque, ut id transeunter attingam, baxeas extergi dixit, alludens ad spongiam nomine peniculum, qua et ad mensas calceosque extergendos utebantur. De baxeis ait in Floridis: *Vestem de texterna emere, baxeas istas de suterna praestinare.* Ubi annotandum, *texternam* pro *textrina*, *suternam* pro *sutrina*, *praestinare* pro *emere* decenter usurpari. Item in ultimo huius operis docet, baxeas esse calceos proprie philosophorum.

Ibid. INDUTUM.] calciatum. Plin. consimiliter in secundo: *Diuus Augustus laevum prodidit sibi calceum praepostere indutum.* Dicimus, ut ait Servius, *induo illa re*, *et illam rem.* Catachresticos dixit Virg. in 10.

An sese mucrone ob tantum dedecus amens Induat?

Quidam illud Plinii *indutum* legunt, *inductum*: quoniam et calcei *induci* dicuntur.

Ibid. ADUSQUE.] Licenter *adusque* et *abusque* usurpantur, ut notant Grammatici. Virg. *Atrides Protei Menelaus adusque columnas.*

Ibid. DERASO CAPITE.] Sacerdotem designat, cuius vertex deradi solet. ob hoc ait Satyrographus: *Qui grege linigero circundatus, et grege calvo.* Scribit Plinius, sacerdotes Aegypti derasis capitibus moerere, et in luctu esse ex morte Apidis, qui in Aegypto numinis vice colitur. Auctor est Herodotus in Euterpe, sacerdotes Aegyptios totum corpus eradere, vestem tantum lineam induere, calceos papyraceos gestare. hinc opinor fluxit ritus nostrorum sacerdotum, qui iubentur caput radere, et comam nutrire probentur. Hieronymus (quod et in decretis canonicis 22. quaestione 2. scriptum legas) rasionem capitis et coronam designare autumat temporalium omnium depositionem. Capilli vero qui remanent, designant aliqua sacerdotibus esse retinenda ad sustentationem. Paulus apostolus in Cenchris totondit comam, rasit calvitium, exercuit nudipedalia.

Ibid. GENUA.] utpote misericordiae consecrata. *Homini*, inquit Plin. *genibus quaedam et religio inest observatione gentium: haec supplices attingunt, ad haec manus tendunt, haec ut aras adorant.*

Pag. 160. PER NOCTURNA SILENTIA.] quae scilicet plena sunt venerationis. alludere videtur

ad

ad illud Virgilianum: — *loca nocte silentia late.* et, — *tacitae per amica silentia lunae.* Praeterea noctu cuncta silent, ut idem inquit: *Tunc tacet omnis ager, pecudes, pictaeque volucres.* Aristoteles in Problematis tradit, ideo per noctem melius quaecunque audiri quam per diem, quia tunc nullus est strepitus, et (ut Anaxagoras ait) aër, qui interdiu stridet à Sole concalefactus, noctu requiescit: praeterea tempus id nocturnum, quod quidam concubium, alii intempestam noctem appellant, silentium noctis vocaverunt, ab eo quod id temporis sileretur, ut docet M. Varro. In hoc significatu *silentium noctis* frequenter à Livio usurpatur. Dicitur et *silentium* in auspiciis, quod omni vitio caret: quod intelligere perfecti auguris est. *Silet coelum*, Plinio significat, serenum et tranquillum: sicut Columellae, *Silet herba*, quae non germinat.

Ibid. COPTICA.] Sic enim legendum est. Significat autem aggerem hirundinum, quem scilicet in Aegypto iuxta oppidum Copton hirundines muniunt, opere inexpugnabili, palea et stramento rostro firmantes continuatis per triduum noctibus tanto labore, ut multas in opere emori constet: eaque militia illis verna est, et cum anno redit semper. eaedem hirundines molem continuatione nidorum evaganti Nilo inexpugnabilem opponunt stadii fere unius spatio: quod humano opere perfici non posse, auctor Plin. in 10. Ob hoc dixit Papinius in Sylvis: *Ripam Nili luto Cecropio*, id est, nidis hirundinis signatam esse et coërcitam: quod et in libro Annotationum copiose explicavi. Nunc Appuleius *adepta coptica* vocat, illud incrementum et opus quod muniunt hirundines iuxta Copton, quae res religione quadam praedita esse videtur. Illud adde, quod legimus in libris Iurisconsultorum, ubi Ulpianus ad titulum de extraordinariis criminibus scribit: *Commata dici aggeres, qui oppositi sunt coërcendo evaganti Nilo: quos qui ruperit extra ordinem, plectitur.* Mendosae sunt dictiones in voluminibus impressis, in quibus passim legitur: *Aggeres solent aquam in otitam contingere.* tu vero lege, *Solent aquam Niloticam continere.* ideo enim illi aggeres extruuntur, ut aquam Nili evagantis coërceant atque contineant.

Pag. 161. PER INCREMENTA NILOTICA.] Nilus coloni vice fungens, quotanis evagatur à solstitio: à primo lente crescit, deinde vehementius, quandiu sol in Leone est: mox pigrescit, Sole in Virginem transgresso, in totum revocatur intra ripas, in Libra, ut tradit Herodotus. centesimo die, incrementa eius per puteos mensurae notis deprenduntur; *Nilometria* vocant. iustum incrementum est cubitorum 16. minores aquae non omnia rigant: in duodecim cubitis famem sentit Aegyptus, in tredecim etiamnum esurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt, quindecim securitatem, sexdecim delicias, maiora incrementa maiores proventus denunciant, minora sterilitatem. Causas huiusce incrementi varias prodidere: sed maxime probabiles, ex repercussu Etesiarum, qui venti sunt anniversarii. De incremento Nilotico, et causis, affatim scripsere Herodotus, Diodorus, Plinius, Strabo, Seneca, et carmine luculentissimo Lucanus: qui multiiugas causas explicaturus ex philosophorum secretariis depromptas, sic cecinit in 10.

Sic iussit natura parens discurrere Nilum,
Sic opus est mundo.

Philosophi vero qui de Nilotico auctu scripserunt, ferme sunt hi: Thales, Anaxagoras, Democritus, Ephorus, Agatarchides, et Timaeus mathematicus. Memphitici quoque philosophi rationem huius incrementi reddere conati sunt, magis quod non reprehendi quam quod probari possit, referentes. Dixerunt enim, Nili fontem esse in zona nobis opposita: ibique hyemem esse, nobis aestatem agentibus, ideoque ingentem aquarum vim eo tempore manantem, causam praebere incremento.

Ibid. ARCANA MEMPHITICA.] Memphitici sacerdotes arcana cerimoniarum mysteriorumque cum nullo communicant: ob id ἀκοινώνητοι, id est, incommunicabiles dicti. ob hoc ipsum *invida Memphis* dicta Papinio in Sylvis. est autem Memphis civitas magna et populosa, et post Alexandriam secunda, ubi multae pyramides fuerunt, regum sepulturae. Plinius Memphim quondam arcem Aegypti regum fuisse tradit.

Ibid. SISTRA PHARIACA.] Sistrum instrumentum est stridulum et sonabile, Isiacorum peculiare: qui ob id sistrati nominantur. Martialis: *Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba.* Isis maxima Aegyptiorum dea, sistrum in dextra gerens figuratur, quo Nili accessus significatur. Valerius Flaccus in quarto Argonauticôn, de Iside scribens sic inquit:

Aspide cincta comas, et ovanti persona sistro.

et Ovid. Isim deam describens, cecinit in nono: *Cornua fulserunt, crepuitque sonabile sistrum.* *Phariaca* appellat à Pharo Aegypti notissima Caesaris dictatoris colonia, olim iuncta ponte Alexandriae: ubi fuit turris, et ipsa Pharos nominata, à Ptolemaeo rege facta talentis 800. cuius structurae architectus fuit Sostratus, quae nocturnis ignibus cursum navium nocturnum regere solebat. Tales turres in compluribus locis extructae priscis temporibus visebantur, quas *Phares* vocant: de quibus scripsimus affatim in Propertium, et mox Tranquilli commentariis. Egesippus autumat, *Pharon* dici quasi *phanon*, quia procul appareat.

Ibid. USURAM.] usum. M. Cic. *Huic latroni unius diei usuram non dedissem.* item audita Vatinii morte, cuius parum certus dicebatur auctor: *Interim*, inquit, *usura fruar.* *Uxorem*

usurariam dixit Plautus, cuius usuram et usum capiebat Iupiter.

Ibid. IN AETERNUM CONDITIS.] Morte perpetua clausis. Virg.

— *in aeternam conduntur lumina noctem.*

Ibid. PROPITIATUS.] Placatus, exoratus: quae illae tres lineolae significant.

Ibid. TER.] Ternarium autem numerum Pythagorici potentissimum esse prodiderunt, eoque ad cermonias deorum utebantur, ut docet Aristot. lib. I. de Coelo et Mundo. Idem numerus in rebus magicis plurimum pollebat: et, ut auctor est Plin. terna dispuere deprecatione in omni medicina mos est, atque effectus adiuvare. hinc Tibullus: *Ter cane, ter dictis despue carminibus.* et poëta in cantamentis amatoriis cecinit: *Necte tribus nodis ternos Amarylli colores.* Martianus, Plutarchus, caeteri, triada sive ternionem, hoc est, ternarium numerum, qui masculus est, et efficax, extollunt.

Ibid. HERBULAM QUANPIAM.] De qua herba loquatur, ambigi potest, cum eam nominatim non designet. Forsan intelligit balin, qua Xanthus historiarum auctor tradidit occisum draconis catulum, revocatum ad vitam a parente: eademque Chilonem, quem draco occiderat, restitutum saluti. et Iuba, in Arabia herba hominem revocatum ad vitam tradit. plerique existimant, nihil non herbarum vi effici posse. Ab Herophilo dictum ferunt, quasdam etiam calcatas herbas prodesse. Orpheus de his herbis curiosius aliqua prodidit: post eum Musaeus: Pythagoras quoque et Democritus de magicis herbis volumina composuerunt, de quibus et Plinius noster non parum multa in 24.

Ibid. ORIENTEM OBVERSUS.] Adoratoris hoc proprium est, ex mystica religione, ut in adorando ac salutando Deo, ad orientem convertatur, totumque corpus circumagat. sic enim apud antiquos factitabant adoratores, ad Solem respicientes. Mundi enim ortus a laeva est, unde sinistrum et laevum fulmen inter prospera est. In coelo *templum* est locus auspicii, cuius partes sunt quatuor: sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem. Hermes Trismegistus praecipit, cum quis Deum orare voluerit, respiciendum esse in austrum Sole occidente: Sole vero oriente, in eum qui subsolanus dicitur.

Ibid. AUGUSTI.] Venerabilis et sancti. Solem mundi totius animum, ac planius mentem et principale naturae regimen ac numen, plerique credidere, opera eius existimantes: unde merito *augustus* dictus, quasi sanctus, divinusque.

Pag. 162. TACITUS IMPRECATUS.] Non voce, sed corde orandum deum esse, praecipit divus Hieronymus. et in decretis canonicis, distinctione ultima, de consecratione, scriptum legimus: *Non verbis, sed corde adorandus Deus est.* Cyprianus in expositione illa orationis Dominicae luculenta, secrete adorandum esse ex Dominico praecepto demonstrat, in abditis et secretis vel semotis locis: quia Deus non vocis, sed cordis auditor est: nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt. Hoc declarat Scriptura divina quae dicit: *Loquebatur in corde suo, et labia eius movebantur, et vox eius non audiebatur, et exaudivit eam Deus.* Item legimus in Psalmis: *Dicite in cordibus, et in stratis vestris, et transpungimini.* Hieremias quoque hoc idem docet: *In sensu tibi debet adorari Deus.* *Imprecatus* in bonam partem hic accipitur autem: cum alibi fere semper malum significet. *Scena.*] Apparatu et spectaculo.

Ibid. EXTOLLI.] Extollebatur. Significat autem, defunctum illum potentia Aegyptii prophetae animatum reviviscere coepisse, ita ut pectus iam intumesceret ex anhelatione pulmonis.

Ibid. VENA PULSARI.] Medici recentiores venas pulsatiles appellant, quibus pulsus exploratur: quas antiqui ἀρτηρίας vocant. Sunt autem arteriae spiritus semitae, sicut venae sanguinis rivi. Arteriarum pulsus gubernacula vitae temperat. Hierophilus medicinae conditor subtilissimus descripsit leges et modulos, quibus pulsus per aetates citatior aut tardior moveatur, qui evidens index fere morborum est. Graece dicitur σφυγμός.

Ibid. LETHEA POCULA.] Animae mortuorum, ut Poëta nobilissimus canit: — *lethei ad fluminis undam, Securos latices et longa oblivia potant.* Cui succinit Silius versu consimili: *Letheos potant latices oblivia mentis.* Philosophi autumant, animam, cum coeperit in corpus descendere, potare stultitiam et oblivionem, alias vero magis, alias minus. Ideoque qui minus oblivionis hauserunt, hi magis verum inveniunt. et hoc est quod veteres Lethaeum fluvium vocaverunt, ut eleganter et scite refert Macrobius in somno Scipionis: *Apud antiquos in funeribus indictivis dicebatur, Olus letho datus est. quod significat, illum qui mortuus est, datum esse* λήθῃ: *id est, oblivioni.*

Ibid. MOMENTARIAE VITAE.] Temporariae, et brevi momento duraturae: videlicet, tantisper dum enunciet ipsius mortis causam, et auctores.

Pag. 163. DEVOTIONIBUS.] Magico cantamine. *Devotiones* enim execratoria sunt carmina: vulgo accipimus in bonam significationem. *Devotum* quoque pro detestabili et execrando: de hoc alibi plura.

Ibid. DIRAS.] Virg. in 12.

Dicuntur geminae pestes, cognomine Dirae.

Hae una cum furiis uno eodemque partu ex intempesta Nocte progenitae sunt. *Diras* dici autumant Grammatici, qui non nisi ante iratum Iovem videntur. praeterea *diras* dici voluerunt imprecationes quasdam horrendas, quibus deos

quosdam inauditos et formidandos invocabant: quibus quicunque devotus damnatusque fuisset, eum maximo infortunio affici necesse erat. quamobrem non temere in quenquam, nec levi de causa, dirarum uti obnunciatione consueverunt. Atteius tribunus plebis Crassum ad expeditionem Parthicam properantem, hisce dirarum imprecationibus denotavit (auctores Plutarchus et Appianus) quod et Lucanus signat in 3. sic scribens: — *Crassumque in bella secutae Saeva tribuniciae voverunt funera dirae.*

Ibid. MALIS NOVAE NUPTAE.] Significat defunctus, se periisse veneno ab uxore sacrilega sibi propinato, ut ita adultero liberior potiretur. nam quae impudica est, eadem venefica esse solet: ut dicebat M. Cat.

Ibid. ADDUCTUS.] Coactus. Nitidior lectio est, *addictus*. Quidam exponunt *adductus*, quasi ad Adin, id est, Plutonem ductus. quod etsi sententiae quadrat, tamen elegantiae Latinae non convenit.

Pag. 164. DIVERSA TENDENTES.] Iuxta populi vulgique consuetudinem. nam, ut illo versu notissimum est:

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Figurata autem locutio est, *populus diversa tendentes.*

Ibid. ME DEMONSTRANS.] De seipso loquitur Telephron, a quo omnia ista dicuntur.

Ibid. EXERTAM.] Insomnem, sedulam, oculisque inconniventibus perspicacissimam.

Pag. 165. SOPORE MORTUUS.] Supra dixit Telephron, se somno profundo in unum barathrum repente demersum, ut vix discerni posset, quis ex duobus iacentibus esset magis mortuus.

Ibid. EODEM VOCABULO.] Significat ambos fuisse cognomines, et eodem Telephronis vocabulo nuncupatos.

Ibid. VICARIAM PRO ME LANIENAM] Significat defunctus, Telephronem vivum laniatum mutilatumque fuisse vice ipsiusmet a cantatricibus aniculis. *Vicaria* enim *laniena* dicitur, oppido quam eleganter, laniatus sive laniatio in alienam vicem substituta. Proprie *laniena* significat locum ubi caro venditur, vulgo macellum vocitant: cum macelli significantia sit latior, et ad omnia esculenta venalia extendatur, ut alibi docuimus. *Lanienam* dici locum ubi caro venit, sicut ubi pelles *pellesuinam*, ubi calcei *sutrinam*, docet M. Varro, lib. de analogia primo.

Ibid. EXAMUSSIM.] Examinate, decenter, optime. Est enim *amussis*, regula fabrorum, quam architecti, cum opus probant, rubrica illinunt. hinc *amussitatum* derivatur, quod significat examinatum, probatumque. Plautus in Milite: *In hoc amussitata sua sibi ingenua indoles.* In Plautinis codicibus pro *amussitata*, perperam legitur *emussitata*, dictione elegantissima contaminata, interpolataque: quem locum alibi non insubtiliter perpendimus.

Pag. 166. SEQUITUR.] Quia cereus erat nasus, facilisque ob hoc sequelae. cerae enim lenta sequaxque est materia.

Ibid. RISUS EBULLIT.] Fervescit cachinnatio *Linteolo agglutinato.* Quosdam vidi, qui cum essent denasati, nasum subdititium agglutinaverant tam decenter, ut verus videretur.

Ibid. POSUIT] finivit, deposuit, desivit. Oratorum proprium est, causam ponere: ut apud rhetoricos frequenter.

Ibid. BIBERE SOLITARIUM.] Ex more et ex solito bibere. a *solito* enim, *bibere solitarium*, nova dicendi elocutione deducit: alioqui *solitarius*, a solitate ac solitudine dictus, iuxta illud Ciceronis: *Natura nihil solitarium amat.*

Pag. 167. A PRIMIS CUNABULIS] A primordiali origine. Sunt enim *cunabula*, lectuli et cunae, in quibus infantes iacere consueverunt: vel loca in quibus nascuntur, quasi *cynabula*. nam κύειν Graece est eniti. inde *cunabula*, pro primordiis aliarum quoque rerum usurpantur: ut apud Fortunatianum, qui *cunabula verborum* decenter dixit, pro originibus. Apud iurisconsultos *cunabula legum*, pro institutionibus et primitiis legalibus. *Cuninam Deam* prisci coluerunt, quae infantium cunis sive cunabulis praesidebat.

Ibid. DEUM RISUM PROPITIAMUS.] Antiqui, quod et Augustinus memorat, singulis rebus singulos deos attribuerunt: ut Vagitanum, infantium vagitibus: ut Murceam, quae faceret hominem murcidum: ut Agenoream, quae ad agendum excitaret: ut a stimulis, Stimulam. Consimiliter hilaritatis praesidem et gaudii Risum vocaverunt, quem Graece *Gelota* nuncupant. Legimus apud scriptores idoneos, Hilaria quoque festa solennia a veteribus celebrata fuisse, qui dies erat ad 8. Kal. Aprilis. tanquam tunc cuncta hilaritate mulceantur, quo primum tempore Sol diem longiorem nocte protendit. Hoc intellectu accipiendum est illud Flavii Vopisci, sic scribentis in Aureliano: *Hilaribus, quibus omnia festa et fieri scire debemus, et dici, impletis solennibus.* Herodianus insinuat, Hilaria matri deum dedicata fuisse: quo die passim omnibus ludendi licentia, lasciviendique permissa. Igitur ut ad propositum redeamus. Risus deus hilaritate et gaudio ac ridiculis rebus erat propitiandus: illique ad festivitatem celebrandam merito vocabantur. qui urbanitate et salibus pollentes ad risum facile provocarent. Ille tamen risus est cavendus, qui Graeco proverbio dicitur σαρδώνιος γέλως, Sardonius risus, ab insula Sardinia, in qua nascitur herba quaedam apiastro similis, nomine Sardonia: quae si in edulio fuerit, nervos contrahit, diducit ora risu: et ita γενάμενοι

νοι μετὰ σπασμοῦ καὶ γέλωτος ἀποθνήσκουσιν: id est, gustantes cum spasmo et risu moriuntur. Hinc illud Ciceronis ex epistola ad Fabium Gallum: *Rideamus γέλωτα τὸν σαρδώνιον.* Graeci παροιμίαν, id est, proverbium de risu Sardonio varie interpretantur, nam Aeschylus tradit, incolas Sardiniae colonos extitisse Carthaginensium; ideoque Saturno immolasse senes, qui annos septuaginta excessissent, idque fecisse ridentes, seque invicem amplexantes, tanquam indecorum foret lachrymare et lamentari. unde simulatus risus dictus est Sardonius. Aliter Timaeus, aliter Simonides, aliter quoque alii prodiderunt: verum illud de herba Sardonia tam nostris quam Graecis usurpatum, videtur probabilius.

Ibid. DE PROPRIO LEPORE.] Genuina et nativa urbanitate. Pronunciandum est media producta, ab eo quod est *lepos.* Catullus de versiculis, qui tum denique habent salem ac leporem: *Si sint molliculi, ac parum pudici.* Item: — *est enim leporum Disertus puer, ac facetiarum.* Inde *lepidus* dictus. quamvis Donatus *lepidum*, qui politus est, dici velit a λεπίς, id est, lama sive squama. de quibus Plin. in 34. *Excutiuntur,* inquit, *velut milii squamae, quas vocant lepidas.*

Ibid. LAETIFICUM.] Quod laetitiam faciat. Alias mortiferum, quod letum, id est, mortem afferat.

Ibid. NUMINI LITEMUS.] Risum deum propitiemus. Litare enim proprie est deum propitiare, et sacrificio facto numen placare: auctores Macrobius et Nonius. hinc illud Plautinum ex Poenulo: *Tum me Iupiter faciat ut semper sacrificem. nec unquam litem.*

Pag. 168. NOCTIS ADMONEBAT.] Quia advesperascere iam ac noctescere significabat. est enim verbum vetus *noctescere*, quod significat noctem fieri, et in noctis modum obscurari: quod Furius vetus poëta primus finxisse creditur, illo versu:

Omnia noctescunt tenebris caliginis atrae.

Ibid. PROSPERE.] Lego *propere:* ut dicat, se statim et festiviter allocuta Byrrhena, domum repetiisse.

Ibid. TITUBANTE.] Lapsante, vacillante, nutabundo: quod proprium vinolentorum est. nam, ut inquit scite et eleganter Plautus: *Vinum luctator dolosus est, pedes captat primulum.*

Ibid. DOMUITIONEM CAPESSO.] Id est, itionem ad domum capio. est enim dictio composita, quasi domus itio, ab eundo domum: non tam Appuleianum vocabulum quam Ciceronianum. Namque ante Appuleium M. Tullius in primo de Divinatione sic scripsit: *Sed Rhodiorum classi propinquum reditum ac domum itionem dari.* a Martiale *domicoenium* eleganter fictum est vocabulum, pro eo quod est coenare domi.

Pag. 169. VASTULIS.] Vastis, et enormibus, ac magnis: sed cum mediocritate.

Pag. 170. AD HOC USQUE.] Id est, usque in id temporis momentum. Codex manuscriptus habet *Ad hos usus.* ut sit sensus, se eduxisse gladium, quem ad tales usus paratum habuerat, et domo secum eduxerat.

Pag. 171. PERLUTUS.] Madens, aspersusque. Quidam codices habent *Perlitus:* alterum a *perluor*, alterum a *perlinor* inflexum est.

Ibid. GERYONEAE CAEDIS.] Ita, inquit, fatigatus sum pugna trium latronum, sicut Hercules tergemini nece Geryonis. Geryones enim tricorpor fuisse fingitur, quia tribus insulis praefuit, Balearibus duabus et Ebuso. Adversus hunc terna arma movenda, ter leto sternendus erat, quem Hercules extinxit. qui ideo fingitur ad eum olla aerea transvectus esse, quod habuit navem fortem, et aere munitam. Historici autumant, ideo triplicis naturae fuisse Geryonem, quia fuerunt tres fratres bellatores, robustissimi, tantaeque inter se concordiae, ut uno animo omnes geri viderentur, ut pro tribus unus nominaretur. Geryonis armenta speciosa, illo extincto, Hercules abegit: ut tradunt Diodorus, Iustinus, Livius, Virgilius, caeteri omnes. Hinc Plautinum illud: *Ex genere Geryonaceo.*

[Hactenus Beroaldi commentarios integros huic Editioni adiungi placuit, ut eorum ratio ex hoc specimine cognosci possit. Quum vero multa in iis sint, scitu quidem dignissima, sed quae ad Appuleium parum aut nihil pertinent, et praeterea eaedem res ad fastidium usque repetantur, iam eas tantum notas exhibebimus quae sunt e genere critico, aut ad quas in notis suis lectorem relegarunt interpretes. — I. B.]

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Exorto die, magistratus cum ministris domum Appuleii petunt: eumque tanquam homicidam, in iudicium trahunt. Turba populi confluentis, et cuncta stipantis describitur. Accusator homicidii reum agit: reus innocentiam suam tutatur, causamque agit argumentis oratoriis. Inter haec anus adventat, tanquam parens necatorum: quos iussu magistratus revelat Lucius, ut res esse apparent. Exoritur cachinnus immodi-

dicus: et sic Dei Risus celebrata cum hilaritate solemnia. Photis causam docet facti utricidii. Mox adhibet Lucium spectatorem Pamphiles, in avem se transfigurantis, unguine magico delibutae. qui et ipse tali desiderio flagrans, dum in bubonem gestit immutari, per errorem pyxidis unguentariae in asinum transfiguratur. In calce latrocinale furtum refertur, quo asinus cum caeteris iumentis onustus gazis Milonis hospitis abducitur.

Pag. 172. IN ALTERNAS DIGITORUM VICISSIT.] Significat digitos pectinatim iunctos, de quibus Plin. in 28. sic scribit: *Assidere gravidis, vel cum remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim inter sese amplexis, veneficorum est: idque compertum tradunt, Alcumena Herculem pariente. peius, si circa unum ambove genua, item poplites alternis genibus imponi.* Ex hac Pliniana sententia iam satis liquet, id quod ab Ovid. non minus scite quam decenter dictum est lib. 9. Metamorphoseos:

— dextroque est poplite laevum
Pressa genu, digitisque inter se pectine iunctis
Sustinuit partus.

Dixit poëta *digitos pectine iunctos*, quod Plin. *pectinatim inter se amplexos:* et nunc Appuleius, *in alternas digitorum vicissitudines connexas manus.*

Ibid. COSSIM INSIDENS.] Pro in coxas sedens: adverbium est, dictum quasi *coxin:* id est, in coxas. Pompon. *Hoc sciunt omnes quantum est qui coxin cacant.* Hoc gestu sutores sarcinatoresque sedere solent. Adhoc referri potest Plautinum illud: *Quasi claudus sutor, domi sedet totos dies.*

Pag. 174. TURBAE MISCELLANEAE.] *Miscellaneam turbam* eleganter vocat indiscrete, appari toresque magistratuum, qui colluvione variarum gentium commixti esse solent. A. Gellius *miscellam doctrinam* nuncupat oppido quam decenter, quae multifaria est, et ex mixtura multimodarum disciplinarum quasi confusanea. De *miscellis ludis* apud Tranquillum in quarto commentario scriptum leges, ad quos referendum est illud satyrographi poëtae: *Sic veniunt ad miscellanea ludi.* M. Varro *miscellum* appellat genus columbarum, quod ex agrestibus columbis et domesticis mixtum est. Quidam codices habent, *turbae misellaneae*, nomine a miseria ducto: *misera* enim et *misella*, et consequenter *misellanea* esse solet turba eorum qui apparent ac praesto sunt iuridicis magistratibus: quales hoc quoque tempore praetorum familiae convisuntur, fumidae scilicet et pannosae, et ex miseriae gurgustio erutae. *Misellae uvae* dicuntur Catoni et Varroni pro nigris.

Pag. 175. HOSTIIS CIRCUMFORANEIS.] *Circumforaneae hostiae* dicuntur, quae circum agros et urbes in ambarvali amburbalive sacrificio circumducuntur, circumaguntur que: a circumferendo dictae. M. Tul. in oratione pro Cluentio, pharmacopolam vocat *circumforaneum*, qui circuit fora et circumagitur: quales complusculi in nostro foro quotidie convisuntur, homines scilicet nugatores, impostoresque. Item Hieronymus: *Garrulum nescio quem rumigerulum circumforaneum.*

Pag. 178. QUIRITES.] Ex more Romano sumptum ubi oraturi ad populum *Quirites* appellitant: ut in orationibus Ciceronis saepissime. Sic Persius: *Quod deinde loquere Quirites. Quiritare* dicitur is, qui Quiritum fidem clamans implorat. Ut *Quiritare* urbanorum est, sic *iubilare* rusticorum.

Ibid. TOTAM AEDIUM LAMEN.] Mendosus locus, et deformatus, qui in pristinam elegantiam sic reformari potest: *Tot caedium lanienam.* Hoc intellectu, ut dicat accusator: providendum est, ne Appuleius, utpote nefarius homicida, impune commiserit lanienam, id est, laniatum saevitiamque triplicis caedis. est enim *laniena*, locus ubi caro venditur: ut docet Varro. quin etiam accipitur pro laniatione ipsa, et trucidatione. videtur *laniena* a laniando dici: unde et *lanii* sive *laniones*, qui laniant pecora: et *lanistae*, qui laniandis praesunt gladiatoribus. Legato lanionis instrumento, mensae, pondera, ferramenta, et alia quoque quae laniandae carnis causa parata sunt, contineri docet Paulus ICtus.

Pag. 182. CERTA MANU.] Dicitur *manus certa*, cuius ictus non aberrat: sicut *incerta*, quae non semper ferit destinata. Quintilianus in quarto: *Ut certa manus uno telo possit esse contenta, incertae plura spargenda sunt, ut sit et fortunae locus.*

Pag. 186. OLEAGINOS.] Olearios, ab olea *oleaginus* deducitur, sicut a faba *fabaginus.* Sic a Catone *acus fabaginum* dictum, pro purgamento quisquiliisque fabarum. qui item praecipit, *taleas oleaginas* trepedanea esse decidendas. Idem *codicillos oleaginos* amurca perspergi iubet: ita neque fumosi erunt, et bene ardebunt. Ramus olearum pacis signum est: arbor enim pacifera est olea. Virg. — *placitam paci nutritor olivam.* hinc a Graecis *olea* dicta, quia Graece ἔλεος misericordia est: quae quia contingit eis quibus pax datur, ut inquit Probus Grammaticus, olea pacis signum est.

Pag. 187. EVITASSE.] Vita spoliasse. *Evitare* enim verbum est vetus, nec omnibus obvium, quod significat vita privare. et ita legere malim, quam *enecasse:* quod quidam, insolentiam huius verbi reformidantes, fecerunt. sed elocutioni Appuleianae magis congruit *evitasse*, quam *enecasse:* cum alterum sit oppido quam eruditum, alterum protritum. Item Actius poëta apud Ciceronem in 3. Tusculana: *Haec omnia*

nia vidi inflammari, *Priamo vitam evitari:* id est, vitalitate spoliari.

Pag. 188. FLAGITIORUM] Corrige *flagrorum:* ut sit sensus: Omne genus flagellorum verberumque illatum importatumque fuisse.

Pag. 193. UT IN EA RESTES.] Mendosus locus, quem sic emendo, perpensis curiose literis, et sensu: *Ut in aere stet imago tua decrevit.* significat enim decrevisse Hypatenos statuam ex aere dicandam Appuleio, perinde ac patrono: nam, ut auctor est Plin. sic clientes instituerunt colere patronos quibus statuas ex aere dicabant in domibus atque in atriis, cum in municipiis ornamentum fori statuae esset.

Ibid. GRATIAM MEMINI.] Quasi dicat: Habeo quidem tibi gratiam tantam, quantam merentur haec tua in me ultronea beneficia: sed me tali honore haud equidem dignor, cum statuae honoratioribus dedicandae sint.

Ibid. MEISQUE MAIORIBUS.] Malim legere *mei*, ut sit sensus: statuas reservandas esse his qui maiores fuerint, dignioresque ipso Appuleio.

Pag. 195. DEVOTATUS.] Lege *Denotatus*, id est designatus, demonstratusque.

Pag. 198. SAEVITAS.] Non tam crudelitas significari videtur, quam sinisteritas, et adversa fortuna. *Saevum* sive *scaevum*, quasi *scaeon*, id est, sinistrum dici autumant: et vulgus saevum in bona atque in mala revocat. quae autem scaeva sunt, id est, sinistra, ea noxia esse creduntur. quamvis in auspicando sinistrum auspicium pro laeto et prospero apud antiquos accipitur, de quo alibi copiosius.

Ibid. MEDITATUS INNOXIOS.] Sensus est, cogitationes innoxiae, etiam si male, eventuque contrario ceciderint, non esse criminosas, neque culpae confines existimandas: cum non semper eventus rei sit spectandus sed consultatio. quamvis, ut docet M. Tull. hoc plerumque faciamus, ut consilia eventis ponderemus: ut quod male cecidit, id male consultum putemus. *Meditatus* autem expone, pro *meditationes*, occusativo casu.

Pag. 203 CONSTANTER.] Animo constanti et firmo. Fidelior lectio *incontanter:* hoc est, sine contatione et mora.

Ibid. REPULSATIS.] Emendo, *repulsa satis*, isto intellectu: quod domina Pamphile satis acriter inflammanterque commoveri soleret ex talibus repulsis.

Pag. 205. IAM MINIS.] Corrige *Laminis*, hoc intellectu: Pamphilen apparasse inter caetera magiae instrumenta laminas aeneas, sive ferreas, literis magicis, et ob id ignorabilibus, praenotatas, quas non minus eleganter quam scite literatas appellat. sic et Plaut. in Rudente, *urnam literatam* decenter dixit, quae literis inscriptum nomen domini continebat. Sunt autem *laminae* tessellae quaedam, et quasi folia metallica instar bractearum, quae interdum oblonga effigie formantur: quamvis proprie bracteae subtiliores sint, laminae crassiores. Dicitur gradatim *lama*, *laminà*, *lamella*. Horat. *Inimicae lamae Crispe Salusti.* Alias *lama* pro voragine accipitur. idem Hor. *Viribus uteris per clivos*, *flumina*, *lamas.* unde et Lamiae voratrices puerorum dictae, de quibus supra copiosius.

Pag. 210. UT IMMO.] Corrige, *ut initio.*

Pag. 215. DEFRICTIS PUPILLIS] Perfrictis oculis multa frictione, quod facere solemus ad somnum excutiendum. Lucianus: ἐγὼ δὲ ὄνειρον ἐκεῖνο οἰόμενος ὁρᾶν, τοῖς δακτύλοις τῶν ἐμαυτοῦ βλεφάρων ἡπτόμην: hoc est: *Ego somnium illud videre me existimans*, *digitis palpebras oculorum meorum perfricabam.* Est autem *pupula* et per diminutionem *pupilla*, oculorum media, in qua vis speculi adeo absoluta est, ut totam imaginem reddat hominis Foeminas omnes ubique visu nocere, quae duplices pupillas habeant, auctores sunt Plin. Cic. Solinus. Hinc illud Nasonis: — *oculis quoque pupula duplex Fulminat.*

Pag. 216. PIGNORATUS ASSISTAM TIBI.] Ego ita corrigo: *ut meae Veneri Cupido pinnatus assistam tibi.* ut sit sententia, munditer pureque explicata, hoc intellectu: Perfice, inquit, ut ego ita hoc unguine transfigurer in avem, sicut Pamphile in bubonem reformata est, ut ego pinnatus alatusque fiam apud te, haud secus quam Cupido Veneri pinnatus assistit. Optat enim pinnatus et volaticus factus assistere Fotidi, perinde ac suae Veneri: sicut Cupidines alati praesto sunt matri.

Ibid. ASIAM.] Emendo *asciam*, ut sensus ex illa vulgata usitataque sententia eliciatur: Vis ut ego mihimet malum conficiam, simque ipsa auctor mei doloris: si enim te fecero volaticum pinnatumque, tuque mox alio devolaveris, quem potero tunc ego incusare, nisi meipsam, de infortunio meo? Nam qui sibi suisquemet cruribus suapte sponte asciam impingit illiditque, neminem nisi se potest accusare: cum ipse crurifragii sibimet auctor extiterit Est enim *ascia* ferramentum fabricae materiariae, quam primus invenit Daedalus, ut docet Plin. qua solet interdum materiarius faber per incuriam sua ipsius crura concidere. Hieronymus *asciam* eleganti vocabulo dolatorium nuncupat, a dolando scilicet, laevigandoque. Ab ascia *exasciatum* opus dixit Plaut. pro perfectum, expolitumque. In hanc ferme sententiam est illud Plauti ex Milite: *Temere haud edolas tabulam tuis nunc cruribus.*

Ibid. SIGINER.] Dictio inusitata, ignobilisque, et, ut sentio, nullius significatus. proin legere malim *saginer*, quasi a sagina et pinguitudine ducto vocabulo, ut amatorem hoc nomine condecenter appellet, quasi saginatum, pau-

loque habitiorem curatioremque. nam et supra ostendit Appuleius, se fuisse succulentum.

Pag. 217. AUT MIHI.] Lego *a me.*

Ibid. PUGNARUM.] Lego, *pinnarum.* est enim sensus: Dii, inquit, a me prohibeant tantum scelus, ut ego non mox revolem ad meum nidulum, hoc est, ad meam Fotidem, post illam volaturam, pinnatamque deformationem. Etiam, inquit, si aquila fierem, et altiora coeli peterem, tamen ad te, o mea Fotis, vellem remeare.

Pag. 218. QUAMQUAM FESTINO.] Lege: *quamque festivo.*

Pag. 219. FUTILIBUS.] Frivolis, nugatoriisque. Futiles dicuntur homines qui silere tacenda non queunt: sic et vasa futilia a fundendo dicta, quae lato ore, fundo angusto sunt, quibus in sacris Vestae utebantur, propterea quod aqua ad Vestae sacra pertinens in terra non ponitur, quod si fiat, piaculum est. Unde excogitatum vas quod stare non posset, sed positum statim funderetur.

Ibid. HERCULIS.] Lege *Hercules* ut sit asseveratio, per Herculem. quale est illud, mehercules, et mediusfidius.

Pag. 224. CAPITA CONFERUNT.] Quasi consilia communicaturi. Hoc fieri solet ab his, qui inter se soli seductique consultant, ne arbitri arbitrari queant. Lucian. itidem scribit, equum suum et Hipparchi hospitis asinum τὰ ὦτα κλίναντες, id est, auribus deiectis, timentes scilicet ne foenum ipsis paratum praeriperetur, calcibus promptos ipsum incursasse.

Ibid. ILLIGATISSIMO.] Solutissimo: vel lege, *illi gratissimo*, ut sint duae dictiones. Famulum autem gratissimum appellat ironicῶs, equum vectorem illum suum.

Pag. 225. HIPPONAE DEAE SIM.] Hippona equorum et stabuli Dea est. Argumento est nomen: ἵππος enim equus. Tertullian. Apologet.: *Vos tamen non negabitis et iumenta omnia et equos canterios cum sua Hipponae, coli a vobis.* Illud scitu dignum est, et annotatu, deos esse quosdam, quos antiqui *Semonas* dici voluerunt: quos nec coelo dignos adscriberent, ob meriti paupertatem, nec terrenis eos deputare vellent, pro gratiae veneratione. quo in numero sunt Priapus, Hippona, et Vertumnus. auctores M. Varro et Placiades. apud Iuven. versus est ille vulgatissimus: — *iurat Solam Hiponam, et facies olida ad praesepia pictas:* quem vir seculi nostri doctissimus ita legit, *Solam Hippo.* ut sicut Dido, et Manto, pro Didonem et Mantonem: ita pro *Hipponem Hippo*, accusativo casu dicamus, ex formula videlicet Graecae declinationis. Ego de magnorum virorum iudicio, quorum auctoritas pro ratione habenda est, ut nihil ausim temere pronunciare; ita illud asserere non dubitem, quod Hippona, ut Pomona, ut Bobona, secundum formulam primi ordinis, usurpatur apud scriptores idoneos. *Aediculae.*] Appellatione aediculae significatur receptaculum, et quoddam quasi loculamentum ac repositorium, quo simulachra deorum contineri solent. In hanc sententiam Plinius in 36. *Aedicula eius tota aperitur, ut conspici undique possit effigies deae, favente ipsa (ut creditur) facto nec minor ex quacunque parte admiratio est.* Satyrographus quoque dixit, *Si quis in aedicula Deus unicus.*

Pag. 227. EMERE.] Lego *eruere:* hoc est, educere, expromere, et quasi ex abdito efferre.

Pag. 228. VICINIAE CONCLAMANTIS.] Iunctim legendum, *viciniae conclamantis latrones:* illo intellectu, quod tota vicinia conclamare coepit, latrones adesse, ut ita cuncti accurrerent suppetiatum.

Ibid. IN PATEFACTIS.] Corrigo *vi patefactis.*

Pag. 231. GEMINO SERMONE.] Lego *genuino sermone*, h. e. nativo ac peculiari.

Pag. 232. ROSAE VIRGINES.] Illibatae, intactae, incorruptae. sic a Martiale *virgo cartha* accipitur, pro ea quae nondum contrectata, invulgataque est. Plinius *terram virginem* dixit, sinceram, intactam, neque a metallicis refossam, attaminatamque. Iosephus ait, terram quae virgo est, esse rubentem. Oratio philosophorum, auctore M. Tul. casta est, verecunda, virgo incorrupta quodammodo. Hinc verbum fit *devirginari*, quod est corrumpere. unde *puella devirginata*, quae deflorata constuprataque exuit virginitatem. Alias *devirginati* dicebantur pueri cum ex ephebis excesserant; et devirginatum puerum dixere ex ephebis excedentem.

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Demutatus in asinum Appuleius, aerumnas laboriosas eloquenter enarrat, quas sub asinina forma, humana mente retenta, peregrinatione multiplici perpessus est: interseruntur tempestiviter varii latronum casus: describitur et ille, qui effigiem ursae subiens, instruxit apparatum gladiatorum. De industria inserit fabulam Psyches, quae et voluptate et eruditione est refertissima, cuius mysticus intellectus suo loco explicabitur.

Pag. 236. COMPASCUUS COETUS.] Agrum compascuum dixerunt, communem vicinis ad pascendum, in quo mihi atque vicino simul pascere liceat pecus. Hinc apud Ciceronem in Top. et Quint. et Boëtium ex coniugatis ducitur argumen-

mentum; ut si compascuus est ager, compascere liceat. hoc modo: hic de quo quaeritur ager compascuus est, in compascuo autem licet compascere: compascere enim et compascuum coniugata sunt: in hoc igitur agro licet compascere, quia compascuus est: et ita a coniugatis sumptum est argumentum. Nunc scite et festiviter *compascuus locus* dicitur ab Appuleio, qui sibi cum altero asino et equo communis ad pascendum, et in quo simul compascere poterant. *Coetus* autem dicitur, quasi communis locus. Quidam codices habent *compascuus locus* intellectu simpliciore, apertioreque.

Ibid. CANDENS ROSARIUM.] Albicans, a candore dictum; alias ignitum.

Pag. 238. PROPRIO.] Lego *proripio:* verbum est. Concitato enim gradu sese proripuisse designat.

Pag. 239. SAEVITATEM.] Saevitiam, asperitatem, et, ut veteres dixerunt, saevitudinem.

Pag. 244. CAUSAE REMISSIONEM.] Corrigo *causariam missionem*, et ita aliquot ab hinc annis corrigendum docui, cum privatim intra cubiculum discipulis familiaribus Appuleium enarrarem. Sunt enim tria missionum genera: honesta, causaria, ignominiosa. Honesta est, quae militiae tempore impleto datur: causaria, cum quis vitio animi vel corporis minus idoneus militiae renunciatur: ignominiosa, cum quis propter delictum sacramento solvit. Auctores iurisconsulti, titulo de re militari, et tit. de his qui notantur infamia. Hinc *causarii* dicti, valetudinarii. Plin. in 25. scribit, *elleborum minime dandum esse sanguinem excreantibus causariis, vel latere vel faucibus.* Livius in 7. *Tertius*, inquit, *exercitus ex causariis senioribusque a Tito Quintio conscribatur, qui urbi moenibusque praesidio sit.* Ubi *causarii* significantur milites, qui propter valetudinem a laboribus militiae soluti missique sunt. et Spartianus quoque in Hadriano: *Post haec*, inquit, *profectus in Gallias, omnes causarios liberalibus sublevabit.* Dicitur et *causaria* nomine substantivo, pro ipsa missione simpliciter, lib. Codicis 12. ubi sic scriptum legimus: *Causaria missus nulla existimationis macula aspergitur.* Sensus est Appuleii: Opinabar, inquit, me cum essem verberibus fatigatus, ungulis extritus, claudicans, invalentia debilitatus, mereri missionem causariam: quam scilicet milites valetudine impediti consequi solent, a laboribus militaribus feriati, renunciatique militiae veluti minus idonei. Palladius *causationem* posuit pro vitio interiore, et aegritudine, cum ait in primo: *Si salvo capite in pulmonibus ac thorace, aut nulla est, aut rara causatio.*

Pag. 246. PULVERIS VOLUTARIBUS.] Volutationibus. iumentis volutatio in pulvere vicem lavacri et balneaium repraesentat, id quod quotidie passim conspicimus. Plinius in 17. *Veterina*, inquit, *a iugo, et canes a cursu volutatio iuvat.* idem in 10. *Solidipedum*, inquit, *propria est volutatio.* M. Varro tradit, sues in luto volutari: haec enim illorum requies, ut lavatio hominis: ideoque *volutabra* a Virg. dicta loca, in quibus se apri volutant, cum ait in Georg. *Saepe volutabris pulsas sylvestribus apros.* Vetus proverbium est apud Hieronymum, et in decretis canonicis relatum: *Sus lota est in volutabro luti.* Heraclitus ait, sues coeno, cohortales aves pulvere vel cinere lavari.

Pag. 247. LACUNOSAE.] Lacunae sunt fossae, in quibus collecta aqua stare consuevit, a lacu dictae, quas alii *lamas* vocant. Horat. *Viribus uteris per clivos, flumina, lamas.* Cum autem in convallibus crebrae sint huiuscemodi voragines et lacunae, merito lacunosae nuncupantur. M. Tullius oppido quam decenter dixit lacunam in auro factam: intelligi volens exinanitionem auri, et quasi voraginem quandam ex furto et rapina. et alibi: *Ut illam*, inquit, *lacunam rei familiaris explerent.*

Pag. 248. CAULA FIRMA.] *Caulas* dicunt munimenta ovium, et septa. Virg. *cum fremit ad caulas ventos perpessus et imbres.* ubi *caulas*, ut interpretatur Donatus, dixit ambitum ipsum, quo tutae oves adversus insidias continentur. Graecum nomen est, *c* litera detracta. Nam Graeci *αὔλας* vocant animalium receptacula, quas nostri *caulas*; quod et Servius docet. Quidam *caulas* a cavo dictas autumant; antiquitus enim, ante usum tectorum, oves in antris claudebantur. Sic Lucretius, Caulas corporis et caulas palati, ponit pro cava et foramina.

Pag. 249. SOLITIS.] Lego *solidis*, hoc est, firmis et robustis

Pag. 250. BUSTI CADAVER.] Probra latronum sunt congruentia, in vetulam cadaverosam, atque annis obsitam, tanquam polychronia foemina annosissima ac busto digna, sit vitae dedecus, et Plutonis fastidium: cum alioquin Pluto gaudeat manibus defunctorum ad ipsum commigrantibus.

Ibid. LUSITABIS.] Ludes, et per desidiam iocaberis. Frequentativum verbum est. Lucianus: *ἤροντο τὴν γραῦν, διὰ τί οὕτω καθέζῃ, καὶ οὐ παρασκευάζεις ἄριστον.*

Pag. 251. HOSPITATORES.] Emendatione unius literae lego *Sospitatores.* sic enim purior est intellectus. Dicimus autem *Sospitatores*, qui nos sospitant, faciuntque incolumes, quibus vitam acceptam ferimus.

Pag. 252. FOROS.] Sedilia. proprie autem *foros* dicimus in navibus, sedilia nautarum, et tabulata: quo in significatu apud Virg., M. Tullium, Lucanum, caeteros invenitur. alias *fori* significantur circensia spectacula, quorum meminit Livius in primo. Quidam non *foros* le-

legunt, sed *choros*, intra tot coetus et turbam.

Pag. 253. LAPITHIS.] Lapithae *Pelethronii* dicti a loco, qui subiectus est Pelio monti, ab eo quod medicamentorum magna vis ibi nascatur, quae Graeci glossematici θρόνα vocant. Pelion autem est eadem lingua luridum. Sed occurrit scopulosus locus, ex quo vix datur enatare: quid sit quod ait *Telamibus.* Quidam emendarunt *Thebanis*, tanquam Lapithas a loco Thebanos nominet. Ego video, si coniectatorie res agenda est, non duriter nimis legi posse *Telamonibus:* ut comparatio sit triplex, Lapitharum scilicet, Telamonum et Centaurorum. *Telamones* autem dicuntur Gigantes, ab Atlante: de quo Ovid. *Quantus erat mons factus Atlas.* Hunc Latini *Telamonem* vocant, Servius docet in quarto Aeneidos commentario. hinc in aedificiis *telamones* appellant signa, quae virili figura mutulos aut coronas sustinent. Vitruvius existimat rationem ex historiis non inveniri, quid aut quare dicantur tales statuae *Telamones.* Demiror virum eruditissimum id nescisse, quod Grammatici non ignoraverunt. Graeci hos *Atlantes* vocant, ex eo quod Atlas mundum sustinere deformatur a pictoribus et statuariis. Atlas autem et Telamon idem est. Super hoc loco diu me torsi, nec adhuc melius quippiam inveni. debebo his qui ingenii bonitate veriora excogitaverint, communicaverintque. Dicant quod Origenes et Augustinus ingenue fatentur: ignorantiam nostram non ignoramus: nec pudet me fateri nescire, quod nesciam; elaborataque non abscondimus, sed in propatulum depromimus: longe ab illis dissentientes, qui pauca aliqua novere, et ea recondunt in secretario, perinde ac arcana mysteria, videlicet invidentes bona mortalibus: quibus ut inquit Plin. noster neminem docere in auctoritatem scientiae est.

Pag. 255. PER BALNEAS] Fures balneares furta nequaquam luculenta pretiosaque conficiunt, sed furtim rituque servili vestimenta et id genus vilia subducunt. In Trinummo Plautinus servus sibi in thermopolio condylium fuisse ereptum a furibus graphicis conqueritur. ubi *thermopolium* significatur taberna sive caupona, ubi cibaria calida veneunt. *condylium* vero anulus est, quem et *condylum* et *symbolum* et *ungulum* prisci vocitabant. Scribunt iurisconsulti, praefectum vigilum iudicem esse constitutum adversus capsarios, qui servanda in balneis mercede vestimenta suscipiunt: ut si quid in servandis vestimentis fraudulenter amiserint, ipse cognoscat. Apud eosdem titulus est de furibus balneariis, ubi scribit Ulpianus, fures balnearios extra ordinem esse puniendos. Miles quoque qui in furto balneario deprensus est, ignominia mitti debet. Locus in balneis ubi loturi exuebant vestimenta dicitur *apodyterion:* quod Latine *spoliarium* interpretantur. cuius meminit M. Varro in 2. de Re rustica: et Plin. in Epistolis ait: *Inde apodyterion balnei laxum et hilare excipit cella frigidaria. Reptantes* autem dixit, quasi furtim ac latenter irrepentes: quod latrunculorum est.

Ibid. SCRUTARIAM FACITIS] Id est, more furunculorum minuta quaeque et vilia furtim angulatimque perquiritis: cum egregius latro non tam scrutari latenter soleat, quam diripere violenter. Veteres *scruto* dicebant nos *scrutor*, quod est inquirere et vestigare etiam minutissima. Plautus in Aulularia. *Postremo hunc iam perscrutari.* Hinc *scrutaria* dicta, ipsa scrutatio vestigatioque: ut *sagaria*, ut *caenacularia*, ut *lintearia*, et alia compluscula eodem inclinatu formata.

Pag. 257. AUREOS FOL.] *Follem*, praeter alias significationes, pro marsupio, crumena, receptaculoque nummorum accipimus. Iuvenal. *Si radat venerem cum tota aerugine follem.* Item: *Tenso folle reverti*, pro plena crumena, dixit. hinc *follitus* eleganti vocabulo dictus a Plaut. in Epidico, pro bene nummatus opulentusque, et follibus nummariis suffarcinatus. Pediano Asconio numerantur inter pecuniarum receptacula, *sportulae*, *sportellae*, *sacci*, *sacculi*, *sacelli*, *crumenae*, *veleiae*, *scorteae*, *manticae*, *marsupia*, *fisci*, *fiscinae*, *fiscellae*, *sportea*, *loculi:* quibus adde et *folles*, et *bulgas.* Sicut autem folles ex numero pilarum vento tumescunt, ita crumenae pecunia turgent: a qua similitudine inditum nomen. ex disciplina militari, decem *folles*, hoc est, decem sacci, ut Vegetii verbis utar, per cohortes singulas exponebantur, in quibus militum pecunia condebatur. Aug. lib. de civitate Dei novissimo, *folles* non tam pro repositoriis nummorum, quam pro ipsis nummis ponere videtur: scribens, Hipponensem quendam senem, coquo vendidisse piscem praegrandem *follibus* trecentis, in cuius ventriculo anulus aureus est inventus.

Ibid. CONCEPTA] *Concipi* dicitur pugna, cum manus conseruntur. et haec purior lectio quam si legas *contempta:* tamquam unicae manus, id est, tantum unius hominis pugna contemnenda sit, neque metuendum sit adversus unum depugnare.

Pag. 259. OFFIGIT] Affigit, connectitque. *Ob* enim pro *ad* in frequenti usu est eruditorum. Unde *oboritur*, pro, adnascitur: et *ob os*, pro, ad os: et *obmoveto*, pro, admoveto dicebatur. *Omnes occisi occensique* dixit Ennius pro accensi.

Pag. 260. MEDIUM] Corrige *Remedium.*

Ibid. COMMISIMUS] Lego *comminiscimur*, id est, excogitamus, invenimus.

Ibid. TEMERATO] Corrige, *temperato*, quasi temperamento quodam librato.

Pag.

Pag. 261. CAETERUM.] Sine brachio truncum, truncatumque.

Ibid. RELIGIONIS] Purior lectio est *Regionis*. consimiliter Virg. *ignari hominumque locorumque Erramus.*

Pag. 262. MANU.] Pro *manui* declinatio vetus, et frequens. Hinc apud Varronem, *Concubitu indulgens: Teque aspectu ne subtrahe nostro.* Est autem sensus: Se nolle supervivere, nec superstitem esse manui praemortuae, abscissaeque a reliquo corpore, sine qua mancus est homo. nam, ut Aristoteles et caeteri tradunt, manus est organum organorum, instrumentum instrumentorum. Anaxagoras dicere solebat, hominem prudentissimum omnium animalium esse, quoniam unus omnium manuatus esset. contra Aristoteles lib. 13. de animalibus: *Recta*, inquit, *ratio exigit, ut quoniam prudentissimus omnium est homo, ideo manus receperit. Quid dicam*, inquit Lactantius, *de manibus, rationis ac sapientiae ministris, quas solertissimus artifex planas ac modice concavo sinu fictas, ut si quid tenendum sit, apte possit insidere in digitos, terminavit. Manus*, ut auctor est Galenus libro primo de Iuvamentis membrorum, *datae sunt homini vice omnium instrumentorum et armorum, quibus utitur in omnibus artificiis.*

Pag. 263. TOTO ELEMENTO.] Scilicet maris. Dixit diserte Moecenas: *Non tumulum curo, se pelit natura relictos.* Dii boni, quam multorum sepulchrum est mare? quanti quotidie mortales in mari moriuntur, et in mari sepeliuntur? Propertius: *pro tumulo Carpathium omne mare est.*

Pag. 264. RECLUSAS.] Legendum *reculas*, ex auctoritate Prisciani, qui scribit, nomina quintae declinationis foeminina, abiecta s, assumere *cula*, et facere diminutiva: ut *dies*, inquit, *diecula: res, recula.* Plautus in Cistellaria: *Siquidem imperes pro copia, pro recula.* Nomine *recularum* pannosarum expressit significanter tenuiculum patrimonium, et supellectilem oppido quam pusillam. Nam appellatione rei opes significantur. Horatius: — *ut rem facias, rem. Si possis recte: si non, quocunque modo rem.* et apud Ausonium: — *non auxi, non minui rem.* Praeterea nomine *rei* notatur imperium, lis et coitus. Ausonius: *Imperium, litem, Venerem, cur una notet res.* Refert M. Tul. nondum inter iurisconsultos esse constitutum, utrum *rem* an *litem* dici oporteat.

Pag. 265. SENILE ILLUD FACINUS.] Asperius significantiusque appellavit senile *facinus*, quam si *vetulam facinorosam* dixisset. sic Lucilius: — *carcer vix carcere dignus.* sic et Epigrammatarius poëta: *Non vitiosus homo es Zoile, sed vitium.*

Pag. 266. DIFFUSA.] Corrige *diffissa*. Significat enim costas Alcimi decidentis fuisse disruptas, diffissasque.

Pag. 267. FORMAE.] Purior lectio et congruentior est *fortunae* quam *formae*.

Pag. 269. IMMANIS URSAE.] Pro immanium ursarum, singularis pro plurativo; quod genus elocutionis est usitatissimum.

Pag. 271. TUNC NACTI.] Id est, excogitantes. Sed ego legere malim, *Tunc e re nata:* quae locutio Appuleiana est, et sententiae congruens.

Ibid. BABULUS.] Nomen proprium latronis. Quid si legas *Bardulus*, ducto a tarditate nomine. *Bardus* enim stultus appellatur, dictione inflexa a Graeco: illi enim βράδιστος dicunt. Quid si *barbulus*, a barba, tanquam barbatulus. nam et Barbula Romani consulis nomen est, apud Livium.

Pag. 273. SUBIT ALEAM.] Thrasileon non recusans sub ursae specie et ferino habitu grandia moliri, subit periculum et discrimen machinae, ut periculosae: ut pro nomine transfiguratus in ursam, in cavea ad Democharem munerarium perinde quasi bestia deportetur. *Subire aleam*, est periclitari, et obiectare sese fortunae dubiae et ancipiti: ex translatione aleatorum, qui in alea foroque aleatorio varie agitantur, et repente victores, repente victi dubio eventu examinantur. Livius: *In dubiam servitii imperiique aleam imus.* et apud Lucanum: *placet alea fati Alterutrum mersura caput.* Aleatores a veteribus *aleones* dicti. Catullus: *Quis hoc potest videre, quis potest pati, Nisi impudicus et vorax et aleo.* Ita apud Salustium legendum est illud ex Catilina: *Quicunque impudicus adulter, ganeo, aleo, manu, ventre, pene, bona patria laceraverat.* Sincerior enim lectio est, et tersior, ut legatur *aleo*, quam *alea:* sicut in pervulgatis codicibus scriptum invenitur.

Ibid. ACUMINE.] Quidam codices habent *sarcimine:* quod graphice quadrat. signat enim, oras, hoc est, extremas corii partes, sutura quadam tenuissima fuisse connexas, compositasque, ut vix vestigium sectionis internosceretur. *Sarcimine* autem positum est pro sutura, quasi a sarciendo. Unde *sarcinatores* dicti, et *sarcinatrices:* quamvis non desint qui *sarcinatricem* non tam a *sarciendo*, quam a *sarcinis* dictam velint. *Sartores* quoque non solum a *sarciendo*, verum etiam a *sarriendo* dici autumant scriptores idonei. quo intellectu illud Plauti ex Captivis est accipiendum: *Sartor sarrorque scelerum et messor maxime.* sarrire autem est fodere, et apperire, quod in agricolatione utilissimum esse docet Columella, et reliqui rusticationis conditores.

Ibid. PRAEDESTINATAE.] Lege *praestinatae*.

Pag. 275. PELLERE.] Lego *pellicere*, pro *pelliciebat*, ut sit sensus: Animos hominum pel-

lectos esse, tractosque ad visendam ursam enormem: id quod in rebus novis accidere solet. ad nova enim conveniunt homines, ad nova concurrunt, ut inquit Seneca in Declamationibus. idem in Quaestionibus ait: *Naturale est magis nova quam magna mirari.* hinc illud notissimum: *Est quoque cunctarum novitas gratissima rerum. Pellicere* autem est, illicere: quod et *perlicere* dicitur, usitatissimum Livio. *Pellicationem* Cato dixit a pellicendo, quasi invitamentum, et (ut inquit M. Varro) illicitum, ab illiciendo.

Pag. 282. SPECTATUM] Nitidior lectio est *spectaculum:* tamquam Thrasileon morsu canum laniatus praebuerit spectaculum miserum prorsus ac funestum.

Pag. 283. PALIO.] Lege: *paulo fidentior.*

Pag. 286. COGITATIONE] Emenda *agitatione* vel *refectione.*

Ibid. VIRULENTUM.] Significare volens hordei cibatum sibi asino parum gratum fuisse, dixit *virulentum*, quasi ingratum, iniucundique saporis, imo quasi venenatum. *Virus* enim venenum est: unde *virulentum* ductum nomen, quod proprium est serpentium, ut virulenti dicantur, quasi venenati. A. Gellius tradit, Marsis hominibus ingenitum esse ut serpentum *virulentorum* domitores sint. Idem orationem Aeschinis *virulentam* appellat, criminosam, et quasi veneni plenam, ac maledicentiae. atra enim hominum maledicorum ceu serpentium linguae vibrat, ut inquit Plin. Non placet ut hoc in loco legas *iurulentum*, tanquam iure madens. Virus Plinio ponitur modo pro aspero adore, modo pro acerbo sapore, modo pro vi geniali.

Pag. 288. LEVITIO] Purior lectio est, *levo*, vel *lenio*, pro eo quod est, mulceo et sedo. Asinis, auctore Plin. aquarum taedium maxime est. ideoque asinae foetae per ignes ad foetus tendunt: at si rivus minimus intersit, horrent, ita ut pedes omnino caveant tingere, nec nisi assuetos potant fontes, et quamvis sitiant, tamen si mutentur aquae, ut bibant cogendae sunt, exonerandave.

Pag. 290. SUB INCERTA SALUTIS] Legere malim *sub incerto*, quasi in dubio salutis, in incerto.

Pag. 295. INCERTIS.] Lego *insertis.* Mucrones enim stricti inseruntur, ingerunturque a machaerophoris.

Ibid. SIC INSTAR ATHRACIS VEL PROTESILAI.] Historia sive fabula obscurior signatur, quae (ut ingenue fatear) nondum mihi liquet, nec de ea satis constat. ideoque amplius quaerendum est. Sed video dictionibus solerter pensitatis, locum hunc conducenter et congruenter sic corrigi posse: *Instar Athracidis*, *vel Pirithoi.* ut sit sensus, disturbatas esse puellae captivae nuptias, sicut olim Hippodamiae et Pirithoi disturbatae fuerunt. Pirithous enim cum uxorem duceret Hippodamen, centaurosque ad nuptias invitasset, illi vinolentia libidineque simul extimulati, nuptias disturbarunt: ex quibus Eurythus Hippodamen rapuit, alii alias. hinc inter mensas nuptiales atrox pugna pugnata, qua centauri sunt partim in fugam pulsi. rem canit Ovidius luculente in 12. Hippodame dicta et *Athracis* figura patronymica, a patre Athrace, qui primus artem magicam apud Thessaliam constituit. hinc *ars Athracia* pro magia dicitur Papinio, cum ait: *Athracia rubet arte labor.* Ovid. quoque *Athracida* hanc appellat scribens: *Athracis Aemonios traxit in arma viros. Instar* ergo *Athracidis* expones, instar Hippodames, sive Hippodamiae Athracis filiae. Est et *Athrax* oppidum in Thessalia Plinio, Ptolemaeo, caeteris. Hanc nostram emendationem plausibiliter probat Codrus, collega meus in professione literaria, homo impense doctus, et utriusque linguae callens: qui plus habet in recessu quam ostentet in fronte, qui in pensitandis tam priscorum quam recentiorum libris iudicio est praecellenti praeditus: cui haec mea, qualiacunque sunt, probari vehementer gaudeo. pluris enim facio iudicium unius eruditi, quam sexcentorum male literatorum: contentus doctis praeconibus, imperitorum rumusculos et vituperonum linguas livoris cote acuminatas flocci non facio. Sed ut domum repetamus, quo modo Protesilai nuptiae disturbatae sint, non dispicio: nec usquam (quod equidem meminerim) scriptum legi. de Protesilai quidem obitu, et Laodamiae eius coniugis amore exuperantissimo, non pauca traduntur, et ea quidem cognitissima: sed de disturbatis nuptiis nihil adhuc compertum erit. ergo hic locus ita castigandus, ut castigandum docuimus, diis hominibusque plaudentibus; aut fabula remotior quaerenda, sicut A. Gellio historia oraculi arietini ob Plautinos versus fuit vestiganda, inquirendaque.

Pag. 298. MELLITUS DULCIOLI] Lege *mellitis dulciolis:* et referatur ad cibaria, quae *mellita* nominantur, a melliis conditura: de quibus apud Suetonium in Nerone, item apud Varronem, Macrob. Gell. est illud memoratissimum: *bellaria ea maxime sunt mellita, quae mellita non sunt. dulcibus enim cum pepsi societas infida.* quo dicto significatur, cibaria melle concinnata non facere ad stomachum, neque satis conducere concoctioni, quam Graeci vocant πέψιν. unde *dispepsia* Catoni, pro mala digestione.

Pag. 299. VELAXATUM IRI.] Legendum puto *Anxiatum*, quasi ab anxietate, sive ab angore ducto vocabulo. Quod si legas *vexatum*, Latinum id quoque verbum est, et quadrat.

Ibid. EVOCABO.] Delectabo, mulcebo: vel lege *Avocabo*, pro eo quod est abducam amoveboque a tristitia, quam conceperat visione somniorum.

Pag. 303. FLORIBUS CERTIS.] Lege *sertis*, flo-

flores enim serti dicuntur, in coronamentis contexti. Luc. *Accipiunt sertas nardo florente coronas:* et ut auctor est Plinius, *cum ex floribus fierent serta, a serendo serviae appellabantur.* Apud priscos coronae fuerunt partim pastiles, partim sutiles dictae. summa auctoritas pastili coronae habita est: sutiles, in coenis solennes extiterunt. Serti flores dicuntur quasi iuncti, contextique. nam serere apud antiquos iungere est: unde fruges seri dicuntur, quia terrae iunguntur: et sertorem pro assertore dixerunt, quod serendo, id est, competendo aliquem serat in libertatem, id est, iungat. hinc *serilla* quoque navigia appellari autumat Verrius Flaccus, quae sparto ac lino condensantur, a conserendo et contexendo dicta.

Pag. 308. SOLA.] Corrige *Salacia.* Error literae minutulus quidem, verum sententiae disparilitas maxima. Salaciam autem finxit antiquitas esse Neptuni uxorem, quam inferiorem aqua maris esse dixerunt. Venilia quoque Neptuno adiuncta est, et ut interpretatio fabulosae theologiae demonstrat, Venilia nuda est ex eo dicta, quod ad littus veniat: sicut Salacia quod in salum redeat. auctor divus August. in 7. de civitate Dei, qui in quarto quoque sic scribit: *Quid est quod mare Neptuno tribuitur, terra Plutoni? et ne ipsi quoque sine coniugibus remanerent, additur Neptuno Salacia, Plutoni Proserpina, inferiorem maris partem Salacia tenet, terrae inferiorem Proserpina.* M. Varro Salaciae Veniliaeque breviter commeminit his verbis: *Salacia Neptuni a salo, Venilia a veniendo.*

Ibid. PERSULTANTES.] Quid si legas *persulcantes*, quasi sulco quodam atque vestigio inter natandum signantes, potest tamen *persultantes* legi. utraque enim lectio proba est, utraque recipitur.

Pag. 309. CONCHA SONACI.] Inter genera concharum, quae multifaria sunt, conchae quaedam memorantur ad buccinam recurvae, ut docet Plin. his tritones buccinant. De hoc concharum genere sic scribit Ovid. — *cava buccina sumitur illi Torrilis, in latum quum turbine crescis ab imo.* Nos quoque tales curiose sumus contemplati, figura videlicet turbinatiore. videtur autem imitatus esse ingeniosissimum poëtam sic scribentem in primo Metamorph. *Coeruleum Tritona vocat, conchaque sonaci Inspirare iubet.* quidam codices Nasoniani non *sonaci* habent, sed *sonanti:* verum hoc elegantius, tersius, nitidius est.

Ibid. SOLIS INIMICI.] Sol inimicus est diis aquaticis, cuius flagrantia infestantur, ideoque Tritonum unus serico tegmine ardorem Solis defendebat; sicut in usu priscorum fuerunt umbellae, quibus Soli obsistebant.

Ibid. BIGES.] Bigas significat: sic enim appellantur equi duo iuncti. Quidam codices habent *currus biiuges:* quae lectio purior est et usitatior, eodem tamen intellectu.

Pag. 310. INGRATA.] Inamabili, et nulli gratae: utpote quae a nemine expeteretur.

Pag. 311. MUNDO.] *Mundum* ornatum muliebrem vocant, de quo supra. Sensus est oraculi: Ornetur, inquit, Psyche non ornatu felicium nuptiarum, sed mundo connubii funebris et infortunati, tanquam virum habitura sit ferum, saevumque ac funereum. hic autem Cupido significatur, qui stirpe non mortali, sed divina procreatus, furit bacchabundus per pectora medullasque mortalium: qui veneno vipereo et dulci melle conditus, gustu dulcedinem propinat, amarum autem venenatumque virus ad satietatem usque aggerit.

Pag. 312. TETRI EFFECTUS.] Lego, *teter effectus*, ne soloecismo et imparilitate dehonestetur oratio. *Teter* autem *effectus* accipitur pro impio, crudeli et evitabili. Lucretius *absinthia tetra* dixit, amara intelligi volens.

Pag. 314. MILESIAM.] Legendum videtur *misellam*, quod epitheton Psychae cum primis convenit. vel lege, *necessitas Milesia*, ut ad sortem oraculi Milesii referatur. necessitati autem, quam nec Deus quidem superat, parendum esse, praecipiunt Plato et Plotinus. Parcas ἀνάγκης, id est, Necessitatis filias dixere. proverbium Graecum est, dignum scitu memoratuque, ἀνάγκην οὐδὲ θεοὶ μάχονται, id est, adversus necessitatem nec dii quidem pugnant.

LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Hic quintus liber continet Psyches domicilium, Cupidinis amorem, sororum Psyches visitationem, earundem subsequitur invidia, cuius impulsu Psyche credula, maritum Cupidinem vulnusculo percutit: ex quo devoluta e culmine beatitatis, fit aerumnosa, quam Venus infesta atrociter exagitat. Tandem post multiplices exhaustas aerumnas, fit coniunx sui Cupidinis. Nuptiae celebrantur in coelo inter coelicolas.

Pag. 319. EFFERAVIT.] Lego *effigiavit.* haec enim purior mundiorque lectio est, ut *effigiavit* exponas, variis figuris simulacrisque effinxit argentum, ad ornamentum diversorii. Quod si legas *efferavit*, expone, in feras et ferarum imagines effinxit. Quod vero ait: *homo, immo semideus vel certe Deus*, amplificatio est, qua per incrementum decenter crescit oratio.

Pag. 321. PROLECTANTE.] Alliciente.

Pag. 323. NEC CORPORIS CURATAE.] Quid si legas, *corpus curatae*, hoc intellectu: ubi curaveris corpus lavacro et balneis, praesto tibi erunt regales epulae paratae. Annotandum est, quod *corpus curare* hic accipitur pro lavacro et balneis refovere: alias *curare corpus* est, cibo reficere. Servius, enarrans illud Virgilianum ex 4. Georg. — *tum tecta petunt, tum corpora curant*, sic exponit: *Sane curare corpus, si de hominibus dicimus, et cibo et lavacro intelligimus, aut alterutro: si de apibus, tantum cibos accipimus.* apud Livium et historicos fere semper *curare corpus* ad cibum refertur. Sidonius: *Archimagirus*, inquit, *adventans, qui tempus instare curandi corpora moneret.* hinc illud quoque memoratissimum: *Quid est quod tu habitior sis quam equus tuus? quoniam, inquit, ego me curo. Statius servus equum meum curat.* Cato boves *curatiores* dixit, pro pinguiores, habitioresque.

Pag. 324. COENATORUM.] Lego *coenatorium.* nam instrumentum coenatorium dicimus, quod ad coenam instruendam est accommodatum: et ita instrumenti coenatorii appellatione continebitur omnis coenaticus apparatus, sicut de instrumento rustico, et instrumento histrionico, pro apparatu, crebra mentio est.

Pag. 326. INCENDERAT.] Corrige, *inscenderat*, significat enim, maritum ascendisse in thorum genialem. sic enim dicitur lectus nuptialis.

Pag. 327. PRAETER OCULOS.] Sentiebatur enim tactu corporali, sed oculis minime poterat videri.

Pag. 328. ADIERE.] Legendum est, *aderunt.*

Pag. 329. ET PERFIDA.] Corrige *perdia, perdius* enim, *perdia, perdium*; dicitur per totum diem pertinax et permanens. sicut *pernox*, per totam noctem perseverans: unde et *luna pernox* in plenilunio dicta est, tota nocte collucens. A. Gellius in secundo: *Socrates*, inquit, *perdius et pernox hisdem in vestigiis stabat.* Nunc Psyche accusatur a marito, quod dies totos noctesque lachrymis cruciatibusque consumat.

Pag. 330. EFFLICTUM.] Legendum est *efflictim:* quod adverbium est, significans vehementer et enixe.

Pag. 333. LOCUMQUE.] Subscribe verbum *Ostendit*, ne trunca et defectu verbi claudicans orationis structura sit.

Pag. 334. INHUMANAE.] Non humanae, ac per hoc divinae coelestisque mensae, alias *inhumanus*, crudelis dicitur, et inamabilis.

Pag. 335. LANOSTIM.] Emendo, *lanoso:* ut iunctim legas, *lanoso barbitio:* hoc intellectu, quod erat iuvenis prima barbae lanugine et flore genas vestiens. id enim, *lanosum barbitium* significat. Alibi *barbitium* quoque pro barba decenter usurpat: *Hircino*, inquit, *barbitio philosophum mentiebatur.*

Pag. 338. CUCURBITA CALVIOREM.] Fulgentius Placiades hunc ex Apuleio locum citans, legit, *cucurbita glabriorem, et quovis puero pusilliorem*, quae sane lectio nitidior est, ut exponas *glabriorem* pro depilatiorem, cutisque nitidioris. *glabrum* enim depilatum dicimus, et levem. tales sunt senes, calvi scilicet, et omni capillitio depopulati, instar cucurbitarum, quae (ut nemo non videt) glabrae sunt, et laevore polituraque lubricae. Plautus in Aulularia: *Tu gallum, si sapis, glabriorem reddes, quam volsus ludius est. glabreta* Columellae dicuntur loca denudata arboribus, et herbis viduata. *Glabrescere* est glabrum fieri. idem Columella. *Herbae etiam ungulis atteruntur, atque ita glabrescit et fit idonea frumentis area. quadrupedum*, ut inquit Plin. *dorsa pilosa sunt, ventres glabri.*

Pag. 347. ADULANTUR.] Blandiuntur. Veteres *adulat* dicebant, quod nunc dicimus *adulatur.* Luc. *Longe alio pacto gannitu vocis adulant.* M. Tull. in 2. Tusculana in carmine Aeschyli: *Sublime advolans pinnata cauda nostro adulat sanguinem.* verbum compositum est ex accedendo et ludendo.

Ibid. IN ISTA PERULA.] In utero et ventre, qui vicem perae praebet, receptaculumque est foetus concepti. *pera*, cuius diminutivum est *perula*, gestamen est Cynicae familiae. id enim Diogeni et Antistheni Cynicis philosophis pera est et baculus, quod regibus diadema, quod imperatoribus paludamentum, quod pontificibus galerus. Crates villas ornatissimas una perula mutavit, et supellectilem Cynicam, hoc est, baculum et peram ultro divitiis abiectis appetivit.

Pag. 349. NOTALIUM.] Lege *natalium:* quaerebant enim, quibus natalibus ortus esset maritus Psyches, et qua secta propagatus. namque a *secta sectacula* derivatur, quasi sequela quaedam et propagatio natalium.

Pag. 355. MARITO.] Lege *maritum.* Consentio, inquit, maritum meum esse bestiam aliquam, prout vos recte asseritis.

Pag. 356. AULULAE.] Lego *aulaeae*, ut sit sensus: lucernae lumen occultandum esse, contegendumque tegumento aulaeae undique sepientis. *aulaeam* enim foeminino genere sic dicimus, ut *aulaeum* neutro. Quintus Curtius: *Nec quicquam eorum quae invicem iactata erant rex ignorabat, cum post aulaeam, quae lectos obduxerat, staret.* Sunt autem *aulaea*, panni et vela picturata, et versicolore textura spectabilia; quae Graecis quidem vocabulis sed apud Latinos usitatissimis, *peripetasmata* et *peristromata* nominantur. *Aulaea* autem dicta esse tradunt ab *aula* Attali regis, in qua primum inventa sint, postquam is populum Romanum scripsit haeredem. hinc *Attalica* a Propertio cognominata, illo versu: *Nobilis aulaeis porticus Attalicis.* Plin. auctor est, Attalum regem primum inve-

nis-

nisse aurum vestibus intexere: *unde*, inquit, *est nomen Attalicis*. Aulaea purpureo colore distincta, et simulachris hominum intexta fuisse, testis est Poëta, cum ait: *Purpurea intexti tollant aulaea Britanni.*

Pag. 358. ISTIS SOCIIS.] Famulitium intelligit, neque tactile neque visibile, quod Psychae ancillabatur, praestoque erat.

Ibid. HOMINEM TE.] Appellatione hominis mas et foemina continetur. Ser. Sulpitius epistola ad Ciceronem: *Paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat.* Illud Satyrographi quis ignorat? —*clames licet et mare coelo Confundas, homo sum.*

Pag. 361. ANTEPENDULOS.] Hos capillos antiqui *antias* appellaverunt, qui in frontem demissi sunt, alio nomine *capronei* nominantur, quasi a capite proni. Appuleius in Floridis: *Iam primum*, inquit, *crines eius praemulsis antiis, praemulsis capronei anteventuli et propenduli.*

Pag. 362. ALIIS.] Corrige *alis*. alas enim quiescentes et immotas in Cupidine sopito fuisse significat: cum tantum plumulae illae teneriores molliores que tremore quodam agitarentur.

Pag. 365. CAPTU.] Remigium, inquit, alarum cum in altum Cupidinem sustulisset, alienum fecerat a captione, ne iterum manibus Psyches prehendi posset. Dixit autem *remigio plumae*, ex Virgiliana translatione, qui canit in 6. *Remigium alarum, posuitque immania templa. Captu* dixit, quasi captione, prensioneque. quidam legunt *raptum*, sed prior lectio venustior.

Pag. 367. RETINERE] Commodior lectio est *recinere*, canna enim fistularis recinit, hoc est, canendo reddit voces omnimodas. *Ad marem recanunt*, dixit Plin. de perdicibus scribens.

Pag. 368. NOMINE SALUTARI.] Lego *numine*. Psyche enim cum adorasset numen Panos salutare et propitium, ire perrexit.

Pag. 370. NOMEN QUO TU CENSERIS.] Quasi dicat. Tu diceris Psyche, quod anima sonat, illa mihi erit anima et vita. Plautus ait, *amicam animam esse amanti.* vel, sicut tu nomine uxoris et matris familias censeris, hoc est, in pretio es apud me: eodem hoc nomine sororem tuam mihi copulabo, ut illa mihi sit uxor, et materfamilias. Vel expone, Nominatim te nuncupavit, ad differentiam alterius sororis.

Pag. 372. GLUVIES] Lego *eluvies*, quod ad sordes et dehonestamenta referendum est.

Ibid. SOLIDUM EXCLAMAT.] Solida voce, firma, magna, durabili: nomen pro adverbio. sic Virg. —*totumque repente clamat.*

Pag. 373. LOQUAR.] Corrigo, *loquax*. gavia enim avis loquax merito nominatur, quam et superius verbosam appellavit, quae Veneri cuncta denarravit. Tales, lingulacae, loquutuleiae, blateratrices, eleganter dicuntur.

Pag. 374. QUERITANS.] Id est, vehementer delamentata. Quod si legas *Quiritans*, expones, valde vociferans. *quiritare* enim est Quirites ciere, et Quiritium fidem clamando implorare. unde quiritare pro vociferari et clamare usurpatur: auctores M. Varro et Diomedes. *Lex fuerat proquiritata*, dixit Sidonius, pro eo quod est promulgata, et praeconis boatu denunciata, publicataque.

Pag. 381. PERVERSIS ILLIS.] Iunone et Cerere iam conversis in aliud iter, atque abeuntibus. Vel expone *Perversis*, posthabitis, et quasi relictis deabus, Venus ad undas, unde orta est, flexit iter, mariaque sulcavit.

LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM.

Post anxiam disquisitionem, post Cereris suasionem, post Iunonis refragationem, Psyche ultronea Veneri sese offert. Veneris ascensus in coelum et numinum imploratio describitur, eiusque in Psychen iussa imperiosissima memorantur: ut scilicet acervum omnifariae frugis granis seiugatis disponeret: ut floccum velleris pretiosi quaesitum afferret, ut liquorem Stygium urnula deferret, ut Proserpinae pyxidem formositate repletam referret: quibus omnibus divino adminiculo confectis, nubit Psyche in concilio deorum Cupidini suo, celebranturque in coelo nuptiae, ex quo matrimonio nascitur Voluptas.

Pag. 384. AIN.] Elegantius est *Ah*, tanquam dolenter hoc pronunciet Ceres.

Ibid. REGO.] Lege, *Per ego*, precatur enim Psyche Cererem deam, per frugiferam dextram, et caetera omnia ad numen Cereris pertinentia.

Pag. 386. OPTIMI CONSULE.] Accipe iudicaque in bonam partem: proverbialis locutio. Quintilianus in primo. *fit enim consul a consulendo, vel a iudicando. nam et hoc consulere veteres vocaverunt: unde adhuc remanet illud, Rogat boni consulas, id est, bonum iudices.* in carmine obscoeno: *Consule poma boni.* apud Columellam, *Ut boni consultat.*

Pag. 390. PER FIDEM.] Iusiurandum est per deam Fidem cui Numa Pompilius solenne instituit, ut cuius sacrario flamines manu ad digitos usque involuta rem divinam faciebant, significantes, fidem tutandam, sedemque eius etiam in dextris sacratam esse. Apud auctores frequens est ista locutio, *Vestram imploro fidem*, pro auxilium. Quidam codices habent non *per fidem*, sed *Psyche:* tanquam Iuno nuncupatim Psychen appellet, ut sit vocativi casus *ô Psyche.*

Pag. 392. ANTE THALAMI RUDIMENTUM.] Primum concubium coniugalem decenter et verecunde significat.

Ibid. NUPTIALE MUNUS.] Apud Iuvenalem de nuptialibus muneribus mentio fit illo versu: — *nec illud Quod prima pro nocte datur, cum lance beata Dacicus et sculpto radiat Germanicus auro.* Vulcanus currum hunc Veneri dono dederat pro munere nuptiali, post primos concubitus maritales. nam cum virginitas uxoris omnibus maritis acceptissima sit, pro ea erepta quae reddi nequit, munus repetitur, tanquam praemium sit devirginatae puellae, cui nihil virginitatis flore est pretiosius.

Ibid. LUNAE DETRIMENTO.] Significat currum Veneris arcuatum fuisse, et ad effigiem lunae corniculatae figuratum. Luna enim in cornua tenuatur, sentire quod videtur detrimentum. cum vero pervenerit ad orbiculatam rotunditatem, pleno orbe nihil patitur dispendii. Scite autem dixit, *auri damno pretiosum.* Nam cum aurum in effigie currus corniculata deesset, prout fabrica talis deposcit, damnum auri fieri in vehiculo dicebatur, idque ex tali detrimento fiebat venustius.

Pag. 395. ADPULSUM.] Adpulsionem, vibrationemque et ferruminationem linguae cum lingua, labelli cum labello: quod suaviolum est dulci dulcius ambrosia. quod genus basiationis intelligi voluit Plautus, cum ait: *Fac me proserpentem bestiam: duplicem ut habeam linguam.* Alias *appulsus* est, pecorum accessus ad aquam, ut apud iurisconsultos.

Pag. 398. CONFUSIS IN UNUM GLOMULUM.] Venus acervavit conglobavitque haec omnia confusaneo acervo facto, et vix separabili, ut ita gravius torqueret fatigaretque Psychen in discernenda congerie. *glomus* accipitur pro glomere, sive glomeratione, et quadam quasi acervatione. Plinius tradit in 36. *Si quis improperet intra labyrinthum sine glomere lini, exitum invenire non queat. Glomus* in sacris appellatur crustulum cubi figura, quod obsonii genus est. grumus vero dicitur agger, sive collectio terrae minor tumulo, a congerie dictus. hinc exgrumantes decentissimo vocabulo Varroniano dictae cochleae, quasi grumos eruentes, et ex grumis exilientes, accepto frumento et hordeo. Ex Pliniana distinctione, frumenti appellatione hordeum continetur. duo enim prima frugum genera facit Plinius: frumenta, ut triticum et hordeum: legumina, ut faba et cicer. Videtur Appuleius frumentum pro tritico posuisse, speciali quodam significatu. frumenta autem et fruges a fruendo dicta. frui est vesci, a frumine, quae est summa pars gulae per frumen enim esculenta delabuntur. Hordeum vero antiquissimum in cibis, sicut Atheniensium ritu, Menandro auctore, apparet. unde gladiatores hordearii appellati. polentam Graeci ex hordeo praeferunt: panem hordeaceum antiquis usitatum vita damnavit. Plin. hordeum inter genera frumenti numerat, aitque id ex omni frumento minime calamitosum esse, et frugum omnium mollissimum. Quaeri solet, cur a Columella hordei genus hexastichum sit nominatum, et aliud quod distichum vocant. dicitur autem hexastichum id, cuius spicae senos ordines habent: sicut distichon, quae binos: Graece κρίθη hordeum, et κρίθινος hordeaceus.

Pag. 399. PASSIVAM CONGERIEM.] Indiscretam et confusaneam, vocabulo a *passim* deducto. sic *passiva Venus*, *passiva libido*, apud Iulium Firmicum usurpatur pro publica et communi ac promiscua: et *passivi amatores* ab eodem dicuntur, qui passim indifferenter foeminas omnes amant.

Pag. 400. SEPEDUM.] Id est, populosus numerus formicarum, instar undarum et fluctuum, undatim ruebant in auxilium Psyches. Virgilius: *Mane salutatum plenis vomit aedibus undam. Sepedes* autem eleganti vocabulo dicuntur, a numero pedum. formicis enim seni pedes sunt, sicut insectis fere omnibus. Insecta vero sunt ea animalia, quae Albertus Magnus anulata appellat, Aristoteles et Graeci ἔντομα. Plinius in II. *Omnibus*, inquit, *his seni pedes, plerique vermes duodenos habent, aliqua et centenos: numerus pedum impar nulli est.*

Pag. 401. FRAGRANS.] Spirans, redolens.

Pag. 402. FUNGATUR.] Peragit. fungi enim agere est, defungi peragere: ut docet Agretius. Purior lectio est, si corrigas, *Functura:* sicut verbum illud *Habitatur*, corrigo *Habitura.* est enim sensus, Psyche libenter utroque perrexit, non quidem obsequium iniunctum peractura, sed requiem malorum habitura, inventuraque ex morte, quam subire destinaverat ex rupis praecipitio.

Pag. 405. INVITAE.] Ut lectio planior sit, legere malim, *Inventura vitae finem.* volebat Psyche ex rupe ardua se praecipitans, invenire vitae finem aerumnosae scilicet, et infoelicis: cum mors aerumnarum requies sit, et finis. Hinc illud Horatianum:

— *moriar, mors ultima linea rerum est.*

Pag. 407. DIALES VIAS.] Ioviales et coelestes. Graeci *Dia* Iovem appellant: hinc *flamen dialis* dictus a Iove cui sacra facit. a die quoque *dialis* deducitur. Hinc scomma illud M. Tullii in consulem qui uno tantum die consulatum peregit. *Solent*, inquit, *esse flamines diales, modo consules diales habemus.* Inde *sub dio* dicitur, quasi sub Iove, id est, coelo, quod et *sub divo* dicitur: unde *subdiales* dictae sive subdivales ambulationes, Plinio, quae apertae sunt, et ostentae soli atque sub coelo: est enim aethra splendor aetheris.

Pag. 410. PRAEMINANTES.] Possumus etiam le-

legere *praemoventes*, tanquam aquae prius moverint aquilam, ut abiret sine nocumento.

Pag. 411. MAGNA QUAEDAM.] Si legis *magna*, copulabitur cum *malefica*. Sed dispice an purior lectio sit *Maga*. dicit enim Venus, sibi magam quandam videri Psychen, et maleficam primi nominis, quae mandata ipsius impossibilia, nedum difficilia factu, tam strenue exequuta sit.

Pag. 414. MULSA.] Potio est ex aqua et melle confecta, Graece vocatur *hydromel*, ab rei argumento, quae praeclaram utilitatem habet in cibo aegrotantium, in viribus recreandis, stomachoque mulcendo, ardore refrigerando: ut docet Plin. in 22. et ut auctor est Hippocrates, scribens de regimine acutorum: *Hydromel, id est, aqua mulsa omnibus temporibus morbi bibi potest in acutis aegritudinibus. duo sunt mulsae genera, alterum scilicet subitae ac recentis, alterum inveteratae. Repentina fit melle despumato utilior, inveteratae usum damnavere.* Invenio apud auctores, hunc potum bibendum esse alsiosis, item animi humilis et praeparci, quos micropsychos appellant. Sunt autem alsiosi, qui frigore conflictantur, et algores ferre non possunt. M. Varro pecus caprinum alsiosum esse tradit. Frequens est apud Plin. dictio haec, in hoc significatu. Simpliciter autem dicitur *mulsa*, sicut et *mulsum* interdum adiectivum nomen est: ut *aqua mulsa*, *lac mulsum*, *acetum mulsum*. Plin. *lacte mulso* augeri ait iecur anserinum. Apud eundem mentio est *aceti mulsi*, quod fit ex aceto et melle, quod Graeci dicunt *oxymel*. Tradit Hippocrates, pleureticis potum oxymellis dandum esse hyeme quidem calidum, aestate vero frigidum. Plin. in 14. oxymellis confectionem docet. *Oenomel* Palladio est quasi mulsum, ex vino scilicet et melle non despumato confectum: unde et nomen. apud eundem mentio est *omphacomelis*, quod fit ex succo uvae semiacerbae, et mellis mixtura. Graeci vocabulo ὄμφακες dicuntur uvae acerbae, et caeteri fructus immaturi. inde Plin. omphacinum oleum et vinum quod fit ex uva immatura et olea drupa. sic enim vocatur, antequam cibo matura sit.

Pag. 416. DITIS ET PATER.] Nitidior lectio est si legas, *Nec Ditis pater tantus Deus:* ut *Ditis* sit casus rectus, et pro Plutone accipiatur. sicut enim Graece πλοῦτος dicitur, quasi πλούτων, id est, divitiarum dator, quoniam divitiae omnes ex terra: sic Latine *Ditis* et *Dis*, et *Divis pater*, a divitiis nuncupatur: auctores Plato et M. Tul. Est ergo sensus: Nec Charon, nec Pluto maximus manium deus, quicquam gratuito faciunt. Vel referatur ad solum Charonem, qui sine viatico et naulo non navat operam transvectionis. Apud Lucianum in dialogo qui inscribitur Tyrannus, conqueritur Charon, quod per totam diem ne unum quidem obolum lucrifecerit, et ob id timet ne a Plutone castigetur. infra avarus nauta dicitur ab Appuleio anus. eundem Lucianus inducit vociferantem, ἀπόδως ὦ κατάρατε τὰ πορθμεῖα: id est, *redde ô sceleste naulum:* et nisi obolus detur, negat se vecturum cymba Menippum cynicum.

Pag. 417. AFFECTARE.] Noli, inquit, affici moverique sympathia et pietate, quae illicita et perinde damnosa tibi futura est. posses legere *Afficiare*.

Pag. 418. CONANTIBUS.] Pro viribus, et conatu maximo hiantibus. Quid si legas *comantibus?* ut referas ad serpentes, quos habet pro capillis, qui vice capillorum et comae colla faucesque obnubunt. Virg. *Cui vates horrere vides iam colla colubris.*

Pag. 420. DEDICATUM.] Purius est si legas *Delicatum*.

Pag. 423. AD ARMILE REDIT.] Vocabulum est infrequens, parumque protritum, quod significare videtur repositorium fraudis, et doli: accipiturque pro instrumento et apparatu versutiarum, vafriciarumque. Dicitur *armile* ab armis: arma autem dici instrumenta rerum omnium, testimonio Grammaticorum satis liquet: et auctoritate poëtarum indubitatum est, apud quos legitur: — *cerealiaque arma Expediunt.* Item: *Dicendum et quae sint duris agrestibus arma.* Item: *Quaerere conscius arma.* Ubi Servius exposuit *arma*, pro dolos et fraudes: *Armilum* vero vas vinarium significatur, ab eo dictum quod armo, id est, humero deportetur. auctores Nonius, Festus, M. Varro.

Ibid. BUCCULA.] Hoc nimirum specimen est amoris, affectusque paterni, bucculam apprendere et dissuaviari. Consimiliter apud Sueton. in Galba: *Constat Augustum puero adhuc salutanti se, inter aequales apprehensa buccula dixisse.* Est autem *bucca*, et per diminutionem *buccula*, oris pars: interdum ipsum os significat. De buccis Plin. in 11. et nos copiose annotavimus in Suetonii commentariis. hic *buccula* tam significari potest os ipsum, quam genae sive mala: namque mos est, cum puerum blandimenti causa osculari volumus, ut bucculam illius apprendamus, et ad osculum nostrum referamus. Alio diverticulo significationis *buccula* dicitur vacca, alias accipitur pro parte cassidis et galeae. Fulviae M. Antonii altera bucca erat inflatior.

Pag. 424. CASIBUS.] Lego *cassibus*, ut *casses* exponas pedicas et laqueos, quibus amantes illaqueantur, quibus Iupiter se captum foedatumque a filio Cupidine quasi dolenter affirmat.

Pag. 424. AEMULOS CAVERE.] An reliquos Cupidines rivales intelligit? an quoscunque eandem puellam expetentes? qui in amore utique cavendi sunt in tantum, ut nulli satis fidendum sit.

sit. hinc illud Nasonis saluberrimum documentum:

Cognatum fratremque cave, fidumque sodalem:
Quos credis fidos, effuge, tutus eris.

Aemulatio enim rivalitatis acerrima est, ut inquit Propertius:

Nullae sunt inimicitiae, nisi amoris acerbae.

Pag. 425. MUSARUM ALVO.] Corrige, *albo.* Fulgentius consimiliter: *Una*, inquit, *e virginali sum Heliconiadeum curia Iovis albo conscripta.* Ubi corrigendum est *Heliconiadum curia* quasi dicas, Una sum ex senatu Musarum, quae in albo Iovis scriptae sunt. De albo iudicum, decurionum, pontificum, scripsimus affatim in Tranquilli commentariis. Illud adde, quod Graeci tabulam hanc quae albi nomine significatur, λεύκωμα vocitant, ut testis est Iulius Pollux. quod et *pitacium* quoque dici videtur, ut in Alexandro Caesare insinuat Aelius Lampridius: vulgo *matricula* nuncupatur. qua dictione quamvis protrita vernaculaque utuntur apud nostros, et Vegetius, et inferioris notae scriptores. Pitacium vero in alio significatu accipitur apud Corn. Celsum, videlicet pro eo panno medico, qui modo praecordiis, modo capiti dolentis imponi solet, ad mitigandum cruciatum: *pitimam* vocant, dictione quidem vulgari, quae tamen ex Latino vocabulo inflexa esse videatur. in Decretis canonicis 30. quaestione secunda sic scriptum est: *Pitacium, quod nobis tua veneranda fraternitas obtulit, suscepimus.* Ubi *pitacium* ponitur pro libello, sive charta epistolari. interpres a petendo *pitacium* dici tradit: sed haec barbarica est magis quam Latina. apud Laberium est tunicae *pictacium*, pro velamento sive ornatu tunicae, ut ego opinor, a pictura inclinato vocabulo. Sed ut domum repedemus: quod ait, Dei conscripti, allusit ad illud frequens in Orationibus, *Patres conscripti.*

Pag. 426. ACCUMBEBAT.] Verbum proprium epulantium est. M. Tullius: *Qui mihi accubantes in conviviis. Recumbere summum torum* is dicitur, qui in summo, hoc est, honoratiore loco discumbit. in hanc sententiam Plaut. in Sticho: *Summates viri summi accumbent, ego infimatis infimus.* Horat. in 2. Sermonum: *Summus ego, et prope me Viscus Thurinus, et infra, Si memini, Varius.* Contra qui in infimo mensae loco accumbit, dicitur eleganter a Plauto *imi subsellii vir.* Mendositas est tollenda de Plautinis codicibus, in quibus sic passim legitur: *Scis tu me esse uni subselli virum.* Expunge illud *uni*, et in eius locum succedaneam dictionem substitue *Imi.* Plautum Horatius opinor aemulatus, scripsit in epistolis: *et imi Derisor lecti.* Seneca quoque in suasoriis sic refert: *Subinde interrogabat, qui ille vocaretur, qui in imo recumberet.* Salustius quoque in historiis scripsit haec: *Igitur discubuere Sertorius in medio, super eum Fabius senator, ex proscriptis in summo Antonius, et infra scriba Sertorii Verrius, et alter scriba Moecenas in imo, medicus inter Tarquinium et denarium Perpenna.* hactenus Salust. Illud annotandum, quod non tam summus in mensa locus honoratior, quam medius fuit. ex quo illud Virgilianum:

Aurea composuit sponda, mediaque locavit.

et Salustius in Iugurtha: *Dextra Adherbalem assedit, ne medius Iugurtha foret, quod apud Numidas honori ducitur.* Xenophon quoque refert in Paedia, Cyrum solitum in medio recumbere, iussis compransoribus sedere partim ad dextram, partim ad sinistram, ex quibus honoratior sedebat ad sinistram, quod haec insidiis magis subiecta sit quam dextra.

Pag. 429. EVENIUNT.] Lege *reveniunt*, hoc est, redeunt domum, et repedant.

Pag. 430. OBITER.] Annotandum, *ob iter* hoc loco dici, quasi *ad iter*, seiunctim, ut duae dictiones esse videantur. Alias *obiter* adverbium est, significatque inter eundum, incidenter, tali de causa: quae particula veteribus usitata, et Plinio frequens est.

Ibid. ET IMUS] Corrige, *unus.*

Pag. 432. QUOD ISTAS LUCI.] Lego, *Quid stas Luci?* Sermocinatio est, quam secum habet Lucius Appuleius.

Pag. 434. NISI.] Lege *nixu:* hoc est, conatu et viribus.

Pag. 435. CAPTICIA.] Dictio est eadem formula a *capta* inclinata, qua ab *empto empticius*, a *facto facticius.* significat captam, sive captivam: sicut *empticius* emptum, *facticius* factum. M. Varro in 3. de Re rustica: *Hic aprum glans cum pascit empticia, facit pinguem, illic gratuita exilem.* Lucian. et Graeci αἰχμάλωτον dicunt capticiam.

Ibid. EXITU.] Cum fine clamoris anilis. Malim legere *excitu*, ut significet excitatione vocis, et inclamatione virginem procurrisse.

Pag. 438. COMPTA.] Culta, exornataque. Purior lectio est *Cuncta*, ut dicat se omni diligentia perpolituram setas asininae caudae globosas, et prorsus inenodabiles diutina incuria negligentiaque discriminandi atque expediendi.

Pag. 441. AD LUNAE SPLENDOREM.] Lucian. καὶ πόῤῥωθεν εὐθὺς πρὸς τὴν σελήνην ἔγνωσαν τοὺς δυστυχεῖς αἰχμαλώτους: *Et procul statim ad lunam cognovere infoelices captivos.*

Pag. 443. VOCATUR.] Corrige, *iocatur*, nam per ironiam dicit, comitem illum talia secum iocatum esse. Lucianus ait, se adeo post haec verba fustuario supplicio affectum esse, ut ulcerosus fieret.

Ibid. FEROCITATE.] Quid si legas *voracitate:* ut significet, animis ferinis et voracitate inexplebili latrones coenam invasisse? Lucianus simpliciter ait: εἶτα ἐδείπνουν, καὶ πότος ἦν μακρός;

κρδς: id est; *Postea coenitarunt, et potio erat liberalis.*

Pag. 445. INSITITIUM ET FARTILEM.] Observa miram scriptoris in verbis elegantiam. nihil potuit inveniri significantius, quam asinum *insititium* dicere, *et fartilem*, in quo puella inserta sit et inclusa. de *insititio* sat notum.

LIBER SEPTIMUS.

ARGUMENTUM.

Quod Lucianus uno tantum Volumine complexus est, id Appuleius membratim digessit. pluribusque voluminibus latissime evagatus explicavit: ne interpres alieni operis, sed conditor novae historiae videretur; et ut rerum varietate, quae gratissima esse solet, lectores mulceret, caperet, oblectaret citra fastidium. Nunc itaque ut exequatur ordinem destinatum, summatim argumentum proponatur huiusce septimi voluminis. Sub diluculum matutinum unus latronum reliquis collegis renunciavit, quemadmodum illa quae contigerant in domo Milonis Hypatini latrocinia et facinora infanda, imputabantur Lucio Appuleio; et quod nullus latronum super tanto scelere insimulabatur, sed solus Appuleius omnis facinoris auctor fuisse credebatur: quoniam nusquam comparebat. quae audiens Appuleius in asinum transformatus, secum querebatur et medullitus ingemebat, quod pro insonte sons, pro innocente nocentissimus haberetur, nec causam suam agere posset. Inseruntur narratiunculae festivae: agasonis improbitas, et foemineae fraudes graphice describuntur.

Pag. 448. INDICERE.] Corrige *indicem*. ut dicat, servum Appuleii fuisse coniectum in carcerem, tanquam indicem demonstratoremque futurum scelerum ab hero Appuleio perpetratorum.

Pag. 449. QUI RERUM.] Emendo *reum:* ut dicat, missos esse in patriam Appuleii, qui reum, hoc est, nocentem Appuleium quaererent, deposcerentque ad poenam.

Pag. 451. QUANQUAM.] Legi potest, *quam:* ut intelligas, quam scilicet fortunam non puduit fecisse me conservum cum equo meo, et coniugem, id est, coniunctum copulatumque, et in eadem conditione coniugatum. M. Cato *myrtum coniugulum* appellat, intelligi volens coniugalem, a coniugiis quibus praeest Venus, cuius tutelae myrtus dicata est. unde Venerem modo Myrteam, modo Murtiam vocant.

Pag. 453. INVITOS.] Ad latrocinium exercendum inviti metu compelluntur, volentes praemio invitantur: nec parum multi reperiuntur, qui malunt in collegio latronum tyrannica potestate dominari, quam in vita privata humiliter degere, atque serviliter.

Pag. 454. ET STATU PROCERUM.] Statura corporis et proceritate grandissimum. Proceritatem tyronum, inquit Vegetius, ad victoriam scio semper exactam: ita ut senos pedes, vel certe quinos et denas uncias habere probarentur. Verum non tam staturae ratio habenda est, quam virium: quod et Homeri suadet auctoritas, qui Tydeum corpore quidem parvum, sed armis fortissimum fuisse significat. *Statum* autem pro statura dixit, sicut tonsum pro tonsura. Alias *status* consistitio dicitur, a stando videlicet. inde *basilicus status* Plauto, pro regius magnificusque consistendi modus. Apud eundem illud proverbiale: *In statu stat senex:* pro eo quod est, in procinctu est, et stat paratus. De statu oratorio, quae res Graece dicitur στάσις, et alio nomine *constitutio*, et de statu Reip. et privatae nihil notius. Scio tibi familiarem esse, ex crebra lectione, libellum meum de Optimo statu.

Pag. 455. MORTE MELIOREM.] Mortem scriptores bonam appellant, quoniam finis est aerumnarum, et requies malorum: ut M. Cicero latissime explicat in Tusculanis quaestionibus. Inde a poëtis dicitur mors bona. Valerius Flaccus: — *misere parentum Mors bona:* et, ut inquit Plinius noster, *ex omnibus bonis quae homini tribuit natura, nullum melius tempestiva morte.* praeterea *mors bona* ex eo dici potest, quod neminem fallit, neminem praeterit, nec huic magis quam illi gratificatur, sed aequa lance cunctos tollit.

Ibid. AMISSI.] Lego *amisi*, hoc est, perdidi: ut verbum sit, non participium.

Ibid. PRAETEREUNTE ME ORATO.] Castigatior lectio est, *praetereuntem coram:* ut dicat latro Hemus, se coram aggressum esse praetereuntem principis procuratorem, unde sibi prima mali labes extiterit.

Pag. 457. SUMPTIS.] Corrigo *spretis.* sequitur enim, *Atque contemptis.*

Pag. 458. INTERIBIT.] Lego *interiit:* significat enim, confestim interiisse et extinctum esse collegium latronum, ubi id iussit Caesar. nam de principe illud Psalmographi dici potest: *Ipse dixit, et facta sunt.* et ut scriptum legimus in libro Esdrae: *Si rex dixerit: Exterminate, exterminant: plantate, plantant: et omnes Virtutes eum obaudiunt.*

Pag. 459. FLOCCIDOS.] A floccis, qui eminent in panno, dicti *Sinus floccidi.* Cornel. Celsus, inter signa aegroti mortifera esse dicit, si floccos colligit. et de floccis in hoc significatu crebra est mentio apud Plinium, et caeteros. Quidam corrigunt *flaccidos*, quasi languentes et

fluxas atque laxas vestes intelligi voluerit. *flaccere* enim est languere. Inde in Apologia scriptum est: *Oratio rebus flaccet strepitu viget.* inde et cognomina Flaccorum, quorum scilicet aures essent flaccidae.

Ibid. ABUNDANTE.] Quid si legas *Undante?* dicimus enim eleganter *vestes undantes*, quae instar undarum fluctuant et undantur. Alia nimirum intelligitur vestis illa quam Cymatilem ab undis et fluctibus dicunt, quae κύματα nominantur: cuius meminit Plautus in Epidico. Namque Cymatilis vestis ex eo nomen accepit, quod fluctuum similis sit, et textura ipsa fluctus et undas imitetur: qualia hodieque vestimenta symbolata vulgo nominitant. De hac cymatili veste Ovidium intellexisse arbitror, cum ait: *Haec imitata, undas nomen quoque traxit ab undis.* Quidam intellectum carminis Ovidiani ad caeruleum vestimentum referunt, qui color est undarum.

Pag. 460. INCERTUS.] Qui ignorabar, delitescens sub habitu cultuque foemineo. Purior lectio est, *Insertus.* nam qui induit vestimenta muliebria, quasi inseritur et transfiguratur in alterum sexum. Lex Iudaica, ut in Deuteronomio scriptum legimus, praecipit, ne mulier induatur veste virili, nec vir utatur veste foeminea. Probrosum enim id est, nisi quis ea causa indueret, qua Euclides factitavit: qui, ut scriptores annotavere, sub noctem, priusquam advesperasceret, tunica longa muliebri indutus, et pallio versicolore amictus, ad Socratem e domo sua clam contra decretum Atheniensium commeabat, ut sermonum doctrinaeque Socraticae fieret vel tantillo tempusculo particeps; rursusque sub lucem milia passuum paulo amplius viginti, eadem veste illa intectus, domum redibat. Sensus est: Indutus cultu vestituque foemineo, et ita hoc astu ignotus evasi. Legimus apud historicos, Volusium a triumviris proscriptum, assumpto habitu sacerdotali per itinera viasque publicas stipem emendicantem, hac fallacia salutem quaesivisse.

Ibid. PER MEDIAS.] Lego, *per medias acies.*

Pag. 461. DIVITE.] Repugnantia sunt *centuculus* et *dives*, cum *centuculus* proprie pannosorum sit, et sordidulorum. Sed nunc ex causa scitissime *divitem centuculum* cognominat, quasi divitiis fartum: ex quo scilicet, diloricatis pannulis profuderat duo millia aureorum.

Pag. 464. LATRONUM FISCI ADVOCATUS.] Allusio ad fisci principis advocatum. *Fiscus* autem, ut in commentariis Suetonii diligenter annotavimus, proprie ad principem pertinet, aerarium vero ad rempublicam. De iure fisci titulus est apud iurisconsultos, et apud eosdem de advocato fisci, scribit Ulpianus: *Fiscus alicui status controversiam faciat, quod fisci advocatus adesse debet. quod si sine fisci advocato pronunciatum sit, Divus Marcus rescripsit, nihil esse actum.* Sicut ergo *fiscus principis* et *advocatus fisci* dicitur, ita nunc *advocatum fisci latronum* festiviter nec inscienter appellat. Illud Satyrographi: *Res fisci est ubicunque natat:* intelligendum plane est de fisco principali, tanquam ad principem pertineret captura piscis generosi.

Pag. 465. RISU LAETISSIMO.] Laetitiam praeferente: quia scilicet illum recognoverat non latronem esse, sed sponsum. quod si legas *latissimo*, exponces pro cachinnabili et lato et spatioso risu, qualis interdum latissime effunditur. Physici dicunt, quod et Lactantius credit, laetitiae affectum in splene esse, intemperantiamque ridendi constare ex lienis magnitudine: verum haec viderit Democritus. *Me*, ut inquit Caesar apud M. Tull. *non pudet nescire, quo pacto risus concitetur, ubi sit, quomodo existat. atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere nequeamus: quae ne ipsi quidem illi sciunt, qui scire se pollicentur.*

Pag. 465. POTAVI.] Corrigo *potatui*, ut conveniat cum dictione illa sacrificatui. est enim sensus: vinum non habemus potatui, hoc est, ad potandum satis copiosum ac sufficiens, ideoque id quaerendum est, assumptis comitibus.

Pag. 466. SATULE.] Abundanter et copiose, quasi a satis dictione deducta. Quid si legas *scitule?* quasi iucunda omnia, scitique saporis apposita esse significet?

Pag. 468. DE ALIENO CORIO.] Proverbiale est, quod significat, quasi tu dicas, alieno, non tuo periculo ludis: ut corium meum, et cutis, propter ludum tuum lancinetur: ex libidine tua periclitabor, impudicitia tua mihi magno constabit. Metaphora sumpta ab his lusoribus, qui ludunt aliena pecunia, quorum alea fit cum aliena iactura. Potes hoc quoque referre ad nummos, qui olim ex corio fiebant. et Numa Pompilius, ut scriptores annotaverunt, in congiario dedit asses scorteos: sic enim nominantur nummi ex corio facti. Hinc illud Hieronymi: *De thesauris tuis ne scorteum quidem nummum proferre possis.* Donatus quoque in commentariis Virgilianis, pecuniam autumat ex corio bubulo priscis temporibus fuisse, et inde dictam pecuniam, quod ex pecore fieret. Placet simpliciter exponas, ut *ludis de alieno corio* dictum sit propter asini pellem: sicut dicimus, ludis de alieno auro, quando quispiam non suam, sed alienam pecuniam ludit in foro aleatorio: ex quo fit, ut qui ludit, impune ludat, citra sollicitudinem, altero, cuius pecunia luditur, anxio et periclitante. Apud Plaut. *Concidere corium* est, lacerare flagris tergum et pellem hominis vapulantis: et ita est exponendum. cui subscribit illud Senecae, scribentis in Suasoriis: *Quod filius M. Tullii flagra protinus et afferri iussit, et Ciceroni patri de corio Celestii satisfecit.*

[Ni-

[Nihil hic invenio quod ad Tlepolemum pertinet: licet Beroaldum h. l. citet Oud. p. 468. — I. B.]

Pag. 468. IAM CARIUS.] Lege *clarius:* id est, clariore voce, et subaltiore.

Ibid. QUIEVERE MORTUI.] Obelo expungendum hoc est, tanquam subdititium, et alieno loco inculcatum; nec enim convenit exponere, operantes Veneri iacuerunt quasi mortui, atque animam anhelantes: nec ad latrones referri congruenter potest, quod tanquam mortui quieverint, obruti vino, et crapula consepulti.

Pag. 471. EXIMEUM.] Lego *exin me suum.*

Ibid. CURRITABAT.] Corrigendum est, *quaeritabat:* ut sit sensus, Sponsa illa captitia me tunc maxime quaerebat, utpote ipsius sospitatorem. Vel lege *quiritabat*, quod est clamabat, vocitabatque, et de me plurimum sermocinabatur. nam proprie *quiritare* is dicitur, qui quiritum fidem clamans implorat: ut docet M. Varro. *Quiritari*, inquit Donatus, *veteres dicebant*, *quirites conclamari.* In hanc sententiam Lucianus: πολὺν λόγον εἶχεν ἐμοῦ συναιχμαλώτου: id est, de me concaptivo multum fabulata est.

Pag. 474. SUBIUGUM.] Iunctim et prima acuta lego, ut sit dictione unica *subiugus* eleganter dictus, qui sub iugum mittitur, qui Graece dicitur ὑποζύγιος.

Ibid. HORDEUM FRICTUM.] Ex Luciano, qui ait: καὶ τὰς μὲν κριθὰς τοὐμὸν ἄριστον Φρύγουσα quod significat prandium fuisse hordeum frictum. Φρυγέω enim est sicco, et frigo. Plautus dixit *cicer frictum*, intelligi volens rem vilissimam. Quidam legunt *fractum*, referentes ad molam, qua cicer molitur, quassatur, infringitur: unde et *faba fressa.* sequitur enim: *Et sub eadem mola meis quassatum ambagibus.* Graeci hordeum appellant κριθὴν inde tuberculum oculorum a Graecis *crithe* nominatur, a similitudine videlicet hordei, cuius et Cor. Celsus meminit in 7.

Pag. 475. FURFURES INCRETOS.] Accipe *incretos*, permixtos, non purgatos, neque excretos. sequitur enim, *Sordidos.* sic Horat. in Sermon. *Incretum puris circumposuisse catillis.* Ubi exponunt commentatores, *incretum*, permixtum, vel *incretos* expone pro cribratos, quae scilicet elegantior scitiorque expositio est. *Incernere* enim et *succernere*, est cribris et excussoriis repurgare. M. Cato, *cum semen serito*, *cribro tanquam linum*, *et eo terram*, *cribro incernito altam digitum transversum.* Plin. in 18. *Farinario cribro succernunt.* inde *incerniculum* cribri genus vocant, de quo Plin. in 8. *Ne frumentarii negociatores ab incerniculis arcerent.* item M. Cato iubet, in supellectile villatica habendum esse *incerniculum* unum. *Furfures* autem *increti*, hoc est, cribrati, haud dubie deteriores vilioresque sunt, cum farina sequestrata sit ac separata. Lucianus. ἐμοὶ δὲ πίτυρα ἄριστον ἦν: id est, *mihi furfur prandium erat.* Graeci πίτυραν vocant furfurem, unde furfurei panes *pityrii* dicti: quorum mentio fit a Galeno in 1. de aliment. *Rustici veteres* (auctore Gellio) *apludam dixere furfurem frumenti*, *sicut flores vini faecem.* Hinc illud, in esitantem furfureum panem, et vinum foetidum potantem: *Apludam edit*, *floces bibit.* Plin. vero tradit, purgamenta milii et panici *apludam* nominari. Inter vitia corporis foeda sunt et furfures, quorum mentio apud Plin. frequens. *canicas* appellant furfures de farre: a cibo canum.

Ibid. FORTIBUS FA. ADO.] Proverbiale est, de hominibus qui domi, foris, in urbe, extra urbem, forti animo et subnixo labores aerumnosos toleraverunt, qui fortibus factis adoriam laudemque consequuntur, qui gloriantur fortunae cruciatibus sese haud quaquam succubuisse. *Adoriam* veteres dicunt laudem, sive gloriam: quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret, quod *ador* nominatur. Plin. in duodevigesimo: *Gloriam denique ipsam a farris honore adoriam appellabant.* Horatiani vero interpretes exponentes illud Flacci: *Qui primus alma risit adoria:* tradunt, *adoriam* dici laudem bellicam, ex eo quod adorandi sint qui laudem ex bello reportant.

Ibid. SERIUS AUSCULTATOR.] Serium auscultatorem nuncupamus, qui serio, diligenter, sedulo audit mandata domini, et ea naviter exequitur. Sed hic quidem malim legere *serus* quam *serius*, tanquam subindignanter dixerit *Serius*, hoc est, tardus, lentus et cunctator: qui non statim mandatum dominicum peregit, sed sero et cunctanter id tandem impleverit. M. Cato duo haec verba *Audire* et *Auscultare*, ita disparasse videtur atque disiunxisse, ut *audire* sit negligentis, et eius qui minime obsequi velit: *auscultare* vero attendentis, et auditioni obtemperantis. Verba Catonis subscripsi, quae sunt haec: *Ita est cupidus orationis*, *ut conducat qui auscultet: itaque auditis*, *non auscultatis tamquam pharmacopolam. nam eius verba audiuntur*, *verum ei se nemo committat*, *si aeger est.*

Pag. 477. ADULTERIO DEGEMERI.] Scribendum est *degeneri.* nam coitus asini cum equa invisus infestusque est equo generoso, tanquam degener et vilis. nec enim videtur esse decorum, quod asellus vilis et vulgaris velit inscendere equas praestantiores, quarum mariti sunt equi, et non asini. ipsae quoque equae dicuntur fastidire asellum subactorem et adulterum: idcirco, teste Plinio, praecipiunt equarum iubas tonderi, ut asinorum in coitu patiantur humilitatem; comantes enim gloria superbire.

Ibid. REMULSIS AURIBUS.] Quidam codices manuscripti habent *remissis.* Natura generosissimo cuique animalium notas animi peculiares tribuit,

buit: cauda leonum index est: in equis vero et omnium iumentorum genere indicia animi aures praeferunt: fessis marcidae, nutantes pavidis, subrectae furentibus, resolutae aegris. Ex hac Pliniana sententia *aures remulsas* accipio, non tam resolutas et remissas, quam subrectas, et quasi retro ac sursum reclinatas. Antiqui *remissum* dicunt, quasi repandum. Quidam legunt *remissis*, sensu manifestario.

Pag. 478. CADENTIUM.] Lego *candentium*, hoc est, albicantium dentium: nam decidui dentes, signum sunt senectutis et invalentiae. Dentes in caeteris senecta rubescunt; equo tantum candidiores fiunt. Senectus in equis intelligitur dentium *brochitate* sive *bruncitate:* hoc est, praeminentia. *brochi* enim dentes, sive *brunci*, dicuntur prominuli. Hoc transeunter dictum sit, ut intelligas dictiones, quibus Plinius, Varro, Lucilius, et caeteri utuntur.

Pag. 479. OMNIBUS DETERRIMUS.] Attende loquutionem inusitatam, neque ex regula Grammatices, quae praecipit superlativa iungi debere cum genitivo: ut dicatur, *omnium deterrimus*, *omnium pessimus*. Archaismos figura est: sic enim veteres loquebantur, quibus mutatio casuum erat frequens, et quasi peculiaris. Illud Ciceronis non absimile videtur: *Simillimum Deo iudico.* quod tamen (ut docet Priscianus) significat valde simile. hoc autem totum transtulit ex Luciano, qui ait: *εἰς τὸ ὄρος ἄνω ἐπεμπόμην, καὶ ξύλα τοῖς ὤμοις ἐκόμιζον*: id est, *in montem superiorem mittebar, ad ligna humeris deferenda* De puero quoque quem deterrimum pessimumque mortalium Appuleius appellat, Lucianus Graece inquit: *ὀνηλάτην παιδάριον ἀκάθαρτον*: id est, *Asinarium puerulum impurissimum.*

Ibid. SAXEAS SUDES.] Ut sudes ligneae ustulatae vicem telorum implent, et perforant: sic et saxa acuta, quae *sudes saxeae* dicuntur, ungulas asini comminuebant, conterebantque. et id facilius contingebat, propterea quod soleis ferreis minime erat calciatus. Lucianus: *ἀνυπόδετος ὄρει ἐν λιθίνῳ*: id est, *in monte saxeo eram sine calciatu.* Iumentorum autem calciamenta sunt soleae ferreae.

Ibid. CONTURBAM.] Corrige *conterebam.*

Pag. 482. COMPILABAT.] Pilos pervellebat: signat enim ita se fustuario caesum, ut nec pilus in toto corpore relinqueretur. Namque *compilare* (ut auctor est Asconius Pedianus) est ita pervellere et furari, ut ne pilos quidem in corpore *compilatores* relinquant. Ex eodem fonte illa quoque verba sunt *suppilare*, et *expilare*. hinc *compilare* dicitur scriptor, qui aliena furatur, et in unum quasi corpus redigit. *compilare* enim, auctore Festo, est cogere. Ambrosius dictus est a Hieronymo *compilasse* hexameron Origenis: quoniam videlicet, quae ab Origene dicta fuerant Graeca lingua, hic furtim in librum suum transtulit, Latine compositum; et quod ille fusius tradiderat, et uberius, hic succinctius retulit, et astrictius. Virgilius *compilator* Homeri dictus est ab aemulis, quoniam versus Homericos ad verbum pene transferebat, ex alienisque racemis vindemiam sibi faciebat: quod ille respondit magnarum esse virium, clavam Herculis extorquere de manu. Auctores veteris bibliothecae mutuo se *compilaverunt*, ut inquit Macrobius. Lucianus in hanc sententiam: *ἀλλὰ ἄνωθεν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς καὶ τῶν ὤτων ἀρξάμενος συνέκοπτέ με τῷ ξύλῳ, ἕως ἐπεγείρωσί με αἱ πληγαί*: id est, *superne incipiens a capite et auribus, fuste me concidebat usque dum me plagae ipsae excitarent.*

Ibid. CEDIT.] Purior lectio est *caedens:* hoc est, feriens, ac percutiens.

Pag. 487. AVERSA VENERE.] Concubitum puerilem, et obscoenum atque praeposterum, eleganter *aversam Venerem* appellat. Iulius Capitolinus in vita Albini imperatoris: *Mulierarius*, inquit, *fuit inter primos amatores, aversae Veneris semper ignarus.* M. Cato in hominem muliebria patientem: *Adversus*, inquit, *et aversus impudicus es.* Praepostera quoque et postica libido nuncupatur *aversa Venus*, de qua dixit Plinius severiter et sancte: *In hominum genere maribus diverticula Veneris excogitata, omnia scelera naturae, foeminis vero abortus: quantum in hac parte multo nocentiores quam ferae sumus?* Quicunque horoscopum habuerit in quarta parte Capricorni praeposteris libidinum amoribus mulieres persequetur, ut hoc Maternus in septimo. item ille cum uxore sua impuro coitu miscetur, in cuius horoscopo Iupiter et Mercurius positi fuerint in occasu, et eos Saturnus diametra radiatione percutiat. Coitum aversum esse elephantis, camelis, tigribus, leoni, cuniculis tradunt, quibus aversa sunt genitalia.

Pag. 488. IN CORAM OMNIUM.] Archaismos, pro coram omnibus. Terentius: *Vereor te in coram laudare.* Sic et infra in 10. dixit: *Iuniorem in coram fui funerari videbat.*

Ibid. COMPAVIDA.] Pavescens, tremiscensque. Romani codices habent *compavita*, quod non displicet; ut *compavita* significetur complanata, compressa, conculcata ab asino: sicut pavimenta paviendo coaequantur, et pistatione solidantur.

Pag. 489. HEMUS TU.] Lego, *Heus tu*, ut vox sit vocantis, inclamantisque puerum.

Ibid. AFFIRMATUM CINERIS INSPERSUM.] Sic emendo, *offernatum cineris inspersu* ut sit sensus, Dominis reportabimus asini corium offernatum, hoc est, purgatum, induratum, concinnatum, inspersum inspergine cinerulenta.

Pag. 490. NULLO MODO.] Legendum est, *ul-*

lo modo: aut duae negativae particulae unius significantiam habebunt, ex ritu scilicet, et consuetudine priscae loquutionis. M. Varro: *Non modo ignorasse me clamat, sed omnino omnis heroas negat nescisse.*

Ibid. DETESTATIONE.] Quidam corrigunt *desecatione*, pro exsectione genitalium, amputationeque virilitatis. Mihi oppido quam placet ut legas *Detestatione*, quod vocabulum novum mire congruit novatori opificique verborum Appuleio. Itaque eleganter *detestatio* significatur testium abscisio, emasculatioque, a testibus videlicet, hoc est, testiculis formata dictione. Aliis *detestatio* dicitur denunciatio, facta contestatione, ut docet Ulpianus. Alias ponitur pro execratione. *Apocopi* eleganti vocabulo dicuntur a Iulio Materno, castrati: quasi abscisci, amputata virilitate. Castratorum quoque illa nomina sunt, *eunuchi*, *spadones*, *thlibiae* et *thlasiae*. priora vocabula omnibus nota: posteriora pluribus ignota, a me explicantur in commentariis Tranquilli, et corriguntur in libris iurisconsultorum.

Pag. 491. NISI VOLENTIBUS.] Per anastrophen expone: id est, si vobis volentibus persuadeo.

Ibid. DISSITIS FEMORIB.] Disclusis, divaricatis, diductis. *Dissitum* media correpta dicimus, distans, remotum, disclusum. E contrario *adsitum*, adiunctum ac propinquum. *Dissitum*, quasi procul situm: *adsitum*, iuxta situm. In Floridis haec duo veluti inter se contraria opposuit atque disparavit, sic scribens: *Homines neque longule dissita, neque proxime adsita possumus cernere.* Agretius Grammaticus *adsitum* dixit esse, cui aliquid ut sustineat adiungitur, citatque Horatii testimonium ex Epistolis: — *qua populis adsita certis Limitibus.* tanquam populus arbor ab Horatio adsita nuncupetur, quia vitibus maritatur. Ego vero ab Agretio dissentiens, ita interpretor, ut *populus adsita* dicatur ab Horatio, arbor sita positaque iuxta certos limites, ad iurgia inter conterminos dirimenda: quales hodieque in limitibus agrorum conspiciuntur. et ita *Adsita* simpliciter accipietur pro opposita ad limites agrorum, et fines, sive maritata sit vitibus, sive caelebs: immo fere semper in collimitio agrorum sunt arbores incultae, minimeque frugiferae. Qui sumpserit in manum novissimam Horatii epistolam, eamque accurate perlegerit, is haud dubie cognoscet, interpretamentum hoc nostrum cum Horatiana sententia ad amussim convenire; illud autem Agretii affectatum esse nimis et praestigiosum. Igitur ut ad rem redeamus, femora discluduntur, disseparantur, disiunguntur, et (ut dixit Appuleius) dissita fiunt in asino, quem ferramentis castratoriis velis excastrare, et abscindere virilitatem.

Pag. 492. EXTUNC.] Ex illa hora, et temporis momento: sicut *exnunc* dicitur, pro ex hoc tempore et hora. Quidam codices habent *Extremae*, extrema autem poena mortis est: et, ut inquit Celsus iurisconsultus, *ultimum supplicium solam mortem interpretamur.*

Ibid. PARITURUM.] Lego *periturum:* hoc est, moriturum.

Pag. 493. RECEDERE] ut inquit Festus, est reclinare: *excellere* vero, in altum tollere. Livius in 24. *Ferrea manus cum iniecta prorae esset, gravique libramento plumbi recelleret ad Solem suspensa, prora navim in puppi statuebat.* Sensus Appuleii est: Visa, inquit, ursa vasta et formidanda, omnibus viribus nervisque contendi effugere imminens periculum: ita poplites pedum posteriorum coepi retrahere, reclinare, retroducere, ut ita rupto loro quo alligabar, saluti fuga consulerem. ab hoc verbo *Recello*, Plautina dictione, epitheto meretricario *recellicluniae* nominantur meretrices, quod scilicet in concubitu recellant clunes et nates torqueant, ut concinnior fiat venereus coitus. Sed in omnibus fere Plauti codicibus leges, non *recelliclunias*, sed *reliquias alicarias*, in Penulo. *Relicinus* vero *coma* significatur, viduatus coma, capillitioque depopulatus: a relinquo dictus, non a recello. Itidem frons *relicina*, aperta capillis dimotis, a relinquendo deducta dictione. Nescio an satis decenter dici possit *relicina coma:* sed *homo relicinus coma*, quasi relictus a capillis: et *frons relicina*, quae capillitio velata non sit, recte et eleganter dicitur. Frontem in Alexandro magno *relicinam* fuisse, laudat Appuleius in Floridis: quae scilicet lata, aperta, spectabilis, et a capillorum tegumento libera viseretur.

Ibid. OBUMBRANS.] Lego, *obverberans:* hoc est, verberibus et fustibus caedens.

Pag. 495. DOMINI.] Lego *deûm* pro *deorum:* est enim exclamatio usitatissima, *Proh deûm atque hominum fidem.* de qua M. Tullius in Oratore: *Nam proh deûm atque hominum fidem, pro deorum aiunt.* hic *fides* accipitur pro auxilio, ut apud comicos frequenter.

Pag. 496. LIGNUM EGERERE.] Ligna exportare, educere.

Pag. 499. MISERIAE.] Purior sensus est, si verbum sit *Miseret.*

Ibid. CIRCA NO.] Legi potest, *contra noxiam.*

Pag. 501. AFFIRMARI.] Melius *offirmari:* pro eo quod est occludi, obturari, obserari. indicat perticam illam vicem implevisse claustrorum et repagulorum.

Pag. 502. CERTUM.] Legendum est *Caeterum.*

LIBER OCTAVUS.

ARGUMENTUM.

Hoc volumine nex mariti Charites miseranda, exoculatio amatoris Thrasylli facta per Charitem, ultronea puellae mors explicantur. Mutatio domini, enarratio sacerdotum deae Syriae luculenta, et illorum spurcissimae libidines, flagra, dissectionesque membrorum, fraudes ac decipula detecta continentur.

Pag. 506. CHARITIS.] Emendo, *chartis:* ut sit sensus, se cuncta velle referre, ut historici possint chartis et libris ista conscribere. Occulte denotat semetipsum, a quo haec chartis involvuntur, et historico stylo conscripta posteris produntur.

Ibid. EQUO CLARUS.] Equitem, equestrique claritudine nobilem fuisse significat. Quidam codices habent, *loco clarus:* ut loci conditione splendidum fuisse demonstret.

Pag. 507. ID GENUS.] Eius generis, scilicet procorum. vetus et perinde elegans locutio, *id genus*, *hoc genus*, pro huius generis, et illius generis. hac locutione scatent volumina eruditorum.

Pag. 508. IN MANUM VENERAT.] Id est, denupserat Lepolemo, eiusque uxor facta erat. Quod autem ait, *in manum convenerat*, usus est verbo nuptiali, ex ritu scilicet consuetudineque priscorum. et ut id quod dicitur planius fiat, scito duobus modis uxorem haberi solitam, usu et coëmptione. Nam confarreatio, de qua suo loco dicetur, solis pontificibus conveniebat. quae in manum per coëmptionem convenerant, eae matresfamiliâs vocabantur: quae autem usu, nequaquam. Coëmptio certis solennitatibus peragebatur, et sese in coëmendo invicem interrogabant, vir ita: An mulier sibi materfamiliâs esse vellet? illa respondebat, velle. Item mulier interrogabat, utrum vir paterfamiliâs esse vellet? ille respondebat, velle. Itaque mulier viri conveniebat in manum, et vocabantur hae nuptiae per coëmptionem, et erat mulier materfamiliâs viro loco filiae. auctor Ulpianus, et post Ulpianum Boëtius in commentariis Topicorum: qui alio quoque loco tradit, quod bona mulieris post eius mortem vir adipiscatur, quae in viri manum convenerit. efficitur enim per in manus conventionem, ut quaecunque sunt mulieris, viri fiant dotis nomine. Hanc solennitatem nuptiarum signavit A. Gellius, cum ait: *Matremfamiliâs appellatam esse eam solam, quae in mariti manum mancipiumque venisset.* Hoc idem denotat Servius Maronianus interpres, scribens in II. commentario: *Matremfamiliâs dici, quae in matrimonio convenit per coëmptionem, per quandam iuris solennitatem.* Triviales magistri et minuti Grammatistae, quorum deus est Servius, legentes haec Serviana annotamenta, hallucinantur atque caecutiunt: apud quos commentator commentatore, interpres eget interprete: qui nostra quoque interdum vellicant, quia scripta non sunt verbis vulgariis, et stylo rubiginoso. De hac coëmptione coniugali, qua uxor in mariti manum conveniebat, intellexit poëta illo versu: *Teque sibi generum Thetis emat omnibus undis.* Hic autem ritus sic peragi solebat. Nubentes asses tris ad maritum venientes ferre solebant, atque unum quem manu tenerent, tanquam emendi causa marito dare; alium, quem in pede haberent, in foco Larium familiarium ponere; tertium, quem in marsupio condidissent, compito vicinali resonare.

Ibid. PERMISCENS.] Planior lectio est, *reminiscens.*

Ibid. SALUTIQUE PRAESENTIA.] Videtur legendum, *salutarique praesentia.*

Pag. 509. ROMAM.] Dictio hoc in loco futilis, et nihil valens, ac intempestiva: pro qua substituito vel *rotam*, vel *foveam:* utrumque enim amori congruit. De rota Cupidinis auctorem habes Plautum, sic scribentem in Cistellaria: *Iactor*, *crucior*, *agitor*, *stimulor. versor in amoris rota miser.* Foveam autem et pedicas et casses dici, quis ignorat? translatione decentissima a feris facta, quae foveis et cassibus capiuntur, irretiunturque. Itidem amantes irretiti lapsique tenentur.

Pag. 511. FURATRINAE CONIUGALIS.] Furtivi concubitus. Martiali *furatrina* eleganti vocabulo, pro furto et re furtiva dicitur, eodem indicatu quo *sutrina*, *moletrina*, *feratrina.* Veteres *moletrinam*, ut id transeunter explanem, dixerunt pro pistrino, a molendo scilicet.

Ibid. SPE, AETATE.] *Spes*, quam Graeci ἐλπίδα vocant, quae sola in terris remansit, ut cecinit Hesiodus, cunctos ferme mortales fovet ac pascit: in primis vero amatores spe aluntur, quae melius cras fore semper ait, ut inquit Tibullus. A Seneca quoque dictum est, *O spes amantum credula.* Itaque *spes* et *aetas* iuvenilis, quae maxima sunt in amore praesidia, Thrasyllo persuaserant, facile effectu fore quod concupiscebat.

Pag. 512. IN CAPREIS VERITATIS EST.] Verba nullo intellectu consistentia sunt, dignaque obeli iugulatione. Itaque illis confossis, expunctisque, ista substitue: *In capreis feritatis.* ut sit sensus purus et lucidus, Lepolemum ivisse venatum, indagaturum quidem feras, sed mitiores, quales sunt capreae, in quibus feritatis minus est, minusque periculi. et hoc faciebat, ut uxori amo-

amorabundae sollicitaeque de coniugis salute obsequeretur. Consimile consilium dat Venus Adonidi suo delicioso, apud Ovidium, monens ut lepores, cervos, capreas, tutaeque animalia praedae securus exagitet, abstineat apris, leonibus, ursis; neque feras quibus arma dedit natura, lacessat. Usitata locutio est, et perinde elegans, si dicas, *Quod in capreis feritatis est:* pro, quae feritas est in capreis. Capreas autem fugaces esse, exarmataeque feritatis, nemo non novit.

Pag. 513. OBSEPTIS CAMPIS.] Circumvallatis saltibus. Tale est illud: — *saltusque indagine cingunt.* Potes legere, *obseptis capreis.* Vestigatores enim in venatu capreas reliquasque feras obsepiunt, et indaginibus in arctum vallant.

Pag. 513. CANES etc.] Est sensus: Canes sagaces ex seminio generoso ad indaginem venaticam comparatae, immittuntur ad feras ex cubilibus latibulisque exagitandas. Nolito autem iunctim legere, *Mandato cubile recidentes:* sed illud *Mandato*, per se seiunctum legas. namque denotat, immissos esse canes sagaces, ex mandato scilicet vestigatorum, ut scilicet invaderent bestias stabulantes in cubili atque latibulo.

Pag. 514. LATRANTIBUS FERUNDIS.] Ita emendo, *Latratibus fervidis.* feruido enim et vehementi latratu utitur canis sagax, post inventam feram.

Pag. 519. PARCITO.] Videtur legi posse *percito* pro commoto, et se moventi: quod ad Lepolemum est referendum. si legas *percitus*, de Thrasyllo erit intelligendum.

Pag. 520. PROSECTA DENTIUM.] Corrigo *prosectu*, ut sit casus dandi: *prosectui*, id est, laniatui et prosectioni. haec enim nomina quarti ordinis casum dativum litera *i* finiunt: ut Lucilius dixit *Anu* et *victu*, pro *anui* et *victui*. Virgilius: — *teque aspectu ne subtrahe nostro*, pro aspectui. et in Georgicis: *Quod neque concubitu indulgent.* Caesar quoque in Anticatone, posuit *dominatu* pro *dominatui*. Sensus est: Fidentius percussit Lepolemum lancea, cuius vulnera credebat futura simillima prosectionibus et laniationibus dentis aprugni.

Ibid. DEFINITO.] Elegantius est *defuncto*.

Pag. 522. QUERITANS.] Saepe conquerens lamentabili voce, et queribunda: a querendo, id est, lamentando inclinatum frequentativum fit *queritans*. Quidam legunt *quiritans*, quasi vociferatione clamans. *Quiritare* enim clamare est, tractum ab his qui Quirites invocant, conclamantque: quod veteres *quiritari* dicebant. Lucilius: *Clare quiritans.* Nigidius: *Clamat quiritatum.* apud Plin. in epistolis anceps scriptura est partim enim legunt, *infantium quiritans*, partim *infantium quiritatus.* utraque lectio satis proba est. *Quiritatus* dicitur querela et vociferatio: *Quiritatus* vero inclamatio, et quasi quiritum imploratio.

Pag. 523. INVITA.] Non libens, coacta et ingratis. Quidam seiunctim legunt, ut duae dictiones sint *in vita:* hoc est, vivere perseveravit.

Pag. 525. EXPLETIS.] Quidam legunt *Exceptis*, quod placet: ut sit sensus, Peractis officiis inferiarum, decrevisse Charitem mori, ne marito superstes viveret.

Pag. 526. ILLAM LENEM.] Sensus est, destinaverat Charite mori inedia, tanquam ea mortis via lenis esset, et placidae quieti consimilis nec telis ullis indigens. *Inedia* autem est septimus casus. Attende, genus mortis lene et otiosum, et placidum videri Appuleio, inedia mori: cum alioqui camoenae Graece canant, οἴκτιστον λιμῷ θανέειν, miserrimum esse fame mori: et, ut scribit Hieremias in Threnis: *Melius est occidi gladio quam fame extabescere.* In Ezechiele quoque legimus: *Sagittae famis mortiferae sunt.* Plautinus parasitus miserrimum esse hominem autumat, qui cum esse cupit, quod edat non habet. Caeterum haec omnia referuntur ad homines qui cupiunt vivere, quibus esuritio videtur malum acerrimum. Sed in homine qui mori omnino decreverit, mors per inediam pedetentim recepta in corpus, minus truculenta sentitur, cum vi nulla adhibita moriatur. Hoc genere mortis petiit Sisigambis Darii mater, quae audita Alexandri magni morte, succumbens dolori, cibo pariter abstinuit. et Lucan. quinto: Postquam mori statuerat die extincta.

Ibid. INCURIA.] Negligentia et illuvie: septimus est casus.

Ibid. CUM LUCE.] *Transigere* verbum est forense, ad creditores et debitores maxime pertinens: quod idem valet, quod componere atque decidere. Debitor transigit cum creditore per decisionem, et ita lis negociumque finitur. Ex hac translatione conceptus sensus elegantissimus a nostro Lucio, qui ait, quod Charite cum luce transegerat: id est, cum vita et luce aetheria deciderat, tanquam debitor cum creditore: ut nihil sibi amplius foret cum luce, ut luci resolveret totum quod debebat: et ita per decisionem transactionemque cum luce factam, transiret ad tenebras. Qui pro sociis transigit, satisdat, neminem postea eorum petiturum, ut auctor est M. Tull. in oratione pro Roscio Comoedo.

Pag. 527. IMAGINES DEFUNCTI.] Imitabatur Laodamiam, quae et ipsa imaginem defuncti Protesilai in larario domestico colebat. Polla quoque Lucani coniunx imaginem mariti habebat in toro, pro solatio et fomento. de quo Papinius in epicedio Lucani: *At solatia vana subministrat vultus, qui simili notatus auro, stratis praenitet incubatque somno.*

Ibid.

Ibid. Affixo servitio.] Appositis mancipiis ad hoc ministerium. vel *affixo servitio* accipe pro cultura diligenti ipsius Charites, in colendo marito: ut *servitium* pro latria posuerit: id est, servitute. est autem *latria*, ut docet August. in 10. ea proprie servitus, quae pertinet ad colendum Deum: unde idololatriam vocant, idolorum servitutem.

Pag. 530. Coenam Thrasylli.] Lego *scenam* pro apparatu et actione involuta: qua dictione in hoc significatu prope peculiariter utitur Appuleius.

Pag. 531. Non licebit.] Nullus, inquit, alius te coniugem appellabit, nulli deinceps licebit uxorem te suam nominare, si memoria pristini amoris nostri infixa medullitus est pectori tuo, atque praecordiis, nam foemina pudica, quae casto amore primum maritum prosequitur, post illius obitum de secundis nuptiis non cogitat: et digamiam reprobans, alterius coniunx dici aspernatur: et merito. illi enim vivit adhuc prior coniunx, eiusque memoria perinde ac viventis refovetur. *Magis se* (ut inquit Divus Hieron.) *unicis applicant foeminae: et nihil aliud nosse, magnum arctioris indulgentiae vinculum est.* Memoratissimum est illud Porciae dictum: quae, cum laudaretur quaedam bene morata, quae secundum habebat maritum, sapientissime respondit: *Foelix et pudica matrona nunquam praeter semel nupsit.* Marcella maior rogata a matre sua, an gauderet se nupsisse: respondit: *Ita valde, ut amplius nolim.* Valeria Messalarum soror, amisso Servio viro, nulli volebat nubere: quae interrogata, cur hoc faceret? ait, *sibi semper maritum Servium vivere.*

Ibid. Casus foedus.] Infortunium crudele ac deforme: et ita non parum multi exponunt, sed falso et perperam. namque legendum est *Casu*, ut sit ordo et sensus: Si charitatis coniugalis foedus interruptum est casu mortis meae, nubito cuicunque voles alteri, modo ne Thrasyllo nubas, percussori meo, et parricidae nefario. Quod si legas *casus foedus*, pro cruenta calamitate, futilis et levis erit sensus, minimeque consistens. Inclinatur autem hoc in loco *foedus foederis*, non *foedus foeda foedum.*

Pag. 536. Sauciantis.] Cuius verba instar iaculorum sauciabant, convulnerabantque aures Charites, et mentem.

Ibid. Inurgere.] Emenda, *ingerere.*

Pag. 540. Dormiens.] Homo dormiens nihil videt nisi in somnis, et per nocturnas visiones, qui exoculatus est, nihil videre potest, nisi in somnis et dormiens. Talem videndi usum Thrasyllo renunciat.

Ibid. Inter ortum.] Lego *orcum*, hoc intellectu: luminibus orbatus erat, incertus et dubius utrum viventibus an defunctis sit annumerandus. Nam nec plene vivus dici potest, cum careat usu oculorum, qui vitam a morte distinguunt: nec plene mortuus, cum ambulet et spiret: sed *inter Orcum*, hoc est, Plutonem, qui Deus est tenebrarum, et Solem, qui Deus est luminis, intermedius, et quasi in meditullio mortis ac vitae collocatus videtur.

Ibid. Libabo.] Potes legere *litabo*, pro eo quod est expiabo, placaboque tali sacrificio.

Pag. 543. Acu crinali.] Ut *crinale aurum*, *crinales vittae* dicuntur, quibus foeminae utuntur ad crines vinciendos: ita *crinalis acus* ad cultum capitis adhibetur, ut in statione sit coma, nec sint sine lege capilli. *Calamistrum* acus est maior, quae calefacta in cinere capillos torquet et ornat: cuius ministri a cinere *cinerarii* et *ciniflones* appellati. A *calamistro* dicti *calamistrati*, et *calamistrata*, quam M. Tul. Gabinio effoemminato adprobavit. Est et *discerniculum* acus matronalis, a *discernendo* dictum, quoniam eo discernitur capillus, et *discrimen* capitis componitur. Ita enim dicitur divortium distinctioque capillicii in fronte. Ovidius *Compositum discrimen erit, discrimina lauda.* Item: *Longa probat facies capitis discrimina puri.* divus Hieronymus hoc discerniculum, quo discrimen ornatur, eleganti scitoque vocabulo *discriminalem acum* appellat, qui scribens contra Ruffinum, quod annotatu cognituque dignum est, sic ait: *Fecerunt hoc et Fulvia in Ciceronem, et Herodias in Ioannem, qui veritatem non poterant audire, et linguam verilo quam discriminali acu confodiebant.*

Ibid. Exoculatum.] Luminibus orbatum, excaecatumque.

Ibid. Nescio.] Casus est dandi, ut exponas *Nescio* scilicet Thrasyllo, pro ignoranti, nescientique, a quo sit hoc passus. Quid si iunctim legas *Dolore nescio*, ut sit septimus casus, et epitheton doloris, atque ita interpreteris, *Dolore nescio*, pro ignorato et latente? Namque apud priscos *nescius* dicitur, tam is qui nescitur, quam qui nescit: sicut et *ignarus*, non tam qui ignorat, quam qui ignoratur. Auctores Gellius, Servius et caeteri. sic Virg. *Pastor agens telis liquitque volatile ferrum Nescius.* ubi *pastor nescius* significatur, qui nescitur et latet.

Pag. 545. Per efflavere.] Corrigendum est, *perflavit*, quod est efflavit, exhalavit animam, tamquam anima sit halitus et spiritus, super quo in primo commentario Tusculanarum copiosissime.

Pag. 546. Corpus ablutum.] Ex ritu priscorum, apud quos cadavera abluebantur, et ungebantur. Ennius:

Tarquinii corpus bona foemina lavit et unxit.

Virgilius quoque vetustum morem expressit illis versibus:

Pars

Pars calidos latices, et ahena undantia flammis Expediunt, corpusque lavant frigentis, et unguunt.
Lavare cadavera proximis concedebatur. Anna Maroniana infit:
— date vulnera lymphis Abluam.

Ibid. IBIDEM.] In eodem sepulchro consepultam una cum marito significat: ut sicut viventes fuerant mutua concordia copulati, ita et defuncti simul quiescerent. Cleopatra cum Antonio in eodem sepulchro concludi voluit.

Pag. 547. FUGERE COMPARANT.] Purior lectio, *fugae se comparant.*

Pag. 549. PROHIBEAM.] Lego *prohibebant*, ut sensus fiat lucidior, nitidiorque.

Ibid. SARCINOSOS.] Praegraves, et carnis sarcina onustos. Ovid. in Priapeis: *Nemo est poëta sarcinosior nostro.*

Pag. 551. ECCE FESTINATIONIS.] Purior lectio est, si legas *Caecae.* Nam bono epitheto *festinatio cacca* nominatur, cum fere semper improvida sit, et caecutiens: quam praeposteram Cyprianus appellat, quam Livius inimicam consiliis esse tradit. et sane multi festinatione periclitantur: e contrario cunctatio nomen est virtutis, quo bono censentur probi imperatores.

Pag. 553. NEQUISQUAM.] Corrige, *nequicquam.* Graeci τὸ αὐτὸ vocant, quando idem bis dicitur, iunctim enim posuit *Nequicquam* et *frustra:* sicut etiam *Ergo igitur* copulat. namque haec repetitio dictionum idem significantium ornat identidem orationem, ut ostendit Gellius in 12. Attamen apud Aristophanem facetissimum comicorum, Euripides Aeschylum insectatur, quod idem bis dicat ἥκω καὶ κατέρχομαι, utrumque enim significat *venio:* sicut μάκτρα καὶ κάρδοπος duo verba sunt idem significantia, hoc est, *arcam panariam.*

Ibid. IUBILATIONIBUS.] Ut *quiritare* urbanorum est, sic *iubilare* rusticorum: auctor M. Varro. Hinc *iubilationes* et *iubila* dicuntur inclamationes, et voces rusticorum. Calpurnius in Bucolicis:
Et tua merentes expectent iubila tauri.
Ecclesiastici scriptores cum vulgo concinunt, a quo *iubilare* accipitur pro exultare, et voce gaudium ostentare. quod Psalmographus prophetes in psalmis Graece habet: ἀλαλάξατε τῷ κυρίῳ, id nostri interpretati sunt, *iubilate Domino.*

Pag. 554. INSCINDERE.] Discindere, dilacerare, divellere. Quidam codices habent *Inscendere*, ut dicat, canes supra iacentes homines inscendisse, insiliisseque.

Pag. 555. RUSTICA.] Emendo *rusticani:* alioqui sensus confunditur, et structura soloecismo claudicat.

Pag. 556. DOMINI FIDEM] Tersior lectio est, *Deum fidem*, pro deorum: usitata enim exclamatio est, ut deorum fidem, hoc est, auxilium imploremus.

Ibid. QUOD.] Lege, *quid.* haec est enim pastoris illius, cuius uxor saxo icta fuerat, vociferatio, per interrogationem miserationemque deprompta.

Pag. 557. PROTELAMUS.] Propulsamus, et longe propellimus: ne scilicet vos de nobis spolia auferatis. Terent. in Phormione. *Ne te iratus suis saevis dictis Protelet.* exponit Donatus *protelet*, protrahat, praeveniat, exagitet. Festus Pompeius: *Protelare*, inquit, *est longe propellere:* ex Graeco videlicet τηλόθι, quod significat *longe.* alii a telorum iactu dici autumant. *Protelare* est prolongare. in Deuteronomio scriptum est: *Protelentur dies vestri:* id est, prolongentur. Nonius plures significatus huius verbi explicat. *Protelum* dicitur a Lucretio tenor, illo versu:
Undique protelo plagarum continuato:
hoc est, tenore.

Pag. 558. MACIDATIS.] Liquoris infusione madentibus. vocabulum infrequens minimeque protritum. Plin. in 32. refert, vulnera fracturas spongiis utilissime foveri, quae vulnerum inflammationibus imponuntur, nunc siccae, nunc ex aceto inspersae: nunc ex vino, nunc ex aqua frigida. ex aqua vero coelesti positae, secta recentia non patiuntur intumescere. Cum *macor* pro *macie* apud priscos accipiatur, quidam *macidatas spongias* interpretati sunt, quasi aqua expressa siccatas, quales imponuntur his morbis, quos vaporari oporteat. Ego secus existimo: ut scilicet *macidatae* dicantur, quasi *madidatae*, hoc est, madore et humoris infusione perfusae ac madidae. *Spongia* enim (ut docet Celsus) *quocunque modo imposita est, dum madet, prodest.*

Pag. 559. INCHOATUM.] Nitidior scitiorque lectio est *incoactum* a cogendo scilicet: ut exponas concretum, coagulatumque. etenim cogitur coagulaturque lac ad caseum figurandum. Dixit Maro: — *et pressi copia lactis:* intelligi volens caseum quem dicimus manu pressum, cuius Columella mentionem facit in 8. In primo commentario enodatus est Ciceronis nodus, de tyrotarichi patina, quod genus obsonii esse diximus, ex caseo salsamentisque confectum. Illud adde, *patellam tyrotaricham* ab Apitio celebrari inter edulia ganeata, quam ex quocunque salso coquendam eam oleo esse dicens inquit: *Exossabis et cerebella et pulpas piscium, iecuscula pullorum, caseum mollem excaldatum, hoec omnia calefacies in patella: teres piper, ligusticum, ad lentum ignem coques: ovis crudis obligabis: cuminum minutum asperges, et inseres.* Notandum, non esse iunctim legendum in his Apitii verbis, *piper ligusticum*, ut male literati legunt, sed seiunctim et seorsum.

Pag. 560. DECEPTO.] Videtur legendum *Decrepito*, ut sit pathos ab aetate senili, quae invalida atque imbecilla est, indigaque alienae opis. *Decrepiti* dicuntur senes, quasi clamosi, a crepitu. nam *crepare* sonare est. clamosos autem et querulos esse senes nullus est qui nesciat. Alii interpretantur, dici quasi in dubio vitae constitutos, a *crepero*, quo significatur anceps et dubium, unde et *crepusculum* dictum lux dubia: et *Crepusci homines* nominati, qui eo tempore erant nati, ut Lucii, qui prima luce.

Pag. 562. IUVENIOR.] Antiqui usurpant *iuvenior* pro *iunior*. Calpurnius: *Sum quoque iuvenior*. Columella de apibus loquens in x: *Illi quidem incommodo, quod iuveniori examini solet accidere*.

Pag. 563. NEC ALIUM LOC. INQUIL. PRAEMITTEBATUR.] Alias, *praeminabatur*.

Pag. 564. MIHI COEPTUM FACINUS.] Purior intellectus est, si legas, *Inibi compertum facinus*. ait enim, narrare se velle facinus memorabile, quod inibi, id est, in eo pago compertum exploratumque habuit.

Ibid. CONSERVAM CONIUGAM.] Praecipit Columella, villico coniugem copulandam esse, quae eum contineat, et in quibusdam rebus adiuvet. ea nec iuvenis esse debet, nec foedi habitus, nec rursus pulcherrimi. nam foeditas villicae fastidiosum, nimia species desidiosum faciet eius contubernalem. eadem a vino, ab escis, a superstitionibus, a somno, a viris remotissima sit. Cato *Villica*, inquit, *ad coenam ne quo eat, neve ambulatrix siet: munda sit, villam conversam mundamque habeat, cibum villico et familiae curet: gallinas multas et ova uti habeat: nuces et poma, et alia quae condi solent, condita habeat*. *Conjugam* accipe pro coniugem, quasi *coniugatam*, copulatamque. Plin. in 8. de aspidibus loquens, sic inquit: *Coniuga ferme vagantur, nec nisi cum compare vita est*.

Pag. 565. INSTRICTA.] Offensa, perculsa, perstricta. Alii legunt *instincta* alii *intricta* pro extimulata, impulsa, exagitata: et sic legere malim, quam *instricta*.

Pag. 566. BURRIEBANT.] Lego *bulliebant*, pro eo quod est scaturiebant, fervebantque.

Pag. 569. SUBSICIVUM.] Apud scriptores modo *subsicivum*, modo *subcisivum* scribi lego indifferenter, eodem significatu et intellectu: nam *subcisiva* dicuntur, quae *subcisa* sunt, et quasi subtracta, a subcidendo dicta. *Subsicivum* vero a *subsecando* inclinari videtur. Plin. Gellius, M. Tull. *subcisiva tempora* eleganter appellant, quasi subtracta, subducta, subsectaque negotiis rebusque necessariis: quae vulgo furto subrepta dicuntur. hic *subsicivum* accipe pro reliquum. et supervacaneum, quasi subsectum ex reliquo grege divendito, sicut in 11. quoque dixit: *Qui subsicivum, quamvis iteratae iam traditioni remansisset*. Lucianus dixit ὕστατον καὶ ἀπολελειμμένον. Lucius noster, *relictum solum et subsicivum*. In 12. commentario Suetonii nostrum super hoc verbo extat annotamentum. Illud adde, apud Nonium Marcellum legi vulgo *subsivum*, cum legendum (mea quidem sententia) sit *subsicivum*, quod significare ait sequens, succedaneum, succedens, tanquam a succedendo inclinatum.

Pag. 570. DOLORE.] Minutulus error, qui emendari potest unius literae immutatione, ut pro *dolore* legas *colore deformem*. color enim maxime spectari solet in venalibus iumentis, ita ut honestate coloris saepe pretiosiora fiant: sicut e contrario, ex coloris malitia repudiantur. Virg. in descriptione equorum, illud celebratissimum prodidit: — *honesti*

Spadices glaucique color deterrimus albis,
Et gilvo —.

Ibid. RUDERARIUM CRIBRUM.] Nihil prorsus contemptibilius, abiectius, despectius in asino dici potuit, quam ut ruderarium cribrum diceretur: quo dicto signatur asinus nulli rei prorsus utilis, nisi ut ex eius corio fiat *cribrum* non frumentarium, sed *ruderarium*, quasi dicat, stercorarium, ad rudera scilicet expurganda accommodatum: quo nihil esse potest vilius. est enim *rudus*, stercus quod raditur. *Rudera* quoque dicuntur purgamenta et quisquiliae cementicii et latericii parietis vetusti et diruti. Palladius interpretatur saxa contusa, quibus pavimenta statuminantur, hoc est, solidantur: quod et Vitruvius refert. De rudere novo et vetusto scripsi copiose in commentariis Suetonii. *Rudetum* appellat Cato, locum ruderis plenum: qui a Plin. *ruderatus* dicitur. Inde fit verbum elegans *Eruderare*, quod est expurgare, defecare, emaculare. Sidon. Apollinaris: *Aures virosa susurronum fece completas eruderat*.

Pag. 571. NON POTUI.] Lege *potui*, ut sit prima persona: de se enim loquens inquit: *Ego fortunam effugere potui, nec placare*.

Pag. 572. CAPPADOCIUM ME.] Qui mancipia vendunt, nationem cuiusque in venditione pronunciare debent: ut inquit Ulpian. Plerumque enim natio servi aut provocat, aut deterret emptorem. Idcirco interest nostra scire nationem. Praesumptum etenim est, quosdam servos bonos esse, qui nationis sunt non infamatae; quosdam malos videri, quia ea natione sunt quae magis infamis est. Nunc itaque praeco ex hac doctrina nationem pronunciat venalis asini, tanquam mancipii; eumque esse ait Cappadocem, tanquam nationis probatae. namque ex Cappadocia regione Asiatica servi utiles et boni venales deportabantur, quos Cappadocas poëtae concinnantes appellitant, Persius, Martialis, et Papinius. Ad hunc intellectum referendus est versus ille Horatianus: *Eget aeris Cappadocum rex*. ubi *rex* Cap-

Cappadocum significatur, non rex Cappadociae (ut ego sentio) sed dominus fabulosus, habensque Cappadocum, id est, mancipiorum legiones in famulitio.

Pag. 574. SANCTUS SABADIUS.] Eundem haberi Solem atque Liberum accepimus, quem Sabadium nuncupantes magnifica religione in Thracia celebrant; ut Alexander scribit: eique Deo in colle aedes dicata est specie rotunda, cuius medium interpatet tectum. Rotunditas aedis monstrat huiusce sideris speciem, summoque tecto lumen admittitur, ut appareat Solem cuncta vertice summo lustrare lucis immissu, et quia eo universa patescunt. Igitur cum dea Syria sit luna, et caetera numina foeminea complectatur: merito illi iungitur Sabadius, qui est Sol et Liber pater, breviterque omnia masculina numina complectitur. Addamus hoc in loco et illud tanquam auctuarium, quod numina quaedam antiqui coluerunt utriusque sexus particulatione pollentia: quos deos Arsenothelys appellant, quasi dicas masculos et foeminas: quo nomine quaedam quoque animalia ab Aristotele nominantur, semet ineuntia. Sabadii dei meminit M. Tullius in libris Legum, eumque ut peregrinum eiectum a civitate Atticorum tradit: etsi mendose *Sabcius* pro *Sabadius* scriptum legitur. In monumentis Graecorum, maximeque apud Suidam, comperio Sabazium dici deum Dionysium, hoc est, Bacchum, ἀπὸ τοῦ σαβάζειν. ita enim barbari dicunt bacchari.

Pag. 575. TUMIDA PARTE DELIGATUM.] Eam partem in asino signat, quae tumore turgida circa collum iumentorum propter vincula tractoria esse solet. Codex manuscriptus habet *tumida spartea:* quae lectio purior est, et probior. ubi *spartea* ponitur pro helcio et vinculo ad trahendum accommodato, dicta a *sparto* ex quo conficitur. *Spartum* autem herba Hiberica est, sive iuncus, quo sutiles naves suebantur: a cuius copia Carthago nova in Hispania *spartaria* cognominatur. hinc *sportae*, quasi *sparteae* dictae. de *Sparto* plura Plin. in 19. idem in 24. dubitat, an genista, quae praestat usum vitilium, sit spartum. Graeci ad funes sparto usi sunt, unde spartea pro fune et vinculo. *Tumida* autem dixit, a crassitudine funis et vinculi spartei.

Pag. 578. COLLATICIA STIPE DEMENSA.] Signat tibicinem redemptum esse pecunia, quam eleganter *Collaticiam* nominat, quia collata fuerat. Sed amphibolon est, utrum collata a choro cinaedorum, an collata a popularibus religioni deae Syriae mancipatis. Proditum est ab historicis, funus Agrippae collatis sextantibus a populo Romano adornatum esse. Talis pecunia eleganter *Collaticia* dici potest. *Demensa* autem accipe pro numerata, soluta. una dictio est. M. Tull. *Ut verba verbis quasi demensa et paria respondebant.* sic et *demensum* dicitur: quo nomine significatur cibarium servorum. nam servi quaternos modios frumenti accipiebant in mense, et id *demensium* dicebatur, sive *dimensum.* Utrum autem a mense, an a metiendo, incertum est. Quidam in duas dictiones distinguunt, ut sit *de mensa*, scilicet numulari: tanquam significet pecuniam de mensarii mensa esse persolutam, quam Graeco vocabulo *trapezan* vocant: unde et *trapezitae* dicti argentarii, mensariique, dictione apud Plautum frequentissima.

Pag. 580. POSSESSORIS BRITINI.] Nomen est proprium rustici opulenti fortassis a Brittia civitate Bithyniae deductum, ut sentit Hermolaus, vir in nostra memoria doctissimus. Lucian. meminit Beriae civitatis Macedoniae, a qua *Beritinus* commode deduci posset. Codex vetustus manuscriptus habet *possessoris beati*, quod placet: ut exponas, eos venisse in villam beati, hoc est, opulenti et divitis possessoris.

Pag. 582. QUA DOMINI PRAESENTIA.] Quidam legunt, *quasi deûm praesentia:* ut sit sensus, Praesentia deorum et numine afflati homines debilitantur, et languore quasi quodam praediti aegrotant: et ita homines non sui dicentur, possessi numine, et spiritu daemonis. alioqui homines non sui dicuntur, qui servi sunt: quales etiam dici possunt sacerdotes, qui se addixerunt religioni.

Pag. 584. SANGUINEM CONSPICERET ASININUM.] Lucianus: ἐγὼ δὲ ταῦτα ὁρῶν τὰ πρῶτα ἔτρεμον ἑστὼς, μήποτε χρεία τῇ θεῷ καὶ ὀνείου αἵματος γένοιτο: id est, *Ego haec cernens in primis timebam, ne asinino sanguine opus esset deae.* Hanc Luciani sententiam paulum devius noster Lucius invertit. Unde fit, ut ita corrigendum esse existimem, ut pro *conspiceret* legas *concupisceret*, et erit sensus: Ego existimavi, ne stomachus deae desideraret sanguinem asininum, sicut solet interdum lac humanum expeti. Dulcissimum est hominis lac (ut inquit Plinius) maximeque alit, mox caprinum. Quidam asininum bibendo liberati sunt podagra, chiragrave. Codex manuscriptus non habet *hominum lactem*, sed *boum lactem:* ut de lacte bubulo intelligas, quod medicatius est, et quo alvus maxime solvitur. *Lactem* autem dixit ex veterum declinatione, apud quos *lactis* et *lacte* recto casu dicebatur.

Pag. 585. PULSAM CARNIFICINAM DEDERE.] Purior lectio est, et sensus lucidior, si legas *pausam carnificinae dedere.* signat enim, post pausam, id est, quietem et cessationem lacerationis et verberationis factam, pecunias collegisse a circumstantibus, quarum extorquendarum causa talia factitaverat. *Pausa* requies dicitur, et cessatio alicuius rei. Dictio vulgaris et vernacula, qua et eruditi quoque usitati sunt. Lucilius:

lius: — *pausam facit ore loquendi.* Q. Claudius in annalibus: *Pugnae facta pausa est.* Lucretius: — *concurrere, nec dare pausam.*

Pag. 586. INFANDIS VIRGINIBUS.] Corrige *inguinibus*, sive *uredinibus*. Dictio illa *virginibus* hoc in loco cassa, futilis, et nugatoria est, nihilque ad intellectum Appuleium pertinens. Quadrat autem, sive, *inguinibus* quod placet, legas, sive *uredinibus*: ut statim subiungit. dicuntur autem *uredines* ardores, pruritus, incentiva libidinum: ab urendo deductum nomen. Lucianus ἔπασχον ἐκ τοῦ κωμήτου ὅσα συνήθη καὶ φίλα τοιούτοις ἀνοσίοις κιναίδοις ἦν: id est, *passi sunt muliebria, quae talibus impuris cinaedis iucunda sunt.*

Pag. 587. PORRO QUIRITES.] Lego *proh quirites*, ut sit vox exclamantis Quirites: sicut dicitur *Proh Iupiter.* vel potius emenda, *ô Quirites*: subsequitur enim auditum esse *O* tantum. Lucianus inquit: ἀναβοῦσαι ὦ Ζεῦ σχέτλιε ἠθέλησα: id est, *Exclamare volui, ô Iupiter infeste.*

Pag. 589. SIMULACHRI TACENTIS.] Mutae statuae. sic Horatius *infantes statuas* eleganter dixit, pro tacentes et mutas. Potes et legere *iacentes*. namque humi iacebat reposita dea Syria, ut dudum dixit. et Luc. inquit χαμαὶ καθημένη: id est, *humi iacens.*

Ibid. DOMINI REFERENS.] Corrigo *dominae reverens*, vel *deum reverens*. erat enim hic (ut inquit) homo religiosus, et reverens deorum, quod religiosi est: vel *reverens dominae*, quasi peculiariter cultor deae Syriae.

Pag. 589. EXERCITUS.] Exercitatus. Corn. Tacitus: *Ipse forma decorus, et armis equisque in patrium nostrumque morem exercitus.* Econtrario *inexercitum* dicimus, inexercitatum et quietum. Macrob. *Ego Disarium nostrum inexercitum non relinquam.* Placet legas *excitus*, pro eo quod est excitatus, commonitusque.

Pag. 590. DOMINI PROVIDENTIA.] Purior lectio est, *Deûm providentia.* pro deorum.

LIBER NONUS.

ARGUMENTUM.

Hic nonus liber continet astum asini, quo lanienam evasit. Sequitur alterum periculum, quo rabiosus creditus, auxilium aquae potus acquisivit. Narratio fabellae de foemina maritum illudente, cuius amator sub specie emptoris in dolio fefellit. Sors captiosa Syriacorum sacerdotum, furtumque deprensum. Descriptio pistorii operis, cui fuit mancipatus. Explicatio fabularum de adulteriis impudicitiaque foeminarum lepidissima. Domini rursus mutatio, a pistore ad hortulanum facta translatione. Dirum familiae infortunium. Hortulani in militem abactorem insultatio: asini occultatio et prospectus.

Pag. 593. ASTUTO COMMENTO.] Hoc meo invento callido et astutulo. *Astutos* callidos dicunt, ab *astu*, id est civitate: quoniam urbici sunt rusticis callidiores, astutiores, vafriores.

Pag. 595. EPHESTIONEM.] Nomen est coquo accommodatum, Graece enim ἥφαιστος dicitur Vulcanus, unde *Ephestiades* insulae dictae Vulcaniae. Ad Vulcani autem violentiam (ut inquit Plautus) apponit coquus edulia. Celebratissimus est Ephestion ille Alexandri amicissimus, quem olim ipse alterum Alexandrum esse dixit: cuius obitu tanto moerore confectus est, ut equos mulosque totonderit, ut urbium pinnas diruerit, ut medicum cruci suffixerit, ut tibias et instrumenta musica id genus diu in castris canere vetuerit: quem in funerando Ephestione decem milia talentûm impendisse, auctores tradunt.

Ibid. HYPATAVIUM.] Potest videri nomen deductum a verbo Graeco ὑπατεύω, quod significat ago consulatum, et excello. Sic ὕπατος consul dicitur et eximius, ut ita cubicularius inter alios primarius significetur.

Pag. 600. SEMIOBRUTUM.] Plin. de cellis vinariis scribens, refert, mitioribus plagis dolia, quae sunt vasa fictilia vinaria, infodi solita terrae tota, aut ad portionem situs, coelumque praeberi. alibi vero impositi, tectis arceri: imbecilla vina demissis in terram doliis servanda, valida expositis. Iurisconsulti quoque de fundo instructo, indicant dolia defodi solita, scribentes: *Instrumento conservando, dolia, licet defossa non sint, accedunt.* Item tit. de contrahenda emptione: *Dolia in horreis defossa, si non sunt nominatim in venditione excepta, horreorum venditioni cessisse videri.* Apud eosdem *doliarium* poni videtur pro dolio vel cella, in qua dolia vinaria sint. sic enim scriptum est: *Si ex doliario pars vini venierit, veluti metretae centum. Doliaria anus* festiviter dicta a Plauto, pro ventrosa et hebetissima.

Pag. 602. E RE NA. FALLACIA.] Dicimus aliquando absolute *e re nata*, ut inquit Donat. dicimus etiam cum adiuncto: ut *e re natum exordium*, dixit Quintil. intelligi volens subito inventum, et ipsa causa repente sumptum. idem alibi gratiora esse tradit, quae inventa subito, nec domo allata, sed inter dicendum *e re ipsa nata* esse videantur. Igitur *e re nata fallacia*, significatur muliebris dolus, ad fallendum maritum subito excogitatus: non domi, non ante com-

compositus, sed ex ipsa re et negotio incontanter expromptus.

Pag. 605. DEDOLABAT.] Subagitabat, expolibat, complanabat, in obscoeno significatu. Fabrorum verbum est, qui dolando incurvati complanant materiarum asperitatem. Imitatus est autem Pomponium poëtam, qui scripsit: *Dolasti uxorem.*

Ibid. MERCEDIBUS SUFFARCINATI.] Pleni, repleti, instructi. dixit Hieronym. *nos suffarcinati auro Christum pauperem sequimur:* et Augustin. ait in lib. de vita Christiana: *Nonne aspicimus, quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissimus.* notissimum est illud Terent. *Video Cantharam suffarcinatam.*

Ibid. PRO CASULIS PLU.] Quae ad plures rusticorum casulas esset accommodata. Quidam codices habent *capsulis*, quod non displicet: ut intelligas, unam sortem ex capsulis loculisque pluribus evocatam, eductamque a sacerdotibus, ut multiplex videretur, quae tamen erat unica. Quid si legas *Casibus*, ut codex manuscriptus habet? ut sit sensus Sacerdotes Syriacos invenisse subtiliter sortem unicam, quae pluribus casibus negotiisque inquirentium conveniret, et mire congrueret.

Ibid. EVOCATA.] Quidam legunt *enotata:* quod quadrat.

Pag. 609. DEFECTI.] Viribus succumbentes in argento ferendo, quidam legunt *iam referti:* hoc est, suffarcinati, plenique.

Ibid. LACUNOSIS INCILI.] *Inciles* fossae dicuntur, quae in viis fiunt, ad aquam deducendam. Cato: *Per hyemem aquam de agro depellere oportet, in monte fossas inciles puras habere oportet.* Dicimus et *incilia* neutro genere. Idem, *incilia aperire, aquam deducere in vias, et segetem curare oportet, uti fluat.* Ulpian. tit. de rivis: *Incile*, inquit, *est locus depressus ad latus fluminum, ex eo dictus, quod incidatur: inciditur enim vel lapis, vel terra, unde primum aqua ex flumine agi possit. Elices* quoque nonnulli vocant sulcos aquarios, quorum meminit Columella: quibus humorem omnem eliciebant, et extra segetes derivabant. *Lacunosum* autem dici profundum, depressum, concavum, constat, a lacunis: quae et ipsae sunt fossae, in quibus collecta aqua stare consuevit, quarum mentio est apud poëtam, sic scribentem: *Unde cavae tepido sudant humore lacunae.*

Pag. 611. PROMERENT POTIUS.] Lego, *ocius:* inclamant enim milites, ut *ocius*, hoc est, cito ac celeriter sacerdotes illi depromerent, proferentque cantharum furto subtractum. Annotandum, *aureum cantharum* dici a Lucio nostro, quam *phialam* dixit Lucian. sic scribens: ἀνάθημα φιάλην χρυσῆν κλέψαντες ὑπὸ τῇ θεῷ ἔφερον: id est, *oblatam phialam auream furantes intra simulachrum deae exportarunt.*

Ibid. AUCTORAMENTUM SCELERIS.] Pignus ac vinculum, quod illos furti alligat; quo in furto deprensi continentur. In 3. Suet. commentario scripsi, *auctoratos* vocari gladiatores, qui se vendunt ludo quasi addicti. Hinc *auctoramentum* pro obligatione sine pretio et mercede, qua *auctoratus* mancipatur. Seneca lib. 4. de Beneficiis: *Hominem viralem venalis animae crebris auctoramentis accendebat.* M. Tull. in 1. Officiorum: *Merces*, inquit, *auctoramentum servitutis est.* cui consimile est illud Appuleianum. Eo enim fere modo dicitur *auctoramentum sceleris*, quo *auctoramentum servitutis.* potest et simpliciter positum videri, pro argumento, indicioque et pignore sceleris illorum ac furti.

Ibid. MATRIS DOMINI.] Lego *matris deorum:* hoc est, Cybeles: quae mater deûm nominitatur.

Ibid. MENDOSO RISU.] Saepe risu facetoque mendacio homines elabuntur ex crimine manifestario, et haec quoque disciplina rhetorica est: ut si obiectum sit turpe aliquid quod negare non queas, responsione ioculari eludas, et rem facias risu magis dignam quam crimine: sicut fecisse Ciceronem proditum est, qui cum inficiari non posset pecuniam se domus emendae causa a Publio Sylla reo accepisse, quam prius se accepisse negaverat: urbano dicto diluit mendacium, et risit satis, dicens, Prudentis et cauti patrisfamilias esse, quod emere velit, empturum se negare, propter competitores emptionis. sic nunc isti impuri sacricolae, in furto manifesto deprensi, doloso risu et astuta cavillatione sacrilegium in religiosum officium converterunt.

Pag. 612. ABLATRANTIS.] More latrantium canum vociferantes. potest et legi *blacterantes:* quod proprium est eorum qui mendacia funditant, et affanias iactant.

Pag. 613. PARITER.] Lege, *per.*

Pag. 619. SUAVE COMPTAM.] Suaviter ornatam. nomen pro adverbio est. Potest congruenter legi *compertam*, ut codex manuscriptus habet.

Pag. 621. CONIUNCTIS.] Legendum est, *confictis:* hoc est, simulatis, ementitisque.

Pag. 622. VELITATAS COENAS.] Legendum videtur *velitatas scenas*, ut distinctione dictionum facta sensus elucescat, ut *velitata* scilicet vetula significetur, quae scenas fraudulentas, hoc est, apparatus dolosos, et decipula fraudulenta construebat in exitium miseri pistoris. nam *scena* in hoc significatu dictio est Appuleio nostro peculiaris.

Pag. 631. INTERDUM.] Purior lectio est, *interim.*

Ibid. BOANTEM DOMINUM.] Sensus est conceptus ex quotidiana loquendi consuetudine. ubi enim a servo decipimur, vel decipi nos credimus, boare solemus, et exclamare dominicam fidem, et iterare: Haeccine est fides quam domino praestat servus? ita nunc dominus boando inclamabat fidem domini, quam fluxam et infidam apud servum fuisse ingemebat. et haec lectio magis placet, quam si legas *Fidem deûm*, pro deorum: quae exclamatio est frequentissima.

Pag. 634. MALAS OBTUNDENS.] Maxillas leviter feriens: nec enim illum, utpote benevolum, ferire inimiciter volebat. *Obtrudere* autem translatum est a fabris, qui saepe repetunt, percutiuntque tundendo aliquid malleo.

Pag. 637. ACCUSORIAM POTIONEM.] Quid est *accusoriam potionem?* num cursim et festinanter allatam intelligimus? an raptim haustam? vel potius legendum, *antecursoriam potionem.* etenim *antecursoria* eleganter dici potest prima potio, quasi praecursoria, et ut vocabulo Graeco utar, *prodromos*, quae coenam antecurrit, anteceditque. Quidam interpretantur *antecursoriam*, quasi praeministram Veneris, et praeviam. vinum enim est libidinis incentivum.

Ibid. CRURUM FRAGIUM.] Aemulatio Plautina: nam sicut ille *lumbifragium* dixit, ita hic noster *crurifragium*, pro fractura lumborum et crurum. Plaut. in Amphitryone: *Nam si me irritassis hodie, lumbifragium hinc auferes a me.*

Pag. 641. REFLANTEM.] Respirantem, reciprocantem.

Pag. 644. POTIUS.] Lego *poni.* sic Plautus: *Pueri mensam apponite.* Horat. *Mensam poni iubet.*

Pag. 645. COENAM.] Lego *scenam:* hoc est, apparatum, tegumentum. Translatio a scena histrionica, quae subductis alveis cuncta demonstrat. In hac locutione frequens est Lucius noster.

Pag. 648. ADULTERORUM FORTISSIMUS.] Non videtur convenire, ut puer delicatus *fortissimus* adulterorum nuncupetur: proinde lego *formosissimus.*

Pag. 649. VETERATRICEM.] Sicut *veterator* dicitur vetus in malicia: ita et *veteratrix* foemina, in astutiis et fraudibus exercitatissima. *Veteratorie* adverbium, significans callide, astute, malitiose: veteratoris est, confidere in mendaciis.

Pag. 650. ARGUMENTAVERIS.] Antiqui pleraque verba active pronunciabant, quae nunc passive dicuntur: ut *auguro* pro *auguror*, *contemplo* pro *contemplor*, *scruto* pro *scrutor:* ita et *argumento* pro *argumentor.* Plautus dixit *arbitrabant*, pro *arbitrabantur.* Maro *populat*, pro *populatur.* Ennius *criminat*, pro *criminatur.* *Argumentari* autem est, argumentis uti ad rem probandam, ut docet Asconius.

Pag. 651. PISTORIS.] Lege *pistori*, ut sit casus dandi: significat enim mulierem illam squallentem et luridam iniecisse manum pistori, eumque se vocasse quasi quaedam secreto colloqui vellet.

Pag. 652. QUA.] Legendum est, *Quae*, scilicet filia: casu recto.

Ibid. AD HAEREDITARIAM ACTIONEM.] Corrige, *auctionem:* significat enim, omnia deducta esse ad venditionem haereditariam, qua scilicet bona ex haereditate provenientia vendi solent. *Actionem* autem dici publicam venditionem, sive subhastationem, notissimum est, ex eo quod ementem augeat, et vendentem, ut interpretatur Fulgentius Placiades. Apud Plautum parasitus in Sticho, *auctionem* facit *parasiticam*, vendens iocos ridiculos, et caetera parasiticae supellectili congruentia. Apud eundem in Menaechmis fit auctio, qua servi supellex, fundi, aedes, omnia veneant.

Pag. 653. VENDITORIBUS.] Septimus est casus. ut exponas, *tradita a venditoribus mercede olerum, hortulanus ad hortum remeabat.* Lucianus planius inquit: καὶ παραδοὺς τοῖς ταῦτα πιπράσκουσιν; id est, *tradens olera emptoribus, agebat me iterum ad hortum.*

Ibid. DESERVIT.] inservit operi rustico intentus. Posses legere *Deserit*, id est, plantat: propter verbum Luciani ἐφύτευε, id est, *Serebat.*

Pag. 661. PASSIBUS.] Purior lectio est, si legas *Passim.*

Pag. 663. LAEVIS MANIBUS.] Signat adolescentes involvisse sinistras vestimento, et quasi obarmasse ad conflictum: quod fieri solet in quotidianis rixis, ut scilicet pro scuto sit pallium circa sinistram involutum. Livius: *inter haec dicta paludamento circa laevum brachium intorto, nam nec scuta quidem secum extulerat, in hostes impetum fecit.* Caesar quoque in Commentariis belli civilis Pompeiani sic refert: *Repentino periculo exterriti, sinistras sagis involvunt, gladiosque distringunt.*

Pag. 667. INFESSO.] Legendum est *insesso*, ut sit sensus: Hortulanus insidens dorso meo per eamdem viam, qua venerat, retro rediit.

Ibid. CONFICIOR.] Corrige, *convicio:* id est, probro: tanquam silentium hortulani pro convicio et maledicto fuerit militi. vel potius lege, *ut coniicio*, id est, ut coniectura opinor: ut sit verbum.

Pag. 668. UBI DUCIS ASINUM ISTUM.] Attende elocutionem inusitatam, *Ubi ducis:* cum ex grammaticali disciplina et norma dicendum fuerit, *Quo ducis.* Verum Lucius noster (ut ego opinor, non minus scite quam festiviter, militem Grammaticae institutionis ignarum inducit mi-

litariter loquentem, praevaricato Grammaticorum decreto, minimeque observantem placita Donatistarum.

Pag. *669*. SIMULANS QUAERERE.] Purior lectio est, si legatur, *Simulansque*, ut sit particula tantum copulativa.

Pag. *674*. UTRIUSQUE.] Legendum est *utrinque secus*, ut sit sensus: contentio crescit violentia ex utraque parte, militum scilicet et hospitis: cum milites asseverarent pro comparato hortulanum et asinum intra aedes delitescere: hospes vero, obstinate pertinaciterque denegaret.

Pag. *675*. DOMINI NUMEN.] Lego *deum numen*, pro deorum. locutio est apud veteres usitatissima.

Ibid. EMERSIS.] Legi potest *emensis:* utraque lectio probabilis.

Pag. *676*. DE MEO PROSPECTU.] Quod scilicet per fenestram prospiciens, me et hortulanum prodidissem. Ex prospectu et umbra Lucianus sic: κἀκτοτε ἐξ ἐμοῦ πρώτου ἦλθεν εἰς ἀνθρώπους ὁ λόγος οὗτος, ἐξ ὄνου παρακύψεως: id est, *tunc primum ex me hic sermo inter homines ortus est ex asini prospectu.*

Ibid. EX ASINI PROSPECTU.] Proverbium hoc, *ex prospectu et umbra asini*, significat, ex re insperata saepe magnas res prodi atque manifestari, adducique in discrimen: sicut ex prospectu asini detectus est et proditus hortulanus delitescens. interpres Luciani proverbium hoc, ἐξ ὄνου παρακύψεως, parum eleganter interpretatur *Ex asino conspecto*. cum fuerit dicendum, *ex asini prospectu*. quod et verba Graeca significant, et docet Lucius noster. apud Graecos celebre est id proverbium ἐξ ὄνου παρακύψεως, de his qui ridicule calumniantur. Ferunt enim asinum fregisse vasa fictilia in figuli officina, per fenestram prospicientem. unde asinus in ius vocatus a domino tabernae, interrogatus cuius criminis insimularetur, dixit ὄνου παρακύψεως, id est, *de asini prospectu*. Alii tradunt, quod asino conspiciente aves evolarunt, disruperuntque telam. quapropter dominus telae asinarium in jus vocavit, qui rogatus: quam ob causam reus fieret? dixit, *Ex asini prospectu:* unde natum est adagium. Sed attende quaeso lector, et nunc mihi totus adesto, quod cum Lucianus tantum dixerit ex prospectu asini natum proverbium, noster addidit, *de prospectu et umbra;* scito non hoc simpliciter intelligendum, propter umbram asini, ad quam unus commilitonum oculos direxit, et ex ea deprendit hortulanum delitescentem: sed ut ego sentio, clanculum et dissimulanter alludit ad proverbium alterum Graecum ὑπὲρ ὄνου σκιᾶς: id est, *de umbra asini*, quo uti solemus de iis, qui desiderant nosse futilia et frivola, minimeque utilia. Cuius meminit Menander in Enchiridio, et Plato, et alii complusculi. Ductum autem est proverbium ex fabula, qua traditur, iuvenem conduxisse mercede asinum, et cum sub umbra asini per meridianum aestum quiescere vellet, exturbatum esse ab asinario, asserente se illi asinum tantum locasse, non umbram. Ex hoc ventum est in iudicium ab utroque. quod cum olim in iudicio causae capitalis coram iudicibus fastidiosis recitasset Demosthenes, et illi mox expergefacti fabellae lepiditate, cuperent noscere quis fuisset exitus rei; subiunxit orator oppido quam tempestiviter et scite: ὑπὲρ ὄνου σκιᾶς ἀκούειν ὦ ἄνδρες ἐπιθυμεῖτε, ἀνθρώπου δὲ κινδυνεύοντος ὑπὲρ ψυχῆς οὐδὲ τῆς φωνῆς ἀνέχεσθε. *ô viri* (inquit) *cupitis de umbra asini? hominis autem pro anima periclitantis defensionem audire non vultis.* Sunt et illa apud eosdem Graecos de asino quoque celebrata proverbia, ὄνος πρὸς αὖλον *asinus ad tibiam:* ὄνος λύρας: *asinus ad lyram:* ὄνος, εἰς εἴχυρα, *asinus in paleas.* Dicitur autem haec paroemia de his qui praeter spem incidunt in bona, illisque voluptarie fruuntur. Celebrant et illud, ὄνον κείρεις, *asinum tondes:* de hominibus inefficacia aggredientibus, asinum enim tondere non possumus. Cui consimile est hoc, ὄνου πόκους ζητεῖς: id est, *asini vellera quaeris.*

LIBER DECIMUS.

ARGUMENTUM.

Hoc decimo libro continetur militis cum asino ad civitatem accessus: facinoris muliebris ob amorem incaestum infandumque luculenta descriptio. Asini duobus fratribus facta venditio, quorum alter pistor erat, alter coquus: mox fratrum, ob asini furtivam rapinam cibariam, dissidium atque contentio. Asini vita genitalis et parasitica sub domino mitiore, eiusdemque cum matrona amorabunda concubitus: foeminae scelestae ad bestias damnatio. Iudicii Paridis editio: asini fuga ex spectaculo.

Pag. *677*. OB EXIMIAM IMPOTENTIAM.] Utrum ob invalentiam et imbelliam, an ob immodicam militaremque potentiam ac insolentiam, ambiguum est. constat enim militem vapulasse, cum ob infirmitatem virium (quibus hortulanus praepollebat) tum ob contumaciam impotentiamque tyrannicam, dum militariter caedem hortulano minitatur.

Pag. *678*. LANCEAM LONGISSIMO HASTILI.] Cum Lucianus hunc in Macedonia militem fuisse

se describat, intelligimus sarissam significari. etenim *sarissa* (ut docet Aelianus in Tacticis) lancea est, qua utitur phalanx Macedonica, longitudine 14. cubitorum. quorum duo manus continent, reliqua 12. prominent: inde *sarissophori* a nostris scriptoribus dicti, qui sarissas gestant.

Pag. 679. DESIGNATUM FACINUS.] Prave et perperam factum. *Designare* est rem novam facere, in utramque partem, et bonam et malam. Prave et recte facta, *designata* apud veteres dicebantur. hic in malam partem ponitur. *Designatores* dicti, qui ludis funebribus praesunt: ob eam causam (ut credit Donatus) quod in ipsis ludis multa fiant nova et spectanda. Terentius in Adelphis: *Modo quid designavit?*

Pag. 680. MENTITUR IN CORPORIS VALETUDINE.] Simulat se languore corporis affectam, cum animi aegritudine tabescat, sic olim Antiochus amore novercae Stratonices captus, cum cupidini saevienti succubuisset, nec ullum remedium tanto malo reperiret; simulans se corporis morbo conflictari, in lecto decubuit: qui mox opera et astu Erasistrati medici revaluit factus voti compos.

Pag. 682. ALTERIUS AGITATA.] Lego, *altius* vel *alternis agitata.*

Pag. 683. STRIATAM FRON.] Rugosam, contractam, subductam, qualis ex tristitia esse solet, quae et *caperata* frons dicitur: et decenter dixit Plaut. *quid huic homini frons caperat severitudine? Striae* sunt canaliculae in columnis, et cava. unde *columnae striatae* dictae. Talibus fulciuntur aedes Bentivolorum magnificentissimae. Quidam strias non ipsos canaliculos dici interpretantur, sed prominentias et extuberationes inter cava et canaliculas columnarum. Vitruvius in 4. *Columnas* (inquit) *striari viginti striis oportet.* Idem *striaturam* appellat descriptionem striatarum columnarum. Igitur translatione venustissima *striatam frontem* posuit Lucius noster, pro tristissima et caperata, in qua rugae aspiciantur instar striarum, quas in columnis efficimus. Rugarum enim et striarum reciproca translatio est. Idem Vitruvius: *Trunco*, inquit, *toto strias, uti stolarum rugas matronali more demiserunt.* Crassitudines striarum eodem auctore faciendae sunt, quantum adiectio in media columna ex descriptione invenietur. *Strigae* vero aliud longe significant. nam (ut Grammatici docent) appellantur ordines rerum inter se iunctim collocatarum, a stringendo dictae. Columella in 2. de foeno loquens, sic refert: *Tunc demum convertemus, et utrunque siccatum coartabimus in strigam, atque in manipulos vinciemus.*

Ibid. UTCUNQUE.] Nitidior lectio est, *utrunque.*

Pag. 684. LACINIA.] Prae pudore cooperuit faciem, ut liberius amorem impudicum, scelestumque profiteretur. Apud Platonem Socrates operit pallio caput orationem quandam parum pudicam habiturus. Apud Gellium Iulianus rhetor capite convelato canit versus poëticos, amasios ac venerios.

Ibid. HABERE.] Corrige, *habes.*

Ibid. NECESSARII FACINORIS.] *Facinus necessarium* vocat, quod cum necessaria persona committitur, et necessitudinis vinculo, copulata: qualis est inter novercam privignumque coniunctio.

Pag. 686. DOTALI SERVO.] *Dotales servi* (ut ex verbo ipso notissimum est) dicuntur, quos uxor cum dote ad maritum attulit. Plaut. in Asinario: *Dotalem servum Sauream uxor tua adduxit, cui plus in manum sit quam tibi.* De servis dotalibus et ancillis mentio fit apud iurisconsultos. et ait Paulus titulo de donationibus: *Si quid in pueros ex ancillis dotalibus natos maritus impenderit, aut in doctrinam, aut in alimenta, non conservatur marito, quia ipse ministeriis eorum utitur: quemadmodum si a praedonibus redemisset servos dotales. recepticium* vero *servum* appellant proprium uxoris, quem sibi recipit ac retinet, neque doti dat. De quo A. Gellius, de quo et M. Cic. loquitur, sic scribens: *ubi irata facta est, servum recepticium sectari atque flagitari virum iubet.*

Pag. 688. MISSO CURSORE.] Inter mancipia sunt et cursores: quod ex lectione iurisconsultorum sat cognitum est. scribit enim Paulus volumine de legatis 3, *quod si alii vernae, alii cursores legati sint, si quidam cursores et vernae sint, cursoribus cedent: semper enim species generi derogat.* Antiquitas celebrat *cursores*, quos *hemerodromos* vocant, qui die uno ingens spatium cursu emetiebantur. Inter quos clarissimus fuit Philonides, Alexandri magni cursor, ex Livio, Plin. Probo, Aemilio, et caeteris.

Ibid. ET HIC.] In hoc, in hac re: Appuleiana eloquutio.

Ibid. PROBROSAE.] Scelus inauditum finxerat scelestissima noverca, videlicet quod privignus seipsam libidine infanda incestare voluisset: quae haud dubie probrosissima est. Consimile quiddam fecit Phaedra, quae insimulavit Hippolytum apud Theseum, quod se comprimere tentasset. Quidam ita exponunt, ut intelligant insimulatum esse privignum fratricidii, ex eo quod fratrem incestare libidine mascula tentaverit, atque praepostera, et quod ille recusaverit. est enim amphibolon illud *Se*, utrum ad novercam an ad fratrem referatur.

Pag. 692. EXEMPLO MARTII IUDICII.] Quidam exponunt *Martium iudicium* pro *Romano*, propterea quod Romani a Marte sunt oriundi; quem patrem Romuli fuisse perhibent, urbis Romae conditorem: sed id parum congruit. Ego *Martii iudicii* nomine intelligo Areopagitas, qui iu-

iudices senatoresque Atheniensium fuerunt: quo consilio (ut inquit M. Tul.) leges Atheniensium et maiorum instituta servantur. Solon primus constituit Areopagitas, hoc est, senatum consiliumque Atticorum. Quidam autumant, ante Solonem fuisse senatum Areopagitarum Athenis constitutum. Sed M. Tull. Plutarch. Divus Augustin. id Soloni attribuunt. Areopagitae silentes iudicabant, ut docet Macrob. in 7. Saturnalium. Hinc illud satyrici poëtae:

Commissumve teges ut curia Martis Athenis.

Areopagus interpretatur curia sive pagus Martis. causa nominis ex iudicio est, quo Mars (qui Graece *Ares* dicitur) cum homicidii reus fieret, iudicantibus duodecim diis in eo pago (ut refert Augustinus in 18.) sex sententiis absolutus est. ubi enim pares sunt sententiae, absolutio damnationi praeponitur. Auctor est Plinius in 7. iudicium capitis in Areopago primum actum esse. Olim Dolabella proconsul Asiae causam veneficii ancipitem et scrupulosam ad Areopagitas, ut ad iudices graviores exercitatioresque reiecit: sicut Valerius Maximus, Gelliusque notificant. Iulius Pollux tradit, in Areopago iudicia caedis et veneficiorum exerceri solita. Significat igitur, exemplo Atticorum, iudiciis Areopagitarum, hanc veneficii causam actitatam esse, ut neque prooemiaretur orator, neque moveret affectus. Hoc autem apud Athenienses fieri solitum, testis est Quintil. qui in secundo scribit, Lacedaemoniorum civitate expulsam eloquentiam, et Athenis quoque, ubi actor movere affectus vetabatur, velut recisam orandi potestatem. Idem in sexto sic inquit: *Id sensisse Atticos credo, quia Athenis affectus movere etiam per praeconem prohibebatur orator.*

Pag. 692. VEXAVERIT.] Lego *invexerit*, pro *invectus sit*. Quidam corrigunt, *vexaverit*.

Pag. 694. TAM AEQUIUS.] Lege, *tam aequus:* id est, tam benevolus.

Ibid. DIXISSE GAUDEO.] Legendum est, *vixisse:* ut tersior sit puriorque intellectus. Sic enim inquit senior decurio: Gaudeo me diu vixisse, cum ex aetate longiore mores meos probaveritis, simque apud vos boni nominis et aestimationis, ut nunc possim auxilio esse iuveni insonti periclitanti.

Pag. 696. FRATER.] Corrigo, *alter:* non potest, inquit, alter accusari de veneno, quod servus comparaverit: ipse enim noxius est, non alius. Vel dic, frater illius defuncti insimulandus non est veneni per servum comparati, sed ipse servus.

Ibid. COMPARAVERIT.] Interrogative legendum.

Pag. 697. MENDACII ARCESSERE.] Id est, accusare de mendacio. *arcessere* accusare est, ut docet Diomedes in primo, quod verbum ab *arceo* nascitur: etenim alium accusare, a maleficiis arcere est. cum genitivo coniungitur: ut apud M. Tullium, *Maiestatis arcessitur.*

Ibid. CONTUNDIT.] Melius est legere *Contendit*, pro eo quod est instat, urget, conatur.

Ibid. CIRCA FAS.] Legendum est, *contra fas.*

Pag. 698. VETERES.] Corrige, *verens:* id est, timens.

Ibid. SOMNIFERUM MANDRAGORAE.] Duo sunt genera mandragorae, mas et foemina, candidus mas, nigra foemina existimatur. Ferunt mala avellanarum nucum magnitudine, et effossuri cavent contrarium ventum, et tribus circulis ante gladio conscribunt. Succus fit et ex malis, et ex caule deciso cacumine, et radice. odor ei gravis, sed radicis et mali gravior: mala maturata in umbra siccantur, succus ex his sole densatur: vis mandragorae somnifica est pro viribus bibentium: media potio cyathi unius, potu largiore etiam moriuntur. Bibitur ante sectiones ustionesque, ne sentiantur. Quidam solo odore et olfactu somnum quaerunt. Scribit Avicenna in Simplicibus, mandragora somnum conciliari, et subetiam fieri, esseque medicamentum contra vigilias, quae et ipsae inter morborum genera numerantur. Apud Graecos celebre est, ὑπὲρ μανδραγόραν καθεύδεις: id est, ultra mandragoram dormis. Mandragorae, ut inquit Suidas, ὑπνωτικὸς καρπὸς καὶ λήθης ποιητικός: id est, fructus est somnificus, et oblivionis effector. Columella in libro de cultu hortorum, semihominem mandragoram scite appellat, propterea quod radix eius simillima est homini, ut docet Avicenna, et vulgo proditur. Caeterum quamvis iurisconsulti interdicant, ne pigmentarius mandragoram, cicutam, aconitum, aliaque venenata temere det: tamen hic medicus pro veneno succum illum mandragorae, habentem vim somnificam dedit, cuius etsi noxiae sunt vires, non tamen mortiferae, ut ita obviam iret improbitati servi, gestientis comparare mortiferum venenum. Non ab re est hoc in loco commemorare exemplum proditum a Frontino, in libris Strategematicon. Hannibal missus a Carthaginiensibus adversus Afros rebellantes, cum sciret gentem avidam esse vini, magnum eius modum mandragora permiscuit, cuius inter venenum et soporem media vis est. tunc praelio levi commisso, ex industria cessit: nocte deinde intempesta relicto intra castra vino infecto, fugam simulavit, cumque barbari occupatis castris in gaudium effusi medicatum merum avide hausissent, et in modum defunctorum strati iacerent, reversus cepit eos, ac trucidavit.

Ibid. PUER MEUS TEMPERATAM MANIBUS.] Lego, *meis:* ut sit meis manibus temperatam.

Pag. 701. PISTOR DULCIARIUS.] Lucianus: εἶχε ἀδελφὸν καὶ σύνδουλον, ἄρτους πέττειν, καὶ μελίπηκτα κιρνᾷν ἐπιστάμενον: id est, Habe-

bebat hic fratrem conservum qui panes conficere et cibaria ex melle concinnare sciebat. Pistor dulciarius is dicitur, qui dulcia conficit, et mellita cibaria, quae Graece dicuntur μελίπηκτα, qualia sunt et bellaria, de quibus M. Varro, Gellius et Macrobius sic scripsere: Ea maxime sunt mellita, quae mellita non sunt; dulcibus enim cum pepsi societas infida. Quibus verbis inest hic intellectus: ea maxime mellita, id est, iucunda haberi, quae non sint mellita, id est, melle concinnata: quoniam dulcia, et ex melle composita, non faciunt ad pepsim, id est, concoctionem. sicut autem dulciarius a dulcibus eduliis dicitur, sic et lactarius, qui ex lacte facit lacticinia, quae etiam lactaria vocantur. Lampridius Heliogabalum scribit habuisse dulciarios et lactarios, qui omnia coquorum edulia exhiberent ex dulcibus et lactariis ubi lactaria significantur lacticinia, ut vulgus appellat, quae Corn. Celsus lactantia vocat sic scribens: *Alvum movent mel crudum, lac lactantia omnia.* Pistores vero dicuntur, qui panem faciunt. Antiquitus hoc vocabulo nominabantur, qui far pinsebant. Pistores non fuisse Romae ad Persicum usque bellum testis est Plinius scribens, ipsos Quirites panem fecisse, idque mulierum opus fuisse. Libro tertio Digestorum scriptum legimus, fuisse Romae collegium pistorum: Graece ἀρτοποιὸς dicitur pistor.

Ibid. ALTER COQUUS.] τὰ ὄψα τῷ δεσπότῃ ἐσκεύαζε: id est, obsonia domino concinnabat. Veteres Romani coquos non habuerunt in servitiis, eosque ex macello conducebant: quod ex Plautina lectione sat notum est. Mox coquos inter servos habere coeperunt, quos singulos pluris quam equos emebant: idque in conquestione luxus, auctores graves censoria oratione castigabant, a quibus proditur, coquum illum plurimi solitum aestimari, qui peritissime censum domini mersisset. Coquum et pistorem apud antiquos eundem fuisse accipimus. Graece dicitur ὀψοποιὸς. De coquo Livius haec: *Tunc coquus vilissimum antiquis mancipium, et aestimatione et usu in precio esse: et quod ministerium fuerit, ars haberi caepta.* Plato in Gorgia, coquinariam vocat adulationem medicinae.

Ibid. SUCCUUM.] Pro succorum: multa enim apud priscos reperiuntur secundi et quarti ordinis indifferenter usurpata: ut *senati* et *senatus*, *ornati* et *ornatus*, *lecti* et *lectus.* sic *succi* et *succus:* unde pluraliter *succuum* pro *succorum.* Graeci εὔχυλα vocant, καὶ κακόχυλα, cibaria boni succi, et mali succi. Cornelius Celsus inter res euchylas numerat triticum, siliginem omnem, venationem, vinum dulce vel lene. inter cacochylas vero, legumina ponit, et salsamenta et veterem caseum. Hic *nutrimenta succorum* accipi videntur pro embammate et intinctu. nam Graeco vocabulo *embammata*, Latino *intinctus* vocant, liquores sapidissimos, quibus pulmenta condiuntur, quibus buccellae panis et obsonia intinguntur: vulgus sapores appellat, gulae prorsus irritamenta, quorum Columella, Plinius et caeteri meminere. Quidam legunt *intrimentis*, ab eo verbo de quo est illud proverbiale: *Quod intristi, tibi excdendum est.* hinc *intrita* Catonis. et (ut inquit Donatus) *intrita* dicitur cibus in mortario factus.

Pag. 702. IUCUNCULOS.] Cibus signatur ex opere dulciario, qui ad similitudinem iuncorum (ut opinor) figuratur, inde nomen mutuatur; quales hodieque in opere pistorio venales conspiciuntur: proinde *iunculos* legendum est. Vel intellige opus lactarium, sive lac coagulatum instar metae formatum, iuncis inclusum, quae *meta lacta* dicitur Epigrammatistae: vulgo *iuncata*, a iuncis nominatur.

Ibid. HAMOS.] Lacertulos. Nomina sunt operis pistorii, a similitudine nuncupata. Apud nos ex saccaro et ovis et farina purissima fiunt huiuscemodi hami figura incurva et orbiculata, quorum opificinae proprie peculiariter sunt sanctimoniales. Lacerti sunt pisces, quorum mentio apud Plinium et reliquos frequens: ad quorum effigiem dulciarii panes formati appellantur lacerti, et diminutive lacertuli. Nil prohibet hoc nomen deduci posse a lacertis rurestribus, qui omnibus noti sunt, de quibus et Poëta:

Nunc virides etiam occultant spineta lacertos.

Nam sicut illi inter eundum sinuantur atque flectuntur: ita et mellita panificia tortuosa finguntur, quae vulgus a similitudine incurvi brachii brachialia nominitant: unde et lacertulos, a lacerti nostri similitudine nominatos esse crediderim. Haec tantum arbitraria sint, et pro cuiuslibet animo accipiantur.

Pag. 703. SCITAMENTA MELLITA.] Edulia sunt, ex eo dicta, quod sciti saporis sint; hoc est, egregii et praecellentis. Macrobius in ultimo Saturnalium: *Apud propinatores* (inquit) *pleraque scitamentorum cernimus proposita ampliora specie quam corpore:* ubi *scitamenta* significantur iucundiora pulmenta, et sic mendose legitur in codicibus Macrobii haec dictio. apud Aul. Gel. per translationem posita legis *scitamenta*, decenter, pro exornationibus et venustatibus orationis: quae in collocandis verbis, si immodice usurpentur, non carent veneno reprensionis.

Ibid. FRATREM.] Lege, *fratrum.*

Ibid. CUSTODIEDAM.] Corrige, *custodelam:* id est, custodiam, ut supra.

Pag. 704. AD ISTUD.] Lego, *At istud:* est enim particula haec inceptiva, et (ut inquit Donatus) principium increpationi aptum: proinde fra-

frater fratrem furti criminaturus, scite exorditur a particula obiurgatoria, et increpationi accommodata.

Pag. 705. IACTERE MEDIUM QUAERITUR.] Ego sic emendo, *Iacturae remedium quaeritur:* alioqui nullus sensus, nulla Latinitatis elegantia.

Ibid. NEC.] Lego, *ne.* istae interdum minutiae remorantur lectores atque perturbant, quo minus verum sincerumque intellectum assequantur. Proinde haec nostra etiam in minimis curiositas minime videri debet reprehensibilis, cum non solum eruditulis et ingeniosis, sed etiam hebetioribus et brutis ista scribantur, quorum titubantia adminiculis omnibus est erigenda, fulciendaque.

Pag. 707. ILLIBATA.] Signat neque semesa edulia, neque reliquias ciborum sibi apposita fuisse: sed fercula integra, intacta, ingustata, qualia scilicet ipsi domino apponuntur.

Pag. 708. LASERE INFECTAS.] Precioso succo conditas. *laserpitium* virgultum est clarissimum, quod Graeci *silphion* vocant, in Cyrenaica provincia repertum. hinc Catullus *Cyrenas laserpiciferas* cognominat. huius succum vocant *laser* magnificum, in usu ciborum, medicamentisque, et ad pondus argenti denarii pensum: de quo multa Plinius noster volumine undevigesimo. Apud auctores Graeciae evidentissimos invenitur, Caesarem dictatorem initio belli civilis inter aurum argentumque protulisse ex aerario laserpitii pondo cx. Est radice multa, crassaque, caule ferulaceo, quo homines vescebantur decocto, asso, elixoque. Laser, hoc est succus, duobus modis capiebatur, radice et caule. Unde indita nomina rhizias atque caulias. Laseris in condituris meminit frequenter Apicius: a quo pullus laseratus dicitur, lasere perfusus. idem laseratum absolute appellat obsonii genus, quo laser Cyreniacum, cum aceto et liquamine dissolvendum esse praecipit. Inde *laserpitiatum acetum* dictum, quo quidam lentem respergunt causa diuturnitatis. Palladius in tertio, laser appellat opon cyrenaicum, quasi succum laserpitii, a Cyrenaica provincia dictum: et ita sane Graeci vocant. noster Plinius in 22. dixit laser esse inter eximia naturae dona numeratum, quod pluribus compositionibus inseritur. Concoctioni plurimum conferre senibus foeminis traditur, hyeme quam aestate utilius, ab aegritudine recreationi efficax in cibo. Laserpitii meminit et Plautus in Pseudolo, his verbis: *Eo laserpitii libram pondo diluunt.* De lasere mentio quoque est apud Columellam, qui id a Graecis *silphion* vocari tradit.

Ibid. HEMUS.] Lego, *heus:* ut fiat sensus illustrior, sitque adverbium vocandi.

Pag. 710. RELATO.] Quando aliquid renuimus et nolumus, id *relato*, hoc est, retro lato, et in diversa reducto capite significamus: quando vero quippiam annuimus et volumus, id capite in anteriorem partem proiecto ostendimus. Haec cum ab asino fierent, mira videbantur, cum asinus naturaliter sit brutus et tardus: unde proverbium inolevit ὄνος λύρας, id est, *asinus ad lyram.*

Pag. 711. VEL UNUM.] Corrige, *vel unde.*

Ibid. THYASUS.] Hic nomen proprium est, cum alias *thyasus* saltationem tripudiumque significet. Quod ex Virgiliano carmine satis notum est: *Daphnis thyasos inducere Baccho.* Thyasos, ut Graeci tradunt, et docet Suidas, est ἱερὸς χόρος, id est, sacer chorus, ἀπὸ τοῦ θεῖν, ὅ ἐστι τρέχειν, quod significat currere. θιασῶται dicuntur saltatores, et proprie in sacris Bacchi: dicitur et *thyasus* multitudo congregata,

Pag. 712. CONSEQUIIS.] Appendicibus, et quasi sequelis. sic supra: *Penduli comitatus extrema consequia.* a *consequendo* enim *consequiae* dicuntur, ut ab *exequendo exequiae.*

Ibid. IUMENTIS GALLICANIS.] Plautus in Aulularia, damnans equos Gallicos inquit: *Viliores fient Gallicis canteriis.* Hic vero laudantur a sobolis generositate. Hodie quoque ex Gallia generosi equi bonitate probantur.

Pag. 713. PROPOSITO MODO.] Lege, *praeposito meo:* hoc est, illi qui praepositus praefectusque erat meae custodiae. Graece dicitur ἐπιστάτης, epistates: qua dictione usi sunt et nostri scriptores. M. Cato *villicam epistatam* appellat, quasi villae praepositam atque praefectam.

Pag. 714. EXPECTABAT.] Lego, *expetebat:* hoc est, cupiebat, desiderabat. Lucianus: εἰς ἐπιθυμίαν συνουσίας προελθοῦσα: id est, *in desiderium concubitus provoluta.*

Ibid. NEQUAQUAM.] Potest legi *nequam:* id est, improbus et veterator. potest et nequaquam ex Luciano, qui ait: κἀκεῖνος οὐδὲν φροντίσας, εἴτε καὶ ἀνύσει τι ἐκείνη ἐξ ἐμοῦ, εἴτε καὶ μὴ, λαμβάνει τὸν μισθὸν: id est, *et ille nihil curans, sive ex me aliquid utile expediret, sive non, capit mercedem.*

Pag. 716. FACESSIT.] Legendum est, *facessunt:* hoc est, abeunt, absceduntque mancipia, post instratum matronae accubitum. Lucianus: εἶτα οἱ μὲν τῆς γυναικὸς θεράποντες αὐτοῦ που πλησίον πρὸ τοῦ δωματίου ἐκάθευδον: id est, servi matronae eunt dormitum, non procul a cubiculo matronali.

Pag. 718. ADVECTORIUM.] Legi potest *Adventorum:* ut supra in primo volumine. Adventores pristinos raucus appellat, horum basia scite graphiceque confecto vocabulo *negocinummia* nominantur: quoniam scilicet nummos negociantur, et illae illecebrae atque osculationes negotiatorum nummos quaerunt.

Pag. 719. TANQUAM.] Scribo *tamque* ut sint duae particulae.

Pag. 722. PRAE ABSTINENTIA.] Purior lectio est, et sincerior, *per abstinentiam.*

Pag. 724. RUS PROFECTO.] Legendum videtur *profecta:* ut ad uxorem referatur, quae profecta in agrum, illud tanquam in locum solitarium et sceleri accommodatiorem evocaverit sororem mariti, misso per servulum annulo coniugali, cui tanquam certissimo testi illa crederet.

Pag. 727. QUAM SACRAM NOMINANT.] Apud priscos potio hellebori principalis habebatur, et sacra, quae trahit alvum, et bilem pituitasque. clarum est Erophili praeconium, qui helleborum fortissimi ducis fortitudini aequabat: concitatis enim intus omnibus, ipsum in primis exire. Aptissime datur in pulte, aut lacte: reddi post quatuor fere horas incipit: totum opus septenis peragitur horis: medetur melancholicis, insanientibus, lymphaticis: item si exulcerata sint praecordia, vel tumeant: aliisque prope innumeris morbis. Duo hellebori genera nigrum, quod purgat per inferna: candidum, quod vomitione causas morborum extrahit. Latini *veratrum* vocant. *Sacram potionem* vocant medici, sacratam et divinam, ab effectu, quae caeteris praestantior est, et excellentior. Plinius tradit aureum poculum a Medicis vocari potionem quandam ex frutice, et remediorum excellentiam. Hoc tempore potio ex rheupontico sive barbaro concinnata, dici potest *sacra*, qua nullam praestantiorem Medici novere: cuius meminit Ammianus Marcellinus. Graeci φαρμακὸν θεῖον, pharmacon divinum vocant: item alexipharmacon, καθαρτικὸν καὶ θεραπευτικὸν: id est, purgatorium et medica vi praepollens. Suidas ait Alexipharmaca esse ἀλεξιτήρια, id est, medicamenta auxiliatoria. Est medicamentum nobile nomine Panchrestos, cuius M. Tull. et Plinius meminerunt: si vocabulum interpretis, dici potest omnibus conducibile et bonum. Est inter medicamenta illud quoque celebre, quod Oporicen vocant: quoniam ex pomis fit, quae a Graecis ὀπῶραι appellantur.

Pag. 728. GUSTANT.] Lege *gustat*, scilicet Medicus.

Pag. 729. AEGRA.] Legendum est *aegre:* id est, vix, difficulter: ut sit adverbium, non nomen.

Ibid. OBSTINATIONIBUS EIUS.] Obsecrationibus: et ita videtur legendum.

Ibid. INTERDUM.] Corrige, *interim.*

Pag. 730. QUOD LEGES SUCCESSIONE PATRIS NECESSARIAM.] Haeredes aut *necessarii* dicuntur aut sui et necessarii, aut extranei. *Haeredes necessarii* et sui sunt, veluti filius filiave, nepos neptisve ex filio, et deinceps caeteri. Liberi, qui in potestate morientis modo fuerunt, sui haeredes ideo appellantur, quia domestici haeredes sunt. Necessarii vero ideo dicuntur, quia omnino, sive velint, sive nolint, tam ab intestato quam ex testamento, ex lege 12. Tabularum haeredes fiunt. Caeteri, qui testatoris iure subiecti non sunt, extranei haeredes appellantur: ut copiosissime scribunt iurisconsulti. Proinde *successio necessaria* intelligitur eorum haeredum, qui necessarii sunt: ut filius et filia. lex tamen Voconia, quam Voconius tulit, cuius supra meminimus, statuit, ne quis census, hoc est, pecuniosus haeredem relinqueret filiam. Lex quoque 12. Tabularum adeo stricto iure utebatur, proponens masculorum progeniem, ut foeminini sexus necessitudinem expelleret: quod postea emendatum est.

Ibid. CAPTU.] Legi potest *capiti:* ut exponas, imminebat vitae capitique puellae.

Pag. 732. IN TORMENTORUM.] Minutulus error, qui tamen lectorem possit offendere. est enim legendum, *vi tormentorum:* id est, violentia et cruciatu. Divus Augustinus, in criminibus vestigandis non esse a tormentis incipiendum constituit. Epistola quoque divi Hadriani ita se habet: *Ad tormenta servorum ita demum venire oportet, cum suspectus est reus, et aliis argumentis ita probationi admovetur, ut sola confessio servorum deesse videatur.* Rescripto quoque eodem Hadriani illud expressum est, a suspectissimo incipiendum esse, et a quo facillime posse verum sciri iudex crediderit.

Ibid. MATRIMONIUM CONFARRATURUS.] Tribus modis apud antiquos uxor habebatur ut ait Boëthius in commentariis Topicorum: usu, farre, coëmptione. sed *confarreatio* solis pontificibus conveniebat. erat autem solemnitas quaedam vinculi maritalis, qua novae nuptae farreum praeferebant: sic enim cibi genus ex farre factum nuncupant. Plin. in 18. Quin et in sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat, novaeque nuptae farreum praeferebant: auctor est Dionys. Halicarnasseus lib. antiquitatum 2. legitima matrimonia in priscis Romanis nominata esse *farreacea*, a communicatione videlicet farris, qui cibus Latio primus fuit: et sicut Graeci hordei primitias in sacris dabant, ita Romani vetustissimum far putantes, ex eo sacra prisca potissimum conficiebant. Uxores quoque coniunctione farris alimenti viris sociari voluerunt. Ex hoc vetustissimo ritu scienter dixit Lucius noster, *matrimonium confarraturus*, pro copulaturus, vinculo quasi confarrationis. et ita alludens ad priscorum verba et doctrinam, simpliciter intelligi vult, foeminam publice destinatam quasi uxorem asino, quae publico spectaculo cum asino perinde ac uxor cum marito concumberet. E contrario dicitur *diffarratio*, connubii inter virum et uxorem dissolutio, a diffarratione, quod genus sacrificii adhibito libo farreo fit in dissolutione matrimonii. et sicut *confarraturus matrimonium* dicitur, pro facturus, copulaturusque: ita

ita e contrario dici potest eleganter *diffarraturus*, pro dissoluturus connubium.

Pag. 735. ALVEO SUBDUCTO.] Corrige, *aulaeo*, est enim sensus: post peractam pyrrhicham saltationem subducta aulaea sunt, et vela scenica complicata, ut apparatus fabulae in scena dispositus viseretur. est enim mos, ut in actione fabularum theatricarum aulaeis cuncta contegantur, post quae histriones in operto consistunt: mox cum tempus est agendae fabulae, aulaea subducuntur, et in propatulo omnia conspiciuntur. Scribit Porphyrio, quando ludi scenici dabantur, quod aulaea suspendi solebant, quae in fine ludorum deponebantur. ex quo ritu est illud Horatianum:

Si plausoris eges aulaea manentis, et usque
Sessuri.

Pag. 737. SOCIETATE.] Lego, *sociatae:* id est, copulatae, connexaeque.

Pag. 739. GRAPHICE.] Decenter, venuste, concinniter, quasi ex picturae venustate. verbum Graecum est γράφω, quod significat pingo, scribo. unde *grapheus* pictor, et *graphis* pictura dicta: qua quidem linearem proprie significari prodiderunt. Plinius noster in trigesimo quinto: *Alia multa graphidis vestigia extant.* idem mox paulo, *antigraphicen picturam* interpretatur, quam pueri ingenui in Graecia ante omnia docebantur. Vitruvius in primo: *Architectum oportet graphidis scientiam habere.* Ab eadem origine est *graphium* pro stylo, *graphiarium* pro theca repositorioque graphiorum: *graphicus* homo pro absoluto, et quasi pictoris manu expolito: et *graphice* adverbium pro polite, eleganter, condecore. *graphicotera* quoque per comparativum dicta absolutiora, elegantioraque. Aul. Gell. in nono sic refert: *Laberius poëta in mimo quem inscripsit Rectorem, versibus quidam satis munde atque graphice factis descripsit.*

Ibid. LACINIARET.] A *lacinia* ductum verbum, quasi inflexu Laciniae inumbraret.

Pag. 740. CASSIDES ORBATAE.] Nove dictum *orbatae*, pro *orbiculatae*, ab orbe et rotunditate. talis enim est cassidum forma. Quidam legunt *obbatae:* ut *cassides* bono epitheto *obbatae* dicantur, a similitudine obbarum. sunt autem *obbae* vasa potoria, galearum similitudine. M. Varro: *Utrum meridie an vesperi libentius ad obbam accedas.* Sessilem a figura obbam dixit Persius, illo versu:

Exhalet vapida laesum pice sessilis obba.

Quidam emendant *cassides orbiculatae*, ut dictio sit illustrior, et intellectus manifestior.

Pag. 741.] HORMUM CANEBAT BELLICOSUM.] ὁρμάω verbo Graeco dicitur impetum facio, et ὁρμὴ impetus et perturbatio: inde *hormum canticum* dictum impetuosum, et alacritati bellicae accommodatum. Verum ego existimo legendum esse *orthrium*, est autem *orthrium* (ut docet Dion) carmen Palladis, bellici ardoris incentivum. Quod Timotheus arte musica celebratus, cum aliquando perite admodum modularetur, ferunt Alexandrum magnum tanquam numine quodam correptum, mox ad arma prosiluisse. adeo regem illum musici cantus vehementia concitaverat. Orthrii carminis Herodotus, Gellius, et caeteri meminere. Quod et olim Arion quoque voce sublatissima cantavit, cantuque peracto sese procul in profundum eiaculavit, ubi a delphine exceptus evasit incolumis. apud Suidam lego, ὄρθιον esse νόμον κιθαρωδικὸν: id est, *legem citharoedicam.* a quo etiam memoratur ὄρθιος νόμος κιθαρωδικὸς τῆς ἁρμωνίας. Itaque *orthrium*, et *orthium*, pro cantico et lege citharoedicae harmoniae.

Pag. 743. TERETES.] Habentes membra teretia, et succulenta: qualis habitudo Cupidines decet. Horat. teretes suras probat in foemina, cum ait: *Brachia et vultum teretesque suras Integer* laudo. *Teres* autem rotundum in longum dicitur. idem Horat. in Epodo, *teretem puerum* appellat, quem intelligi vult speciosum, habentem crura brachiaque teretia.

Ibid. PINNULIS.] Cupidines aligeri et sagittiferi pinguntur, ut ante dictum est,

Ibid. OBITURAE DOMINAE.] Id est, Veneris aditurae, peracturae, suscepturae. Potes legere *Obituri:* hoc est, ipsi Cupidines adituri velut nuptiales epulas dominae Veneris, faces flamma coruscantes praeferebant, ex ritu moreque nuptiali. namque apud veteres quinque faces in nuptiis accendebantur. Causam refert Plutarch. in problematis, et nos in oratione nuptiali diligenter perscripsimus. Spinam nuptiarum facibus auspicatissimam esse, auctores sunt Plin. et Massurius: quoniam inde fecerint pastores, qui rapuerunt Sabinas. Hinc illud Catullianum: *Spineam quaere taedam.* Plerique falso legunt *pineam.* Pueri tres patrimi et matrimi, hoc est, habentes patrem et matrem, adhibebantur in nuptiis: unus, ut facem praeferret ex spina alba: duo, qui nubentem tenebant.

Pag. 744. VERIS COMA.] Herbis et floribus, quid enim aliud est coma Veris, quam flos et frondes? Eleganter Papinius dixit, *crinitur arbos*, pro frondescit floresci tque. Flos est pleni Veris indicium, et gaudium arborum. detrahe Veri frondes et flores, calvum et calvitio deformatum videri poterit. Consimiliter Aul. Gell. volumine duodevigesimo: *Comas* (inquit) *arborum laetissimas, uberrimosque vitium palmites decidit.*

Pag. 745. PER FLUCTUANTES PINNULAS.] Venus inter pinnatos Cupidines, quorum pinnulae leviter fluctuabant, coepit incedere.

Pag. 746. INTER DEUM ET HOM.] Immo *inter deos et hominem.* tres enim deae fuerunt, et homo unus iudex.

Ibid. ORIGINALEM.] Primordialem, et ab origine rerum vetusto seculo pronunciatum, dictumque.

Pag. 748. IMO CROCO.] Quidam legunt, *vino*, ut alludere videatur ad Romanum morem, quo crocum vino miscebant, praecipue dulci, tritum ad theatra replenda: ut docet Plin. in 21. et nos apud Propertium abunde meminimus, versiculum illum explicantes:

Pulpita solennes non oluere crocos.

Verum ex tali lectione sententia quidem erit erudita, sed verborum structura sutilis et lapsabunda. dictio enim illa *Diluta* nusquam subsistet, nulloque adminiculo fulcietur. Quo circa corrigo. *Unda croco diluta:* ut sit sensus integer, ex eadem tamen eruditione deductus. dicit enim undam croco dilutam commixtamque emicasse per fistulam, sive siphonem in sublime, mechanico instrumento, ita ut croceus nimbus esse videretur. de quo Epigrammatista:

Et Cilices nimbis hic maduere suis.

Idem aliubi rubrum nimbum a croceo colore nominavit: et a Lucretio ex eodem ritu decenter dictum:

Et cum scena croco Cilici perfusa recens est.

Et ita poëtae ferme omnes indicant, undam solo croco dilui solitam, ad scenam pulpitaque theatrica perfundenda.

Pag. 749. DISTRICTUS.] Occupatus. Plin. *Distringor officio.*

Pag. 750. CENCHREAS PERVADO.] Oppidum est in Isthmo, teste Pomponio Mela. Strabo in 8. *Cenchreas* ait *esse navale Corinthiorum, ad orientem spectans.* Livius *Cenchreas Corinthiorum emporium* fuisse refert. Plinius in 4. *Lechaeae hinc, Cenchreae illinc, angustiarum termini.* Paulus apostolus comam totondit in Cenchris.

Ibid. SARDONICO MARI.] Quis minus paulo curiosus non credat, lectionem hanc esse puram et sinceram, et apertam? tanquam a Sardinia Sardonicum mare nominetur. Sed cum Sardinia a Corintho distet, quantum Hispanis Veneto dissidet Eridano, et nulla communicatio sit inter Sardoum mare et Aegeum; corrigenda dictio est unius literae detractione: quae res cum pronunciatu videatur esse levicula et pene frivola, sensu tamen est erudita, et ex interioribus literis eruta. Legas igitur *Saronico mari*, non *Sardonico.* Est enim sinus Saronicus, et mare Saronicum, adluens Isthmum Corinthiacum. Plin. in 4. *Corinthiacus hinc illinc Saronicus appellatus sinus, olim pontus et portus, quasi transitus dictus. Strabone teste.* Causam nominis refert idem Plin. his verbis: *Sinus Saronicus olim querno nemore redimitus, unde et nomen, ita Graecia antiqua appellante quercum.* Restituenda est obiter dictio Pomponii Melae, apud quem consimiliter legitur *portus Sardonicus*, pro *Saronicus.*

LIBER UNDECIMUS.

ARGUMENTUM.

Totus quidem Appuleius elegantia et eruditione plenus est: hic vero novissimus liber inter omnes excellit, in quo dicuntur quaedam simpliciter, multa ex fide historica, plurima ex secretariis philosophiae et religionis Aegyptiae deprompta. In principio eloquenter explicatur oratio, non asinalis, sed theologica, ad lunam, eiusque luculenta descriptio. Mox lunae ad Lucium benevola institutio, pompae sacerdotalis copiosa et erudita descriptio, ex asino in hominem pristinum devoratis rosis facillima reformatio: religiosa sacris Isidis et Osiridis initiatio, castimoniarum abstinentia, altera ad lunam deprecatio, foelix Romam versus profectio: ubi sacris Romanis initiatus, in collegium Pastophororum allectus est.

Pag. 752. VERUM IAM IAM.] Perpenso sensu, literisque pensitatis atque prospectis, corrigo, *inanima:* etenim proclivis fuit ex proximo error, ut haec dictio *inanima* adulteraretur, verteretur que in *iam iam.* Est autem sensus: Non solum animantia, verum etiam anima carentia (quae inanima dicuntur) vegetari, alique potestate lunari. Scribit Ambros. in 4. Hexameri: *lunam in id se induere ministerium, in quod et frater eius, ut illuminet tenebras, foveat semina, augeat fructus.* Habet etiam pleraque a fratre distincta, ut quem toto die calor humorem terrae siccaverit, eundem exiguo tempore noctis ros reponat. nam et ipsa luna larga roris est. Denique cum luna est pernox, tunc largior ros fertur arva perfundere. Defectu lunae compatiuntur elementa: progressu eius, quae fuerint exinanita cumulantur: ut animantium cerebrum, et maritimorum humida: siquidem pleniores ostreae reperiri feruntur, multaque alia cum globus lunaris adolescit. hoc idem quoque in arboribus pollet, et plantis. Quinetiam philosophi prodiderunt, φυτικὸν, id est, naturam plantandi et augendi corpora, existere ex globo lunari.

Ibid. SPECIE SA.] Ut legas *Spem salutis*, et sensus et verborum structura deposcit.

Pag. 754. NUDIS IGNI.] Nitidior lectio, *Udis ignibus.* in luna enim ignes non sunt torrentes et ignei, ut in sole: sed humentes et diluti, utpote quae alienum fulgorem mutuetur, cunctaque

taque humifico spiritu laxet: temperamento autem humoris et caloris semina nutriuntur.

Pag. 755. AFFIRMA.] Melius est *offirma:* id est, stabilito, fulcitoque, et firmam reddito, ne me deinceps sua mutabilitate concutiat.

Ibid. COMPSERAM.] Lege *compresseram:* vix, inquit, coeperam oculos comprimere et connivere, quod a dormitante fieri solet.

Pag. 757. CANDIDUM LUMEN.] Suus cuique planetarum color est. Saturno candidus, Iovi clarus, Marti igneus, Lucifero candens, Vesperi refulgens, Mercurio radians, Lunae blandus, Soli cum oritur ardens, postea radians.

Ibid. SULCIS INSURGENTIUM VIPERARUM.] Iam dictum est, lunam esse Proserpinam, esse Cererem, esse (ut ita dixerim) omnia. Proinde illi assignant ea quae pertinent ad agricolationem Cerealem, in qua *sulci* interdum tortuosi viperas imitantur. In arando magnopere servandum est Catonis oraculum: *Sulco vario ne ares.* Arator, auctore Plin. nisi incurvus praevaricatur. idem ait: *Omne arvum rectis sulcis, mox et obliquis subigi debet et potest.* et hoc commodissime referri ad angues, quibus frenatis, curruique admotis, Ceres dea sulcavit coelum, et per aëra vecta est. Ovid.

— geminos dea fertilis angues
Curribus admovit, frenisque coërcuit ora,
Et medium coeli terraeque per aëra vecta est.

Ego potius opinor *sulcos viperarum* pertinere ad iter lunae flexuosum, qualis est draconum meatus.

Pag. 758. CONTABULATIONE.] Sicut *contabulationes* sunt in domicilio, et tabulatis pluribus tecta consurgunt: ita in vestibus, maxime foemineis, *contabulationes* quaedam extare visuntur, quasi gradatim sese dilatantes. Quidam codices habent *contubulatione*, quod non displicat: est enim *contubulatio* dicta a tubis sive tubulis, quasi tumiditas orbiculata per vestem ducta instar tubulorum, quibus aquaeductus exstruuntur; qui (ut Vitruv. et Plin. docent.) ex una parte lingulati esse debent, ut alius in aliam inire convenireque possint commissuris pyxidatis: multoque salubrior est aqua ex tubulis fictilibus ducta, quam per fistulas plumbeas.

Pag. 759. INTECTAM.] Oculis obviam et apertam. Potest legi *Intextam.*

Pag. 759. PAUCAE UNGULAE.] Quidam legunt *undulae*, quidam *virgulae:* quae lectio magis quadrat, cum in crepitaculo sint virgulae, quae agitatu brachii crispantis resonabant.

Pag. 761. SPIRANS ARAB. FOEL. GERM.] Legi potest, *Arabiae foelicis germina.* nam cum triplicem Arabiam Plin. Ptol. caeterique describunt, illa est memoratissima, quae Graeco cognomine *Eudaemon*, Latine *foelix* sive *beata* nuncupatur: quae (teste Strabone) aromatifera est, quae (ut tradit Plin.) germina odoratissima progenerat, et quamvis cassiam cinnamonumque non ferat, tamen foelix appellatur. idem Plin. peculiaria Arabiae germina percenset in 12.

Pag. 765. IN PROCINCTU.] Apparatu. *Procincta classis* dicebatur, cum exercitus erat paratus, confestim pugnaturus. A. Gell. *Classem procinctam extra pomerium, id est, exercitum armatum videre religio est.* Unum accepimus esse testamentorum genus, quod *in procinctu* dicebatur, cum viri ad praelium faciendum in aciem vocabantur.

Ibid. EXUO.] Ego, inquit Isis, confestim tibi detraham hoc asini corium, quae bellua mihi iampridem detestabilis est. Potest legi *Exue*, ut sit imperantis verbum, quod magis quadrat cum antecedentibus subsequentibusque.

Pag. 769. CREPIDAE.] Lego apud auctores semiplotia fuisse calciamenta, sive soleas dimidiatas, quibus utebantur in venando, quo planius pedem ponerent: quae nunc significari videntur nomine *crepidarum.* Non dispicio quomodo *crepidae* venatori conveniant, quae magis gestamina philosophica sunt quam venatoria. Codex manuscriptus *copides* habet, quae dictio magis quadrat. sunt enim *copides*, cultri sive gladii recurvi, quibus manus sive promuscides elephantorum in praelio milites amputabant: quorum meminit Quintus Curtius. Suidas tradit κοπίδα esse machaeram. *Cope*, id est, κώπη Graecis est manubrium gladii.

Ibid. INCESSU PERFLUO.] Non potuit significantius exprimere gradum matronalem, quam *perfluum* appellando. Undatim enim incedunt matronae, et fluctuant, quarum incessus et hac et illac perfluit: quod specimen fastus est, et molliciei.

Ibid. BAXEAE.] Dicuntur crepidae et calciamina philosophica, vocabulo minime protrito, minimeque triviali, quod apud scriptorem alium non temere reperias. Idem in Floridis, loquens de calciatu philosophico, sic inquit: *Vestem de texterna emere, baxeas istas de suterna praestinare.* Item in secundo huius operis volumine dixit, prophetam *palmeis baxeis* pedes indutum esse. Ex hac Appuleiana doctrina, cum Plautum iampridem profiterer, correxi opinor rectissime mendosam dictionem ex Menaechmis, ubi sic passim legitur: *Quis iste peniculus, qui exter geritur bexe?* Ego fidenter et plausibiliter monui, ut in locum *bexae*, quod vocabulum est cassum, et nihil valet, substitueretur *baxae*, dictio vetus, et ad sententiam Plautinam mire faciens. nam alludens ad nomen peniculi, quod genus spongiae est, quo baxeae, id est, calciamenta hodieque exterguntur, festiviter dixit ex persona Menaechmi, ignorantis Peniculum parasitum: *Non novi, inquit, alium peniculum, quam illum quo calcei exterguntur, fiuntque nitidiores pulvere detерso:* intelligens spongiam, quae

quae peniculus vocatur, et est inter caeteras mollissima: de qua Plinius copiosissime in 31.

Pag. 770. CUM FISCO.] Lege, *cum visco:* obrepsit enim minutulus error, vitio linguae barbaricae.

Ibid. CROCOCIIS PHRYGIIS.] Purior dictio *Crocotis.* sunt enim *crocotae*, et per diminutionem *crocotulae*, vestes crocei coloris: quarum infectores *crocotarii* dicuntur. in Aulularia: *Incedunt infectores crocotarii.* De his supra scripsi.

Ibid. REVERSUS.] Id est, retro versus, et a tergo positus. vel lege *Revexis*, pro retro inclinatis, obliquatisque.

Pag. 772. VESTE NI. ET CA.] Homines (quorum nominibus parco) in aetate nostra alioquin doctissimi, locum hunc Appuleianum ita legebant, *Chorus catastlita:* exponentes chorum catastlitam dici, ex catastlis pueris constantem. *catastlos* autem pueros esse dicebant formosos, et egregie canentes: quorum Vitruvius meminisset in 8. et in hoc interpretamento sibimet applaudebant, tanquam Gordianum nodum dissolvissent. quibus nos plane permittamus, ut se ament, et sua: nos certe rivales non habebunt. caeterum ne commentationes nostras asseramus citra alienam insectationem; scito cataclistam dici vestem undique clausam, quales hodieque nostri sacerdotes in pompa sacrificali induunt. dicitur autem cataclista a verbo Graeco κατακλείω, quod significat claudo. Alii deducere malunt a κατακλάω, quod est frango: tanquam sit vestis sine manicis mutila, quam et *colobium* vocant. antiqui enim (quod et Servius grammaticus memorat) collobiis utebantur, et ut auctor est Gellius, tunicas citra humerum desinentes sine manicis habebant, quod genus Graeci dicunt ἐξωμίδας. nam tunicae manicatae non sine probro habebantur. *Colobia* autem (ut id quoque explicemus) vestimenta appellant mutila, sine manicis, et quasi trunca: a verbo Graeco κολοβόω. Legimus in Decretis canonicis, quod Paulus primus heremita in testamento colobium suum Athanasio Alexandrino episcopo reliquit, ubi colobium accipitur pro hoc genere vestis, quod iam descripsimus. Sensus autem Appuleii hic est: chorus splendens et lucidus in veste candida et manicis carente, sequebatur pompam praecedentem. et ita cataclista erit septimus casus, et cum veste copulabitur. Suidas auctor est, cataclistas dici θρόνους, hoc est, sedilia ad mensam parata.

Pag. 774. POTENTISSIMORUM DOMINI.] Lege, *deûm:* id est, *deorum.* dicit enim, proceres sacerdotum ostentasse exuvias deorum maximorum. Exuviorum autem nomine symbola quaedam peculiaria et gestamina divina, hoc in loco significantur: ut lucerna, caduceus, vannus, et quae statim explicantur.

Ibid. PECTORE.] Corrigo *patore:* etenim *pator* Appuleianum vocabulum, significans hiatum, apertionemque: et est orificium patens.

Pag. 775. DEFORMATA MANU SINISTRA.] Videtur discordare Lucius noster a Diodoro, qui scribit in quarto Bibliothecae, quod inter sacras literas Aegyptiorum deformatur manus dextra expansa, liberalitatem significans: sinistra vero compressa, tenacitatem atque avaritiam. Verum nullum est inter scriptores super re ista dissidium, cum utrunque fieri commode potuerit, ut sinistra compressis digitis esset symbolum tenacitatis, eadem explicata palma foret iudicium aequitatis.

Ibid. DEI DIGNATI PEDIBUS INCEDERE.] Ioculariter dictum, et decenter. dicimus enim deos incedere pedibus humanis, quando homines in pompa sacrificali sustinent personas et nomina deorum. de quibus intellexit Tertullianus sic scribens: *Ipsos deos vestros saepe noxii induunt.* Mecum ego subinde recolens haec instituta sacrorum ethnicorum, venio in sententiam, ut credam pleraque omnia ad cerimoniarum nostrarum celebrationem pertinentia, illinc esse translata, transpositaque. Nimirum ex gentilium religione sunt lineae vestes, derasa sacerdotum capita, vertigines in altari, pompa sacrificalis, musica modulamina, adorationes, preces, aliaque id genus compluria, quae nostri sacerdotes in nostris mysteriis solenniter usurpant, haud dubie sumpta de cerimonia priscorum. Sic et apud nos homines incedunt in pompa sacrorum, sub effigie sanctorum et prophetarum, qui dici possent Dei humanis pedibus incedentes.

Pag. 777. OMNIA PARENTIS DEAE.] Iunctim lego *Omniparentis*, sic et Poëta dixit in 6. — *terrae omniparentis alumnum Cernere erat.* qua enim forma *omnipotens*, eadem et *omniparens* dicitur, quasi omnia pariens, omnia gignens.

Ibid. SOLERTI REPERTUM.] Corrigo, *repertu:* hoc est, *inventu*, sive inventione.

Ibid. TEGENTE.] Purior lectio est, *tegendae religionis.*

Ibid. URNULA FABERRIME CAVATA.] Opinor hanc urnulam referri ad situlam, quam sinistra retinens Isis figuratur, per quam fluentiam omnium lacunarum ostendi tradunt. Praeterea capiti Serapis, cuius numen cum Iside commune est, calathum insigunt: quasi Sol sit, cuius vertex insignitus calatho et altitudinem sideris monstrat, et potentiam capacitatis ostendit. *Faberrime* autem adverbium est, significans perfectissime, politissimeque. *Fabre* (ut inquit Placiades) perfecte dicitur.

Pag. 778. QUAM ROTUNDO.] Rancida Grammaticorum subtilitas, *quam rotundissimo* contendit esse dicendum: auctoritas eruditorum, quae longe potentior est, grammaticalibus illis placitis posthabitis, sic dicere saepissime mavult.

Ibid. DILATIONE.] Lego, *dilatatione.* signat enim,

enim, urnam dilatatam fuisse ab ea parte, qua adhaerebat ansa, et ita hodieque urnae fictiles finguntur, ut scilicet sint orificio patentiore.

Pag. 781. COMPRESSIS IN ALTUM FOEMINIBUS.] Corrigo, *compressis in arctum foeminibus.* est enim sensus: cum primum despoliatus fuit tegmine asinino, primam habuit rationem verecundiae. Itaque compressis strictissime femoribus, et superconnexis manibus naturali velamento verenda cooperui, cum nudus forem, nec ullum quidem habens subligaculum.

Pag. 783.] INNOVANTI GRADU.] Seiunctim lego, ut duae sint dictiones, *In ovanti:* hoc est, gaudibundo et laetanti gradu.

Ibid. PRUDENTIAE.] Lego, *providentiae*, ut sit ea quam Graeci πρόνοιαν vocant, de qua M. Tullius in primo de Natura deorum: *Audite non fatidicam Stoicorum Pronoeam, quam Latine licet providentiam dicere.*

Pag. 784. ET TIBI BEATUS.] Scribe, *sibi beatus:* ut verba tertiae personae sint congruentia. vel lege, *Ter beatus:* ut pro beatissimo accipiatur. dicimus enim *ter foelicem*, et *ter beatum*, quem intelligi volumus foelicissimum, beatissimumque: a potentia scilicet et vi numeri ternarii, quem Latini *ternionem*, Graeci *triada* vocant.

Pag. 785. VARIEGRAECAM.] Scribe *variegatam:* hoc est, distinctam exornatamque variis picturis. Dictio est Appulei prope peculiaris: a quo etiam dicitur *variegare* pro *variare*, et ornatus varietate distinguere.

Pag. 786. CARBASUS LITERAE.] Emendo, *carbasus lintea.* Signantur enim vela nautica, quae lintea sunt ex carbaso, quod genus lini tenuissimum est. Scribit Plin. carbasa primum in Hispania reperta esse, mira lini tenuitate. Porro in navigiis sunt maiora vela, sunt et minora: alia in puppibus panduntur, Graeci *dolones* vocant τὰ μικρὰ ἱστία, hoc est, minuscula navium vela, prout docent Suidas et Iulius Pollux. Hoc idcirco transeunter annotavi, ut intelligeres illud Livianum ex 36. volumine, *dolonibus erectis altum petere intendit.* item mox paulo: *Polyxenidas ut virtute militum superari se vidit, sublatis dolonibus effuse fugere intendit.*

Ibid. ECCE LITERAE.] Denotat literas fuisse in carbaso intextas sive scriptas, quae indicarent id votum esse prosperae navigationis et commeatus: hoc est, itus et reditus foelicioris. Nec mirum videri debet, si literis erant vela nautica inscripta, cum auctores tradant, ante usum chartarum voluminibus linteis fuisse scriptitatum: unde et Livius libros linteos frequenter citat.

Pag. 788. CARINO CITRO LIMPIDO.] Auctor est Diodorus, Sesostrem Aegyptii regem fecisse navem ex cedro ducentum octoginta cubitorum longitudine, forinsecus bracteis aureis vestitam, intus vero deargentatam, quam dono obtulit deo qui Thebis Hecatompylis colitur. Plinius in 16. *At in Aegypto* (inquit) *ac Syria reges inopia abietis, cedro ad classes feruntur usi.* De *citro* et *citreis* mensis non pauca Plin. noster in 13. et nos alibi perscripsimus.

Ibid. ABSOLUTA STROPHIIS.] Resoluta vinculis anchorarum: *strophia* enim vincula dicuntur, dictione Graeca, στρόφιον, sed Latinis usitatissima: quia *strophia* modo pro vinculis, modo pro coronis, modo pro fasciis (quibus pectora vinciuntur) accipitur, ut supra diximus, ex eodem fonte cuncta derivata. Suidas docet *strophium* esse στρογγύλον ζωνάριον, id est, rotundum cingulum, et coronam capitis.

Pag. 789. SIMULACHRA SPIRANTIA.] Homines dicit, qui deorum imaginem repraesentantes spirabant. Supra ait, Dii dignati humanis pedibus incedere.

Ibid. RITU GRAECIENSI.] More Graecanico et lingua, λαοῖς ἄφεσις. Interpretamentum Graecarum dictionum est, *populis missio:* verba sunt, quae Graeci nostrique iuxta usurpant, post cuncta celebrata mysteria, ut dicatur *Missio populis*, scilicet *est*, vel *datur*, ut tunc demum omnibus abire fas sit. Vis exemplum consimile? proximum habes. nam quotidie in mysteriis nostris solet sacerdos post peracta solennia dicere, *Ite missa est:* ita nunc scriba Graece dixit, λαοῖς ἄφεσις: id est, *populis missio*, et ita legendum est. Mendosi codices non *missio* habent, sed *missis*, quod repugnat verbo Graeco atque sententiae. ἀφετήρια, *apheteria* Graeci dicunt carceres, unde equi emittuntur ad cursum, Graece dicitur θύρα ἱπποδρόμου. Sunt et *apheteria*, auctore Suida, ὄργανα πολιορκητικὰ, id est, instrumenta ad urbes expugnandas accommodata.

Pag. 794. PATRIUM OBLATIONE CREDEBAM.] Corrige, *partium oblatione.* nam ex illa oblatione partium, quas pleno gremio visus erat sacerdos offerre, coniectabat lucrum certum indubitanter significari.

Pag. 795. PETITUM SPONDEON LIBANT.] Graeci *spondeon*, id est, σπόνδειον vocant calicem et poculum libatorium atque sacrificale, *spondeus* pes est metricus cunctis notus, qui constat ex duabus syllabis longis, dictus παρὰ τὴν σπονδὴν, quia in sacrificiis libantes eo utebantur: Graeci enim σπονδὴν libamina appellant. Numa Pompilius hunc pedem pontificium nominavit, cum spondeo melo, hoc est, cantu patrios placaret indigetes. Praeterea thure incensis altaribus, tibicen spondalion canere iubebatur, ut duabus longis melodiis, quasi duplicibus et iugibus vocibus prospera deorum voluntas firmaretur. Sensus est: Sacerdos de sacrario penitiore calicem libatorium exprompsit, eumque libavit. Et ita legere malo, ut *spondeon* sit casus accusativus, accipiasque pro vase, quam quod *spondeo* legatur

tur septimo casu, et accipiatur pro pede et carmine sacrificali. Suidas tradit σπόνδεια εἶναι ἀγγεῖα ἐν οἷς σπένδουσι: id est, spondea esse vasa in quibus sacrificant.

Pag. 796.] LUCIS SALUTATIONIBUS.] Adorationibus matutinis incipientibus. namque *salutationes* dicuntur venerationes deorum, et adorationes: et *salutare* deos, est venerari et adorare. Teren. in Phormione: *At ego deos penates hinc salutatum domum devortor.* Exponit Donatus salutatum, adoratum: quod est primum post redditam precem. Hoc idem tradit Servius in 20. commentario. Martialis: *Compressis natibus Iovem salutarat.* Plautus in Curculione: *Quis hic est, qui operto capite Aesculapium salutat?* Vitruvius in quarto de Architectura praecipit, si circum vias publicas erunt aedificia deorum, ut ita constituantur, ut praetereuntes possint aspicere, et in conspectu salutationes facere: hoc est, ut docuimus, deos adorare et venerari. Non ineleganter et nos, quando imus auditum divina mysteria, dicere possemus, nos facere salutationem, et Deum salutare.

Ibid. PRIMAM HORAM.] Sic et nostri sacerdotes primam, tertiam, sextam, nonam horas habent sacrificiis legitimas, et deputatas. Si curiose introspexeris novissimum hoc volumen Apuleianum, haud dubie cognosces pleraque omnia instituta nostrae religionis sumpta esse, translataque ex cerimonia ethnicorum.

Ibid. NOTAE DORSUALIS.] Designat, equum notam sive maculam in dorso habuisse, qua fiebat cognobilior. sic Bucephalus Alexandri magni impressum habuit armo taurini capitis insigne: sic et Caesaris dictatoris equus, pedes priores similes humanis pedibus habuisse proditur. A dorso *dorsualis* nota dicta. Solinus: *Aculeatae sunt*, inquit, *delphini spinae dorsuales. Dorsualia* quoque dicuntur operimenta iumentoria. Iulius Capitolinus in Gallienis: *Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boves cornibus auro iugatis, et dorsualibus sericis discoloribus praefulgentes.*

Pag. 797. FUTURA.] Lego *futuri.* spes, inquit, boni futuri fulciebatur praesentibus beneficiis, quasi pignerata.

Pag. 798. QUANQUAM.] Corrige, *quenquam.*

Ibid. LUCIS LUMINE.] Lego, *limine.* sic Virgil.

Infantumque animae flentes in limine primo.

Pag. 799. POST SUNT.] Corrige, *possint.*

Ibid. ELICERE.] Legendum est *Eligere.* et est ordo ac sensus: Numen deae solet eligere constitutos in ipso lucis finitae limine.

Pag. 800. INTENTIS.] Lego, *intentus.*

Ibid. IPSUM MITHRAM DECERNIT.] Non temere *Mithram* sacerdotem appellat, sed mystico intellectu, alludens videlicet scite et callenter ad nomen Solis, qui Serapis et Osiridis est, quem *Mithram* Persae appellant. Strabo in 15. *Persae*, inquit, *coelum Iovem putant: colunt Solem, quem Mithram vocant. Item Lunam et Venerem, et ignem et tellurem, et ventos et aquam.* De hoc intellexit Papinius in 1. Thebaidos illo versu: *Indignata sequi torquentem cornua Mithram.* Ubi Lutatius interpres inquit: *Sol apud Achaemenios Titan, apud Assyrios Osiris, apud Persas (ubi in antro colitur) Mithra vocatur.* Hostanes quoque refert, Solem proprio nomine *Mithram* dici. Persarum mos est, ut *per Mithram*, id est, Solem iurent. sic apud Plutarchum Artaxerxes iurat, νὴ τὸν μίθραν, id est, *per Solem.* Suidas inquit, μίθραν νομίζουσιν οἱ πέρσαι εἶναι τὸν ἥλιον, καὶ τούτῳ θύουσι πολλὰς θυσίας: id est, *Persae autumant Mithram esse Solem, cui multas hostias sacrificant.* hinc *Mithriaca* sacra dicuntur Osiridis, sive Solis sacrificia, de quibus Helius Lampridius in vita Commodi sic scribit: *Sacra Mithriaca homicidio vero polluit, cum illic aliquid ad speciem timoris vel dici vel fingi soleat.* Scitissime igitur *Mithram* Lucius appellat sacerdotem primarium, quasi Solis lunaeque antistitem, quorum deorum numina et sacra inter se cognata sunt, et communia. *Mithrax* Persarum gemma est, contra Solem varie refulgens.

Pag. 802. CIRCUMRORANS.] Ovid. *Roratis lustravit aquis.* M. Tull. in Legibus praecipit, ut casti divos adeamus, et aspersione aquae labes eluamus: quod et ad animos purificandos refertur. Ex instituto priscorum, sacrificaturus diis superis, corporis ablutione purgatur: cum vero inferis litandum esset, sola aspersione utebantur.

Pag. 804. DUODECIM STOLIS.] Attende, hic *stolas* accipi pro vestibus sacerdotalibus: sicut hodie stolas induunt nostri sacerdotes, quod et *orarium* vocant. Hinc illud 23. di. scriptum est: *Ecclesiastica institutione praefixum novimus, ut omnis sacerdos cum ordinatur, orario, utroque humero ambiatur: nec ad solennia sacrificia accedat, nisi orario utroque humero circumseptus, ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter et utrunque humerum premat.* Alias *stola* dicitur vestis matronalis: unde *stolatus pudor*, pro matronalis. Valerius Max. *Te custode matronalis stola censetur.* ideo autem videtur dixisse 12. stolis se sacratum processisse, propter duodecim signa zodiaci. Namque in mysteriis Iudaicae cerimoniae duodecim panes in mensa positi significabant circulum duodecim signorum, atque annum duodecim mensibus divisum: septem vero lucernae, in ipso candelabro, septem planetas indicabant. In sacris literis numerus duodenarius refertur ad duodecim tribus Israëliticas. et in Apocalypsi Ioannis legimus, amictos stolis albis nuncupari puros, et candore mentis immaculatos. Lego apud auctores Graecos pulcher-

cherrimum esse somnium, ferre στόλην λευκὴν, id est, stolam candidam. contra stolam purpuream portendere, longum morbum. ornari stola regia signat λύσιν ἐλπίδων, id est, spei solutionem.

Pag. 805. EXORNATUM.] Lege, *exornato*, ut constructio congrua sit. se autem exornatum dicit ad instar Solis, quia coronatus erat corona palmacea, cuius folia radios Solis repraesentabant.

Pag. 806. DETRUSIS.] Lego, *detersis:* id est, abstersis.

Pag. 807. LUMINAS SOLEM.] Evidenter ostenditur deam hanc esse, intelligique parentem rerum naturam, ac opificem Deum summum, cuius nutu cuncta fiunt; qui principia, fines, et media rerum omnium penetrat: qui illustrat Solem, rotat Mundum, quem patrem et architectum huius Orbis pronunciant. Alioqui lunae non convenit, ut Solem illuminare dicatur, cum ipsa a Sole lumen mutuetur: nec Luna rotat Orbem, sed ipsa in Orbe statutis motibus rotatur. denique lunae maiestati ista non conveniunt, quae hic explicantur, nisi mystico intellectu perpendantur. Itaque haec omnia ad ultramundanum Deum referenda sunt, qui genitor rerum omnium est beatificus, optimus, maximus, indicibilis, innominabilis: qui sive masculino genere, sive foeminino dicatur, nihil refert, cum in rebus divinis non sexus, sed potestatis maiestas quaerenda sit.

Ibid. FLUMINA.] Speciosior lectio est, *flamina:* ut dicat, *flamina*, hoc est, ventos deae nutu spirare. Non ignoro, et ex fluminibus auras spirantes sentiri. unde Homerus et Plinius, auras antelucanas e flumine semper insalubres esse tradiderunt. De Nilo auctores annotaverunt, quod contra fluminum naturam nullas spiret auras, quasi anauros, id est, sine aura sit.

Pag. 808. QUOD DEUM.] Legendum puto, *cum:* ut ad sacerdotem referatur, cuius beneficiis remunerationem condignam negat se posse rependere.

Pag. 810. COMPENSIS.] Minutulus error syllabae unius, literaeve, interdum magis obturbat ac remoratur commentatoris intentionem, quam dictiones totae universae atque praeposterae, qualis est hic locus, qui (ut verum fatear) diu me torsit, vexavitque; cum emendatio congruens non suppeteret, et dictio barbara illiterataque cognosceretur. Tandem re etiam atque etiam agitata, inspecta, perpensa, videor (ut mihi blandiar plausibiliter) aperuisse verbum prorsus Appuleianum, ut scilicet legas *Campensis*, intellectu historico, et verbo. nam in campo Martio Romae erat templum Isidis, unde a loco sumpsit nomen ut *campensis* diceretur. quod autem in campo Martio templum Isidis fuerit constitutum, praeter alios ostendit poëta Satyricus, cum ait:

A Meroë portabit aquas, ut spargat in aedem
Isidis, antiquo quae proxima surgit ovili.

Namque hoc versu evidenter videtur, aedem Isidis fuisse proximam ovili. ovile autem fuisse in campo Martio, tradunt omnes, et inprimis Strabo scribit lib. 5. dictatorem Syllam Marianos ad quatuor fere milia, quia arma proiecerant, in campo Martio ad ovilia coactos, immissis militibus triduo iugulasse. Livius quoque ovile indicat fuisse in campo Martio, volumine ab origine urbis 25. Quin etiam Servius grammaticus, septa et ovilia in campo Martio inclusa tabulatis tradit, quamvis parum explicate: ut in notis Servianis coarguimus. Lego apud Iosephum lib. 18. Antiquitatum, templum Isidis funditus eversum esse Romae, iubente Tiberio, statuam Isidis in Tyberim fluvium proiectam, sacerdotes Isiacos in cruce sublatos, ob scelus quo matronam adultero tanquam Deo Anubidi prostituerant.

Ibid. SOL MAGNUS.] Potest legi *magnum*, iuxta illud Maronianum:

Interea magnum Sol circumvertitur annum.

Annus enim Solis *magnus* dicitur, comparatione lunaris anni, qui est menstruus. De magno anno, et maximo, doctissime inter caeteros auctores scribit Censorinus libro de Die natali.

Ibid. AD.] Lege *at:* ut sit particula adversativa, quae tamen ab antiquis per *d* scribitur.

Ibid. DOMINIQUE.] Legi potest *deûmque*, pro deorum.

Ibid. ARTIO.] Corrige, *ratio.* menda est ex transmutatione literarum, quales errores subinde scaturiunt in codicibus impressis.

Pag. 811. FIDE ABFUIT.] Lego, *nec fides abfuit.* Potest et legi, *nec is defuit:* utroque intellectu lectioneque planissima.

Pag. 812. ASINUM MARCELLUM.] Lego, *Asinium:* siquidem Romanum nomen est *Asinius*, ut apud Catul. *Marrucine Asini manu sinistra Non belle uteris.* Celebrati sunt inter oratores Asinius Pollio, et Asinius Gallus. In patria mea gens Asiniorum fuit olim florentissima, opulentissimaque: a qua turris in minusculo foro constructa convisitur, quam a conditoribus in hodiernum usque cognominant turrim Asiniorum, quae altitudine structuraeque aequilibrio est Bononiae spectatissima.

Ibid. ALIENUM NOMEN.] Legendum putamus, *Non alienum nomen.* dicit enim, Asinium Marcellum habuisse nomen non alienum a sua reformatione, qua in asinum fuerat demutatus. namque inter asinum et Asinium cognatio est et proximitas. igitur congruenter illi qui asinus fuerat, per Asinium sacra ministrantur.

Pag. 813. CIRCA VOTUM.] Corrige, *contra votum.*

Ibid. IURICULAS PATRIMONII.] Legendum est, *viriculas:* hoc est, pusillas vires, a viribus ὑποκοριστικῶς inflexo vocabulo. Dicimus autem ele-

eleganter *viriculas patrimonii*, pusillum patrimonium sive facultatam, et reculas. in Apologia scribit patrimonium a se imminutum modice esse, partim peregrinationibus, partim liberalitatibus, dum amicis opitulatur, et magistris gratiam refert, quorum filias etiam dote auxit.

Ibid. INTER SACRUM ET SAXUM POSITUS.] Proverbium hoc difficultatis est, et periculi: cui consimile est illud vulgi sermone protritum, inter calces et parietem. hoc autem maxime Plautinum est ex Captivis: *Nunc ego inter sacrum saxumque sto, nec quid faciam scio.* sumptum autem videtur a foedere faciendo, cuius haec erat formula. Fecialis sacerdos sumpto in manu saxo, porcoque adhibito, post recitatas ex tabula leges: *Audi* (inquit) *Iupiter, si illis legibus Pop. Romanus prior defecerit publico consilio, dolo malo, tu illo die Pop. Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes, pollesque.* Ubi id dixerat, porcum saxo silice percutiebat. ex hac solemnitate foedus Grammatici dictum esse interpretantur, a porca foede et crudeliter occisa. Igitur cum porcus ille inter sacrum foederis, et saxum fecialis sacerdotis staret periculo proximus, foedamque mortem iamiam subiturus, ubi nullum erat effugium: inde factum est proverbium de hominibus in periculo et difficultate positis, ut dicatur, *Inter sacrum et saxum positus est.* Haud longe dissimilis sententiae est παροιμία illa Graecorum τῶν ὤτων ἔχω τὸν λυκὸν: Latine dicitur, *auribus lupum teneo*: cuius Terentius, Suetonius, Hieronymus meminerunt. Quoniam incidimus in mentionem lapidis sacrificalis, non ab re fuerit hoc potissimum loco annotatiunculam conficere, enarrareque, quid sit Iovem lapidem iurare. nam et apud M. Tull. quaeri solet, quid significet in epistolis ad Trebatium: *Quomodo tibi placebit Iovem lapidem iurare.* et apud Gellium: *Iovem lapideam*, inquit, *quod sanctissimum iusiurandum est habitum, paratus sum ego iurare.* Hoc anxie quaerens, legi iampridem, quod ad hanc rem facit apud Festum Pompeium, scriptorem promiscuum, sic tradi: *Lapidem silicem tenebant iuraturi per Iovem, haec verba dicentes: Si sciens fallo, ita me Diespiter salva urbe arceque bonis eiiciat, ut ego hunc lapidem.* Verum cum hoc Grammatici interpretamentum non plenum esse mihi videretur, neque desiderio faceret satis, in evolvendis voluminibus incidi in Polybium Megalopolitanum, qui fusius uberiusque explicat, quid sit Iovem lapidem iurare. cuius verba, ut res planius noscatur, apposui ex libro 3. historiarum, quae sunt haec: *In primo foedere iusiurandum factum accipimus, primum Carthaginenses deos patrios iurati sunt: deinde Romani per lapidem, secundum vetustissimum ritum, Martis Quirinique numinibus additis, iusiurandum praestiterunt: ritus vero lapidis fuit huiusmodi. Fecialis sumpto in manus lapide, postquam de foedere inter partes convenerat, haec verba dixit: Si recte ac sine dolo malo hoc foedus atque hoc iusiurandum facio, dii mihi cuncta foelicia praestent. sin aliter aut ago, aut cogito, caeteris omnibus salvis, in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulchris, solus ego peream, ut hic lapis e manibus meis decidet. nec plura locutus, manu lapidem deiecit.* Hactenus Polybius.

Ibid. COMITEM.] Legitur et *committere.*

Ibid. INANIS CONTENTUS CIBIS.] Lego, *inanimis:* hoc est inanimatis. Dicit enim se in hac quoque cerimonia auspicanda abstinuisse ab esu animalium per decem dies, sicuti et Isiacis quoque mysteriis factitaverat. Trismegistus: *Hoc optantes convertimus nos ad puram et sine animalibus coenam.* Denarias cerimonias prisci dixere (ut iam docuimus) quibus sacra adituro decem continuis diebus, certis quibusdam rebus et cibis erat temperandum.

Pag. 814. IMPERIIS DOMINI.] Iussu Osiridis. Vel lege *Deûm*, pro deorum: cuiuscemodi error frequenter obrepsit.

Pag. 816. DOMINI.] Osiridis: vel dic *deûm* pro deorum, ut saepe.

Pag. 816. RECIPERE.] Lego, *praecipere:* est enim visus praecipere et monere.

Pag. 817. DESERVIEBAT.] Emendo, *disserebat:* hoc est, disseminabat. praemisit enim disseminationes malevolorum: nam rumusculi et maledicta invidorum disserebantur, id est, disseminabantur, divulgabanturque: cum gloriosa doctrina Lucii rumperentur, et hominis virtutem ferre non possent: invidet enim nemo nisi superiori. Sententia Plautina est: *Malim mihi invidere inimicos meos, quam me inimicis meis.*

Ibid. QUAM RARO CAPILL.] Legi etiam potest *quam raso*, ut dicat capillis bene derasis ex instituto rituque cerimoniae se peregisse munia et officia, pertinentia ad collegium pastophororum, quod Syllanis temporibus conditum fuisse designat. Cuius rei nulla sane extat historia. nec refert, neque enim res haec est digna historico stylo, cum auctore Cornel. Tacito ex dignitate R. P. repertum sit, res illustres scribendas annalibus mandare: minuta vero et vilia, qualia sunt haec de collegio pastophororum, diurnis urbis actis tradi.

IOANNIS PRICAEI

IN

APPULEII METAMORPHOSEON LIBROS

COMMENTARII.

LIBER PRIMUS.

Pag. 1. Ed. Pric. *At ego* etc.] Noluimus hoc initium in versiculos tribui, nam etsi in Codice Florentino tali formâ exaretur, in nullo alio (et citantur multi) id servatum apparet; quare cum unius auctoritatem contra plurimos obtinere oportere haud aequum putemus, nec efficax ulla ratio adducta sit cur in versus distingui debeat, ad Elmenhorstii editionem, quam ad voluntatem nostram id hîc factum, in limine profitemur.

Ibid. *At ego tibi* etc. *varias fabulas conseram*] Infra lib. 4. *At ego te narrationibus lepidis, anilibusque fabulis protinus avocabo.* Plinius lib. 5. Epist. 8. *Sunt enim homines naturâ curiosi, et quamlibet nudâ rerum cognitione capiuntur, ut qui sermunculis etiam fabellisque ducantur. Fabulas conserere* dixit et Julius Capitolinus: *Omnes* (inquit) *qui libere fabulas conserebant, male Pertinaci loquebantur.* ar vulgo, minus recte, *conferebant* editur. Idem in Firmico mendum, apud quem 2. 33. *fabulas conferre.* Virgilius: *Multa inter sese vario sermone serebant*, ubi Servius: *Proprie sermo qui inter utrumque seritur.* Sic infra hîc lib. 6. *verba serere*, lib. 8. *Sermonem conserere.* quomodo et Arnobius 5. et apud Gellium 2. 23. Caecilius locutus.

Ibid. *Auresque tuas bibulas lepido susurro permulceam*] Ex nostro Fulgentius: *Ut feriatas affatim tuarum aurium sedes lepido quolibet susurro permulceam.* Pro *bibulas* Codd. Florent. et Oxon. *benevolas.* at altera (quam substituit Scaliger) praeferenda lectio. Persius: *Nequicquam populo bibulas donaveris aures.* Horatius: *Densum humeris bibit aure vulgus.* Sidonius: *Exposita legis bibat auribus ut medicinam.* Propertius: *Suspensis auribus ista bibam.*

Ibid. *In alias imagines conversas* etc. *exordior*] *In nova fert animus mutatas dicere formas Corpora.*

Ibid. *Et in se rursum mutuo nexu refectas.*] Infra lib. 3. *Mihi Domina singula monstravit, quae possunt rursus in facies hominum tales figuras reformare.* In de Platonis dogm. *Ad instar syllabarum mutuo nexu refectas.* Ibidem: *Globorum inter se nexorum per vices mutuas.* In de mundo: *Mutuis adhaesionibus nexa.* Eodem libro: *Elementorum inter se mutui nexus.* Scholiastes vetus Horatii: *Mutuis nexibus fiunt catenae.* Infra hîc libro 3. *Capillos in mutuos nexus obditos atque nodatos.*

Ibid. *Taenarus Spartiaca*] lib. 6. *Lacedaemon Achaiae nobilis civitas non longe sita est: huius conterminam deviis abditam locis quaere Taenarum.*

Ibid. *Glebae foelices*] Georg. 4. *Manu foelices erue sylvas.* Ubi Servius, *Fertiles.* Recte autem inter terras fertiles terram Atticam ponit. De eâdem Aristophanes, λιπαρὰν χθόνα. Scholiastes: Εὐθαλῆ, τὴν πᾶσι κομῶσαν.

Ibid. *Libris foelicioribus conditae.*] Melius ita quam *creditae.* lib. 4. *Et nomen meum coelo conditum etc.* Pro *libris*, *liberis* legendum Becichemus contendit. *Liberos* exponit filios vel alumnos terrae illius. Quâ verisimilitudine id faciat, ego nondum perspicio.

Ibid. *Ibi linguam Attidem* etc.] Firmatur et haec lectio ab Oxoniensi MS.

Ibid. *Primis pueritiae stipendiis*] Sic *prima Veneris stipendia* infra lib. 9. Et *prima pueritiae rudimenta* lib. 7. Justini.

Ibid. *Indigenam sermonem aerumnabili labore* etc.] Ita Hieronymus ait: *Hebraeam linguam se multo labore ac sudore, nec tamen nisi ex parte didicisse.* et ibidem (in Epistolis inquam) *Quid laboris insumpserim, quid sustinuerim, quoties desperaverim, quotiesque cessaverim, testis est conscientia tam mea qui passus sum, quam eorum qui mecum duxerunt vitam.*

Ibid. *Stilo quem accessimus* etc.] Scaliger et Is. Pontanus *arcessimus.* ego *accersimus* praetule-

rim. Infra lib. 5. *Nec ullo in genere mortis accersito perimas.*

Ibid. *Fabulam Graecam incipimus*] lib. 9. *Fabulam bonam etc. ad aures vestras afferre decrevi. et en occipio.*

Pag. 2. *Praefamur ven. si quid exotici* etc. *offendero*] Solennis alienigenarum Scriptorum deprecatio. Macrobius lib. 1. 1. de Lectoribus suis. *Petitum impetratumque volumus, ut aequi bonique consulant, si in nostro sermone nativa oris Romani elegantia desideretur.* Pacatus Panaegyrici initio. *Huc* (timori meo) *accedit auditor Senatus, cui cum difficile sit* etc. *de Te* (Imperatorem alloquitur) *satis fieri, tum difficilius pro ingenita ei hereditaria orandi facultate non esse fastidio rudem hunc et incultum Transalpini sermonis horrorem.* Confer quae facete Cato apud Gellium 11. 8. de Albino, et apud Plutarchum in Apophthegm. MS. Oxon. heic *precamur*, non *praefamur* habet.

Ibid. *A Plutarcho illo inclyto.*] *Antiqui* ILLE *vel magnitudini vel nobilitati assignabant.* Servius ad Aeneid. 10. Idem ad 3. Aeneid. *Hoc pronomine et in venerativa, et in vituperativa significatione Veteres utebantur.*

Ibid. *Ex negotio petebam.*] Ammianus lib. 22. *Ex negotio proprio forte apud Constantinopolim repertus.* et 29. *Constantinopoli, quam ex negotio familiari petebat.* Minucius in Octavio: *Negotii et visendi mei gratia Romam contendebat.* At heic in Nostro *negotium promercale* intellige. Festus verbo *Vici*: *Et tamen ibi nundinae aguntur negotii gerendi causa.*

Ibid. *Ardua montium*] Ovid. *Et in ardua montis Ite simul.* Metamorph. 8. Sic *clivi ardua* Symmachus 7. 69. et *ardua Alpium* Tacitus in Historiis dixere. Virgilius: *ardua terrarum.* ubi Servius: *Periphrasis montium.* Infra hic lib. 3. *Montis ardui vertice.* Lib. 4. *Montis ardui scopulo.* Ibidem: *Ad constitutum scopulum montis ardui.* Lib. 7. *Excelsi montis arduum iugum.* Item in de Mundo: *Olympi acra, et Ossae ardua.* Ibidem: *Ardui montis latus.* Varro 2. 10. de re rust. *Collium difficultatem, ac montium arduitatem.* Theodoretus de Terra loquens 2. περὶ Προνοίας. Εἰς ὄρη καὶ νάπας καὶ πεδία διήρηται. Florid. 2. Noster: *Alibi montium arduos vertices, alibi camporum supinam planiciem.* Hieronymus 22. Epist. *Concava vallium, aspera montium, rupium praerupta.* Iustinus: *Ut non immensa tantum iam ac profunda camporum, verum etiam praerupta collium montiumque ardua occuparint.* Ubi legendum forsan *porrecta camporum.* Minucius in Octavio. *Recta montium, collium flexa, porrecta camporum.* Sic *porrectam planiciem* Ammianus lib. 14. dixit. et 26. in fine, *terrae spatia porrecta.*

Ibid. *Iam eo quoque admodum fesso*] Lib. 9. *Ad hortulum nostrum iam fesso equo diverterat.* Suidas: Ὑπερπνιγεῖς· ἵπποι ὑπερπνιγεῖς γινόμενοι· οἱ δὲ ὑπέρπονοι διὰ τῆς ἄγαν ἱππηλασίας.

Ibid. *In pedes desilio*] Florid. 4. *Retardant equum, in pedes desiliunt.*

Ibid. *Equi sudorem curiose fronte effrico*] Achilles Tatius lib. 1. Τὸν ἵππον ἱδροῦντα κατέψα. et post de Domino eiusdem. Ὁ μὲν κατέψα σου τοὺς ἱδρῶτας. Apud Arrianum ille 1. 19. in Epictetum: Τὸν ὄνον οὐ θεραπεύω; οὐ νίπτω; οὐ περικαθαίρω; Oxoniensis hic *fronde* legit.

Ibid. *Aures remulceo*] Ὦτα ἢ τὴν χαίτην καταψῆσαι, boni equitis esse ait 2. 5. Philostratus.

Ibid. *Quoad* etc. *praesidium eliquaret*] Artemidorus 2. 26. Τὸ σῶμα μετὰ τὸν ἀπόπατον κουφότατον γίνεται. *Eliquaret* est *exstillaret.* Augustinus Confess. 9. 6. *Voces illae influebant auribus meis, et eliquabatur veritas tua in cor meum.* Infra hîc lib. 10. *Fluviales aquas eliquans.*

Ibid. *Ientaculum ambulatorium pronus affectat*] Ambulatorium, quia ambulans gramen carpebat. De Arabum camelis Paedag. 3. 3. Clemens Alexandrinus: Νέμονται ἅμα καὶ θέουσι. *Affectat* vera lectio. Infra hîc, *Appronat se etc. avidus affectans poculum.* et 3. *Labiis undantibus affecto.* Solinus cap. 35. de Trochilo: *Dum reduvias escarum affectat.* Servius ad Aeneid. 3. *Affectare quidam dicunt, pronum animum habere ad faciendum quid, occupandumve.* Glossarium: *Affectantes*, ὀρεγόμενοι.

Ibid. *Duobus comitibus, tertium me facio*] Vide Luc. 24. 15. Infra lib. 10. *Adsciscor itaque in duos illos fratres tertius contubernalis.*

Ibid. *Alter exerto cachinno* etc.] *Terrores magicos, miracula, sagas, Nocturnos lemures, portentaque Thessala ridens. Exerto cachinno*, ut solent iidem non adhibentes. Vide ad Matth. 9. 24. notata.

Ibid. *Parce in verba tam* etc. *immania mentiendo*] His verbis unice illustrantur Hesychiana ista: Θετταλὰ, θαυμαστὰ, ψεύδεσιν ὅμοια. Unde et obiter patet errare eos qui *inania* scribunt: quamquam et eam lectionem Oxoniensis praeferat. Infra lib. 10. *Nec tam immanibus contenta mendaciis.* Tacitus Annal. 11. *Feruntque militem, quia vallum* (gladio) *non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitos. quae nimia, et incertum an falso aucta, originem e severitate Ducis traxere.* Illud *nimia* a Rhenano est. in MS. enim *munia* erat. quae etsi non vera, tamen vero proxima scriptura. legendum, *quae immania etc.* Sic idem 4. Annali, *fabulosa et immania* dixit.

Ibid. *Sititor alioqui novitatis*] Codd. Palat. et Oxon. *sciscitor:* fortasse *sciscitator* legendum. De more illo, eiusmodique ingeniis vide ad Act. 17. 21. notata.

Ibid.

Ibid. *Non quidem curiosum, sed qui velim* etc.] Augustinus Confess. 26. *Curiositas affectare videtur studium scientiae.* Firmicus Mathes. 3. 11. *Absconsarum artium doctrina pollentes, et qui omnia quae in rebus humanis sunt, velint scire.* Herodianus de Marco Antonino, Περιεργότερος ὢν, πάντα εἰδέναι ἤθελεν. Horatius: *Scribetur tibi forma loquaciter etc.* Scholiastes: *Loquaciter, quasi curiose audituro, ac scire cupienti.*

Ibid. *Fabularum lepida iucunditas levigabit*] Apollonius 8. 5. apud Philostratum: Ἡδίους οἱ καθ' ὁδὸν λόγοι παραπέμψαι βαδίζοντας. ἴωμεν οὖν διαλαλοῦντες. Virgilius: *Varioque viam sermone levabant.* Minucius in Octavio: *Oram curvi molliter litoris, iter fabulis fallentibus legebamus.* Heliodorus 3. Τὸν πόνον τῆς ὁδοιπορίας ἐπικουφίζων, καὶ τῷ διηγήματι παραπέμπων.

Pag. 3. *Amnes agiles reverti*] Lucanus, ubi de venefica: *De rupe pependit. Abscissâ fixus torrens, amnisque cucurrit Non qua pronus erat.* Ovidius simili argumento: *Inque caput liquidas arte recurvat aquas.*

Ibid. *Mare pigrum* etc.] Tacitus in Agricolae vita: *Mare pigrum et grave navigantibus.* Idem in de Germania: *Mare pigrum, et prope immotum.* Avienus Periegesi: *Hic devincta sali stant marmora, pigraque Ponti Se natura tenet.* Et in Ora maritima: *Sic segnis humor aequoris pigri stupet.* Apud Isidorum Orig. 14. 6. *Pigrum et concretum mare.* Infra hic lib. 6. *Fluentum pigrum. Pigros latices* dixit et Lucretius.

Ibid. *Ventos inanimos expirare*] Servius ad 6. Eclog. *Animae, i. e. aëris, unde etiam venti sunt.*

Ibid. *Ne te pigeat vel taedeat.*] Sallust. Jugurth. *Dum me civitatis morum piget taedetque.* Seneca cap. 2. de Tranquill. *Et poenae incumbens suae, dum piget sui taedetque.*

Ibid. *Crassis auribus respuis* etc.] Simillima Matth. 13. 15. ubi dicta vide. *Crassis auribus*, ut apud Scriptorem ad Hebraeos νωθροὶ ταῖς ἀκοαῖς. Vide Suidam in λασιόκωφος. Calpurnius 4. Ecloga *aures obesas* dixit. *Respuis*, est γελοῖα ποιεῖς ἀπιστῶν, ut apud Lucianum in Philopseude. Oxoniensis heic non male, *a crassis etc.*

Ibid. *Ea putari mendacia quae vel auditu nova* etc.] Lucretius: *Sed neque tam facilis res ulla est quin ea primum Difficilis magis ad credendum constet, itemque Nil adeo magnum, nec tam mirabile quidquam Principio, quod non minu' fiat mirabile cunctis Paulatim.* Socrates apud Lucianum in Alcyone: Ἐοίκαμεν ἡμεῖς τῶν δυνατῶν τε καὶ ἀδυνάτων ἀμβλυωποί τινες εἶναι κριταὶ παντελῶς· δοκιμάζομεν γὰρ δὴ κατὰ δύναμιν ἀνθρωπίνην, ἄγνωστον οὖσαν καὶ ἄπιστον, καὶ ἀόρατον. πολλὰ οὖν φαίνεται ἡμῖν καὶ τῶν εὐπόρων ἄπορα, καὶ τῶν ἐφικτῶν ἀνέφικτα, συχνὰ μὲν καὶ δι' ἀπειρίαν, συχνὰ δὲ καὶ διὰ νηπιότητα φρενῶν. Infra hoc lib. *Hominibus multa usu venire mira et pene infecta, quae tamen ignaro relata fidem perdant.* Ubi vide Arriani locum. Confer et quae de Plinio 9. 4. Aulus Gellius.

Ibid. *Supra captum cogitationis*] Florid. 2. *Supra captum hominis.*

Ibid. *Ego denique vespera dum polentae caseatae*, etc.] Falluntur docti Viri (Pius et Colvius) qui *vesperna* legebant. vera est quam posuimus lectio, cum ab aliis, tum et Oxoniensi Cod. firmata. Sic infra lib. 2. *Vespera quoque cum somno concederes.* lib. 3. *Et abigor procul ab eo hordeo, quod apposueram vespera* etc. *illi gratissimo famulo.* Eodem libro: *Atque utinam de more vesperâ corollas parassem mihi.* Infra hic: *Quod vespera poculis minus temperavi mihi.* Ita Graeci, quos fortasse Apuleius imitatur. Xenophon: Ἑλλην. 4. Ἑσπέρας συνεδείπνουν αὐτῷ, id est, *heri vesperi.* Sequentia miris modis agitant, nec tamen sensum commodum efficiunt. Legendum puto, *in convivas aemulas*, id est, avidus, timens ne quis celeritate edendi praeteriret me. Et recte hinc additum, *minimo minus interii.* Petronius: *Cibus avidum strangulavit.* De filio Clodii Pulchri Valer. Maximus: *Abdomine avide devorato, foeda ac sordidae intemperantiae spiritum reddidit.* Plinius 7. 53. ubi de repentinis mortibus, *Iam L. Manlius Torquatus Consularis, cum in coena placentam appeteret*, supplendum, *mortuus est.* De *placenta caseata* Epigrammatista vetus apud Suidam: Καὶ τὸν πλακόεντα Πίον τυροφόρον. Et Aristophanes Acharnens: Κἀμοὶ πλακοῦντος τυρονώτου δὸς κύκλον. Hesychius: Τυρόεντα, πλακοῦντα.

Ibid. *Ima gula spiritum detinente*] Scriptor de Excidio Hierosolymit: qui vulgo Hegesippus: *Si quid sorbuissent mollioris alimoniae, interclusis iam faucium meatibus strangulabantur.* In fragmentis Petronianis: *Faucibus obsessis vitalis semita cessit.* In Cod. Oxon. est *mea gula.* quomodo et in aliis MSS. legi Elmenhorstius monet.

Ibid. *Mollicie cibi glutinosi* etc.] Ammianus (frequens Appulei imitator) lib. 20. *Glutinosa luti mollicies.* Et 22. *Arenarum glutinosa mollicies.* Solinus de bitumine: *Adeo lentum mollicie glutinosa, ut a se nequeat separari.* Isidorus Orig. 20. 2. de pulpâ. *Hanc viscum plerique putant quod glutinosa sit.*

Ibid. *Minimo minus*] Florid. 2. *Instar illi minimo minus quam columbarum.* In Glossis Isidori: *Semivecors, minimus a vecorde.* Scripserim: *minimo minus a vecorde.*

Ibid. *Athenis proxime ante Poecilen porticum*] Cornel. Nepos in Miltiade: *In porticu quae Poecile vocatur.* Facete hic Beroaldus: *Athenas*

pro-

proximo, id est, *appropinquo*. Legendum *proxime*, ut edidimus. hoc est, *paucis diebus*. Glossarium: *Proxime*. ἔγγιστα *etc*. πρὸ ὀλίγου.

Ibid. *Isto gemino obtutu etc. aspexi* etc.] Οὐκ ἄλλων παρὰ Κλύουσ᾽. ἔκλαυσα, τοῖς δὲ εἶδον ὄμμασιν. inquit Hecuba apud Euripidem. Vide 1 Ioh. Epist. 1. 1.

Ibid. *Infesto mucrone*] Plutarchus in Apophthegm. Τὰ Λακωνικὰ ξίφη διὰ σμικρότητα καταπίνουσιν οἱ θαυματαποιοί. Chrysostomus contra Gentiles: Οἱ μὲν ἥλους ὀξεῖς καὶ ἠκονημένους ἔφαγον, οἱ δὲ ὑποδήματα διεμασσήσαντο, και κατέπιον. Vide quae in hoc genere mirifica apud Nicephorum Gregoram libro 8. leguntur: *Infesto mucrone*, ut lib. 8. *infestis praedonum mucronibus*. et Quintilianum 9. Declam. *Quoties ad infestum mucronem etc. me summisi!* Seneca Epist. 82. *Quis post hanc vocem dubitet se infestis mucronibus ingerere?* Petronius: *Gyton ad virilia admovit novaculam infestam*. Virgilius: *Infesta subit obvius hastâ*. Ubi Servius: *In vulnus parata, vel protenta*.

Ibid. *Mucrone*] Glossarium: *Mucro*. ἄκρον σιδήρου. Ibidem: *Mucrone*. ἄκρῳ ξιφιδίῳ.

Ibid. *Invitamento exiguae stipis*] Simplicius in cap. 13. Epicteti: Τὴν πρὸς τὰ φοβερότατα ἄγνοιαν παίγνιον ὁ συνεθισμὸς ποιεῖ. ὡς ὀλίγου κερματίου χάριν αἱρεῖσθαί τινας αὐτήν. Musonius: Οἱ δὲ ἐπὶ τῶν κάλων μετέωροι βαδίζοντες, οἱ δὲ ὥσπερ ὄρνεα πετόμενοι διὰ τοῦ ἀέρος etc. καὶ πάντα ταῦτα μικροῦ χάριν μισθοῦ. Origenes contra Celsum: Καὶ πρὸς τὰ ὑπὸ τῶν μαθόντων ὑπὸ Αἰγυπτίων ἐπιτελούμενα ἐν μέσαις ἀγοραῖς, ὀλίγων ὀβολῶν ἀποδιδομένων. Clemens Stromat. 7. Εἰς τὰς μαχαίρας κυβιστῶντας ἐξ ἐμπειρίας etc. ἐπὶ λυπρῷ μισθῷ.

Ibid. *Exiguae stipis*] Ovidius: *Exiguae quis stipis aera neget?*

Ibid. *Puer in molliciem decorus*] Idem: *Artifices lateris, scenae spectacula amantur, Tantum mobilitas illa decoris habet*. Oxoniensis: *in mollicie decorus*, commodius quam vulgati. Sic 2. *gravis in annis*, *in aetate pretiosus*. et, *in rubore suffusus*.

Ibid. *Exossem et enervem saltationem explicat*] Claudianus: *Quis Medicus vibrata puer vertigine molli Membra rotet, verrat quis marmora crine supino, Quis magis enodes laterum detorqueat artus*. Laberius apud Macrobium: *Cur cum vigebam membris praeviridantibus, Satisfacere populo, et tali cum poteram viro, Non flexibilem me concurvasti ut carperes?*

Ibid. *Flexibus tortuosis*] Isidorus 12. 7. de hirundine: *Per tortuosos orbes, et flexuosos circuitus pervolans*. Idem 12. 4. de colubro: *In lubricos tractus flexibus sinuosis labitur*. Ammianus lib. 24. *Per flumen etc. assiduis flexibus tortuosum*.

Ibid. *Cum omnium* etc. *admiratione*] Hinc θαυματοποιοὶ et θαύματα.

Ibid. *Dei medici baculo quod nodosum gerit* etc.] Infra lib. 7. *Nec baculi nodosi saevis ictibus temperat*. Festus in verbo: *In insula* etc. de Aesculapio isto: *Bacillum nodosum habet, quod artis difficultatem significat*. *Bacillum ramulis semi amputatis nodosum*, ut apud Theocritum: σκύταλον κεχαραγμένον ὄζοις. Eidyll. 17.

Pag. 4. *Tu sodes qui occoeperas, fabulam remetire*] In Varronis Menippaeis: *Quod coeperat modo in via narrare, ut ad exodium perducas*.

Ibid. *Prandio participabo*] Infra lib. 9. *Opipari prandio participat*. Gloss. Μεταδιδῶ μέρους, *participo*. Plautus: *Communicabo te semper mensa mea*. Achilles Tatius 2. Τὸ ἄριστον ἐκοινωνοῦμεν ἤδη καὶ λόγον.

Ibid. *Haec tibi merces posita est*] Virgil. *Nec partem posuere suis*. Idem 5. *Et praemia ponit*.

Ibid. *Aequi bonique facio*] lib. 3. *Tibi etc. honorum talium parem gratiam memini, verum statuas et imagines dignioribus etc. reservare suadeo*. Scholiastes ad Ranas Aristophanis: Παραιτούμενοι οἱ παλαιοὶ ἔλεγον, κάλλιςˊ ἐπαινῶ. Daniel 5. 17. ad Baldassarem Regem: Τὰ δώματά σου σοὶ ἔστω etc. ἐγὼ δὲ τὴν γραφὴν τῷ βασιλεῖ ἀναγνώσομαι. *Aequi boni facere*, tantum est ac si dicat quis, *Tam teneor dono quam si dimittar onustus*, id est, gratias agat, at oblatum respuat. Sic infra 11. *Quorum* (amicorum) *oblationes honestas aequi bonique facio: quippe cum mihi familiares, quod ad victum cultumque succederet, deferre prospicue curassent*. Onomast. vetus. *Aequi boni facio*: εὐγνωμονῶ τινι.

Ibid. *Deierabo Solem istum videntem Deum*] Apud Lucianum Toxari: Πρότερον ὀμοῦμαί σοι τὸν ἡμέτερον ὅρκον etc. οὐδὲν πρός σε ψεῦδος ἐρῶ. De Sole teste advocato Ovidius 3. Metam. *Per tibi nunc ipsum (neque enim praesentior illo Est Deus) adiuro tam me tibi vera referre, Quam veri maiora fide*. Aeschylus: Καὶ τὸν πανόπτην κύκλον Ἥλιον καλῶ. et Iulianus Misopog. Καὶ τούτου μάρτυρα καλῶ τὸν μέγαν ἥλιον πρὸς τοὺς ἀπιστοῦντας. Philostratus 6. 4. Καὶ εἰς τὸν ἥλιον καταβλέψας, ὄμνυ αὐτὸν. Oxon. hic *compertu*. at probum alterum illud. Gellius 5. 18. *Ut verae rationes post compertae monebant*. Noster lib. 9. *Fabulam* etc. *suavem compertam* etc. Errabat ergo qui *vero* reponebat.

Ibid. *Me vera comperta memorare*] Seneca Nat. quaest. lib. 4. Praefat. *Incredibile est quod dicturus sum, sed tamen verum*. Chrysostomus Homil. 13. in Epist. ad Ephes. Ἴσως μέν ἄπιστα δόξω ἐρεῖν, πλὴν ἀλλ᾽ ἀληθῆ. Seneca Epist. 50. *Incredibilem tibi narro rem, sed veram*.

Ibid. *Si Thessaliam proximam civitatem* etc.

Sic

Sic Vicentina anni 1488 editio, et MS. Oxoniensis. Quidam *Thessalicam* ediderunt, alii *Thessaliae* maluerunt: et locum bene se habentem infirmum effecerunt. Solinus, cap. 14. de Thessaliae oppidis: *Egregia sunt Phthia, Larissa, Thessalia et Thebae.*

Ibid. *Q. ibidem passim per ora populi sermo iactetur quae palam gesta sunt*] lib. 6. *Per omnium ora populorum discurrens, etc.* Minucius Octavio: *Et de convivio notum est: passim omnes loquuntur. Palam gesta sunt*, est quod Act. 26. 26. οὐκ ἐν γωνίᾳ. quo loco notata vide. *Ibidem*, i. e. in civitate Thessaliae: et hinc erudite *populi*, non *populorum* dixit. Servius ad Aen. 1. *Cum populos numero plurali dicimus, urbes significamus: cum vero populum, unius multitudinem civitatis intelligimus.*

Ibid. *Sed ut prius noritis qui sim, et cuiatis*] lib. 10. *Sed prius est ut vobis referam quis iste, etc. vel unde fuerit.* Ennius: *Quisquis erit, cuiatis erit.* Accius Telepho: *Qui neque cuiatis esset unquam potuimus Multa rogantes scire.* Horatius: *Abi, quaere, et refer, unde domo, quis, Cuius fortunae quo sit patre, quove patrono.* Virgilius: *Qui sit fari, quo sanguine cretus, Hortamur.* Ubi Servius: *Qui sit: h. e. quis Graecorum sit: id est, cuius filius.* Nautae ad Ionam 1. 8. Τίς σου ἡ ἐργασία ἐστι; *etc.* ἐκ ποίας χώρας καὶ ἐκ ποίου λαοῦ σύ. Plautus: *Qui sit, cuiatis, unde sit, ne parseris.* Apud Valer. Maximum Servilius Isauricus: *Hunc ego Iudices etc. cuias sit, aut quam vitam egerit etc. ignoro.* Arnobius 2. *Det responsum interrogatus, quisnam sit ipse, aut a quo patre: quibus sit in regionibus editus, quo pacto, et quanam ratione nutritus: quid operis aut negotii celebrans.* Symeon Metaphrastes de Ioanne Euangelista: Ἐπεὶ κατ᾽ ὄψιν τῷ κρατοῦντι (Domitiano) ἐγένετο, καὶ ὅστις ποτὲ, καὶ πόθεν εἴη, καὶ τὴν θρησκείαν ὁποῖος *etc.* ἐρωτᾶτο. Apud Lucianum in Cataplo ille: Οἷος εἰμι, καὶ οἷόν τινα ἐβίωσα τρόπον. Chrysostomus in de Luciano Martyre: Καὶ τις εἴη, καὶ πόθεν, καὶ τί πράττων διατελοίη, μετ᾽ ἀκριβείας ἐδίδαξεν. Illa *qui sim* illustrant quae Asconius ad verba *qui sis* (Divin. in Verr.) adnotavit. *Non* (inquit) *in nomine tantum, et in genere est, sed et in omnibus personae attributis. Ergo, qui sis, et quod Siculus continet, et quod indoctus, et quod non intelligeret etc. Vitam tenere* et infra Noster lib. 9. dixit: quare non puto reiiciendam lectionem illam.

Ibid. *Aeginensis sum*] Oxon. *Argiensis.*

Ibid. *Hypataeo melle, vel caseo, etc.*] Magna in primae vocis scriptura varietas: fortasse tamen edulii nomen, non loci vel regionis latet.

Ibid. *Per Thessaliam, Aetoliam, Boeotiam ultro citro discurrens*] Tacitus Annal. 4. de C. Graccho: *Per Africam et Siciliam mutando sordidas merces sustentabatur.* Exprimitur heic Graecorum περιέρχεσθαι et δολιχεύειν. Infra lib. 10. de duobus fratribus qui panes, mellita edulia, et id genus scitamenta concinnabant. *Meque ad vasa illa compluria gestanda praestinarant, quae Dominis regiones plusculas pererrantibus etc. necessaria erant.* Hesychius: Ἐμπολᾷ, περιέρχεται, πραγματεύεται. Aelianus apud Suidam: Ἔμπορος τὸ ἐπιτήδευμα, πολλοὺς πολλάκις πλοῦς δολιχεύσας. Firmicus 8. 22. *Negotiatores negotiosos, nunquam in uno loco consistentes.* Fulgentius Mytholog. 2. de Mercurio: *Pennata vero* (habet) *talaria, quod negotiantium pedes ubique pergendo, quasi pennati sint. Ultro citro discurrere* (ex Nostro) lib. 25. Ammianus.

Ibid. *Comperto itaque etc.*] Glossarium: *Comperto*, γνωσθέντος.

Ibid. *Hypatae, quae civitas cunctae Thessaliae antepollet*] lib. 3. de eâdem: *Splendidissima et unica Thessaliae civitas.*

Ibid. *Omne enim pridie Lupus negotiator magnarius coëmerat*] Infra lib. 5. *Magnis pecuniis negotiantem.* In vet. Onomast. *Praemercor*, προονοῦμαι.

Ibid. *Inefficaci celeritate fatigatus*] Apud Quintilianum 9. Declam. *Et tamen ille qui tanto opere festinabat sero pervenit.* Pacuvius (restituente Viro summo Io. Gerardo Vossio): *Dolet pigetque magis magisque me Conatum hoc nequicquam itiner.* Ita fieri amat. *Quid tam dextro pede concipis, ut te conatus non poeniteat?* ut recte Iuvenalis.

Ibid. *Sedebat humi scissili palliastro semiamictus: poenali lurore ac misera macie deformatus*] Eugraphius ad 2. 2. Eun. *Miserorum expressio his modis impletur: vultu, habitu corporis, atque vestitu.* Humi sedere solent qui miserias fovent, et aerumnis incubant suis. Statius: *Tu modo fusus humi, lucem aversaris iniquam.* Vide 2 Samuel 12. 17. Ezrae 9. 3. Esaiae 3. 26. Scriptor Historiae Iobi 2. 7. *Testa saniem radens, sedebat in sterquilinio.* De Hecuba Euripides: Ἐπὶ χθονὶ κεῖται Κόνει φύρουσα δυστηνὸν κάρα.

Ibid. *Scissili palliastro semiamictus*] *Squallidus, illota facie, barbaque, comaque Horridus impexa, scisso pannosus amictu.* Infra lib. 9. *Scissili centunculo etc. inumbrati.* Lucianus in de Merc. cond. πολυσχιδὲς ῥάκος vocat. et in Dial. Mort. τριβώνιον πολύθυρον. Petronius *sordidam ac scissam tunicam.* Plutarchus in περὶ Δεισιδαιμ. Ἔξω κάθηται σακκίον ἔχων, ἢ περιεζωσμένος ῥάκεσι ῥυπαροῖς. *Semiamictus* heic, ut infra 7. *centunculis disparibus et male consarcinatis semiamictum.* et 9. *Flebili centunculo semiamicta.* Marcianus Capella: *Sordenti pallio etc. semitectos.* Donatus in de Tragoed. et Comoed. *Laeto vestitus candidus, aerumnoso obsoletus.* Nicetas Choniates: Ῥακίοις ἐσπειρασμέ-

μένοι, ἀπαστίᾳ ἐκτετηγμένοι, τὸν χρῶτα τραπέντες, νεκρώδεις τὰς ὄψεις.

Ibid. *Poenali lurore ac misera macie deformatus*] Infra lib. 9. *Lurore buxeo, macieque foedata.* Sic *hominem macie torridum* apud Ciceronem in pro lege Agrar. contra Rull. ubi malim *retorridum* scribi. Onomasticon vetus: *Retorrescere*, ἀναξηραίνεσθαι. Apud Quintilianum 5. Declam. *Riget squallidi capitis concreta canicies, vigor pristini vultus vacuis luminibus intabuit, et per obstantium crinium illuviem tenuis arentium iactus oculorum.* In veteri Tragoedia apud Ciceronem Tuscul. 3. *Corpus macie extabuit, Lacrymae peredere humore exangues genas, Situ nitoris barba et pedore horrida Atque intonsa, infuscat pectus illuvie scabrum.* Illud *Poenali lurore* a Lipsio est, et quadantenus probari potest. Sic infra lib. 7. *poenale exitium.* et 8. *caligo poenalis.* At Oxon. Cod. et editiones principes habent, *pene alius lurore.* Et hanc prae altera lectionem sequendam putem: *Pene alius*, est *in alium pene virum mutatus.* Ammonius: περὶ ὁμοί. etc. Ἑτεροίωσις, ὅταν ἀφ' ἑτέρου σώματος εἰς ἕτερον μεταβάλῃ, οἷον Νιόβη εἰς λίθον. Hesychius: Ἀλλοίωσις, ἄλλος ἐξ ἄλλου γενόμενος μετασχηματίζεται. Philostratus in Epistolis: Ἐχθές σε ὀργιζομένην κατέλαβον, καὶ ἔδοξα ἄλλην βλέπειν. Terentius 2. 1. Eunuchi: *Adeo homines immutarier Ex amore, ut non cognoscas eundem esse?* Samuel ad Saulum 1. 10. 6. *Et mutaberis in alium virum.* Salvianus 2. de Davide: *Iudicio Dei a se alter effectus.* Et (quod propius ad rem praesentem) in Historia Iobi: *Cumque elevassent* (amici eius) *oculos suos, non cognoverunt eum.* Gregorius Nyssenus Homil. 2. de paup. amand. *Eo calamitate redactus, ut quidnam sit ambigatur: nam neque hominis plane, neque aliorum animantium cuiuspiam indicia prae se fert. Si cum homine conferas, effigies humana respuit deformitatem eam: Si cum rationis expertibus animalibus, ea quoque similitudinem eiusmodi non admittunt.* Et post: *Iuxta vias celebres, et a praetereuntibus frequentatas iacent homines mortui, imo ne homines quidem, sed infaelices hominum reliquiae, signis et indiciis aliquibus indigentes, ut se homines esse fidem faciant: neque enim ex naturae notis quidquam est reliquum, quo possint agnosci.* Oxon. et Florent. Cod. *Ad miseram maciem d.* Pro *miseram* tamen *miram* scriberem. Vide infra lib. 8. notata, ad ea, *mira praesumptione munitus.* Et bene heic *deformatus.* Eustathius ad Odyss. Αὐχμοῦ πιναρότης etc. τὸ λαμπρὸν εἶδος ἀφανίζει. bene et *macie deformatus.* Quintilianus Declam. 14. *Deformis macies inde veniebat.* Idem 12. Declam. famem *malorum deformissimam* vocat, quod nempe caeteris malis deformiores reddat.

Ibid. *Macie deformatus*]. *Cava lumina, pallor in ore, Labra incana situ, scabri rubigine dentes. Dura cutis, per quam spectari viscera possent. Ossa sub incurvis extabant arida lumbis: Ventris erat pro ventre locus, pendere putares Pectus, et a spinae tantummodo crate teneri.* *Deformatus* hic καταισχυνθεὶς, ut bene in Glossario redditur.

Ibid. *Stipes in triviis erogare*] Horatius: *In triviis fixum cum se demittit ob assem.* Lucianus Necyomantia: Πολλούς τε καὶ ἄλλους ἦν ἰδεῖν ἐν ταῖς τριόδοις μεταιτοῦντας. Marc. 10. 46. Ἐκάθητο παρὰ τὴν ὁδὸν προσαιτῶν. *Erogare* mutandum non est. Infra lib. 7. *Nec manum validam erogandae stipi porrigeret.* Glossarium. *Stipem:* ἐλεημοσύνην.

Ibid. *Hunc talem, quanquam necessarium* etc.] Gellius 13. 3. *Qui ob ius affinitatis familiaritatisve coniuncti sunt, necessarii dicuntur.* Glossae: *Necessarius*, οἰκεῖος. Glossae aliae: Οἰκεῖος, ὁ συγγενὴς, *necessarius.* Infra lib. 7. *Per caeteros familiares ac necessarios.* Vide ad Act. 10. 24. notata. *Hunc talem* heic, ut bis in de Philosophia libro, et Miles. 9. Locutio Sallustiana est. Micipsa de Iugurtha: *Colite, observate talem hunc virum.*

Ibid. *Et summe agnitum*] Melius Oxon. *cognitum.* In Floridis: *Hominem bene consultum, etc. bene cognitum.*

Ibid. *Dubia mente propius accessi*] *Dubius quidnam insolita facies ostenderet*, ut Sallustius apud Donatum loquitur. Florid. 4. *Propius accessit etc. ut etiam incognosceret quisnam esset.* Vide Luc. 10. 33.

Ibid. *Quid istud? quae facies? quod flagitium?*] *Quis tam crudeles optavit sumere poenas? Cui tantum de te licuit?* Seneca Oedipo: *Quae dira novi facies lethi Gravior letho?* Apud Aristophanem ille in Thesmophor. Τίς ἡ στολή; Τίς ἡ τάραξις τοῦ βίου; In Eunucho Terentii: *Video sentum, squalidum, aegrum, pannis annisque obsitum, Quid istuc inquam ornati est?* Ex quibus haec sua Apuleius adumbravit.

Ibid. *Domi tuae*] Oxon. *domui tuae.*

Pag. 5. *Tutores iuridici provincialis decreto dati*] Glossarium: *Iuridicus*, δικαιοδότης. In eodem MS. Cod. est, *Iudicis provincialis.*

Ibid. *Diffletis pene ad extremam caecitatem oculis suis*] Catullus: *In assiduos absumens lumina fletus.* Agricola apud Aristophanem in Acharnens: Ἀπόλωλα τὼ 'φθαλμὼ δακρύων τὼ βόε. In vet. Epigrammate: *Hanc sic assidue deflet Petronius, ut iam Deficiant oculos lumina chara suos.* Aldhelmus in de laudibus virginitatis: *Tantisque lamentorum singultibus, et tam rancidis* (lege, *tam raucis*) *questibus lacrymabundus lugubriter flevit, ut gemellis pupillarum luminibus funditus fraudaretur.* Apud Quintilianum 6. Declam. *Et cum assiduos planctus, et irrequietas diceret lacrymas, adiiciebat, Iam pe-*

pene caeca est. Caeterum pro *diffletis* puto *defletis* legendum. Infra lib. 5. *Deflebant oculos, et plangebant ubera.* et hoc ipso libro: *Defletum pro tempore misellum comitem etc.*

Ibid. *Persolutis feralibus officiis*] Infra lib. 9. *peractis feralibus officiis.*

Ibid. *Novarum nuptiarum gaudiis hilarare compellitur*] Festus Pompeius: *Minuitur etc. luctus cum liberi nati sunt, cum honos in familiam venit, etc. cum desponsa est, etc.*

Ibid. *At tu heic larvale simulacrum* etc.] Sic hominem macie pallidum et exsuccum eleganter vocat. In Apologia: *Macilentam vel omnino evisceratam formam, prorsus horribilem et larvalem.* Sidonius 3. 13. *Tota denique est misera facies ita pallida, ut per horas umbris moestificata larvalibus.* Guntherus lib. 8. *Squalentia tegmine foedo Corpora velatus miserandos possidet artus. Foeda situ macies, deformia turpis et aeger Possidet ora color, pressis cutis arida membris Insidet, humana tantum vestigia forma Servat, et antiquam retinet natura figuram. Et, si vera velis imponere nomina rebus, Non homo, sed vivens hominis videatur imago.* Livius lib. 21. *Effigies, imo umbra hominum, fame, frigore, illuvie, squalore enecti.* Curtius de Graecis quibusdam a Persis auribus, manibus etc. mutilatis. *Inusitata* (mel. *invisitata*) *simulachra, non homines videbantur.* Cicero 3. ad Q. Fr. *Ne vestigium quidem eius, nec simulacrum, sed quandam spirantis mortui effigiem.*

Ibid. *Dedecore vestro*] In Palat. *vostro*, quod verae lectioni proximat. est ea ni fallor, *nostro:* ut et in Oxon. Ms. et edit. Vicentina legitur.

Ibid. *Fortunarum* etc. *reciprocas vicissitudines*] Philemon apud Stobaeum: Τύχης μεταβολὰς οὐκ ἀγνοεῖς. Arnobius μιμητικῶς lib. 2. *Cur non immunes agitis tot discriminibus et procellis, quibus quotidie vos agunt exitiabiles multiplicesque fortunae?* Aelianus Τύχης ὀξυῤῥόπας καὶ ταχείας μεταβολὰς Variar. 4. 8. dixit. Diodorus lib. 18. τῆς Τύχης παλιῤῥοίας. *Reciprocas* autem, metaphora a marino aestu desumpta. Philo lib. ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἐλεύθ. Τὰ θνητὰ πάντα σάλῳ καὶ κλύδωνι πραγμάτων διαφερόμενα πρὸς ἀνίσους ῥοπὰς ταλαντεύει. Seneca cap. 28. ad Polybium: *In hoc profundum inquietumque proiecti mare, alternis aestubus reciprocum, et modo allevans nos subitis incrementis, modo maioribus damnis inserens, assidueque iactans, nunquam stabili consistimus loco.* Arnobius lib. 1. *Statis temporibus rerum vicissitudines fiunt: atque ut in maritimis aestubus modo secundae res affluunt, malis reciprocantibus prospera.* Maximus Tyr. Dissert. 30. Ἡ Τύχη ἄλογον, etc. Εὐρίπου δίκην μεταῤῥέον περιφερόμενον, etc.

Ibid. *Sutili centunculo faciem suam* etc. *obtexit*] Ovidius: *Fortunam vultus fassa tegendo suos.* Oxoniensis, et alii Mss. habent *futili.*

Ibid. *Pube tenus caetera renudaret*] Quod solent animo turbati. Achilles Tatius lib. 4. Ἐπειρώμεθα κρατεῖν αὐτὴν, (Leucippen) ἡ δὲ προσεπάλαιεν ἡμῖν, οὐδὲ φροντίζουσα κρύπτειν ὅσα γυνὴ μὴ ὁρᾶσθαι θέλει. Seneca 2. 35. de irato: *Si amictus illius compositus sit, attrahet vestem, omnemque curam sui effundet.* Theophrastus de inverecundo: Ἀναβεβλημένος ἄνω τοῦ γόνατος καθιζάνει, ὥστε τὰ γυμνὰ αὐτοῦ φαίνεσθαι. Et hoc καθόλου faciebant cuivis nimis rei attenti. Manuel Palaeologus de puero in aulaeo muscas venante: Μόγις τινὸς λαβόμενος τῶν ἃ καλοῦσιν ἔνιοι πτιλωτὰ, βακχεύοντι ἔοικεν ὑπὸ τῆς χαρᾶς, καὶ τὰ κράσπεδα ἀνελόμενος τοῦ τελευταίου χιτῶνος, ὡς ἐλίσσας τούτοις τὸ θηραθὲν, πορεύεσθαι ζητεῖν ἕτερον, οὐκ αἰσθάνεται γυμνοῦν ἃ δέον κρύπτειν τοῦ σώματος. Palat. et Oxon. Codd. cum edit. vet. Vicent. *caetera corporis r.*

Ibid. *Nec denique*] lib. 4. *Nec denique nos latuit Chryseros quidam* etc. et forsan libro 8. eo modo legendum: *Nec denique tale facinus oculis meis tolerantibus*, etc. ubi vulgo, *Nec diu.*

Ibid. *Iniecta manu*] Vide quae ad Act. 3. 7. notata.

Ibid. *Fruatur diutius tropaeo suo Fortuna*] Rutil. Numatian. *Infaelix putat illuvie coelestia pasci, Seque premit, laesis saevior ipse Deis.* Sic autem loqui solent qui non pati tantum, sed et frui miseriis volunt. Hecuba apud Euripidem humi cubans, nec se erigi passa: Ἐᾶτε μ' (οὔτοι φίλα τά μοι φίλ' ὦ κόραι) Κεῖσθαι πεσοῦσαν, πτωμάτων γὰρ ἄξια Πάσχω τε, καὶ πέπονθα, κἄτι πείσομαι. Hercules apud eundem humi fusus prae moerore, post liberos et uxorem occisos: Χορευέτω δὲ Ζηνὸς ἡ κλεινὴ δάμαρ, Ἔπραξε γὰρ βούλησιν ἣν ἐβούλετο. Ἄνδρ' Ἑλλάδος τὸν πρῶτον αὐτοῖσι βάθροις Ἄνω κάτω στρέψασα. De Niobe Ovidius: *Pascere crudelis nostro Latona dolore, Pascere, ait, satiaque meo tua pectora luctu, Corque ferum satia, victrixque inimica triumpha.* Virgil. 4. *Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus.* Ubi Servius: *Aut, videat omnia tempestatis futurae, aut, certe satisfaciat crudelitati suae.* Perdite et efflictim amans Plautinus adolescens: *O Pseudole, sine sim nihili.* alius apud Aeschylum: Ἔα με τὴν δὲ τὴν νόσον νοσεῖν. tertius apud Achillem Tatium: Παιζέτω ἡ Τύχη.

Ibid. *Quod fixit ipsa*] Apud Arrianum ille 2. 19. in Epictetum: Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ ἄνθρωπε; ἀρκεῖ ἐμοὶ τὰ ἐμὰ κακά. Ovidius 3. 7. de Ponto: *Parcaque ad extremum quo mea coepit eat.* τὸ *ipsa* non est in Palat. nec Oxon. Ms.

 Ibid.

Ibid. *Effeci sequeretur*] Quam varie hic locus in Mss. concipiatur nil moror ego: veram hanc esse lectionem probant ista e 2. Miles. *Iuxta se ut assideret effecit.* et haec e 3 libro: *Effecit, ut eius hodiernae coenae pigneraret.*

Ibid. *Eumque propere vestio dicam an contego?*] Cornel. Nepos de Cimone: *Cum aliquem offensum a Fortuna videret, minusque bene vestitum, suum amiculum dedit.* Tacitus Annal. 4. de exercitu Syllae vestium indigo: *Cum id Smyrnae in concionem nunciatum foret, omnes qui adstabant detraxisse corpori tegmina, nostrisque legionibus misisse.* Vide et 1. Samuel. 18. 4. Infra hic lib. 11. *Sacerdos impigre superiorem exutus tunicam, supertexit me.* Curtius lib. 5. *Demptaque sibi chlamyde, corpus illius contexit.*

Ibid. *Sordium enormem illuviem* etc.] Infra lib. 5. *Enormis illuvies.* Virgil. *Dira illuvies.* ubi Servius: *Sordes tetra.* Curtius lib. 4. *Corpus illuvie aeternisque sordibus obsitum.* Gloss. Κακοσμία, *Eluvies.* malim *illuvies.* Ibidem: Κάκοσμος, *spurcus, elluatus.* ubi *illotus*, vel *illuviatus* scripserim. Onomast. vet. *Illuvies*, ἀλουσία. Lucilius apud Nonium: *Illuvie, imbalnitie.* Ad sensum loci Appuleiani Plutarchus: Ἀμέλειαι σώματος ἕπονται τῷ κακῷ τούτῳ (luctui) καὶ διαβολαὶ πρὸς ἄλειμμα καὶ λουτρὸν Consolat. ad Uxorem.

Ibid. *Operose effrico*] Gregorius Cyprius in Encomio maris: Ῥύπους καθαίρει τὸ ὕδωρ, καὶ κηλῖδας ἐκπλύνει, καὶ μολυσμῶν ἀπαλλάττει, καὶ δυσωδίας. Clemens Paedag. 3. 9. Λούειν δεῖ μάλιστα μὲν ψυχὴν καθαρσίῳ λόγῳ, καὶ τὸ σῶμα ἐσθ' ὅτε διὰ τὴν ἄσην τὴν αὐτῷ ἐπιφυομένην. Τὸ *operose* (quod Oxon. Ms. agnoscit, et veteres editiones) novitii quidam correctores iniuria eiecerunt.

Ibid. *Lassus ipse fatigatum aegerrime sustinens*] Statius: *Huc laceros artus socio conamine portant Invalidi, iungitque comes non fortior ulnas.* Ammianus lib. 25. *Infirmatus ipse humero telo, pallescentem Machanaeum extrahere pugna viribus valuit magnis.* *Sustinens* pro *sustentans*, ὑποβαστάζων, ut in Glossario.

Ibid. *Probe curatum* etc.] Terentius Andr. *Curasti probe.*

Ibid. *Lectulo refoveo*] lib. 5. *Et lectulo lassitudinem refove.* lib. 9. *Mollicie cubiculi refota lassitudine.* Servius ad 4. Aeneid. *Fovemus, auxiliamur, quasi rem per se infirmam.*

Ibid. *Cibo satio, poculo mitigo*] Seneca 4. 37. Benef. *Accurrit, spiritum eius recollegit, in villam illam suam transtulit, affectum semianimemque recreavit.* Theodorus Prodromus: Καὶ συντετηκὸς πόνῳ τὸ σαρκίον Στρωμναῖς προσανέπαυσεν, ὡς δὲ καὶ πότοις. De *poculo* quod heic ait, receptissimum. Nonnus Dionysiacis: Ἀνὴρ πένθος ἔχων, ὅτε γεύσεται ἡδέως οἴνου, Στυγνὸν ἀεξομένης ἀποσείσεται ὄγκον ἀνίης. Scholiastes ad Horatii Carm. 1. 7. *Vino in oblivionem veniunt curae, et tristitiae fugantur.* Apud Suidam, ex Oneirocriticorum ut videtur aliquo, Οἶνος κενωθεὶς ἀγγείων παύει λύπας. Philo in de Temulentia: Ὁ τῆς ἀμπέλου καρπὸς ποθεὶς μετρίως, ἐπιχαλᾷ τὰς σφοδρὰς ὀδύνας ψυχῆς. Vide A. Gellium hinc 15. 2. Seneca in de Tranquill. *Aliquando vectatio iterque vigorem dabit, convictusque, et liberalior potio: nonnunquam et usque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, sed ut deprimat curas. eluit enim curas, et ab imo animum movet: et ut morbis quibusdam, ita tristitiae medetur.*

Ibid. *Fabulis permulceo*] Supra: *Tibi* etc. *varias fabulas conseram, aure̜sque tuas* etc. *permulceam.*

Ibid. *Sermonis et ioci*] Infra lib. 4. *Iam* etc. *epularis sermo percrebuit, iam risus affluens, et ioci liberales.*

Ibid. *Imo de pectore suspiritum ducens*] Virgilius: *Ingemuit, deditque has imo pectore voces.* Idem: *Suspirans, imoque trahens a pectore vocem.* Apud Quintilianum 19. Declam. *Protractis ab ima pectoris parte suspiriis.* Gellius 12. 5. *Gemitusque ex eo compressos erumpere, spiritusque et anhelitus e pectore eius evadere.* scribe, *e pectore eius imo evadere.* Plautus Trucul. *Traxit ex intimo ventre suspirium.* Auctor ad Herennium: *Anhelans ex imis pulmonibus prae cura spiritus ducebatur.* Homerus Iliad. K. Ἐν στήθεσσιν ἀπεστονάχιζ' Ἀγαμέμνων Νειόθεν ἐκ κραδίης. et Iliad. 7. Ἀδινῶς ἀνενέγκατο. ubi Scholia, Οἰονεὶ, ἀπεστέναξε, καὶ πολὺ πνεῦμα ἤγαγε. Heliodorus lib. 7. βύθιον ἐπιστένειν dixit. In Oxoniensi est, *cruciabile iam suspirium ducens.*

Ibid. *Dextra saeviente*] Andreas Schottus doctissimus Vir, *feriente* reponebat. at rectum illud *saeviente.* Sic 8. *palmulas saevientes* dixit. et 3. *Percussit faciem suam manibus infestis.* ubi *manus infesta* est quae hic *saeviens dextra.* Seneca cap. 6. ad Marc. *In ipsam faciem impetus fiat, et sese omni genere SAEVITIAE profecturus moeror exerceat.*

Ibid. *Voluptatem gladiatorii spectaculi satis famigerabilis*] *Postponens illi stulte mea seria ludo.* Seneca in de Vita beata cap. 32. *Haec res (ignota cognoscendi cupido) ad spectacula populos contrahit* etc. Et nota heic quam proprie *voluptatem* dixerit. Iulius Firmicus: *In 17. parte Virginis nascetur gladiator, publicis voluptatibus deputatus.* Vopiscus in Aureliano: *Datae sunt populo voluptates ludorum scenicorum, venationum, gladiatorum* etc. Ibidem de Eodem: *Erat rarus in voluptatibus.* ubi summus et optimus vir Casaubonus: *Spectaculis ludorum raro in-*

intererat. Cyprianus: *Homo occiditur in hominis voluptatem.* Isidorus Orig. 18. 16. *Spectacula nominantur voluptates.* Ita apud Scriptorem de Excid. Hierosolymit. *theatrales voluptates.* Noster infra de Demochare munus gladiatorium edituro L. IV. *Digno fortunae suae splendore publicas voluptates instruebat.* Ibidem: *Ille tam clarus tamque splendidus publicae voluptatis apparatus* etc. *Famigerabilis* hîc, ut 9. et 10. Onomast. vetus, *Famigerabilis*, διαβόητος. Augustinus Confess. 6. 8. de Alypio suo: *Gladiatorii spectaculi inhiatu incredibili* etc. *abreptus est.*

Ibid. *Secundum quaestum Macedoniam profectus*] Al. *Secundo quaestu Macedoniam p.* Oxon. *Secundum quaestum Macedonici profectus.* τῆς Μακεδονικῆς ἀποδημίας. Glossae: Ἀποδημία ἐπὶ ξένης. *Peregrinatio*, *profectus.* ita sensus erit, *post lucrum itineris Macedonici.* Mercator Plautinus: *Quas merces vexeram, Omnes ut volui vendidi ex sententia: Lucrum ingens facio*, etc.

Pag. 6. *Nummatior revertor*] Quod *tenso folle reverti* Iuvenalis dixit. In eodem locupletissimo Onomastico, *Nummatus*, πολυχρήματος.

Ibid. *In quadam avia et laciniosa convalli* etc.] Cyprianus de latronibus loquens, ad Demetrianum: *Avias fauces, et desertas solitudines deligunt.* Theodoretus 7. περὶ Προνοίας. Οἱ τῆς πονηρίας κατατολμῶντες, τῶν ὁδῶν τὰς ἐρημοτέρας καταλοχῶσιν. Philo 2. de Monarchia: Λάσια χωρία καὶ δρυμοὶ βαθεῖς κακούργων εἰσὶν ἐνδιαιτήματα· τὴν ἐκ τοῦ συσκιάζεσθαι ποριζομένων ἀσφάλειαν, καὶ τοῦ ἐξ ἐνέδρας καθ᾽ ὧν ἂν ἐθέλωσιν αἰφνιδίως ἐπιτίθεσθαι. Basilius Homil. 23. Ταῖς ὁδοῖς ἐφεδρεύειν εἰώθασιν, καὶ εἰ ἴδωσί τι χωρίον περὶ αὐτὰς ἢ φάραγξι βαρείαις διεῤῥωγὸς, ἢ φυτῶν πυκνότητι σύσκιον, εἰς τοῦτο καταδυόμενοι, καὶ τὴν ἐκ πολλοῦ πρόοψιν τῶν ὁδοιπορούντων, τοιούτοις ὑποκρυπτόμενοι καλύμμασιν, ἀθρόον ἐπιπεδῶσιν αὐτοῖς, ὥστε μὴ πρότερον δυνηθῆναί τινα πρὸς κινδύνου βρόχους ἰδεῖν πρὶν εἰς τούτους πεσεῖν. Virgilius: *Est curvo anfractu vallis accommoda fraudi, Armorumque dolis, quam densis frondibus atrum Urget ubique nemus.* Ammianus lib. 27. *Per angustum quendam transiens devexitatis anfractum, ad inevitabiles insidias venit.* Idem lib. 28. *Insidias in abdita valle struxerunt, unde praetereuntes aggredi negotio levi poterant.* Vide Festum in verbo *Convallis*, et Hesychium in νάπαι. Optatus Milevitanus: *Quis tibi detraxit spolia? quas fraudulentas adiisti fauces? quos latrones incurristi?* Prae *laciniosa convalli* quidam *lacunosa* malunt: quos uti frui iubeo coniectura sua. Virgilius iam laudatus, *vallem curvo anfractu* dixit. perpende et Ammiani loca.

Ibid. *A vastissimis latronibus obsessus*] Cyprianus Epist. 68. *Aut si in via stabulum aliquod obsideri* etc. *a latronibus coeperit.* Cicero famil. 10. 6. *Cum collega tuus* etc. *a faedissimis latronibus obsideretur.* Infra hîc lib. 8. *Ipsas vias obsidere, et in modum latronum praetereuntes aggredi.* Valentinianus Edict. 1. *Ut quicunque* etc. *itinera frequentata insidiis aggressionis obsederit.* Lactantius 5. 9. *Qui vias obsideant armati, maria praedentur.* Hinc *via obsessa* (a latronibus nempe) apud Senecam 14. Epist. Virg. 3. *Laevum implacata Charybdis Obsidet.* Servius: *Obsidet, ad transeuntium insidias.* Festus Pompeius: *Insessores, latrones, qui circa vias insidiantur sedentes.*

Ibid. *Atque omnibus privatus tandem evado*] Probabile est originitus scriptum fuisse, *vix tandem evado.* Non levibus (si quis attenderit) suspicionem nostram testimoniis firmabimus. Heliodorus 7. Πάντων τῶν ὄντων ἀποσυληθέντες, μόλις αὐτοὶ περισωθέντες. Chrysostomus Homil. 1. ad Antiochenos: Λησταῖς περιέτυχε, καὶ μόλις τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν διέσωσε, γυμνὸς ἀναχωρήσας. Infra hîc lib. 2. *Et omnibus amissis, vix enatavimus.* ad quem locum plura notamus.

Ibid. *Utpote ultime affectus*] Id est fortasse, verberibus multatus: nam non spoliare tantum, sed et pulsare latrones consueverunt. Luc. 10. 30. Οἱ δὲ (λησταὶ) ἐκδύσαντες αὐτὸν, καὶ πληγὰς ἐπιθέντες, ἀπῆλθον. sic infra lib. 10. *flagris ultime afficere.* et lib. 3. post *infestis calcibus insequuntur*, additur, *sic affectus* etc. In vet. Onomastico, *Affectus*, τρυχούμενος.

Ibid. *Me satis quam humane tractare adorta*] lib. 10. *Qui me satis humane* etc. *nutriebat.*

Ibid. *Et nox* etc. *cubili suo applicat*] *Nec satis hospitium est, lecti quoque foedere iungit.*

Ibid. *Lacinias quas boni latrones* etc.] Philo in de Somniis: Λωποδόταις ἔθος ἀναμπίσχουσι τὰς μὲν ἐσθῆτας ἀφαιρεῖσθαι, γυμνοὺς δὲ τοὺς ἔχοντας ἀποφαίνειν. id est, adeo male vestitos ut quasi nudi sint. Apud Quintilianum ille 6. Declam. *Quam vestem relictam captivo putas nisi quae praeda non erat?*

Ibid. *Sagariam faciens*] Iuvenal. *Saga vendenti.* Scholiastes: *Negotiatori sagario.* In veteri doctiss. Onomast. *Sagaria*, χλαινουργική. *Facere* hîc satis Latine dictum, ut et 4. *scrutariam facere.* Sic in l. 20. ff. de action. et oblig. *piraticam facere.* in l. 12. ff. de servitut. urb. praed. *balneariam facere.* et apud Ciceronem ipsum in de Officiis *argentariam facere.*

Ibid. *Bona uxor et mala fortuna*] Adumbrata ex his Virgilii videntur: *Sed me fata mea, et scelus exitiale Lacaenae His mersere malis, illa haec monumenta reliquit.* *Bonam* amare dixit. Terentius 3. 4. Adelph. *Ille bonus vir.* ubi Donatus: Εἰρωνεία *est ab eo posita, qui indignatur virum bonum esse debuisse qui non sit.* Ibidem 4. 7. *Flagitia boni illius adolescentuli.* Donatus:

Εἰρωνεία, *quae semper amarius ponitur quam manifesta criminatio.* Supra hîc paulo ante: *Latrones boni.* et infra, *bona Meroë.* Non hîc silendum τὸ *uxor* ab Oxoniensi abesse; ita *bonam fortunam* vocaverit profectus Macedonici lucrum, *malam* autem, infaelicem gladiatorii spectaculi cupidinem, et spoliationem suam. De suae uxoris malitia necdum questus est. anum vero Meroën, *uxorem* satis dure vocaverit.

Ibid. *Dignus es extrema sustinere*] In Plauti Trucul. *Animo hercle homo suo est miser, Quisquis est. PH. Dignus est mecastor ille.* Cicero Offic. 2. *Propensior benignitas esse debebit in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate. Extrema sustinere* hîc, ut 9. *extremas poenas sustinere.* Suidas: Ἔσχατα κακὰ, μεγάλα, etc.

Ibid. *Scortum scorteum*] Τὸ *scorteum* non est in Palat. nec Oxon. Ms.

Ibid. *Ille digitum a pollice proximum ori suo admovens* etc. *Tace inquit*, etc.] Iudic. 18. 19. *Tace, et pone digitum super os tuum.* Vide et Ioh. 19. 19. Marcianus Capella: *Ad os digito compresso salutari, silentium annuebat.* Inde ὁ κατασιγάζων δάκτυλος Suidae in διαγνώμων, et ἡραΐσκος.

Ibid. *Et in stuporem attonitus*] lib. 2. *Attonitus repentinae visionis stupore.*

Ibid. *Et circumspiciens tutamenta sermonis*] Apud Senecam Octavia: *Circumspice agedum ne quis arcana aucupet, Partemque in omnem vultus inquirens eat.* Apud Plautum in Mostellaria: *Circumspice dum, numquis est Sermonem nostrum qui aucupet.* Idem Milite: *Circumspice dum ne quis nostro hîc auceps sermoni siet.* Ibidem: *Sinite me prius prospectare ne uspiam insidia sient, Consilio quod habere volumus nam opus est nunc tuto loco.* Iterum: *Sed speculabor ne quis hinc a laeva aut a dextra Nostro consilio venator adsit cum auritis plagis.* Philostratus 4. 12. Διηγεῖτο τὰ ἐκεῖ (*Romae*) πραττόμενα, θαμὰ ἐπιστρεφόμενος, μὴ ἐπακροῷτο τὶς αὐτοῦ κατόπιν. Tacitus Annal. 4. *Notae ignotaeque aures vitari: etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspiciebantur.*

Ibid. *Parce (inquit) in feminam divinam, ne quam tibi lingua intemperante noxam contrahas*] In Bacchid. Plaut. *Cave malum, et compesce in illum dicere*, etc. In Nubibus Aristoph. Ἢ, ἢ, σιώπα, μηδὲν εἴπης νήπιον. Apud Lucianum in Deorum dialogis: Σιώπα, μή τι κακὸν τῶν λόγων ἀπολαύσῃς. Alibi in iisdem dialogis: Εὐφήμει ὦ Ἄρης, οὐκ ἀσφαλὲς λέγειν τὰ τοιαῦτα, μή καὶ τι κακὸν τῆς φλυαρίας ἀπολαύσωμεν. Euripides Herc. fur. Ἴσχε τὸ στόμα, ὡς μὴ μέγα λέγων μεῖζον πάθῃς.

Ibid. *Ain' tandem?* etc.] Terent. Andr. 5. 3. *Ain' tandem.* ubi Donatus: *Percontativum verbum, quasi, aisne?* Idem ad 2. 3. Phorm. *Ain, dicimus de his qui vana loquuntur.* Infra hîc lib. 3. *Ain', vulpinaris amasio?*

Ibid. *Deos infimare, sidera exstinguere*] Scholiastes vetus Horatii ad Epod. 5. *Huiusmodi ars maxime Thessalorum est, ut Lunam cantibus deponant, et astra commoveant.*

Pag. 7. *Aulaeum tragicum dimoveto* etc. *et cedo verbis communibus*] Sophocles: Οὐκ ἐμπλέκων αἰνίγματ', ἀλλ' ἁπλῷ λόγῳ. Aristophanes: Ἀμαθέστερον πως εἰπὲ, καὶ σαφέστερον. Lucianus Necyom. Παῦσαι μακάριε τραγῳδῶν, καὶ λέγε οὑτωσί πως καταβὰς ἀπὸ τῶν ἰαμβείων. Plautus Milite: *Quin tu istam orationem hinc veterem atque antiquam amoves? Nam proletario sermone nunc quidem hospes utere.* Seneca Epist. 13. *Non loquor tecum Stoica lingua, sed hac submissiore.*

Ibid. *Siparium scenicum*] Lindenbrogius Notis ad Terentium legit *mimicum.*

Ibid. *Verbis communibus*] Scholiastes vetus Horatii ad Epist. 1. 16. *Communi sermone, ac simplicibus verbis.*

Ibid. *Quod in aliam temerasset*] Ita Oxoniensis, et alii multi tam editi quam Mss. nec tamen male Vulcanius, *vi al. tem.* Isidorus Orig. 8. 11. *Sine vi femina esse virgo non desinit.* Tertull. exhort. ad castit. cap. 13. de Lucretia: *Quae ut semel per vim* etc. *alium virum passa est*, etc. Phrynichus: Βεβίασται ἡ κόρη λεκτέον· οὐχ, ὥς τινες, ἔφθαρται Aen. 8. *Raptas sine more Sabinas.* ubi Servius, *Stupratas: i. e. per vim.* In vet. Onomast. *Raptus, stuprum*, βία.

Ibid. *Captivitati metuens*] Recta et haec lectio, exstatque in Oxon. Cod. Sic infra lib. 5. *Metuens virginitati.* Male fecerunt illi qui aliter excudi curaverunt.

Ibid. *Innatans.*] Glossae: Ἐπινήχομαι, *Innato.*

Ibid. *Adventores pristinos* etc. *officiosis ronchis appellat*] Onomast. vet. *Adventores*, πλησιάζοντες. Respicitur hîc diversitorum mos viantes comiter appellandi. Apud Senecam Epist. 21. *Hospes hîc bene manebis*, etc. *paratus erit istius domicilii custos, hospitalis, humanus, et te polenta excipiet.* Suetonius Claudio: *Quoties Ostiam Tiberi deflueret, aut Baianum sinum praeternavigaret, disposita per litora et ripas diversoriae tabernae parabantur, et insignes ganeae matronarum institorias operas imitantium, et orantium hinc inde ut appelleret.*

Ibid. *In sarcinam praegnationis*] lib. 10. *Quod sarcina praegnationis oneratam relinquebat eam.* et 5. hoc sensu, *sarcinae rudimenta.* Ovidius: *Qui matri sarcina quondam Prima fuit.* Zeno Veronensis: *Portat sine labore uteri sarcinam.* Phaedrus: *Portat onus ignotum certis mensibus, Novissime prolapsam effundit sarcinam.*

Ibid.

Ibid. *Repigrato foetu*] Ovidius: *Matris adhuc utero partu remorante tenebar.*

Ibid. *Ut cuncti numerant*] In Cod. Oxon. etiam *ut cuncti sciant numerantia.* unde Brantius: *Ut cuncti civium numerant iam* etc. non sane illepide.

Ibid. *Misella illa* etc. *distenditur*] Apud Suidam nescio quis Veterum in οὐ μὴν, etc. Μὴ ἰσχύουσα τεκεῖν, ὁμοῦ τι τῷ ῥαγῆναι ἦν. Vide 26. 28. Esaiae.

Ibid. *Publicitus indignatio percrebuit*] Seneca de Ira loquens, 3. 2. *Caetera* (vitia) *singulos corripiunt, hic unus affectus est qui interdum publice concipitur.*

Ibid. *Statutum est in eam altera die saxorum iaculationibus vindicaretur*] Statutum, non a iudicibus intellige, sed populi subitaneo con sensu. Infra lib. 2. *Conclamant ignem, requirunt saxa: parvulos etiam ad exitium mulieris hortantur.* ubi notata vide. Tertullianus: *Lapidatio non legitimis bellis, sed popularibus coetibus* etc. *familiaris.* Apud Quintilianum 12. Declam. *Populus quoque impunitum nefas sine lapidibus praeteribit?* Ovidius de lapidatione loquens: *Obruere ista solet manifestos paena nocentes, Publica cum lentam non habet ira moram.* Horatius, etiam de incantatricibus agens: *Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens Contundet.* Scholiastes: *Missurum se populo promittit furorem, ut ex omnibus vicis turba concurrens eas saxis obruat.*

Ibid. *Unius dieculae* etc. *impetratis induciis*] Scriptor de Excid. Hierosolymitano 4. 4. *Veniam se unius diei poscere, dilationem tam exiguam nequaquam impedimento futuram.* Infra hic lib. 6. *Vel ad unam saltem dieculam sufficiens* etc.

Pag. 8. *Tanta cantionum violentia clausit*] Bene heic *violentia.* Isidorus 8. 9. de Magis tractans: *Sine ullo veneni haustu violentia tantum carminis interimunt.* Infra lib. 3. de Eadem ista: *Artis huius violentia nititur.* Supra paulo *virtutes cantionum* dixit.

Ibid. *Quam sanctissime deierantes*] lib. 2. *Quamque sanctissime poterat, adiurans cuncta Numina.*

Ibid. *Sese neque ei manus admolituros,* etc.] Guntherus 7. *Tunc proceres clarique viri, turbaeque minoris Ambitiosa manus, studio devota fideli, Sacramenta dabant cunctas servanda per Urbes, Principis Ausonii ius, famam, corpus, honorem, Nec se laesuros, et, si quis laedere vellet, Usque vel ad mortem tota virtute reniti.* In iuramento Ephebis Atheniensibus praestari solito: Τοῖς θεσμοῖς τοῖς ἱδρυμένοις πείσομαι etc. καὶ, ἐάν τις ἀναιρῇ τοὺς θεσμοὺς, οὐκ ἐπιτρέψω, ἀμυνῶ δὲ etc.

Ibid. *Caetus illius auctorem* etc. *cum tota domo* etc.] Anaxilaus: Τόν τε ναύκληρον λαβοῦσα κατεπέπωκ' αὐτῷ σκάφει. Lactantius 5. 11. *Sicut unus in Phrygia, qui universum populum cum ipso conventiculo concremavit.*

Ibid. *Id est, parietibus, et ipso solo, et omni fundamento* etc.] Haec tota expungunt Wowerius et Elmenhorstius: Ego delenda non censeo quae clare in Oxoniensi leguntur, et quae similes apud alios locutiones permitti iubent. Virgilius: *Omnis humo fumat Neptunia Troia.* ubi Servius: *Ut significet patriae suae solum quoque arsisse.* adde sequentem Luciani locum.

Ibid. *In aliam civitatem* etc. *transtulit*] Lucianus de inepto quodam Historico, qui quantum heic Pamphile vi magica, effecit ignorantia sua. Ἀλλὰ καὶ τὴν ἐμὴν πατρίδα τὰ Σαμόσατα αὐτὸς ἐν τῷ αὐτῷ βιβλίῳ ἀράμενος ὁ γενναῖος, αὐτῇ ἀκροπόλει καὶ τείχεσι μετέθηκεν εἰς τὴν Μεσοποταμίαν.

Ibid. *Mihi non parvam incussisti sollicitudinem* etc.] lib. 8. *Quae res incutiebat mihi non parvam sollicitudinem.*

Ibid. *Iniecto non scrupulo sed lancea*] *Spiculo* non male legi posse memini olim me ad Apologiam monere. *Spiculum* est ferrum lanceae capiti praefixum. Glossae: *Spiculum*, etc. ἐπιδορατὶς. Hesychius: Ἐπιδορατὶς, ὁ σίδηρος τοῦ ἀκοντίου τὸ ἄνω. Non *spiculum lanceae* (inquit) iniecisti mihi, sed *totam lanceam.* Tertullianus in de Pudicitia: *Non lucernae spiculo lumine, sed totius Solis lancea.*

Ibid. *Sermones nostros* etc. *cognoscat*] Tiresias apud Statium: *Spernite ne, moneo: et nobis saevire potestas. Scimus enim et quicquid dici noscique timetis.*

Ibid. *Itaque maturius quieti nos reponamus*] lib. 9. *Suadebat maritum temporius quieti recedere.*

Ibid. *Antelucio aufugiamus* etc.] Οὐ γάρ τις νέμεσις φυγέειν κακὸν, οὐδ' ἀνὰ νύκτα Βέλτερον, ὃς φεύγων προφύγῃ κακὸν, ἠέπερ ἁλώῃ. ut est apud Homerum.

Ibid. *Vinolentia ac fatigatione pertentatus bonus Socrates, iam sopitus stertebat altius*] Cicero Somn. Scipion. *Me et fessum de via, et qui ad multam noctem vigilassem, arctior quam solebat somnus complexus est.* Servius ad Aeneid. 4. *Fatigati somno se dederunt.* Lucianus in Amoribus: Ἡδίους ὕπνους καθεύδει τοῖς μεθ' ἡμέραν καμάτοις ἐπηρεμῶν. Adde Lucretii et Eustathii locos iam statim depromendos. *Labore delassatum stertere* Plautinum est. At Noster hic non ex fatigatione tantum, sed et vinolentia stertit. Caelius apud Quintilianum 4. 2. de M. Antonio: *Temulento sopore profligatum, totis praecordiis stertentem,* etc. Lucretius: *Multo sopor ille gravissimus extat Quem satur aut lassus capias.* Apud Eustathium ille Ἐρωτικ. 1. Ἐγὼ περὶ ὕπνον ἐτραπόμην εὐθὺς, καρηβαρήσας καὶ τροφῇ, καὶ πόσει, καὶ πόνοις. et post. Τροφῇ

καὶ

καὶ πόσις καὶ πόνος ὕπνου πηγή. Scholiastes vetus Horatii ad Serm. 2. *Qui facile dormire non possunt*, etc. *multis se potionibus impleant*, *quo facilius his somnus accedat.* Et nota heic *insolitam vinol.* Plutarchus in Parallel. Πιόντες παρὰ τὸ σύνηθες, εἰς ὕπνον τοῦ δέοντος βαρύτερον κατενέχθησαν.

Ibid. *Pertentatus*] Nonius de temeto: *Attentat mentem.*

Ibid. *Altius*] Lucretius ubi supra: *Fit ratione eadem collectus porro animai Altior, atque foras eiectus largior eius.* quod infra lib. 5. *altum soporem flare.*

Ibid. *Adducta fore, pessulisque firmatis*] Xenophon Anabas. 7. Συγκλείουσι τὰς πύλας, καὶ τὸν μοχλὸν ἐμβάλλουσι. Tibullus 1, 2. *Clauditur et dura ianua fulta sera.*

Ibid. *Prae metu aliquantisper vigilo*] Plinius lib. 7. Epist. 27. *Tristes diraeque noctes per metum vigilabantur.* Sisenna Histor. 3. *Metu ac suspicione non poterant quietem capere.* Ammianus lib. 25. *Nec sedere quoquam auso, nec flectere in quietem lumina prae timore.* Homerus (Iliad. κ.) Μενέλαον ἔχε τρόμος, οὐδὲ γὰρ αὐτῷ Ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἐφίζανε. Xenophon παιδ. 3. Οὔτε ὕπνου τυγχάνειν διὰ τὸν φόβον δύνανται Apud Suidam in Οὐδ᾽ ἴσον etc. ἀγρυπνεῖν διὰ δειλίαν habemus. Apollonius 2. 14. Philostrati: Εἰ μὴ ὁ νοῦς ἀτρεμήσειεν, οὐδὲ οἱ ὀφθαλμοὶ τὸν ὕπνον ὑποδέξονται. Ovid. 3. 6. de Ponto: *Ne tamen iste metus possit tibi rumpere somnos*, etc. In veteri Mimo: *Metus cum venit, rarum habet somnus locum.* Sidonius lib. 2. *Cum mole curarum pristinae quietis tenere demensum prohiberetur.* Virgil. Georg. 3. *Nec somnos abrumpit cura salubres.* ubi Servius: *Ex nimia cura vigiliae procreantur.* E converso apud Petronium: *Abiecti in lectulo, reliquam noctem sine metu exegimus.*

Ibid. *Circa tertiam ferme noctis vigiliam paululum conniveo*] Seneca Troade: *Partes fere nox alma transierat duas, Clarumque septem verterant stellae iugum: Ignota tandem venit afflictae quies, Brevisque fessis somnus obrepsit genis.*

Pag. 9. *Ianuae* etc. *fractis et evulsis funditus cardinibus prosternuntur*] Sophocles Oedip. Tyr. Πύλαις διπλαῖς ἐνήλατ᾽, ἐκ δὲ πυθμένων Ἔκλινε κοῖλα κλεῖθρα. Scholiastes: Ἀνέτρεψε τὰς πύλας, καὶ κατέβαλεν ἐκ τῶν πυθμένων. Vide ad Act. 16. 26. notata. Plautus Amphitr. *Quis tam vasto impete has fores toto convulsit cardine?* quo loco forsan *torto* legendum. sic apud Nostrum 3. *Obtortis cardinibus.*

Ibid. *Grabatulus* etc. *uno pede mutilus, ac putris*] Tripes nempe, qualis apud Martialem ille: *Ibat tripes grabatus, et bipes mensa.* Catullus: *Fractum qui veteris pedem grabati In collo tibi collocare posset.* Ovidius: *Mensae sed erat pes tertius impar.* Varro de ling. Lat. 5. *Translatione a pede nostro, pes lecti, ac pes betae*, etc.

Ibid. *Recidens in inversum*] Rittershusius (Vir doctissimus) *recidens universum* etc. ita et Bembinus codex, quo usus Puteanus. Potes, nec male, *in universum* etc. Onomast. vetus. *In universum*, ὅλος. ubi ὅλως scribendum putarim. Wowerius *inversus*, Elmenhorstio adprobante. Me non offendit vulgata lectio *in inversum*: quod expono, ἐπὶ πρηνές. Hesychius: Ἐπὶ πρηνὲς· ἐπὶ κάτω κατεστραμμένον. Reperitur et illa lectio in Oxon. MS.

Ibid. *Tunc ego sensi naturaliter quosdam affectus in contrarium provenire*] Simplicius in cap. 17. Epicteti: Ἐκ τῶν λυπηρῶν καὶ τῶν ἡδέων ἐναντίων ὄντων, τὰ αὐτά πως συμπτώματα ἕπεται. Eugraphius ad Terentii Adelph. *Saepe ex gaudio contingit quod evenit ex dolore* In Oxon. melius, *naturalitus.*

Ibid. *Lacrymae saepe de gaudio* etc.] lib. 5. *Et illae sedatae lacrymae postliminio redeunt, prolectante gaudio.* Et 8. *Et quas in primo moerore lacrymas non habebat, iam scilicet crescente gaudio reddere.*

Ibid. *De Aristomene testudo factus*] lib. 9. de adultero sub dolio delitescente: *Ad instar testudinis alveum succubabat.*

Ibid. *Dum* etc. *obliquo aspectu quid rei sit* etc.] eod. lib. 9. *Dum obliquata cervice per quandam fenestrulam quidnam sibi vellet tumultus ille prospicere gestio*, etc.

Ibid. *Video mulieres duas altioris aetatis*] Sic Saganam maiorem cum Canidia maleficiis operantem Horatius inducit. ubi Scholiastes: *Apparet, aut sororem hanc habuisse minorem se, aut fuisse et aliam Sagaenam minorem hac vel aetate, vel censu, vel natalibus.* Non censu nec natalibus crediderim, sed aetate minorem.

Ibid. *Socratem bene quietum circumstetere*] Ovidius Metam. 7. *Iamque neci similem resoluto corpore Regem, et cum Rege suo custodes somnus habebat, Quem dederat cantus Magicaeque potentia linguae. Intrarunt iussae cum Colchide limina natae, Ambieruntque torum.* Aristides ἱερ. λόγ᾽ 2. Ἐν τούτῳ τῷ σχήματι στᾶς ἔμπροσθεν τῆς εὐνῆς.

Ibid. *Infit illa*] Excerpta e vet. gloss. *Infio*, προσλαλῶ.

Ibid. *Hic est qui meis amoribus insuper habitis* etc.] *Nihil iste Deos, nil carmina curat.* Apud Ovidium 11. Metamorphos. *En ait, en hic est nostri contemptor amoris.* Heliodorus lib. 7. Φιλόνεοι γυναῖκες ἀμείλικτοι γίνονται, καὶ βαρυμήνιδες ἀποτυγχάνουσαι· καὶ τοὺς ὑπερόπτας ὡς ὑβριστὰς ἀμύνονται.

Ibid. *Ast ego scilicet Ulyssei astu deserta* etc.] Apud Claudianum: *Ast ego deserta moerens in-*

glo-

glorius aula, Implacidas nullo solabor pignore curas. Ulyssei astu, ut apud Petronium. *Ulyssem astu simillimo vicit.*

Ibid. *Vice Calypsonis aeternam solitudinem flebo*] Oxoniensis: *Vitam, et Calypsonis* etc. vera ne illa altera lectio, et *aeternum*, (ut Graecisset) legendum? Sic infra 2. *perpetuum urere.* 4. *irasci solidum.* et apud Horatium *servire aeternum.* Bene porro a faemina amatrice *solitudinem* dictum. De Didone Virgilius: *Sola domo moeret vacuâ.* ubi Servius: *Sola, sine eo quem amabat: nam Regina sola esse non poterat. Est autem Plauti, qui inducit inter multos amatorem positum dicentem quod solus sit. ut Virgilius ipse alibi. Me sine sola vides. — quam constabat Antonii castra comitatam: sed* Sola, *sine amatore suo.* Infra heic lib. 5. ubi se in pinnas dat amator Deus: *At Psyche relicta sola* etc.

Ibid. *Et porrecta dextrâ, meque Panthiae suae demonstrato* etc.] lib. 9. *Porrecta manu sua, demonstrat ei* etc.

Ibid. *Ac hic (inquit) bonus consiliator* etc.] lib. 5. *At illae consiliatrices egregiae tuae* etc. Glossarium: Γνωμοδότης, *Consiliarius, suasor, consiliator.* In Phaedri Apologis, *Consiliator maleficus.*

Ibid. *Impune se relaturum meas contumelias putat*] lib. 7. *Senectam infirmitatemque meam despicit, et impune se laturum tantum scelus credit.*

Ibid. *Imo iam nunc* etc.] lib. 5. *At illae consiliatrices egregiae tam perniciosi magisterii dabunt actutum poenas mihi.* In Terentii Heautont. *At nae illae haud inultum si vivo ferent, Nam iam* etc. Apud Senec. Herc. fur. *Lycus Creonti debitas poenas dabit. Lentum est, dabit; hoc quoque est lentum, dedit.*

Ibid. *Faxo eum* etc. *ut et praecedentis dicacitatis et instantis curiositatis poeniteat*] In Plauti Bacchid. *Ego faxo haud dicat nactum quem derideat.* Infra lib. 4. *Iam faxo etiam huius illicitae ipsius formositatis poeniteat.* Et 5. *Sed iam faxo te huius lusus poeniteat.*

Pag. 10. *Sudore frigido*] Infra lib. 10. *Perque universa membra frigidus sudor emanabat.* Seneca Troade: *Sudor per artus frigidus totos cadit.* Lucretius 3. *Est et frigida multa comes formidinis aura, Quae ciet horrorem in membris, et concitat artus.* Et antea eod. lib. *Ubi vehementi magis est commota metu mens, Consentire animam totam per membra videmus: Sudores itaque et pallorem existere toto Corpore, et infringi linguam, vocemque aboriri*, etc. Hesychius: Ἱδρῶ, ἱδρῶτα (lege ἱδρῶτι) κατ' ἀποκοπήν. Ἱδρῷ ἀπεψύχοντο. *Perfluere* heic est quod Luc. 22. 44. καταβαίνειν.

Ibid. *Tremore viscera quatior*] Virgil. *Mihi frigidus horror Membra quatit.* Scholiastes ad Nubes Aristophanis: Τὸ τρέμειν καὶ πάλλεσθαι τῶν ἄγαν εὐλαβουμένων ἐστί.

Ibid. *Sudore frigido miser perfluo, tremore viscera quatior*] Symeon Metaphrastes in vita Ioannis Euangelistae: Ἱδρῶτι πανταχόθεν περιεῤῥεῖτο, καὶ ὑπότρομος ἦν.

Ibid. *Ut grabatulus etiam concussus* etc.] Petronius: *Ita sternutavit ut grabatum concuteret.* Quintilianus Declam. 2. de homine in somno occiso: *Sane non habuerit vocem supremam, habet utique palpitationes, et motus, et quicquid totus lectulus sciat.*

Ibid. *Parva contumulet humo*] Ovidius: *Parva tumulatus arenâ.* Nonnus de Iosepho Arimath. Ἰησοῦν ὀλίγῃ ψαμαθώδεϊ θῆκε χαμεύνῃ. De Philippo ad terram lapso Plutarchus: Ὡς εἶδε τοῦ σώματος τὸν τύπον, ὦ Ἡράκλης εἶπεν, ὡς μικροῦ μέρους τῆς γῆς φύσει μετέχοντες, ὅλης ἐφιέμεθα τῆς οἰκουμένης! Et nota *contumelet*, non *sepeliat. Nec enim sepultum hunc dicere possumus, cuius sepultura non sit rite perfecta, sed fortuitâ est terrâ obrutus.* Sunt verba eruditissimi Servii ad 3 Aeneid.

Ibid. *Gladium totum ei demergit*] In Historia Iudicum 3. 22. *Infixitque eam* (sicam) *in ventre tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnere. Demergere*, ut infra 2. *Ac singulis, ut quemque colluctantem offenderam, altissime* (gladium) *demergo.* quod Polycarpiani martyrii Scriptori ξιφίδιον παραβῦσαι. Et nota heic *totum gladium.* Claudianus Bell. Get. *Altius haud unquam toto descendimus ense In iugulum Scythiae.*

Ibid. *Et sanguinis eruptionem* etc. *ita ut nulla stilla compareret usquam*] Infra lib, 4. *Multis laciniis offulto vulnere, ne stillae sanguinis vestigium proderent.* Et bene heic, *eruptionem.* Quintilianus 1 Declam. *Tunc ex omni vulnere cruor profluit et effunditur, cum ferri recentem viam sequitur.*

Ibid. *Ne quid demutaret a victimae religione* etc.] *Servatur omnis ordo, ne tantum nefas Non rite fiat.* Zeno Veronensis: *Et, ne quid minus ab hostia videretur, pedem ligatura destringit.*

Ibid. *Immissa dextra ad viscera penitus* etc.] Seneca cap. 22. ad Marciam: *Lacerationes medicorum ossa vivis legentium, et totas in viscera manus demittentium.* Pro *penitus penita* legendum videtur, ut dudum pag. 89. ad Apologiam dixi. Cicero 1. Catil. *Et ea penitus animis vestris mentibusque mandate.* Repono, *penitis animis* etc.

Ibid. *Cor miseri contubernalis* etc.] Vide Hesychium in καρδιουλκία, et Suidam in καρδιωσάμενος.

Ibid. *Incertum stridorem*] Suidas in λαρυγγιῶ: Τμηθείσης τῆς φάρυγγος, οὐκ οἷόν τε φωνὴν προΐεσθαι. *Incertus stridor* hic est qua-

lem Seneca *incertum murmur* vocat. *Cervice caesa truncus in pronum ruit, Querulum cucurrit murmure incerto caput.* et Noster Libro 8. *incertum sermonem. Balbutiens incerto sermone pereflavit virilem animam.* At melius hoc loco *stridorem*, non *sermonem* dixit. Solinus cap. 34. de Troglodytis: *Ignari sermonis, strident potius quam loquuntur.* Hieronymus: *Ipsum stridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes Domini convertebat.* Noster lib. 10. *Adtritu dentium longo stridore edito, ante ipsos Praesidis pedes exanimis corruit.*

Ibid. *Et spiritum rebulliret*] Obluctantem in somno occisi animam non male expressit. Quintilianus 2. Declam. *Nam quod dormiens occisus est, non est quod sic aestimetis, tanquam per illam quietem transierit in mortem. Sit aliquid necesse est inter soporem mortemque medium: nec potest iungi tanta diversitas; cum sit somnus ipse pars vitae. Non multum interest quietem ratio vitae rumpat an mortis. Hominem qui dormiens occiditur, ipsa mors excitat. Sane non habuerit vocem supremam, habet utique palpitationes, habet motus, et quicquid totus lectulus sciat.* Pro *non multum interest* legerim *nonne m. i.* interrogative: vel *nam m. i.*

Ibid. *Spongia in mari nata*] Philo in de confus. ling. Ἐξ ὕδατος ἡ σπογγιᾶς γένεσίς ἐστι.

Ibid. *Inanimis*, etc. *quasi recens utero matris editus* etc.] Lucretius: *Ut saevis proiectus ab undis Navita, nudus humi iacet infans, indigus omni Vitai auxilio, cum primum in luminis auras Nixibus ex alvo matris Natura profudit.* Ex eo Lactantius (de Opif. c. 3.) *Hominem contra, nudum et inermem tanquam ex naufragio in vitae huius miserias proiici et expelli.* Tertullianus in de Carne Christi: *Horres utique infantem cum suis impedimentis profusum et oblitum.* Plutarchus in de prolis amore: Οὐδέν ἐστιν οὕτως ἀτελὲς οὐδὲ ἄπορον, οὐδὲ γυμνὸν, οὐδὲ ἄμορφον, οὐδὲ μικρὸν, ὡς ἄνθρωπος ἐν γοναῖς ὁρώμενος. Idem in περὶ Τύχης: Μόνος ὁ ἄνθρωπος etc. γυμνὸς, καὶ ἄνοπλος, καὶ ἀνυπόδητος, καὶ ἄστρωτος ἀπὸ τῆς φύσεως ἀπολέλειπται. Pro *inanimis* reponunt *inanis*, *impannis*, et quae nescio alia: cum potius *inermis* legendum videatur. Seneca ad Marciam: *Quid est homo? imbecillum corpus, et fragile, nudum, suapte natura inerme.* Adverte et ad Plutarchi Lactantiique locos paulo supra adductos. at vera est *inanimis* lectio: id est, (ut 9. loquitur) *pavore exanimis:* aut (quia de recens edito agitur) *tanquam sine anima.* Cicero 5. de Finibus: *Parvi primo ortu sic iacent, tanquam omnino sine anima sint.* Nec tacendum quod et *inanimis* legit Oxon. MS. Gloss. Νεωγνὸν, *recens partu.*

Pag. 11. *Ipse mihi supervivens*] Seneca cap. 3. de Tranquill. *Ultimum malorum est, ex vivorum numero, antequam moriaris, exire.* Tacitus Annal. 14. *Praesagio malorum iam a vivis* (lege, *e vivis*) *exempta, nondum tamen morte acquiescebat.* Idem in Agricolae vita: *Non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus.* Tertullianus de luce: *Rescindens sepulturam suam, tenebras: haeres sibimet existens.* Elegiastes ad Liviam, *Et sensi exequias funeris ipse mei.*

Ibid. *Destinatae iam crucis candidatus*] Hoc κείμενον non agnoscit Oxoniensis MS.

Ibid. *Iugulatus mane paruerit*] Idem Cod. *patuerit*, quomodo et in Palat. legi Elmenhorstius testatur. Ego *paruerit* fero, imo et magis Appuleianum puto. Infra lib. 5. *Quamvis hominum nemo pareret, chorum tamen esse pateret.* Servius ad Aeneid. 1. de discrimine τοῦ *parere* et *apparere*. *Observatio haec diligenter custodiri debet, licet eam Authores metri causa, vel clausulae corrumpant.* quod posterius heic ab Appuleio factum.

Ibid. *Cui videbor verisimilia dicere proferens vera?*] Bene hoc: nam (Minuc. Octav.) *Ut saepe in verisimili mendacium, ita nonnunquam verum in inverisimili est.* Quintilianus 12. 1. *Frequenter evenit ut optimae causae similes sint malis, et innocens reus multis verisimilibus prematur.* Achilles Tatius lib. 6. Οἶδα μὲν ἄπιστα λέγων, ἀλλ' οὕτω πέπρακται.

Ibid. *Proclamares saltem suppetiatum*] lib. 7. *An ignoras eos qui morituris auxilium salutare denegarint, quod contra bonos mores id ipsum fecerint, solere puniri?* Seneca 1. 10. de Benef. *Dignum, etiam impendio sanguinis mei tuebor, et in partem discriminis veniam: indignum si eripere latronibus non potero, clamore sublato salutarem vocem homini non pigebit emittere.* Confer l. 1. §. 28. 35. et 38. ad SC. Silan. Oxoniensis hic, *Diceret aliquis, mi Aristomene, proclamares* etc. quae vix putem germana esse.

Ibid. *Si resistere vir natus mulieri nequibas*] Apud Ciceronem, ex vet. Tragoedia, Tuscul. 2. *Vir faeminea interimor manu.*

Ibid. *Vel propter indicium sceleris arbitro pepercit*] Oxon. *V. p. ind. scel. vitandum a. p.*

Ibid. *Sub oculis tuis homo iugulatur, et siles?*] Apud Quintilianum ille 1. Declamat. *Feritur in sinu tuo maritus, et tu taces?*

Ibid. *Cur autem te simile latrocinium non peremit?*] Ibidem: *Cur ergo tu incolumis es? quae tam iratis manibus sanguinem tuum fortuna invidit?*

Ibid. *Nunc illo redi*] *Morere, et fratrem ne desere frater.*

Ibid. *Haec identidem replicabam, et nox ibat in diem*]. Curtius lib. 10. *Has cogitationes volventibus nox supervenit.*

Ibid. *Optimum itaque factum visum est antelucio furtim evadere*] Iustinus lib. 23. *In hoc*

gesta periculorum tutissimus portus consiliorum visus est, omnibus viribus decernere, etc. corrige libro 14. eundem Iustinum. *Omnia igitur circumspicienti, optimum factum visum est* etc. nam vulgo illud *factum* non visitur. At heic Lucius noster, *antelucio evadere*. Ambrosius Hexaëm. 6. ubi de homine quodam Antiochiae occiso: *Miles quidam* etc. *minister caedis exstiterat: tectus idem tenebroso adhuc diei exordio in alias partes concesserat.* Achilles Tatius lib. 2. Ἐσκοποῦμεν, καθ᾽ ἑαυτοὺς γενόμενοι τὶ ποιητέον εἴη, καὶ ἐδόκει κράτιστον εἶναι φεύγειν πρὶν ἕως γένηται.

Ibid. *Et viam* etc. *capessere. Sumo sarcinulam meam*] lib. 8. *Sarcinulis quisque sumptis suis viam capessunt.* Plinius lib. 4. Epist. 1. *Atque adeo iam sarcinulas alligamus, festinaturi quantum itineris ratio permiserit.* Apud Petronium ille: *Abeundi consilium formavi, collectoque cultu ire extra casam coepi.* Varro 1. 1. de re Rust. *Ut sarcinas colligam antequam proficiscar e vita.* Scholiastes vetus Horatii ad Serm. 1. *Pauperes cum insident iumentis, post se sarcinam habent.* Glossarium: *Sarcinae*, σκεύη ὁδοιπορικά.

Ibid. *Et subdita clave pessulos reduco*] Infra lib. 9. *Clave pessulis subiecta, repandit fores.*

Ibid. *Vix tandem* etc.] Gloss. Μόλις ποτὲ. *Tandem aliquando, vix tandem.*

Ibid. *Antelucio ire*] quod infra lib. 6. *viam lucubrare* vocat.

Ibid. *Ianitor pone stabuli ostium humi cubans* etc.] Sic in Troadibus Euripidis post θυρῶν λάτριν, sequitur, κ᾽ ἂν πέδῳ κοίτας ἔχειν. Hesychius: Χαμεύνης, ὁ χαμαὶ κοιμώμενος.

Ibid. *Etiam nunc semisomnus*] Et post pauca de Eodem: *marcidus et semisopitus.* Quo minus placide dormiret non obstitit cubilis durities. Theodoretus 3. περὶ Προνοίας de servo loquens: Ἐπ᾽ ἐδάφους καθεύδει, ἀλλ᾽ οὐ μέριμνα τὸν ὕπνον ἐξελαύνει, ἀλλὰ γλυκὺς αὐτοῦ τοῖς βλεφάροις ἐπιχεόμενος, οὐκ ἐᾷ τοῦ ἐδάφους ἀντιτυπίας αἰσθάνεσθαι. merces haec servo posita est, hoc beneficium tributum, dum Domino stragulis involuto, curae quietem abnuunt. Vide et 5. 12. Ecclesiasten.

Ibid. *Nos cucurbitae caput non habemus*] Apud Plautum ille in Casina: *Tam mihi mea vita quam tua Tibi cara est.* Alius apud eundem Mostell. *Nolo castigari bubulis exuviis, Illius quam meum tergum minoris pendo.* Tertius item in Epidico: *Men' piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam? Ut meum tergum stultitiae tuae subdas succidaneum?* Apud Arnobium 7. *Quaenam causa est, ut aliorum crimen meo sanguine luatur? Cucurbitae caput* proverbiale est. Hermippus Comicus: Τὴν κεφαλὴν ὅσην ἔχει! ὅση κολοκύνθη.

Ibid. *Non longe inquam lux abest*] Petronius: *Moraris Eumolpe, tanquam prope diem ignores?*

Ibid. *Quid viatori de summâ pauperie latrones auferre possunt?*] Seneca cap. 8. de Tranquill. *Laetiores videbis quos nunquam Fortuna respexit quam quos deseruit. Vidit hoc Diogenes, vir ingentis animi, et effecit ne quid sibi eripi posset. Tu istud paupertatem, inopiam, egestatem voca; et quam voles ignominiosum securitati nomen impone. Putabo hunc non esse faelicem, si quem mihi alium inveneris cui nihil pereat. Aut ego fallor, aut regnum est inter avaros, circumscriptores, latrones, plagiarios, unum esse cui noceri non possit.* In Terentii Phormione: *Aliis aliunde est periculum quibus aliquid abradi potest, Mihi sciunt nihil esse.* Sallustius Catil. *Egestas facile habetur sine damno.*

Ibid. *Nudum nec a decem palaestritis despoliari posse?*] Facete. Ita Cicero, ad oram Appuleii sui a Casaubono notatus: *Leontinis, quorum nemo glebam possidet, non modo Apronium, sed nec tempestatem quidem ullam in agris nocere posse. Decem palaestritae* proverbiale est. Persius: *Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant, Non tamen efficient* etc. Non frustra autem *decem* heic Appuleius posuit. Arrianus 1. 29. in Epictetum: Κρείττονες εἰσὶν οἱ δέκα ἑνός. Πρὸς τί; Πρὸς τὸ ἀποκτεῖναι, etc. πρὸς τὸ ἀφελέσθαι τὰ ὄντα.

Ibid. *In alterum latus evolutus*] Senec. cap. 2. de Animi Tranquill. *Sunt quaedam quae corpus nostrum cum quodam dolore delectant: ut, versare se, et mutare nondum fessum latus.* Herc. Fur. Παλίντροπος ἐξεγειρόμενος στρέφεται. Euripidaeum est.

Ibid. *Unde autem scio an convennone illo tuo* etc.] Fere nemo est qui non hîc aliquid indulserit sibi. fortassis *convivone*, id est, *combibone* scribendum. Glossae: *Convivones*, συμπόται. Imo supra de eodem isto, *vinolentia pertentatus.*

Ibid. *Fugae mandes praesidium*] Infra lib. 7. *Nam et praesidium fugae, quo velocius, frustratis insecutoribus* etc. Interpres vetus Iudith. 15. 1. *Tremore ac metu agitati fugae praesidium sumunt.* Claudianus: *Arma oneri, fugae praesidio.* Servius ad Aeneid. 10. *Miserrimum et ultimum praesidium fuga est. Mandes* est *commendes.* Virgilius: *Mandavimus hordea sulcis.* ubi Servius, *Commendavimus.* Alibi Virgilius: *Mandet humo.* Servius: *Commendet in terra.*

Ibid. *Illud horae* etc.] Habet (ut multas alias locutiones a Suetonio. *Nunquam* (inquit) *postea se publico illud horae commisit.*

Pag. 12. *Canem Cerberum esurientem*] Fauces prae aviditate moventem agitantemque. Plautus Capteiv. *Quasi lupus esuriens metui ne in me faceret impetum.* Ovidius 14. Metamorphos. *Et iam prensurum, iam nunc mea viscera rebar In*

sua mersurum. De Laperda Nicetas Choniates: Τὴν ἐυρυχανδῆ γένυν (Andronici Imper.) ὑπεβλέπετο καταχάσκειν αὐτοῦ μέλλουσαν. Sic *hiare, ac malis increpare*, Virgilius dixit. Ammianus lib. 29. *vacuos morsus concrepare.* Sidonius de lupis: *Irritant acuuntque famem, portantque rapinae In vultu speciem, patulo ieiunia rictu Fallentes: iamiamque tener spe frangitur agnus, Atque absens avido crepitat iam praeda palato.* Ovidius 8. Metamorphos. *Oraque vana movet, dentemque in dente fatigat, Exercetque cibo delusum guttur inani.*

Ibid. *Sed saevitiâ cruci me reservasse*] Apud Plautum ille: *Scio ego crucem fore mihi sepulchrum.* Aeneid. 5. *Infaelix, cui te exitio Fortuna reservat.* Plutarchus in de Consolat. Θεραμένης etc. συμπεσούσης τῆς οἰκίας ἐν ᾗ μετὰ πλειόνων ἐδείπνει, μόνος σωθεὶς, καὶ πρὸς πάντων εὐδαιμονιζόμενος, ἀναφωνήσας μεγάλῃ τῇ φωνῇ, ὦ Τύχη (εἶπεν) εἰς τίνα με καιρὸν ἄρα φυλάττεις; μετ' οὐ πολὺν δὲ χρόνον κατασστρεβλωθεὶς ὑπὸ τῶν τυράννων, ἐτελεύτησε. Cicero (Verr. 7.) de summo Oratore illo M. Antonio: *Tunicam eius* (Aquilii, cuius causam orabat) *a pectore abscidit, ut cicatrices Pop. Romanus Iudicesque aspicerent adverso corpore exceptas*, etc. *eoque adduxit eos qui erant iudicaturi, vehementer ut vererentur ne, quem virum Fortuna ex hostium telis eripuisset, cum ipse sibi non pepercisset, hic non ad Pop. Romani laudem, sed ad Iudicum crudelitatem videretur servatus esse.* Philo (in de Mosis vita) de quibusdam murmurantibus Israëlitis: τὰ προγεγονότα ὡς οὐκ ἐπ' εὐεργεσίᾳ σύμβαντα, μᾶλλον ἢ διὰ μετουσίαν ἀργαλεωτέρων συμφορῶν. Agrippa ad Caium Imper. apud eundem Philonem: Δόξω γὰρ οὐ τοῦ σωθῆναι χάριν ἀφεῖσθαι, μᾶλλον ἢ τοῦ βαρυτέρας ἐνδεξόμενος συμφορὰς ἐπισημότερον τελευτῆσαι. Infra lib. 7. *In rebus scaevis affulsit Fortunae nutus hilarior, nescio an futuris periculis me reservans.* Claudianus: *Proh! saevior ense Parcendi rabies, concessaque vita dolori.*

Ibid. *Fulcimentum*] Glossae: *Fulcimentum*, ὑπέρεισμα, ὑπόρθωμα.

Ibid. *De genere tumultuario mortis mecum deliberabam*] Horatius de Cleopatra: *Deliberata morte ferocior.* Ait, *de genere mortis* etc. apud Senecam Phaedra: *Decreta mors est, quaeritur fati genus.* Apud Calpurnium Declam. 24. *Non de morte cum patre, sed de mortis patris* (lege *patri*) *genere dissentio.* Tacitus Annal. 12. de Agrippina: *Sceleris olim certa, et oblatae occasionis propera, nec ministrorum egens, de genere veneni consultavit.* Idem Annal. 14. de Nerone: *Praegravem* (hanc ipsam Agrippinam) *ratus, interficere constituit, hactenus consultans, veneno, an ferro, an qua alia vi.* Virgilius 4. *Ubi concepit furias, evicta dolore, Decrevitque mori, tempus secum ipsa, modumque Exigit.* Infra hîc lib. 6. *Utpote in coetu turbulento variae fuere sententiae, ut primus vivam cremari censeret puellam, secundus bestiis obiici suaderet, tertius patibulo suffigi iuberet, quartus excarnificari praeciperet: certe calculo cunctorum utcunque mors ei fuerat destinata.* Et lib. 7. *Dum in ista necis meae decontor electione*, etc. Onomasticon vetus: *Tumultuarius*, παρατυχών.

Ibid. *Iamiam grabatule animo meo carissime*] Macrobius Saturnal. 4. 6. *Est et ille locus ad permovendum pathos, in quo sermo dirigitur vel ad inanimalia, vel ad muta.* Virgilius, ubi de Didone moritura: *Dixit, et os impressa toro, moriemur inultae?* ubi Servius: *Quasi peritura, insensibili rei dat sensum, et sic ad lectulum alloquitur, ut ad hastam Turnus, Mezentius ad equum. Animo meo* est *mihi.* Adolescens Plautinus ad Patrem in Trinummo: *Pro imperio tuo Meum animum tibi servitutem servire aequum censeo.* Cicero Tuscul. 1. *Neque nos corpora sumus*, etc. *nam corpus quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum: ab animo tuo quicquid agitur, id a te agitur.* Sic τὰς τῶν ἀκάκων καρδίας Rom. 16. D. Paulus. et *Caci mentem efferam* Virgilius. Illud *Animo meo carissime* a Sallustio est, apud quem Adherbal. *Iamiam frater animo meo carissime* (quae verba etiam Servius adducit ad Aeneid. 12.) Sallustius hausit ab Homerico illo Odyss. 4. Τῷ μῷ κεχαρισμένε θυμῷ. pro quo Terentius Heaut. *Maxime animo exoptate meo.* et Virgilius: *Animo gratissima nostro.*

Ibid. *Qui mecum tot aerumnas exantlasti*] Aristophanes apud Suidam: Πολλὰ γὰρ δὴ πράγματα ζυνδιήνεγκαν μεθ' ἡμῶν. ad quae Suidas: Συνέκαμον, ὑπερήνεγκαν. Idem, Ξυμπονήσαντα, ἀντὶ τοῦ, συνυπομείναντα. In Adelphis Terentii: *Paupertatem una pertulimus gravem.* ubi Donatus: *Magis coniungit malorum consortium, quam bonorum.* Iustinus lib. 6. de Epaminonda moriente: *Allatum* (scutum) *veluti laborum* etc. *socium osculatus est.*

Ibid. *Quem solum* etc. *testem innocentiae meae citare possum*] Augustinus Confess. 6. 9. *Statim enim Domine subvenisti innocentiae, cuius testis eras tu solus.*

Ibid. *Tu mihi ad Inferos festinanti subministra telum salutare*] Apud Lucianum tyrannus gladium alloquens quo filius occisus fuerat: Περὶ μικροῦ μέν με ἀπέκτεινας, νῦν δ' ἀνάπαυσον· πατρὶ πενθοῦντι παραμύθιον ἐλθὲ, καὶ πρεσβυτικῇ χειρὶ δυστυχούσῃ συναγώνισαι. *Telum* de quo heic agitur est *restis.* Bacchus ad Herculem in Ranis Aristophanis: Φράζε τῶν ὁδῶν Ὅπως τάχιστ' ἀφίξωμ' εἰς Ἅδου κάτω. Respondet ille: Μία μὲν γάρ ἐστιν, ἀπὸ κάλω καὶ θρανίου Κρεμάσαντι σαυτόν. *Ad Inferos descendere*, ut infra, lib. 6. *Sic enim rebatur ad Inferos recte*

at-

atque pulcherrime se posse descendere. ubi pro *recte recta* reponendum putarim. quod alibi eod. libro dixit, *ad Orci regiam canali directo pergere.*

Restim] Hesychius in Τρητοῖς etc. Τοῖς ἱμᾶσιν αἱ κλῖναι ἐνετείναντο. Potuit hic noster dicere cum Terentiano illo: *Ad restim mihi quidem res rediit planissime.*

Ibid. *Tigillo* etc. *iniecta atque obdita parte funiculi*] Infra lib. 9. *Vident e quodam tigillo constrictum atque exanimem pendere Dominum.* Virgilius: *Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.*

Ibid. *Ad exitum sublimatus*] Infra lib. 6. *Ad certum exitium praeparata.*

Ibid. *Sed dum altero pede fulcimentum quo sustinebar, repello* etc.] Theocritus 23. Βρόχον δ' ἔμβαλλε τραχήλῳ· Τὰν ἕδραν ἐκύλισσεν ὑπὲρ ποδὸς, ἡ δ' ἐκρεμάσθη Νεκρός. Scholiastes Aristophanis: Θράνους καὶ θρανίτια τινὰ διφρία καὶ ὑποπόδια ἔλεγον, καὶ παρὰ τῷ Ποιητῇ δὲ θρῆνυς, ἐφ' ὧν οἱ ἀπαγχόμενοι ἀρτῶσιν ἑαυτοὺς, ἀπολακτίζοντες αὐτά. Huc et respiciunt Artemidori ista 2. 55. Ὁ ἀπαγξάμενος οὐκ ἔτι τῇ γῇ ἐπιβαίνει, οὐδὲ ἐστὶν ἐπὶ ἕδρας.

Ibid. *Putris alioquin et vetus funis disrumpitur*] Petronius: *Fracta est putris sella quae staturae altitudinem adiecerat.* Martialis: *Putris et abrupta fascia reste iacet. Disrumpitur* (inquit) *funis.* argumento simili Quintilianus: *Strictos circa collum laqueos aut nexus aut ipsius corporis ruina decepit.* Declam. 17.

Ibid. *Decidens* etc.] Melius Oxon. et alii *recidens.* Supra hîc, *Recidens in inversum cooperit.*

Ibid. *Socratem* etc. *superruo*] Donatus ad 3. 2. Adelph. *Ruere, est toto corpore uti ad impellendum: quod faciunt qui ipsi praecipites, alios prosternunt.* Iurisconsultus in l. 7. ff. ad Leg. Cornel. de sicar. *super alium venire* dixit, ni forsan locus corruptus. Oxoniensis hîc non *superruo* sed *supino* habet. melior proculdubio vulgata lectio. Infra lib. 4. *Ruunt aliae superque aliae sepedum populorum undae.*

Ibid. *Et nunc stertis involutus*] Donatus ad Eunuchum: *Stertit, plus quam, dormit.* Scholiastes ad Nubes Aristophanis: Τῶν βαθέως καθευδόντων τὸ ῥέγχειν ἴδιον. Et nota τὸ *involutus.* Sic 1. 6. Arriani ἐντετυλιγμένος καθεύδειν. et in Clementis Paedag. τοῖς στρώμασιν ἐνειλημένος ῥέγχειν. Aristophanes Equit. Ῥέγχει μεθύων ἐν ταῖσι βύρσαις ὕπτιος. et in Nubibus: Ἀλλ' εἰ δοκεῖ, ῥέγκωμεν ἐγκεκαλυμμένοι. Ibidem paulo ante: Ἐν πέντε σισύραις ἐγκεκορδυλημένος.

Ibid. *Nescio an casu nostro* etc. *experrectus Socrates* etc.] Dio Cassius lib. 43. de Catone se in mortem vulnerante: Καταπεσὼν ἐκ τοῦ σκιμποδίου, ψόφον ἐποίησε, καὶ τοὺς προκοιτοῦντας ἐξήγειρε.

Ibid. *Iste curiosus* etc.] Donatus ad Eunuchum: *ILLE INSANUS sic effertur, ut omnibus insuavis esse noscatur.*

Ibid. *Altissimo somno*] *Altissimum* somnum vocat, utpote matutinum. Guntherus: *Omnibus in castris pingues efflantibus auras, Et matutina pressis torpore quietis.* Theocritus, vel (ut alii) Moschus. 19. Νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵσταται, ἔγγυθι δ' ἠώς. Ὕπνος ὅτε γλυκέων μέλιτος βλεφάροισιν ἐφίζων Λυσιμέλης πεδάᾳ μαλακῷ κατὰ φάεα δεσμῷ. Marcus Antoninus lib. 5. Ὄρθρου, ὅταν δυσόκνως ἐξεγείρῃ.

Pag. 13. *Emergo laetus atque alacer*] Auctor vetus de Tragoedia et Comoedia cum Terentio excusus: *Ex omnibus locis laeti alacresque veniebant.* Horatius Serm. 2. *Vegetus* etc. *surgit:* ubi Scholia. *Laetus, alacer.* Seneca Epist. 72. *animus in omni negotio laetus atque alacer est.* Infra heic lib. 3. *Spe salutis alacer atque laetus.* et 11. *Laetus atque alacer Deam praepotentem* etc. *apprecabar.* Cicero: *Catilinam interea alacrem atque laetum* etc. Plinius in Panaegyr. *Vota Domine, priorum annorum nuncupata alacres laetique persolvimus.* Omnino vide Asconium ad 2. Verr. Pro *emergo* (quam non damno lectionem) propono an *exurgo* scribendum Infra lib. 8. *Exurgit alacer.* lib 9. *Exurgens alacriter.* eodem libro: *Vegetus exurgo.* et 11. *Discussa pigra quiete, alacer exurgo.*

Ibid. *Insperato gaudio diffusus*] lib. 2. *Insperato lucro diffusus in gaudium.* Ammianus (Appuleii nostri et Gellii frequentissimus imitator) *Plebs omnis elata gaudio insperato.*

Ibid. *Ecce inquam* etc. *comes, et pater meus, et frater meus* etc.] Petronius: *Tuus iste frater seu comes* etc. In Gloss. *Comes*, σύνοδος. et in alio, Σύνοδος, ὁ συνοδεύων, *comes*, apte ad sensum quo sumit Appuleius noster. Apud Athenaeum ille lib. 6. Ἐγώ σε πάντων ἀνθρώπων ἠγάπησα μᾶλλον· καὶ σὺ εἶ μοι καὶ παῖς, καὶ υἱὸς, καὶ τὰ ἄλλα πάντα. Vide ad Matth. 12. 50. dicta. Et nota, ut praecipuum post caetera *fratris* appellativum poni. Quintilianus Declam. 321. *Certe quoties blandiri volumus his qui et amici esse videntur, nulla adulatio procedere ultra hoc potest, quam ut fratres vocentur.* Terentius Adelph. 1. 1. *O frater, frater.* Ubi Donatus: *Subdistinguendum: ut videatur quaesivisse quid ultra diceret, et plus invenire se non potuisse quam frater.* Vide l. nemo dubitat 58. §. 1. de haered. instit. Cantic. 8. 1. Additam. Estheris 15. 12.

Ibid. *In alium sermonem eius intentionem denuo derivo*] Heliodorus 2. Τοῦ πρεσβύτου τὶ πέπονθα ἐρωμένου, πρὸς ἄλλα ὁ Κνήμων ἀπάγων. Θαυμάζω ἔφη, etc. Apud Achillem Tatium lib.

lib. 6. Τὸν ὄντα λόγον οὐ λέγει, σοφίζεται δέ τι μάλα πιθανῶς.

Ibid. *Itineris matutini gratiam carpimus?*] Virgilius 3. Georg. *Lucifero primo cum sidere frigida rura Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent.* Sic apud Pollucem 10. 12. τῇ δὲ ὀχημάτων αἰωρήσει χρῆσθαι περὶ τὴν ἕω θεοῦ ὄντος. Hesiodus ἐργ. β. Ἠὼς ἥ τε φανεῖσα πολέας ἐπέβησε κελεύθου Ἀνθρώπους. Et bene heic verbo *gratiae* usus. Lucianus in de Domo: Κάλλιστον τῆς ἡμέρας καὶ ποθεινότατον ἡ ἀρχή.

Ibid. *Stabulario*] Vide Hesychium in στεγανόμιον. Onomast. vetus: *Stabularius*, πανδοχεύς.

Ibid. *Aliquantulum processeramus*, etc.] Genes. 44. 4. Latinus Interpres: *Iamque urbem exierant, et processerant paululum* etc.

Ibid. *Et iam iubaris exortu cuncta collustrantur*] Ovid. *Iubar aureus extulerat Sol.* Virgil. *Revoluta ruebat Matura iam luce dies, noctemque fugârat.* Et nota, *collustrantur cuncta.* Infra lib. 7. *Candidum Solis curriculum cuncta collustrabat.* Apud Ciceronem, de Divinat. *Aethereo flammatus Iupiter igni Vertitur, et totum collustrat lumine mundum.* Idem 2. de Nat. Deorum: *Sol omnia clarissima luce collustrans.* et in somnio Scipionis: *Tanta magnitudine, ut cuncta sua luce lustret et compleat.* De eodem 2. 10. Lactantius: *Fulgore clarissimo illustrat omnia.* Noster in Asclepii Dialogo: *Secundum Deum hunc crede, omnia gubernantem, omniaque mundana illustrantem* etc. Lucretius: *Sua perfundens omnia luce.* Athanasius: Ἡλίου φαίνοντος, καὶ πάσης τῆς γῆς τῷ φωτὶ τούτου καταλαμπομένης. Clemens Stromat. 1. Φωτὸς ἀνατολῇ πάντα φωτίζεται. Glossarium: Αὐγὴ ἡλίου, *iubar.* De Sole Virgilius: *Extulit os sacrum coelo, tenebrasque resolvit.* ubi Servius: *Tenebras resolvit propter iubar.*

Ibid. *Curiose sedulo arbitrabar*] Male Gruterus maluit *curioso oculo arbitrabar* etc. sic contra lib. 8. *incuriose*, et post, *non altiuscule suspensum.* Sic 4. *nullo negotio* etc. *otiose.* Saepe hic Scriptor duo adverbia ἀσυνδέτως ponit.

Ibid. *Sanus, incolumis*] Glossae: Σῶος, *Incolumis, sospes, salvus.*

Ibid. *Ubi vulnus? spongia ubi? postremo cicatrix tam alta?* etc.] Oxon. *Ubi vulnus? ubi postremo cicatrix* etc.? τὸ *spongia* etiam ab alio MS. abesse Colvius testatur.

Ibid. *Medici fidi* etc.] Ita Oxon. MS. et perantiqua Vicentiae editio. Gruterus, Lipsius, et alii multas heic corruptelas depromunt. Nos probam hanc ex probatis Scriptoribus lectionem nos probaturos confidimus: amplius, non magis proprie Appuleium loqui potuisse. In Distichis Catoni adscriptis: *Corporis auxilium medico committe fideli.* Horatius: *Medicus multum celer atque fidelis.* Alexander apud Q. Curtium: *Damnem medici fidem?* Ibidem: *Postquam potionem ab eo* (medico) *sumptam ebibisset: nunc credo te non minus pro tua fide quam pro mea salute esse sollicitum.* Cicero famil. 12. 30. de Asclapone medico: *Mihi tum ipsa scientia, tum etiam fidelitate* etc. *satisfecit.* In veteri Epigrammate: *Ortus ab Iguvio medicus fora multa secutus, Arte feror nota, nobiliore fide.* Infra lib. 10. de medico: *Qui, cum fidem suam coram lacerari videret.* Ibidem: *Compertae fidei* etc. *medicus:* et contra eod. libro: *Medicus notae perfidiae.* Lectionem a nobis positam ni fallor plus satis stabilivimus.

Ibid. *Saeva et gravia somniare autumant*] Chrysostomus Hom. de ingluvie et ebriet. Οἱ μέθῃ καὶ ἀδηφαγίᾳ δεδουλωμένοι, οὔτε ὕπνου αἱροῦνται γνήσιον καὶ εἰλικρινῆ, οὔτε ὀνειράτων ἀπαλλάττονται φοβερῶν. Vide Philostratum 2. 14. Max. Tyrium Dissert. 28. post initium. Sirachid. 34. 22. 23. *Saeva et gravia somniare* est, quod apud Suetonium *formidolosa et vana somnia videre.*

Ibid. *Iugulari visus sum mihi*] Nimirum quia vinolentia pertentatus cum se cubitum reciperet. Macrob. Somn. Scip. 1. 3. *Est* ἐνύπνιον, *quoties cura oppressi animi corporisve, sive fortunae, qualis vigilantem fatigaverat, talem se ingerit dormienti*, etc. *Corporis si temeto ingurgitatus, aut distentus cibo* etc. *praefocari se existimet.* Talium et Artemidorus 1. 1. ait esse πνίγεσθαι εοικέναι διὰ τὴν γενομένην ἀπόφραξιν, δυσαναθυμιάτου τῆς τροφῆς οὔσης.

Pag. 14. *Et nunc spiritu deficior*] Glossarium: Ἐξατονῶ. *deficio.*

Ibid. *Et genua quatior*] Homerus de famelico homine: Βλάπτεταί δέ τε γοῦνατ' ἰόντι. Lucretius: *Et quoniam non est quasi quod suffulciat artus; Debile fit corpus, languescunt omnia membra, Brachia palpebraeque cadunt, poplitesque procumbunt.*

Ibid. *Et gradu titubo*] Ambrosius simili argumento: *Videas in nonnullorum domibus nitidos et crassos canes discurrere, homines autem pallentes et titubantes prae fame.* Hieronymus hoc sensu *vacillare* dixit. *Melius est te* (Salvinam alloquitur) *stomachum dolere quam mentem:* etc. *gressu vacillare quam pudicitia.* Egesippus lib. 5. de Iudaeis fame in obsidio pressis: *Huc atque illuc circumferebantur: saepe etiam quasi ebrii in eadem domicilia regrediebantur.* Vide 4. 17. Ezechielem.

Ibid. *Et aliquid cibatus refovendo spiritu desidero*] Quasi diceret: *Deficient inopem venae me, ni cibus, atque Tantilla accedat stomacho fultura ruenti.* Tacitus Annal. 6. *Repente adfertur, redire Tiberio vocem ac visus: vocarique*

rique qui recreandae defectioni cibum afferrent.

Ibid. *Paratum tibi adest ientaculum*] Proprie heic *paratum*. Vide ad Matth. 22. 4. notata.

Ibid. *Manticam meam humero exuo, ei porrigo*] Solebant tenuioris fortunae viatores edulii quid pera conditum circumferre. Vide ad Matth. 10. 10. dicta. Iudithae 10. 5. *Adsumpsit* etc. *ascoperam vini, et polentam, et palathas, et panem, et caseum.* Lautiores iumentis et vasibus illi usui destinatis imponebant. Basilius Conc. de Ieiun. Τοὺς ὁδοιπόρους ἡ τρυφὴ ἀχροφορεῖν ἀναγκάζει τὰς ἀπολαύσεις περικομίζοντας.

Ibid. *Iuxta platanum istam*] Plato in Phaedone: Ὁρᾷς οὖν ἐκείνην τὴν ὑψηλοτάτην πλάτανον; τί μεν; ἐκεῖ σκιά τ' ἐστι, καὶ πνεῦμα μέτριον, καὶ πόα καθέζεσθαι, ἐὰν βουλώμεθα κατακλιθῆναι. Noster in de Mundo: *Platanos umbras potantibus ministrantes.*

Ibid. *Pallore buxeo deficientem video*]. *Poplite deciduo genua intremuere, fugitque Et color, et sanguis.* Apud Achillem Tatium Lib. 7. Ὁ δὲ ὠχρὸς ἐγένετο κατὰ μικρὸν, καὶ ὀκνηρότερον ἤσθιεν, ἤδη δὲ καὶ τρόμος αὐτὸν εἶχεν. *Pallore deficientem* verissime et peritissime dixit. Suidas in ὠχριάσας: Ὠχριάσας, ἀντὶ τοῦ, ὑπ' ἐκλύσεως σκοτωθεὶς, ᾧ ἕπεται τὸ ὠχριᾶν. τοιοῦτοι δὲ οἱ λειποψυχοῦντες· τρέπεται γὰρ αὐτῶν πρῶτον ἡ χροιά. *Buxeo pallore* heic ut 8. *Buxante pallore*: et apud Chrysostomum Homil. de Paupert. et divit. πρόσωπον πύξινον, καὶ τοῦ νεκρωθέντος οὐδὲν ἄμεινον διακείμενον.

Ibid. *Sic denique cum vitalis color turbaverat* etc.] Tacitus Annal. 15. de Paulina: *Ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum.* Ut *color* heic (quod in editis est plerisque omnibus) legamus, suadent Ovidiana ista: *In vultu color est sine sanguine.* et haec Virgilii: *Labuntur frigida letho Lumina, purpureus quondam color ossa reliquit.* nec non Senecae ista, *Incerta inter vitam et mortem coloris facies est.* et haec alterius Senecae in Hippolito: *Et ora morti similis obduxit color.* quibus adde Maximiniani ista: *Inficit ora Pallor, et exanguis funereusque color.* Ut *calor* (praesertim cum *vitalis* addatur) scribamus, postulat hic Q. Curtii locus: *Pallor deinde suffusus est, et totum propemodum corpus vitalis calor reliquit.* et hic eiusdem Scriptoris lib. 7. *Tum demum vitali calore moto membris aliquis redibat vigor.* et hic Virgilianus: *Omnis et una Elapsus calor, atque in ventos vita recessit.* Est et *calor* hic in Oxon. MS. De voce *turbaverat* quaerendum, pro tempore non expedio me.

Ibid. *Crebritas commeantium* etc.] Id est, viantium. Gloss. Ὁδοιπορῶ, *iter facio, meo.* Onomast. vetus: *Meo*, πορεύομαι.

Ibid. *Ut mihi frustulum panis* etc. *mediis faucibus inhaereret*] Seneca Thyeste: *Praeclusae cibum Tenuere fauces.* Iuvenalis: *Interque molares Difficili crescente cibo.* Proverb. 23. in Graeco: Ὃν τρόπον εἴ τις καταπίοι τρίχα, οὕτως ἐσθίει καὶ πίνει. Seneca 82. Epist. *Non creuit in ore cibus, non in faucibus haesit.* Ovidius: *Crescit et invito lentus in ore cibus.* Onomasticum vetus: *Frustulum*, τεμάχιον.

Ibid. *Metum mihi cumulabat*] lib. 2. *Et mihi formido cumulatior.*

Ibid. *Mediis faucibus inhaereret*] Supra: *Mollicie cibi glutinosi mediis faucibus inhaerente.*

Ibid. *Comitum alterum sine* etc.] Bene Oxon. Cod. *comitem alterum* etc.

Ibid. *Casci bonam partem* etc.] Id est, *magnam.* Terent. Eunuch. 1. 2. *Bonam magnamque partem ad te attulit.* Donatus: *Haec dicuntur* ἰσοδυναμοῦντα. Infra lib. 8. *Confecta bona itineris parte.* et 10. *Non prius* etc. *quam de ea bonam partem sumpseris.*

Ibid. *Avide devoraverat*] Oxon. *optime d.*

Ibid. *Lenis fluvius* etc.] lib. 6. *Sub ista* etc. *platano qua mecum simul unum fluentum bibit.* Plato: Ἡ δὲ αὖ πηγὴ χαριεστάτη ὑπὸ τῆς πλατάνου ῥεῖ μάλα ψυχροῦ ὕδατος. Moschus: Αὐτὰρ ἐμοὶ γλυκὺς ὕπνος ὑπὸ πλατάνῳ βαθυφύλλῳ Καὶ παγᾶς φιλέοιμι τοῦ ἐγγύθεν ἦχον ἀκούειν. Vide 24. 19. Siracidis. Calpurn. Siculus: *Bullantes ubi fagus aquas radice sub ima Protegit.*

Ibid. *Ignavus ibat*] Horatius: *Flumine languido Cocytus errans.* Senec. Hippol. *Ubi Maeander super inaequales Labitur agros piger* etc. Infra lib. 4. *Ac valles amnibus* (lege *agminibus*) *stagnantibus irrigans, in modum sopiti maris, vel ignavi fluminis cuncta cohibebat.*

Ibid. *Placidae paludis*] Avienus Periegesi: *In morem stagni, placidaeve paludis.* Hegesippus 3. 26. *Frigidior placidae paludis aequore.*

Ibid. *Argento vel vitro aemulus in colorem*] *Vitreis argenteus undis.* Calpurnius Eclog. 2. *Virides qua gemmeus undas Fons agit.* ubi forsan *vitreas* scribendum. In vett. Catalectis: *Fontanos latices, et lucida pocula vitro.* Infra hic lib. 5. *Fontem vitreo latice placidum.* Ovidius: *Vitroque magis pellucidus amnis.*

Argento etc.] Avienus ubi supra: *Rhebas, argento similem qui porrigit amnem.* Infra lib. 4. *Evomebat undas argenteas.* Iulianus in Epistolis: Ὅμηρος etc. τόν τε ἄργυρον αἰγλήεντα λέγει· καὶ τὸ ὕδωρ ἀργύρεον ὀνομάζει. Hesychius: Ἀργυροδίνην· λευκὰ ῥεύματα ἔχουσαν κρήνην.

Latice fontis lacteo.] Verum est quod Philo scripsit: Οὐ ποταμὸς, οὐ πηγή τις οὐδαμοῦ τῆς οἰκουμένης ἀνθ' ὕδατος μνημονεύεταί ποτε γάλα ὀμβρῆσαι. Inde inter ἀδυνάτων proverbialia apud Iuvenalem: *Tanquam in mare fluxerit amnis.* *Gur-*

Gurgitibus miris, et lactis vortice torrens. et tamen nil egerunt qui alias heic lectiones proposuere, cum haec hyperbole id velit tantum, ut flumini summa commendatio quaeratur. Sic 3. *Lacteam cutim.* et 10. *Cupidines lacteos. Lacteam* et ἁπλῶς poteris *suavem* exponere. Hesych. Γάλα, ἡδύ. *Fontem* pro *aqua* videtur, quamquam ποιητικωτέρως, dixisse. Virgil. Georg. 4. *Liquidos manibus dant ordine fontes.*

Et oppertus paululum planiorem ripae marginem etc.] Ita Ms. Oxon.

Complicitus in genua appronat se.] Ad bibendum nempe. Nemesianus Eclog. 3. *Pronus at ille lacu bibit.* Tantalus in Mortuorum dialogis apud Lucianum: Ἀπόλωλα ὑπὸ τοῦ δίψους. cui alter: Οὕτως ἀργὸς εἶ ὡς μὴ ἐπικύψας πίνειν; Sic κύψας πίνειν 2. 12. Philostratus. Hieronymus de Paulo et Antonio: *Paululum aquae in fonte prono ore libaverunt.* Martialis: *Et bibis immundam cum cane pronus aquam.* Infra lib. 9. *Satis sitienter, pronus* etc. *salutares illas aquas hauriebam.* Ait, *in genua* etc. Iudic. 7. 6. Ἔκαμψαν ἐπὶ τὰ γόνατα τοῦ πιεῖν ὕδωρ. Agatharcides de Ichthyophagis: Ἀπερεισάμενοι τὰς χεῖρας εἰς τὴν γῆν, καὶ θέντες τὰ γόνατα, βοηδὸν πίνουσι.

Avidus affectans poculum.] Lucretius: *Flumen item sitiens, vel fontem propter amoenum Adsidet, et totum prope faucibus occupat amnem.* Et bene *avidus.* Aeneid. 6. *Avidusque refringit.* ubi Servius: *Avidus, ut ostendat tantam fuisse avellendi cupiditatem, ut nulla ei celeritas satisfacere posset.*

Ibid. *Summum aquae rorem attigerat*] Virgilius: *Primaque libato summo tenus attigit ore. Aquae rorem* hîc, ut infra lib. 4. *Vibrantium fluctuum summum rorem calcavit.* et 8. *Cruorem praeterfluentis aquae rore diluere.*

Ibid. *Vulnus dehiscit in profundum patorem*] Ovidius 2. Fast. *Vulnus inane patet.* Statius: *Vulnus hiat, magnaeque patet via lubrica plagae.* sic *vulnus patens* 4. Egesippi.

Ibid. *Eamque parvulus admodum comitatur cruor*] lib. 5. *Ut per summam cutim roraverint parvulae sanguinis* etc. *guttae.*

Ibid. *Cernuat* etc.] Ausonius in Mosella: *Cernua subiectum praeceps dat corpora in amnem.* nec Oxoniensis ergo, nec alii sequendi, qui *corruerat* legunt.

Pag. 15. *Ubi defletum pro tempore misellum comitem* etc.] Saneca 107. Epist. *Eadem vitae conditio est quae balnei, turbae, itineris,* etc. *alio loco comitem relinques, alio efferes. Pro tempore* hic, ut lib. 10. *Prandioque pro tempore commento.* Et 9. *Acceptusque pro tempore, licet non delicato, necessario tamen quietis subsidio.* Onomast. vetus: *Pro tempore,* κατὰ χρόνον. *Ut in praesens potuimus* Gellius 10. 3. dixit. Heliodorus, (etiam in re funesta) ἐξ ὧν ὁ καιρὸς ἐδίδου. Τὸ σῶμα τῆς Θίσβης (inquit) εἰς τίνα κοῖλον ἐνθέντες, καὶ τὴν τέφραν τὴν ἐκ τῶν σκηνῶν ὅσα γ᾽ ἦν ἐπιφορήσαντες, καὶ τὰ εἰωθότα διὰ τὴν ἀξίαν ἐξ ὧν ὁ καιρὸς ἐδίδου πληρώσαντες *etc.* Ammianus lib. 25. *Sepultis his, ut rerum angustiae permiserunt.* Xenophon: Ἀναβας 6. Ἔθαψαν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ὡς ἐδύναντο κάλλιστα.

Ibid. *Per diversas et avias solitudines aufugi*] Gellius 5. 14. *In camporum et arenarum solitudines concessi.* Solinus cap. 34. *Quae in aviae solitudinis secretum recesserant.* Sic *aviae solitudines* infra hic lib. 4.

Ibid. *Vir, ut habitus et habitudo demonstrant, ornatus*] *Habitus* (inquit Servius ad Aen. 1.) *apud Veteres dicebatur tam corporis, quam eorum quae propter corpus sunt.* ubi ea, *quae propter corpus sunt*, vestes, vel amictum significant. Sequentium temporum Scriptoribus designat σχῆμα tantum, vel corporis cultum: *habitudo* corporis faciem sive exteriorem figuram. Ausonius in Panaegyrico: *Cujus unquam egressus auspicatior fuit, aut incessus modestior? aut habitudo cohibitior, aut familiaris habitus condecentior?* Infra hic lib. 9. *Quidam procerus, et, ut indicabat habitus et habitudo, miles e legione.* Onomasticon vetus. *Habitudo*, ἕξις. *Habitus*, σχῆμα. Noster in Apologia: *Colorem obliterat, habitudinem tenuat.* In de Dogm. Platonis: *Platoni habitudo corporis cognomentum dedit.* Infra hic: *Speciosa corporis habitudine.* Et 2. *Quâ corporis habitudine praeditus est?* Pro *ornatus* inepte quidam *cordatus* reponebat. Noster in Apologia: *Adest Corvinus Celer, vir ornatus.* Senec. 3. 15. de Benef. *In quid isti viri ornati adhibiti sunt?* Sic Plinii lib. 2. Epist. 20. *ornata foemina.* utitur et 1 Tim. 3. 2. Latinus interpres. At multo peius ille qui vocem penitus expungendam censuit.

Ibid. *Qui statim initio* etc.] Locutio Graeca. Iosephus 2. in Appion. τὴν ἀρχὴν εὐθὺς dixit. Philo in de Mosis vita εὐθὺς ἐν ἀρχῇ. Plutarchus in π. δεισιδαιμ. et Simplicius cap. 62 in Epictet. εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς.

Ibid. *Utcunque Fata decreverunt*] Vide ad initium libri 9. adnotata.

Ibid. *Mira et pene infecta, quae tamen ignaro relata fidem perdant*] Arrianus 1. 25. in Epictetum: Καὶ τί παραδοξότερον ἐστιν ἢ κεντεῖν τινα τὸν ὀφθαλμὸν ἵνα ἴδῃ; εἰ τις ἀπείρῳ τῶν ἰατρικῶν τοῦτο εἶπεν, οὐκ ἂν κατεγέλα τοῦ λέγοντος; Cassiodorus 6. 19. de eadem arte tractans: *Futurorum praescia, valetudini tuae cedit* etc. *ne ab ignorantibus pene praesagium putetur, quod ratione colligitur. Infecta*, i. e. *impossibilia.* Donatus ad 3. 5. Eun. *Amore cogente nihil est infectum cupientibus.* Glossae: *Infectum:* ἀτέλεστον.

Ibid.

Ibid. *Hinc* etc. *gratas gratias memini*] Infra lib. 9. *Denique gratas gratias Asino meo memini*, etc.

Ibid. *Lepidae fabulae festivitate nos avocavit*] lib. 4. *Ego te narrationibus lepidis* etc. *avocabo.* ubi dicta ad p. 83. vide.

Ibid. *Sine labore ac taedio evasi*] Ovid. 14. Metamorph. *Inde ferens lassos adverso tramite passus, Cum Duce Cumaeo fallit sermone laborem.* Infra lib. 2. *Dum hunc et huiusmodi sermonem altercamur* etc. *ad domum Byrrhenae pervenimus.* ubi dicta vide.

Ibid. *Is finis nobis sermonis* etc. *fuit*] Plinius 1. Epist. 5. *Hic fere nobis sermonis terminus.*

Ibid. *Nam comites utrique ad villulas proximas laevorsum abiere*] Apposite Homilià in Iulittam Martyrem D. Basilius: Οἱ ὁδοιπόροι μίαν ὁδὸν πορευόμενοι, διὰ τὴν συνεχῆ μετ' ἀλλήλων διατριβὴν ἑνοῦνται ὑπὸ τῆς συνηθείας· ἐπειδὰν δὲ κοινὴν ὁδὸν διεξελθόντες καταλάβωσι λοιπὸν σχιζομένην αὐτὴν, τῆς χρείας ἤδη ἀναγκαίως μεριζούσης ἑκάτερον, οὐ τῇ συνηθείᾳ προσκαθεζόμενοι ἀμελοῦσι τῶν προκειμένων, ἀλλὰ τῆς ἐξ ἀρχῆς κινησάσης αὐτοὺς αἰτίας ὑπομνησθέντες, πρὸς τὸ οἰκεῖον ἕκαστος πέρας ἀποτρέχουσι.

Ibid. *Ac de anu quadam* etc. *percontor* etc.] Quae anus responsionem largam et prolixam reddit. Hesychius in γρηικάμινοι· Εὔλαλοι αἱ γραίες, διὰ τὸ παντοδαποῖς ἀνθρώποις ὁμιλεῖν.

Ibid. *Milonem quendam a primoribus*] Ἐκ τῶν πρώτων. Vide ad Act. pag. 123 et 130. notata.

Ibid. *Qui extra urbem totam pomaerium colit*] Ita Oxon. MS. Florentinus cum edit. Vicent. *Qui extra pomoerium et urbem totam colit.*

Pag. 16. *Respicientes angiportum*] Oxon. *respiciunt a.*

Ibid. *Diversatur*] Idem Cod. *demoratur.*

Ibid. *Et sordis infimae, infamis homo*] Sic editi, sed tollenda interpunctio. lib. 3. *Maleficae disciplinae perinfames.* lib. 2. *Fatigationis saucius.* 8. *Pecuniae locuples.* 10. *Gravedinis compertae famosum.* et in de Deo Socrat. *Profana Philosophiae turba.*

Ibid. *Exiguo lare inclusus, et aerugini intentus*] lib. 4. de alio similis notae homuncione: *Parva, sed satis munita domunculo contentus* etc. *aureos folles incubabat.*

Ibid. *Nec praeter unicam pascit ancillam*] Haec sola Domino familia erat: ut Phaedrus de Aesopo loquitur. In voce *pascit* κυριολογία est. Iuvenalis: *Quot pascit servos, quot possidet agri Iugera.* Sidonius 3. 13. *Inter haec tamen ipse avarissimus quemquam non pascit.* Seneca Epist. 17. de paupertate loquens: *Non circumstant illum turbae servorum, ad quos pascendos transmarinarum regionum est optanda fertilitas.* et Epist. 20. *Turba ista cum a te pasci desierit, ipsa se pascet.*

Ibid. *Et habitu mendici semper incedit*] lib. 4. de altero illo: *Pannosus et sordidus.*

Ibid. *Ad haec ego risu subiicio*] Ita omnes excusi. Ego contra omnes contendo *risum* legendum. A. Gellius 17. 3. *Enimvero majorem illi risum subiiciunt. Risum et cachinnum subjicere* etiam Lucilius dixit. Haec conieceram, cum *risum* etiam in Oxon. MS. scriptum offendi.

Ibid. *Benigne* etc.] *Benigne* Ironice dixit, sed et proprie. Miles. 6. *Te comiter excipiet ac benigne.* Horat. *Vescere sodes. Iam satis est: At tu quantumvis tolle. Benigne.* Terent. *Nil apud me tibi defieri patiar, Quin quod opus sit benigne praebeatur.* ubi Donatus: *Benigne, large.* Horatius: *Benignius Deprome Sabinum.* Scholiastes: *Solito remissius.* Contra *maligne*, pro *parce*, *restricta manu.* Valer. Maximus: *Neque virtus haustum suum cum aliquo personarum discrimine largum malignumve praebet.* Catullus: *Non inquam mihi tam fuit maligne, Ut Provincia quod mala incidisset, Non possem octo homines parare rectos.* Onomasticon vetus: *Malignus*, φειδόμενος. Hinc *parco* etiam ac *frugi* homini *benignus* oppositus. Plautus Trucul. *Benignusne, an bonae frugi sies.* Ibidem: *Atque est benignus potius quam frugi bonae.* In vet. eod. Onomastico: *Benignus*, ἐλευθέριος. Haec talia obiter monuisse non insuper habemus, ut quae frustra (ni fallor) quaerantur in excusis Vocabulariis.

Ibid. *Nec fumi*] Senec. Epist. 74. *Intervenerant quidam amici propter quos maior fumus fieret.* Infra hic lib. 2. *In domo, in qua totius gis diebus ne fumus quidem visus est ullus.*

Ibid. *Ianuam firmiter oppessulatam*] Infra lib. 3. *Pessulis iniectis, et uncino firmiter immisso.* Pollux 1. 8. Τὰ εἰς ἀσφάλειαν, κλεῖθρα, μοχλοὶ *etc.* ἐπίβλητες *etc.*

Ibid. *Pulsare vocaliter incipio*] In Oxon. *velociter.* male; Act. 10. 17. Ἐπέστησαν ἐπὶ τὸν πυλῶνα, καὶ φωνήσαντες *etc.* Libanius (Elmenhorstio adductus): Κρούσας ἐκάλουν. Menander: Τὴν θύραν κόψας ἐγὼ καλῶ Τιν' αὐτῶν. Apud Suidam in ἀπόστα. Infra lib. 9. *Suae domus ianuam iam pulsat, iam clamitat, etc.* Et alibi eodem libro: *Ut illis intervocaliter clamantibus nullus respondit Dominus, iam forem pulsare validius*, etc.

Ibid. *Tandem adolescentula quaedam procedens* etc.] Act. 12. 13. Κρούσαντος δὲ τοῦ Πέτρου τὴν θύραν, προσῆλθε παιδίσκη ὑπακοῦσαι. Pollux 3. 8. ex Lysia: Ἐξελθοῦσα ἡ παιδίσκη τὴν θύραν ἀνοίγνυσι.

Heus tu qui tam fortiter fores verberasti etc.] In Helena Euripidis, anus Manelao pulsante: Τὶς πρὸς πύλαισιν; οὐκ ἀπαλλάξῃ δόμων; Καὶ

μὴ πρὸς αὐλαίοισιν ἑστηκὼς πύλαις Ὄχλον παρέξεις δεσπόταις; Apud Aristophanem ille in Nubibus: Τίς ἐσθ' ὁ κόψας τὴν θύραν; Ἀμαθής γε νὴ Δί' ὅστις οὑτωσὶ σφόδρα Ἀπεριμερίμνως τὴν θύραν λελάκτικας. Plaut. Trucul. *Quis illic est qui tam proterve aedes nostras arietat?* et Pseudolo: *Quisquis es, compendium ego te facere pultandi volo.*

An tu solus ignoras? etc.] Infra lib. 4. *Tune solus ignoras?* etc. Cicero in pro Milone. *An vero Iudices vos soli ignoratis?* etc.

Meliora, inquam, ominare.] *Meliora mente concipe.* ut Seneca Herc. Fur. locutus. Idem Thyeste: *Omina quaeso Sint ista procul.* Noster in Asclepii Dial. *Melius ominare o Asclepi.* Horatius: *Male ominatis Parcito verbis.* Ergo falsi qui hic ex Ms. *M. i. nomina* reponebant.

Et post responde.] Legerim, *et potius responde.* ut in Bembino Codice. Infra lib. 7. *Quin potius effaris ubi?* etc. haec autem cum proxime praecedentibus non agnoscit Oxon. Ms.

Sed quae causa quaestionis hujus?] Infra hoc libro. *Quae causa tibi peregrinationis hujus?*

Dum annuncio, inquit, haec, ibidem opperitor.] Sic excusi plerique, et nemo de hac lectione dubitat, quae tamen falsissima est. Scribe et distingue hoc modo: *Dum annuncio, (inquit) hic ibidem opperitor.* Cicero in pro Roscio Amerino: *Qui etiam ad hoc ipsum judicium cum praesidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur.* Solinus cap. 11. *Heic ibidem campus Ennensis, in floribus semper.* Infra Lib. 4. *Parati sumus hic ibidem pro cavea ista excubare.* Florid. 4. *Ut solent Poëtae hic ibidem varias civitates substituere.* Et in Apologia. *In media quaestione hic ibidem pro Tribunali.* Lucianus in hac ipsa narratione, μεῖνον με αὐτοῦ. Coniecturam etiam adfirmatam vidimus ab Oxon. Ms.

Heic ibidem opperitor, etc. *modico deinde regressa* etc.] Plato in Phaedone. Ἡμῖν ἐξελθὼν ὁ θυρωρὸς etc. εἶπεν ἐπιμένειν, etc. οὐ πολὺν δ' οὖν χρόνον ἐπισχὼν ἧκε, καὶ ἐκέλευσεν ἡμᾶς εἰσιέναι.

Rursum foribus oppessulatis.] Plaut. Amphitr. *Oppessulatas ante fores graditur.*

Modico deinde regressa.] Infra lib. 8. *Ille modicum moratus, refert se.*

Rogat te, inquit etc.] Lib. 3. *Ecce quidam introcurrens famulus, rogat te, inquit, tua parens Byrrhaena.* Infra hoc lib. *Rogat te hospes.*

Intuli me.] Lib. 6. *Pulvinaribus se proximam intulit.* et 2. *Me nescius forum Cupedinis intuli.* Virgilius, a quo sumpsit, ita saepius loquitur.

Eumque accubantem exiguo admodum grabatulo etc. *invenio.*] Gellius 19. 20. *Atque ibi qui introducti sumus, offendimus eum cubantem in scimpodio Graeciensi.*

Iubet uxorem decedere, utque in eius locum assideam jubet.] Plutarch. Sympos. 2. 1. Ἐπαινοῦμεν δὲ καὶ τὸν Ἀλκίνοον ὅτι τὸν ξένον ἱδρύει παρ' αὐτὸν, Υἱὸν ἀναστήσας ἀγαπήνορα Λαοδάμαντα, Ὅς οἱ πλησίον ἧστο, μάλιστα δέ μιν φιλέεσκεν. Luc. 14. 8. Δὸς τούτῳ τόπον.

Adside isthic] Iacob. 2. 3. Σὺ κάθου ὧδε.

Etiam nunc.] Abest ab Oxon. Ms.

Arrepta lacinia detrahens.] Forsan *trahens.* ut infra, *Clementer me trahere adoritus.*

Sessibula, ac ne sufficientem.] *Sessibula* bene legebat Beroaldus: *esibula* (quod vero proximum) habet et Ms. Oxon. Idem liber, *aut ne s.*

Et sic.] Absunt ab illo Codice, ut et ab alio quodam, fidem Colvio faciente.

Ego te, inquit, etiam de ista corporis speciosa habitudine etc. *generosa stirpe proditum* etc. *coniicerem.*] Theocrit. 25. Eidyll. Ἐπεὶ οὔ σέ γε φημὶ κακῶν ἒξ Ἔμμεναι, οὐδὲ κακοῖσιν ἐοικότα φύμεναι αὐτὸν Οἷόν τι μέγα εἶδος ἐπιπρέπει. Euripides Ione: Γενναιότης σοι καὶ τρόπων τεκμήριον, Τὸ σχῆμ' ἔχεις τόδ', ἥ τις εἶ ποτ' ὦ γύναι, Γνοίη δ' ἂν ὡς πολλά γ' ἀνθρώπου πέρι Τὸ σχῆμ' ἰδών τις εἰ πέφυκεν εὐγενής· De Mose Philo: Ὄψιν ἐνέφηνεν ἀστειοτέραν ἢ κατ' ἰδιώτην. Heliodorus 2. Τοιοῦτός ἐστι τὴν μορφὴν, καὶ τοσοῦτος ἰδεῖν τὸ μέγεθος, ὡς βεβαιοῦν τῇ θέᾳ τὸ γένος. Idem 5. Ἄνδρα καὶ ἐκ πρώτης ἐντεύξεως εὐγένειαν ἐμφαίνοντα. Et 7. Ὅτι μὲν γὰρ Ἕλληνες καὶ τοῦτο ἔγνων, καὶ ὅτι τῶν εὖ γεγονότων πάρεστι τοῖς ὁρωμένοις τεκμαίρεσθαι. βλέμμα γὰρ οὕτω λαμπρὸν, καὶ εὐσχήμων ὄψις ἅμα καὶ ἐπέραστος, εὐγενείας ἔμφασιν παρίστανται.

Deque hac prorsus virginali verecundia etc.] Plinius Lib. 5. Epist. 16. de Fundani filia. *Suavitas puellaris cum virginali verecundia.* Hieronymus de Nebridio: *In primo aetatis flore tantae verecundiae fuit, ut virginalem pudorem vinceret.* Cicero: *Adolescens timidus, virginali verecundia praeditus.* Apud Eundem in de Divinatione: *Ubi illa paulo ante sapiens virginalis modestiae?* Scholiastes vetus de Persio, in vita eius: *Fuit morum lenissimorum, verecundiae virginalis.* Donatus ad 5. 2. Eunuch. *Pudicitiae ac verecundiae virginalis statum.*

Generosa stirpe proditum.] Glossarium: Γενεᾶς μεγάλης: *generosus.* Infra lib. 4. *Genere Thracio proditum.*

Et recte coniicerem.] Melius τὸ *et* abest ab Oxoniensi Ms.

Sed et meus Demeas eadem literis pronunciat.] Male mutarunt quidam in *perro nunciat.* *Pronunciat* non heic aliud quam *dicit, nunciat.* Vide infra ad Lib. 4. notata.

Brevitatem gurgustioli nostri ne spernas obsecro.] Apud Virgilium: *Aude hospes contemnere opes.* In Eclog. Calpurnii: *Ne contemne casas*

et

et pastoralia tecta. Onomasticon vetus, *Gurgustium*, οἰκίδιον.

Maiorem domum dignatione tua feceris.] Philo in de Victimis: Ἡ τῶν ἑστιωμένων ἀξίωσις ἐπικοσμεῖ τὸν ἑστιάτορα etc.

Si contentus Lare parvulo.] Iuvenalis: *Nam cum sis conviva mihi promissus, habebis Euandrum, venies Tyrinthius.* Ubi vetus Scholiastes: *Cum sis vir magnus, excipieris tamen a me hospitio paupere, ut scilicet Hercules ab Euandro.* Vide P. Chrysologi Serm. 36. *Contentus* dixit, non sine emphasi. Virgilius: *Argolica hac galea contentus abito.* ubi Servius; *Contentus, quasi parvo munere.* In Oxon. hic, *alisontis hospitium:* et inter lineas positum, *ullius hominis.* Communis lectio a Politiano est, Miscell. cap. 24. *Lare parvulo*, ut supra heic, *exiguo Lare.* Horatius *parvo lare* dixit. Persius *lare presso.* Noster in Apologia *Lare gracili.*

Ibid. *Non est aspernatus H. a. h. t.*] Illi *Non fuit opprobrium facta sine arte casa.*

Ibid. *Susceptas sarcinulas cum fide conde*, etc.] *Cum fide*, *fideliter:* Sic *condere cum fide*, I. 7. Columella. et lib. 3. Noster, *cum fide proferre:* quod post eodem libro, *cum fide memorare.* Terentius Adelph. *cum fide obsonare* dixit. *Conde cum fide* autem, ad ancillam signatissime dictum. Pollux 3. 8. Ἡ ταμεῖα τῆς πίστεως ὄνομα.

Ibid. *Ac simul e prompt. oleum unctui, et lintea tersui*, etc. *huc eidem usui profer ocyter.*] In Colloquiis vett. Σάβανα εἰς τὸ βαλανεῖον, ξύστραν, προσόψιον, ποδεκμάγιον, λέκυθον. Haec sunt quae *caetera* vocat Appuleius Noster. Lexiphanes Lucianeus: Σὺ δὲ, ὦ παῖ, στλεγγίδα μοι, καὶ βύρσαν, καὶ Φωσώνια, καὶ ῥύμματα ναυστολεῖν εἰς τὸ βαλανεῖον, καὶ τοὐπίλουτρον κομίζειν. Suidas: Στελγίδες, καὶ καταμάγεια τὰ εἰς τὸ λούεσθαι χρειώδη, καὶ ξύραι, καὶ λήκυθος, καὶ ξυστροφύλαξ εἴδη λουτροῖς ἐπιτήδεια. Arrianus 4. 11. in Epictetum: Ἀμήχανον μὴ ἀπὸ τοῦ ἱδρῶτος καὶ τῆς κατὰ τὴν ἐσθῆτα συνοχῆς ὑπολείπεσθαί τι περὶ τὸ σῶμα ῥυπαρὸν, καὶ δεόμενον ἀποκαθάρσεως· διὰ τοῦτο ὕδωρ, ἔλαιον, χεῖρες, ὀθόνιον, ξύστρα, νίτρον. *Oleum unctui*, ut apud Horatium: *Oleum nemo n' huc ocyus affert?* et in Historia Susannae: Ἐνέγκατε δέ μοι ἔλαιον etc. ὅπως λούσωμαι. *Lintea tersui*, ut apud Plautum, *Linteumque extersui.* Sequentia *huc eidem usui* etc. variis modis vexantur. MS. Oxon. *haec e. u.* Ego vocem excidisse crediderim, scribendumque: *huic eidem usui necessaria.* Miles. 2. *Iube Domina cuncta, quae sunt usui necessaria, nobis exhiberi.* et 10. *Ad vasa illa compluria gestanda quae Dominis regiones plusculas pererrantibus, erant necessaria:* etc. et 11. *Quae forent ad usum teletae necessario praeparanda.* Nec interim aliorum auctoritates neglectui habendae. Hieronymus contra Jovinianum 1. *Multa esse quae matronarum usibus necessaria sunt.* Servius ad Georg. 1. *Ante praeparabis haec omnia, quae in illius rei sunt usum necessaria.* Ammianus 24. *Cum usui necessaria abunde sibi quisque collegisset.* Perpende et verba Suidae jam supra adducta. Proprie haec autem Dominus ad ancillam. Artemidorus 1. 66. Στελγίδες, καὶ καταμάγεια, καὶ ξύστραι, θεράποντας σημαίνουσι.

Ibid. *Satis arduo itinere atque prolixo* etc.] lib. 3. *Montis arduo vertice, et prolixo satis itinere*, etc.

Ibid. *His ego auditis* etc.] Oxoniensis, et alius MS. *His ergo auditis.*

Ibid. *Quae itineris ubique nos comitantur*] Cauti ac frugi viatores, ut supra monui, quae usui erant circumferebant secum. Apud Lucianum ille: Ἵππος δέ με κατῆγε, καὶ τὰ σκεύη. Senec. Epist. 87. *M. Cato Censorius cantherio vehebatur, et hippoperis quidem impositis, ut secum utilia portaret.* Pro *itineris* legendum *itinerum* puto. sic in Apologia *ubique littorum.* Et Florid. 1. de Alexandro M. *Ut ubique imaginum summus esset.* ubi etiam pro *summus*, *suus* reponendum videtur. inspiciatur contextus loci.

Pag. 18. *Ut aliquid cibatui prospicerem*] lib. 9. *Nec* etc. *vitae nostrae prospicies, et aliquid cibatui parabis?*

Ibid. *Forum Cupedinis peto*] Scholiastes ad Equit. Aristoph. Ὁ κύκλος Ἀθήνησίν ἐστι καθάπερ μάκελλος, ἐκ τῆς κατασκευῆς τὴν προσηγορίαν λαβών. ἔνθα δὲ πιπράσκεται χωρὶς κρεῶν τὰ ἄλλα ὤνια, ἐξαιρέτως δὲ οἱ ἰχθύες.

Ibid. *Et percontato pretio* etc.] Gellius 9. 4. *Accessi tamen, percontatusque pretium sum.*

Ibid. *Quod centum nummis indicaret*] In l. 8. Cod. de rescind. vend. *Et quod emptor viliore comparandi, venditor cariore distrahendi votum gerentes, ad hunc contractum accedant: vixque post multas contentiones paulatim venditore de eo quod petierat detrahente, emptore autem huic quod obtulerat addente, ad certum consentiant pretium*, etc. Et nota heic *indicaret.* Onomasticon vetus laudatissimum, *Indicatura*, τίμησις. At pro *indicaret*, *indicaretur* repone.

Ibid. *Inde me commodum egredientem continuatur*] Apud Lucianum peregrinus ille, Ἤδη τῆς θέας ἅλις ἔχοντι, καὶ διανοουμένῳ μοι βαδίζειν οἴκαδε, τὸ ἥδιστον ἐπὶ ξένης ἀπήντησέ με κέρδος, ἄνδρες ἐκ παλαιοῦ χρόνου συνήθεις. *Commodum egredientem* est, *tantum quod*, vel, *ipso eodemque tempore.* exponente ad Eunuch. Donato.

Ibid. *Condiscipulus apud Athenas* etc. *meus*] Florid. 4. *Quendam ex his qui mihi Athenis condidicere.*

Ibid. *Agnitum* etc.] Apud Virgilium; *Veterem Anchisen agnovit amicum.*

Ibid. *Amplexusque ac comiter deosculatus* etc.] Ammianus lib. 22. *Osculo susceptum Rectorem Provinciae*, etc. *iam inde a studiis cognitum Atticis.* Plato in Euthydemo: Ἠσπαζόμην αὐτὸν, ἅτε διὰ χρόνου ἑωρακώς.

Ibid. *Quam olim exoptatus advenis?*] Lucianus in prolapso inter saltand. Ὡς χρόνιος ἐλήλυθας!

Ibid. *At, quae causa peregrinationis huius?*] Virgilius: *Circumstant animae dextra laevaque frequentes, Nec vidisse semel satis est, iuvat usque morari, Et conferre gradum, et veniendi discere causas.* Infra hic: *Percontatur* etc. *etiam causas peregrinationis meae.* et 5. *Percontanti causas adventus sui, sic infit.*

Ibid. *Crastino die* etc.] Ita et Oxon. Codex. Glossarium: *Crastino die*, αὔριον. Et tamen *crastino* simpliciter in Appuleio legerim. Infra lib. 2. *Quam largus imber crastino aderit!* et 6. *Hunc igitur iugulari crastino placeat.* Interpres vetus 1 Reg. 20. 5. *Ecce crastino sunt Calendae.*

Ibid. *Sed quid istud?* etc. *nam* etc.] Quibus alter, *Annonam curamus, et aedilem gerimus.* Aeneid. 6. *Quis strepitus circa comitum!* Servius: *Propter aedilitatem.*

Ibid. *Nam et lixas, et virgas, et habitum prorsus magistratui congruentem* etc.] lib. 10. *Nam et pinnulis, et sagittis, et habitu caetero formae praeclare congruebant.*

Ibid. *Annonam curamus*] Ammianus lib. 28. *Progressus ad curandam Urbis annonam.* Vide Lips. Elect. 1. 8.

Ibid. *Aedilem gerimus.*] Reposuit Ios. Scaliger *aedilatum.* Est sane in vet. Onomastico *Aedilatus*, ἀστυνομία: at rectior altera lectio. Infra lib. 9. *Hic incinctus balteo militem gerebat.*

Ibid. *At has quisquilias?*] Bene heic *quisquilias.* Iuvenalis: *Etiam cum piscis emetur.* Scholiastes: *Etiam in rebus levissimis.*

Ibid. *Piscatori extorsimus accipere viginti denarios*] Hoc erat quod Horatio *cara pisces avertere mensa.* ubi *avertere* est *emere*: et *mensa* piscatoria intelligenda. In Paroemiis Graecis: Ῥωπικὸν ὤνιον· ἐπὶ τῶν εὐτελῶν, καὶ πολλοῦ πιπρασκομένων. *Vix* (inquit) *extorsimus* etc. Idem Horatius Serm. 2. *Vix tamen eripiam* etc. Ubi Scholia: *Vix extorqueam, persuadeam.* At in Glossis pro *Extorsimus*, ἐξετινάξαμεν. crediderim *Excussimus* legendum. Potest in Appuleio etiam *acciperet* legi. Infra lib. 5. *Extorquet a marito cupitis annuat.* et 8. *Extorquet tandem, lurore et illuvie collapsa membra, lavacro* etc. *confoveret.* nec ideo tamen immutanda communis lectio. Scriptor Fulgentii vitae cap. 28. *Huic* etc. *nullus aliquando extorsit cuiuslibet generis carnes accipere.* Claudianus: *Vix extorquebis amari.* Tertullianus de Iudaeis: *In crucem Iesum dedi sibi extorserunt.*

Ibid. *Arrepta dextra me in forum reducens?*] Harpocration: Ἀνάγειν, τὸ μηνύειν τὸν πεπρακότα, καὶ ἐπ' ἐκεῖνον ἰέναι.

Ibid. *Tam iam nec amicis, vel omnino ullis hospitibus parcitis?*] lib. 2. *Isthic vero nec viventibus quidem ullis parcitur.* In Oxoniensi tamen *nullis hospitibus.* *Tam iam* Graecorum est οὕτως ἄρα; quod non advertens Gruterus *tamen iam* reposuit.

Ibid. *Qui tam magnis pretiis pisces frivolos venditatis*] Oxon. *Quid tam magnis pretiis pisces frivolos indicatis?* Antiphanes: Ἐὰν γὰρ ἴδω ἡλίκον Ἰχθὺν ὅσον τιμῶσι, πήγνυμι. *Pisces frivolos*, σαπρὰ ἰχθύδια. Vide ad Matth. 13. 48. dicta.

Ibid. *Instar solitudinis* etc.] Alexander apud Q. Curtium: *Veni in Asiam, non ut funditus everterem gentes, nec ut dimidiam partem terrarum solitudinem facerem.* In Proverbiis Graecis: Ἀγρὸς ἡ πόλις· ἐπὶ τῶν παρανομούντων. Ἐπίχαρμος, ἀγρὸν τὴν πόλιν ποιεῖς. In Epistolis Heracliti nomen praeferentibus: Ἐρημίαν αὐτὴν (πόλιν) πεποιήκατε διὰ τῆς κακίας. Cod. Oxon. hic, *ad instar solitudinis.* In sequentibus pro *scopuli*, malim *scopulive* legi.

Ibid. *Edulium caritate*] Glossae: *Caritas*, τιμιότης· πολλοῦ πωλούμενον. lege, *Caritas* τ. *Carum*, π. πωλούμενον.

Ibid. *Sed non impune*] Hieronymus in Epistolis, non ad sensum tantum, sed et loci locutionem: *Ab aedilibus* etc. *vendentium rabies coërcebatur, nec erat impune peccatum.*

Ibid. *Sed non impune: iam enim faxo scias* etc.] lib. 4. *Sed non adeo gaudens ista, quaecunque est, meos honores usurpabit: Iam enim faxo* etc.

Ibid. *Quemadmodum sub meo magisterio mali debeant coërceri*] Vide 1. Petr. 2. 14. et bene *magisterio.* In l. 57. ff. de V. S. *Quibus praecipua rerum cura incumbit, et qui magis quam caeteri diligentiam et sollicitudinem rebus quibus praesunt debent, hi magistri appellantur: quinetiam ipsi Magistratus, per derivationem a magistris cognominantur.* Hinc saepe in Codice *magisteria potestas.* Onomasticon vetus: *Magisterium*, ἀρχή. Paulus Festi abbreviator: *Magistrare, regere, temperare, moderari: unde magistri non solum Doctores artium, sed etiam pagorum, societatum, vicorum, collegiorum: quia omnes hi magis caeteris pollent.*

Ibid. *Officialem suum*] Onomasticon vetus: *Officialis*, ὁ περὶ τοῦ καθήκοντος. Glossarium: Ταξιώτης, *Apparitor*, *officialis.*

Ibid. *O Luci* etc.] *Gaudent praenomine molles Auriculae.*

Ibid. *Valido consilio*] Ita Cod. Oxon. germanam scripturam puto *calido consilio.* Plautus, Milite: *Cedo calidum consilium cito.* Hirtius inter Epistolas Ciceronis ad Atticum. 15. 6. *Exoren-*

rentur ne quod calidius consilium ineant. Aristophanes Pluto θερμὸν ἐμόν: ubi Scholia: Παράδοξον, ἢ τολμηρόν. Sic Livius 35. *consilia calida et audacia* dixit: ubi omnes plerique vulgati *callida* legunt.

Ibid. *Rogat te (inquit) hospes*] lib. 2. *Rogat te (inquit) tua parens Byrrhaena.*

Ibid. *Non cibo sed somno censerem diluendam*] Apud Heliodorum ille lib. 5. Ἐμοὶ τὴν ἐκ τῆς ὁδοιπορίας etc. κάκωσιν ὕπνῳ βραχεῖ γοῦν ἐστι παραμυθητέον.

Ibid. *Et iniecta dextra*] lib. 1. *Iniecta manu, ut adsurgat enitor.* lib. 9. *Manu pistori* etc. *iniecta.* Et 11. *iniecta dextra ducit me.*

Ibid. *Clementer me trahere adoritur*] lib. 3. *Clementi violentia secum attraxit.*

Ibid. *Non prius discedam quam*] Hieronymus in Hilarionis vita: *Non prius mulier discessit quam ille pollicitus est.*

Ibid. *Et dictum iureiurando secutus* etc.] Lib. 3. *Et verbum facto secutus*, etc.

Ibid. *Ingratis obedientem*] Lego, *ingratiis o.* Donatus ad Eunuchum: *Ingratiis, non ultro significat, quia ultronea grata sunt.* Donatus ad 1. 1. Andr. *Perducuntur necessitate coacti.*

Ibid. *Quid vernaculi?*] Cum praecedat de uxore et liberis, putem *vernulae* legendum. Infra lib. 8. *Tali domo, tanta familia, tam caris vernulis* etc. *desolata.* Et 11. *Familiares ac vernulae.* Habet *vernaculi* tamen Oxon. MS.

Ibid. *Percontatur accuratius causas etiam peregrinationis meae*, etc.] lib. 8. *Aliud de alio non desinit quaerere, denique de mansuetudine etiam mea percontatur anxie.* Seneca Epist. 64. *Varius nobis sermo fuit* etc. *nullam rem usque ad exitum adducens, sed aliunde alio transiliens.* Cicero in de Universit. *At primum quidem tempus salutationibus, reliqua percontatione consumpsimus.* Claudit autem hunc primum librum Noster, ut et suum Virgilius: quem heic, ut omnibus paginis, perite exprimit. Ita ille: *Nec non et vario noctem sermone trahebat Infaelix Dido, longumque bibebat amorem, Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa: Nunc quibus Aurorae venisset filius armis, Nunc quales Diomedis equi, nunc quantus Achilles.*

Ibid. *Primoribus*] Bert. et Oxon. MSS. *primatibus.*

Ibid. *Scrupulosissime explorans*] Infra lib. 5. *Scrupulose curioseque percontari non desinit.*

Pag. 20. *In media verba somnolentum desinere*] Ut solent nimio plus aequo ad fabulandum provocati. Hoc idem faciunt etiam aliorum garrulitate oppressi. Theophrastus loquaces ait narrationes suas in tantum extendere, ὥστε τοὺς ἀκούοντας ἤτοι ἐπιλαθέσθαι ἢ νυστάξαι. Statius Theb. 10. *Errare oculi, resolutaque colla, Et medio affatu verba imperfecta relinqui.* Quae diverso quidem argumento prolata, non male tamen Appuleianis quadrant.

Ibid. *Incerta verborum salebra balbutire*] lib. 8. *Incertum sermonem balbutiens.*

Ibid. *Tandem patitur cubitum concedere*] Melius Oxon. Cod. *concederem.* ita legunt etiam Romae et Vicentiae primi omnium editi. Notetur heic vox *tandem.* Horatius: *Ut ventum ad coenam est, dicenda tacenda locutus, Tandem dormitum dimittitur.* Virgilius: *Conticuit tandem.* ubi Servius: *Diuturnitatem narrantis expressit.*

Ibid. *Evasi aliquando rancidi senis loquax et famelicum convivium*] In Plauti Capt. *Redibo hinc ad senem ad coenam asperam.* Apud Petronium: *Subduxisti te inquam a praeceptoris colloquio. Quid ego homo stultissime facere debui? an videlicet audirem sententias, et somniorum interpretamenta?*

Ibid. *Coenatus solis fabulis*] Ἀντὶ ἀλφίτων ῥήματα, ut in Graecis Proverbiis. Aristophanes Equit. Ὅς ἀπὸ σμικρᾶς δαπάνης ὑμᾶς ἀριστίζων ἀπέπεμπεν, Ἀπὸ κραμβοτάτου στόματος μάττων ἀστειοτάτους λόγους. Lucilius Antholog. 4. 20. Ποιητὴς πανάριστος ἀληθῶς ἐστιν ἐκεῖνος, Ὅστις δειπνίζει τοὺς ἀκροασαμένους· Ἢν δ᾽ ἀναγιγνώσκῃ, καὶ νήστας οἴκαδε πέμπει, Ἐις αὑτὸν τρεπέτω τὴν ἰδίην μανίην. In Varronis Menippaeis: *Consurgimus ieiunis oculis.*

Ibid. *Optatae me quieti reddidi*] lib. 9. *Rursum se reddidit quieti.* Et 10. *Vespertinae quieti traditum.*

LIBER SECUNDUS.

Pag. 20. *Omnia prorsus* etc. *in aliam effigiem translata*] Florus 4. 12. *Ea denique in Germania pax erat, ut mutati homines, alia terra*, etc.

Ibid. *De homine duratos*] Oxon. *duros.*

Ibid. *Indidem plumatas*] Idem Codex, *In idem p.* fortasse *ibidem* legendum.

Ibid. *Fontanos latices*] In Vett. Catalectis: *Fontanos latices, et lucida pocula vitro.* Virg. *Sparserat et latices simulatos fontis Averni.*

Ibid. *Et iubaris orbe subito venturum oraculum*] Isa et MS. ille. at malim *lucido.* sic infra lib. 9. *Rotam Solis lucidam* dixit.

Ibid. *Attonitus, imo vero* etc. *stupidus*] Seneca Natur. quaest. 2. 27. de tonitru percussis: *Quidam vero vivi stupent, et in totum sibi excidunt, quos vocamus attonitos.* Florus 2. 12. *Attonitum adhuc, tanquam subito malo stupentem.* Pro *stupidus* tamen non male *obstupidus* legas. Sic *attonitos et obstupidos* 5. 1. A. Gel-

lius. Sic supra 1. Miles. *Consternatus ac obstupidus:* et *studio obstupidum* Pacuvius apud Nonium Marcellum.

Ibid. *Dum lixae temulento similis ostiatim singula pererro*] In editis *luxu* erat, pro quo bene Scaliger *lixae* substituit. Isidorus in Glossis: *Lixabundus ambulat, qui voluptatis causa ambulat.* Heliodorus ἀλύειν κατὰ τὴν πόλιν, καὶ σχολὴν διατίθεσθαι vocat. Censorinus, *urbem temulentus pervagari. Ostiatim singulae pererrare* heic, est quod Petronius dixit, *per totam civitatem errare, atque omnes porticus circumire.* Solomo cap. 3. Cantici, ἐν τῇ πόλει, ἐν ταῖς ἀγοραῖς, καὶ ἐν ταῖς πλατείαις κυκλεῦν.

Ibid. *Ostiatim*] Onomasticon vetus: *Ostiatim*, κατὰ θύρας. Lactantius 2. 15. *Et omnes ostiatim domos occupant.*

Ibid. *Et ecce mulierem quampiam frequenti stipatam famulatione*] Aristaenetus 1. 8. Γυνή τις ἐν ἀγορᾷ προιοῦσα etc. ὑπὸ τῶν οἰκετῶν περιεστοιχίζετο κύκλῳ. Bardesanes de Bactrorum mulieribus, (apud Eusebium): Ὑπηρετούμεναι ὑπὸ παιδίσκων καὶ νεανίσκων μᾶλλον ἢ οἱ ἄνδρες. *Frequenti* (inquit) *stipatam famulatione.* Virgil. de apibus: *Stipantque frequentes.* ubi Servius: *Quodam quasi satellitio ambiunt.* Onomast. vetus: Σωματοφύλαξ, *satelles, stipator.* Ibidem: Δορυφόρος, *stipator, satelles. Famulatio* heic est *famulitium*, ut et 6. *Una de famulatione Veneris.* In dicto vet. Onomast. *Famulatio*, θεραπεία. Pollux 3. 8. Τὸ δέ πλῆθος τῶν οἰκετῶν, θεραπεία. MS. Oxon. *sequente*, quod non amplector. Florid. 2. *Lectum genus, frequens famulitium.* Infra lib. 4. *Officio frequenti cognatorum et affinium stipatus.* Virgilius supra adductus, *Stipantque frequentes.*

Ibid. *Aurum in gemmis et in tunicis* etc. *matronam profecto confitebatur*] Iustinus Lib. 20. *Ut matrona auratas vestes, caeteraque dignitatis suae ornamenta, velut instrumenta luxuriae deponerent.* Capitolinus in Galieno: *Gladiatores pompabiliter ornatos cum auratis matronarum vestibus.* Hieronymus ad Demetriadem: *Ut taceam de immurium pretiis, candore margaritarum*, etc. *ad quae ardent et insaniunt studia matronarum.* Idem 1. contra Iovinianum: *Multa esse quae matronarum usibus necessaria sunt: pretiosae vestes, aurum, gemma*, etc. Propertius: *Matrona incedit census induta nepotum. Confitebatur*, est *ostendebat, palam faciebat.* Iuvenalis: *Mors sola fatetur Quantula sunt hominum corpuscula.* Idem: *Et quos praecipue fugiam properabo fateri.* Et alibi: *Mollissima corda Humano generi dare se Natura fatetur.* Seneca Epist. 120. *Non ille gradus lassitudinem facit in quo deficimus, sed ille profitetur.* Cyprianus Epist. 62. *Quantum dedecoris et criminis confitetur!* Lactantius 7. 7. *Ea ipsa ratio qua constare ac regi omnia sentiuntur, solertissimae mentis artificem confitetur.* Seneca Suasor. 1. 5. *Confessio servitutis est, iussa facere.* Hoc sensu infra heic 8. *clamare* occurrit. *Quem circum capellae pascentes opilionem esse profecto clamabant.*

Ibid. *Matronam p. confitebatur*] Virgilius: *Quae te sola puer multis e matribus unam Prosequitur.* Ubi Servius: *E matribus, e nobilibus: nam Matres non nisi nobiles dicimus, unde et Matronae dictae.* Clemens de rebus Petri: Τῶν εὐγενῶν τὰς ἐπιφανεστάτας, καὶ ἃς ὁ λόγος ματρῶνας οἶδε καλεῖν.

Ibid. *Aurum* etc. *heic intextum* etc.] Lib. 4. *Vestes sericae intextae filis aureis.* Aeneid. 4. *Tyrioque ardebat murice laena Demissa ex humeris, dives quae munera Dido Fecerat, et tenui telas discreverat auro.* Scriptor de bono Pudicit. in Cypriani Operibus: *Vestibus aurum intexere, quasi pretio est vestes corrumpere. Quid inter fila staminum delicata rigida faciunt metalla*, etc. Infra hic lib. 4. Hieronymus ad Eustoch. *Quos Eunuchorum greges sepiunt, in quarum vestibus attenuata in filum auri ramenta texuntur.* Basilius (Homil. εἰς τ. πλουτοῦντας) de uxore sumptuosa: Χρυσὸν, τὸν μὲν χαλκεύουσα, τὸν δὲ ἐξυφαίνουσα. Gloss. *Intertextum*, παρύφαντον.

Ibid. *Huius adhaerebat lateri senex iam gravis annis*] Ut matronam decebat. Seneca Controvers. 2. 7. *Matrona quae se adversus sollicitatores tutam volet, prodeat intantum ornata, ne immunda sit: habeat comites eius aetatis, qui impudicos, si nihil aliud, verecundia annorum submoveant.* Macrob. Saturn. 2. 5. *Averterant in se populum in spectaculo Livia et Iulia comitatus dissimilitudine: quippe cingentibus Liviam gravibus viris: haec iuventutis, et quidem luxuriosae, grege circumsedebatur.* Et nota, in hoc, et Senecae loco, *matronarum comites.* sic *matrona* et *comitis* mentio in l. 15. ff. de iniur. *Senex gravis annis.* ut infra 8. *Senex annis gravatus.* Plinius lib. 6 Epist. 20. *Se et annis et corpore gravem.* Calpurnius 4. Ecloga: *Num precor infirmis videor tibi? num gravis annis?* Theocritus: Πολλοῖσι βαρύς περ ἐὼν ἐνιαυτοῖς. Virgilius: *Annis gravis, atque animi maturus Acestes.* Isidorus Orig. 11. 2. *Quinta aetas, senioris: id est, gravitas: quae est inclinatio a iuventute in senectutem.* Scholiastes ad Sat. 2. Iuvenalis: *Vir gravis* (id est, annis gravis) *corrumpitur a iuvenibus.* Ait, *adhaerebat lateri.* Martialis: *Deinde haerere tuo lateri, praecedere sellam.* Hieronymus ad Furiam: *Nec procurator calamistratus, nec formosus collactaneus, nec candidulus ac rubicundus assecla adhaereat lateribus.* Infra hic lib. 9. *Ne-*

Nequissimae anus adhaerens lateri temerarius adulter.

Ibid. *Est, inquit, hercules, hic Lucius*] Oxon. *Et tu, inquit, hercule Lucius.*

Ibid. *Et offert osculum*] Sic *osculum offerre* Lib. 34. Iustinus.

Ibid. *Accedis, et salutas?*] Luc. 22. 47. Ἤγγισε τῷ Ἰησοῦ φιλῆσαι αὐτὸν. Iosephus bell. Iud. 1. 20. Ἤγγισεν, ὡς ἀσπασάμενος. Florid. 4. Noster: *Adeunt ac salutant.*

Ibid. *Vereor, inquam, ignotae mihi foeminae*] In Menechmo Plautina: *Certe haec mulier aut insana est, aut ebria Messenio, Hominem quae ignotum compellat me tam familiariter.* Orientius sequiorem sexum in Commonitorio instruens, *Oderit ignotis audax attollere vultus.* De Augusto Nicol. Damascenus: Ἀσπάζεσθαι etc. ὃν οὐκ ᾔδει ὁπόθεν εἴη etc. χαλεπὸν ἦν. Adde Ioh. 10. 5.

Ibid. *In rubore suffusus* etc.] Petronius: *Perfusus ego rubore* etc. Ovidius: *Subitusque invita notavit Ora rubor.* Idem: *Confusa pudore Sensi me totis erubuisse genis.* Virgilius: *Plurimus ignem Subiecit rubor, et calefacta per ossa cucurrit.* Seneca Epist. 11. *Ubi se collegit, verecundiam, bonum in adolescente signum, vix potuit excutere.*

Ibid. *In rubore suffusus, reiecto capite restiti*] Officium mutuae salutationis prae verecundia vitavit. Apposite Seneca pater iam citata controversia: *Ferat iacentes in terram oculos, adversus officiosam salutationem inhumana potius quam inverecunda sit, etiam in necessariam resalutandi vicem multo rubore confusa.* Scripsimus in Appuleio nostro *reiecto*, non *deiecto*. Ita et Cod. Oxon. Infra lib. 10. *Verbis nutum commodare, ut quod vellem relato, quod nollem deiecto capite monstrare.* quo et loco *reiecto* scripserim.

Ibid. *Obtutum in me conversa*] Infra heic: *Omniumque* etc. *obtutus in unum quempiam* etc. *conferuntur.* Et, *Obtutum acerrimum in me destituit.*

Ibid. *En, inquit, sanctissimae Salviae matris generosa proles*] Virgilius 5. *Veterumque agnoscunt ora parentum.* Idem 8. *Et totum lustrabat lumine corpus.* ubi Servius: *Paterna in eo lineamenta cognoscens.* Communis lectio *proles* non est incommoda. Virgilius: *Deûm certissima proles.* Et, *Salve vera Iovis proles.* Posset et *soboles* legi. sic infra heic lib. 10. *sobolem generosam* dixit: praetulerim veterem tamen scripturam, *generosa probitas:* quomodo et clare legitur in Oxon. Cod. *Probitatem* vocat maternam in Lucio oris verecundiam. Statius: *Dulci probitate rubentem.* Idem de Crispini puero: *Tunc hilaris probitas, et frons tranquilla*, etc. Plinius 37. 2. de Pompeio: *Illius probi oris, venerandique per cunctas gentes.* Donatus ad 1. 1. Andriae, *vultus probitatem* dixit. Sic Seneca Epist. 67. *vultum probum.* Iam et αἰδήμονας in linguae Latinae usu *probi oris*, ἀναιδεῖς *improbos* dici, qui bonos terunt Scriptores facile concedent mihi.

Ibid. *Sed et caetera corporis ad regulam inexplicabiliter* etc. *congruentia*] *Ad regulam*, πρὸς κανόνα; exactissime nempe et faberrime facta. Theophylactus ad Philipp. 3. 16. Ὁ κανὼν οὔτε πρόσθεσιν ἔχει, οὔτε ἀφαίρεσιν. Niceph. Gregoras lib. 10. de Logotheta Metochita: Πάντα (τοῦ σώματος) σύμμετρα κεκτημένος, ὥσπερ ὑπὸ κανόνι καὶ σταθμῇ τῆς φύσεως τελεσιουργησάσης αὐτῷ τήν τε ἡλικίαν ὁμοῦ πᾶσαν, καὶ αὖ καθ' ἕκαστα τῶν μελῶν καὶ μερῶν. Ammianus de Iuliano Imperat. *Humeris vastis et latis, ab ipso capite usque ad unguium summitates lineamentorum recta compage.* Suetonius de Tiberio: *Latus ab humeris et pectore: caeteris quoque membris omnibus usque ad imos pedes aequalis et congruens.* Herodianus de Commodo, τὴν ὄψιν ἀξιοθέατος σώματος συμμετρίᾳ. De psittaco Noster in Floridorum Excerptis: *Corpus tam concinnum, ut neque oppido parvum, neque nimis grande sit, sed quantum satis ad usum decoremque.* Contra de Caio Suetonius: *enormi corpore.* id est, ad regulam sive normam minus congruo. Sic *flexi et enormes vici* apud Tacitum 15. Annali. Gloss. Ἄρυθμος etc. *enormis.* In vet. Onomast. *Enorme*, ἄμετρον.

Ibid. *Inenormis proceritas*] Lucianus in de Saltat. Μήτε ὑψηλὸς, καὶ πέρα τοῦ μετρίου ἐπιμήκης, μήτε ταπεινὸς καὶ νανώδης τὴν φύσιν, ἀλλ' ἔμμετρος ἀκριβῶς. Sidonius de Theodorico: *Corpore exacto, longissimis brevior, procerior eminentiorque caeteris. Decoram proceritatem* Tacitus Annal. dixit. Eiusmodi vocant Graeci κεκανονισμένην ἡλικίαν: de qua, et id genus caeteris exactam venustatem implentibus, videantur quae ad praedictam Sidonii Epistolam annotavit in *de Picturâ Veterum*, eruditione, vitaeque integritate vir illustris, Franciscus Iunius. *Inenormem proceritatem* autem dum dixit Noster, Suetonium sectatus est. De Vitellio ille: *Erat enim in eo enormis proceritas.*

Ibid. *Succulenta gracilitas*] Maximianus: *Quaerebam gracilem, sed non quae macra fuisset.* Lucianus in de Gymnas. Τὴν ἕξιν οὔτε ῥικνὸς καὶ κατεσκληκὼς, οὔτε περιπληθὴς εἰς βάρος: ἀλλ' εἰς τὸ σύμμετρον περιγεγραμμένος. Idem ibidem: Οὔτε πολύσαρκος, οὔτε εἰς ὑπερβολὴν λεπτός. Et in hac medietate laus. Celsus 2. 1. *Gracile corpus infirmum, obesum hebes est.*

Ibid. *Rubor temperatus*] Plinius 1. Epist. 14. *Facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusus.* Sidonius ubi supra: *Lactea cutis, quae propius inspecta iuvenili rubore suffunditur.* Statius:

tius: *Purpureo suffusus sanguine candor.* Petronius: *Mellea purpureum depromunt ora ruborem, Lacteaque admixtus sublimat pectora sanguis.* Servius ad Aeneid. 8. *Formosos dicimus, quibus calor sanguinis ex rubore pulchritudinem creat.* Ita locus ille corruptissimus emendandus. Theophylactus Simocatta: Αἱ παρειαὶ οὔτε κατέρυθροι, γυναικῶδες γάρ: οὔτε πάλιν ὠχρότητι τὴν εὐπρέπειαν ἐπεστύγναζον.

Ibid. *Flavum* etc. *capillitium*] Infra lib. 10. *Flavis crinibus usquequaque conspicuus.* In Veterum Catalectis: *Capillulos, Flavos, lucentes ut aurum nitidum.* Tertullianus de Cultu foemin. cap. 6. *Ecce (inquiunt) pro albo vel atro, flavum facimus gratiae faciliorem.* Herodianus de Commodo: Κόμη ἦν φύσει ξανθὴ καὶ οὔλη. Aelianus de Atalanta: Ξανθὴ ἦν αὐτῆς ἡ κόμη οὐ πολυπραγμοσύνῃ καὶ βαφαῖς, καὶ φαρμάκοις, ἀλλ' ἦν φύσεως ἔργον ἡ χροιά. *Inaffectatum* heic est, quod in re simili Petronius *suo flexum ingenio* vocavit: vel (ut Noster de hoc ipso capillitio suo in Apologia) *ad lenocinium decoris minime compositum.*

Ibid. *Oculi in aspectu micantes* etc.] Maximianus: *Grata, micans oculis, nec minus arte placens.* Pollux 2. 4. Ὀφθαλμοὶ λάμποντες, φωσφόροι, etc. μαρμαρυγὰς ἀφιέντες, αἴγλην, αὐγήν. Rectum autem, *in aspectu*, non *aspectum*, ut nonnulli legerunt. Interpres vetus Iudith. 11. 19. *Non est talis mulier super terram in aspectu* etc. Infra hic lib. 10. *Oculis in aspectu minacibus.* Et 11. *In humano iam meo aspectu attonitus.* Τὸ *in* abundat.

Ibid. *Prorsus aquilinos*] Melius Oxon. MS. *aquilini.*

Ibid. *Immeditatus incessus*] Ovidius: *Est et incessu pars non temnenda decoris.* Cantic. Solomonis 7. 1. Τί ὡραιώθησαν διαβήματά σου ἐν ὑποδήμασίν σου! In veteri Epigrammate: *Sermone lepido, tum autem incessu commodo.* Cicero 1. de Officiis: *Cavendum est autem ne aut tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur: aut in festinationibus nimias suspiciamus celeritates.* Idem 2. de Finibus: *Si vultum, si incessum fingeres, quo gravior viderere. Composita gravitate incedere*, Ammianus lib. 28. dixit.

Ibid. *Ego te Luci meis istis manibus educavi*] Aristaenetus 1. 25. Τὴν ἐμὴν ἀδελφήν, ἣν ταῖς ἐμαῖς ἀγκάλαις ἀνέτρεφον. Infra hic lib. 6. *Adolescentem istum quod meis manibus alumnatus sit, profecto scitis omnes.* Vide ad Act. 20. 34. notata.

Ibid. *Non modo sanguinis, verum alimoniarum etiam socia*] Lib. 4. *Meus alioqui consobrinus, mecumque primis ab annis nutritus et adultus.*

Ibid. *Nam ex familia Plutarchi ambae prognatae sumus*] Voluit dicere, *Genus ambarum se sanguine findit ab uno.* Γένος δὲ μοι ἔνθεν ὅθεν σοί.

Ibid. *Educatores*] Glossae: Τροφεύς. *nutritor, educator.* etc. In l. 3. de manumiss. vindict. *Si collactaneus, si educator, vel capsarius.* Infra hic lib. 10. *Ad quendam compertae gravitatis educatorem.*

Ibid. *In nexu germanitatis* etc.] Hieronymus: *Individua mihi germanitatis caritate connexus.* Ammianus 22. *In nexum germanitatis a Maximino dilectus. Necessitudinem germanitatis* Arnobius 4. et Lactant. 6. dixerunt.

Pag. 22. *Accede itaque hospitium fiducia*] In Plautin. Trucul. *Cur obsecro ante ostium pro ignoto alienoque adstas? I intro: haud alienus tu quidem es. Fiducia* nomen est pro verbali. Sic in vet. Onomast. *Fiducia*, τεθαῤῥηκώς. Addit Byrrhaena, *imo proprium Larem.* Apud Plautum Menechm. *Mihi mira videntur Hic te stare foris, fores cui pateant Magis quam domus tua, domus cum haec tua sit.* In Eiusdem Mostellaria: *Perambula aedes oppido tanquam tuas.*

Ibid. *Sermonis ipsius mora rubore digesto*] *In verba iam fidentior*, ut infra lib. 9. loquitur. Ovidius 6. Metam. *Subitusque invita notavit Ora rubor, rursusque evanuit, ut solet aër Purpureus fieri, cum primum aurora movetur, Et breve post tempus candescit Solis ab ortu.*

Ibid. *Absit, inquam, parens ut Milonem hospitem* etc. *deseram*] Cicero de Verre: *Haec ut audivit*, (de pulchra nempe Philodami filia,) *sic exarsit*, etc. *ut statim ad Philodamum migrare se velle diceret. Hospes Ianitor, qui nihil suspicaretur, veritus ne quid in se offenderit, hominem summa vi retinere coepit.* Theophylactus ad 10. Matth. ubi de Christo discipulos emittente: Κελεύει προσμένειν, καὶ μὴ ἐξ οἰκίας οἰκίαν ἀμείβειν, ἵνα etc. δόξωσι τοὺς πρῶτον δεξαμένους ὑβρίζειν. Pro *parens*, melius *mi parens* legas. Infra lib. 4. *Parce, inquam, mi parens* etc. Sic 9. *mi herilis.*

Ibid. *Quoties itineris huius ratio nascetur, nunquam erit ut non apud te divortar*] Vide 4 Reg. 4. 8. apud Latinum Interpretem.

Ibid. *Dum hunc et huiusmodi sermonem altercamur* etc. *ad domum Byrrhenae pervenimus*] Infra lib. 6. *Dum sic mecum fustem quatiens benignus iocatur comes, iam domus eorum extremam loricam perveneramus.* Ibidem: *Dum secum mitissimi homines de mea nece altercantur, iam ad domum perveneramus.* Achilles Tatius lib. 6. Ταῦτα διαλεγόμενοι, παρῆσαν ἐπὶ τὸ τῆς Λευκίππης δωμάτιον. Philostratus 3. 15. Διαλεγόμενοι περὶ τῶν ὁμωμένων, ὁποῖα εἰώθησαν, ἀφίκοντο ἐπὶ τὴν θάλασσαν. Scholiastes ad Plutum Aristoph. Παρεπιγραφὴ ὅτι εἰς τὴν οἰκίαν ἔφθασαν, τοὺς δὲ λόγους ἐκείνους πάντας ἐν τῇ ὁδῷ ἔλεγον. Lucianus Icaromenippo: Τοιαῦτ' ἄττα διεξιόντες, ἀφικνούμεθα ἐς τὸ χωρίον ἔνθα ἔδει

ἤδει αὐτὸν καθεζόμενον, etc. Virgilius: *Talibus inter se dictis, ad tecta subibant Pauperis Evandri.* Terentius: *Dum haec loquimur, interea loci ad macellum venimus.* Plutarchus Conviv. 7. Sapient. Ἐν τοιούτοις λόγοις γενόμενοι καθ' ὁδὸν, ἀφικόμεθα πρὸς τὴν οἰκίαν. Seneca de Vitae brevit. cap. 9. *Sermo, aut lectio, aut aliqua interior cogitatio, iter facientes decepit: pervenisse se ante sciunt quam appropinquasse.* Vide Luc. 24. 28.

Ibid. *Iam ad domum Byrrhenae pervenimus*] Propertius: *Et iam ad mandatam venimus ecce domum.*

Ibid. *Sermonem altercamur*] Mutarunt in *alternamus*, at iniuria. Glossae: *Altercatio* etc. ἀμοιβαῖοι λόγοι. Sic *sermonem altercabilem conserere* apud Arnobium.

Ibid. *Atria longe pulcherrima, columnis* etc.] Ammianus lib. 22. *Atriis columnariis amplissimis.*

Ibid. *Attolerabant statuas* etc.] Scribe *attollebant.* Sic infra 8. *praeacutas sudes attollebant.* et ibidem: *vacuam faciem attolle.* Iterum: *Attollentes immanes gladios.* et 11. *Attollens canis cervices arduas.*

Ibid. *Gressu pilae volubilis*] Chrysostomus Orat. 1. de Dea ista: Οἱ μὲν ἐπὶ ξυροῦ αὐτὴν, οἱ δὲ ἐπὶ τῆς σφαίρας. et post: Ἡ δὲ σφαῖρα (μηνύει) ὅτι εὔκολος ἡ μεταβολὴ αὐτῆς ἐστι.

Ibid. *Nec ut maneant inhaerent, et iam volare creduntur*] Lege: *at iam.* Non ita (inquit) inhaerent pilae illi, ut infixae maneant, at tali arte exprimuntur, ut iam volare credantur. Virgil. Aeneid. 8. *Ipsa videbatur ventis Regina vocatis Vela dare, et laxos iamiamque immittere funes.* ubi Servius: *Iamiamque, scilicet aviditate fugiendi: et bene* iamiamque *addidit, quia tempus operis in pictura declarare non poterat.* Alibi Virgilius: *Orpheaque in medio posuit, sylvasque sequentes.* ubi Servius: *Non secutas, sed, quasi adhuc sequentes, ut artificis peritiam laudet.*

Ibid. *Veste reflatum*] lib. 10. *Quam quidem laciniam curiosulus ventus satis amanter nunc lasciviens reflabat,* etc. et 4. *Vibratis hinc inde laciniis, et reflato sinu.* Claudianus de statuis Anapii et Amphinomi: *Reiectae vento chlamydes.* Onomasticon vetus laudatissimum: *Reflatus,* ἀντιπνοή.

Ibid. *Procursu vegetum*] In de Deo Socratis: *Ad speciem honestus, ad cursum vegetus.*

Ibid. *His oculi minantur*] Supra: *Oculis in aspectu minacibus.*

Ibid. *Aures rigent*] *Prick-ear'd curres.* Infra lib. 7. *Porrectis auribus* etc. *rudivi fortiter.*

Ibid. *Nares hiant*] Seneca Hippol. *Naresque hiulcis haustibus patulae fremunt.* Vide quae olim pag. 113. ad Apologiam notata.

Ibid. *Ora saeviunt*] Huc spectant ista in Glossario: Ὅταν κύων ἀπειλῇ ὑλακτῶν: *Hirrit.* et illa, Κυνὸς ἀπειλὴ ὅτε ὑλακτεῖ: *hirrit.* lege, *hirritus.*

Ibid. *In quo summum specimen operae fabrilis egregius ille signifex prodidit* etc.] Sirachides 9. 20. *In manu artificum opera laudabuntur.*

Ibid. *Pedes imi resistunt, currunt priores*] Philostratus de lepore Icon. 2. Κάθηται ἐπὶ τῶν σκελῶν, ὑποκινῶν τοὺς προσθίους. *Currunt* est, *videntur currere*, ut supra, de Fortunae statuis, *Iam volare creduntur.* Iulianus Epist. 8. ubi de Alexandri venantis effigie: Ὁ δὲ ἵππος (αὐτοῦ) ἐν ἄκρᾳ τῶν ποδῶν τῇ βάσει τὴν στάσιν φεύγων, ἐν τῇ τῆς ἐνεργείας κλοπῇ τῇ τέχνῃ κινεῖται. Cassiodorus 7. 15. *Mirabitur formis equinis etiam fervores inesse: crispatis enim naribus, ac rotundis constrictisque membris, auribus remulsis credat forsitan cursus appetere, cum se metalla noverit non movere.* *Resistere*, est fixum stare immotumque. Sic 8. *Draconem supinato illi mandentem resistere.* Quintilian. 10. Decl. *Invitus vanescebat ex oculis, multum resistens, saepe respiciens.* Seneca 110. Epist. *Nec ob hoc resistimus, aut circumspectius pedem posuimus.* Tacitus Annal. 15. *Diffugiunt imprudentes, at quibus altior intellectus, resistunt defixi.*

Ibid. *Et virgulis*] Oxon. *et virgultis.*

Ibid. *Uvae faberrime politae* etc.] Ammianus lib. 29. *Oblato thorace polito faberrime.*

Ibid. *In lenem vibrantur undam*] lib. 4. *Vibrantium fluctuum summum rorem calcavit.* In Oxon. tamen *umbram.* Sic infra hîc, *in lenem umbram deprimitur.*

Ibid. *Qui Deae vestigio discurrentes* etc.] Idem Oxon. Codex: *q. D. vestigia discurrunt.*

Ibid. *Vite pendentes racemos*] Iunius Phylargyrus ad 2. Georg. *Videtur Virgilius opinionem illorum sequi, qui in honorem Liberi patris putant oscilla suspendi, quod eius sit pendulus fructus.*

Ibid. *Credes illos* etc. *inter caetera veritatis, nec agitationis officio carere*] Philostratus Icon. 1. Μὴ γεγράφθαι δοκῶν αὐτοὺς, εἶναι δὲ, καὶ κινεῖσθαι. In Apologia Noster: *Et motus, qui praecipua fide similitudinem repraesentat.* Horatius: *Praelia rubrica picta, aut carbone, velut si Revera pugnent.* Scholiastes: *Ita bene pictos, ut illos dimicare crederes.* Iosephus in descriptione Regiae a Solomone structae: Καὶ τὸ μὲν ἀπ' αὐτοῦ κάλλος ἐπὶ τριστοιχίαν ἦν ἐνυφασμένον, τῇ δὲ μοίρᾳ γλυφέων παρεῖχε θαυμάζειν ἐπιστήμην, ὑφ' ὧν πεποίητο δένδρα καὶ φυτὰ παντοῖα σύσκια τοῖς κλάδοις, καὶ τοῖς ἐκκεκρεμμένοις αὐτῶν πετάλοις, ὡς ὑπονοεῖν αὐτὰ καὶ σαλεύεσθαι δι' ὑπερβολὴν λεπτότητος etc. Ait, *inter caetera veritatis.* Nicephorus Gregoras lib. 8. Ἐνταῦθα (ἐν ταῖς ζωγράφων τέχναις) etc. εὑ-

ῥήσομεν σκηνὴν ὑποκρίσεως γέμουσαν, καὶ ἀμωσγέπως τοῖς χρώμασιν ἐπιπλασσομένας ἔχουσαν ΤΟΥ ΑΛΗΘΟΥΣ τὰς ἐμφάσεις. Petronius: *Protogenis rudimenta cum ipsius Natura veritate certantia.* Isidorus 19. 16. *Sunt quaedam picturae quae corpora veritatis, studio coloris excedunt,* (*accedunt* scripserim) *et fidem dum augere contendunt, ad mendacium provehunt.* Cicero in Bruto: *Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora quam Canachi, nondum Myronis satis ad veritatem adducta, quae tamen non dubites pulchra dicere.* Tertullianus 2. advers. Marcionem: *Imago, cum omnes lineas veritatis exprimat, vi tamen ipsa caret.* Idem cap. 30. in de Resurrect. *Figmentum veritatis in imagine est.* Pro *credes* lege *crederes.* sic 10. *Crederes fluctuare vaporibus febrium.* et 1. *Diceres Dei medici baculo* etc. Tacitus (quem ubique sectatur Noster) *Crederes laetari* etc. Annal. 16.

Ibid. *Curioso obtutu in Deam proiectus*] διακύψας. vide ad 1. 25. Iacobi notata. Scriptor de Pudicitiae bono: *Nihil consideretur curiose in alienis vultibus.* In Oxon. et alii MSS. *Inde iam p.*

Ibid. *Dum haec identidem rimabundus eximie delector, Tua sunt* (*inquit Byrrhena*) *cuncta quae vides*] Apud Horatium ille: *Quicquid mihi, quicquid et horum Cuique domi est, id crede tuum.* Infra lib. 5. *Quid* (*inquit*) *Domina tantis obstupescis opibus? tua sunt haec omnia.* Aeneid. 4. Dido ad Aeneam: *Quid si non arva aliena domosque Ignotas peteres?* ubi Servius: *Aliena, blande: quasi haec iam tua sint.* Pro *rimabundus* coniecimus *mirabundus* scribendum. post, alii viro docto id in mentem venisse deprehendimus.

Ibid. *Caeteros sermone secreto praecepit decedere*] Phaedra apud Senecam: *Commodes paulum precor Secretas aures, si quis est, abeat comes.*

Ibid. *Anxie tibi metuo*] Supra lib. 1. *Eximie metuens mihi.* et 4. *Irae Deûm metuens.* Sic *alii timere* Sallustius Catilinario. In Senecae Hippolito: *Anxiam me cura sollicitat tui.* Paulus ad Colossenses: Ἀγῶνα περὶ ὑμῶν ἔχω.

Ibid. *Et, utpote pignori meo, longe provisum cupio*] Caesar ad milites suos apud D. Cassium: Ἀγαπῶ τε ὑμᾶς, καὶ ἐθέλοιμ' ἂν, ὡς πατὴρ παῖδας, καὶ σώζεσθαι, καὶ εὐδοξεῖν. Vide 1. Thess. 2. 11.

Ibid. *In vetustum Chaos submergere novit*] Ita Palat. MS. et Vicent. editus. male in recentioribus quibusdam, *submergit.* Cassiodorus cap. 9. de Anima: *Quantum proficimus cum rectis, tantum deteriores novimus esse cum pessimis.* Isidorus Orig. 5. 27. *Gladius sine graviore cruciatu, compendiosa morte vitam finire novit.*

Ibid. *Cum quenquam conspexerit speciosae formae iuvenem* etc.] De Eadem lib. 3. *Nec unquam magis artis huius violentia nititur, quam cum scitulae formulae* (mel. *formae*) *iuvenem libenter adspexit.*

Ibid. *Serit blanditias*] Ovidius Amor. 3. *Et mihi blanditias dixit, Dominamque vocavit.*

Ibid. *Amoris profundi pedicis aeternis alligat*] In vet. Epigramm. Πυρσὸς ἔρωτος ἀεὶ αἰώνιος. Lucretius 1. *Veterno devinctus vulnere amoris.* Bene et *pedicis.* Proverb. 7. 22. de incauto iuvene: Ὁ δὲ ἐπηκολούθησεν αὐτῇ (meretrici) κεπφωθείς. Infra lib. 11. *Cum me Fotis malis incapistrasset erroribus.*

Ibid. *Minus morigeros*] Terent. 1. 5. Andr. *Seu tibi morigera fuit,* etc. Donatus: *Hoc quasi amanti utile fuit.*

Ibid. *Et viles fastidiens*] Palat. Florent. et Oxon. MSS. *fastidio.*

Ibid. *Puncto reformat*] ἐν στιγμῇ χρόνου. Luc. 4. 5. ad quem locum de *puncto* plura.

Pag. 24. *Haec tibi trepido, et cavenda censeo*] In Trinummo Plautina: *Haec ego doleo, haec sunt quae me excruciant: Haec dies noctesque tibi canto ut caveas.* Infra hic lib. 5. *Haec tibi identidem cavenda censebam.*

Ibid. *A cautela Pamphiles*] Passive, ut apud Sallustium *Pompeii metus.* Vide 12. 9. A. Gellium. De cervo Phaedrus: *Ut venatorum fugeret instantem necem.*

Ibid. *Ultro gestirem* etc. *volens* etc.] Seneca Hippol. *At si quis ultro se malis offert volens.*

Ibid. *Saltu concito* etc.] Phaedrus: *Veloci saltu fovea se liberat, Et in cubile concito properat gradu.*

Ibid. *Vecors animi* etc.] lib. 3. *Pamphile, iam vecors animi tectum* etc. *conscendit.*

Ibid. *Manu eius, velut quadam catena memet expedio*] Hieronymus in Epistolis: *Multitudines hominum, et officia, et salutationes, velut quasdam catenas fugias.*

Ibid. *Amenti similis, accelero vestigium*] Sic 5. ubi de gradu citatiori: *Amens et trepida* etc. *procurrit e domo.* et 8. *Amens, et vecordia percita, per plateas* etc. *fertur.*

Ibid. *Age, inquam, ô Luci, evigila*] Horatius: *Vigila, hoc age.* Plautus: *Menechme vigila.* Idem Milite: *Age, si quid agis: vigila, ne somno stude.* Servius ad Aen. 1. *Is qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus, primo ancilia commovebat: post, hastam simulachri ipsius, dicens, Mars vigila.* Nero apud Suetonium: Ἄγε, ἔγειρε σεαυτόν. Apud Philonem in de Legat. ad Caium: Σὸς νῦν ὁ καιρός ἐστιν, ἐπέγειρε σεαυτόν. Apud Eundem in de Mosis vita: Συνεκρότουν ἄλλος ἄλλον, μὴ ἀποκάμνειν· ἀνεγειρώμεθα, λέγοντες.

Ibid. *Et tecum esto*] Horatius: *Non horam te-*

tecum esse potes. Simplicius in cap. 45. Epicteti: Γρηγορείτω τὸ προσεκτικὸν τῆς ψυχῆς, καὶ φυλαττέτω ἑαυτὴν ἐν ἑαυτῇ μένουσαν. Et ad cap. 49. Ἐντετᾶσθαι δεῖ τὴν προσοχὴν ὑμῶν, ὥστε ἐν ἑαυτοῖς εἶναι.

Ibid. *Habes exoptatam occasionem*] *Habes tota quod mente petisti.* In Eunucho Terentii: *An ego occasionem Mihi ostentatam tantam, tam brevem, tam insperatam Amitterem? Exoptatam occasionem* hic vocat qualem 9. *occasionem optatissimam.* neque enim τὸ abundat. Glossae: Ἐυκταιότατος, *exoptatus, valde optatus.*

Ibid. *A nexu Venereo* etc.] lib. 9. *Tenacissimis nexibus expeditum adulterum.* Sic, *nexu infando implicitum* Declam. 3. Quintilianus.

Ibid. *Probi Milonis*] lib. 3. *Ad probum Milonem civem vestrum devortor.*

Ibid. *Genialem torum suspice*] lib. 10. *Torus scilicet noster genialis futurus.* Glossae: *Genialis*, γαμήλιος etc.

Ibid. *Enimvero Fotis famula petatur adnixe*] Iuvenal. *Sed tua nunc Migale.* ubi Scholia: *Nomen mulieris, ex ipsa coitione.* unde de Fotidis nomine supervacuum monere. Beroaldus hic *enixe:* quomodo in Oxon. et aliis MSS. legitur. mihi altera lectio sincerior. Noster in Apologia: *Adnixus in impenso studio* etc.

Ibid. *Forma scitula est*] lib. 3. *Scitulae formae iuvenem.*

Ibid. *Forma scitula est, et moribus ludicra, et prorsus argutula*] In Glossis: Κομψὸς. *scitus, bellus* etc. *mulier commoda et faceta est.*

Ibid. *Et blande lectulo collocavit, et satis amanter cooperuit*] Theophylactus ad 1. Tim. 5. 10. Τὴν σωματικὴν ὑπηρεσίαν εἰσφέρειν προτρέπεται. οἷον κλίνην στρῶσαι, ἀναπαῦσαι· πρὸς ἃ αἱ γυναῖκες ἐπιτηδειότεραι. Heliodorus 2. de ancillis hospitem curantibus: Ἡ μέν τις ἀπένιψε τὼ πόδε, etc. ἡ δέ ἐφρόντιζε τῆς εὐνῆς, καὶ μαλθακὴν εὐτρέπιζε τὴν κατάκλισιν.

Ibid. *Satis amanter cooperuit*] lib. 10. *Quam laciniam curiosulus ventus satis amanter* etc. *reflabat.*

Ibid. *Quam invita discederet vultu prodidit: denique saepe retrorsa respiciens, substitit*] Lucianus Cataplo: Ἐπιστρέφονται εἰς τ' ὀπίσω, ὥσπερ οἱ δυσέρωτες. Heliodorus 7. Ἀπεχώρει δὲ καὶ ἡ Ἀρσάκη, μόλις μὲν, καὶ ἀναστρέφουσα. Philostratus de Gymnosophistis Apollonio valedicentibus: Ὑπέστρεψαν εἰς τὸ φροντιστήριον, ἐπιστρεφόμενοι πρὸς τὸν ἄνδρα, καὶ δηλοῦντες ὅτι ἄκοντες αὐτοῦ ἀπαλλάττονται. Silius lib. 8. *Respiciens, aegerque animi tum signa reliqui Vestra.* Ovidius Metamorph. 10. *O quoties, cum iam posset transire, morata est! Spectatosque diu vultus invita reliquit.* Et 1. Trist. *Saepe vale dicto, rursus sum multa locutus, Et quasi discedens oscula summa dedi: Saepe eadem mandata dedi, meque ipse fefelli, Respiciens oculis pignora cara meis.* Paterculus de Barbaro quodam lib. 2. *Impetratoque ut manum contingeret, reversus in naviculam, sine fine respectans Caesarem, ripae suorum appulsus est.* Quintilianus Declam. 10. de spectro filii, matri apparente: *Nec iam nisi cum luce certa fugatisque sideribus, invitus ille vanescebat ex oculis: multum resistens, saepe respiciens: et qui proxima nocte promitteret se venturum.* Tertullianus (hunc morem valedicentium respiciens) *Cum vero et tertium illum prius suis valedicere parantem prohibet retro respectare, sectam Creatoris consequitur.* Nec amicos, sed et consueta loca hic mos linquentium. Virgilius Ceiri: *Et notas saepe (heu frustra) respectat Athenas.* Rutilius Numantianus: *Respectare iuvat vicinam saepius urbem, Et montes visu deficiente sequi.* Adde quae de Pompeio Lucanus initio tertii.

Ibid. *Retrorsa* etc.] Onomasticon vetus: *Retrorsus*, ὀπίσθιος. Infra lib. 6. *Iter retrorsum porrigens.*

Ibid. *Quod bonum, foelix et faustum* etc.] *Sic Veteres dicebant, aliquid aggressuri.* Donatus ad 1. 2. Phorm.

Ibid. *Nec tamen domi Milonem* etc. *offendo*] Apud Heliodorum 2. Εἰς τὴν εἰσαγωγὴν ἀφικνοῦνται, καὶ τὸν μὲν τοῦ οἴκου δεσπότην οὐ καταλαμβάνουσιν.

Pag. 25. *Pulpam frustratim consectam*] Donatus ad 3. 4. Hecyrae: PULPA *proprie ea quae manducatur, eo quod pulsetur ac* CONSCINDATUR.

Ibid. *Et quidem naribus iam mihi hariolabar tucetum aliquod sapidissimum*] Quale ungentum illud de quo Catullus: *Quod tu cum olfacies, Deos rogabis Totum ut te faciant Fabulle nasum.* Callimorphus apud Fulgentium: *Ambrosio redolent tuceta sapore.* Gloss. *Tucetum*, ζωμὸς παχὺς. Vide et Persii Scholiastem ad Sat. 2. Elegantissime autem *hariolari naribus.* Donatus ad 3. 3, Adelph. *Nares a naritate dicta, quod nos odoratu doceant praesto et prope esse, quae adhuc oculi non vident. Nidorem naribus praesentire*, Noster in Apologia dixit. In Cataplo Luciani: Ἡ κνίσσα τῶν σκευαζομένων εἰς τὸ δεῖπνον ἀπέκναιέ με.

Ibid. *Ipsa linea tunica mundule amicta*] *In tantum ornata, ne immunda esset*, ut Seneca Controv. 2. 7. locutus. Tertullianus de Cultu femin. cap. 5. *Non supergrediendum ultra quod simplices et sufficientes munditiae concupiscunt.* Cato apud Livium: *Non magistratus et sacerdotia, et triumphi*, etc. *iis possunt. Munditiae, ornatus, et cultus, haec faeminarum insignia sunt.* Marius apud Sallustium: *Ex parente meo* etc. *ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire.*

Ibid. *Mundule amicta*] Eoque oculis grata magis, et animo illabunda. Plaut. Menech. *Munditiis*

ditia est illecebra animo amantium. Ovidius: *Nec prodite graves insuto vestibus auro: Per quas nos petitis, saepe fugatis opes. Munditiis capimur.* Lucretius: *Facit ipsa suis interdum faemina factis, Morigerisque modis, et mundo corpori cultu, Ut facile insuescat vir secum degere vitam.*

Ibid. *Fasciolâ* etc. *sub ipsas papillas succinctula*] Apoc. 1. 13. Πρὸς τοῖς μαζοῖς περιεζωσμένη. et 1. Macc. 3. 19. ὑπὸ τοὺς μαζοὺς περιεζωσμένη. Cinna apud Isidorum Orig. 19. 33. *Strophio lactantes vincta papillas.* Infra heic lib. 10. *Taenia quoque, qua decoras papillas devinxerat* etc. Isidorus ubi supra: *Fascia est qua tegitur pectus, et papillae comprimuntur.* Nonnius: *Strophium est fascia brevis, quae virginalem tumorem papillarum cohibet.* Hieronymus de vitand. susp. contub. *Papillae fasciolis comprimuntur, et crispante cingulo angustius pectus arctatur.*

Ibid. *Rotabat in circulum*] Lib. 8. *Crinesque pendulos rotantes in circulum.*

Ibid. *In orbis flexibus*] Lib. 10. *In orbe rotatim flexuosi.*

Ibid. *Lumbis sensim vibrantibus*] Martialis: *Vibrabunt sine fine prurientes, Lascivos docili tremore lumbos.*

Ibid. *Mobilem spinam quatiens placide*] Quod infra lib. 10. *Spinulam leniter fluctuare.*

Ibid. *Isto adspectu defixus obstupui*] *Defixis oculis, animoque et corpore torpens.* Virgil. *Dum stupet, obtutuque haeret defixus in uno.* Catullus: *Simul te Lesbia aspexi, nihil est super mi Quod loquar amens. Lingua sed torpet,* etc. Ad Helenam Paris in Ovidianis Epistolis: *Ut vidi, obstupui, praecordiaque intima sensi Attonitus curis intabuisse novis.* Suidas: Ἐκπήγνυσθαι, ἐκπλήττεσθαι. Virgilius 10. *Stupet in Turno.* Servius: *In Turnum intuens.* Et alibi: *Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido.* ubi Servius: *Obstupuit, quod est signum futuri amoris.*

Ibid. *Defixus obstupui: et mirabundus steti*] Ovidius: *Haesit, et in vultu constitit usque tuo.*

Ibid. *Quam mellitum pulmentum apparas!*] Sic 10. *mellita edulia.* Oxon. *Quam pulchre m. p. a.*

Ibid. *Et certius beatus*] Scribe, *et centies beatus.* Infra lib. 5. *Prius centies moriar* etc.

Ibid. *Cui permiseris illic digitum intingere*] τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου βάπτειν. Luc. 16. 24.

Ibid. *Quam procul a meo foculo discede*] In Plauti Mostellaria: *Exi e culina sis foras mastigia, Qui mihi inter patinas exhibes argutias.*

Ibid. *Si te vel modice meus igniculus afflaverit, uretis intime*] In Plautina Epidico: *Ille quidem Vulcani irati est filius, Quaqua tangit, omne amburit: si prope adstes, aestu calefacit.* Paulus Silentiarius: Οἶστρος ὀλισθήεσσαν ἔχει φύσιν, ἥν τις ἑῆστοῦ Ἄκρον ἔλῃ φλογέον, δύεται ἐντὸς ὅλος. Chrysologus Serm. 94. *Mulieris* etc. *tactus urit male conscium.* Licinius Portius apud Gellium tali flamma contactus: *Si digito attigero, incendam sylvam simul omnem, Omne pecus.* Et nota hic τὸ *igniculum.* Ambrosius de Samsone: *Incendit alienas messes, sed ipse unius mulieris igniculo accensus, messem suae virtutis amisit.* Hegesippus 1. 23. *Amoris igniculus adolescentulo obrepsit.* Terentius Eunuch. *Accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis.* ubi Donatus: *Potius ignem meretricis accipimus, quam aram Apollinis.*

Ibid. *Nec ullus exstinguet ardorem tuum nisi ego*] In vetere Mimo: *Amoris vulnus idem qui sanat facit.* In vetere Epigrammate: *Iulia sola potes nostras exstinguere flammas.* Aedituus vetus Poëta apud Gellium: *Hunc ignem Veneris, si non Venus ipsa, Nulla est quae possit vis alia opprimere.* Lucret. *Namque in eo spes est, unde est ardoris origo, Restingui quoque posse ab eodem corpore flammam.* Parthenius in Eroticis, cap. 4. de Oenone: Ἐξηγεῖτο δὲ ὡς δεῖ αὐτὸν (Alexandrum Priami) τρωθῆναι, καὶ ὅτι οὐδεὶς αὐτὸν οἷός τε ἔσται ὑγιῆ ἢ αὐτὴ ποιῆσαι.

Ibid. *Quae et ollam et lectulum suave quatere novi*] Iuvenalis: *Antiquum, et vetus est alienum Posthume lectum Concutere.* Ovidius: *Spondaque lasciva mobilitate tremens.*

Ibid. *Quam diligenter omnem eius explorassem habitudinem*] *Quam totum lustrâssem lumine corpus.* Hoc ipsum illud est quod παιδίσκης περιεργίαν (id est, κατανόησιν περίεργον) Sirachides 41. 27. vocavit, et ibi Vetus versio *ancillam scrutari.* Theocritus Eidyll. 21. Καὶ μ' ἀπὸ τᾶς κεφαλᾶς ποτὶ τὼ πόδε σύννεχες εἶδεν. Philo de Pharaonis filia Mosem curiose lustrante: Ἀπὸ κεφαλῆς ἄχρι ποδῶν καταθεωμένην, τήν τε εὐμορφίαν καὶ εὐεξίαν ἀποδέχεσθαι. Ἀνδριαντοποιοῦ δίκην ζωγραφεῖν καὶ θεωρεῖν τινα 4. 8. Philostrati. *Diligenter explorare* autem etiam Ammianus lib. 28. dixit.

Ibid. *Pars ista corporis in aperto et perspicuo posita*] Melius *conspicuo* legas. In Apologia: *Praesertim os, cuius in propatulo et conspicuo usus homini creberrimus.*

Ibid. *Nitor nativus*] Gloss. *Nativa:* ἰδιόχρωμα.

Pag. 26. *Indolem gratiasque suas probaturae, lacinias omnes exuunt, nudam pulchritudinem suam* etc.] Lactant. de Opif. Dei cap. 7. *Ipsa nuditas hominis mire ad pulchritudinem valet.* Propertius: *Non iuvat in caeco Venerem committere motu: Si nescis, oculi sunt in amore duces. Ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena, Cum Menelaëo surgeret e thalamo. Nudus et Endymion Phaebi caepisse sororem Dicitur, et nuda concubuisse Dea.* Lucianus Asino: Ἀποδύ-

δύομαι, καὶ ἵσταμαι γυμνὸς, ὡς δῆθεν ἔτι μᾶλλον ἀρέσκων. Chrysostomus Homil. 29. ad 1. Cor. 12. Ὥσπερ ἂν εἴ τις σωμάτων οὐκ εἰδὼς διακρίνειν κάλλος, ἀλλὰ τὸ πᾶν τοῖς ἱματίοις τιθέμενος, καὶ τῷ περικειμένῳ κόσμῳ· τὴν μὲν ὡραίαν γυναῖκα, καὶ φυσικὸν κάλλος κεκτημένην ἰδὼν παραδράμοι, τὴν δὲ αἰσχρὰν καὶ δυσειδῆ, καὶ τὸ σῶμα ἀνάπηρον καλὰ ἱμάτια ἔχουσαν θεασάμενος, γυναῖκα ἀγάγοιτο· τοιοῦτόν τι περὶ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν κακίαν οἱ πολλοὶ πάσχουσιν, τὴν μὲν αἰσχρὰν φύσει προσιέμενοι διὰ τὸν ἔξωθεν αὐτῆς κόσμον, τὴν δὲ ὡραίαν καὶ εὔμορφον ἀποστρεφόμενοι διὰ τὸ γυμνὸν αὐτῆς κάλλος, δι' ὃ μάλιστα αὐτὴν ἑλέσθαι ἐχρῆν. Oxoniensis heic, *gratiamque suam p.* quod fortasse vulgato rectius. sic 10. *Gratia coloris ambrosei designans Venerem.* Pro *probaturae* forsan et *approbaturae* scribendum. ita *opus suum expeditum approbare* infra 6. libro.

Ibid. *Si cuiuslibet eximiae pulcherrimaeque feminae caput capillo exspoliaveris*] Lactantius ubi supra: *Cum ipsa nuditas hominum mire ad pulchritudinem valeat, non tamen etiam capiti congruebat; quanta enim in eo futura deformitas esset, ex calvitio apparet.* Basil. ad illa 3 Esaiae, ἀντὶ τοῦ κόσμου τῆς κεφαλῆς φαλάκρωμα ἕξεις. Τοῦ κατὰ φύσιν κόσμου ἀπεστερήθησαν, καὶ ἐγένοντο ἀωρότατον θέαμα, ἐν τῇ ἀποβολῇ τῶν τριχῶν. ὅς οἰκεῖος καὶ συγγενὴς κόσμος παρ' αὐτῆς τῆς φύσεως ταῖς γυναιξὶ παραβέβληται. Confer Theodoretum Serm. 4. περὶ Προνοίας, et historiam 2. 53. ab Isidoro Pelusiota narratam. In loco D. Basilii videtur περιβέβληται legendum.

Ibid. *Toto Cupidinum populo comitata*] *Circumfusa laetissimorum parvulorum populo*, ut 10 de Eadem loquitur. Et bene hîc *comitata* de Cupidinum populo. Claudian. Nupt. Honorii etc. *Prosequitur volucer late comitatus Amorum.*

Ibid. *Cinnama fragrans*] Lib. 8. *Odor corporis cinnamei.* In Vett. Catalectis: *Sinus expansa profert cinnama.* Infra hoc libro: *Patentis oris cinnameo inhalatu.*

Ibid. *Et contra Solis aciem vegetus fulgurat*] Herodianus de Commodo: Κόμη ἦν φύσει ξανθὴ καὶ οὔλη, ὡς, εἴποτε φοιτῴη δι' ἡλίου, τοσοῦτον ἐκλάμπειν αὐτῷ πυροειδές τι, ὡς τοὺς μὲν οἴεσθαι ῥίνημα χρυσοῦ προϊόν τι ἐπιπάσσεσθαι. Quibus hoc naturâ non datum, artificio quaesitum. Plutarchus in Erotico: Τὸ φάρμακον ᾧ τὴν κόμην αἱ γυναῖκες ἐναλειφόμεναι, ποιοῦσι χρυσοειδῆ καὶ πυῤῥὰν etc. Iosephus Antiquit. 8. de iuvenibus qui Solomonis currus conscenderunt: Ἐπεκόσμουν δ' αὐτοὺς etc. μηκίστας καθειμένοι χαίτας etc. ψῆγμα δὲ χρυσίου καθ' ἡμέραν αὐτῶν ἐπέσηθον ταῖς κόμαις, ὡς στίλβειν αὐτῶν τὰς κεφαλὰς, τῆς αὐγῆς του χρυσίου πρὸς τὸν ἥλιον ἀντανακλωμένης. Eadem ab auratis vestibus Soli respondentibus φιλοτιμία. De Herode Agrippa Suidas: Τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος προσπεσούσης τῷ ἐνδύματι λαμπηδὼν τῇ αὐγῇ τῆς ἐσθῆτος ἀνακραθεῖσα, τὰς ὄψεις τῶν περιεστώτων κατήστραψε. *Fulgurat* hîc, ut et infra de criminibus lib. 5. *Quorum splendore nimio fulgurante, etiam ipsum lucernae lumen vacillabat.*

Ibid. *Contra Solis aciem* etc. *fulgurat*] Plinius de Pavone: *Gemmantes expandit colores, adverso maxime Sole, quia sic fulgentius radiant.*

Ibid. *Placidus renidet*] Ita melius quam *renitet.* Horatius: *Non ebur atque aureum Mea renidet in domo lacunar.* Onomasticon vetus: *Renideo*, ἀντιστίλβω.

Ibid. *In levem deprimitur umbram*] Quia desuper flavi, intus nigricantes. Anacreon ad pictorem, de Deliciis suis: Λιπαρὰς κόμας ποίησον Τὰ μὲν ἔνδοθεν μελαίνας, Τὰ δ' ἐς ἄκρον ἡλιῶσας.

Ibid. *Corvina nigredine* etc.] Ovidius: *Leda fuit nigra conspicienda coma.* In de Deo Socratis: *Cum duo colores praestabiles forent, piceus et niveus*, etc. *utrumque colorem Apollo suis alitibus condonavit: candidum olori, nigrum corvo.* Cantic. Solom. 5. 11. *Comae eius* etc. *nigrae quasi corvus.*

Ibid. *Cerulos columbarum colli flosculos* etc.] Nero apud Senecam Natural. 2. 1. *Colla Cytheriacae splendent agitata columbae.* Philo in de Temulentia: Τὸν αὐχένα τῆς περιστερᾶς ἐν ἡλιακαῖς αὐγαῖς οὐ κατενόησας μυρίων χρωμάτων ἀπαλλάττοντα ἰδέας; ἢ οὐχὶ φοινικοῦν, καὶ κυανοῦν, πυρωπόντε αὖ, καὶ ἀνθρακοειδὲς, etc.

Ibid. *Pectinis arguti*] Aeneid. 7. *Arguto tenues percurrens pectine telas.* ubi Servius: *Garrulo, stridulo, sonanti.* Imo, me iudice, *acuto.* Glossarium: *Argutus:* ἀδόλεσχος etc. σημαίνει δὲ καὶ ὀξὺς. vel certe *arguto pectine.* i. e. *parvo, brevi.* Eundem ad 7 Eclog. et 3 Georg. vide.

Ibid. *Quid, cum frequenti sobole spissus cumulat verticem* etc.] Isidorus 19. 23. de virginibus: *Quarum ornatus proprie sic est, ut concumulatus in verticem ipsam capitis sui arcem ambitu* (fors. *ambitus*) *crinium contegat.* Suetonius de Nerone: *Circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione Arabica etiam pone verticem submiserit.* Gruterus hîc pro *spissus*, *spirosus* corrigit.

Ibid. *Vel prolixa serie porrectus dorsa permanat*] Infra lib. 11. *Crines* etc. *per divina colla passive dispersi.* Pollux 2. 3. Ἀνασεσυρμένην τὴν κόμην ἔχων, etc. τῷ τε μεταφρένῳ περιῤῥέουσαν. Vide et Cupidinis statuâ Callistratum. Tertullianus de Cultu foem. cap. 7. *Quid crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis,*

modo relaxatis, modo succinctis etc.? Ovidius: *Ponendis in mille modis praefecta capillis.* Idem: *Nec genus ornatus unum est, quod quamque decebit Eligat, et speculum consulat ante suum. Altera succinctae religetur more Dianae, Ut solet, attonitas cum petit illa feras. Alterius crines humero iactentur utroque, Talis es assumpta, Phoebe canore, lyra.*

Ibid. *Auro, veste, gemmis, omnique caetero mundo exornata*] Ἱματισμῷ, καὶ παντὶ τῷ γυναικείῳ κόσμῳ κεκοσμημένη, ut Iuditha 12. 15. Servius ad Aeneid. 4. de Didone: *Veste, auro,* etc. *purpura comtior.* Interpres vetus, Ezech. 24. 40. *Ornata es mundo.*

Ibid. *Ornata non possit abire*] Oxon. *adire*, unde rectum *audire* putem.

Ibid. *In mea Fotide non operosus, sed inordinatus ornatus addebat gratiam*] Petronius: *Neglectim quae se mihi comit amica Suadet, et ornatus simplicitate valet.* Ovidius, tot amandi praetextus enumerans: *Non est culta? subit, Quid cultae accedere possit?* Philostratus de Palamede: Καὶ αὐχμηρὸν περὶ τῷ προσώπῳ ἔχειν πολὺν, ἡδίω τῶν Εὐφόρβου πλοκαμῶν τῶν χρυσῶν. Sic αὐχμὸν ἀγωγὸν 3. 22. in Arriani Epictetaeis. Κόσμον ἄκοσμον habemus Paedag. 3. Clem. Alexandrini: nec tamen *inornatus* hoc loci pro *inordinatus* scribendum. Appuleius de Mundo loquens: *Est Dei munere ornata ordinatio.*

Ibid. *Per colla dispositos*] lib. 11. *Crines* etc. *per divina colla passive dispersi.* Pro *emissos* placeat *demissos* scribi. Infra lib. 11. *Crines uberrimi prolixique*, etc. *molliter defluebant.* Quod hîc *demitti*, ibi *defluere.*

Pag. 27. *In summum verticem nodus adstrinxerat*] De quo ita lib. 3. *Adiuro per dulcem istum tui capilli nodulum.* Servius ad Aeneid. 4. *Crinem qui illi retrorsum in nodum collectus.*

Ibid. *Nec diutius quivi tantum cruciatum sustinere, sed pronus in eam* etc.] Cicero Antonianarum 2. *Homo misericors ferre non potuit, caput aperuit, in collum invasit.*

Ibid. *Qua fine summum cacumen capillus ascendit, mellitissimum illud savium impressi*] Sic, *oscula ferre comae* Propertius. Aristaenetus 1. 16. Ἐκβακχευθεῖσα τῷ ἔρωτι, ἀνέκλασέ τε πρὸς ἑαυτὴν τὸν αὐχένα, καὶ πεφίληκεν. etc. *Savium mellitissimum*, ut et infra 6. et ibidem *mellitis saviis.* nec non apud Longum Sophistam μελιτῶδες φίλημα. Pro *qua fine s. cacumen* etc. legerim, *qua in summum cacumen* etc.

Ibid. *Tunc illa cervicem intorsit*] Horatius: *Cum flagrantia detorquet ad oscula Cervicem.* Basilius in de Virginitate: Καθάπερ ἑταίρα τις ἀκόλαστος ἐγκύπτει πρὸς τὸν τέρποντα, τὸν αὐχένα κακῶς περιστρέφουσα.

Ibid. *Ad me conversa limis* etc. *oculis*] Plutarch. in de solertia animalium: Σκαιὸν ὄμμα παραβαλὸν θύννου δίκην.

Ibid. *Limis oculis*] Quintilianus 11. 3. *Oculi limi, et, ut sic dicam, Venerei.* Fulgentius Mytholog. 2. *Ad libidinem limaces visus intorsit.* Isidorus 12. 1. *Cuius oculi ad libidinem in transversum aspiciunt.* Plinius 11. 37. ubi de oculis: *Torvi, flagrantes, graves, transversi, limi,* etc. Donatus ad Eunuch. 3. *Cum limi dicantur obliqui generaliter, hoc tamen proprie de oculis dicitur.* Et paulo ante: *Limis, est transversis: unde limen dicitur, quod ingredientibus exeuntibusque transversum sit. Quum igitur dissimulant homines, se videre quod vident: et non recta facie sed transversa intuentur, limis aspicere dicuntur.*

Ibid. *Scholastice*] Vide Casaub. ad Hist. Aug. Scriptores p. 416. Rittershusium ad Praefationem Salviani.

Ibid. *Cave ne nimia mellis dulcedine diutinam bilis amaritudinem contrahas*] Catull. *Neve ex ambrosia tibi mutatum cadat istud Suaviolum tristi tristius helleboro.* Lucret. *Nempe inamarescunt epulae sine fine petitae.* Aen. 4. *Spargens humida mella.* ubi Servius: *Non incongrue ad amaritudinem amorum mel adhibet.* Iulianus in Epistolis: Χολῆς αὐτὸ (μέλι) ποιητικὸν εἶναι σύμπαντες ὁμολογοῦσι, καὶ τρέπειν τοὺς χυμοὺς εἰς τοὐναντίον τῆς γεύσεως. Vide Proverb. 26. 16. et 27. Sirachidem 37. 33. Scholiastes ad Ranas Aristophanis: Τὸ πολὺ, καὶ ἂν ᾖ γλυκὺ, πονηρόν ἐστι. Suidas, ex nescio quo Veterum: Τρώγων γλυκερά πικρίας ἕξεις τρόπους. Hieronymus ad Furiam: *Quasi coturnicum carnibus usque ad nauseam saturata es: amarissimam choleram tuae sensere fauces.* Latet autem heic scitum certum et salubre: filias Voluptatis Moerorem et Tristitiam esse. Venus in Psychen vindicatura post delectamentum suo cum Cupidine habitum, infra lib. 6. *Ubi sunt Sollicitudo atque Tristities ancillae meae? quibus introvocatis tradidit torquendam eam.* Apposite ad Appuleium Solomo: (qui et a *melle* similitudinem sumpsit) Μέλι ἀποστάζει ἀπὸ χείλεων γυναικὸς πόρνης, ὃ πρὸς καιρὸν λιπαίνει σὸν φάρυγγα, ὕστερον μέν τοι πικρότερον χολῆς εὑρήσεις. 5. 3. 4.

Ibid. *Mea festivitas*] Plaut. Cas. *Mea vita, mea festivitas, sine amabo ted amari Meus festus dies*

Ibid. *Cum sim paratus vel uno suaviolo interim recreatus, super ignem istum porrectus assari*] Dio Cassius lib. 65. Εἰς τοῦτο μετρίας ἀφικνοῦνταί τινες, ὥς ἄν τι προσδοκήσωσιν ἀγαθὸν κακῷ μεμιγμένον λήψεσθαι, ἐπιθυμίᾳ τοῦ κρείττονος καταφρονεῖν τοῦ χείρονος. Claudianus: *Suadentque brevem praesentia fructum, Et ruit in vetitum damni secura libido.* In Mimo ve-

vetere: *Amans quid cupiat scit, quod sapiat non videt.* Notanda et emphasis verborum, *uno vel suaviolo recreatus.* Scriptor ad Hebraeos 12. 16. Ἀντὶ βρώσεως μιᾶς ἀπέδοτο τὰ πρωτοτόκια αὐτοῦ. Plutarchus in de liber. educandis: Μίαν ἡδονὴν θανάτου τιμώμενοι.

Ibid. *Et cum dicto arctius eam complexus, coepi suaviari*] Sisenna in Milesiis: *Simul haec dicens, suavium dedit.* Achilles Tatius 2. Καὶ ἅμα λέγων, τὴν χεῖρα βιαιότερον περιέβαλον, καὶ ἐφίλουν. Infra heic: *Et conversum amplexus osculatur arctissime.*

Ibid. *In amoris parilitatem congermanescenti mecum*] Suidas: Ξυσταθεύσω, σὺν σοὶ ὀπτήσω τῷ ἔρωτι· ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν κρεῶν. *Congermanescere*, est quod apud Philonem (de Eva loquentem) γάννυσθαι καὶ ἀντιπροσφθέγγεσθαι. lib. περὶ κοσμοργ.

Ibid. *Et occursantis linguae illisu nectareo*] Lib. 5. *Suavium blandientis appulsu linguae longe mellitissimum.* Lucretius: *Affigunt avide corpus, iunguntque salivas Oris, et inspirant pressantes dentibus ora.*

Ibid. *Pereo inquam: imo, iamdudum perii, etc.*] Apud Plaut. Bacchid. *Nihili sum, Tactus sum vehementer visco, stimulo cor foditur.*

Ibid. *Tibi mutua voluntate mancipata sum*] *Sic amor amborum tetigit rude pectus, et aequum vulnus utrique dedit.* Infra lib. 4. *Affectione mutua mihi pignoratus.*

Ibid. *Prima face tuum cubiculum adiero*] Rectior scriptura est, *adero.* Infra lib. 5. *Scopulum istum protinus aderunt.* iam et *adero* in Oxoniensi video.

Ibid. *Tota enim nocte tecum fortiter* etc. *praeliabor*] *Tota nocte*, ut apud Propertium: *Experta puella Officium tota nocte valere meum. praeliabor*, ut infra lib. 5. *Veneris praeliis velitari.* et 1. 10. Aristaeneti, νυκτομαχεῖν. Virgil. *Nocturnaque bella.* ubi Servius: *Quibus coitus. Fortiter*, ut lib. 9. *Ille adulteriorum fortissimus.* et apud Petronium: *Qui ne tum quidem cum fortiter faceres, cum pura muliere pugnasti.* Iuvenal. *Solaque libidine fortes.*

Ibid. *Mittit mihi Byrrhaena xeniola*] Suidas: Ξένιον: τὸ δῶρον τὸ πεμπόμενον ξένῳ.

Ibid. *Porcum opimum, quinque gallinulas, et vini cadum in aetate pretiosi*] Horatius: *Accipis uvam, Pullos, ova cadum temeti.* Vitruvius Lib. 6. *Cum fuerunt Graeci delicatiores, et a fortuna opulentiores, hospitibus advenientibus instruebant triclinia, cubicula, cum penis cellas: primoque die ad caenam invitabant: postremo* (lege *postero*) *mittebant pullos, ova, olera, poma* etc. *In aetate* sincera lectio est, nec debuit moveri. sic *Episcopum in aetate antiquum* Cyprianus dixit. Iurisconsultus in l. 3. §. 1. ad SC. Silan *In gravi valetudine affectum*, et Noster lib. 6. *In laboribus defessum.*

Ibid. *Vini cadum in aetate pretiosum*] Talis *Nonum superantis annum Plenus Albani cadus* apud Horatium. Statius: *Vinaque perpetuis aevo certantia fastis.* Et bene, *pretiosum.* Horatius: *Albani veteris pretiosa senectus.*

Ibid. *Veneris hortator et armiger Liber*] Ovidius: *Vina parant animos Veneri.* Euripides Bacchis. Οἴνου δὲ μήκετ᾽ ὄντος οὐκ ἔστι Κύπρις. Theo in Aratum: Ὀρθῶς Διόνυσος καὶ Ἀφροδίτη λέγονται μετ᾽ ἀλλήλων εἶναι. Achilles Tatius 2. Οἶνος ἔρωτος τροφή. Porphyr. περὶ ἀποχ. 4. de Aegyptiorum sacerdotibus: Ἀφροδισίων ἔφασαν (οἶνον) ὀρέξεις ἐπιφέρειν. Scholiastes ad Theocriti Eidyll. 10. Ὁ οἶνος κεραννύμενος πρὸς ἀφροδίσια ἐκκαίεται. Lucianus in Amoribus: Τερπνοτέρα Ἀφροδίτη μετὰ Διονύσου, καὶ τὸ παρ᾽ ἀμφοῖν ἡδὺ σύγκρατον· εἰ δ᾽ ἀποζευχθεῖεν ἀλλήλων, ἧττον εὐφραίνουσιν. Scholiastes Aristophanis: Ἡδονὴν καὶ ἀφροδίσια μέθη ἐξανίστησι. et post, Ἀκόλουθα τῷ Διονυσιακῷ ποτῷ τὰ ἀφροδίσια. Valer. Max. 2. 1. *Proximus a Libero patre intemperantia gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit.* Theophylactus ad illa Rom. 13. Μὴ κώμοις καὶ μέθαις, μὴ κοίταις, etc. Εἰπὼν περὶ τῆς μέθης πρότερον, νῦν λέγει περὶ τῶν ἐκ ταύτης γεννωμένων κακῶν: ἐκ γὰρ μέθης αἱ ἀσέλγειαι.

Ibid. *Vinum istud sorbeamus hodie omne, quod nobis restinguat pudoris ignaviam*] Ovidius: *Nox et Amor vinumque nihil moderabile suadent.* Arnobius lib. 7. *Quid Deo cum vino est, venereis re proxima?* etc. *verecundiae, pudoris, et castitatis inimica?* Lucian. in de Dea Syria: Ἅμα οἴνῳ εἰσιόντι παῤῥησίη εἰσέρχεται.

Pag. 28. *Et alacrem vigorem libidinis incutiat*] Minucius in Octavio: *Ubi convivium caluit, et incestae libidinis ebrietate fervor exarsit.* Scholiastes vetus Horatii ad Epist. Lib. 1. *Inter omnia quae vino accidunt et illud est maximum, quod vires in Venerem praestat.* Isidorus 8. 11. de Libero: *Attributas ei mulieres dicunt, et vinum, propter excitandam libidinem.* Infra hic lib. 10. *Vino* etc. *copioso memet madefeceram, et unguento fragrantissimo prolubium libidinis suscitaram. Alacris vigor* heic, ut apud Serenum Sammonicum: *Tunc poteris alacrem capitis reparare vigorem.* Infra hic lib. 10. *Saltationis agilem vigorem.* Gellius 19. 12. *vigores et alacritates* iunxit.

Ibid. *Hac enim sitarchia* etc.] Utuntur voce ista Hieronymus in de Malchi vita. Interpres vetus 1 Sam. 9. 7. Chrysologus Serm. 39. Scholiast. ad Sat. 12. Iuvenalis.

Ibid. *Ut in nocte pervigili, et oleo lucerna, et vino calix abundet*] Infra heic: *Lucerna praegrandis, et oleum ad lucem sufficiens, et calida cum oenophoris et calice.*

Ibid. *Nam boni Milonis concinnaticiam mensulam* etc.] Aeneid. 1. *Vina bonus quae deinde ca-*

cadis onerarat Acestes. ubi Serv. Fuldens. *Bonius hic largus, liberalis.* ergo *bonus* hîc Milo κατ' ἀντίφρασιν dictus.

Ibid. *Assidue respiciens praeministrantem Fotidem, inibi recreabar animo*] Dum Milo cum uxore dant mensae operam, se Fotide sua Appuleius pascit. Apud Achillem Tatium ille Lib. I. Οἱ μὲν δὴ ἄλλοι τῇ γαστρὶ μετρήσαντες τὴν ἡδονὴν, ἐγὼ δὲ εὐωχίαν ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς φέρων, τῶν τε τῆς κόρης πρόσωπον γεμισθεὶς, καὶ ἀκράτῳ θεάματι etc. ἀπῆλθον μεθύων ἔρωτι. Et 5. Τὸ μὲν δεῖπνον ἦν πολυτελὲς, ἡ δὲ ἐφαπτομένη τῶν παρακειμένων, ὡς δοκεῖν ἐσθίειν, οὐκ ἐδύνατο τυχεῖν ὁλοκλήρου τροφῆς, πάντα δὲ ἔβλεπέ με. οὐδὲν γὰρ ἡδὺ τοῖς ἐρῶσι πλὴν τὸ ἐρώμενον· τὴν γὰρ ψυχὴν πᾶσαν ὁ ἔρως καταλαβὼν, οὐδὲ αὐτῇ χώραν τῇ τροφῇ δίδωσι. Porro pro *animo* fidenter *animi* reponimus. certissima ex simillimo loco coniectura nostra. extat in haec verba infra lib. 5. *Dum saepius divini vultus intuetur pulchritudinem, recreatur animi. Animi recreatur* etiam lib. 11. dixit.

Ibid. *Lucernam intuens Pamphile, quam largus (inquit) imber crastino aderit!*] In Vespis Aristophanis: Οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐκ ἡμερῶν τεττάρων τὸ πλεῖστον Ὕδωρ ἀναγκαίως ἔχει τὸν θεὸν ποιῆσαι. Ἔπεισι γοῦν τοῖσι λύχνοις οὑτοιὶ μύκητες. Φιλεῖ δ' ὅταν ᾖ τουτὶ, ποιεῖν ὑετὸν μάλιστα. vide Servium ad Virgilii ea, *Testa cum ardente videret Scintillare oleum.* Georg. I.

Ibid. *Grandem, inquit, istam lucernae Sibyllam pascimus*] Oxon. *G. i. i. lucernam Sibyllam dicam.* quod fortasse vulgatis rectius. Palat. et Lipsii MS. *dicamus.*

Ibid. *Ad haec ego subiiciens* etc.] Oxon. *At ego subiiciens.*

Ibid. *Prima divinationis experimenta*] Idem Codex *supplementa.* Male pro *prima* autem *priva* eruditi reposuerunt. Infra lib. 9. *prima facinorosae disciplinae arma.* sic Horatio *elementa prima.*

Ibid. *Nec mirum, licet modicum* etc.] Tolle τελείαν στιγμὴν, et uno tenore lege. Ita sensus, alioqui involutior futurus, satis obvius erit.

Ibid. *Memorem illius maioris et coelestis ignis* etc.] Lactant. 7. 21. itidem de igne terrestri loquens: *Quem labes terreni corporis quo tenetur, et fumus exilire cogit, et ad caelestem naturam cum trepidatione mobili sublevari.*

Ibid. *Chaldaeus quidam hospes miris totam civitatem responsis turbulentat*] *Improvida pectora turbat.* Onomast. vetus: *Turbulento.* διαθορυβέω. sic, *responsione consulentes conturbare* 2. 33. Firmicus. Horatius: *Irritat, mulcet, falsis terroribus implet, Ut Magus.* Iul. Paulus Sent. 5. 21. *Vaticinatores, qui se Deo plenos assimulant, idcirco civitate pelli placuit, ne humana credulitate publici mores ad spem alicuius rei corrumperentur, vel certe ex eo populares animi turbarentur.* simile Act. 15. 22. λόγοις ταράττειν. Proprie autem hoc loco *responsis.* sic in Apologia: *Mathematicos quosdam consuluit, qui (utinam illud non vere) responderunt* etc. Apud Iulium Obsequentem: *Aruspex respondit* etc. In Plauti Curcul. *Coniectores a me consilium petunt: Quod eis respondi, ea omnes stant sententia.* Recte porro mendicabulum hoc hominis *hospes* vocatur. Artemidorus 3. 21. Οἱ μάντεις περινοστοῦσι. Infra de simili grege Lib. 9. *Assiduis interrogationibus argumenti satietate defecti, rursum ad viam prodeunt:* ad nova nempe hospitia quaerenda.

Ibid. *Et arcana fatorum stipibus emerendis edicit in vulgus*] In libello de Mundo: *Prophetae Deorum maiestate effantur caeteris quae divino beneficio soli vident.* cui loco forsan mutilo supplendum *pleni.* Vide locum Iulii Pauli paulo supra adductum. Infra lib. 8. *Velut numinis divino spiritu repletus, simulabat sauciam vecordiam.* Ait Appuleius *stipibus emerendis.* Sophocles: Τὸ μαντικὸν γὰρ πᾶν φιλάργυρον γένος. Illud *arcana fatorum* est a Poëtarum praecipuo, qui lib. I. *Fatorum arcana movebo.* et 7. *Fatorum arcana reliquit.*

Ibid. *Qui dies copulam nuptialem adfirmet*] Sixtus P. 3. (Lib. de castitate) de Idolorum cultu loquens: *Hic in matrimoniorum celebratur auspiciis, quando certus auspicatur dies, quando coniunctionis hora signatur* etc. Cicero in pro Muraena: *Erant in magna potentia qui consulebantur: a quibus dies tanquam a Chaldaeis petebatur.*

Pag. 29. *Qua (inquit) corporis habitudine praeditus, quove nomine nuncupatus est hic iste Chaldaeus?*] Suetonius in Augusto: *Et ita ut certior fieret, quâ is aetate, qua staturâ, quo colore esset: etiam quibus corporis notis vel cicatricibus.*

Ibid. *Procerus et suffusculus*] Glossator vetus ad Persii Sat. de Glycone Tragoedo: *Fuit staturae longae, fusci corporis.* Suidas de Epaphrodito Grammatico: Τὸ σῶμα ἦν μέγας καὶ μέλας. Donatus de Terentio: *Mediocri statura* etc. *colore fusco.*

Ibid. *Suffusculus*] Ammian. de Aegyptiis: *Suffusculi et atrati.*

Ibid. *Mihi denique* etc. *inquirenti, multa respondit* etc. *et satis varia*] Apposite Declam. 4. Quintilianus: *Tota in eo ratio fallendi est, non dare consulentibus quod deposcunt: sed caligine, magnaque promissorum varietate suspensos sic dimittere, ut quicquid casus attulerit, putent praedictum esse.*

Ibid. *Non parvas stipes, imo vero mercedes opimas iam consecutus*] Lib. 8. *Stipes aereas,* ima

imo vero argenteas multis certatim offerentibus. Et 9. *Divinationis astu captioso contraxerant non parvas pecunias.*

Ibid. *An saevam verius dixerim*] Non extant in Oxon. Codice.

Ibid. *Frequentis populi circulo septus*] Hesychius ex Appione: Ἀγύρτας, συναθροιστοὺς (lege, συναθροιστὰς,) μάντεις.

Ibid. *Coronae circumstantium fata enodaret*] Elegantius in editis quibusdam *fata donaret*. atque ita in Oxon. MS. Elmenhorstius ex loco quodam Lib. 4. lectionem alteram stabilitam voluit: ibi autem de sorte iam data, heic de dandis sortibus agitur. *Donaret* ergo retineamus, quo nil potuit disertius, nec ad plenariam Magorum potestatem accommodatius dici. sic de Principe vetus Panaegyristes: *Et dedisse homini novum fatum.* Proprie et *coronae circumstantium.* sic 2. Florid. *A circumstantis coronae obtutu* etc. Suetonius in Augusto: *Dimisso consilio, et corona circumstantium.* Plinius avunculus 8. 40. *Magna Pop. Rom. corona circumstante.* Plinius nepos Epist. lib. 6. 33. *adstantium coronam* dixit. Servius ad Aeneid. 6. *Ne offendatur populi circumstantis corona.* Horatius Epistol. Lib. 2. *Clamore coronae.* Scholiastes: *Suffragio multitudinis.* Idem de Arte Poët. *Ne spissae risum tollant impune coronae.* Scholiastes: *Ne rideat coetus spectantium, qui in similitudinem coronae* etc. *circumdantur.* Sic *circulum et coronam circumstantium* Donatus ad 2. 3. Phorm. Lactantius 4. 6. *Corona est circumstans in orbem populus.*

Ibid. *Cerdo quidam nomine negotiator accessit*] A *lucro* nomen apte negotiatori affictum. Scholiastes vetus Horatii ad Serm. 2. *Mercurius est Deus lucri, unde* (id est, *a quo*) *negotiatores nomen habent.* Euseb. Histor. Eccles. 4. 11. Κέρδων τις ἀπὸ τὴν περὶ τὸν Σίμωνα etc. In l. 2. ff. de oper. libert. *Cerdonem servum meum manumitti volo.* Iuvenalis 4. *Et quae Turpia cerdoni, Volscos Brutumque decebunt?* Scholiastes: *Graece dixit turpem, vulgarem, lucricupidum.* ubi *vulgaris* videtur esse qui Act. 17. 5. ἀγόραιος. Pro *lucricupidum* melius *turpilucricupidum* substituas. Idem Scholiastes alibi ad eandem Satyram; *Cerdonibus, ignobilibus, turpilucricupidis.* τὸ *nomine* in Appuleio nostro modis omnibus retinendum. Sic infra lib. 4. *Fama celebrem quendam nomine Democharem*, etc. et 5. *Puellam, Psyches nomine dicitur*, etc. Ammianus (frequentissimus imitator Nostri) Lib. 14. *Nohodares nomine quidam, e numero optimatium.* et Lib. 21. *Cuius disciplinae Tages nomine quidam monstratur.* Ex quibus obiter videas etiam quam frustra ille [Meurs.] qui heic *quidem* substituit.

Ibid. *Iam deposita crumena, iam profusis nummulis, iam dinumeratis* etc.] Florid. 4. *Iam iam miseri illius membra omnia aromatis perspersa: iam os ipsius odoro unguine delibutum: iam eum pollinctum*, etc. Infra hoc libro: *Iam tumore pectus extolli, iam salubris vena pulsari, iam spiritus corpus impleri* etc. Ita Appuleium iuvat cum seipso componere. Plautus Menechm. *Iam ascendo in currum, iam lora teneo, iam stimulum in manu est.* Livius de Hannibale: *Iam Tarentum, iam Arpinas, iam Capuam habebat.*

Ibid. *Ecce quidam de nobilibus adolescentulis* etc.] Qui agyrtis et aeruscatoribus plerumque adstabant. Origenes contra Celsum 3. Ὁρῶμεν καὶ τοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἐπιῤῥητότατα ἐπιδεικνυμένους, καὶ ἀγείροντας, εἰς μὲν φρονίμων ἀνδρῶν σύλλογον οὐκ ἄν ποτε παρελθόντας· οὐδ᾽ ἐν τούτοις τὰ ἑαυτῶν κατατολμήσαντας ἐπιδεικνύειν: ἔνθα δ᾽ ἂν ὁρῶσι μειράκια, καὶ οἰκοτρίβων ὄχλον, καὶ ἀνοήτων ἀνθρώπων ὅμιλον, ἐνταῦθα ὠθουμένους τε καὶ καλλωπιζομένους. De huiusmodi *nobilibus adolescentulis* quaedam infra dicemus.

Ibid. *A tergo arrepens, cum lacinia prehendit*] Terentius Phorm. *Puer ad me accurrit Mida, pone apprehendit pallio.* Suidas in Βάρβιος etc. Προσελθὼν ἡσυχῇ κατόπιν, θοιματίου λαβόμενος, etc. Plautus Trinum. *Ille deprehendit hunc priorem pallio.*

Ibid. *Et conversum amplexus osculatur arctissime*] Apud Achillem Tatium: Καί μου τὶς κατόπιν βαδίζοντος ἐν τῇ ἀγορᾷ τῆς χειρὸς ἄφνω λαβόμενος, ἐπισχὼν etc. περιπτυξάμενός με πολλὰ κατεφίλει. Bertin. et Oxon. MS. *exosculatur.*

Ibid. *Ubi primum consuaviatus eum* etc.] Cod. Oxon. *Ubi prius* etc.

Ibid. *Attonitus est repentinae visionis stupore, et* etc.] Rectius in eodem et Bertin. Cod. *Attonitus et repentinae* etc.

Ibid. *Sed vicissim tu quoque frater memora quemadmodum* etc.] Apud Ovidium Metamorph. 14. *Tu quoque pande tuos comitum gratissime casus, Et Ducis et turbae quae tecum est credita Ponto.* Apud Virgilium: *Sed te qui vivum casus age, fare vicissim Attulerint.* Sidonius 8. 6. ad Naumachium: *Sed de sodali deque me satis dictum: Tu nunc inter ista quid rerum? quas mihi ad vicem nosse non minus cordi.* In Terentii Heautont. *Da te mihi vicissim.* ubi Eugraphius: *Quemadmodum ego tua verba audivi, ita vicissim te mihi da.* Lucianus de se et Nigrino: Σφόδρα φιλοφρόνως με ἀσπασάμενος, ἠρώτα ὅ, τι καὶ πράττοιμι· κἀγὼ πάντα διηγησάμην αὐτῷ, καὶ δῆτα ἐν μέρει καὶ αὐτὸς ἠξίουν εἰδέναι ὅ, τι καὶ πράττοι. Achilles Tatius Lib. 7. Ὡς δὲ ἐπαύσατο, τὴν ἀντίδοσιν ᾔτει τοῦ λόγου τῶν ἀτυχημάτων· λέγοις ἄν, εἰπὼν, καὶ σὺ τὰ σεαυτοῦ. Chorus feminarum apud Euripidem ad Polynicen: Φοίνισσα μὲν γῆ, πα-

πατρὶς ἥ θρέψασά με, etc. Σὺ δ' ἀνταμείψαι μ', ὅς τις ὢν, ἐλήλυθας Ἑπτάστομον πύργωμα Θηβαίας χθονός. Hoc sensu accipienda putem Glossarii illa col. 49. lin. 49. (mihi obscura quidem, et fortasse corrupta.) *Compensat*, ἀντιδιαλογίζεται. legendum ne, ἀντιδιαλέγεται? id est, (ut heic Tatius Achilles) λόγον ἀντιδίδοται: quod qui facit, *alterius sermonem compensare* videtur. Si quis quid aptius commentus fuerit, ista ocyus e medio facessant.

Ibid. *Enavigâsti*] Glossae: Αποπλέω, *enavigo.*

Ibid. *Et maris et viae iter*] Claudianus: *Non dura viarum, Non incerta maris.* Horatius: *Odio maris atque viarum.* Propertius: *Et maris, et tetrae saeva pericla viae.* Sic, *taedium viarum et maris* apud Tacitum Annal. 2. Infra hic lib. 10. *Partim terrestri, partim maritimo itinere.* et 7. *Itinerum difficultatibus, marisque terroribus exantlatis.*

Ibid. *Necdum suus*] Glossae: Ὁ ἑαυτοῦ, *suus.* Catullus: *Necdum etiam seseque sui tum credidit esse.* In Oxon. *Nec adhuc suus.*

Ibid. *Hostes (inquit) etc. tam duram etc. peregrinationem incidant*] Horatius: *Hostium uxores puerique coecos Sentiant motus orientis Haedi, et Aequoris nigri fremitum, et trementes Verbere ripas.* Tacitus Histor. 1. de Antonio Primo: *Conversus ad signa et bellorum Duces, hostium potius exercitibus illum furorem, illam discordiam iniicerent, orabat.* Seneca cap. 9. Consol. ad Marciam: *Quis non, si admoneatur ut de his* (egestatem, luctum etc. intelligit) *cogitet, tanquam dirum omen respuit, et in capita inimicorum* etc. *abire illa iubet?* Vide et 4. 16. Danielis. Ovid. *Hostibus eveniant convivia talia nostris.* Idem 3. 8. de Ponto: *Clausa tamen mihi Scythica tibi tela pharetra, Hoste precor fiant illa cruenta tuo.* et Amor. 3. 10. *Eveniat nostris hostibus ille pudor.* Item ad Liviam: *Hostibus eveniat longa senecta metu.* Avienus de Erythraeo mari: *An aequis rapidi subtectus gurgitis unda, Nec in terga salis lembum contorqueat unquam, Ane monstrigenis hostem licet inferat aestus Fluctibus.* Initio lege, *Ah ne quis:* et *subvectus.* post, *Ah, ne monstrigenis* etc. Virgil. Georg. 2. *Ah nimium ne sit mihi fertilis illa.* Idem Ecl. 10. *Ah, tibi ne teneras glacies secet horrida plantas.* Avienus iste (ut quibus vixit temporibus, non infimi spiritus Poëta, Notisque satis copiosis a nobis illustratus) quo minus e scriniis prodiret nostris occupata in aliis studia obstitere.

Pag. 30. *Variis procellarum turbinibus quassata*] Plin. lib. 32. Prooemio: *Quid violentius mari ventisque? quid turbinibus et procellis?* In Gloss. Θύελλα. *Turbo, procella.* Tertullianus in de Anima: *Nullis depugnata turbinibus, nullis decumanis pulsata.*

Ibid. *Utroque regimine amisso*] Ovid. Metamorph. 11. *Frangitur incursu nimbosi turbinis arbor, Frangitur et regimen.* Petronius: *Peragit interim tempestas mandata Fatorum, omnesque reliquias navis expugnat: non arbor erat relicta, non gubernacula,* etc.

Ibid. *Aegre ad ulterioris ripae marginem detrusa*] Infra lib. 6. *Ad ulteriorem ripam commeantes futili cymba deducit.* Festus in Breviario: *Navibus militet in ulteriorem ripam transvexit:* εἰς τοὺς ἀντίπεραν αἰγιαλοὺς, Philo in de Mose dixit. Virgil. *Tendebantque manus ripae ulterioris amore.* Livius lib. 29. *Inter virgulta ulterioris ripae emerserunt.* Ammianus lib. 16. *Ad ulteriores ripas post multa discrimina pervenere.* et 24. *Ad ulteriorem ripam nullo urgente transgressus.* et 25. *Tandemque universi praeter mersos ad ulteriores venimus margines.* Plin. Histor. 6. 22. *Fluminis ulteriore ripa merces expositas* etc. Curtius Lib. 9. *in oculis duo omnium maiora navigia submersa sunt: leviora, cum et ipsa nequirent regi, in ripam tamen innoxia expulsa sunt.* ubi loci *in ripam ulteriorem tamen* non male suspiceris legendum. *Detrusa* hic, ὀκείλασα. Hesychius: Ὀκείλασαν: τὴν ἐπεκείλασαν ναῦν. Idem: Ὀκέλλει, προορμᾷ, κρατεῖ ἑαυτοῦ. vide ad Act. 27. 41. notata.

Ibid. *Et nos, omnibus amissis, vix enatavimus*] Basilius Conc. de Eleemos. Εἰσί τινες ἐξ ἐπικρατείας κινδύνου τινὸς ἀναρπασθέντες, καὶ μηδεμίαν ἔχοντες περιλελειμμένην αὐτοῖς βίου ἀφορμὴν, ἀλλὰ μόνῃ τῇ ψυχῇ καὶ τῷ σώματι διαφυγόντες αὐτοί. Hoc est quod hic Lucius, *amissis omnibus. Vix enatavimus* (inquit). Sic μόλις et μόγις Graeci: praecipue in marinis discriminibus. Diodorus lib. 13. de Atheniensibus: Ἀπέβαλον ναῦς δύο πρὸς ταῖς εἴκοσι, τὰς δὲ λοιπὰς μόγις εἰς Ἐρετρίαν διέσωσαν. Artemidorus 1. 2. Ἀπώλετο τὸ σκάφος, αὐτὸς δὲ σὺν ὀλίγοις μόλις ἐσώθη. Idem 5. §. 57. Ναυαγίῳ περιπεσὼν, νεὼς ἀπολλυμένης, μόλις ἐσώθη. Ibidem §. 83. Περιπεσὼν ναυαγίῳ, ἐπὶ ἔσχατον ἐλθὼν κίνδυνον, μόλις ἐσώθη. Iosephus Antiquit. 14. 25. Χειμῶνι σφοδρῷ περιπεσὼν, μόλις εἰς Ῥόδον διασώζεται. Anna Comnena Alexiados lib. 3. Τὸ δὲ σκάφος ἐν ᾧ ὁ Ῥόμπερτος ἐνῆν, ἡμίθραυστον γεγονὸς, ΜΟΓΙΣ διεσώθη. Apud Euripidem Helena: Ναῦς δὲ πρὸς πέτρας Πολλοὺς ἀριθμοὺς ἄγνυται ναυαγίων. Τρόπις δ' ἐλείφθη ποικίλων ἁρμοσμάτων, Ἐφ' ἧς ἐσώθην μόλις ἀνελπίστῳ τύχῃ. Lucianus verae histor. 2. Χειμὼν σφοδρὸς ἐπιπεσὼν, καὶ προσαῤῥάξας τὸ σκάφος τῷ αἰγιαλῷ, διέλυσεν· ἡμεῖς δὲ μόλις ἐξενηξάμεθα. Idem in de merc. cond. naufragia sua verbose memorantes deridens: Καὶ τέλος, πρὸς πέτραν τινὰ ὕφαλον, ἢ σκόπελον ἀπόκρημνον περιῤῥήξαντες τὸ δύστηνον σκαφίδιον, ἄθλιοι κακῶς (id est, μόγις) ἐξενήξαντο. Notetur ultimo loco τὸ *enatavimus.* Virgilius:

Huc pauci vestris adnavimus oris. ubi Servius: *Elegit aptum naufragio verbum, ad misericordiam eliciendam.*

Ibid. *Quodcunque* etc. *extraximus, id omne latrocinalis invasit manus*] Phaedrus: *Pauci enatant.* Et statim: *Praedones adsunt, rapiunt quod quisque extulit.* Vide in Andronico Comneno Nicetam Choniatem. Petronius post naufragii narrationem: *Procurrere piscatores parvulis expediti navigiis, ad praedam rapiendam.* Palinurus apud Virgilium: *Paulatim adnabam terrae, iam tuta tenebam, Ni gens crudelis madida cum veste gravatum, Prensantemque uncis manibus capita aspera montis Ferro invasissent, praedamque ignara putasset.* Ovidius 1. Trist. *Tu facis ut spolium non sim, nec nuder ab illis, Naufragii tabulas qui petiere mei.* Bertin. Florent. et Oxon. MSS. *contraximus.*

Ibid. *Sub istis oculis miser iugulatus est*] Scriptor Vit. Illustr. de Pompeio: *Huius latus sub oculis uxoris et liberorum* etc. *mucrone confossum est.* Iustinus Lib. 34. de Achaeis: *Ante oculos suorum caesi, lugubre his spectaculum reliquerunt.* Aeneid. 1. *Ipsius ante oculos* etc. ubi Servius: *Ad maiorem dolorem.* Aeneid. 2. *Qui nati coram me cernere lethum Fecisti.* Servius: *De spectaculo queritur, non de morte.* Ibidem: *Quaeque ipse miserrima vidi.* Servius: *Est enim poena et in atrocitate spectaculi.* Idem ad 10. Aeneid. *Multa mala graviora videntur, si ante oculos nostros eveniant, quam si audiantur.* Herodianus ex persona Marci Imperatoris: Τὰ δεινὰ ὑπ' ὄψιν πεσόντα οἶκτον μείζονα προκαλεῖται. Cicero ad Torquatum: *Oculi augent dolorem.* Idem: *In omnibus malis acerbius est videre, quam audire.* Hecuba apud Euripidem: Καὶ τὸν φυτουργὸν Πρίαμον οὐκ ἄλλων παρὰ Κλύουσ' ἔκλαυσα, τοῖς δὲ εἶδον ὄμμασιν Αὐτὴ κατασφαγέντ' ἐπ' ἑρκίῳ πυρᾶ. Et nota heic, *istis oculis.* Terent. Hecyr. *Partim quae perspexi his oculis.* ubi Donat. *His, quasi miseris vult intelligi.*

Ibid. *Tunc demum* etc. *sensit imprudentiae suae labem*] Onomast. vet. *Tum demum.* τότε δέ. Et bene *sensit:* Terent. Andr. 5. 3. *Modone id demum sensisti Pamphile?* ubi Donatus: *Sentire dicitur qui vix colligit se, vixque animadvertit.* ut alibi: *Vix tandem sensi stolidus.*

Ibid. *Imprudentiae suae labem*] Sic infra 8. libro *labem imprudentiae* dixit.

Ibid. *Iter dextrum pergas*] Id est, *prosperum.* Gloss. Κατευόδωσις, *Prosperatio.* Vide Rom. 1. 10. In MS. Oxon. et Vicent. edit. *porrigas.* sic alibi, *Iter retrorsum porrigens.*

Ibid. *Inducta serie importunarum fabularum*] *Inducta* suo more, (id est, eruditissime) dixit. Studiose in rem praesentem quaesita *induci*, et *inducta* dicebantur. Plinius Lib. 5. Epist. 6. *Si nihil inductum et quasi devium loquimur.* Lucilius: *Multis inductis sermonibus concelebrarunt.* ubi Lipsius: *Multis endo loci* etc. Giphanius: *Multis inde loci.* sed videtur vel ex hoc Appuleii loco nil mutari debere. Ἐπιτραπέζια διηγήματα porro apud Suidam occurrunt.

Ibid. *Devorato pudore, ad Milonem aio, ferat suam Diophanes ille fortunam*] Id est, *sibi habeat.* nam sic alii Scriptores loquuntur. Cicero 7. 11. ad Atticum: *Sibi habeat suam fortunam.* Apud Aristophanem vocanti se κακοδαίμονα respondetur, Κατὰ σαυτὸν νῦν τρέπου. ubi Scholia: Ἀντὶ τοῦ, σεαυτῷ ἔχε τὴν κακοδαιμονίαν, μὴ ἐπιμίγνυσο ἡμῖν κακοδαιμόνων. Marcus de Avidio Cassio apud Vulcat. Gallicanum: *Sibi ergo habeat suos mores.* *Devorare* hic est, *insuper habere.* sic 9. *coeli numina devorare.* et post eod. libro *devorare iniuriam.*

Ibid. *Atque ibi deprehendo epularum dispositiones*] Sic 9. ubi adulter exspectatur: *Pudica uxor coenas Saliares comparat* etc. *mensa largiter instructa.* *Dispositiones* heic proprie dixit. Seneca Epist. 110. *Delectant te disposita quae terra marique capiuntur.* Infra lib. 8. *Coenula probe disposita.* Siracides 30. 18. βρωμάτων θέματα: ubi vetus *epularum appositiones* vertit.

Ibid. *Pueris extra limen* etc. *procul distratum fuerat*] Quintilianus 1. Declam. de maritali toro: *Servuli longius quiescunt, et praestatur grande secretum genio loci.*

Pag. 31. *Coenae totius honestas reliquias tolerans*] Lib. 9. *Mensa quae reliquias prandii gerebat.* Opponuntur lib. 10. *solida edulia*, et *fercula illibata.*

Ibid. *Et calices bini*] Sic vere a Lipsio repositum Viri docti crediderunt, ego persuadere mihi non possum quin valde falso. Legebatur in anterioribus editionibus *calices boni:* et ita Auctorem nostrum scripsisse mihi religio dubitare. sic 4. Florid. *Navem bonam, fabre factam* etc. dixit. Plautus Milite: *Eme mi vir lanam, unde tibi pallium Malacum et calidum efficiam, et tunicae hibernae bonae.* et recte nos divinasse facit fidem Oxoniensis MS.

Ibid. *Infuso latice semipleni*] Servius ad Aeneid. 1. *Latex proprie aqua est, ab eo quod intra terrae venas lateat.* In vetere Onomast. *Latex*, νᾶμα.

Ibid. *Solam temperiem sustinentes*] Gloss. *Temperies*, συγκερασμός.

Ibid. *Fotis mea, iam Domina cubitum reddita*] Ancilla Thisbe apud Heliodorum Lib. 1. Ὑπεσχόμην αὐτῷ συγκαθευδήσειν, ἥξει δὲ πρότερος, ἐγὼ δὲ ὅταν τὴν δέσποιναν κατακλίνω.

Ibid. *Iacta proximat rosa serta et soluta* etc.] Locus varie vexatus. legendum forsan *iuxtim proximat.* Infra hoc lib. *Dumque iam iuxtim proximamus.* simile lib. 10. *consistens proxime.* *Serta et soluta* heic, ut et 4. *Floribus sertis et solutis apprecantur.* *Sertis*, in coronam intellige.

ge. sic 6. *Spicas frumentarias in acervo*, *et alias flexiles in corona.* Tertullianus: *Non emo capiti coronam: quid tua interest? puto gratius esse liberis et solutis uti.* Horatius: *Aut flore terrae quem ferunt soluto.*

Ibid. *Et corollis revincto*] More meretricio. vide Curii Fortunatiani locum paulo post adducendum. Noster Lib. 6. *Totum revincta corpus rosis micantibus.*

Ibid. *Et floribus persperso*] Adi 3. 15. et 5. 14. A. Gellium.

Ibid. *Priusquam totum exorberem, clementer invadit*] Longus ποιμεν. 4. Πήρας προκομίσασα παλάθης μοῖραν καὶ ἄρτους τινὰς, ἔδωκε φαγεῖν, καὶ ἐσθίοντος ἀπὸ τοῦ στόματος ἥρπαζε. Idem 1. Ἐδίδασκον αὐτὴν καὶ συρίττειν, καὶ ἀρξαμένης ἐμπνεῖν ἁρπάζων τὴν σύριγγα, χείλεσιν αὐτὸς τοὺς καλάμους ἐπέτρεχεν etc.

Ibid. *Et relictum paululatim labellis minuens*] Zeno Veronensis Serm. de Continentia: *Una cibum praeterea capit, reliquias poculi propinati lambendo, labris exhaurit.* Iuno ad Iovem suum apud Lucianum: Οὐδὲ διψῶν, πολλάκις αἰτεῖς πιεῖν, ἐνίοτε δὲ καὶ ἀπογευσάμενος μόνον, ἔδωκας ἐκείνῳ (Ganymedi) καὶ πιόντος ἀπολαβὼν τὴν κύλικα, ὅσον ὑπόλοιπον ἐν αὐτῇ πίνεις. Apud Curium Fortunatianum: *Meretrix ex tribus amatoribus alium osculata est, alii residuum poculi dedit, alium coronavit: contendunt quem magis diligat.* In Oxon. heic *pullulatim*, i. e. pulli columbini ritu.

Ibid. *Meque respiciens sorbillat*] Heliodorus 7. de Arsace: Ἐπιῤῥοφοῦσάν τε ἅμα, καὶ ἀκλινῶς εἰς τὸν Θεαγένην ἀτενίζουσαν, τοῦ ἔρωτος πλέον ἢ τοῦ κράματος ἕλκουσαν. Contra, inter modestiae pudicitiaeque notas ἀδιαστρόφως τῷ προσώπῳ πίνειν, Paedag. 2. 2. apud Clem. Alexandrinum.

Ibid. *Sorbillat dulciter*] Donatus ad Adelph. *Ut quicquid esset dulcissimum carperes, cyathosque sorbillares.*

Ibid. *Paulisper inguinum fine lacinia remota, impatientiam Veneris Fotidi meae monstrans*] Achilles Tatius Lib. 4. Οὐ δύναταί τις τρωθεὶς ἀνέχεσθαι. Bene autem argumento huiusmodi *impatientiam.* Iuvenalis: *Tunc prurigo morae impatiens.* Arnobius lib. 4. *Concubinis, pellicibus atque amiculis delectatus, impatientiam suam spargebat passim salax Deus.* Gratius in Cynegetico: *Primi complexus, dulcissima prima voluptas: Hunc Veneri dedit impatiens Natura furorem.* Firmicus 6. 30. *Eritque* etc. *ista mulier circa omnem libidinem vitio prostituti pudoris impatiens.* Idem 8. 12. *Puellarum concubitus caeca nocte sectantes, et nimio impatientiae ardore poscentes.* et ibidem cap. 30. *Circa muliebres concubitus semper impatientes.* Quintilianus 15. Declam. *Solaque impatientiae tuae fabula notus.* Ita *amoris impatientiam* Horatii vetus Scholiastes: et *turpis amoris impatientiam* Servius ad Eclog. 10. Valer. Maximus, ubi de Aemilia prioris Africani uxore: *Tantae fuit comitatis et patientiae, ut cum sciret viro suo ancillam ex suis gratam esse, dissimulaverit: ne domitorem orbis Africani impatientiae reum ageret.* ubi frustra Lipsius, *impotentiae*, Alii *imparientiae* reponebant. Illud *inguinum fine* rectissime ex Sallustio (cuius et Nos locum annotaveramus) Elmenhorstius explicavit. Sumpsit ab eodem Scriptore Noster et vocem *inquies*, id est, *inquietus.* sic *impes impetus* in vet. Glossario. et *Inquies, etis:* ἀκάματος, in vetere Onomastico.

Ibid. *Arcum meum* etc. *vigor attendit*] Hinc *Tentum*, αἰδοῖον: in veteri Onomastico.

Ibid. *Formido ne nervus rigoris nimietate rumpatur*] Erat nempe *Difficile et laboriosum In tentigine tamdiu morari.* Apud Aristophanem suribundus ille: Οἴμοι κακοδαίμων, οἷος ὁ σπασμὸς μ' ἔχει! Χ' ὁ τέτανος ὥσπερ ἐπὶ τροχοῦ στρεβλούμενον. Et bene hic *rumpatur.* Donatus ad Phormionem: *Immoderatae plerumque vires adducendo arcu, non telum incitant, sed nervum rumpunt.* Et alibi ad eandem Comoediam: *In nervum ibit. Proverbio tracto a sagittariis, cum vis conatusque tendentis arcum non in volatum teli, sed in ruptionem nervi expetatur.* Diogenianus ex Luciano: Ἀποῤῥαγήσεται τεινόμενον τὸ καλώδιον. Clemens Paedag. 2. 10. Ἔστι γοῦν συνιδεῖν ἐξ αὐτῆς (συνουσίας) καθάπερ στήμονας τὰ νεῦρα διαφορούμενα, καὶ περὶ τὴν ἐπίτασιν τῆς ὁμιλίας διαῤῥηγνύμενα. Notanda et *rigoris* vox. Ovidius: *Caeditur et rigido custodi ruris asellus.* id est, Priapo. Petronius: *Tam rigidum illud tibi reddidero quam cornu.*

Ibid. *Ineffusum laxa crinem*] Acu enim aut reticulo retinebatur crinium compago, ne laxius fluerent, et sparsi dissiparentur. Isidorus 19. 31. Seneca Herc. Fur. *Non erubescit Bacchus effusas tener Sparsisse comas.* *Crinis ineffusus* autem quis vel qualis est? in promptu est respondere, *non effusus crinis.* at fors divisim heic *in effusum* legendum. Imo sic scriptum iam video in Oxon. Codice.

Ibid. *Capillo fluenter undante*] Aen. 4. *Mollique fluentem Fronde premit crinem.* Ubi Serv. *Unguentatum*, etc. *aut, prolixum et effusum.*

Ibid. *Laciniis cunctis suis renudata*] Lib. 10. de altera illa, *Cuncto tegmine spoliata.* Iuvenalis: *Exuet omnem Corporis ornatum: quid enim ulla negaverit udis Inguinibus?* Ubi nescio an ad mentem Poëtae Scholiastes, potius est ut Appuleium ad sententiam Poëtae putem. τὸ *suis* abest a Palat. et Oxon. Codice.

Pag. 32. *Glabellum feminal rosea palmula* etc.] Hunc locum restitui olim ad ea Apologiae: *Interfeminium tegat et femoris obiectu, et palmae velamento.*

Ibid.

Ibid. *Potius obumbrans de industria quam tegens verecundiâ*] Lib. 9. *Scissili centunculo magis inumbrati quam obtecti.*

Ibid. *Nec enim tibi cedam, nec terga vertam: cominus in aspectum, si vir es, dirige*] Apud Plautum venereo certamine congressura illa, *Me sisto, ades, contra sisto ego tibi, Et mihi contra itidem ut sistas suadeo.* De Crate Cynico Noster in Floridorum Excerptis: *Coramque virginem imminuisset, paratam pari constantia, ni Zeno*, etc. Nota et formulam *si vir es.* Maximinus apud Iul. Capitolinum: *Si viri estis.* Curtius lib. 9. *Et postulare, ut, si vir esset, postridie ferro secum decerneret.* Aeneid. 6. *Vis ut nulla virum* etc. ubi Servius: *Virum, non ad secum retulit, sed ad virtutem: hoc est, virorum fortium.* Lucretia moritura, ad patrem et maritum: Ὑμεῖς, εἴπερ ἄνδρες ἐστε etc. ἐμοὶ τιμωρήσατε. Horatius: *Si quid in Flacco viri est.*

Ibid. *Cominus* etc. *dirige*] *Certandum est cominus armis.*

Ibid. *In aspectum*] Haec non agnoscit Palatinus nec Oxoniensis MS. quia tamen *terga non vortam* continuo praecessit, non ego auctor sim illa e contextu eiiciendi.

Ibid. *Et grassare gnaviter, et occide moriturus*] Non capio: an sic? *Et grassare g. aut occide* (penult. correpta) *moriturus.* Id est, Et me vince, me prosterne, aut ipse in hac arena periturum certissime scito. Homerus: Ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σε. Agatharcides apud Photium: Ἢ γὰρ ἀποκτεῖναι χρὴ, ἢ τελευτᾶν. Hieronymus in Epistolis: *Si fugero, gladium devitavi: si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum.* Gellius 7. 3. *Gladiatori composito ad pugnandum pugnae haec proposita sors est, aut occidere si occupaverit, aut occumbere si cessaverit.* Apud Livium Romanus Dux in Gallos pugnaturus: *In belluas strinximus ferrum, hauriendus aut dandus sanguis.* Panaegyristes ad Constantinum: *Quibus suo cuiusque fato aut vincendum est, aut cadendum.* Apud Tacitum Annal. 14. *Vincendum illa acie, aut cadendum.* Catullus: *Cum saevum contra cupiens contendere monstrum, Aut mortem oppeteret Theseus, aut praemia laudis.*

Ibid. *Hodierna pugna non habet missionem*] Aristoph. Acharn. Σκῆψιν ἀγὼν οὗτος οὐκ ἐσδέξεται. id est, πρόφασιν: falsus enim qui Latine vertebat. Plato 6. de Legg. Ἀγῶνα προφάσεις οὐ πάνυ δέχεσθαί φασι. Hesychius: Σκῆψις, πρόφασις. Seneca 1. 12. de Ira, *Ad pugnam vocavit Iovem, et sine missione.* Florus 3. 20. *Et, quod sub gladiatore Duce oportuit, sine missione pugnatum est.*

Ibid. *Inscenso grabatulo* etc.] Lib. 1. *Inscenso grabatulo, ad exitium sublimatum.* Lib. 5. *Iam aderat* etc. *maritus, et torum inscenderat.*

Ibid. *Super me sensim residens*] Horatius: *Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum.* Scholiastes: *Supinum, quia mulier ascendit super marem.*

Ibid. *Lubricisque gestibus mobilem spinam quatiens*] Ovid. *Spemque dat in molli mobilis esse toro. Versare mobilem natem* Tibullus dixit. Horatius (iam citatus) *equum clunibus agitare.* Lucretius: *Suâ causâ consuerunt scorta moveri, Ne complerentur crebro, gravidaeque iacerent: Et simul ipsa viris Venus ut concinnior esset.* Ex quo, ut videtur, Donatus ad Eunuchum: *Scorta* ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, *palpitare: quod illae faciunt saltando assidue*, (Appuleius heic, *crebro subsiliens*) etc. *et ut concinniorem Venerem exhibeant viris.*

Ibid. *Pendulae Veneris fructu* etc.] Iuvenalis: *Pendentis praemia coxae.*

Ibid. *Lassis animis et marcidis artubus defatigati*] Melius ita fortasse: *Lassis artubus, et marcidis animis d.* Ovidius: *Simul ad metas venit finita voluptas, Lassaque cum tota corpora mente iacent.* Virgil. Aeneid. 8. *Notusque medullas Intravit calor, et labefacta per ossa cucurrit.* ubi Servius: *Si ossa labefecit, multo magis animum.* Tertullianus (qui et vocem *marcescendi* usurpat.) *In ipso ultimo voluptatis aestu quo genitale virus expellitur, nonne aliquid de anima sentimus exire? et ideo marcescimus ac devigescimus.* Lucretius *liquescere* dixit: *Membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt.*

Ibid. *Defatigati*] Lucret. *Absumunt vires, pereuntque labore.* Petronius simili negotio: *Inter sudores et anhelitus.*

Ibid. *His, et huiusmodi colluctationibus, ad confinia lucis usque pervigiles egimus*] *Aequarunt nocti ludum, in lucemque tulerunt.* Solomo 7. 8. ex meretricis persona: Ἀπολαύσωμεν φιλίας ἕως ὄρθρου. Infra lib. 5. de Cupidine: *Torum inscenderat, et uxorem sibi Psychen fecerat, et ante lucis exortum propere discesserat.* Ait *pervigiles* Appuleius. sic 10. argumento simili: *Operosa et pervigili nocte transacta.* Quintilian. 3. Declam. *Cum alii excubent armati*, etc. *tribunus inter scorta volutabitur? et has solas vigilias aget?* Catullus: *Qui cum matre atque sorore Prurit, et abiectis pervigilat tunicis.* Aristaenetus 1. 16. Δι' ὅλης νυκτὸς ἁμιλλώμενοι.

Ibid. *Ad confinia lucis*] Aurorae, de quâ Ovidius: *Quod teneat lucis, teneat confinia noctis.* Pollux 6. 19. Τὸ διαπαννυχίσαι, καὶ διανυκτιρεῦσαι ἂν εἴποις etc. καὶ παραπέμψαι τὴν νύκτα εἰς τὸν ἥλιον, etc.

Ibid. *Poculis voluptatem integrantes*] Theodorus Priscianus: *Quae per potiones acceptas virile semper officium reparant.* Vide supra pag. 148. hanc in mentem notata.

Ibid. *Mecum magnopere* etc.] Oxon. *De me magnopere.*

Ibid. *Impendio excusarem*] *Intense.* Onomast. vet. *Impendio*, ἐκτόπως.

Ibid. *Ego igitur Fotis erat adeunda, deque eius nutu consilium* etc. *petendum*] In Plautina Trinummo ille: *Ibo ad meum castigatorem, atque ab eo consilium petam.* In Terentii Phormione: *Frater est exspectandus mihi, Is quod mihi dederit hac de re consilium, id sequar.* Et nota heic vocem *nutu.* Lucretius pari argumento: *Alterius sub nutu degitur aetas.* Servius ad Aen. 8. ex Augusti Imp. Commentariis: *Antonium iussisse ut legiones suae apud Cleopatram excubarent, eiusque nutu ac iussu parerent.* sic in Arriani Epictetaeis 4. 13. νευμάτιον παιδισκαρίου.

Ibid. *Amatoriae militiae*] Ovid. *Militat omnis amans.* Horatius: *Vixi puellis nuper idoneus, Et militavi non sine gloria.*

Ibid. *Cave regrediare coena maturius*] Coniecerat Vir summus Casaubonus *immaturius:* at rectum est *maturius.* nam heic *cave* est *vide.* sic infra: *Cave diligenter* etc. *cadaver probe custodias.*

Ibid. *Vesana factio nobilissimorum iuvenum pacem publicam infecit*] Tacitus Annal. 13. *Quia forte redeuntibus Principis ministris, quidam per iuvenilem licentiam quae tunc passim exercebatur, immanem metum fecerant.* In l. 28. §. 3. de poen. *Solent quidam, qui vulgo se iuvenes appellant, in quibusdam civitatibus turbulentis se acclamationibus popularium accommodare.* Iustinus Lib. 20. *Trecenti ex iuvenibus sodalitii iure, sacramento* (malim *ceu sacramento*) *quodam nexi* etc. *civitatem in se converterunt.* Et nota *nobilissimos iuvenes.* Seneca Epist. 47. *Ostendam nobilissimos iuvenes pantomimorum mancipia.* At hîc *notissimos* malim explicare. sic supra hoc ipso libro *nobiles adolescentulos.* Attius *Ego me Argos referam, nam hic sum nobilis.* Onomasticon vetus: *Nobilis:* γνώριμος. et *nobiles* (i. e. *notas*) *meretrices* olim dictas fuisse docet Servius ad Aeneid. 6. sic infra hìc lib. 5. *Ignobilis maritus.*

Ibid. *Trucidatos per medias plateas videbis iacere*] Lib. 4. *Passim per plateas plurima cerneres iacere semivivorum corporum ferina naufragia.* Et 8. *Denique ob iter illud* etc. *iacere semesa hominum corpora.*

Ibid. *Nec Praesidis auxilia longinqua levare civitatem* etc. *possunt*] Iudic. 18. 27. *Percusserunt eos in ore gladii, urbemque incendio tradiderunt: nullo penitus ferente praesidium, eo quod procul a Sidone habitarent.*

Ibid. *Contemptum etiam peregrinatio poterit afferre*] Apud Heliodorum 7. Σὺ δὲ καὶ ξένος καὶ ἔρημος, καὶ ὁ προσθησόμενος οὐδείς.

Ibid. *Apud primatem feminam*] *Feminam primariam* Cicero et Terentius dixere. sic Novell. 122. τοὺς τῆς πόλεως πρώτους. Interpres vetus *primates civitatis* vertit.

Pag. 33. *Nam gladiolo solito cinctus* etc. *ipse meae salutis praesidia gestabo*] Polynices apud Euripid. Ὡπλισμένος γὰρ χεῖρα τῷ δὲ φασγάνῳ, Τὰ πίστ' ἐμαυτῷ τοῦ θράσους παρέξομαι. Salutis meae praesidia gestabo (inquit). In l. penult. ff. ad leg. Iul. de vi publ. *Qui telum salutis suae tutandae causa gerunt*, etc. vide quae notamus ad illa Libri 3. *Gladiolo, qui me propter huiusmodi pericula comitabatur.*

Ibid. *Ebore nitentes lecti, aureis vestibus intecti*] Philo in de Vita contemplat. Τρίκλινα καὶ περίκλινα χελώνης ἢ ἐλέφαντος κατεσκευασμένα, καὶ τιμαλφεστέρας ὕλης, ὧν τὰ πλεῖστα λιθοκόλλητα· στρωμναὶ ἁλουργεῖς ἐνυφασμένου χρυσοῦ, καὶ ἀνθοβαφεῖς ἕτεραι παντοίων χρωμάτων.

Ibid. *Ampli calices, variae quidem gratiae, sed pretiositatis unius*] Nemo quod sciam de lectione ista dubitavit unquam: ego suspectam habeo eam, legendumque *gazae* crediderim. In de Deo Socratis: *Si ex argento et auro et gemmis monilia variae gazae dependent.* quem locum etiam inclementer tractabant Viri docti illi qui *variegata monilia* scribere adoriebantur.

Ibid. *Pretiositatis unius*] Oxon. *Speciositatis:* quod si scribamus *gazae*, bonum sensum efficiet: nimirum variae aestimationis eos, eiusdem elegantiae fuisse.

Ibid. *Argentum alibi clarum, et aurum fulgurans*] *Collucent pocula mensae, Tota domus gaudet regali splendida gaza.* Phaedrus: *Splendebat hilare poculis convivium; Magno apparatu laeta resonabat domus.*

Ibid. *Puellae scitule ministrantes*] Gellius 2. 23. *Non inscito puellam ministerio.* Iosephus Antiquit. 8. 2. de convivalibus Solomonis ministris: Ἥ τε τῶν ὑπηρετούντων ἐσθὴς, καὶ τὸ μετ' ἐπιστήμης αὐτῶν περὶ τὴν διακονίαν εὐπρεπές.

Ibid. *Puellae scitule ministrantes*] Pherecrates Comicus: Κόραι δ' ἐν ἀμπεχόναισι τριγλύφοις Ἡβυλλιῶσαι, καὶ τὰ ῥόδα κεκαρμέναι Πλήρεις κύλικας οἴνου μέλανος ἀνθοσμίου Ἤντλουν διὰ χώνης τοῖσι βουλομένοις πιεῖν.

Ibid. *Pueri calamistrati pulchre indusiati*] Philo ubi supra: χιτῶνας ἀραχνοϋφεῖς ἐκλεύκους ἐπαναζωσάμενοι. Apud Ciceronem 2. de Finibus: *Adsint etiam formosi pueri qui ministrent, resplendeat his vestis.* Clemens Alexandr. Οἰνοχέων τε ὅμιλος ἀσκεῖται παρ' αὐτοῖς, καὶ μειρακίων ὡραίων ἀγέλαι etc.

Ibid. *Gemmas formatas in pocula*] Non intelligit, quae *pocula gemmata* Iuvenalis vocat, et λιθοκόλλητα ποτήρια Theophrastus in Characteribus: (de quibus etiam videndus ad Sat. 5. Iuvenalis vetus Scholiastes) sed *pocula ex gemmis*

nis integris constantia. Plinius Prooemio Lib. 33. *Gemmarum turba potamus.* Pacatus in Panaegyrico: *Nisi aestivam in gemmis capacibus glaciem Falerna fregissent.* Virgilius 2. Georg. *Ut gemma bibat.* ubi Servius: *Gemmeo, non gemmato poculo.* Statius in Sylvis: *Hic pocula magno Prima Duci, myrrhasque graves, crystallaque portat.*

Ibid. *Frequenter offerentes*] Georg. 4. *Et plena reponunt Pocula.* ubi Servius: *Iterant, saepe offerunt.*

Ibid. *Illatis luminibus epularis sermo* etc.] Tacitus Histor. 3. de Vitellio: *Turrim vicino (i. e. in vicino) sitam collucere per noctem crebris luminibus animadvertit, sciscitanti causam, apud Cecinam Tuscum epulari multos* etc. *nunciatur.* Lucretius: *Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur.* adde iam statim producendum e Luciano locum.

Ibid. *Iam* etc. *epularis sermo percrebuit: iam risus affluens, et ioci liberales, et cavillus*] Lib. 1. *Iam adlubentia proclivis est sermonis et ioci: et scitum est cavillum.* Plutarchus in Convivio: Οὐκ ὡς ἀγγεῖον ἥκει κομίζων ἑαυτὸν ἐμπλῆσαι πρὸς τὸ δεῖπνον ὁ νοῦν ἔχων, ἀλλὰ καὶ σπουδάσαι τι, καὶ παῖξαι, καὶ ἀκοῦσαι, καὶ εἰπεῖν ὅ ὁ καιρὸς παρακαλεῖ τοὺς συνόντας, εἰ μέλλουσι μετ' ἀλλήλων ἡδέως ἔσεσθαι. Lucianus Promotheo: Ἣν ἀφέλοι τις τῶν συμποσίων τὰς κόμψεις, σκώμματα, καὶ τὸ σιλλαίνειν, καὶ ἐπιγελᾷν, τὸ καταλειπόμενον ἐστι μέθη, καὶ κόρος, καὶ σιωπὴ, σκυθρωπὰ καὶ ἀτερπῆ πράγματα. Idem in Lapith. Ἤδη δὲ καὶ ἐς τοὺς ἄλλους συνεχῶς περιεσοβεῖτο ἡ κύλιξ· καὶ φιλοτησίαι, καὶ ὁμιλίαι, καὶ φῶτα εἰσεκεκόμιστο. Eunapius in Proaeresio: Χαρμονὴ ἦν περὶ τὴν οἰκίαν· καὶ οἱ μὲν ἐγέλων, οἱ δὲ ἐχλεύαζον. *Ioci liberales* heic, ut apud Plinium in Panaegyrico: *Neque enim obscoena petulantia mensis Principis inerrat, sed benigna invitatio, et liberales ioci.* Macrob. Satur. 2. de Augusto: *Affectavit iocos, salvo tamen maiestatis pudorisque respectu: nec ut caderet in scurram.* quod ἄνευ βωμολοχίας σκώπτειν Porphyrius 4. περὶ ἀποχῆς vocat.

Ibid. *Quam commode versaris in nostra patria?*] Terent. 3. 5. Andr. *Quid vos? quo pacto hic? satin' recte?* ubi Donatus: *Significatio est peregrinantis.* Casaubonus heic: *Comment vous trouvez vous en nostre pais?*

Ibid. *Quod sciam* etc.] Id est, *certe*, aut, *ni fallor.* lib. 5. *Quod sciam, fidei atque parciloquii mei documenta perpendisti.* 6. *Quod sciam, soles periclitantibus ultro subvenire.* et 9. *Non enim ovum quod scimus, illud, etc. sed pinnis et unguibus partum perfectum edidit.* Quintilianus 9. Declam. *Quod scio, victis etiam gladiatores parcunt.* Hieronymus in Epistolis: *Si frigus fuerit, etc. ligna non coëmam, et calidius vigilabo, vel dormiam: certe, quod sciam, vilius non algebo.* Et saepius Tertullianus. Locutio Plautina est: *Menechme vigila. Vigilo hercle quod sciam.* Ibidem: *Est tibi Menechmo nomen tamen quod sciam.*

Ibid. *Utensilium praeterea pollemus affatim*] *Utensilia* (quae cuiusmodi sunt enarravit nemo) sunt *copiae*, *provisions de bouche.* Tacitus (qui Nostro quasi promptuarium) Annal. 2. *Quasque copias frumenti, et omnium utensilium quaeque natio penderet.* Et Annal. 15. *Subvectaque utensilia ab Hostia, et propinquis municipiis, pretiumque frumenti minutum* etc. In l. 12. §. 28. ff. de instruct. vel instrum. leg. *Vina quoque, si qua ibi fuerint usus ipsius causa, continentur: et si quid aliud utensilium.* Seneca Epist. 87. *M. Cato Censorius cantherio vehebatur, et hipposperis quidem impositis, ut secum utensilia portaret.* Quo loco otiose Elmenhorstius *utilia* reponebat. In Glossis Isidori dictis: *Utensilia, viatici sumptus.* Imo vox utraque in usu, vox utraque res easdem designat. Sic in vet. Onomast. *Utensilis, utilis,* χρειώδης. Ammianus 14. *Ne cedentium quidem ulli parcendo, obtruncatis omnibus, merces opimas vel utiles* etc. *avertebant.* Idem lib. 25. *Absumptis omnibus quae mandi poterant, utilibus* etc. *furebat inedia iraque percitus miles.* Et lib. 31. *Hac spe nimirum, ut* etc. *multitudo hostium* etc. *periret inedia, cunctis ad vivendum utilibus in validas civitates comportatis.* Aurelius Victor de Actuariis in vita Galieni: *Genus hominum nequam, venale, callidum,* etc. *annonae dominans: eoque utilia curantibus, et fortunis aratorum infestum.*

Ibid. *Omni denique Provinciae voluptarii secessus sumus*] Salvianus lib. 7. *Nemini dubium est Aquitanos omnes populos medullam fore omnium Galliarum, et uber totius foecunditatis: sed,* (melius, *sed et*) *quae praeponi interdum faecunditati solent, voluptatis, iucunditatis, pulchritudinis.* Pro *secessus*, Vir doctus ex MS. *successus* reponebat: at nil mutatione opus. *Secessum* Noster vocat quem Cassiodorus *digressionem.* Ita de Campanis ille 12. 22. *Urbis regiae cella penaria, voluptuosa nimis, et delicata digressio.*

Ibid. *Ad haec ego subiiciens* etc.] Supra lib. 1. *Ad haec ego risum subiicio.* sic enim legendum monuimus.

Ibid. *Coecas et inevitabiles latebras Magicae disciplinae*] Olim ad Apolog. pag. 80. dixi.

Ibid. *Sed et bustis et rogis reliquiae quaedam, et cadaverum praesegmina* etc.] Onomast. vetus: *Praesegmina,* ἀποκόμματα. Fulgentius: *Praesegmina sunt partes corporis incisae: ut Tages in Haruspicina. Praesegminibus amputatis.* Hesychius: Τομία, τὰ ἀποτμήματα καὶ ἀκρωτηριάσματα τοῦ νεκροῦ, etc. vide et in Τυμβάδες.

δες. Apud Quintilianum 15. Declamat. *Tumulos, busta scrutari, et amputatis cadaveribus ipsas in scelus armare manus* etc. Lucanus de Venefica: *Et quacunque iacet nudum tellure cadaver, Ante feras volucresque sedet.* In verbis Quintiliani legendum *ipsis:* neque aliud enim videtur velle quam quod Appuleius heic: *Ne mortuorum quidem sepulchra tuta dicuntur* etc. In Appuleio enim fortasse scribendum, *Sed et a bustis* etc.

Pag. 34. *Et nescio qui simile passus, ore undique omnifariam deformato truncatus est*] Seneca in de Ira 3. 17. *Oris truncati mutilatique deformitas.* Pro *est*, in Auctore nostro videtur *adest* legendum.

Ibid. *Illicentiosus cachinnus*] Scribe *licentiosus.* Sic 4. *lamentiones licentiosas.* 5. *licentiosi amplexus.* et ibid. *licentiosa temeritas.* Gloss. παῤῥησιαστικὸς, *licentiosus.*

Ibid. *Qui cunctorum obstinatione confusus* etc.] Horatius: *Quid iste fert tumultus? aut quid omnium Vultus in me unum truces?* Philostratus 4. 6. Αἰδῷ ἐσπάσατο, πάντων εἰς αὐτὸν ἐστραμμένων. Hesychius: Κατῄδεσαν αὐτὸν: αἰσχυνθῆναι αὐτὸν ἐποίησαν. Infra lib. 3. *Sic omnium oculis* etc. *denotatus, impos animi stupebam.*

Ibid. *Indigna murmurabundus*] Χολωσάμενος φρέσιν ᾗσιν. *Irritato animo indignabundus*, ut apud Gellium 19. 3. ille. Virgilius de ventis: *Indignantes magno cum murmure.* Palat. et Oxon. MSS. *indigne m.* at illud *indigna* Graecum est, et ideo Appuleianum satis. Pro *murmurabundus* male alius MS. *mirabundus.* Ovidius: *Iram vultus habet, pro verbis murmura reddunt.* Seneca Apocol. *Excandescit* etc. *Claudius, et quanto potest murmure irascitur.*

Ibid. *Fabulam istam tuam remetire*] Lib. 9. *Non cessat obtundere, totam prorsus a principio promeret fabulam.*

Ibid. *Ut filius iste meus Lucius, lepidi sermonis tui comitate fruatur*] Apud Achillem Tatium lib. 8. Λέγω πρὸς αὐτὴν (Leucippen) Οὐκ ἐρεῖς ἡμῖν τὸν μῦθον τῶν τῆς Φάρου λῃστῶν, etc. ἵνα σου καὶ ὁ πατὴρ ἀκούσῃ; *Lepidi sermonis*, ut initio lib. 1. *Auresque tuas lepido susurro permulceam.*

Ibid. *Tu quidem in officio manes* etc.] Lib. 5. *Vos quidem carissimae sorores in officio vestrae pietatis permanetis.* Cicero ad Atticum: *Quod verita sit ne Latinae in officio non manerent.* Tacitus Annal. 3. *Pauci equitum corrupti, caeteri in officio mansere.* Terent. Phor. 4. 5. *Nos nostro officio nihil digressos.* Egesippus 4. 9. *Clypeis se tegebant, manentes in officio.* Vide et l. 17. §. 16. ff. de Aedilit. edict.

Ibid. *Adiuratione suae salutis*] Lib. 9. *Suam, suorumque carorum salutem* etc. *adiurans.* Et 8. *Per salutem Geniosque vestros.*]

Ibid. *Aggeratis in cumulum stragulis*] Nec male *aggestis* scribas. Lib. 1. *Grabatulo pone cardines supposito atque aggesto.* at bene Cod. Palat. *aggregatis.* lib. 9. *In rectum aggregata cumulum.* In veteri Onomastico: *Aggrego*, ἐπισυναθροίζω. Potest permitti tamen *aggeratis.* Infra hic lib. 4. *Spinetis quaqua versus aggeratus.* Glossae: Ἐπισωρεύω: *Coaggero, congero, cumulo*, etc.

Ibid. *Et effultis in cubitum* etc.] Sic editi omnes, quasi nempe de stragulis lecti Appuleius loquatur. sed, nisi animi fallor, *effultus* scribendum. Servius ad 6. Eclog. *Apud Veteres unusquisque eo super quod iacebat, fultus dicebatur.* Lucilius 3. *Et pulvino fultus.* Lucianus Asino: Κατακλίνεσθαί με ἐπὶ κλίνης, ὥσπερ ἄνθρωπον ἐπ' ἀγκῶνος ἐποίησεν. Hesychius: Ἀπηγκωνισμένος, ἐν σχήματι τὸν ἀγκῶνα ἀποτετακώς. Suidas: Διαγκωνισάμενος, ἐπ' ἀγκῶνος καθίσας. Clemens Paedag. 2. 7. Ἀμετασάλευτοι, τοῖς ἀγκῶσιν ἐρηρεισμένοι. *Levato in cubitum corpore*, Curtius Lib. 3. dixit. Philo μετεωρίζειν ἑαυτὸν, καὶ τὸν ἀγκῶνα πήγνυσθαι. Hegesippus 1. 45. de Herode: *Paulisper sese attollens, cubitoque adnixus.* et passim apud Scriptores hic habitus loqui incipientis. Homerus: Ὀρθωθεὶς δ' ἄρ' ἐπ' ἀγκῶνος, κεφαλὴν ἐπαείρας, Ἀτρεΐδην προσέειπεν, etc. ubi et ad verbum ὀρθωθεὶς advertendum. Gloss. vett. excerpt. *Fulciri*, ἀνορθωθῆναι. De Christo Nonnus: Καὶ παλάμης ἀγκῶνα παλινδίνητον ἐρείσας, Ἀκρότατον περὶ κύκλον ὁμοστόργοιο τραπέζης, Εἶπεν ἑοῖς ἑτάροις, etc. Herodianus de Marco Imperatore: Ἡσυχῇ τοῦ σκίμποδος κουφίσας ἑαυτὸν, τοιούτων λόγων ἤρξατο. Petronius: *Erectus in cubitum hac fere oratione contumacem vexavi.* Ovidius Metam. 8. *Quem facta audire volentem Mira Deûm, nixus cubito Caledonius amnis, Talibus alloquitur.* Cornel. Nepos de Attico: *Hos ut venisse vidit, in cubitum nixus: Quantam, inquit, curam diligentiamque* etc. Lucianus in de Luctu: Ἂν λέγῃ ταῦτα ὁ νεκρὸς ἐπιστραφεὶς, ἀνακλίνας αὐτὸν ἐπ' ἀγκῶνος, οὐκ ἂν οἰώμεθα δικαιότατα αὐτὸν εἰπεῖν; Propertius 1. 3. *Sic ait, in molli fulta toro cubitum.*

Ibid. *Suberectusque in torum*] Hesychius: Ὀρθωθεὶς, ἀναστάς. Qui id ex parte facit, se suberigit. est itaque quod Luc. 7. 25. ἀνακαθίζειν.

Ibid. *Infesto pollice clementer subrigens*] Quintilianus 11. 3. *Manum infesto pollice extendit.* Est quidem Graecis *subrigere*, ἀνορθοῦν, ὑποστηρίζειν. at non huc quadrat acceptio ea: quid ergo est? quid aliud, nisi hanc falsam lectionem esse, inque locum eius (quod et mihi in mentem venit) *subridens* ex Oxoniensi reponendum? *clementer subridens* heic, ut e converso lib. 6. ama-

amarum subrideas. In vetere Onomastico: *Sub rideo: ὑπομειδιάω.* Gloss. Philoxeni: Ὑπομειδιάω. *Subrideo.*

Ibid. *Et dum singula pererrans* etc.] Initio libri istius: *Ac dum* etc. *ostiatim singula pererro* etc.

Ibid. *Tenuato viatico paupertati meae fomenta conquiro*] Lib. 4. *Tenuato ventri sordentia supplementa* etc. *conquirere.*

Ibid. *Conspicor medio foro* etc.] Id est, *in foro conspicor.* sic in Apologia: *Turbabat* etc. *in medio foro bacchabundus.* Vide ad Matth. 14. 24. notata.

Pag. 35. *Insistebat lapidem*] Servius ad Aen. 6. *Insisto illam rem dicimus, non, illi rei: quod qui dicunt, decipiuntur, propter, insto illi rei.* Infra hic: *Editiorem quendam lapidem insistebam.* Vide Hesychium in Κηρύκιον.

Ibid. *Si qui mortuum servare vellet* etc.] Firmicus 3. 11. *Faciet cadaverum mortuorum custodes, aut sepulchrorum ianitores.*

Ibid. *Quid hoc, inquam, comperior?*] Oxon. *Quid heic i. c.* male. est enim heic ellipsis quae in illis Luc. 16. 2. τι τοῦτο ἀκούω.

Ibid. *Hiccine mortui solent aufugere?*] Ambrosius in cap. 10. Tobiae: *Quoties vidi a feneratoribus teneri defunctos pro pignore, et negari tumulum dum fenus exposcitur! quibus ego* etc. *Tenete reum vestrum: et, ne vobis elabi possit, domum ducite.*

Ibid. *Oppido puer es*] Id est, (ut 1. Cor. 14. 10.) φρεσὶ παιδίον. Basilius in Asceticis: Διαφέρει οὐδὲν τοῦ νηπίου καθ' ἡλικίαν ὁ ταῖς φρεσὶ νηπιάζων. Lucretius: *Et qualis puero sententia, pectore simplex.* Lucianus Βαλαν. Ἐν ᾗ παῖδας τοὺς πρὸ αὐτοῦ ἀπέφηνεν.

Ibid. *Satis peregrinus, meritoque ignoras Thessaliae te consistere*] Infra lib. 8. *An nulli scitis quo loco consederitis?* Arrianus 2. 13. in Epictetum: Ξένον καλῶ αὐτὸν καὶ λέγω· Οὗτος ὁ ἄνθρωπος οὐκ οἶδε ποῦ τῆς γῆς ἐστι. Donatus ad Phormionem: *Hospes, nomen aptum imprudenti rerum, atque alieno ab earum scientia.* Quid autem illud *merito ignorare?* aut quae constructio illa, *Thessaliae consistere?* ni nimium fallit me coniectura mea, scribendum, *medioque ignoras T. t. c.* Supra in libri limine, *reputansque me media Thessaliae loca tenere.* Falluntur porro eruditi *sane peregrinus* scribentes. Infra lib. 4. *Satis curiosa avis.* et passim adiectivis id vocis Appuleius iungit.

Ibid. *Perpetem noctem* etc. *vigilandum est*] Iustinus 5. *Atque ibi (in foro) perpeti nocte fortunam publicam questibus iterant.* Mamertinus Panaegyr. *Dies noctesque perpeti sollicitudine* etc. *transigere.* Lactantius 7. 26. *Per annos septem perpetes.*

Ibid. *Nec acies usquam divertenda*] Gellius 13. 26. *Nusquam connivens, nusquam aciem suam flectens.* Qui locus alterum eiusdem huc allatum sanum evincit, nec fuisse cur P. Colvius *inconnivus* reponeret.

Ibid. *Versipelles*] Glossae: Κυνάνθρωπος, *versipellis.*

Ibid. *Nam et aves, et ursum, et canes, et mures* etc. *induunt*] Apud Lucianum in Philopseude: Ἐπιστὰς ἐπειρᾶτό μου λαβεῖν, etc. καὶ ἄρτι μὲν κύων, ἄρτι μὲν ταῦρος γιγνόμενος, ἢ λέων, etc. In Oxon. et aliis MSS. *aves, et rursum canes* etc.

Ibid. *Quantas latebras comminiscuntur*] μηχανάς. Sic Gellius 17. 9. *latebram scribendi* dixit.

Ibid. *Et, quod pene praeterieram*] Infra lib. 3. *Sed, quod sciscitari pene praeterii.* Plaut. Paen. *Et hoc quoque etiam, quod pene oblitus fui.*

Ibid. *Id omne de sua facie resectum sarcire compellitur*] Apposite in Glossario: Ἀποτίνω, *pendo, resarcio.*

Ibid. *Mille, inquit, nummi deponentur tibi*] Sic apud Petronium: *Accipiet nummos mille.*

Pag. 36. *Ineptias mihi narras, et nugas meras*] Suidas: Οὐκ οἶδ' ὅ κρώζεις· ἐπὶ τῶν μάτην θρυλλούντων, ὡς αἱ κορῶναι.

Ibid. *Vides hominem ferreum*] Aiax apud Sophoclem: Τὰ δεινὰ ἐκαρτέρουν τότε βαφῇ σίδηρος ὥς. Philo lib. ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἐλεύθ. Δι' ὅλου νενευρωμένον, οἷα πέτραν καὶ σίδηρον. Artemidorus 1. 52. Σιδηρέους λέγομεν τὰ πολλὰ κακὰ ὑπομένοντας. Aristoph. Acharn. Σιδηροῦς ἀνήρ. ubi Schol. στεῤῥὸς καὶ ἀτέραμνος. Eunapius de Proaeresio: Ἀπαθῆ τινα καὶ σιδήρεον ὑπελάμβανον. Sic Seneca 3. 7. de Ira, *fortem et siliceum* dixit. contrarius ἀνὴρ σύκινος, τοῦτ' ἔστιν, ἀσθενὴς καὶ ἀχρεῖος, exponente ad Eidyll. 10. Theocriti Scholiaste.

Ibid. *Perspicaciorem ipso Lynceo, vel Argo*] Proverbiale et istud. Arrianus 3. 22. in Epictetum: Ἄργος τυφλὸς ἦν πρὸς αὐτόν. Vide et Scholiastem ad Plutum Aristoph. In Oxon. *lince*, non *Lynceo* scriptum.

Ibid. *Et conclave quoddam obseratis luminibus umbrosum demonstrat, matronam flebilem fusca veste contectam*] Servius Fuldens 2. *Ideo lugentibus inimica lux est, quia caruerunt ea hi quos dolent; ideo tenebras petunt, et atra veste amiciuntur, ut videantur cum defunctis agere, imitantes tenebris faciem Inferorum.* Notabilis heic Oxon. Codicis scriptura, *Et cum clave quadam obseratis liminibus umbrosum cubiculum demonstrat, matronamque f.* etc. unde non magna licentia locum sic restituas: *Et cum clave quadam reseratis liminibus, umbrosum demonstrat cubiculum, matronamque f.* etc. Gloss. *Reserat*, ἀνοίγει κυρίως μοχλόν. In vet. Onomast. *Resero*, ἀνοίγω. Si minus hoc arriserit, maneat altera lectio, *obseratis.* In cod. utilissimo Onomast. *Obsero*, περικλείω.

Ibid. *Matronam flebilem, fusca veste contectam*] Servius ad Aeneid. 11. *Lugentium mos est prioris habitus immutatio.* Infra lib. 7. *Fleta et lacrymosa, fuscaque veste contecta.* et 3. *Mulier flebilis, atra veste contecta.* Apud Nonium Ennius: *Quis illaec est quae lugubri succincta est stola?* Artemidorus de nigris vestibus: Οἱ πενθοῦντες τοὺς ἀποθνήσκοντας, τούτοις χρῶνται.

Ibid. *Hic (inquit) auctoratus ad custodiam mariti tui fidenter accessit*] *Auctoratus*, est ὁ πρὸς σίδηρον πραθεὶς, ut bene in Glossario. quod de iuvene isto ad tam manifestum debilitationis periculum elocante se, ingeniosissime dictum.

Ibid. *Illa crinibus antependulis* etc.] Lib. 5. *Crinium globos decoriter impeditos, alios antependulos, alios retropendulos.* 9. *Comas anteventulas* dixit. Florid. 1. *Crines anteventulos et retropendulos.*

Ibid. *Etiam in moerore luculentam proferens faciem*] Notavi in hunc sensum mihi aliquot multos non inelegantes locos, quos hic in medium promere non importunum puto. Isidorus Pelusiota: Τὸ σωματικὸν κάλλος οὐδ' ὑπὸ τῶν ἐκπλήξεων ἀλλοιοῦται, σώζει δ' αὐτὸ, κ' ἂν ἐν δακρύοις ὑπάρχει. Plutarchus de in virt. profic. Τῆς δὲ Πανθίας καὶ δάκρυα καὶ κατήφεια πενθούσης ἄρα καὶ κεκακωμένης ἐξέπληξε τὸν Ἀράσπην. Philostratus in Iconibus: Βλέπει δὲ οὕτω τὶ ἡδὺ καὶ ἀφελὲς, ὡς μηδὲ ὑπὸ τῶν δακρύων τὸ ἵλεον ἐξαλλάττειν. Achilles Tatius de Leucippe: Ἐπλήσθη δακρύων, καὶ εἶχεν αὐτῆς ἴδιον κάλλος καὶ τὰ δάκρυα. Dio Cassius de Cleopatra: Καὶ γὰρ ἐν τῷ πενθίμῳ σχήματι δεινῶς ἐνέπρεπεν. Basilius Seleuciensis 1. de S. Tecla: Οὐδὲν τῶν τοσούτων ἴσχυσεν ἀχλυῶσαι καὶ ἀμαυρῶσαι τὸ αὐτῆς κάλλος. Heliodorus 1. Τραύμασι μὲν κατήκιστο, etc. ἤνθει δὲ καὶ ἐν τούτοις ἀνδρείῳ τῷ κάλλει. Senec. Herc. Oet. *Per ipsas fulget aerumnas decor.* Terentius Phormione: *Capillus passus, pes nudus, ipsa horrida: Lacrymae, vestitus turpis, ut ni vis boni In ipsa inesset forma, haec formam exstinguerent.* Curtius de Darii coniuge iam captiva: *Formae pulchritudine ne illa quidem sorte corrupta.* Manilius de Andromeda: *Servatur tamen in poena vultusque decorque, Supplicia ipsa decent.* Ovid. Metam. 7. *Tristis erat, sed nulla tamen formosior illa Esse potest tristi: tu collige qualis in illa Phoce decor fuerit, quam sic dolor ipse decebat.* Et Amor. 1. *Clamabat flebatque simul sed utrumque decebat, Nec facta est lacrymis turpior illa suis.* Virgil. *Tristior, et lacrymis oculos suffusa nitentes.* ubi Servius: *Dicendo* nitentes, *expressit nimiam etiam in lacrymis pulchritudinem.*

Ibid. *Sine cura sis, inquam,* etc.] *Bono animo es, quod ad huius rei curam pertinet*, ut infra lib. 3. loquitur. Inibo, adnitar saltem inire, post tot editores, tot correctores nonnullam hoc loco bonam a Plauto gratiam. In Pseudolo 1. 3. Adolescens de lenone loquens: *Quid mihi es auctor huic ut mittam, ne amicam hic meam prostituat?* respondet servus: *Bene curassis, liquido es animo; ego pro me et te curabo.* nec aliter ulla hactenus mihi visa editio. ex quâ lectione tamen nil potest elici. Pro *bene* repono *sine:* pro *curassis*, scribo *curâ sis.* Sine curâ sis (inquit) mi here, liquido animo esto: ego pro me et pro te curabo. *Quietus esto, ego curabo*, etc. dixit alius apud Terentium. Sic iterum supra hoc lib. *Sine cura sis, inquam, Fotis mea.* et praeter Nostrum Tacitus, qui sic de Agricola: *Finis vitae eius nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit.* quibus adde et 2. 29. ista A. Gellii: *Hortatur ut tum quoque sine metu ac sine curâ sint.*

Ibid. *Modo corollarium idoneum compara*] Varro 4. de Ling. Lat. *Manupretium a manibus et pretio: corollarium, si additum praeterquam quod debitum: vocabulum fictum a corollis, quod hae, cum placuerant actores, in scaena dari solitae.* Seneca 7. 16. de Benef. *Gubernatori et opifici vilissimae mercis, et in diem se locanti, corollarium aspersimus.* Gloss. *Corollarium*, εὐχάρισμα. Onomast. vet. laudatissimum: *Corollarium*, ἐπιφορά.

Ibid. *Introductis quibusdam septem testibus*] Τὸ *septem* delet Wowerius Elmenhorstio approbante. male faciunt ambo. Infra heic, *Tres quidam vegetis* etc. [*corporibus.* Sic Act. 19. 14. ἑπτά τινες.

Ibid. *Diutine visu praefleto*] Statius: *Dilectosque premis vultus, et frigida lambis Oscula.*

Ibid. *Obtestata fidem praesentium*] Lib. 9. *Cunctos testatur incoram.*

Ibid. *Singula demonstrat anxie membra, contacta* etc.] In quibusdam est *contecta:* Lipsius *contacta:* legendum *contrectata* puto. Tacitus de Nerone: *Adduntur his atrociora, nec incertis Auctoribus: ad visendum interfectae* (Agrippinae) *cadaver adcurrisse: contrectasse membra: alia vituperasse, alia laudasse*, etc. Utrobique vides de *cadavere* agi.

Ibid. *Quodam tabulis praenotante*] Ammianus Lib. 28. *Cum haec eadem numerantes* [*notarii* *prope triginta adsistant cum thecis et pugillaribus.*

Ibid. *Salvae aures, illibata labia, mentum solidum*] Sidonius 7. 5. *Omnia* [*censurae tuae salva, illibata, solida servantur.* Quae cum scriberet, Appuleianum hunc locum sectatum esse satis obvium est.

Ibid. *Vos in hanc rem boni Quirites testimonium*

nium perhibetote] Et hîc, ut supra paulo, mos testamenta condentium respicitur. Testator 4. 24. apud Isidorum: *Haec uti in his tabulis cerisque scripta sunt, ita videtur, ita lego, ita dico. itaque vos cives Romani testimonium perhibetote mihi.*

Ibid. *Et oleum ad lumen luci sufficiens*] Pollux. 6. 19. Τὸ διαπαννυχίσαι καὶ διανυκτερεῦσαι ἂν εἴποις etc. καὶ παραπέμψαι τὴν νύκτα ἔς τε τὸν ἥλιον, καὶ τὸν λύχνον τὸν τούτοις καιόμενον, πάννυχον.

Pag. 37. *Tum illa capite quassanti, Abi, inquit, fatue, qui in domo funesta coenas et partes requiris*] Lib. 8. *At ille diu capite quassanti, Vos autem, inquit, de cibo vel poculo, vel omnino ulla refectione cogitatis? Coenas et partes*, ἓν διὰ δυοῖν. id est, ut paulo supra, *reliquias.* Petronius: *Diversitor cum parte coenae intervenit.*

Ibid. *In domo* etc. *in quâ totiugis iam diebus ne fumus quidem visus est ullus*] *Algebat clauso nuda culina foco.* Scholiastes ad Acharnens. Aristophanis: Τὸ πῦρ εὐωχίας σημαντικόν. Supra Lib. 1. *In cuius hospitio nec fumi nec nidoris nebulam vererer.* Artemidorus 2. 9. Ἄνευ τοῦ τροφῆς παρασκευάζεσθαι, οὐκ ἔστιν ἐφ' ἑστιάς πῦρ ἰδεῖν. Iuvenalis: *Tum gemimus casus Urbis, tunc odimus ignem.* Scholiastes: *Nec focum in nostra domo fieri patimur, quod et lugentes observare solent.*

Ibid. *An isthuc commissatum te venisse credis?*] Glossarium: *Commissatum*, ἐπὶ κῶμον.

Ibid. *Haec simul dicens, respexit ancillam*] 8. *Hic me simul domi* etc. *conspexit.* Supra hîc: *Haec simul dicens, in me respexit.* Fortassis in hac locutione Iuvenalis post tot emendatores emendandus. Legimus Sat. 4. *Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo Ostrea, callebat primo deprendere morsu; Et simul aspecti dicebat littus echini.* ubi vulgo *semel* editur. tale infra hîc 8. *Officiis inferialibus statim peractis.*

Ibid. *Perfrictis oculis, et obarmatis ad vigilias*] Omnino legi sic debet, non *perstrictis.* Infra lib. 3. *Defrictis pupulis, an vigilarem scire quaerebam. Oculos ad vigilias obfirmare* hîc, est quod 6. *inconnivae vigiliae lumina addicere.* Heliodoro, τὸν ὕπνον ἐπιπολὺ ἐπιφερόμενον διαθεῖσθαι. Senecae *caligantes oculos in opere detinere.*

Ibid. *Nox intempesta, mihique formido cumulatior*] Virgilius: *Simul ipsa silentia terrent.* Idem: *Hinc exaudiri voces et verba vocantis Visa viri, nox cum terras obscura teneret.* ubi Servius: *Ut augeret terrorem, tempus adiecit* etc.

Ibid. *Obtutum acerrimum in me destituit*] Gloss. *Obtutus*, ἔντασις ὀμμάτων. et in alio, Ἀτενισμὸς, *obtutus* etc. Virgil. 7. *Defixa Latinus Obtutu tenet ora.* et 11. *Obtutuque haeret defixus in uno.*

Ibid. *Ut tantillulum animalis prae nimia sui fiducia mihi turbaverit animum*] Nil equidem mutem, nec spernenda tamen cuiusdam MS. lectio, *praesentia sua fiduciam mihi turbaverit et animum:* figurâ ἓν διὰ δυοῖν dictâ. Infra hoc lib. *Ac ne praesentiâ quidem nostra tantillum conterriti* etc.

Ibid. *Quin abis?*] *Comminantis est, et abigentis a se.* Donat. ad Terentii Andr.

Ibid. *Teque ad tui similes musculos recondis?*] Oxon. *Teque atque tui* etc. eo recidit quod et ex alio MS. Colvius produxit.

Ibid. *Terga vertit*] Glossae: Εἰς φυγὴν δίδωμι. *terga do.*

Ibid. *Nec mora, cum me somnus profundus* etc.] Homerus: Πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

Ibid. *Quis esset magis mortuus*] Id est, *uter.* Vide ad Matth. 9. 5. et 21. 31. notata.

Ibid. *Et indigens alieno custode*] Simile apud Scriptorem ad Hebraeos 5. 12.

Ibid. *Pene ibi non eram*] Post vocem non *pene*, sed *custode* distinctio ponenda. Amator adolescens apud Plautum Cistell. *Nullam mentem Animi habeo: ubi sum ibi non sum.* At proxime ad sensum Philostratus 2. 14. Καθεύδοντες, ἐκτείνουσιν ἑαυτοὺς ὥσπερ οἱ ἀποθνήσκοντες, ὅθεν μετά τινος λήθης ἀνίστανται, καὶ ἄλλοσε ποι μᾶλλον εἰσὶν ἢ οὗπερ εἶναι δοκοῦσι. Simile illud infra lib. 3. *Praesentis facti stupore defixus, quidvis aliud magis videbar esse quam Lucius.*

Ibid. *Cantus perstrepebat cristatae gallorum cohortis*] Illud *gallorum* ab importuna manu irrepsit, abestque ab Oxon. Cod. Martialis: *Cristataeque sonant undique lucis aves.*

Ibid. *Uxor misella* etc. *introrupit anxia, et statim corpori superruens* etc.] De Charite lib. 8. *Mariti cadaver adcurrit, labantique spiritu totam se super corpus effudit.* Pro *corpori* malim *corpus superruens.* Supra lib. 1. *Socratem superruo.*

Ibid. *Cum hesternis testibus*] Oxon. *cum extenis t.* unde forsan *septenis* legendum. Supra in hac ipsa fabula: *Introductis quibusdam septem testibus.*

Pag. 38. *Sub arbitrio luminis*] Ammianus lib. 28. *Vestes luce nitentes arbitra.*

Ibid. *Philodespotum requirit actorem, et ei praecipit* etc.] Hic mos opulentiorum: non suis, sed procuratorum manibus et dabant et solvebant. Matth. 20. 8. Λέγει ὁ Κύριος τοῦ ἀμπελῶνος τῷ ἐπιτρόπῳ αὐτοῦ, κάλεσον τοὺς ἐργάτας, καὶ ἀπόδος αὐτοῖς τὸν μισθόν. Infra lib. 4. de divite munerario: *Iubet nobis gaudii sui gerulis decem aureos* etc. *adnumerari.* Vox *Philodespotus* apte servo tributa. Pollux 3. 8. ex

ex Lysia, ἀνδράποδα φιλοδέσποτα. Sic *amicum Mancipium Domino* Horatius dixit.

Ibid. *Ob sedulum istud ministerium inter caeteros familiares* etc. *nostros dehinc numerabimus*] Lucianus in Reviviscentibus: Τὸ λοιπὸν ἴσθι ἡμέτερος ὤν. Apud Procopium 2 Gothic. Φίλον μὲν αὐτὸν ἐν τοῖς μάλιστα Χοσρόῃ βασιλεῖ ἐκ τοῦ ἔργου τούτου ἰσχυρισάμενος ἔσεσθαι.

Ibid. *Insperato lucro diffusus in gaudium*] *Largioris quaesticuli copia laetatus*, ut infra lib. 11. loquitur.

Ibid. *In aureos refulgentes* etc.] Lib. 9. *Demonstrat ei novitate nimia candentes* etc. *aureos.*

Ibid. *Quos identidem manu ventilabam*] Seneca *concutere* dixit 4. 6. de Benef. *Tres aut quatuor denarios* (inquit) *non invita manu dominum retulit, subinde concutiens.* Hieronymus *insonare*: *Munera vel parva vel magna non sprevi? in manu mea aes alicuius insonuit?*

Ibid. *De famulis tuis unum putato*] De hac loquendi forma ad Luc. 15. 19. dixi.

Ibid. *Quoties operam nostram desiderabis, fidenter impera*] Plaut. Cistell. *Si quid est opus, dic, impera.* Et Pseudolo: *Quin tu quicquid opus est, audacter impera.* Hieronymus ad Theodorum: *Quicquid posse me scieris in opere spirituali, audacter impera.* *Quoties operam nostram desiderabis*, est, quoties maritum, aut alium quem ex tuis necessariis et propinquis sepelieris. Hic est *infaustus sermo* ille de quo infra statim: hoc illud *omen nefarium* quod continuo heic execrantur omnes: quod non intelligens Beroaldus quas nugas de mustela promit!

Ibid. *Familiares omen nefarium execrati*] Seneca cap. 9. ad Marciam: *Quis nostrûm de exilio*, etc. *de luctu cogitare ausus est? quis non, si admoneatur ut de his cogitet, tanquam dirum omen respuat*, etc.

Ibid. *Raptis cuiusque modi telis*] Virgilius: *Raptis concurrunt undique telis.* Philostratus 6. 13. Ἁρπασάμενοι ξύλα καὶ λίθους, καὶ ὅ, τι εἰς χεῖρας ἑκάστῳ ἔλθοι. Aristides Panathen. Τῶν ὅπλων ἀπορίᾳ τῷ φανέντι χρησάμενοι.

Ibid. *Pugnis ille malas offendere, scapulas alius cubitis impingere*] Plinius 3. Epist. 14. *Alius fauces invadit, alius os verberat, alius pectus et ventrem.* Iuvenalis: *Ferit hic cubito, ferit assere duro Alter, et hic lignum capiti incutit, ille metretam.* Infra lib. 9. *Qua pugnis, qua cubitis* etc. *totam faciem manusque eius converberat.*

Ibid. *Laceratus atque discerptus domo proturbor*] Phaedrus: *Propulsi vero fustibus vadunt foras.* Petronius: *Verberibus sputisque extra ianuam eiectus sum.*

Ibid. *Dignum me pluribus verberibus fuisse merito consentio*] Apud Virgilium: *Equidem merui, nec deprecor inquit.* et Ovidium: *Multa miser patior, quia feci multa proterve.*

Ibid. *Infausti* etc. *sermonis mei*] Gloss. Δυσφημεῖ, etc. *infauste loquitur.*

Ibid. *Defletus et conclamatus*] Lib. 1. *Domi tuae defletus atque conclamatus es.*

Ibid. *Utpote unus de optimatibus, pompa funeris publici ductabatur per forum*] Tacitus Annal. 16. περὶ τῶν ἐν τέλει loquens. *Exequiis a promiscuâ sepultura separantur. Pompam* heic proprie dixit. Virgil. *Atque haec pompa domum me, non Pallanta referret.* ubi Servius: *Pompa exequialis scilicet.* Idem ad Georg. 1. *Cum exequiali pompa.* et ad 6. Aeneid. de Marcello: *Cum ingenti pompa elatus, et in campo Martio est sepultus.* Quintilianus Declam. 329. *Ducatur ingens funeris pompa.* Festus de vespillonibus: *Vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt.* quibus et locis vox *ducendi* perapposita. Tacitus ubi supra: *Ductae publicae exequiae.* Senec. 3. 25. de Ira: *Qui vidit acerba funera etiam ex regia duci.* Ulpianus l. 2. ff. de in ius voc. *Neque funus ducentem familiare, iustave mortuo facientem.* Propertius 2. *Ex hac ducentur funera nostra domo.* Ovid. *Funera ducebant mediam lacrymosa per Urbem.* Virgil. dicto Georg. loco: *Et tristia funera ducunt.* ubi Servius: *Ducere proprie funerum est.* Illud *pompa funeris publici* Appuleius ex his Taciti hausit. *Fuerunt qui funeris publici pompam requirerent.* Annal. 3.

Ibid. *Pompa funeris publici* etc.] Isidorus Orig. 18. 2. *Pompa ἀπὸ τοῦ πομπεύειν, hoc est, publice ostentare.*

Ibid. *Moestus in lacrymis*] Tale illud 5. Virgilii, *Horridus in iaculis.* vide supra pag. 175, a. notata.

Ibid. *Genialem caniciem revellens senex*] Homerus: Ἦ ῥ' ὁ γέρων, πολιὰς δ' ἄρ' ἀνὰ τρίχας ἕλκετο χερσί.

Ibid. *Voce contenta quidem, sed assiduis singultibus impedita*] Ovidius: *Singultu medios impediente sonos.* Gloss. Isid. *Singultim loquitur, qui loquitur per gluttos.* Philo in de Legat. Ταῦτα διεξῄεσαν ὑπ' ἀγωνίας etc. ἄσθματι πολλῷ, κεκομμένῳ τῷ πνεύματι.

Ibid. *Per fidem vestram Quirites* etc.] *Fide Quiritium implorata, opem et auxilium desiderari* ait Servius ad 10. Aeneid.

Ibid. *Perempto civi subsistite*] Infra lib. 8. *Decepto seni subsistite.*

Pag. 39. *Haec enim, nec ullus alius* etc.] Nota formulam istam. In Hymnis Orphei dictis: Οὗτος δ' ἐξ ἀγάθοιο κακὸν θνητοῖσι δίδωσι, Καὶ πόλεμον κρυόεντα, καὶ ἄλγεα δακρυόεντα: Οὐδέ τις ἐσθ' ἕτερος. Apud Suidam in ἀποστυγοῦντες. Οὗτος ἐστι, καὶ οὐκ ἄλλος. Supra

hac

hoc lib. *Ipse est, nec ullus alius.* Infra lib. 5. *Illa prorsus mihi adhibenda est, nec ulla alia.* et 8. *Qui hunc prorsus, nec ullum alium eorum locorum inquilinum praeminabatur.*

Ibid. *Saevite vulgus interdum*] Max. Tyr. Dissert. 41. Δῆμος χρῆμα ὀξὺ ἐν ὀργαῖς. Virgil. *Extemplo turbati animi, concussaque vulgi Pectora, et arrectae stimulis haud mollibus irae.* Apud Quintilianum in Declamationibus: *Nihil est facilius quam in quemlibet affectum movere populum: nulli cum coimus, sua cogitatio, sua mens est*, etc. Cicero in Bruto, de Multitudine: *Gaudet, dolet, ridet, favet, plorat, odit, contemnit, invidet, ad misericordiam inducitur, ad pudendum, ad pigendum: irascitur, minatur*, etc. *Haec perinde accidunt, ut eorum qui adsunt mentes verbis et sententiis et actione tractantur.* Seneca in de Ira 3. 2. *Saepe in iram uno agmine itum est: senes, pueri, faeminae, principes, vulgusque consensere: et tota multitudo paucissimis verbis concitata, ipsum concitatorem antecessit.* Pro *interdum* male Ursinus et alii *incertum* reponebant: cum heic, ut saepius in Appuleio, id vocis valeat *interim.*

Ibid. *Et facti verisimilitudine ad criminis credulitatem impelli*] Menander: Τὸ πιθανὸν ἰσχὺν τῆς ἀληθείας ἔχει Ἐνίοτε μείζω, καὶ πιθανωτέραν ὄχλῳ. Valerius Maximus 6. 8. *Quia verisimilis videbatur, habita est voci fides.*

Ibid. *Conclamant ignem, requirunt saxa*] Ex his Virgilii: *Saevitque animis ignobile vulgus, Iamque faces et saxa volant.* Iosephus Bell. Iud. 7. 21. Ὁ δῆμος τὴν ὀργὴν οὐ κατεῖχεν, ἀλλὰ etc. πῦρ εὐθὺς ἐκέλευε κομίζειν. Bene ad illustrandum hunc locum Tertullianus: *Lapidatio non legitimis beliis, sed popularibus caetibus et inermi tumultui familiaris.* Curtius lib. 8. *Infesta concio vix inhiberi potuit, quin protinus suo more saxa in eum iaceret. Conclamant ignem* heic, ut 4. *conclamant saxa.* Tale apud Virgilium, *fremit arma iuventus.*

Ibid. *Quamque sanctissime poterat adiurans cuncta Numina, tantum scelus abnuebat*] Hesychius: Ἀπομνύμενοι, ἀποβάλλοντες δι' ὅρκων. quo sensu et in veteri Onomastico, *Deierare*, ἀπ:μόσαι. Infra heic Lib. 9. *Negantis, assidueque Deûm numen obtestantis.* Plautus Casina: *Per Deos omnes, per Deasque peierabit.* Praecipue autem ad materiam praesentem faciunt Iuvenalis ista: *Quin aspice quanta Voce neget, quae sit ficti constantia vultus. Per Solis radios Tarpeiaque fulmina iurat, Et Martis frameam, et Cyrrhaei spicula vatis, Perque tuum pater Aegaei Neptune tridentem. Addit et Herculeos arcus, hastamque Minervae, Quicquid habent telorum armamentaria coeli.* Lucianus Gallo: Οὐκοῦν ἐκεῖνος αὐτὸ κλέψας, εἶτα ἐπωμόσατο θεοὺς τοσούτους.

Ibid. *Aegyptius Propheta* etc.] Noster alibi de Platone: *Astrologiam adusque Aegyptum petivit, ut inde prophetarum etiam ritus addisceret.* Laërtius de Eodem: Ἀπῆλθε πρὸς Θεόδωρον τὸν μαθηματικὸν, etc. ἔνθεν τε εἰς Αἴγυπτον παρὰ τ. Προφήτας. Adrianus in Prophetarum Synopsi ab Heschelio edita: Καλοῦνται καὶ παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς καὶ προφῆται, καὶ παρ' Ἕλλησιν οὐκ ὀλίγοι.

Ibid. *Qui mecum iamdudum grandi praemio pepigit* etc. *iuvenem postliminio mortis animare*] Lib. 10. *Surgentem postliminio mortis deprehendit filium.* Lactant. 7. 22. *Quid putemus futurum fuisse, si quis ab Inferis vitam postliminio recepisset?* Et nota heic *grandi praemio pepegisse.* hinc ἱερεῖς μεγαλόμισθοι Luciano dicti.

Ibid. *Iuvenem quempiam linteis amiculis intectum* etc. *et adusque deraso capite* etc.] Lucianus Philopseude, de Pancrate Aegyptio: Ἱερὸν ἄνδρα, ἐξυρημένον, ἐν ὀθονίοις. Herodotus: Οἱ ἱρέες τῶν θεῶν τῇ μὲν ἄλλῃ κομέουσι, ἐν Αἰγύπτῳ δὲ ξυρέυνται. Vide 1. 23. Artemidorum. *Adusque deraso capite* est quod 11. *Capillum funditus derasi.* Hesych. Ἐν χρῷ κουρά. ἡ ψιλὴ, καὶ πρὸς αὐτῷ τῷ χρωτὶ. Legebat heic Wowerius *ad os usque d. c.* Elmenhorstius, *adusque cutim d. c.* sic sane 8. Salvianus: *usque ad cutim tonsum.* at nil in Appuleio novandum. Plautus: *Attonsae hae quidem ambae usque sunt.* Abest et vox *cutim* ab Oxon. MS.

Ibid. *Pedesque palmeis baxeis indutum*] Infra lib. 11. *Pedes ambrosiae tegebant soleae, palmae victricis foliis intextae.* ὑπόδημα βύβλου Philostrato 6. 6.

Ibid. *Producit in medium*] Ex his Virgilii: *Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu Protrahit in medium.*

Ibid. *Cuius diu manus deosculatus, et ipsa genua contingens, Miserere ait*] Lucianus Orat. κατὰ τῶν προσέδρευ: Μεγάλας ἀνάγκας ἔχουσιν αἱ δεήσεις, καὶ τὸ ἅψασθαι τῆς χειρὸς, καὶ τοῦ γενείου. Vide ad Matthaei 17. 14. notata. Oxon. heic, *uterum deosculatus.*

Ibid. *In aeternum conditis luminibus*] De coeco Declam. 2. Quintilianus: *Perpetuâ nocte genae clausae.* Virgil. 10. *In aeternam clauduntur lumina noctem.*

Ibid. *Nec terrae rem suam denegamus*] Artemidorus 2. 24. Ὁ ἀποθανὼν εἰς τὴν γῆν κατατίθεται, ἥ τις ἐστι κοινὴ πάντων πατρὶς. Euripides Hipsipyle: Εἰς γῆν φέροντες γῆν. Cicero 3. de Republ. *Neque enim Natura pateretur, ut id quod esset de terra, nisi in terra maneret.* Ecclesiastes 12. 7. *Priusquam* etc. *revertatur pulvis in terram suam.* Virgilius 6. *Sedibus ossa quierunt.* ubi Servius: *Priusquam corpus in naturam suam redeat: id est, in terram.* Ovi-

dius ex persona Liviae, Druso mortuo: *Artus complector inanes, Et vocat hos ipsos flamma rogusque suos. Rem suam*, id est, *Iuvenem exanimum, et nil iam coelestibus ullis Debentem.* Prudentius de sepulchris loquens: *Res creditur illis Non mortua, sed data somno.* Bene autem *rem suam*, quasi debitam. Philo in de Iosepho: Τὸ οἰκεῖον ὄφλημα τῆς φύσεως ἀπολαβούσης. Nec minimâ heic elegantiâ *denegamus* dixit. P. Chrysologus de Christo Lazarum suscitante: *Dat locum morti, licentiam dat sepulchro: putredini nil negat, nil factori.*

Ibid. *Sed ad ultionis solatium exiguum vitae spatium deprecamur*] Apud Lucianum in Reviviscentibus: Μίαν ἡμέραν ταύτην παραιτησάμεθα, etc. ὡς ὑπέσχῃ τὴν ὧν δέδρακεν ἀξίαν. Apud Pacuvium ille: *Dii me etsi perdunt, tamen esse adiutum expetunt, Quod priusquam intereo spatium ulciscendi danunt.* Proprie autem *ultionis solatium.* Seneca I. 21. de Clementia: *Ultio duas res praestare solet: aut solatium affert ei qui iniuriam accepit, aut in reliquum securitatem.* ubi *et* pro *aut* reponendum utroque loco videtur. Scriptor de Excid. Hierosol. sive is Egesippus I. I. *Obsecrans, non salutis auxilium, sed ultionis solatium.* Iustinus lib. I. de Tamyri: *Orbitatis dolorem non in lacrymas effudit, sed in ultionis solatium.* Sic in de Anima cap. 34. Tertullianus *solatium ultionis* dixit. et cap. 10. de Patientia (emendante Viro summo erudito Iosia Mercero) *Ultio penes errorem solatium doloris videtur, penes veritatem certamen malignitatis.* Plinius lib. 3. Epist. 14. *Paucis diebus aegre refocillatus, non sine ultionis solatio decessit.* Basilius in cap. 3. Esaiae: Παραμυθία (ἐστιν) ἐν κακοῖς, τὸ ἐπαμύναι τοῖς ἀνῃρημένοις, καὶ τοῖς ἴσοις ἀντιπεριβάλλειν τοὺς λελυπηκότας. Otho apud Tacitum 2. Histor. *Fruatur Vitellius fratre, coniuge, liberis: mihi non ultione, neque solatiis opus est.* id est: *mihi ultionis solatio non opus est.* Tiberius apud Eundem Annalium lib. 3. *Sin facinus in cuiuscunque mortalium nece vindicandum detegitur, vos vero et liberos Germanici, et nos parentes eius iustis solatiis afficite.* solatiis ultionis nempe. Sidonius 8. 11. de Lampridio: *Secuta quidem est ultio exstinctum, sed magis prosunt ista victuris: nam quoties homicida punitur, non est remedium, sed solatium vindicari.*

Ibid. *Exiguum vitae spatium deprecamur*] Minucius ex Pagani persona: *Quis unus ullus ab Inferis vel Protesilai sorte remeavit, horarum saltem permisso commeatu?*

Ibid. *Herbulam quampiam ter ob os corporis* etc.] Elizaeus (etiam in resuscitandi negotio) ad famulum 2 Reg. 4. 29. Ἐπιθήσεις τὴν βακτηρίαν μου ἐπὶ πρόσωπον τοῦ παιδαρίου.

Ibid. *Orientem obversus*] *Aetherei spectans orientia Solis Lumina.* Pacatus Panaegyr. *Divinis rebus operantes, in eam coeli plagam ora convertimus, a qua lucis exordium est.* Virgilius: *Illi ad surgentem conversi lumina Solem*, etc. Ubi Servius: *Non utique nunc Solem surgentem dixit: (iamdudum enim dies erat) sed disciplinam cerimoniarum secutus est, ut Orientem spectare diceret eum, qui precaturus erat.*

Pag. 40. *Studia praesentium ad miraculum tantum certatim arrexit*] Lib. 6. *Tanti praemii cupida certatim omnium* etc. *studium arrexerat.* Virgil. *Arrectae mentes, stupefactaque corda.* Tacitus Histor. 4. de Vespasiano: *Erecta quae adstabat multitudine, iussa exequitur.* ubi malim *arrecta* legi.

Ibid. *Immitto me turbae socium*] Divinabam, *turbae medium.* Virgil. *Medium nam plurima turba Hunc habet.* Aen. 6. Idem 8. *Ipse agmine Pallas In medio.* Infra hîc lib. 8. *Quam potui, turbae medius* etc. *clunibus meis ab aggressionibus ferinis consulebam.*

Ibid. *Iam tumore pectus extolli, iam salubris vena pulsari, iam spiritu corpus impleri: et adsurgit cadaver, et profatur adolescens*] Hieronymum huc respexisse non dubito cum sic scriberet: *Palpitat pectus, et oculis quaerentibus lucem corpus animatur ad vitam. Iam spirat, iam videt, iam sublevatur, et loquitur.* Luc. 7. 15. Ἀνεκάθισεν ὁ νεκρὸς, καὶ ἤρξατο λαλεῖν.

Ibid. *Adsurgit cadaver*] Seneca, (ubi et de aliis portentis) de tauro mactato: *Tentantque turpes mobilem trunci gradum, Et inane surgit corpus*, etc. Oedip. Servius ad Aeneid. 8. *Cadaver est corpus nondum sepultum: ita dictum quod honore careat sepulturae.*

Ibid. *Quid (oro) me?* etc.] Q. d. *Carmine quid miserum torques? iam parce sepulto, Parce sitos violare Manes.*

Ibid. *Ad* etc. *vitae reducitis officia*] Macrob. Som. Scip. I. 13. *Officium suum deserit corpus, cum iam non possit animari.* Servius ad Aen. 6. *Defunctos mortuos dicimus, qui compleverunt vitae officia.* Sic *vitae officia* Seneca Epist. 77. et Donatus ad 2. 3. Eunuchi dixerunt. Noster Lib. I. *spiritus officia.*

Ibid. *Desine iam precor*] Apud Propertium: *Desine Paule meum lacrymis urgere sepulchrum.*

Ibid. *Ac me in meam quietem permitte*] Senec. Suasor. 2. *Optamus quoque plerique mortem, adeo in securam quietem recessus est.* Scholiastes vetus Horatii: *Mors, ut necessitas est, ita perpetua est laborum requies.* Lactantius de Ira Dei cap. 17. *Quies sempiterna solius mortis est.* Spectrum Samuelis ad Saulum, I Sam. 28. 13. *Quare inquietasti me ut suscitarer?*

Ibid. *Haec vox audita de corpore*] Id est, *cadavere.* Supra: *Ibi corpus splendentibus linteis coopertum* etc. Sic Matth. 14. 12. et 27. 58. vetus Interpres. Isidorus 11. 1. *Corpus,* quod

quod non vivit. et statim: *Corpus dicitur, aut quod post vitam mortuum est, aut sine vita est conditum.*

Ibid. *Suscipit ille de lectulo*] Ὑπολαμβάνει. ut Luc. 10. 30. ubi Vetus, *Suscipiens Iesus.* Infra hic Lib. 4. *Suscipit unus ex illo posteriore numero* etc.

Ibid. *Atque imo cum gemitu populum sic adorat*] Oxon. *Atque uno congestu* etc. amplectimur nos alteram scripturam. Turbati aut aerumnosi sermonem gemitu incipiunt. (*adorare* enim heic valet *alloqui*). Supra lib. 1. *Imo de pectore cruciabilem suspiritum ducens* etc. *Me miserum infit* etc. Virgilius: *Ingemuit, deditque has imo pectore voces.* Imo infra hic in hac eadem narratione, *Rursus altius ingemiscens.*

Ibid. *Malis novae nuptae* etc. *artibus*] Id est, veneficiis: hinc *artium malarum doctor* lib. 26. apud Amm. Marcellinum. Gloss. Κακοτεχνία. *mala ars.*

Ibid. *Et addictus noxio poculo*] Valerianus Cimeliensis: *Artificium veneficii, et noxias poculorum compositiones.* Miles. 10. Noster *noxiam potionem* dixit. *Addictus* bona lectio est. sic 6. *Vigiliae luminibus addictis.* apud Horatium *feris et alitibus addictus.* et Salvian. de Gubern. 2. *aeternis piaculis addictus.*

Ibid. *Torum repente adultero mancipavit*] In MS. aiunt esse *torum tepentem:* quomodo etiam ex ingenio Nos legendum conieceramus. Lucanus: *En nupsit tepido pellex Cornelia busto.* Quintilianus Declam. 347. *Subito absentium* (maritorum) *obliviscuntur, et pene cum ipsis toris uxorum pectora refrigescunt.* Idem Declam. 338. *Adhuc in torum uxoris prioris, calente adhuc vestigio, adducta est nova nupta.*

Ibid. *Torum tepentem* etc.] Seneca 7. 31. de Benef. *Et cum Penates ignis absumpsit, fundamenta tepente adhuc area ponimus.*

Ibid. *Tunc uxor egregia* etc.] Lib. 9. *Tunc uxor egregia* etc. et 10. *Egregia illa uxor mea* etc. Cicero in pro Cluentio: *Tunc vero egregia illa et praeclara mater,* etc.

Ibid. *Praesentem capit audaciam*] Lib. 9. de non absimili femina: *Dissimulato tanto flagitio, intrepidum mentita vultum* etc. Ibidem: *Mihi penitus carpebantur praecordia, et praecedens facinus, et praesentem deterrimae feminae constantiam* (id est, audaciam) *cogitanti.* adeo vere Iuvenalis: *Nihil est audacius illis Deprensis, iram et animos a crimine sumunt.* Apud Tacitum Annal. 11. *Sceleribus manifestis subsidium ab audacia petendum est.*

Ibid. *Populus aestuat, diversa tendentes*] In fragmentis Varronianis: *Videmus populum Furiis incinctum tribus Diversum ferri.* ubi *instinctum* legendum videtur. *Diversa tendentes,* ut 6. *Sic nos diversa tendentes.* id est, *contendentes.* Aeneid. 12. *Vasto certamine tendunt.* Servius: *Contendunt.* Curtius lib. 9. *Dissonae voces nusquam unum et idem tendentium.* Suetonius *diverse tendere* dixit: ut et 4. Lucretius. Plinius lib. 8. Epist. 9. Nazarius Panaegyristes, et Iudic. 20. 45. vetus Interpres, *in diversa tendere.* Noster in de Mundo. et in Dialogo ad Asclepium, *ad diversa tendere.* Tacitus Histor. 1. *Sibi quisque tendentes.*

Ibid. *Diversa tendentes*] *Tendere pertinacem contentionem significat.* Donatus ad Eunuchum.

Ibid. *Ili pessimam feminam viventem statim cum corpore mariti sepeliendam* etc.] Lib. 9. *Addebat et tales oportere vivas exuri feminas.*

Ibid. *Et, quod prorsus nemo alius cognovit*] Lib. 3. *Quae sola mortalium novi.* et 10. *Servum qui solus haec ita gesta esse scire diceretur, sisti* etc. *oportere.*

Ibid. *Exertam vigiliam*] Diligentem, protenti colli. Infra Lib. 6. *Longa colla porrecti saevi dracones, et inconnivae vigiliae luminibus addictis.*

Ibid. *Industriam sedulam*] Supra, in eadem re ista, *sedulum ministerium* dixit.

Pag. 41. *Iniecta somni nebula*] Lib. 6. *Crassa soporis nebula.*

Ibid. *Me nomine ciere* etc.] Lib. 5. *Iamque nomine proprio sororem miseram ciebant.* Et 8. *Clamore nominatim cientes illum iuvenem.*

Ibid. *Membra frigida pigris conatibus*] Seneca Oedip. *Piger ignavos Alligat artus languor.*

Ibid. *Quod eodem mecum vocabulo nuncupetur*] Id est, *nomine.* sic saepe Tacitus. Vide ad Praefat. Lib. 1. Martialis Ramiresium.

Ibid. *In exanimis umbrae modum gradiens*] μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατῶν: ut Antiphanes locutus.

Ibid. *Prosectis naso prius* etc.] Onomast. vetus: *Denaso,* ἀποῤῥινέω. De *prosecandi* verbo sub finem libri 9. dicemus.

Ibid. *Vicariam pro me lanienam susceptavit*] Firmicus: *Aut propiores fratres pro ipso vicariis mortibus interibunt.* Interpres vetus Levit. 24. 18. *Vicariam reddet: i. e. animam pro anima.* Seneca in Controversiis: *Quidam ardentibus rogis torum miscuerunt, quaedam vicariâ maritorum salutem animâ redemerunt.*

Ibid. *Utque fallaciae reliqua convenirent,* etc.] *Fallaciae* patrio casu, non dandi sume. Infra lib. 4. *Ad reliqua fallaciae pergimus.* Locutio Graeca est.

Ibid. *Ceram in modum prosectarum formatam aurium ei applicant*] Oxon. MS. *Ceram in modum prosectorum auribus ei applicant,* etc. quam rectam esse lectionem inferius indicabimus.

Ibid. *Tentare formam aggredior*] Ita Gruterus, non male: cum antea *fortunam* legeretur. Heliodorus de Chariclia, quae se oculum amisisse somniaverat: Τῷ προσώπῳ τὴν χεῖρα ἐπέβαλ-

βαλε, καὶ τὸ μέρος ὃ κατὰ τὸ ὄναρ ἀπώλεσεν ἐταφωμένη, πάντοθεν ἐπεζήτει.

Ibid. *Directis digitis, et detortis nutibus praesentium denotor*] Lib. 3. *Omnium oculis, nutibus, ac denique manibus denotatus.* et 11. *Toti civitati notus et conspicuus, digitis omnium nutibusque notabilis.* Quintilianus 14. Declam. *Proh miseranda conditio! rideor ubique, narror, ostendor.* Plautus 2. 3. Mercat. *Contemplant, conspiciunt omnes, nutant, nictant, sibilant.* Tertullianus in de Pallio: *Acie figere, digito destinare, nutu tradere.*

Ibid. *Dum risus ebullit*] Glossae: *Ebullit*, ἀναβλύζει. at propius Onomastici illud, *Ebullio*, καχλάζω. Hesychius: Καχλάζει, κιχλίζει, ἀθρόως γελᾷ, etc. Eundem et in καγχασμὸς vide. Supra hoc libro Noster *cachinnum licentiosum* dixit.

Ibid. *Inter pedes circumstantium* etc. *evado*] Hesychius: Ἐκτρυπῆσαι, ἐξελθεῖν λεληθότως. In vetere Onomastico: *Evado*, διαδύομαι.

Ibid. *Frigido sudore defluens*] Fortasse *perfluens.* vide supra 153, a. dicta.

Ibid. *Lari me patrio reddere potui*] Aut ἠθικῶς, non φυσικῶς intelligendum illud *reddere potui*, aut (quod facilius concesserim) pro *reddidi* accipiendum. sic infra 10. *Respondit, sermonis ignorantia se quid ille diceret, scire non posse.* id est, *nescire.* 11. *Sacerdos, ut reapse cognoscere potui* etc. hoc est, *cognovi.* et 9. *Vix ad campestres semitas evadere potui*, pro *evasi.* Nec ita hic Scriptor tantum, sed et alii. Valerius Max. 8. 7. de Sophocle; *Qua sola fabula* (Oedipo Coloneo nempe) *omnium eiusdem studii Poëtarum praeripere gloriam potuit.* Macrobius Saturnal. 1. 11. *Recentior est memoria, quam ut possit inter obliterata nesciri.* id est, *quam ut nesciatur.* Idem 2. 10. *In qua* (gloria) *appetenda duo sunt maxime, quae praeoptari possunt.* In Eleg. Maximiniani: *Cui cedit quicquid vincere cuncta potest.* Lactantius Epit. divin. Instit. de Deo loquens: *Non indiget terrenis luminibus, qui Solem cum caeteris astris in usum hominibus potuit accendere.* Et alibi eodem libro: *Redigendi sunt ergo isti affectus intra fines suos, et in rectam viam reducendi: in qua etsi sunt vehementes, culpam tamen habere non possunt.* Servius ad Georg. 1. *Quibus diebus tanta est tranquillitas, ut penitus nihil in mari possit moveri.* Idem ad Eclog. 1. *Antiqui, post, ante, circum, etiam ablative iungebant, quod hodie minime facere possumus.* pro, *quod hodie minime facimus.* Philo in de Abrahamo: Καὶ τῶν ἀψύχων ἔνιά μοι δοκεῖ νικᾶν δύνασθαι (id est νικᾶν) τῶν ἀνδρῶν ὁμοῦ καὶ γυναικῶν εὐμορφίας.

Ibid. *Capillis hinc inde laterum deiectis, aurium vulnera celavi*] Ovidius de Acheloo uno cornu mutilato: *Capitis quoque fronde saligna Aut super imposita celatur arundine damnum.*

Ibid. *Nasi vero dedecus* etc.] Id est, nasi perditi dedecus. Proprie autem heic *dedecus.* Isidorus 11. 1. Orig. *In corpore nostro quaedam tantum utilitatis causa facta sunt, ut viscera: quaedam et utilitatis et decoris, ut sensus in facie, et in corpore manus*, etc. Corruptum locum corrige, et pro *sensus*, *nasus* substitue. Chrysostomus Homil. 30. in Epist. 1. ad Corinth. Ἔστωσαν ὀφθαλμοὶ λάμποντες, καὶ παρειὰ μειδιῶσα, καὶ χεῖλος ἐρυθρὸν, καὶ ῥὶς εὐθεῖα, καὶ ὀφρὺς ἐκτεταμένη· ἀλλ' ὅμως κ' ἂν τὸ τυχὸν ἐκ τούτων λυμήνῃς, τῷ κοινῷ πάντων ἐλυμήνω κάλλει, πάντα κατηφείας μεστὰ, καὶ πάντα αἰσχρὰ φανεῖται τὰ πρὸ τούτου καλά· ἂν γὰρ τὸ ἄκρον τῆς ῥινὸς συντρίψῃς, πάντων πολλὴν κατέχεας τὴν ἀμορφίαν. Diod. Siculus Lib. 1. in legibus Aegyptiorum: Τῆς δὲ γυναικὸς (μοιχευούσης) τὴν ῥῖνα κολοβοῦσθαι, ὑπολαμβάνοντες δεῖν τῆς πρὸς ἀσυγχώρητον ἀκρασίαν καλλωπιζομένης ἀφαιρεθῆναι τὰ μάλιστα κοσμοῦντα τὴν εὐπρέπειαν. Firmicus 6. 31. *Vel cicatricem, seu notam in vultu semper infligit, ut inhonesta quadam specie formae faciem dedecoret.* Bene *inhonesta.* ita narium prosectarum vulnus Virgilius *inhonestum* vocat. Artemidorus 4. 29. Ὅ τι ἂν λείποι τῷ προσώπῳ, ἄτιμον αὐτὸ ποιεῖ.

Ibid. *Hanc fabulam posuit*] Finivit. Virgilius: *Posito certamine.* Servius: *Finito.*

Ibid. *Vino madidi*] Lib. 6. *Vino madens* et 10. *Vino* etc. *memet madefeceram.* vide Festum Pompeium.

Ibid. *Quo die soli mortalium sanctissimum Deum Risum hilaro atque gaudiali ritu propitiamus*] Meminit solennitatis istius Pausanias de Hypatensibus agens. Lycurgum Risui simulacrum erexisse Plutarchus tradit; Templumque eidem Deo dicatum in Cleomene narrat. Bene autem *ritu hilaro et gaudiali.* Γέλωτα καὶ Κῶμον, ἱλαρωτάτω καὶ ξυμποτικωτάτω Δαίμονε, Philostratus in Iconibus vocat.

Ibid. *Soli mortalium*] Lib. 3. *Quae sola mortalium novi.*

Pag. 42. *Fiet ut iubes*] Luc. 14. 12. Γέγονεν ὡς ἐπέταξας.

Ibid. *Quam Deus tantus affluenter indueret*] Pontanus Analect. 1. 4. duriuscule, *Qua D. t. a. inclueret*, id est, *inclaresceret.* Vide Gruteri Suspic. 5. 8.

Ibid. *Monitu famuli, qui me noctis admonebat*] Virgilius: *Sed comes admonuit, breviterque affata Sibylla est, Nox ruit Aenea.* Infra hic 8. *Qui requisitum comitem tempestivae viae commonefactum reduceret.*

Ibid. *Titubante vestigio* etc.] Columella: *Titubante gradu multo madefactus Iaccho.*

Ibid *Cum primam plateam vadimus* etc.] Scribe,

be, *Dum p.* etc. Sic infra 3. *Dum primum angiportum insistimus.* Virgilius: *Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem.* ubi Servius: *Primam partem urbis.* Terent. 1. 4. Phorm. *Sed quis hic est senex quem video in ultima platea?* id est, in ultima plateae parte. Virgilius: *Quatuor hic primum omen, equos in gramine vidi Tondentes campum late.* Servius: *Primum, aut quale nunquam antea viderat: aut, antequam aliud videret*, etc. *alii vero, tondentes primum campum, id est, primam campi partem.*

Ibid. *Vento repentino lumen* etc. *exstinguitur*] Ovid. 2. de remed. etc. *Nutritur vento, vento restinguitur ignis.* Aedituus apud A. Gellium, de flamma sui pectoris: *Istam non potis est vis saeva exstinguere venti.*

Ibid. *Improvidae noctis* etc.] Exponunt *obscurae*, ego *improvisae.* Sic *coeca et improvida tela*, Plinius 4. 22. in Epistolis dixit, et *casus improvidos* Noster in de Platonis Dogmate.

Ibid. *Digitis pedum detunsis ob lapides*] Lib. 9. *Offenso lapide, et obtunsis terrae digitis.* et ibidem: *Crebris offensaculis* etc. *contusis cruribus meis.* Petronius: *Evasi, digitis omnibus inter decursum cruentatis.* Apud Suidam de Zenone: Προσέπταισε, καὶ τὸν δάκτυλον περιέῤῥηξε. Heic autem pedes detunsi ob extinctum lumen. in quam quae diximus sententiam ad Ioh. 11. 10. si libet confer. Hinc Ethnicum *luculento etiam die in lapides impingere*, facete dixit Foelix Minucius. Aristoph. Vesp. Εἰ νὴ Δί' αὖθις κονδύλοις νουθετήσεσθ' ἡμᾶς Ἀποσβέσαντες τοὺς λύχνους, ἄπιμεν οἴκαδ' αὐτοὶ, Κᾆπειτ' ἴσως ἐν τῷ σκότῳ τουτουΐ στερηθεὶς, Τὸν πηλὸν ὥσπερ Ἀτταγᾶς τυρβάσεις βαδίζων.

Ibid. *Tres quidam vegetis et vastulis corporibus* etc.] Τρεῖς παῖδες μεγάλοι καὶ ὄβριμοι. ut in Theogon. Hesiodus. Scaliger et Alii *bassulis:* quibus adstipulatur Glossarii illud: Παχὺς, *Bassus, grossus, crassus.* Item: Παχὺς ὑποκοριστικῶς, *bassulus.* Iterum: Παχύτης, *bassilitas.* Ego *vastis*, vel (quod et in Oxon. est) *vastulis* legendum contendo. Gellius 9. 10. *Gallorum Dux vasta et ardua proceritate.* et cap. 11. *Sed quid hostis, et quod genus, et quam formidandae vastitatis!* Curtius lib. 4. de Scythis et Bactrianis: *Eximiam vastorum corporum magnitudinem.* Noster lib. 1. *A vastissimis latronibus obsessus.* et 7. *Aetate iuvenem, et corpore vastum.* Imo de his ipsis iuvenibus lib. 3. *Unus manu promptior, et corpore vastior* etc. Sic de leone Gellius, *Corporis vastitudine.* Noster de Lupis 8. *Corporibus vastis sarcinosos:* et de scipso tum asino Lib. 10. *Insolita tergoris vastitate commoti.* Gloss. Παμμεγέθης, *Immanis, vastus.*

Ibid. *Summis viribus irruentes*] *Irruere proprie dicuntur, qui cum furore praelium ineunt.* Donatus ad Terentii Eunuch. 4. 7.

Ibid. *Gladium, quem veste mea contectum ad hos usus extuleram* etc.] Diod. Siculus in Excerptis: Ἔχοντας ὑπὸ τοῖς ἱματίοις ξίφη. Nicol. Damascenus: Ὑπὸ ταῖς περιβολαῖς ξίφη κεκρυμμένα ἔχοντες. Iosephus Bell. Iud. 2. 22. Ταῖς ἐσθήσεσιν ὑποκρύπτοντες μικρὰ ξιφίδια. Capitolinus in Clodio Albino: *Quinque validissimi interemerunt eum, gladiis intra vestem latentibus. Ad hos usus* est, quod lib. 3. in hac narratione *propter huiusmodi pericula.* ad quem locum notata vide.

Ibid. *Altissime demergo*] Supra lib. 1. *Capulo tenus gladium ei totum demergit.*

Ibid. *Quoad tandem ante ipsa vestigia mea* etc. *spiritum efflaverint*] Lucianus Toxari: Τὸν ἀντίπαλον παίει εἰς τὸ στέρνον, καὶ διήλασεν, ὥστε αὐτίκα ἐπεκτώκει πρὸ τοῖν ποδοῖν αὐτοῦ. Iudic. 5. 27. de Sisera a Iaële occiso: *Inter pedes eius ruit, defecit, et mortuus est: volvebatur ante pedes eius, et iacebat exanimis.* Curtius Lib. 2. *E quibus duos ita gladio excepit, ut ante ipsum exanimes procumberent.*

Ibid. *Anhelans, et sudore perlitus*] Petronius: *Inter anhelitus et sudores* etc.

LIBER TERTIUS.

Pag. 43. *Commodum punicantibus phaleris Aurora* etc.] *Cum primum crastina coelo Puniceis invecta bigis Aurora puberet.*

Ibid. *Aestus invadit animum recordatione vespertini facinoris*] Prudentius: *Sol ecce surgit aureus, Piget, pudescit, poenitet.* Vide ad Matth. 27. 3. adnotata.

Ibid. *Ac palmulis inter alternas digitorum vicissitudines* etc.] Ut solent moesti. Chrestodorus: Εἱστήκει Κλίτιος μὲν ἀμήχανος, εἶχε δὲ δοιὰς Χεῖρας ὁμοπλεκέας, κρυφίης κήρυκας ἀνίης. Basilius Homil. in famem et siccitatem: Ταῖς ἀρούραις ἐπικαθήμενοι, καὶ τὰς χεῖρας κατὰ τῶν γονάτων συμπλέξαντες: (τοῦτο δὲ τῶν πενθούντων σχῆμα etc.)

Ibid. *Grabatum cossim insidens*] Euripides Hecuba: Ἵζω δὲ κλίνης ἐν μέσῳ, κάμψας γόνυ.

Ibid. *Iam forum, et iudicia, iam sententiam, ipsum denique carnificem imaginabundus*] *Legesque, forumque, Et pavido cernens inclusum corde tribunal.* Ἀπόκριμα θανάτου ἐν ἐμαυτῷ ἔχων, ut Paulus 2. Cor. 9. locutus. Apollonius apud Philostratum 7. 12. ad custodias desperantes: Ἐλεῶ ὑμᾶς, ὡς ὑφ' αὑτῶν ἀπόλλυσθε, οὔπω εἰδότες εἰ κατηγορία ἀπολεῖ ὑμᾶς. δοκεῖτε γάρ μοι προαποκτιννύντες αὑτοὺς, τοῦ καταψηφισθέντος ἂν ὑμῶν ὡς οἴεσθε θανάτου. Valer. Maximus 8. 1. *Lictor et carcer ante oculos obversabantur.* Sidonius 1. 7. de Armando: *Ex SConsulto*

sulto Tiberiano triginta dierum vitam post sententiam trahit: uncum, et Gemonias, et laqueum turbulenti (forsan *truculenti* scribendum) *carnificis perhorrescens.* Nota et quanta emphasi *imaginabundus.* Firmicus 6. 17. Mathes. *Gravia etiam vitae discrimina imponit, ac metuendae mortis imaginem frequenter ostendit.* Virgilius: *Et propior Martis iam apparet imago.* ubi Servius: *Iam praelium cogitabatur a matribus. ergo, ut solet, imaginem,* τὴν φαντασίαν. Ammianus lib. 28. *In quorum miseriis velut sui quisque discriminis imaginem cernens, tortorem, et vincula somniabat, et tenebrarum diversoria.*

Ibid. *Qui me ternae caedis cruore perlitum innocentem pronunciare poterit?*] Cum vel duorum homicidium res gravis adeo ac detestanda sit. Apud Quintilianum ille Declam. 277. *Cum reus agar caedis, nil fortius confiteor quam a me occisos homines: et, si quid numerus quoque adiicere invidiae potest, duos.* Oxon. *trinae,* non *ternae caedis.* sic infra, *Trinis civium corporibus expositis.*

Ibid. *Hanc illam mihi gloriosam peregrinationem fore Chaldaeus Diophanes praedicabat?*] Virgil. *Hi nostri reditus, exspectatique triumphi?* Idem: *Hoc uno responso animum delusit Apollo, Qui fore te Ponto incolumem, finesque canebat Venturum Ausonios: En, haec promissa fides est?* Horatius: *Vides ut Nudus inopsque domum redeam te vate.* cuius notae et Catulli ista: *At non haec quondam blanda promissa dedisti Voce mihi: non hic miserum sperare iubebas. Sed connubia laeta, sed optatos Hymenaeos.*

Ibid. *Quati fores interdum* etc.] Tacitus sub finem 11. ubi de Messalina in horas mortem exspectante: *Lacrymae et quaestus irriti ducebantur. Tum impetu venientium* (Tribuni ac militum) *pulsae*] *fores* etc. lege cum Florent. Cod. *cum impetu* etc. Dum fleret (inquit) fores pepulerunt illi. id ipsum heic Appuleius noster.

Ibid. *Statimque lictores de iussu magistratuum,* etc.] Infra heic, *Lictores iussu Magistratuum quam instantissime compellunt.* Et 10. *Donec iussu magistratuum ministeria publica* etc.

Ibid. *Immissa manu trahere me, non sane renitentem occipiunt*] Theocritus, vel Moschus: Ἡ δ' ἑτέρη κρατερῇσι βιαζομένα παλάμῃσιν Εἴρυσεν οὐκ ἀεκοῦσαν. Glossarium: Ἀντιβιάζομαι, renitor. Infra Lib. 6. *Trahebat eam nequaquam renitentem.* Virgilius: *Ecce manus iuvenem interea post terga revinctum, Pastores magno ad Regem clamore trahebant Dardanidae, qui se ignotum venientibus ultro Obtulerat.* Ubi Servius: *Trahebat, ad ducentium desiderium pertinet, non quod Sinon reniteretur.* Contrarium de Flacco Philonis illud: Οἱ δὲ (percussores eius) πρὸς βίαν εἷλκον ἀφηνιάζοντα, καὶ κεκραγότα, καὶ διαπαλαίοντα. Τὸ *occipiunt* (quod ab editis quibusdam male abest) est etiam in Oxon. MS.

Ibid. *Mira densitate nos insequitur*] D. Hieronymus, ubi de muliere sexies a carnifice percussa: *Totus ad spectaculum populus effunditur:* etc. *stipatis proruens portis turba densatur.* L. 5. Cod. Theod. de sepulch. viol. *Per confertam populi frequentiam, et per maximam insistentium densitatem.*

Pag. 44. *Capite ad terram* etc. *deiecto moestus incederem*] Lib. 9. *Ad ultima salutis iam detrusus, submisso capite moerebam.* Gloss. Καθειμένος, ὁ στυγνὸς, *deiectus.*

Ibid. *Imo ad ipsos Inferos iam deiecto*] Quintil. 9. Declam. *Attonito, et in mortem pene demerso.*

Ibid. *Inter tot millia populi circumsedentis*] Ita et Oxon. Cod. Reponunt *circumstantis, circumsecus, circumcedentis,* et *circumsequentis.* Ego legendum arbitror *circumfluentis.* Infra lib. 4. *Populi circumfluentis turbulis immisceor.* et alibi eod. lib. *Setae circumfluentis densitate sepimus.* Virgilius, statim adducendus, *circumfusum* dixit, et Noster lib. 10. *circumfusum populum.*

Ibid. *Pererratis plateis* etc.] Prudentius: *Fertur per medias ceu publica pompa plateas.*

Ibid. *In modum eorum qui lustralibus piamentis* etc.] Plinius Panaeg. *Quorum* (delatorum) *supina ora retortasque cervices spectavere Romani, cum velut piaculares victimae ad supplicia ducerentur.*

Ibid. *Expiant*] Leniunt, placant. Glossae: *Piat,* ἐξιλάσκεται. Infra lib. 9. *Quid magis, quid minus Numinum coelestium leniendis minis, quot, et qualibus procurentur hostiis.*

Ibid. *Circumductus angulatim*] Servius ad Aeneid. 3. *Massilienses quoties pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat alendus anno integro publicis et purioribus cibis. Hic postea ornatus verbenis et vestibus sacris, circumducebatur per totam civitatem cum execrationibus, ut in illum reciderent mala civitatis: et sic proiiciebatur.*

Ibid. *Tribunal adstituor*] Ad tribunal sistor. Servius ad Aeneid. 1. *Quod nos modo dicimus per praepositionem nomini copulatam sequente verbo, Antiqui verso ordine praepositionem detractam nomini iungebant verbo, ita ut una esset pars orationis, et faciebant honestam elocutionem.*

Ibid. *Iudicium tantum theatro redderetur*] Vide ad Act. 19. 29. notata.

Ibid. *Aditus etiam* etc. *fartim stipaverant*]. Ipsum id quod Marci 2. 2. Συνήχθησαν ὄχλοι πολλοὶ, ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν. Virgilius, sensu diverso tamen, *custode aditus coronare* dixit. quo loco Servius: *Melior lec-*

lectio, *abitum: cingunt enim sylvam ne abeant*, *non*; *ne adire* (lege *adiri*) *possint*. Haec ille commentatorum utilissimus: nos in alia sententia sumus. Tacitus Annal. 12. de Agrippina: *Tenere amplexu Britannicum* etc. *ac variis artibus demorari ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque et Octaviam sorores eius attinuit*, *et cunctos aditus custodiis clauserat*.

Ibid. *Et tectum omne* etc.] Virgilius: *Tum studio effusae matres*, *et vulgus inermum*, *Invalidique senes*, *turres et tecta domorum Obsedere*. Hieronymus in Epitaphio Fabiolae: *Non porticus*, *non imminentia desuper tecta capere poterant prospectantes*. Plin. Panaegyr. *Videres referta tecta ac laborantia: ac ne eum quidem vacantem locum*, *qui non nisi suspensum ac instabile vestigium caperet*.

Ibid. *Fartim stipaverant*] Florid. 3. *Farto toto theatro ingens stipatio*.

Ibid. *Miro tamen omnes visendi studio pericula salutis negligebant*] Apud Livium 4. *Intenti in alieni periculi eventum*, *pro se incauti*. Ait, *visendi studio* etc. Virgil. 2. *Undique visendi studio Troiana iuventus Circumfusa ruit*. Plinius Lib. 6. Epist. 33. *Stipatum tribunal*, *atque etiam ex superiore Basilicae parte qua faeminae qua viri*, *et audiendi* (*quod difficile*) *et* (forsan *at*) (*quod facile*) *visendi studio imminebant*. Suidas: Ἀθρείοντες, ἰδεῖν ἐπιθυμοῦντες. Palat. et Oxon. MSS. *pericula negligebant*.

Ibid. *Velut quandam victimam orchestrae mediae sistunt*] Philo de Iudaeorum strage in civitate Alexandrina: Μαστιγούμενοι, κρεμάμενοι, τροχιζόμενοι, καταδικαζόμενοι, διὰ μέσης τῆς ὀρχήστρας ἀπαγόμενοι ἐπὶ θανάτῳ.

Ibid. *Praeconis amplo boatu citatus accusator* etc.] Asconius in Verr. 3. *Apud Veteres*, *et Iudices*, *et rei*, *et accusatores*, *et defensores*, *a voce praeconis citabantur*. Infra heic lib. 10. *Praeconis vocatu primus accusator incedit*, *tunc demum clamatus inducitur etiam reus*. Et nota, *amplo boatu citatus*. Scholiastes vetus Horatii ad Serm. 1. *Citari dicuntur qui clara voce vocantur*. Bene autem hoc genus ministeriis *amplum boatum* tribuit. De iisdem Pollux 4. 12. Τὸ φθέγμα αὐτῶν ἁδρὸν, ὑψηλὸν, πρόμηκες, ἐπίμηκες.

Ibid. *Ac per hoc* etc.] Id est, *eoque*, *idcirco*. Infra hic: *Capillos flavos*, *ac per hoc illi* etc. *iuveni consimiles*. lib. 5. *Articulari etiam morbo curvatum* etc. *ac per hoc rarissime Venerem meam recolentem*. 6. *Ac per hoc spurius ille nascetur*. 8. *Metu volaticum*, *ac per hoc merito pinnatum*. Et ibidem paulo ante: *Ac per hoc*, *nos cautione summa viae reddi debere*. Sic saepius Salvianus: ut 5. et 7. de Gubernat. et 2. de Avarit. Asconius 3. Verr. *Decuriam*, *modo ordinem*, *ac*, *per hoc*, *ex nobis*. Scholiastes ad Sat. 12. Iuvenalis: *Ut arborem succideret*, *ac per hoc*, *breviorem faceret*. Iunius Phylargyrus ad 3. Georg. *Turpe caput*, *amplum*, *magnum*, *ac per hoc terribile*. Aeneid. 2. *Et atria longa patescunt*. ubi Servius: *Aperiuntur*, *ac per hoc videntur*. Idem ad 4. Aeneid. *Bonus*, *ac per hoc propitius*. et ibidem: *Sursum nectit*, *ac per hoc succinctum facit*. Idem ad 1. Georg. *Domabant*, *mollibant*, (arva) *ac per hoc colebant*. Seneca Epist. 66. *Sed per illud quod boni sunt*, *pares sunt*.

Ibid. *Populum sic adorat*] *Veteres adorare alloqui dicebant*. Servius ad Aeneid. 10.

Ibid. *Neque parva res* etc.] Virgilius: *Sensibus haec imis*, *res est non parva*, *reponas*.

Ibid. *Neque parva res*, *sed praecipue pacem civitatis cunctae* etc. *respiciens tractatur*] Quintilianus Declam. 348. *Non enim discrimen paucorum capitum agebatur: an aliquid esset haec civitas*, *an templa*, *an vestigium saltem vetustissima Urbis relinqueretur*. Sacerdos apud Lucianum Phalaride: Δοκεῖτε δέ μοι ὦ ἄνδρες Δελφοὶ ἄριστα βουλεύσασθαι περὶ τῶν παρόντων, εἰ λογίσησθε πρῶτον ὑπὲρ ὅσων καὶ ἡλίκων ἡ σκῆψις ἐστιν.

Pag. 45. *Nec me putetis privatis simultatibus instinctum odio proprio saevire*] Apud Petronium ille: *Ac*, *ne me putetis ultionis causâ huc venisse*; etc.

Ibid. *Providere ne nefarius homicida tot civium lanienam quam cruenter exercuit*, *impune commiserit*] Expressa ex Virgilii istis: *Unus homo* (etc.) *tantas strages impune per Urbem Ediderit? iuvenum primos tot miserit Orco?* In Sallustii Iugurthino: *Quare moneo hortorque vos*, *ne tantum scelus impunitum dimittatis*.

Ibid. *Tot civium lanienam* etc.] Veterrimae Rom. et Vicent. editiones, cum Oxon. MS. *totam aedium lanienam*. unde non putide quis legat *totarum aedium l.* Infra hic: *Per totam domum caedes ambulet*. cui simile Pauli ad Titum illud, ὅλους οἴκους ἀνατρέπειν. At facile fero lectionem alteram a Wowerio et Grutero excogitatam. Scriptor Maccabaicorum 2. 5. 6. de Iasone: Ἐποιεῖτο σφαγὰς πολιτῶν etc. Vide ad Act. 8. 3. notata.

Ibid. *Sum namque nocturnae custodiae Praefectus*, *nec in hodiernum credo quenquam pervigilem diligentiam meam culpare posse*] Val. Maximus 8. 1. *P. Vilius Triumvir nocturnus*, *a P. Aquilio Trib. pleb. accusatus*, *iudicio populi concidit*, *quod vigilias negligentius circumiret*. *Viliae* apud Romanos gentis non memini, fortasse, unius literae adiectione *Suilius* legendum.

Ibid. *In hodiernum*] Glossae: Μέχρι σήμερον, *usque hodie*.

Ibid. *Rem denique ipsam*, *et quae noctu gesta sunt*, *cum fide proferam*] In Apologia: *Omnem ordinem rei gestae summa cum fide* etc. *percen-*

censuit. Infra hoc lib. *Mihi cum fide memora*, etc.

Ibid. *Cum fere iam tertia vigilia* etc.] Totis noctibus ex officio Urbem circumibat isti muneri praepositus. vid. l. 3. ff. de Offic. Praef. vig. In formula Praef. vig. Ravennae apud Cassiodorum 7. 8. *Tuis laureis mane defensa Civitas laetatur.*

Ibid. *Cuncta civitatis ostiatim singula considerans* etc.] Vicent. et Oxon. MS. *cunctae civitatis* etc. Supra lib. 2. *Rimabar singula quae cuncta convenerant.*

Ibid. *Ostiatim singula considerans*] Lib. 3. *Ostiatim singula pererro.*

Ibid. *Conspicio istum* etc. *mucrone districto passim caedibus operantem*] Ibidem apud Cassiodorum: *Tibi commissa est fortunarum securitas* etc. *ut circa domesticos grassatores bellum pacatum* (forte *implacatum*) *gereres, si quem civium laedendum esse sentires. Conspicio*, id est, *invenio istum.* Cantic. 6. 8. Εὕρησάν με οἱ φύλακες οἱ ἐν τῇ πόλει κυκλοῦντες. *Caedibus operantem*, ut apud Tertullianum advers. Iudaeos, *ensi operari.* Eundem in de Corona milit. *praelio operari*: et, *balneis, cauponis, lupanaribusque operari* in Apologetico.

Ibid. *Corporibus in multo sanguine palpitantes*] 2. Samuel. 20. 12. de Amasa: *Conspersus sanguine* (suo) *iacebat in via.* Virgilius: *Moriensque suo se in sanguine versat.* Et bene heic *palpitantes.* Apud Quintilianum 4. Declam. *Exultans super stratorum corporum strages, palpitantibus adhuc cadaveribus insisto.* Lactant. 3. 20. *Quasi disiecta et dissipata, palpitare potius quam vivere videantur.* Nicetas Choniates de Isaacio Angelo Hagiochristophoritam occidente: Ἐκεῖνον ἐᾷ etc. ὡς βόσκημα σφακελίζοντα, καὶ τῷ αἵματι ἰδίῳ παλμυνόμενον. Oppianus Cyneg. 2. Κατὰ δὲ χθονὶ πολλὰ κέχυνται Λείψανα ποιφύσσοντα, καὶ ἀσπαίροντα φόνοισι. Quum viderem porro Appuleium hinc inde phrases Virgilianas sectatum, putavi hic legi posse, *in alto sanguine.* Aeneid. 11. *Gemitus morientum, et sanguine in alto Armaque, corporaque, et permisti caede virorum Semianimes volvuntur equi.* Ubi Servius, (non male ad mentem nostri vigilum Praefecti,) Ἐμφατικῶς *caedis magnitudo ostenditur.* Et haec, ut non insipida, ita verior communis lectio. Senec. Oedipo: *Per ora multus sanguis atque oculos redit.* Virgilius: *In multo lapsantem sanguine nati.*

Ibid. *Conscientia tanti facinoris permotus, statim profugit*] In supplemento lib. 43. T. Livii: *Zeusippus cum Stratonida quadam nocte profugit Tanagram, suam magis conscientiam quam iudicium hominum* etc. *metuens.*

Ibid. *Praesidio tenebrarum elapsus*] *Defensus tenebris, et dono noctis opacae.* Infra lib. 4. *Provecta vesperâ abusi tenebrarum praesidio.*

Ibid. *Providentia Deûm, quae nihil impunitum nocentibus permittit*] Ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα. Eunapius in Aedesii vita, Ablabio occiso: Τῆς Προνοίας οὐκ ἀφείσης τὸ ἀνθρώπινον.

Ibid. *Mane praestolatus, ad gravissimum iudicii vestri sacramentum curavi eum produci*] In formula Praef. vigil. Urbis Romae apud Cassiodorum 7. 7. *Circa fures sollicitus esto, quos si leges punire tibi minime praecipiunt, tamen eos indagandi licentiam concesserunt.* Recte ergo Praefectus hic noster, *curavi eum produci*, quo loquendi modo aliena, non propria designatur potestas. Androclus 5. 14. apud Gellium: *Is* (Dominus meus) *me statim rei capitalis damnandum, dandumque ad bestias curavit.* Et nota heic, *mane praestolatus*, plane, ut in Actis Apostolorum 4. 3. Ἔθεντο εἰς τήρησιν εἰς τὴν αὔριον, ἦν γὰρ ἑσπέρα ἤδη. Aristaenetus 2. ult. Θυμωθεὶς, ὥρμηκεν εὐθέως αὐτὸν ἀνελεῖν, ἀλλ' ἡ γυνὴ διεκώλυε, παραινοῦσα μᾶλλον τὸν κακοῦργον ἕωθεν τοῖς ἕνδεκα παραδοθῆναι. *Sacramentum* est *iuramentum.* Onomast. vet. *Sacramentum*, ὅρκος. Sic et *Senatus sacramentum* Solinus. Nec minus proprie heic *produci.* Ambrosius cap. 9. de Tobia, *produci ad Iudicem* dixit. Oxon. *Ad graviss. Iudicum sacramentum* etc.

Ibid. *Habetis reum* etc.] Terent. Eunuch. *Habemus hominem.* ubi Donatus: *Mire hominem dixit, ut reum.*

Ibid. *Constanter itaque in hominem alienum ferte sententias de eo crimine, quod etiam in civem vestrum severiter vindicaretis*] Tiberius ad Senatum apud Tacitum Annal. 3. *Si facinus in cuiuscunque mortalium nece vindicandum detegitur, vos vero ac liberos Germanici, et nos parentes iustis solatiis afficite.* Phinees ad Hebraeorum exercitum apud Philonem in de Mosis vita: Ἔστιν οὖν ἄτοπον οἰκείων μὲν αὐτόχειρας γεγενῆσθαι παρανομησάντων, ἐχθρῶν δὲ χαλεπώτερα ἠδικηκότων ἀπέχεσθαι. Et nota, *in alienum hominem.* Aristoph. Equit. Εἴ που δικίδιον εἶπας εὖ κατὰ ξένου etc. Scholiastes: Οἱ γὰρ κατὰ ξένου λέγοντες, εὐκόλως λέγουσιν.

Ibid. *Constanter itaque* etc. *ferte sententias* etc.] Quintilianus 6. 1. *Utitur frequenter accusator et miseratione*, etc. *sed id saepius accusatoris est, avertere Iudicem a miseratione, quareus sit usurus, et ad fortiter iudicandum concitare.* Supra lib. 2. *Extremum facinus in nefariam* etc. *istam faeminam severiter vindicate.*

Ibid. *Ac me statim praeco, si quid ad ea respondere vellem, iubet incipere*] Irenaeus: *Ecce iudex in proximo, et praeco iubet me defensioni meae adesse.*

Ibid. *At ego, nihil tunc temporis amplius quam flere poteram*] Ὅταν ἀμηχανήσωμεν, εἰώθαμεν εἰς δάκρυα καταφέρεσθαι. Theophylactus ad cap. 4. Galat.

Ibid.

Ibid. *Non tam me hercules truculentam accusationem intuens, quam meam miseram conscientiam*] Menander: Ὁ συνιστορῶν αὐτῷ τι, κ' ἂν ᾖ θρασύτατος, Ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ. Apud Euripidem dicenti Menelao, Ὀρέστα τλῆμον, τίς σ' ἀπόλλυσι νόσος, respondetur: Ἡ σύνεσις, ὅτι σύνοιδα δειν' εἰργασμένος.

Ibid. *Tamen oborta divinitus audacia* etc.] Idem Euripid. Ὁ Φόβος, ὅταν τι σώματος μέλει πέρι Λέγειν καταστὰς εἰς ἀγῶν' ἐναντίον, Τότε στόμ' εἰς ἔκπληξιν ἀνθρώπων ἄγει, Τὸν νοῦν τ' ἀπείργει μὴ λέγειν ἃ βούλεται. Non ergo temere heic audacia divinitus oborta.

Pag. 46. *Nec ipse ignoro quam sit arduum* etc. *eum qui caedis arguatur, quamvis vera dicat*, etc. *tamen multitudini tantae quod sit innocens persuadere*] Caracalla apud Herodianum 4. Geta fratre occiso: Οὐκ ἀγνοῶ μὲν ὅτι πᾶς οἰκείου φόνος εὐθέως ἀκουσθεὶς μεμίσηται. τό τε ὄνομα ταῖς ἀκοαῖς ἅμα τῷ προσπεσεῖν, εὐθὺς φέρει χαλεπὴν διαβολὴν etc. cum sequentibus, simillimis Appuleianis hisce. Quintilianus 12 1. *Frequenter evenit ut optimae causae similes sint malis, et innocens reus multis verisimilibus prematur.* Bene autem *quod sit innocens persuadere*, nam et *nonnunquam innocentia cum homicidio consistit*. l. 12. ff. ad l. Cornel. de sicar. etc.

Ibid. *Si paulisper audientiam publica mihi tribuerit humanitas* etc.] Seneca 2. 34. de Benef. *Quod dico, non videbitur durum, quamvis primo contra opinionem pugnet tuam, si te commodaverit mihi. Audiendi patientiam commodare* 1. 1. Lactantius dixit. Glossarium: Ἀκρόασις, *audientia*, etc. utitur et lib. 2. Salvianus.

Ibid. *Facile vos edocebo me discrimen capitis non meo merito, sed rationabilis indignationis eventu fortuito tantam criminis invidiam frustra sustinere*] Nota, *eventu fortuito*. Suidas in ἐσθλά: Ἔτι γὰρ ὅτε καὶ ταὐτόματον ταῖς τῶν ἀγαθῶν ἐπιβολαῖς ἀντέπραξε. Infra heic: *Meditatus innoxios casus incertus vel etiam adversus, culpae non potest adiicere.* quem locum postea emendabimus. *Frustra me sustinere* (inquit). *Neque enim continuo occisus homo ad crimen et damnationem pertinet.* sunt verba Quintiliani Declam. 2. 8. Idem 12. 1. Institut. *Si hominem occidere saepe virtus, liberos necare nonnunquam pulcherrimum est, asperiora quaedam adhuc dictu, si communis utilitas exegerit, facere conceditur. Ne hoc quidem nudum intuendum est, qualem causam vir bonus, sed etiam quare, et qua mente defendat.* Caracalla ubi supra: Πλὴν εἴ τις ὀρθῇ κρίσει, καὶ μὴ διαθέσει τῇ πρὸς τὸν πεσόντα, τὸ πεπραγμένον λογίζοιτο, τήν τε αἰτίαν αὐτοῦ, καὶ τὴν ὑπόθεσιν ἐξετάζοι, εὕροι ἂν ὁμοῦ καὶ εὔλογον καὶ ἀναγκαῖον, τὸν μέλλοντα πείσεσθαι δεινὸν, ἀμύνασθαι μᾶλλον ἢ ὑπομεῖναι. Pulcherrime autem et ad sensum et verba Appuleii Tertullianus in de Anima: *Non semper ex irrationali censenda sunt indignativum et concupiscentivum.* Mox: *Dat et Apostolus nobis concupiscentiam. Si quis Episcopatum concupiscit, bonum opus concupiscit: sed bonum opus dicens, rationalem concupiscentiam ostendit. Concedit et indignationem. quid ni? quam et ipse suscepit. Utinam et praecidantur qui vos subvertunt. Rationalis est indignatio, quae ex affectu disciplinae est.* Onomasticon vetus: *Rationabile*, εὔλογον. contra in Quintiliani Declam. 325. *irrationabilis animi impetus.*

Ibid. *Nam cum a coena me serius aliquanto reciperem, potulentus* etc.] Aristoph. Vesp. Ἔπειτ' ἐπειδὴ μεθύει, οἴκαδ' ἔρχεται. In supplemento Libri 43. T. Livii: *Cum in publico epulatus reverteretur domum potulentus.* Lucianus Somn. Βαθείας ἤδη ἑσπέρας ἥκει ὑποβεβρεγμένος. Cicero Famil. 7. 23. *Et si domum bene potus, seroque redieram.* Plautus, emendante Scaligero ad Varronem: *Inde bene appotus primulo crepusculo, Domum ire coepi tramite dextra via.* De Hercule Theocritus 17. Ἐπεὶ δαίτηθεν ἴοι κεκορημένος ἤδη Νέκταρος εὐόδμοιο φίλας ἐς δῶμ' ἀλόχοιο.

Ibid. *Verum crimen meum*] Ita bene et Oxon. MS.

Ibid. *Ad bonum autem Milonem civem vestrum devorto*] Cato apud Festum Pompeium: *Divortebantur pro hospitibus ad amicos suos.*

Ibid. *Video quosdam saevissimos latrones* etc.] Hanc lectionem praeferunt excusi omnes: mihi placeret tamen, *Video tres q. l.* Supra lib. 2. *Introductis septem quibusdam testibus.* Ibidem de his iisdem iuvenibus: *Ecce tres quidam vegetis et vastis corporibus* etc.

Ibid. *Et domus ianuas* etc. *evellere gestientes*] Exaggeranter et invidiose dictum. Virgilius: *Emoti procumbunt cardine postes, Fit via vi.* Aeneid. 2. *Postesque a cardine vellit.* Servius: *Non, deiecit.*

Ibid. *Quae accuratissime affixa fuerant*] Glossarium: Σπουδαιότατα: *accuratissime.*

Ibid. *Heus pueri (inquit) maribus animis* etc.] Virgilius: *Nunc animis opus ô socii, nunc pectore firmo.* Ovidius Metam. *Non est hortamine longo Nunc ait utendum: vires effundite vestras.* ψυχὰς ἀρσενικὰς ἔχειν etiam Anonymus quis apud Suidam v. ἔσχαζεν dixit. Vicent. et Oxon. MS. *quam maribus animis.*

Ibid. *Ignavia omnis facessat e pectore;* etc. *per totam domum caedes ambulet*] *Lateque vagetur Ensis, et a nullo revocetur pectore ferrum.— Saevam nullo discrimine caedem Iam facite, irarumque omnes effundite habenas.— Certetur omni scelere, et alterna vice Stringatur ensis, ne sit irarum modus Pudorve, mentes caecus instiga-*

furor. In Hecyra Terent. *Te sedulo Et moneo et hortor, ne cuiusquam misereat, Quin spolies, mutiles, laceres quemquem nacta sis.* Apud Plautum Amphitr. *Certum 'st, introrumpam in aedibus, ubi quemque hominem aspexero, Sive ancillam, sive servum, sive uxorem, sive adulterum, Seu patrem, sive avum videro, obtruncabo in aedibus. Ambulet* hîc pro *grassetur.* De canibus lib. 9. *Alios stantibus inhaerere, alios iacentes inscendere, et per omnem nostrum commeatum morsibus ambulare.*

Ibid. *Sic salvi recedemus, si salvum in domo neminem reliquerimus*] Aeneid. 4. *Audendum dextra, nunc ipsa vocat res. Hac iter est.* ubi Servius: *Per hostium caedem, et audaciam nostram.* Apud Gellium ille 3. 6. *Alia nisi haec, salutis via nulla est.*

Ibid. *Fateor Quirites* etc.] Donatus ad 2. 1. Phorm. *Non negat crimen, occasionem laudis de confessione sumpturus.*

Ibid. *Boni civis officium arbitratus* etc.] Terentius ibidem: *Functus adolescentuli est officium liberalis.* ubi Donatus: *Potenter officium nominat, quod ille crimen appellat.*

Ibid. *Gladiolo, qui me propter huiusmodi pericula comitabatur* etc.] Cantic. 3. 8. *Uniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Seneca de privato loquens 1. 8. de Clement. *Possum in qualibet parte Urbis solus incedere sine timore, quamvis nullus sequatur comes, nullus sit domi, nullus ad latus gladius.* Et nota heic *propter pericula comitabatur.* In l. penult. ad l. Iul. de vi publ. *Qui telum tutandae salutis suae causa gerunt, non videntur hominis occidendi causa portare.* Phocylides: Τὸ ξίφος ἀμφιβαλοῦ, μὴ πρὸς φόνον, ἀλλ' εἰς ἄμυναν. Ambrosius in Lucam: *Domine cur me emere gladium iubes, qui me ferire prohibes? cur haberi praecipis, quem vetas promi? nisi forte ut sit parata defensio, non ultio necessaria.* Diodorus Siculus lib. 12. de Charonda: Ἐπὶ τὴν χώραν ἐξιὼν μετὰ ξιφιδίου, διὰ τοὺς λῃστὰς. Iosephus Bell. Iud. 2. 12. de Essaeis: Διὰ τοὺς λῃστὰς ἔνοπλοι. Vide et 3. 2. Quintilianum. De *gladio* autem eleganter *comitabatur.* Supra Lib. 2. *Nec tamen incomitatus ibo, nam gladio cinctus* etc. Hesychius: Παροπαίδιον, μικρὰ μάχαιρα. ubi forsan παροπάδιον scribendum: παροπάδιον nempe, quod ὀπαδοῦ ritu gestantem comitetur. De Hercule in Apologia Noster: *Neque una pelle vestitior, neque uno baculo comitatior.*

Ibid. *Extremos latrones* etc. *fugare atque proterrere aggressus sum*] Mithridates apud Iustinum lib. 38. *Quippe adversus latrones, si nequeant pro salute, pro ultione tamen omnes ferrum stringere.* Ait, *fugare et proterrere.* Lucretius non absimili copula: *Fugitare decet simulachra, et pabula amoris Absterrere sibi.* Et Seneca 2. 26. de Clementia: *Quocunque ventum est, multum sanguinis fundere, aspectu suo terrere ac fugare.* Glossae: Καταπτοῶ. *proterreo, perterreo.*

Ibid. *Cum ne viderent in ferro*] Id est, *ferro armatum.* Sic apud Sallust. Catil. *In armis esse.* Varronem apud Nonnium, *Servi in armis contra Dominos.* et Heliodorum ἐν ὅπλοις ἄνδρες. Act. 1. 10. ἐν λευκῇ ἐσθῆτι. Iacobum 2. 2. ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ. Solinus cap. 11. *Campus Ennensis, in floribus semper.*

Pag. 47. *Dirigitur praeliaris acies*] A Virgilio, qui, *Direxere acies.* Infra 8. *Nec quidquam praeter unicam tubam deerat, quin acies praeliaris esset.*

Ibid. *Ipse denique dux et signifer caeterorum* etc.] Petronius: *Unus denique, Dux et magister saevitiae, non dubitavit* etc. Proconsul ad S. Cyprianum: *Nequissimi criminis auctor et signifer deprehensus es.* Illa *dux et signifer* a Cicerone sunt, qui in Orat. pro Muraena, *Dux et signifer calamitosorum.* Cyprianus *Auctor iniqui nominis et signifer.* Glossae: Ὁ τάγματος ἡγούμενος. *factionarius.* Sidonius lib. 8. *Factionis fomes, incentor, antesignanus.*

Ibid. *Capillo abreptum ac retroflexum* etc.] Oxon. *retro reflexum.* Mos hic eorum qui alium interempturi sunt. Hippolitus apud Senecam: *En, impudicum crine contorto caput Laeva reflexi.* Virgilius 12. *Caesariem laeva turbati corripit hostis, Impressoque genu nitens, terrae applicat ipsum.* Hieronymus in vita Hilarionis: *Reflexâ super humeros manu caput eius tetigit: apprehensoque crine ante pedes adduxit.* Anonymus apud Suidam: Ἐπισπασάμενος τῆς κόμης τοῦτον, κτείνειν ἔμελλεν. Scriptor Iudithae 13. 9. Ἐδράξατο τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, etc. καὶ ἐπάταξεν εἰς τὸν τράχηλον αὐτοῦ δὶς ἐν τῇ ἰσχύει αὐτῆς. Ioseph. bell. Iud. 2. 19. Τὸν πατέρα τῆς πολιᾶς ἐπισπασάμενος, διελαύνει τῷ ξίφει. Plutarchus in Artaxerxis vita de spiculatore: Τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ δραξάμενος τῆς κόμης αὐτοῦ, καὶ κατααγαγὼν, ἀπέτεμε τῷ ξυρῷ τὸν τράχηλον. Graecis nonnunquam hic actus ἐπικομάσαι. Hesychius: Ἐπικομάσας, κρατήσας ταῖς θριξὶ. vide et eundem in Κουρὶξ αἰνομένους. Porro in Appuleio legendum *arreptum* puto. Ovidius Metam. 2. *Dixit, et arreptam prensis a fronte capillis Stravit humi.*

Ibid. *Effligere lapide gestit*] Lib. 4. *Saxo grandi* etc. *misellum iuvenem maritum meum percussum interemit.* Arrianus 2. 16. in Epictetum: Ὅταν σεισμὸς γένηται, φαντάζομαι ὅτι ἡ πόλις ἐπιπίπτειν μοι μέλλει· οὐ γὰρ ἀρκεῖ μικρὸν λιθάριον, ἵν' ἔξω μου τὸν ἐγκέφαλον βάλῃ; *Effligere* est et in Oxoniensi MS. in alio male *affligere.* Seneca 2. de Ira, *feras et nutrices effligere* dixit: et *spicas manibus effligere* Tertullianus.

Ibid.

Ibid. *Quem dum sibi porrigi flagitat, certa manu percussum, foeliciter prosterno*] Virgilius, (ex quo haec sua Appuleius adumbravit,) *Hunc, magno vellit dum pondere saxum, Intorto infigit telo. Certa manu*, ut apud Senecam Oedipo: *Dum manus certum petit alta vulnus.* et Virgil. 12. *Horum unum certo contorquens dirigit ictu.* Apud eundem 11. *Certam quatit improbus hastam.* ubi Servius: *Inevitabilem.* Seneca 2. 31. de Benef. *Teli iactus certae manus peregit officium, si petita percussit.* Virgil. 7. *Nec dextrae erranti Deus abfuit.* ubi Servius: *Licet enim certum esset feriturum, tamen bene errantem dixit, quia non usquequaque certus semper est ictus.* Inde apud eundem 2. *Incertam excussit cervice securim.* ubi et Servius: *Dubie illisam, quae non habet mortis effectum.* Sic *fulmina parum certa* in Senecae Apocoloc.

Ibid. *Quem dum sibi porrigi flagitat*] Apud Horatium ille: *Unde mihi lapidem?*

Ibid. *Certa manu percussum foeliciter prosterno*] Euphiletus apud Lysiam in caede Eratosthenis: Ἐγὼ δὲ etc. πατάξας, καταβάλλω αὐτόν.

Ibid. *Per scapulas ictu temperato*] Homerus Odyss. χ. Ἀλλ᾽ ἄρα μιν φθῆ Τηλέμαχος, κατόπισθε βαλὼν χαλκήρεϊ δουρὶ Ὤμων μεσσηγύς. Infra hic Lib. 4. *Ictu per articulum medium temperato.*

Ibid. *Salute communi protecta*] Lib. 4. *Salutis communis admonens.*

Ibid. *Non tantum impunem me, verum etiam laudabilem* etc.] Philo de legg. special. Οὐ πᾶσα ἀνδροφονία σὺν ἀδικίᾳ μόνῃ ἐστι: καὶ τῶν ἄλλων ἐπαινετὴ μὲν ἡ κατὰ πόθον καὶ ζῆλον ἀρετῆς. Ait, *non tantum impunem se sed et laudabilem* etc. Saepe sic loqui animadverti utriusque Linguae Scriptores: nonnullosque id genus locos aliis intactos depromam. Quintilianus 12. 1. *Quod si quaedam benefacta damnaturus est Iudex, nisi ea non esse facta convicerimus, non vel hoc modo servabit Orator non innocentem modo, sed et laudabilem civem?* Apud Eundem 9. Declam. ille: *Pars ista criminis mei (Iudices) non defendi meruit, sed laudari.* Apud Lucianum in Philopseude: Συγγνώμης οὗτοί γε, μᾶλλον καὶ ἐπαίνου τινὲς αὐτῶν ἄξιοι. Apud eundem in Piscator. Ὑμεῖς τιμᾶν ἐπὶ τούτοις δέον, εἰς δικαστήριον ἄγετε. Cicero: *Occidit Saturninum Rabirius. utinam fecisset: non supplicium deprecarer, sed praemium postularem.* ubi τὸ *fecisset* reiiciendum credo. Ioannes et Rusticus in Apologia sua apud Agathiam Scholiasticum: Μετήγαγε μὲν ἡμῖν ἀθρόον, καὶ περιέστησεν εἰς τοὐναντίον τὰς τῶν δοκηθέντων ἐκβάσεις ἡ Τύχη· καὶ δέον μεγίστων γερῶν ἀπονασθαι, πάρεσμεν θανάτου φευξάμενοι δίκην. Plinius Epistolarum lib. 3. *Ut mihi non veniae solum dignae, verum etiam laude videantur illae regiae lacrymae.* Idem Lib. 4. *Non absolutionem modo, verum etiam laudem merebatur.* Ibidem: *Quanquam non solum veniam me, verum etiam laudem apud istum ipsum* etc. *arbitror consecuturum.* 8. *Non modo venia, verum etiam laude dignissimos iudico.* et 9. *Laus prius speranda, quam venia obsecranda est.* Horatius: *Nec veniam antiquis, sed honorem et praemia posco.* Gellius 7. 3. de Catone: *In qua re, ut meum quidem iudicium est, non culpa tantum vacat, sed dignus quoque laude admirationeque est.* Apud Minucium Foelicem: *Non tantum facti veniam, verum etiam iudicii gratiam consecuturum.*

Ibid. *Istius reatus*] Onomast. vetus: *Reatus*, αἰτία.

Ibid. *Probe spectatus apud meos*] Δόκιμος, ut loquuntur Graeci: vel (ut Act. 10. 22.) μαρτυρούμενος. Vide et Act. 16. 2. Infra hîc lib. 7. *Officiis in aula Caesaris clarus, ipsi etiam probe spectatus.* ubi notata vide. *Apud meos*, ut lib. 6. *ad tuos.* Florid. 3. *apud suos.* sic Ioh. 1. 11. Act. 4. 23. et 1. Tim. 5. 8. οἱ ἴδιοι.

Ibid. *Probe spectatus apud meos*, etc.] In Apologetico: *Vir probe inter suos cognitus.* Defensionis locum ex anteacta vita solent rei, nec inepte, petere. Cicero in pro Roscio Amerino: *Dabit nobis iam tacite vita acta in utramque partem firmum et grave testimonium.* Idem pro Cluentio: *Perinde ut opinio est de cuiusque moribus, ita quid ab eo factum, et non factum sit, existimari potest.* Et pro Sylla: *Omnibus in rebus quae graviores maioresque sunt, quid quisque voluerit, cogitaverit, admiserit, non ex crimine, sed ex moribus eius qui arguitur, est ponderandum: neque enim potest quisquam nostrûm subito fingi, neque cuiuspiam vita repente mutari, aut natura converti; vita torqueatur, ex ea quaeratur*, etc.

Ibid. *Insuper innocentiam cunctis commodis antetulerim*] Sic in Apologia: *Si verum est quod Statium Caecilium* etc. *scripsisse dicunt, Innocentiam eloquentiam esse: ego vero profiteor ista ratione* etc. *nemini omnium de eloquentia concessurum.*

Ibid. *Cum nemo possit monstrare vel privatas inter nos inimicitias praecessisse*] Euphiletus Eratosthenicae caedis apud Lysiam reus: Καὶ, οὔτε ἔχθρα ἐμοὶ καὶ ἐκείνῳ οὐδεμία ἦν, etc. πλὴν τῆς κατὰ νόμον τιμωρίας. Et post: Σκέψασθε etc. ζητοῦντες εἴ τις ἐμοὶ καὶ Ἐρατοσθένει ἔχθρα πώποτε γεγένηται: etc. οὐδεμίαν γὰρ εὑρήσετε. Vide Deuteron. 19. 4. 5. 6. Apud Quintilianum Declam. 312. *Occidit eum a quo pecunia negabatur. Iterum quaero, qua ratione? qua causa? odium fuit? unde?* Sed nec probatae inimicitiae ubique certum argumentum habitae. Idem Declam. 328. *Non continuo sequitur, ut si quis aliquo odio concitatus est adver-*

versus aliquem, hunc etiam ferro exstincturus sit: innocenter inimicitias gerere fas est.

Ibid. *Vel certe ulla praeda monstretur, cuius cupidine tantum flagitium credatur admissum*] Euphiletus ubi supra: Οὔτε χρημάτων ἕνεκα ἔπραξα ταῦτα etc. οὔτε ἄλλου κέρδους οὐδενός. post: Οὔτε, εἰ ταῦτα διεπραξάμην, ἤλπιζον μὲν χρήματα λήψεσθαι· ἔνιοι γὰρ τοιούτων πραγμάτων ἕνεκα ἀλλήλοις θάνατον ἐπιβουλεύουσι. D. Augustinus Confess. 2. 5. *Cum itaque de facinore quaeritur, qua causa factum sit, credi non solet, nisi cum appetitus adipiscendi alicuius illorum bonorum quae infima dicimus, apparere potuerit*, etc. Adde quae olim ad Apologiam pag. 55. dicta.

Ibid. *Haec profatus, rursum lacrymis obortis, porrectisque in preces manibus* etc.] Nota, haec in fine defensionis adhibita. Apud Quintilianum 3. Declamat. *Hoc quidem profecto non exspectas, ut in extrema actione, miserabili fletu et humili oratione vitam genu nixus petat.* Servius ad Aeneid. 10. *In fine iam agit miserabiliter, sicut in principio egit.*

Ibid. *Moestus nunc hos, nunc illos deprecabar*] Τοῖς μὲν πρὸς τὰ γόνατα πίπτων, τοῖς δὲ ταῖς χερσὶν ἐπιφυόμενος ἐδεῖτο. in Eclog. Diod. Siculi.

Ibid. *Cumque iam humanitate commotos, misericordia fletuum affectos satis omnes crederem* etc.] Apud Quintilianum Declam. 315. *Ecce iam miserantes video Iudicum vultus, quorundam deprehenduntur lacrymae. Humanitate commotos*, est, *communi humanitatis iure c.* ut supra locutus.

Ibid. *Risu cachinnabili* etc.] Seneca: *Risus sit sine cachinno.*

Pag. 48. *En fides inquam!* etc.] Virgilius: *En, haec promissa fides est?* Ovidius: *Iura, fides, ubi nunc? commissaque dextera dextrae?* Suetonius de Nerone: *Semianimis introrumpenti Centurioni, et, penulâ ad vulnus oppositâ, in auxilium se venisse simulanti, non aliud respondit, quam, Sero: et, Haec est fides.* τὸ *en* indignantis est. Venus lib. 4. *En rerum naturae prisca parens* etc. Lib. 5. *En orba, et scaeva, et iniqua Fortuna.* et 9. *En inquiunt indignae rei scaevitatem.* Virgilius supra adductus: *En, haec promissa fides est? En fides!* est, *En Fidei secreta numina:* ut infra lib. 7. loquitur.

Ibid. *En fides! inquam:* etc. *ego quidem pro salute hospitis et homicida sum*, etc. *at ille* etc.] Virgil. *En dextra, fidesque.* Apud Terentium Heautont. 2. 3. ille: *O Iupiter! ubinam est fides? Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci, Collupletasti te Antiphila, et me in his deseruisti malis.* Catullus: *Certe ego te in medio certantem turbine lethi Eripui, et potius germanam amittere crevi, Quam tibi fallaci supremo in tempore deesse. Pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque Praeda, nec Iniectâ tumulabor mortua terra.*

Ibid. *Ille non contentus quod mihi nec assistendi solatium perhibuit, insuper exitium meum cachinnat*] Apud Ovid. 8. Metam. *Nec dolor hic solus, diro convicia facto Tantalus adiecit.* Idem 4. 3. de Ponto: *Si mihi rebus opem nullam factisque ferebas, Venisset verbis charta notata tribus. Vix equidem credo, sed et insultare iacenti Te mihi, nec verbis parcere fama refert.* Megara apud Euripidem in Herc. fur. Ἡμᾶς δ᾽ ἐπειδὴ δεῖ θανεῖν, θνήσκειν χρεὼν Μὴ πυρὶ καταξανθέντας ἐχθροῖσι γέλων Διδόντας, ὃ 'μοὶ τοῦ θανεῖν μεῖζον κακόν. Iosephus bell. Iud. 4. 12. Παρεκίνατο δὲ τοῖς δεινοῖς ἡ εἰρωνεία, τὸ τῶν ἐνεργουμένων ἀλγεινότερον. Cicero pro Rabirio: *Satis est lapsos non erigere, urgere vero iacentes, aut praecipitatos impellere, certe est inhumanum.*

Ibid. *Parvulum quendam sinu tolerans*] Tacit. Ann. 1. *Parvulum sinu filium gerens.*

Ibid. *At ille non contentus* etc.] Καὶ οὐκ ἀρκούμενος ἐπὶ τούτοις, ut Ioh. 3. Epist. com. 10. de Diotrephe. Infra lib. 10. *Nec tam immanibus contenta mendaciis*, etc. et 7. *Nec* etc. *immodico sarcinae pondere contentus*, etc.

Ibid. *Anus pannis horridis obsita*] Talis apud Petronium *anus laceratis crinibus, nigraque veste deformis.* Terent. *Pannis annisque obsitus.*

Ibid. *Paribusque moesta fletibus*] Scribendum existimo, *paribusque mixta f.* Miles. 9. *Non quidem incoram noxae deprehensus, conscientia tamen pessima permixtus lacrymis uberibus.* Eod. lib. *At meus Dominus adhuc moerore permixtus*, etc. et 11. *Pavore et gaudio permixtus.*

Ibid. *Per publicam misericordiam, per commune ius humanitatis* etc.] Lactant. 2. 22. *Cum natura hominis imbecillior sit quam caeterorum animalium, quae vel ad perferendam vim temporum, vel ad incursiones a suis corporibus arcendas naturalibus munimentis providentia coelestis armavit: homini quia nihil istorum datum est, accepit pro omnibus istis* MISERATIONIS *affectum, qui plane vocatur* HUMANITAS: *quâ nosmetipsos invicem tueremur.* Cicero: *Tamen civis civem a civibus communis* HUMANITATIS IURE, *ac* MISERICORDIA *deprecamur.* Noster in Apologia: *Athenienses, propter commune ius humanitatis* etc. Seneca Epist. 48. *Haec societas diligenter ac sancte tuenda est, quae nos omnes omnibus miscet, et indicat aliquod esse commune ius generis humani.* quod 1. 18. de Clementia *commune animantium ius* vocavit. Arnobius lib. 4. *Per humani generis iura, atque ipsius mortalitatis consortia*, etc.

Ibid. *Per publicam misericordiam*] Lib. 2. eodem sensu: *Per publicam pietatem* dixit.

Ibid. *Miseremini indigne caesorum iuvenum*] Apud Quintilian. Declam. 15. *Consurge, agedum iu-*

iuvenis: et totis corporis animique viribus imple susceptae accusationis horrorem. Est quod audiente tota civitate proclames, Miseremini etc. Similis implorationis exemplum ibidem 6. *Per omnes casus, per calamitatem meam humanae calamitatis exemplar, ita vos coniuges vestrae ament, sic non desiderent: ita vobis habere tam pios filios necesse sit, miseremini.*

Ibid. *Certe parvuli huius in primis annis destituti fortunis succurrite*] Salvianus in Epistolis: *Utantur illorum more et exemplo, qui ultimo causarum loco aliqua nonnunquam ad commovendam Iudicum misericordiam proferebant laturis sententiam disceptatoribus, aut lamentantes matresfamilias, aut sordidatos senes, aut plorantes parvulos ingerentes; scilicet, ut qui superiora causae verbis iam exoraverant, posteriora rebus ipsis perorarent.* Quintilianus 6. 1. *Ex personis quoque trahitur affectus: non enim audire videtur Iudex aliena mala deflentes, sed sensum ac vocem auribus accipere miserorum, quorum etiam mutus aspectus lacrimas movet; quantoque essent miserabiliora si ea dicerent ipsi, tanto sunt quadam proportione ad afficiendum potentiora, cum velut ipsorum ore dicuntur: ut scaenicis actoribus eadem vox, eadem pronunciatio ad movendos affectus, sub persona valet.*

Ibid. *Magistratus qui natu maior assurgit, et ad populum talia*] Cicero 4. Verr. *Incipit is loqui qui et auctoritate et aetate, et, ut mihi visum est, rerum usu antecedebat.* Sirachides 32. 4. Λάλησον πρεσβύτερε, πρέπει γάρ σοι. Infra lib. 10. *Unus e Curia senior* etc. *haec ad Ordinem pertulit.*

Ibid. *Quod serio vindicandum*] Oxoniensis: *Q. ferro v. est.* et post, male, *subsidua sollicitudo.*

Ibid. *Ut caeteros socios tanti facinoris requiratis*] In l. 9. Cod. de Malef. et Mathem. *Quod publicum reum, ne facinoris socios publicaret, severitati legum* etc. *subtraxerit.* Servius ad Aeneid. 3. in fabula Myrtus: *Latro poenis adactus, omnia quae intendebantur confessus est, socios quoque ubinam essent prodidit.* Tertullianus in Apologetico: *Ad socios* etc. *inquisitio usque extenditur.* Idem in de carn. resurrect. *Humana censura eo perfectior habetur, quo etiam ministros facti cuiusque deposcit.* Apud Aelianum Var. 4. 2. Στρεβλούμενος ἵν' εἴπῃ τοὺς συνεγνωκότας. Adde Tacitum paulo infra adductum.

Ibid. *Nec enim verisimile est hominem solitarium tres tam validos evitâsse iuvenes*] Puto sumpta esse ex Homeri hisce Odyss. χ. Τίς κ' οἴοιτο μετ' ἀνδράσι δαιτυμόνεσσι, Μοῦνον ἐνὶ πλεόνεσσι, καὶ εἰ μάλα κάρτερος εἴη, Οἱ τεύξειν θάνατόν τε κακὸν, καὶ κῆρα μέλαιναν. Cuiusmodi et haec Helenae apud Euripidem: Πῶς εἰδέναι πρόθυμος, οὐ γὰρ ἐλπίδων Εἴσω βέβηκα μίαν ὑπερδραμεῖν, Τόσους δὲ ναύτας ὧν ἀπεστάλης μετά. De voce *evitare* vide Elmenhorstii Indicem, et adde ista 4. 34. Artemidori: Τὸ, ἔκβιόν σε ποιήσω, ὅμοιον τῷ, ἔξω τοῦ βίου ποιήσω: τουτέστιν, ἀποκτενῶ.

Ibid. *Prohinc tormentis veritas exprimenda est*] Tacitus Annal. 14. *Ordinem insidiarum, seque auctorem, et socios per tormenta edidit.* Et bene *veritatem tormentis exprimendam* dixit. Sic infra 10. *Vi tormentorum veritatem eruit.* Plinius Epist. libro 10. *Necessarium credidi* etc. *quid esset veri, et per tormenta quaerere.* Sidonius 8. 11. *Criminis veritatem de pectoribus invitis tormentorum terror extraxit.* In l. 22. Cod. de administr. tutor. vel curat. *Sub quaestionem positi, poterunt veritatem prodere.* Isidorus Orig. 5. 22. *Fidiculae dictae, quod iis rei* etc. *torquentur, ut fides inveniatur.* ubi *fidem veritatis* intellige. Synesius in Epistolis, διὰ βασάνων τὴν ἀλήθειαν θηρᾶσθαι dixit: et post, de quaestionariis loquens: Ὄνυχές τινες αὐτοῖς εἰσὶν ἐξευρημένοι, συλλογισμῶν ἐπιστημονικῶν ἔχοντες δύναμιν, ὥς θ' ἔτι ἂν ἐκείνων κρατούντων ἀναφάνῃ τούτοις αὐτὸ τ' ἀληθές. Aelianus apud Suidam: Ἐκεῖνον etc. στρεβλοῦσι, καὶ κατατεινόμενος ἀληθῆ λέγει. Notabis porro locutionem *exprimere veritatem.* In l. 1. ff. de quaestion. *Sunt qui duritiâ tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi ab iis veritas non possit.* Cyprianus ad Demetrianum: *Torquentur rei, qui se negant crimine quo accusantur teneri, ut facinoris veritas, quae indice voce non promitur, dolore corporis exprimatur.*

Ibid. *Et res ad hoc deducta est*] Quintilianus Declam. 322. *Omnisque eo deducitur quaestio, ut dispiciatis* etc. Cicero in pro Roscio Comoedo: *Ergo huc universa causa deducitur, ut* etc.

Ibid. *Ignis et rota, tum omne flagrorum genus inferuntur*] Plutarchus in περὶ ἀδολεσχ. Ἀνήρπαστο καὶ βάσανοι, καὶ πῦρ, καὶ μάστιγες ἐπ' αὐτόν. Achilles Tatius Lib. 7. Τῶν μὲν μάστιγας κομιζόντων, τῶν δὲ πῦρ, καὶ τροχὸν etc. Agathias in re simili: Δεσμοὶ σιδηροὶ περιαυχένιοι, κλινοστρόφιά τε καὶ ποδοστράβαι, καὶ ἄττα ἄλλα ὄργανα κολαστήρια. Ammianus lib. 29. *Intenduntur equulei, expediuntur pondera plumbea, cum fidiculis et verberibus.* Quintilianus 9. Declam. *Fremebant omnia apparatu mortis: hic ferrum acuebat, ille accendebat ignibus* (malim *ignitas*) *laminas: hinc virgae, inde flagella adhibebantur.*

Pag. 49. *Duplicatur mihi moestitia, quod integro saltem mihi mori non licuerit*] Virgil. 1. *Ingemit.* ubi Servius: *Non propter mortem* etc. *sed propter mortis genus.*

Ibid. *Quod integro saltem mihi mori non licuerit*] Miles. 7. *Moriturus equidem nihilominus, sed moriturus integer.* Iuvenalis: *Ceciditque*

que Cethegus Integer, et iacuit Catilina cadavere toto. Philo 2. de legg. special. Μεγάλην, ὡς ἐν κακοπραγίαις νομίζοντες εὐτυχίαν, τὴν ἄνευ βασάνων τελευτήν.

Ibid. *Permitte corpora necatorum revelari*] Quintilianus 6. 2. *Non solum autem dicendo sed etiam faciendo quaedam, lacrymas movemus: unde et producere ipsos qui periclitantur squalidos atque deformes: et liberos eorum ac parentes institutum: et ab accusatoribus ostendi cruentum gladium, et lecta e vulneribus ossa, et vestes sanguine perfusas videmus, et vulnera resolvi, et verberata corpora nudari: quarum rerum ingens plerumque vis est, velut in rem praesentem animos hominum ducentium.*

Ibid. *Ut et formae simul, et aetatis contemplatione ad iustam indignationem arrecti, pro modo facinoris saeviatis*] Plane sic altera mater illa apud Quintilianum 10. Declam. *Miseremini Iudices, ut hoc facinus quibus debetis, accipiatis animis.* Pro *arrecti* heic, (quod mendum et lib. 2. sustulimus) *erecti* reponendum puto. Ammianus (indubie ex hoc Appuleii loco) Lib. 17. *Ad indignationem iustam erectus Iulianus.* Et Lib. 26. *Ad indignationem iustam Imperator erectus.* Notetur heic autem *formae et aetatis* coniunctio. Afranius: *Aetas integra est, formae satis.* Terentius Andr. *Mi Pamphile, huius formam atque aetatem vides.* ubi Eugraphius: *Commendatio, duas ad misericordiam causas continens: formam atque aetatem.* ad quem locum etiam Donatum vide. Iustinus lib. 5. de Alcibiade: *Aetatis fiore, et formae veneratione* etc. *inter Athenienses insignis.* Statius in Epicedio pueri: *Hinc anni stantes in limine vitae. Hinc me forma movet.* Ibidem Parcam alloquens: *Non te forma movet, non te lacrymabilis aetas?* Virgilius 7. *Hunc decus egregium formae movet atque iuventa.* sic supra lib. 2. Noster *aetatem* et *pulchritudinem* iunxit. Iosephus 15. 3. de Herode loquens, Aristobulo per dolum sublato: Τάχα μὲν καὶ τοῦ πάθους ἀπονικῶντος αὐτὸν, ἐν ὄψει τῆς τε ὥρας καὶ τοῦ κάλλους, etc.

Ibid. *Arrepto pallio, retexi corpora*] Oxon. *Abiecto pallio.* sic 5. *Reiecto velamento.* et post, *detexi corpora.* Gloss. Ἀποκαλύπτω, *revelo, detego.* Aliud Glossarium: *Detexit*, ἀπεκάλυψεν.

Ibid. *Quae facies rei! quod monstrum!*] Lib. 2. *Quae facies! quod flagitium!*

Ibid. *Iam in peculio Proserpinae, et Orci familia numeratus*] Praesagio mortis certissimo quasi iam e vivis exemptus. *supervivens sibi:* etc. *vel certe destinatae iam cruci candidatus.* ut supra lib. 1. locutus. Bene itaque *in Orci familia, et Proserpinae peculio.* Virgilius 11. *Iuvenem exanimum, et nil iam coelestibus ullis Debentem*, etc. ubi Servius: *Superis debemus omnia donec vivimus: quia, ut dicunt Physici, cum nasci coeperimus, sortimur a Sole spiritum, a Luna corpus, a Marte sanguinem, a Mercurio ingenium, a Iove desiderium, a Venere cupiditates, a Saturno humorem: quae omnia singulis reddere videntur* (melius, *videmur*) *exstincti.* Idem ad Aeneid. 12. *Donec vivimus, curae sumus Diis, post mortem ad Inferos pertinemus.* *Orcus*, (ut recte Beroaldus) hîc *Plutonem* signat. vide Servium ad ea 6. Aen. *Primisque in faucibus Orci.*

Ibid. *In peculio Proserpinae, et Orci familia numeratus*] Scriptor Maccabaici 3. Πλησίον Ἅδου, μᾶλλον δ' ἐπ' αὐτῷ βεβηκότες.

Ibid. *Utres inflati, variisque foraminibus secti*] Μαχαιριδίοις τοὺς ἀσκοὺς διατντρᾷν apud Suidam occurrit.

Ibid. *Tum ille, quorundam astu cohibitus risus, libere iam exarsit in plebem*] Tale apud Tacitum illud Annal. 14. *Libertas Thraseae aliorum servitium rupit.* et Nostrum in Apologia, *Aliorum tacitas suspiciones palam abrumpere.* *Quorundam astu* et infra Lib. 6. dixit.

Ibid. *Hi gaudii nimietate gratulari, illi dolorem ventris manuum compressione sedare*] Quintilianus 6. 4. de Risu: *Erumpit invitis saepe, nec fultus ope vultus modo ac vocis exprimit confessionem, sed et totum corpus vi sua concutit.* *Gratulari* hîc est *gaudere.* Macrobius 2. 8. *gratuletur*, pro eo quod apud Gell. 19. 2. *gaudeat.* Sic infra 9. *Laboris libertate gratulari.* et 2. Florid. *Vir cui omnes Provinciae quadriiuges et seiuges currus ponere gratulantur.* Suetonius Tiber. *Gratulanti inter poenam quod non et locustam* etc. *obtulisset*, etc. Augustinus 6. 9. Confess. *Tanquam furem manifestum se comprehendisse gratulabantur.* Cassiodorus 3. 40. *Non gratulamur exigere, quod tristis noscitur solutor offerre.* et 12. 22. de Istria: *Divino munere gravidam vini, olei, vel* (id est, *et*) *tritici praesenti anno foecunditate gratulari.* Solinus, (si memini) *Cervi congregatione gratulantur.*

Ibid. *Laetitia delibuti, meque respectantes cuncti theatro facessunt*] Οὕτως (ut apud Heliodorum Lib. 7. est) ἀγὼν ὁ δι' αἵματος κριθήσεσθαι προσδοκώμενος, εἰς κωμικὸν ἐκ τραγικοῦ τὸ τέλος κατέστρεψε.

Pag. 50. *Fixus in lapidem steti gelidus*] Plaut. Trucul. *Lapideus sum, commovere me miser non audeo.* 1. Sam. 25. Ἐναπέθανεν ἡ καρδία αὐτοῦ ἐν αὐτῷ, καὶ ἐγένετο λίθος. vide et Exod. 15. 16. Infra lib. 5. *Mutata in lapidem Psyche, praesenti corpore sensibus tamen aberat.* Achilles Tatius lib. 3. de Niobe: Δόξαν παρέσχεν ἐκ τῆς ἀκινησίας ὡσεὶ λίθος γενομένη. Πήγνυσθαι ὑπὸ τοῦ θαύματος, καὶ ὑπ' ἀνθρώπου λίθος γίνεσθαι, etiam Lucianus in Imaginibus dixit, et, ἐκπλήξει εἰς τὸ ἀκίνητον πήγνυσθαι, Eunapius in Excerptis. Philo, ubi de Medusae capite: Τοῦτο μῦθον μὲν πλάσμα ἔοικεν εἶναι, τὸ δ' ἀλη-

ἀληθὲς αἱ μεγάλαι καὶ ἀβούληται συντυχίαι ἐπιφέρουσιν. In de Legatione.

Ibid. *Nihilo secius quam una de caeteris theatri statuis*] Ovidius 3. Metamorphos. *Vultuque immotus eodem Haeret, ut e Pario formatum marmore signum.* Philo: Τοῖς σώμασι παρεῖναι, τὰς διανοίας ἀπηλλάχθαι, εἰδώλων καὶ ἀνδριάντων μηδὲν διαφέροντες.

Ibid. *Nec prius ab Inferis emersi* etc.] Recte *ab Inferis emersi*, quia Orci se candidatum putavit. Themistius 5. Orat. Ὑπὸ τοῦ νόμου κατακριθέντας ἐξελέσθαι τῆς ἐκ τοῦ νόμου ἀνάγκης, καὶ ἐπαναγαγεῖν εἰς τὸν ἥλιον ἐκ τῶν πυλῶν τοῦ Ἀχέροντος. Artemidorus 2. 60. Φαμὲν ἐν τῇ συνηθείᾳ, τὸν παρὰ προσδοκίαν σωθέντα, ἐξ Ἅδου ἀναβεβηκέναι.

Ibid. *Clementi violentia secum attraxit*] Augustinus Confess. L. 8. de Alypio: *Quidam eius amici* etc. *recusantem vehementer, et resistentem, familiari violentia in amphitheatrum duxerunt.* Supra heic lib. 1. *Clementer me trahere adoritur.*

Ibid. *Et observatis viae solitudinibus, per quosdam anfractus domum suam perduxit*] Glossae: *Anfractus*, περίοδος. Petronius: *Per anfractus deinde obscurissimos egressus, in hunc locum me perduxit.* Sic Taciti Histor. 3. *viarum anfractus.* *Aversos angiportus* Plautus Persa dixit. *Viae solitudines* sunt quas Sirachides 9. 7. Τὰ τῆς πόλεως ἔρημα vocat: ubi tamen Latinus Interpres videtur ῥύμας legisse. at verior altera scriptura: sic ἔρημοι ὁδοὶ Euripides; apud quem dicenti Pentheo, Καὶ πῶς δι' ἄστεως εἶμι Καδμείους λαθών; respondet alter: Ὁδοὺς ἐρήμους ἴμεν, ἐγὼ δ' ἡγήσομαι. Agathias lib. 3. πορείας διαλανθανούσας vocavit.

Ibid. *Variis solabatur affatibus*] Catullus: *Qua solatus es allocutione?*

Ibid. *Nec tamen indignationem iniuriae, quae inhaeserat altius meo pectori, permulcere quivit*] Infra lib. 4. *Introvocatae anui praecipiunt, assidens eam blando quantum posset solaretur alloquio:* etc. *nec tamen puella quivit ullis aniculae sermonibus ab inceptis fletibus avocari.*

Ibid. *Ecce illico magistratus ipsi cum suis insignibus domum nostram ingressi* etc.] Confer Act. 16. 37.

Ibid. *Talibus me monitis delinire gestiunt*] *Me sic affari, et curas his demere dictis.*

Ibid. *Neque tuae dignitatis, vel etiam prosapiae* etc.] Miles. 10. *Ut eius prosapia atque dignitas postulabat.* Onomast. vetus: *Prosapia*, ἡ ἐκ προγόνων εὐγένεια.

Ibid. *Tristitudinem mitte, et angorem animi depelle*] *Tristitiam et metum Tradas protervis in mare Creticum Portare ventis.*

Ibid. *Per annua reverticula solenniter celebramus*] Sic *annua reverticula* 4. Florid. dixit: et *reversionem annuam* in de Mundo. et proprie de annua festivitate *solenniter celebrare.* In veteri doctissimo Onomastico, *Solennia*, ἐτήσια. sic *anni incipientis solennia* Tacitus 4. Annal. Servius ad Aen. 8. *Anniversaria sacrificia*, id est, *solennia.*

Ibid. *Nam et patronum scripsit, et ut in aere stet tua imago decrevit*] Seneca 5. 8. de Benef. *Nemo, quamvis pro se dixerit, adfuisse sibi dicitur, nec* STATUAM *sibi, tanquam* PATRONO *ponit.* Decreta autem heic statua, appensâ honoris tabulâ, etsi id minus exprimatur. Iuvenalis 10. *Mergit longa atque insignis honorum Pagina.* Scholiastes: *Aenea pagina, quae ante imaginem eorum stans, omnes eorum gradus honorum inscriptos continet: quam nunc dicimus tabulam Patronatus.* Eiusmodi multae extant in Inscriptionum corpore.

Ibid. *Splendidissima et unica Thessaliae civitas*] Solinus cap. 14. *De oppidis* (Thessaliae) *egregia sunt Phthia, Larissa, Thessalia, et Thebae.* Nulla heic Hypatae mentio.

Ibid. *Verum statuas et imagines dignioribus, meque maioribus reservare suadeo*] Apud Apollon. Rhod. Argonaut. 1. Μή τις ἐμοὶ τὸ δὲ κῦδος ὀπαζέτω. Virginius Lib. 3. apud Livium: *Cum potestatem rerum milites deferrent ei, melioribus meis vestrisque reservate ista de me iudicia inquit.*

Ibid. *Paulisper hilaro vultu renidens*] ἀγέλαστον πρόσωπον βιαζόμενος, ut apud Aeschylum: τὸ πρόσωπον πρὸς ἡδονὴν σχηματίσας, ut 6. Achillis Tatii. Heliodorus 2. Ἐμειδίασεν ὀλίγον καὶ βεβιασμένον, καὶ μόνοις τοῖς χείλεσιν ἐπιτρέχον. Seneca cap. 13. ad Marciam, de Pulvillo Pontifice, morte filii nunciata: *Peractis quae moris erant praestare defunctis, ad Capitolium rediit hilari vultu.* Plinius 6. Epist. 16. *Hilaris: aut, quod est aeque magnum, similis hilari.*

Ibid. *Renidens*] Glossae: *Reniduit*, ἐμειδίασεν. at heic *renidere* est quod Hesychio Σεσηρέναι, γελᾷν προσποιήτως. Idem, Διασαρκάσαι: τὸ προσποιητῶς γελάσαι.

Ibid. *Quantumque poteram laetiorem me refingens*] *Male alacer*, ut Tacitus Annal. 4. locutus. Tibullus: *Difficile est imitari gaudia falsa, Difficile est tristi fingere mente iocum.* Terent. 5. 3. Adelph. *Hodie modo hilarum fac te.* ubi Donatus: *Fac te, ut laborem ad laetitiam se convertentis ostendat.*

Ibid. *Et convivii, cui te sero desponderas, iam appropinquantis admonet*] Vocati enim, instante iam coena iterum admoneri solebant: de quo more vide quae ad Matth. 22. 4. adnotata. *Sero*, est *heri vesperi:* vide Pontanum ad Macrob. 2. 3.

Ibid. *Quam vellem, inquit, parens iussis tuis obsequium commodare*] Lib. 6. *Quam vellem, inquit, nutum meum tuis precibus accommodare.* In-

Infra hoc libro: *Quam vellem, inquit, illa praestare tibi* etc. *quae cupis.*

Ibid. *Hospes meus Milo per hodierni diei praesentissimum numen adiurans, effecit ut eius hodiernae coenae pignorarer*] Apud Plaut. Trucul. *Hic ne hodie coenas, salvus cum advenis? Promisi*, etc. Pro *diei*, (quod in Oxon. MS. et Vicent. edit. legitur) alii *Dei* scribunt, referuntque ad Deum Risum, de quo supra proxime. Nil mihi mutandum videtur: *numen diei* dixit, quia et Dies numen. Plaut. Bacchid. *Vulcanus, Sol, Luna, et Dies, Dei quatuor, Scelestiorem nullum hoc illuxere alium.* Vide et Festum Pompeium in *Mediusfidius.*

Ibid. *Ut eius hodiernae coenae pignorarer*] Optime Florent. Cod. *Ut ei hodiernae coenae p.* Mendum simile omnes editos insedit supra lib. 2. ubi pro *ceram in modum prosectarum formatam aurium, ei applicant:* legendum ex Oxoniensi MS. *ceram in modum prosectorum formatam, auribus ei applicant.*

Ibid. *Nec me digredi patitur*] Plaut. Rudent. *Non sinam ego abire hinc te.* Apud Eundem in Sticho: *Veni illo ad coenam, sic face.* Et statim: *Volo inquam fieri, non amittam quin eas.* In Ranis Aristoph. Εἴσιθι: *et post*, Οὐ μή σ' ἐγὼ Περιόψομαι ἀπελθόντα. Hoc Cantic. 3. 4. et 2. Reg. 4. 8. κρατεῖν τινα φαγεῖν ἄρτον. Act. 16. 15. παραβιάζεσθαι. ad quem locum notata confer.

Ibid. *Nec quî laverim, quî terserim, quî domum reverterim, prae rubore memini*] Apud Terent. ille 2. 3. Eunuch. *Nescio hercle neque unde eam, neque quorsum eam, Ita prorsum oblitus sum mei.* Virgilius: *Sed nec currentem se, nec cognoscit euntem.*

Ibid. *Manibus denotatus*] Hieronymus in Epistolis: *Vos cunctorum digiti denotabunt.*

Ibid. *Causatusque capitis acrem dolorem* etc.] Ovidius Amor. 1. *Capitis modo finge dolorem.* Tibullus: *Et simulat subito condoluisse caput.*

Ibid. *Fotis mea* etc. *sui longe dissimilis advenit*] Iuvenalis: *Tetrum ante omnia vultum, Dissimilemque sui.* Ovidius in ad Liviam Elegia: *Dissimilemque sui, vultu profitente dolorem.* Philostratus in Epistolis: Ἐχθές σε ὀργιζομένην κατέλαβον, καὶ ἔδοξα ἄλλην βλέπειν, τούτου δὲ αἴτιον ἡ τοῦ θυμοῦ ἔκστασις etc. Simile, etsi in partem alteram, Claudianus de Plutone Proserpina acquisita: *Serenus Ingreditur, facili passus mollescere risu: Dissimilisque sui.* Martialis: *Nôsti tempora tu Iovis sereni, Cum fulget placidus, suoque vultu.*

Ibid. *Non ex laeta facie*] Virgil. *Haud laeta fronte.* Statius: *Non habitu quo nota prius, non ore sereno.* Ovidius Metam. 11. *Non illa quidem, si quaeris, habebat Consuetos vultus, nec quo prius ore nitebat.* Idem Metam. 10. *Affuit illa quidem, sed nec solennia verba, Nec laetos vultus, nec faelix attulit omen.*

Ibid. *Vultuosam frontem rugis insurgentibus adseverabat*] Infra lib. 10. *Senili tristitia striatam gerens frontem.*

Pag. 52. *Ego tibi causa huius molestiae fui*] Apud Plutarchum ille lib. de serâ Num. vind. Ἐγώ σοι τούτων αἰτία. Virgilius: *Se causam clamat, crimenque, caputque, malorum.* Apud Ovidium: *A me causa data est.* Petronium: *Ego omnium scelerum materia, ego causa sum.* Plautum: *Meum isthoc facinus, mea stultitia est.* et Achillem Tatium: Πάντα δι' ἐμὲ ἔπαθες, πολλῶν σοι ἐγὼ κακῶν αἴτιος.

Ibid. *Lorum quempiam sinu depromit, mihique porrigens, Cape, inquit, oro te, de perfida muliere vindictam*, etc.] Galenus in de animi perturbat. de iracundo quodam Cretensi: Ἑαυτοῦ καταγνοὺς, Μεγάρας εἰσάγει με, λαβόμενος τῆς χειρὸς, εἰς οἶκόν τινα, καὶ προσδοὺς ἱμάντα, καὶ ἀποδυσάμενος, ἐκέλευσε μαστιγοῦν αὐτὸν ἐφ' οἷς ἔπραξεν, etc. In Ranis apud Aristophanem ille: Οἶδ', οἶδ' ὅτι θυμεῖς, καὶ δικαίως αὐτὸ δρᾷς, Κ' ἂν ἐμὲ τύπτῃς, οὐκ ἂν ἀντείποιμί σοι. Apud Heliodorum illa lib. 1. Ὦ δέσποτα, ἥκω σοι κατήγορος ἐμαυτῆς, καὶ κέχρησον ὅ, τι βούλῃ. Donatus ad 3. 5. Andr. *Plena satisfactio, est confessio criminis sine poenarum recusatione.* Oxon hîc, *Cape in perfida m. v.*

Ibid. *Nec tamen me putes, oro, sponte angorem istum tibi contraxisse*] Πάταξον, ἄκουσον δὲ. Apud Heliodorum iam dicto loco: Τὸν παῖδα δι' ἐμὲ ἀπολώλεκας, οὐκ ἑκοῦσαν μὲν, ἀλλ' ὅμως συναιτίαν γενομένην. Seneca Herc. Fur. *Non est nocens quicunque non sponte est nocens.*

Ibid. *Ac, si quid adversi tuum caput respicit, id omne protinus meo luatur sanguine*] Seneca cap. 13. Consol. ad Marciam, de Aemilio Paulo: *Precatum enim se, ut si quid ob ingentem victoriam Invidiae dandum esset, id suo potius quam publico damno lueretur.* Plinius de L. Aemilio Paulo in Illustr. Vitis: *Progressus ad Populum, gratias Fortunae egit, quod, si quid adversi Reipublicae immineret, sua id esset calamitate decisum.* *Luatur* (inquit Fotis) *sanguine meo.* Arnobius lib. 7. *Quaenam ergo causa est ut alienum crimen meo luatur sanguine?* Tacitus Annal. 1. *Ut quicquid istud sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur.*

Ibid. *Quod alterius rei causa facere iussa sum, id mala quadam mea sorte in tuam recidit iniuriam*] Ovidius 3. Metamorphos. *At bene si quaeras, Fortunae crimen in illo, Non scelus invenias: quod enim scelus error habebat?*

Ibid. *Familiaris curiositatis admonitus*] Lib. 9. *Familiari curiositate attonitus.*

Ibid. *Factique causam delitescentem nudari ges-*

gestiens] Claudianus: *Mentis penetralia nudant.* Servius ad Aeneid. 6. *Tegere, est, celare: ut contra, nudare, est, indicare.* Hesychius: Ἀπογυμνῶ, φανερὸν ποιῶ.

Ibid. *Tuam plumeam* etc.] Petronius: *Brachiis pluma mollioribus.*

Ibid. *Lacteamque cutim*] Sic, Nostrum Sidonius imitatus, Theodorici *cutem lacteam* dixit: Petronius *lactea pectora* in Poëmatum reliquiis. Nonnus Dionys. 11. Καὶ δέμας εἶχε γάλακτι πανείκελον. Noster lib. 10. *Tenera, et lacte ac melle confecta membra.*

Ibid. *Plumeam lacteamque cutim*] Ovidius Metam. 13. *Mollior et cygni plumis, et lacte coacto.* Martialis: *Vincis mollicie tremente plumas, Aut massam modo lactis alligati.*

Ibid. *Adiuro enim* etc. *ne tibi quidem ipsi adseveranti posse credere* etc.] Lib. 9. *Iuro per sanctam ego istam Cererem, me nunc etiam meis oculis de tali muliere minus credere.*

Ibid. *Meditatus innoxios, casus incertus, vel etiam adversus culpae non potest adiicere*] Cicero Tuscul. 3. *Culpa nulla est, cum id quod praestari ab homine non potuit, evenerit.* Donatus ad 3. 3. Andriae: *Si nostrum est officia praebere, at nostrum non est fortunam praestare posse.* L. 1. Cod. ad leg. Cornel. de sicar. etc. *Ea quae* etc. *casu potius quam fraude accidunt, fato plerumque, non noxae imputantur.* Vide et Pauli Recept. Sentent. 5. 23. Pro *adiicere* puto *addicere* scribendum. Lib. 2. *Addictus noxio poculo.* 6. *vigiliae luminibus addictis.* et 10. *bestiis addicta.* Idem mendum in de Philosophia libro: ubi vulgo, *aliorum potestati ad-*[illegible].

Ibid. *Casus incertus*] Claudianus: *Incerto fluerent mortalia casu.* Virgilius Ceiri: *Vel casu incerto, merita vel denique culpa.*

Ibid. *Oculos Fotidis meae udos*] Lucianus in Amoribus: Τακερόν τι καὶ ῥέον ἐν ὄμμασιν ἀνυγραίνων. Ibidem: Ἱλαραὶ τῶν ὀμμάτων βολαὶ τακερῶς ἀνυγραίνοντο. Philostratus de quodam spurcè Apollonium sollicitante: Ἔλεγε δὲ ταῦτα ὑποθρύπτων ἑαυτὸν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑγραίνων. Sic apud Chrysostomum ὑγρὸν ὄμμα, καὶ πορνείας γέμον. pro quo 2. 2. 14. D. Petri ὀφθαλμοὶ μοιχαλίδος μεστοί. Hesychius: Ὑγρὸς, ὁ εὐκαταφερὴς εἰς ἡδονάς. Pollux 2. 4. Βλέμμα ὑγρὸν, θηλυκὸν, ἄνανδρον. Scholiastes Hesiod. Ἐκ τῆς θαλάσσης ἡ Ἀφροδίτη, διὰ τὸ ὑγρὸν· ἡ γὰρ ἐπιθυμία ἀπὸ τῆς ὑγρότητος γίνεται· ὅθεν καὶ ὑγροὺς καλοῦμεν τοὺς ἀσελγεῖς. In Epistolis Theophyl. Simocattae: Βλέμμα τῇ ὑγρότητι μαλακώτερον.

Ibid. *Ac tremulos*] κυμαίνοντας. Polemo in Physiognom. Ὀφθαλμοὶ κλυζόμενοι καὶ κυμαίνοντες ἑαυτοὺς, εὐαφρόδιτον καὶ ἐμπαθῆ ἄνδρα δηλοῦσιν. Ovidius Art. 2. *Aspicies oculos tremulo fulgore micantes, Ut Sol in liquida saepe refulsit aquâ.* et hinc 26. 12. Sirachiden expone.

Ibid. *Libidine marcidos*] Horatius *putres* dixit. ubi Scholiastes, *Libidine resolutos.*

Ibid. *Sorbillantibus suaviis sitienter hauriebam*] Achilles Tatius Lib. 4. Τὸ Ἀφροδίτης ἔργον καὶ ὅρον ἔχει, καὶ κόρον etc. φίλημα δὲ καὶ ἀκόρεστον, καὶ ἀεὶ καινόν.

Ibid. *Colloque meo manibus ambabus implexa*] Ovidius: *Colla quoque infidis quae se nectenda lacertis, Praebuerant, laqueis implicuisse iuvat.*

Ibid. *Voce tenui et admodum diminuta*] Isidorus Orig. 2. 19. *Subtiles voces sunt quibus non est spiritus spissus, qualis est infantium vel mulierum*, etc. *sicut in nervis: quae enim subtilissimae chordae sunt, subtiles ac tenues sonos emittunt.* In Atellana Pomponii, ad ea, *Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba:* respondetur, *Ego vocem reddam tenuem ac tremulam.* Quintilianus 11. 3. *Ne ad spadonum et mulierum* etc. *exilitatem vox nostra tenuetur.* Arrianus 1. 16. in Epictet. de Natura loquens: Ἐπὶ τῶν γυναικῶν ἐν τῇ φωνῇ τι ἐγκατέμιξεν ἁπαλώτερον. Lucianus Nigrino: Μικρὸν φθέγγονται καὶ ἰσχνὸν, καὶ γυναικῶδες. Idem in Amoribus: Τὴν φωνὴν ἴσην τῇ Λυκάμβου θυγατρὶ λεπτὸν ἀφηδύνων. Hinc λεπτόφωνον καὶ γυναικόφωνον apud Pollucem 4. 17. coniuncta. vide 2. 1. Adamantium. Porphyrius in de Abstinent. 2. de capis: Οὐκ ᾄδουσιν, ἀλλὰ τὴν φωνὴν ἐπὶ τὸ θῆλυ μεταβάλλουσι.

Ibid. *Patere prius fores cubiculi diligenter occludam, ne sermonis elapsi profana petulantia* etc.] Sobriam cautelam! mirificam sollertiam! similis Promethei illa in Avibus Aristophanis: Ἀλλ' ἵνα φράσω σοι πάντα τ' ἄνω πράγματα, Τουτὶ λαβών μοι τὸ σκιάδιον ὑπέρεχε Ἄνωθεν, ὡς ἂν μή μ' ὁρῶσιν οἱ θεοί. tam facile Deos suos falli credebant, aut volebant credere.

Pag. 53. *Uncino firmiter immisso*] Gloss. *Uncinus*, Κόραξ σιδήρου. In alio: Μοχλοῦ ὀγκῖνος, *repagulum.* Item, Κόραξ σιδηροῦς θύρας. *Uncinus, repagulum.*

Ibid. *Paveo, et formido solide*] Plaut. Cistell. *Et illud paveo, et hoc formido.* Ibidem: *Nam et intus paveo, et foris formido.* Cornel. Fronto: *Formido fert interdum rationem, pavor puerilis est.* Pro *solide* in Appuleio nostro forsan *solidum* legendum. Lib. 5. *Venus irata solidum, exclamat*, etc.

Ibid. *Arcana Dominae meae revelare secreta*] Quintilianus 10. Declam. ex incantatoris persona: *Opertae arcana mea tenebrae adiuvate.* ubi forte, *arcana secreta mea* etc. scribendum. Sulpitius Severus lib. 2. *Superstitio exitiabilis, arcanis multata secretis.* Infra hîc lib. 11. *Ad arcana purissimae religionis secreta pervenirem.*

Lucretius eadem forma *secreta taciturna* dixit. Firmicus 5. 1. *latentia secreta.* Noster lib. 10. *tacitum secretum.*

Ibid. *Sed melius de te* etc. *praesumo*] Scriptor ad Hebraeos 6. 9. Πεπείσμεθα δὲ περὶ ὑμῶν ἀγαπητοὶ τὰ κρείττονα. l. 67. §. ult. de leg. 2. *Quia melius de matre praesumserat.*

Ibid. *Qui* etc. *sacris pluribus initiatus*, *nosti sanctam silentii fidem*] Apud Lucianum in Navig. Ἐτελέσθημεν ὡς οἶσθα, καὶ στέγειν μεμαθήκαμεν. Apud Eundem in Deorum Dialogis: Οἴει με πρὸς πάντας ἂν ταῦτα εἰπεῖν, οὐχὶ δὲ πρὸς μόνον σε ὃν ἐχεμυθεῖν ἠπιστάμην. Melite apud Achillem Tatium ad Clitophontem: Οὐκ αἰσχύνομαι τὰ τοῦ Ἔρωτος ἐξαγορεύουσα μυστήρια, πρὸς ἄνδρα ἀλλῶ μεμυημένον. Plutarchus in de lib. educ. Διὰ τοῦτό (μοι δοκεῖ) τὰς μυστηριώδεις τελετὰς οἱ παλαιοὶ κατέδειξαν, ἵνα ἐν ταύταις σιωπὰν ἐθισθέντες, ἐπὶ τὴν τῶν ἀνθρωπίνων μυστηρίων πίστιν τὸν ἀπὸ τῶν θεῶν μεταφερόμενον φόβον. Heliodorus de Calasyride propheta et Sacerdote: Σοφὸς τὰ τοιαῦτα σιγῇ πρὸς τὸ ἀνεκλάλητον ἐπισφραγίζεσθαι. *Fidem silentii* proprie dixit. Virgil. *Hinc fida silentia sacris.* ubi Servius: *Hinc inventum est servare sacris fidele silentium.* Sic alibi hoc ipso libro, *taciturnitatis fides.* Et ut hîc *sanctum silentium*, sic 11. *silentium venerabile.*

Ibid. *Et simplicitatem relationis meae tenacitate taciturnitatis tuae remunerare*] In Dial. ad Asclepium: *Intra secreta pectoris* etc. *silentio tegite*, *et taciturnitate celate.* Philo lib. quod deter. insid. potiori: Σπουδάζομεν ἕκαστον τῶν εἰρημένων στομίων καταδεῖν τοῖς ἀῤῥήκτοις ἐγκρατείας δεσμοῖς.

Ibid. *Iam scies omnem domus nostrae statum*, *iam scies Dominae meae miranda secreta*] Terentius Hecyr. 1. 2. *Nunc audies.* ubi Donatus: *Quasi iamdudum scire cupienti.* Ovid. Amor. 1. de ancilla loquens: *Opprime tentatam*, *nec nisi victor abi. Tunc neque te prodet communi conscia culpa*, *Factaque erunt Dominae dictaque nota tibi.*

Ibid. *Quibus obaudiunt Manes*, *turbantur sidera*] L. 6. Cod. de Malef. etc. *Multi Magicis artibus usi*, *elementa turbare*, *et Manibus excitis audent ventilare*, etc.

Ibid. *Turbantur sidera*, *coguntur Numina*, *serviunt elementa*] Infra lib. 11. *Tibi respondent sidera*, *gaudent Numina*, *serviunt elementa.*

Ibid. *Totiusque artis manus et machinas ardenter exercet*] Apud Virgilium: *Omniaque arma Advocat.* Seneca Medea: *Hoc age*, *omnes advoca Vires et artes.* Hesychius: Μηχαναὶ, τέχναι, ἐπίνοιαι, βουλεύματα, etc. Locutio a re castrensi desumpta. Interpres vetus 1. Maccab. 15. 25. de Antiocho: *Applicuit castra in Doram secundo*, *admovens ei semper manus*, *et machinas faciens.*

Ibid. *His inquam auribus audivi*] Virgilius: *Vocemque his auribus hausi.* Supra lib. 2. *Haec ego meis oculis aspexi. Hisce oculis*, ἰδιωτισμὸς *asseverantis.* Donat. ad 3. 2. Adelph.

Ibid. *Ni celerius Sol coelo ruisset* etc. *ipsi Soli nubilam caliginem*, *et perpetuas tenebras comminantem*] Venefica apud Lucanum: *Tibi pessime mundi Arbiter immittam ruptis Titana cavernis*, *Et medio feriere die.* Apud Claudianum de raptu Proserp. *Primordia testor Noctis*, *et horrendae stagna intemerata paludis*, *Si dicto parere negas*, *patefacta ciebo Tartara*, *Saturni veteres laxabo catenas*, *Obducam tenebris lucem compage soluta*, *Fulgidus umbroso miscebitur axis Averno.* Minuc. Octavio: *Quid quod orbi toti*, *et ipsi mundo cum sideribus minantur incendium.* vide Grotii adnotata ad lib. 4. de *Relig. Christ.* Valer. Maximus de Xerxe: *Nec hominibus tantum terribilem*, *sed Neptuno quoque compedes*, *ac coelo tenebras minitantem.* Oxon. hîc *cessisset.*, *et nubilam caliginem* etc. lege, *ei* (id est, Soli) *n. c.* etc.

Ibid. *Ac me capillos eius* etc. *clanculo praecepit ferre*] Quod factu non arduum, cum antiquitus tonsores solerent artificium suum in viâ exercere. Artemidorus 5. §. 68. Ἔδοξέ τις κάτοπτρον ἔχειν κουρέως ἑστὼς ἐν τῇ πλατείᾳ etc. Martialis 7. 61. *Stringitur in densa nec caeca novacula turbâ.* Vide et l. 11. §. 1. ad leg. Aquil.

Ibid. *Capillos eius qui caede cultrorum desecti* etc.] Iuvenalis: *Et longi mucronem admittere cultri.* Scholiastes: *Tondere barbam. Caedem* graecissans dixit. Sic φόνον τριχῶν Philostratus in Epistolis: ita *ligni et frondium caedem* 19. 12. A. Gellius.

Ibid. *Humi iacebant*] Seneca 92. Epist. *Capillos* etc. *detonsos negligimus.* Plinius 7. Epist. 27. *Ubi illuxit*, *ipse circa verticem rasus*, *capilli iacentes reperiuntur.*

Pag. 54. *Quos me sedulo furtimque colligentem tonsor deprehendit*] Infra lib. 6. *Haec eam sollicite seduloque curantem Ceres alma deprehendit.*

Ibid. *Furtimque colligentem*] *In sinum furtim abscondentem*, ut lib. 9. loquitur.

Ibid. *Arreptam inclementer increpat*] προσλαβόμενος ἐπιτιμᾷ, Matth. 16. 22. ubi dicta vide. Gloss. *Reprehendit*, ἐπιλαμβάνεται. ubi supplendum χειρὸς videtur. Confer Suetonii verba ad dictum Matthaei locum adducta.

Ibid *Tune ultima non cessas?* etc.] Ex hoc loco in mentem venit posse corrigi illum Apologetici: *Tune ultro parentis tuae animum in istis scrutaris?* et pro *ultro*, *ultime* scribendum. sic infra 9. *Illa ultima pistoris uxor.*

Ibid. *Quod scelus nisi tandem desinis*, *magistratui te constanter obiiciam*] Sic *potestatibus et tribunalibus obiicere quem* Tertull. cap. 6. de fu-

fuga in persecut. dixit. et *Christum Pilato obiectum* in Apologetico. Infra hîc lib. 9. *offerre magistratui* dicitur. Cornelio Nepoti in Epaminonda *magistratui tradere*. sic δικαστῇ παραδοῦναι Aristides. et passim in N. Testamento. In Plautina Truculento: *Apud omnes magistratus faxo erit nomen tuum.* Vox *scelus* hîc forsan tanquam convicium διὰ μέσου interiectum est. Eugraphius ad 3. 4. Andr. *Astutia, scelus, malum* etc. *interiectiones sunt dolentis aut irascentis.* sic infra 4. de anu. *senile illud facinus.* et 8. de lupis, *Exitium pecudum.*

Ibid. *Immissa manu scrutatus, e mediis papillis meis* etc.] Lib. 9. *Nec defuit qui manu super dorsum meum iniecta, in ipso Deae quam gerebam gremio scrutatus reperiret, atque in coram omnium depromeret aureum cantharum.*

Ibid. *Quo gesto acriter affecta*] *Gestum* substantive et ἐνικῶς cap. 36. etiam Solinus posuit.

Ibid. *Mecumque reputans Dominae meae mores, quod huius rei repulsa satis acriter commoveri, meque verberare saepissime consuevit, iam de fuga consilium tenebam*] Sic solet: servilis natio a verberibus frequenter sibi fugâ consulit. Androclus 5. 19. apud Gellium: *Cum Africam Proconsulari imperio Dominus meus teneret, ibi ego iniquis eius et quotidianis verberibus ad fugam sum coactus.* In l. 22. Cod. de administr. tut. etc. *Quorum* (servorum) *fuga potius tutori adscribitur, sive negligentia dissolutam patiatur esse disciplinam, sive duritia, vel inedia atque verberibus afficiat eos.* vide et l. 17. §. 4. de Aedil. edict. Salvianus 4. *Ad fugam servos non miseriae tantum, sed et supplicia compellunt.* In Eunucho Terentii 5. 2. *Num meam saevitiam veritus?* ubi Donatus, *Ut fugeres.* Basilius Homil. 1. de Ieiun. Οἰκέτης δραπετεύει δεσπότην τύπτοντα. Plutarchus in περὶ ἀοργησ. Ἀποδιδράσκουσιν, (οἱ οἰκέται) τὰς ἀπειλὰς etc. δείσαντες. In versu Graeco est, Φεύγειν ἀεὶ δεῖ δεσπότας θυμουμένους. Seneca: *Iracundus Dominus quosdam ad fugam coëgit, quosdam ad mortem.* Philo in de Profugis: Αἰτίας τρεῖς εἶναι νομίζω φυγῆς· μῖσος, φόβον, αἰδῶ. Μίσει μὲν οὖν καὶ γυναῖκες ἄνδρας, καὶ ἄνδρες γυναῖκας ἀπολείπουσι· φόβῳ δὲ τοὺς γονεῖς παῖδες, καὶ δεσπότας οἰκέται· αἰδοῖ δὲ τοὺς ἑταίρους, ὁπότε μὴ καθ' ἡδονήν τι πράξειαν αὐτοῖς οἱ φίλοι.

Ibid. *Tui contemplatione*] Sic 8. *simulacri iacentis contemplatione.* Servius ad Aen. 12. *Cum alteri aliquid alterius contemplatione praestamus.* Iustinus 8. *Non contemplatione iustitiae eius, sed invicem metuentes* etc.

Ibid. *Attondentem caprinos utres*] αἴγεια. Xenophon Ἀναβασ. 7. Τὸ ὕδωρ ὃ ἐφέροντο ἐπὶ δεῖπνον, ἐπήγνυτο, καὶ ὁ οἶνος ἐν τοῖς αἰγείοις. Gloss. Αἴγειον, *caprina.*

Ibid. *Quos cum probe constrictos inflatosque, ac iam pendentes cernerem* etc.] Ovid. Metam. 15. *Ceu spiritus oris Tendere vesicam solet, aut direpta bicornis Terga capri.* Psellus in de utercula aenigmate: Ἔχω τράχηλον, καὶ κεφαλὴν οὐκ ἔχω, Τετρασκελής τίς εἰμι, καὶ ποδῶν δίχα, Ἔμπνους τε νεκρὸς, ἀλλὰ χωρὶς ὀστέων. Pro *pendentes* male Vir doctus *tendentes* reponebat. Arnobius lib. 3. *Et viduatos interioribus cunctis, tanquam utres sufflatos turgidorum corporum inanitate pendere.* Hinc iocus de Bonoso, vel (ut verbo Laberiano utar) Biboso apud Vopiscum: *Longo gravique certamine a Probo superatus, laqueo vitam finivit: tunc quidem iocus extitit, amphoram pendere, non hominem.* Antiphanes apud Athenaeum: Τοῦτον οὖν Δι' οἰνοφλυγίαν καὶ πάχος τοῦ σώματος, Ἀσκὸν καλοῦσι πάντες οἱ ἐπιχώριοι.

Ibid. *Sic noctis initio* etc. *instruxit feralem officinam*] Miles. 5. *Vespera iam noctem trahente, nefarii sceleris instruit apparatum. Ferales officinas* (at in re alia) etiam Tertullianus dixit, in *de hab. mul.*

Ibid. *Ad omnes orientales caeterosque aspectus pervium*] Commodius forsan, *ad orientales omnesque c. a. p.* Quintilianus Declam. 13. *Est enim positus ad ortus Solis hiberni, apricus, omnibus ventis medius.* Non absimilis illa Luc. 22. 29. locutio: Ἴδετε τὴν συκῆν, καὶ πάντα τὰ δένδρα.

Ibid. *Maxime his artibus suis accommodum*] Scriptor de bono Pudicitiae in Cypriani operibus: *In domus parte secreta, et sine arbitris: alta, et facinoribus accommoda.* Noster infra in hac eadem re, *Superius cubiculum.*

Ibid. *Apparatu solito instruxit feralem officinam*] Donatus ad 2. 4. Andr. *Apparari, ad horrorem et timorem refertur.*

Ibid. *Omne genus aromatis* etc.] Seneca de Medea: *Totas opes effundit, et quicquid diu Etiam ipsa timuit promit: atque omnem explicat Turbam malorum, arcana, secreta, abdita.*

Pag. 55. *Illic carnosi clavi pendentium*] Lucanus 6. de Erisycthone: *Laqueum nodosque recentes Ore suo rupit, pendentia corpora carpsit, Abrasitque cruces, percussaque viscera nimbis Vulsit, et incoctas admisso Sole medullas. Insertum manibus chalybem, nigramque per artus Stillantis tabi saniem, virusque coactum Sustulit, et nervo morsus retinente pependit.*

Ibid. *Obditos atque nodatos*] Malim *innodatos* scribi. Gloss. Καταμματίζω, *Innodo.* Video tamen permitti posse receptam lectionem. Virgil. *Crines nodantur in aurum.*

Ibid. *Et qua nidor* etc.] Virgilius, et de pilis: *Illi ingens barba reluxit, Nidoremque ambusta dedit.*

Ibid. *Aditum gestientes, fores insiliunt*] Supra: *Aditum tentantes, et* etc. *ianuas cardinibus obtortis, evellere gestientes.*

Ibid.

Ibid. *Crapula madens*] Ita et Servius ad 6. Eclog. locutus.

Ibid. *Obscurae noctis deceptus caligine*] Infra lib. 9. *Illunae caliginis tenebris impeditus.*

Ibid. *Mihi primam istam virtutis adoream, ad exemplum duodeni laboris Herculei* etc.] Anna Comnena Alexiados I. Τοῦτο τρίτον ἆθλον πρό γε τῆς βασιλείας, καθάπερ τινὶ Ἡρακλεῖ τῷ μεγάλῳ Ἀλεξίῳ ἐγένετο.

Ibid. *Trigemino corpori*] Glossarium: Τρίσωμος, *tricorpus.*

Ibid. *Et Dominam tuam, cum aliquid huius divinae disciplinae molitur, ostende*] Apud Lysiam I. Orat. Ἀξιῶ δέ σε ἐπ' αὐτοφόρῳ ταῦτά μοι ἐπιδεῖξαι.

Pag. 56. *Nec ipsa tu videare talium rerum rudis* etc.] Tibullus I. 8. *Quid querar heu misero carmen nocuisse? quid herbas? Forma nihil magicis utitur auxiliis.* Cicero Famil. 6. 11. *Ne ipse quidem rudis.*

Ibid. *Micantibus oculis*] Supra lib. 2. *Oculi in aspectu micantes aquilino.*

Ibid. *Flagrantibus papillis*] Sic excusi omnes: legendum *fragrantibus*. In vet. Epigr. Καὶ μαζοὶ γλαγόεντες, εὔζυγες, ἱμερόεντες, Εὐφύεες, πάσης τερπνότεροι κάλυκος. Cantic. Salom. 4. 6. Πορεύσομαι πρὸς τὸ ὄρος τῆς σμύρνης, καὶ πρὸς βουνὸν τοῦ λιβάνου. ubi magnus Grotius: *Sic vocat mammas ob suavissimum odorem.* Sic infra heic lib. 8. *odor corporis cinnamei.* Haec scripseram, cum et *fragrantibus* inveni in Oxoniensi MS.

Ibid. *In servilem modum addictum atque mancipatum*] Adolescens Plautinus in Bacchid. *Nunc ego mulier tibi me mancipo.* Seneca Epist. 116. ex Panaetio: *Non est committendum ut incidamus in rem commotam*, (Amorem) *impotentem, alteri mancipatam, vilem sibi.* Sic *mancipari virgini* Donatus ad 5. 2. Eunuchi dixit. Illud *in servilem modum* est a Tacito, qui in 2. Histor. *Sumptum de eo supplicium servilem in modum.*

Ibid. *Iam denique nec Larem requiro, nec domuitionem paro*] Idem adolescens Plautinus Sc. Mirum in modum: *Abire hinc nullo pacto possim si velim, Ita me vadatum amore vinctumque attines.* Amator apud Tibullum: *Ite sub imperium sub titulumque Lares.* Damascius apud Photium: Οὕτω τὴν ψυχὴν διετέθην ὑπὸ τῆς εὐφροσύνης, ὥστε οὐχ οἷος οἴκαδε ἐπανιέναι.

Ibid. *Nec domuitionem paro*] Infra 11. *Tardam satis domuitionem comparo.*

Ibid. *Et nocti isti nihil antepono*] Id est, *Hanc noctem rebus omnibus antepono.* sic infra hoc libro: *Me nullam aliam Fotidi meae praemalle.* pro, *me omnibus Fotidem m. praemalle.* et lib. 5. *Amo te efflictim, nec ipsi Cupidini comparo.* id est, *ipsi Cupidini praefero.* Ibidem, *Periculum nullum ante oculos habere:* ubi mens est, *pericula omnia post tergum reiicere:* id est, *nulli facere.*

Ibid. *In solitudinem semper abstrusa, et omnium praesentia viduata, solet secum huiusmodi perficere*] Heliodorus de Venefica: Ἀνενοχλήτου etc. σχολῆς ἐπειλῆφθαι νομίσασα, πρῶτον μὲν βόθρον ὠρύξατο etc. Noster in Apologia de Magia loquens: *Tenebris abstrusa, et arbitris solitaria.* Habent heic editi libri, *huiusmodi secreta perficere.* servetur altera lectio. Interpres vetus Ignatii Epist. ad Trallianos: *Ne in nobis compleatur quod Propheta ex persona Dei ad huiusmodi dicit*, etc. Oxon. *Solet haec secum perficere.*

Ibid. *Sed tuum postulatum praeponam periculo meo*] Sallustius 2. de Rep. ord. *Mihi multa cum animo reputanti, consilium fuit famam modestiamque meam post tuam dignitatem habere.* Infra lib. 5. *Nos originis nexus pro tua incolumitate periculum nullum ante oculos habere compellit.*

Ibid. *Fidem silentiumque*] Id est, fidem silentii: ἓν διὰ δυοῖν.

Ibid. *Intecti bacchamur*] Repone ex Oxon. et caeteris MSS. *intecti atque nudati bacchamur.* sic infra 10. *Nudo atque intecto corpore.*

Ibid. *Cum quidem mihi fatigato de propria liberalitate Fotis puerile corollarium obtulit*] Martialis: *Fessus mille modis, illud puerile poposci: Ante preces totas primaque verba dedit.* Vide Suidam in Δωσίπυγος. Notetur et vox illa *liberalitate.* Idem Martialis: *Formosa Phyllis nocte cum mihi tota Se praestitisset omnibus modis largam*, etc.

Ibid. *Luminibus meis vigilia marcidis* etc.] Tacitus Annal. 6. *Libidinosis vigiliis marcidus.* quod ipsum hic Appuleius. In Oxon. melius, *luminibus nostris.*

Ibid. *Sopor infusus, etiam in altum diem nos attinuit*] Seneca Epist. 122. *Turpis qui alto Sole semisomnus iacet.* Nec male heic legas, *in multum diem.* Infra lib. 4. *Ut usque diluculum, imo et in multum diem*, etc. sic Cicero, *in multam noctem vigilare*, in Somn. Scip.

Ibid. *Ad hunc modum transactis voluptarie paucis noctibus* etc.] Scribendum puto, *haud paucis noctibus.* Supra lib. 2. *Ad eius noctis exemplum similes adstruximus alias plusculas.*

Ibid. *In avem sese plumaturam*] Gellius 9. 4. *Corporibus* etc. *avium ritu plumantibus.*

Ibid. *Et ad suum cupitum sic devolaturam*] *Ad suum amabilem:* 3 Esdrae 4. 24. vetus Interpres. Infra lib. 6. *Ne cum sua cupita conveniret.*

Ibid. *Ad tantae rei speculam* etc.] Palat. et Oxon. MSS. *In tantae r. s.*

Pag. 57. *Suspenso et insono vestigio*] Seneca Oedipo: *Suspensa plantis efferens vestigia.* Ἠρέμα, καὶ κτύπου χωρὶς βαδίζουσα, ut apud Ari-

Aristaenetum illa. Seneca alter Epist. 56. *Cuius aures ne quis agitet sonus, omnis servorum turba conticuit, et suspensum accedentium propius vestigium ponitur.* De Scylla Virgilius Ceiri: *Suspensa levans digitis vestigia primis Egreditur.* Quintilianus 1. Declam. *Gradu suspenso ponere certa vestigia.* Ovidius 1. Fast. *Vestigia furtim Suspensa digitis fert taciturna sono.* Maximianus 3. Eleg. *Suspensos ponere gressus, Et tota nullo currere nocte sono.* Infra hîc lib. 5. *Nudo vestigio pensilem gradum paulatim minuens.* Euripidis Orest. Σίγα, σίγα, λεπτὸν ἴχνος ἀρβύλης Τιθεῖτε· μὴ κτυπεῖτε, μηδ᾽ ἔστω κτύπος. Lucianus in Deorum Dialogis: Ἀψοφητὶ, καὶ ἐπ᾽ ἄκρων τῶν δακτύλων βεβηκυῖα. Onomast. vetus: *Insonus*, ἄφωνος.

Ibid. *Perque rimam ostiorum iubet me spectare quae sic gesta sunt*] Petronius: *Per rimam foris speculari diligentissime coepi* etc. Infra lib. 9. *De rima quadam prospiciunt sanum me atque sobrium* etc. *consistere.* Heliodorus lib. 7. Προσεστὼς ταῖς θύραις, καὶ διακύψας διὰ τῶν ὀπῶν καθ᾽ ἃς διήνυκτο ἡ ἅλυσις, εἶδε τὰ γινόμενα.

Ibid. *Et arculâ quadam reclusa* etc.] De *arcula* Magicis adhibita olim ad Apologiam dixi.

Ibid. *Indidem egesta unguedine*] Hinc *unguentariae* id genus mulieres dictae. ita et Canidiam Horatii Scholiastes vocat.

Ibid. *Multumque cum lucerna secreto collocuta*] Lucerna secretorum tenacissima habita, utpote quae cum omnia videret, nil foras eloqueretur. Apud Aristophanem in Ecclesiaz. mulier lucernam alloquens: Καὶ ταῦτα συνδρῶν, οὐ λαλεῖς τοῖς πλησίον· Ἀνθ᾽ ὧν συνοίσει καὶ τὰ νῦν βουλεύματα.

Ibid. *Membra tremulo succussu quatit*] Euripides Iöne; Εὔπτερον δέμας Ἔσεισε.

Ibid. *Fit bubo Pamphile*] Ovidius de Cygno in avem sui nominis verso: *Penna latus velat, tenet os sine acumine rostrum, Fit nova Cygnus avis.* Metam. 2.

Ibid. *Sic edito stridore querulo, iam sui periclitabunda, paulatim terra resultat*] Isidorus Orig. 12. 7. *Volucres pinnarum auxilio moventur, quando se aëri mandant. Periclitabunda sui* est, *libratis brachiis*, ut infra hîc simili argumento loquitur. Nota et *stridorem querulum* dum levaret se. Suidas in χαλδαϊκοῖς ἐπιτηδεύμ. de Isidoro: Ὑπεδείκνυε τὴν ὁδὸν τῆς μιμήσεως, ἄλλων τε καὶ στρουθῶν, καὶ μικρῶν τούτων καὶ κατοικιδίων τῆς πτήσεως, οἷα ψοφοῦσι ταῖς πτέρυξι πρὸς τὸ πέτασθαι ἐγειρόμενοι.

Ibid. *Magnis suis artibus*] Male ex MS. Elmenhorstius, *magicis s. a.* Simillimum errorem erravit etiam Meursius, qui pro iis Apologetici, *Si magnum putarem caducum deiicere*, etc. volebat *magicum* scribi. Infra lib. 4. *Magnis artibus magnam opulentiam dissimulabat.* et 8. *magnae artis homo.* Sic loqui amat Noster.

Ibid. *Quidvis aliud magis videbar esse quam Lucius*] Meursius Exercit. Critic. *quidvis magicis suis:* satis importune.

Ibid. *Defrictis diu pupillis, an vigilarem scire quaerebam*] Horatius: *Vigilansne ploro?* Scholiastes: *Sic incredibile dicit factum, ut sibi somno simile videatur.* Ait, *defrictis pupillis:* quod solent nempe qui e somno evigilant. Philostratus 4. 6. Ὥσπερ ἀφύπνισεν, τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔτριψε, καὶ πρὸς τὰς αὐγὰς τοῦ ἡλίου εἶδεν. Petronius: *Et pueri detersis paulisper oculis ad ministerium redierant.*

Ibid. *Arrepta manu Fotidis, et admota luminibus meis*] Nicetas in Isaacio Angelo et Alexio Filio, de Isaaci adulatoribus: Ἐνίοτε δὲ καὶ τὰς ἐξηρθρωμένας (αὐτοῦ) χεῖρας περιπτυσσόμενοι, καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτὰς προσάπτοντες etc. Chrysostomus Homil. 8. in Ephes. de Pauli vinculis: *Si illis temporibus vixissem, amplexus ea essem audacissime*, καὶ ἐπὶ τὰς κόρας τὰς ἐμὰς ἔθηκα. Iulianus Epist. 40. de Iamblichi literis: Ὡς ἔλαβον, ἐφίλουν, καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς προσῆγον. et Epist. 60. ad eundem: Ὁσάκις μὲν τῷ στόματι τὴν ἐπιστολὴν προσήγαγον! etc. εἶτα ἐπέβαλον τοῖς ὀφθαλμοῖς!

Ibid. *Per istas tuas papillas*] Hansenius libro de Iureiurando Veterum, *pupillas* substituit. qui sapit nil mutet. supra hîc ad hanc ipsam ancillam: *Sic tuis istis micantibus oculis* etc. *et fragrantibus papillis in servilem modum addictum teneas*, etc.

Ibid. *Meae Veneri*] Virgil. Eclog. 3. *Parta meae Veneri sunt munera.* Servius: *Meae amicae.*

Pag. 58. *Hunc alitem factum ubi quaeram?* Phaedrus: *Ovem rogabat corvus modium tritici, Lupo sponsore: at illa praemetuens dolum, Rapere atque abire semper adsuevit lupus, Tu de conspectu fugere veloci impetu, Ubi vos requiram cum dies advenerit?*

Ibid. *Alitem factum*] Lib. 4. *Fortissimum socium nostrum, prorsus bestiam factum.*

Ibid. *A me scelus istud depellant coelites*] *Procul arceat altus Iupiter. Procul hunc arcete furorem O Superi.*

Ibid. *Aquilae ipsius volatibus sublimis, et toto coelo pervius*] Proverb. 30. 19. *Via aquilae in coelo.* Vide Florid. 1. non longe ab initio.

Ibid. *Tamen non ad nidulum meum post illam pinnarum dignitatem subinde devolem*] In Epistolis Apollonii dictis: Οὐ γὰρ ὁπόσον πτηνῶν, καλιῶν ἰδίων ἀπόκοιτον. Calpurnius Nemesianus: *Vocalem longos quae ducit aëdona cantus, Quae licet interdum contento vimine clausae, Cum parvae patuere fores, cui libera ferri Novit, et agrestes inter volitare volucres: Scit rursus remeare domum, tectumque subire Viminis,*

et cavcam totis praeponere sylvis. Maximianus 2. Elegia: *Fugiunt et bruta novos animalia campos, Et repetunt celeres pascua nota greges. Sub qua decubuit requiescens diligit umbram Taurus, et amissum quaerit ovile pecus. Dulcis et in solitis cantat philomela rubetis, Estque suum rapidis dulce cubile feris.* Virgilius de mansueto cervo: *Errabat sylvis, rursusque ad limina nota Ipse domum, sera quamvis se nocte ferebat.*

Ibid. *Per dulcem istum capilli tui nodulum, quo meum vinxisti spiritum* etc.] Paulus Silentiarius: Χρυσῆς εἰρύσασα μίαν τρίχα Δῶρις ἐθείρης, Οἷα δορυκτήτους δῆσεν ἐμᾶς παλάμας! In Cantic. Solom. 4. 9. *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.*

Ibid. *Me nullam aliam Fotidi meae praemalle*] In Apologia, de Pudentilla sua: *Sed olim sua sponte a nubendo non alienam, me fortasse prae caeteris maluisse.* Ibidem in Pudentillae literis, Βουλομένην γάρ με etc. γαμηθῆναι, αὐτὸς τοῦτον ἔπεισας ἀντὶ πάντων αἱρεῖσθαι. Aristaenet. 1. 24. Λέγε σαφέστερον, εἰ τοῦτον ἔχειν ἀντὶ πάντων ἐθέλεις. In Andria Terentiana: *Nil aliud volo nisi Philumenam.* Catullus: *Unam Septimius misellus Acmen Mavult quam Syrias Britanniasque.* Idem: *Dicebat quondam solum te nôsse Catullum Lesbia, nec prae me velle tenere Iovem.* Tibullus: *Nulla tuum nobis subducet foemina lectum.* et post, *Tu modo sola places, nec iam te praeter in orbe Formosa est oculis ulla puella meis.*

Ibid. *Istas nocturnas aves*] Seneca Epist. 122. *Tam infausti ominis sunt quam nocturnae aves.*

Ibid. *Ut quod infaustis volatibus familiae minantur exitium, suis luant cruciatibus*] Dio Chrysost. Orat. 34. Ἀνὴρ Φρὺξ ἐπὶ κτῆνος ἐβάδιζεν, ὡς δ' ἐθεάσατό τινα κορώνην, οἰωνισάμενος λίθῳ βάλλει, καὶ πως τυγχάνει αὐτῆς· πάνυ οὖν ἥσθη, νομίσας εἰς ἐκείνην τετράφθαι τὸ χαλεπόν.

Pag. 59. *Plusculo uncto*] Onomasticon vetus: *Unctum*, ἀλεῖφαρ.

Ibid. *Iamque alternis conatibus libratis brachiis* etc.] De Daedalo Ovidius 8. Metam. *Geminas opifex libravit in alas Ipse suum corpus, motaque pependit in aura.* Lib. 6. de aquila Noster, *Libratisque pinnarum nutantium molibus* etc. Quintilianus in Declamat. de apibus: *Quemadmodum aliae libratae pennis onera conferrent*, etc.

Ibid. *Nec ullae plumulae, nec usquam pinnulae*] Ovidius: *Nudos quatit ille lacertos, Remigioque carens non ullas concipit auras.* similis locutio autem infra lib. 8. *Nec ulla capra, nec pavens damula*, etc. et 7. *Nullae deliciae, ac ne ulla quidem libertas excipit.*

Ibid. *Extimis palmulis*] Florid. 2. *Intimis plumulis, et extimis palmulis.*

Ibid. *Digiti coguntur in singulas ungulas*] Ovidius de Ocyroë in equam versa: *Tum digiti coëunt, et quinos alligat ungues Perpetuo cornu levis ungula.*

Ibid. *Et de spinae meae termino grandis cauda procedit*] Ovid. *Longae pars maxima pallae Cauda fit.* Lactantius, de Opif. Dei cap. 7. *In quadrupedibus idem opifex contextum spinae a summo capite deductum longius extra corpus eduxit, et acuminavit in caudam.*

Ibid. *Iam facies enormis, et os prolixum*] Ovidius: *Crescit et oris Et colli spatium.* Lactantius eod. loco: *Quae omnia* (de membris agit) *cum sint eadem in omnibus animantibus, tamen infinita et multiplex diversitas figurarum est, quod ea quae dixi aut productiora, aut contractiora liniamentis varie differentibus comprehensa sunt.*

Ibid. *Et nares hiantes*] Olim ad Apologiam pag. 113. dixi.

Ibid. *Sic et aures immodicis horripilant auctibus*] Ovidius de Mida ab Apolline mutato: *Nec Delius aures Humanam stolidas patitur retinere figuram, Sed trahit in spatium, villisque albentibus implet.* *Horripilant*, pilis inhorrentibus squalent: ut infra lib. 8. loquitur.

Ibid. *Mihi iam nequeunti tenere Fotidem natura crescebat*] Plaut. Curcul. *Viden' ut misere moliuntur? nequeunt complecti satis.* Infra lib. 10. *Angebar plane non exili metu, reputans* etc. *quo pacto, quamquam ex unguiculis perpruriscens, mulier tam vastum genitale susciperet.*

Ibid. *Quod solum potui* etc.] De Io vacca Ovidius: *Quos potuit solos tendens ad sidera vultus.* Noster lib. 4. *Et, in quo solo poteram, celatim auxilium bono commilitoni ferre* etc. lib. 7. *Quod solum poteram, tacitus licet, serae vindictae gratulabar.* 9. *Quod solum poterat, causabatur nocturnas tenebras* etc. et 10. *Quod solum potuit, filio suo tacitum secretum aperuit.*

Ibid. *Postrema deiecta labia*] *Labiis demissis gemens*, ut in Eunucho Terentii. Bene autem *labiam* dixit, utpote iam enormem. Sosipater Charisius, *Labra modica, labia immodica: et inde Labeones.*

Ibid. *Ad illam tacitus expostulabam*] *Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.* Infra lib. 6. *In animo meo tacitus expostulabam.*

Ibid. *Percussit faciem suam manibus infestis*] *Terque quaterque manu faciem percussit.* Seneca cap. 6. ad Marc. *Ingerantur lacerato pectori manus, et in ipsam faciem impetus fiat.*

Ibid. *Sed bene, facilior quod reformationis huius medela suppeditat*] Apud Philostratum 5. 5. Τὸ δὲ φάρμακον τῆς μεταβολῆς οὐ μέγα.

Ibid. *Nec moram talem patereris*] τὸ *talem* aut δεικτικῶς ponitur, (eiusmodi tamen exemplum desidero:) aut (quod malim) videtur *tantulum* scribendum. Aen. 1. *Haud tanto cessabit cardine rerum.* ubi Servius: *Aut* δεικτικῶς

di-

dixit, ne in tantum quidem: h. e. brevi occasione cessabit. Sic in Apologia: *Vix ab eo tantulam moram impetramus* etc.

Ibid. *Primo diluculo*] Gellius 2. 29. *Ubi primum diluculabit.*

Pag. 60. *Quanquam perfectus asinus*, etc. *sensum tamen retinebam humanum*] Cicero: *Si nemo est qui non mori malit, quam converti in aliquam figuram bestiae, quamvis mentem hominis habiturus*, etc. Augustinus de Civit. D. 18. 18. *Sicut Appuleius in Libris quos Asini aurei titulo inscripsit, sibi ipsi accidisse, ut accepto veneno, humano animo permanente asinus fieret, aut indicavit, aut finxit.* Scholiastes vetus Horatii ad Epod. 15. *Simili modo etiam Appuleius scribit animam suam fuisse in corpore asini.* Ovidius de Calistho: *Mens antiqua tamen facta quoque mansit in ursa.* Idem de Actaeone: *Lacrymaeque per ora Non sua fluxerunt, mens tantum pristina mansit.* Homerus (a quo Ovidius) de Ulyssis comitibus: Οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς, φωνήν τε, τρίχάς τε, Καὶ δέμας, αὐταρ τῶν νοῦς ἔμπεδος, ὡς τὸ πάρος περ.

Ibid. *Calcibus feriens, et mordicitus appetens*] Infra lib. 7. *Ille terga pulposis torulis obesa convertens, postremis velitatur calcibus: alius hinnitu maligno comminatus, remissis auribus, dentiumque candentium hastis renudatis, totum me commorsicat.* ubi iuncta itidem agnoscis quae hoc loco copulata. *Mordicitus* (quod nonnulli mutatum ibant) veram scripturam puto. sic alibi, *publicitus, medullitus*, et similia Noster.

Ibid. *Demussata* etc. *contumeliâ*] Habet a Terentio, simile infra 9. *tacitus iniuriam devorare.* Glossae: *Demusso*, ἀποννστάζω, ἀποσιωπῶ.

Ibid. *Durissimo casui meo* etc.] Virg. *Duri solatia casus.* Servius: *Impossibilis ad mutationem.* Infra hic lib. 4. *Durissimo casui meo* etc. *subsiste paululum.*

Ibid. *Vectorem meum probissimum*] Amare, ut 6. *An tu probissima puella* etc.?

Ibid. *Et Fidei secreta numina*] De eâdem Silius: *Iustitiae consors, tacitumque in pectore numen.*

Ibid. *Capita conferunt*] Auctor Philopatridos inter opera Luciani: Τὰς κεφαλὰς ἄγχι σχόντες ἐψιθύριζον. Senec. Apocol. *Cum vidisset capita conferentes*, etc. Hoc Comicis veteribus *caput limare*, id est, iungere. vide Nonnium Marcellum, et ad Matth. 27. 1. dicta.

Ibid. *Abigor procul ab hordeo* etc.] Plaut. Curcul. *Irascere, si te edentem hic a cibo abigat.* Horat. *Cervus equum melior pugna, communibus herbis Pellebat.* Fulgentius Mythol. 1. *Accidentale odium est, quod aut verbis casualiter oboritur, ut hominibus: aut comestionis propter, ut iumentis.*

Ibid. *Angulo stabili concesseram*] Terent. Adelph. *Interea in angulo aliquo abeam.*

Ibid. *In ipso meditullio Hipponae Deae simulacrum residens aediculae*] De Deae Hipponae ortu Plutarchum in Parallelis vide. Et nota simulacrum heic stabuli meditullio positum. Sic supra lib. 2. *Ecce lapis Parius in Dianam factus, tenet libratam totius loci medietatem.* Lucianus in Amoribus: Εἴσω τοῦ νεὼ παρήειμεν, ἡ μὲν οὖν θεὰ ἐν μέσῳ καθίδρυται. Virgilius: *In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit.* ubi Servius: *Semper ei consecratus Numini locus est cuius simulacrum in medio collocatur: alia enim ad ornatum pertinent.* Pro *aediculae* Lipsius (quem ego falli puto) *sediculae* reponit. *aedicula* heic (quod nec is nec caeteri animadverterunt) non est stabulum ipsum, sed in meditullio stabuli theca vel domuncula qua Deae Hipponae simulacrum contentum erat. Act. 19. 24. ναὸς. ubi ex Tertulliano et Scriptore Sapient. adnotata vide. haec tamen pro loci vilitate lignea vel lapidea fuerit. Iam vero et illi falsi qui pro *residens praesidens* volebant. *aediculae residere* dixit, ut supra hoc libro *tonstrinae residere.* infra lib. 8. *cubili residentes.* et 9. *Nudae spinae meae residens.* Interpres vetus Maccab. 2. 3. 23. *Qui autem ei* (equo) *sedebat*, etc. ubi legendum *residebat* puto. In vet. Onomast. *Resideo*, καθιζάνω.

Ibid. *Pronus spei*] Lib. 8. *Irrumpit cubiculum adulter, pronus spei.*

Ibid. *Quantum extensis primoribus pedibus adniti poteram, insurgo*] Martialis: *Stans summos resupinus usque in ungues.* Hesychius: Ὀρικυπτεῖν, τὸ ἀνατείνασθαι, καὶ ἐπ' ἄκρων ὀνύχων ἵστασθαι. Eundem vide in ἀκρίζειν, et ἀκροβάζειν. Errant autem qui heic legunt *prioribus pedibus.* Glossae: *In primos pedes*, ἐπ' ἄκρον τοῦ ποδὸς. imo et *primores pedes* Noster lib. 10. dixit.

Ibid. *Et cervice prolixa nimium, et porrectis labris*] Bene Vicent. editio et Oxon. MS. *Et cervice prolixa, nimium nimiumque p. l.*

Ibid. *Servulus meus cui semper equi cura fuerat mandata*] Censores ad equitem quendam apud Gellium 4. ult. *Cur ita est ut tu sis quam equus curatior? quoniam* (*inquit*) *ego me curo, equum Statius servus meus.*

Ibid. *Quousque tandem patiemur cantherium istum* etc.?] Gloss. *Cantherius*, καβάλλης μηχανικὸς. Infra lib. 6. *Quousque ruptum istum asellum* etc. *frustra pascemus?*

Ibid. *Telum aliquod quaeritans, temere positum fascem lignorum offendit*] Lectionem istam e Florent. membranis deprompsit Elmenhorstius: *Fascis temere positus.* ut 9. *alveus ligneus temere propter* (i. *prope*) *iacens:* et 4. *casula cannis temere* (id est, *incuriose*) *contexta.* *Positum*

tum pro *abiectum* accipias, at melius pro *compositum:* neque aliter scribendum forsan. Gellius 5. 2. de Democrito: *Acervum illum* etc. *caudicum* (a Protagora adolescente compositum) *brevi vinculo compressum ratione quadam Geometrica librari contineríque animadvertit: interrogavitque quis illud lignum composuisset. Et cum ille a se compositum dixisset, desideravit uti solveret, ac denuo in modum eundem collocaret.* ubi non solum vocem *componendi* in re plane simili usurpatam videmus, sed et tantam, quantam hîc incuriam, in componendo artem ac diligentiam adhibitam. Communis loci Appuleiani lectio hunc fere in modum est. *Telum aliquod quaerens invenire, fascem lignorum positum offendit.* quae utcunque fulciri potest. sic 8. *Dum passerem incantantem sepiculae consectatur arripere.* et supra hoc ipso libro: *An vigilarem scire quaerebam.* Act. Apostol. 3. 3. ἐρώτα ἐλεημοσύνην λαβεῖν. et 7. 46. ᾐτήσατο εὑρεῖν σκήνωμα. ubi ex abundantia infinitivi venustas orationi quaeritur; vel *quaerens invenire* pro *volens:* figurâ Graecâ. Hesychius: Ζητεῖν, βούλεσθαι, Ἀττικοί.

Ibid. *Fascem lignorum*] Glossae: Δεσμὴ ξύλων ἢ ῥάβδων. *fasciculum.* Glossae aliae: Ῥάβδων δέσμη, *fascicula.* Item: Ξύλων δέσμη, *fascicula.*

Ibid. *Rimatusque frondosum fustem* etc.] Lib. 7. *Frondoso baculo subinde castigans.*

Ibid. *Non prius miserum me desiit tundere, quam* etc.] Eodem lib. 7. *Non prius me desiit obtundere, quam* etc.

Ibid. *Globus latronum*] Ita et Tacitus (a quo Noster) Annalium 12. locutus. Infra heic lib. 4. de latronibus: *Densa conglobatoque cuneo cubiculum invadunt nostrum.*

Ibid. *Domus membra*] Vide Fornerii Select. 1. 23.

Ibid. *Cuncti gladiis ac facibus instructi noctem illuminant*] Lib. 4. *Taedis, lucernis, cereis, sebaceis, nocturni luminis instrumentis, clarescunt tenebrae.*

Ibid. *Horreum quoddam* etc. *quod mediis aedibus constitutum, gazis Milonis fuerat refertum* etc.] In l. 3. ff. de Offic. Praef. vigil. *Effracturae fiunt plerumque in Insulis, in horreisque, ubi pretiosissimam partem fortunarum suarum reponunt.*

Ibid. *Raptimque constrictis sarcinis*] Infra lib. 11. *Raptim sarcinulis constrictis.*

Ibid. *Opulentiae nimiae nimio ad extremas incitas redacti*] Sic πρὸς τὴν λείαν ἀπαγορεύειν, Eunapius apud Suidam. Vide quae de inquietudine mentis ex rerum abundantiâ bonarum ortâ, ad Luc. 12. 17. notavi.

Ibid. *Nos duos asinos, et equum meum* etc. *producunt e stabulo, et domo* etc. *minantes, baculis exigunt*] Lib. 6. *Prandioque raptim tuburcinato, me et equum* etc. *fustibus exinde tundentes, producunt in viam.*

Ibid. *Minantes baculis exigunt*] Hesychius: Κόπτειν, τύπτειν, ἐλαύνειν. sic *asinum minare* 4. Reg. 4. 24. vetus Interpres.

Ibid. *Rerum tantarum pondere, et montis ardui vertice, et prolixo satis itinere nihil a mortuo differebam*] Apud Aesopum: Ὁ ὄνος πεσὼν ἐκ τοῦ κόπου, ἐτελεύτησεν. *A mortuo nil differre* e Graeco penu est. Diodorus Lib. 20. Οὐδὲν διαφερόντων ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀποθνησκόντων. Aelianus Var. 13. 38. τῶν νεκρῶν μηδὲ ὀλίγον διαφέρειν dixit. Chrysostomus Homil. de Divit. et Paupert. Τοῦ νεκρωθέντος οὐδὲν ἄμεινον διακείμενον. Libanius (qui et prolixi itineris meminit) Τοῦ νοσήματος ὑπὸ τῆς πορείας αὐξανομένου, μικρόν τι νεκροῦ διαφέρων, etc.

Ibid. *Montis ardui vertice*] Glossarium: *Vertex montis*, κεφαλὴ ὄρους, ἀκρώρεια. Cyprianus in Epistolis: *In montis ardui verticem celsiorem* etc. Vide supra pag. 5. notata.

Ibid. *Nihil a mortuo differebam*] Ovidius de aerumnosa sorte sua: *Quid enim status hic a funere differt?*

Ibid. *Et interposito venerabilis Principis nomine, tot aerumnis me liberare*] Arrianus 3. 22. in Epictetum: Ἄν τίς σε δαίρῃ, κραύγαζε, στὰς ἐν μέσῳ· ὦ Καῖσαρ, ἐν τῇ σῇ εἰρήνῃ οἷα πάσχω!

Ibid. *Vicum quempiam frequentem, et nundinis celebrem* etc.] Festus *V. Vici. Ex vicis, partim habent rempublicam, et ius dicitur: partim nihil eorum, et tamen ibi nundinae aguntur,* etc. *Frequentem* incolis intellige: sic 8. *castellum frequens* occurrit.

Ibid. *Et ô quidem tantum disertum ac validum clamitavi, reliquum autem Caesaris nomen enunciare non potui*] Infra lib. 7. *Et verbum quidem praecedens saepius immodice clamitavi, sequens vero nullo pacto edisserere potui.* et 8. *Porro Quirites proclamare gestivi, sed viduatum caeteris syllabis ac literis processit ô tantum, sane clarum et validum.* Arnobius de infante sine alloquio enutrito: *Nonne vocem si fuerit necessitate aliqua coactus emittere, ut solenne est mutis, inarticulatum nescio quid ore hiante clamabit?*

Ibid. *O* etc. *clamitavi*] *O dolentis est exclamatio.* Servius ad Aeneid. 11.

Ibid. *Aspernati latrones clamorem absonum meum* etc.] Ovid. Fast. 6. de Asino loquens: *Intempestivo cum rudit ille sono.* Idem alibi: *Illa sonat raucum quiddam, atque inamabile ridet: Ut rudit a scabra turpis asella mola.* De ranis Cicero 1. de Divinat. *Absurdoque sono fontes et stagna cietis.*

Ibid. *Caedentes hinc inde miserum corium,*

nec cribris iam idoneum relinquunt] Plaut. Mostell. *O carnificum cribrum! quod credo fore: Ita te forabunt patibulatum per vias stimulis.* Idem Rudente: *Villam integundam intelligo totam mihi, Nam nunc perlucet ea quam cribrum crebrius.* Infra hîc lib. 8. *Cantherium istum vetulum, extritis ungulis debilem, nec quidquam amplius quam ruderarium cribrum.*

Ibid. *Inopinatam salutem ipse mihi Iupiter tribuit*] Artemidorus 1. 6. Θεόπεμπτα etc. πάντα τὰ ἀπροσδόκητα καλοῦσι.

Ibid. *Hortulum quendam prospexi satis amoenum, in quo praeter coetera gratas herbulas rosae virgines matutino rore fluebant*] Lib. 4. *Aliquanto longius video frondosi nemoris convallem umbrosam, cuius inter varias herbulas et laetissima vireta fulgentium rosarum niveus color renitebat.*

Ibid. *Rosae virgines matutino rore fluebant*] Ibidem: *Rosas teneras et amoenas, madidas divini roris et nectaris.* Serv. ad Georg. 1. *Matutino tempore ros cadit.*

Ibid. *Labiis undantibus*] Hesychius: Κυμάτια, τὰ χείλη, διὰ τὸ κυμαίνειν etc. sic *corpus suum undare* supra 2. dixit.

Ibid. *Consilium me subiit longe salubrius*] Miles. 7. *Talibus cogitationibus fluctuantem subiit me illa cura potior* etc. Supra heic: *Ab incoepto temerario melior me sententia revocavit.*

Ibid. *Casum praesentem tolerans*] Lib. 4. *Praesentem casum generoso vigore tolerans.* Supra heic: *Durissimo casui meo serviens.*

Ibid. *In asini faciem foena rodebam*] θηρίων τρόπον etc. τὴν χορτώδη τροφὴν σιτούμενος, ut Maccabaicorum 2. cap. 27. Iudas Maccabaeus.

LIBER QUARTUS.

Pag. 64. *Diem ferme circa medium, cum iam flagrantia Solis caleret*] *Medios cum Sol attenderet aestus.* Virg. *Et medio tostas aestu terit area fruges.* ubi Servius: *Medio aestu, i. e. per diem, quando aestus est.* lege, *per medium diem quando ae. e.* Gellius 5. 14. *Sole medio, rapido, et flagranti.* Gregor. Nazianz. 1. contra Iulianum: Μέσης ἡμέρας, ἡλίου τὸ φλεγῶδες ἐκλάμποντος. Terent. Adelph. *Meridie ipso faciam ut stipulam colligat.* ubi Donatus: *Cum Sol vehementior est. Flagrantiam Solis* Noster etiam lib. 6. dixit.

Ibid. *Apud notos* etc. *latronibus senes divertimus*] Scribe, *ad notos* etc. sic passim *divertere ad aliquem* Appuleius.

Ibid. *Compascuus coetus*] Non male in editis nonnullis, *compascuus locus.* Basil. Homil. de fame et siccit. Προβάτων ἀγέλαι ἓν καὶ τὸ αὐτὸ καταβόσκονται ὄρος. ἵπποι δὲ παμπληθεῖς μίαν καὶ τὴν αὐτὴν κατανέμονται πεδιάδα. Vide Suidam in Σύννομα. Onomast. vetus: *Compesco*, (fors. *Compascor*) συννέμομαι. In aliis est *compascuus cibus.* Horat. *Cervus equum pugna melior cummunibus herbis Pellebat.* id est, *cibo compascuo.*

Ibid. *Fame perditus*] *Non pauxillulam in utero gestitans famem, Verum hercle multo maximam et gravissimam.* ut in Sticho Plautinus ille. Cicero Verr. 7. *Egestate et fame perditus.* Aristophanes Pace: Ὑπὸ τοῦ γε λιμοῦ νὴ Δί' ἐξολωλότες. Luc. 15. 16. Λιμῷ ἀπόλλυμαι.

Ibid. *Ipsa solitudo iam bonam mihi fiduciam tribuebat*] Infra lib. 10. *Habes solitudinis plenam fiduciam.*

Ibid. *Cum in isto cogitationis salo fluctuarem*] Glossae: Κυμαίνομαι, *fluctuo, aestuo.* In de Deo Socratis: *Motu cordis, et salo mentis ad omnes cogitationum aestus fluctuare.* Infra lib. 11. *Cogitationis salo fluctuantem.* Lib. 5. *Aestu pelagi similiter moerendo fluctuat.* 7. *Talibus cogitationibus me fluctuantem*, etc. 9. *Miroque mentis salo, et cogitationum dissensione* etc. Hesychius: Σάλος, φροντὶς, ταραχὴ etc. Chrysologus Serm. 33. *Non tantum duo maria confunduntur fluctibus suis, quantum mulieris huius animus ancipiti cogitationum cumulo iactabatur.* et de Eadem Serm. 34. *Magni maris instar confusis aestubus iactabatur.* Chrysostomus Homil. in Saltat. Herodiadis: Καὶ ἦν τότε ἡ ψυχὴ Ἡρώδου ὥσπερ ἐν τῇ θαλάσσῃ πλοῖον ἀπειλημμένον, καὶ πρὸς ἑκάτερον τοῖχον ταλαντεῦον. Sic apud Plutarchum Natur. quaest. ψυχὴ σάλον ἔχουσα: et Aristaenetum 1. 17. τρικυμίας τὸν τρόπον τῆς ἀστάτου σαλεύειν. Sirachides 29. 21. Ἐσάλευσεν αὐτοὺς ὡς κῦμα θαλάσσης.

Ibid. *Invocato hilaro atque prospero eventu*] Petronius: *Quod bene faeliciterque eveniret precati Deos, viam ingredimur.*

Ibid. *Cursu me concito proripio*] Philo in de Fortitudine: Οἱ πεινῶντες ἢ διψῶντες, ὅταν σιτίον ἢ πότον που παραφανῇ, διώκουσι, καὶ ἐπιτρέχουσιν ἀμεταστρεπτὶ, γλιχόμενοι μεταλαβεῖν. Infra lib. 9. *Sine ulla mora progressus etiam obvio gradu, satis sitienter, pronus, et totum caput immergens, salutares equidem vere illas aquas hauriebam.*

Ibid. *Ut hercle ipse sentirem non asinum me, verum etiam equum currulem* etc.] Infra lib. 6. *Equestri celeritate* etc. *solum replaudens.* et 8. *Me cursu celeri equos antecellentem mirabantur omnes.* Glossae: Τροχηλάτης ἵππος, *currilis equus.*

Ibid. *Sed agilis atque praeclarus ille conatus, fortunae meae scaevitatem anteire non potuit*] Infra heic: *Enimvero Alcimus tam solertibus coep-*

coeptis, saevum tamen Fortunae nutum non potuit abducere. Et 6. *Nec tamen nutum saevientis Deae vel tunc expiare potuit.*

Ibid. *Loco proximus*] Melius *proximans*, legas. Sic 3. cum dativo, *Praesepio proximantem.* 6. *Sacratis foribus proximat.* et 9. *Decretam sibi mortem proximare*, etc.

Ibid. *Sponte illud venenum rosarium sumere gestiebam*] Cicero 6. 6. Famil. *Prudens et sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus.*

Ibid. *Arreptumque me totum plagis obtundit*] Lib. 7. *Occipiens a capite, imo vero et ipsis auribus, totum me compilabat.*

Ibid. *Lumbis elevatis in altum, pedum posterioribus calcibus iactatis in eum* etc.] Lib. 7. *Hic, elatis in altum vastis pectoribus* etc. *primoribus in me pugillatur ungulis.*

Ibid. *Pedum posterioribus calcibus iactatis in eum*] Lib. 6. *Incussis in eam posteriorum pedum calcibus.*

Ibid. *Contra proclive montis*] Id est, *acclive.* In vetere Onomastico: *Acclive*, ἐπικλινὲς. Glossae: *Acclive*, ἐπιῤῥεπῶς ἐπαρθὲν.

Pag. 65. *Semianimem*] ἡμιθανῆ. Luc. 10. 30.

Ibid. *Eiulabili cum plangore*] Melius *ululabili.* Ammianus (quem saepius iam monui Scriptoris nostri voces ac locutiones usurpare) lib. 24. *Ululabili clamore sublato.* Imo infra heic lib. 5. *Sono penetrabili vocis ululabilis.* Hesychius: Κρυόεσσα ἰωπὴ· ἡ φρικτὴ καὶ φοβερὰ βοή.

Ibid. *Ut* etc. *mihi praesens crearet exitium*] Lib. 5. *Tibi summum creabis exitium.*

Ibid. *Conclamant canes, utque ad laniandum ferrent impetum passim cohortantur*] Infra hoc lib. *Nec secus canes illos venaticos, auritos et horricomes, ad comprimendam bestiam cohortantur.*

Ibid. *Iam morti proximus*] Supra lib. 1. *Et nunc morti proximus.*

Ibid. *Canes* etc. *ursis ac leonibus ad compugnandum idoneos*] Nicetas Choniates de Andronico Comneno: Κύνα κάρχαρον, οἷον καὶ λέουσιν ἀντιπλέκεσθαι etc. ἑαυτῷ σύνοικον πεποίητο. Philostratus 8. 12. de templo Dicteae Matris Cretensi: Φυλακὴ δὲ τῷ ἱερῷ κυνῶν ἐπιτέτακται, etc. καὶ ἀξιοῦσιν αὐτοὺς οἱ Κρῆτες μήτε τῶν ἄρκτων μήτε τῶν ὧδε ἀγρίων λείπεσθαι. lege, μήτε τῶν ὑῶν ἀγρίων λείπεσθαι. neque ursis (inquit) nec apris impares: ut Noster heic, *leonibus et ursis idoneos.* De Creticis hisce, uti et de Indicis canibus vide 5. 5. Pollucem.

Ibid. *E re nata consilio capto*] Infra hic: *E re nata subtile consilium* etc. *comminiscimur.*

Ibid. *Illi canibus iam aegre cohibitis*] Lib. 9. *Aegreque cohibita equorum curruli rabie.* quem locum eo cum pervenerimus corrigemus.

Ibid. *Loro valido ad ansulam quandam destinato*] Infra: *Nobis ante ipsas fores loro valido destinatis.* In vetere Onomast. *Ansula*, βρόχος.

Ibid. *Dolore plagarum alvus arctata*] Vide Gell. 19. 4. In Latino Iobi 41. 16. *Territi purgabantur.*

Ibid. *Fimo fistulatim excusso, quosdam extremi liquoris aspergine, alios putore nidoris foetidi a meis iam quassis scapulis abegissem*] Lib. 7. *Donec solo quod restabat praesidio nisus, liquidissimo stercore strictim egesto faciem atque oculos eius confoedassem. qua coecitate atque foetore tandem fugata est a me pernicies.* Gloss. Ὀσμὴ σαπρὰ. *Putor*, *foetor*, etc.

Ibid. *Rivum quendam* etc. *prope insistens*] Vide an rectius *propter adsistens.* Supra lib. 2. *Quam propter adsistens* etc. et 10. *Lumen propter adsistens.* item 5. *Venerem* etc. *propter adsistens.*

Ibid. *Cogitabam totum memet* etc. *pronum abiicere*] Infra lib. 7. *Per prona non tantum pedibus, verum etiam toto corpore proiecto.*

Ibid. *Certus atque obstinatus nullis verberibus* etc.] Columella 6. 2. *Pervicax contumacia plerumque saevientem fatigat.* Infra hic lib. 7. *Caeterum plagis non magnopere commovebar*, etc.

Ibid. *Prorsus exanimatum ac debilem, mereri causariam missionem*] In l. 18. ff. de muner. et honor. *Hos ex albi ordine vocari, nec ulla excusatione nisi sola laesi et inutilis corporis infirmitate specialiter sit expressum.*

Ibid. *Mereri causariam missionem*] Glossae: Ἀπολυθεὶς στρατείας, *missionem emeritus.*

Pag. 66. *Dorsi mei sarcinam duobus ceteris iumentis distributuros, meque in altioris vindictae vicem lupis et vulturiis praedam relicturos*] Infra lib. 6. *Certe ego cum primum sarcinas istas quanquam invitus pertulerit, protinus eum vulturiis gratissimum pabulum futurum, praecipitabo.*

Ibid. *Iacensque in mortuum*] Lactant. 4. 26. *Iacentia mortuorum corpora erexit.* Philostratus 2. 14. Ἐκτείνοντες ἑαυτοὺς ὥσπερ οἱ ἀποθνήσκοντες. Male in quibusdam, *in modum mortui.* Virgilius de equo: *Quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat.* ubi Servius: *In plumam: in similitudinem plumae. Ut, Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum. id est, in antri similitudinem.*

Ibid. *Non fustibus, non stimulis* etc.] Plato Phaedone: Ὁ δὲ οὐδὲ κέντρων ἡνιοχικῶν, οὔτε μάστιγος ἐντρέπεται.

Ibid. *Ac ne cauda quidem* etc.] Lib. 7. *Cum deberet egregius agaso manum porrigere, capistro suspendere, cauda sublevare* etc.

Ibid. *Mortuo, imo vero lapideo asino*] Sic omnibus modis inutilia vocari solent. Apud Esaiam enerve Abrahami corpus lapidi assimilatur. De eodem Rom. 4. 19. σῶμα νενεκρωμένον. Sic

Sic Philo dixit τὴν ἄγνοιαν βαθὺ σκότος καὶ πολὺ καταχέουσαν, κωφὸν λίθον τὸ περικαλλέστατον εἶδος ψυχῆς ἐργάζεσθαι· Libello περὶ μέθης.

Ibid. *Districto gladio poplites eius totos amputant*] In poenam inertiae. Iulianus apud Ammianum Marcellinum Lib. 22. *Quisque agmini cohaerens incedat: quod si remanserit uspiam, exectis cruribus relinquetur.*

Ibid. *Ac* etc. *per altissimum praeceps in vallem proximam* etc. *praecipitant*] *Praecipitant truncum, volvuntque per ardua saxa.* Horatius: *Vt ille Qui male parentem in rupes detrusit asellum Iratus.* Addit Appuleius: *Etiamnum spirantem.* Polybius Lib. 1. Κολοβώσαντες καὶ συντρίψαντες τὰ σκέλη ἔτι ζῶντος, ἔῤῥιψαν εἴς τινα τάφρον.

Ibid. *Tunc ego miseri commilitonis mei fortunam cogitans, statui iam dolis abiectis* etc.] Philo in de Legatione: Αἱ ἑτέρων τιμωρίαι βελτιοῦσι τοὺς πολλοὺς, φόβῳ τοῦ μὴ λαβεῖν παραπλήσια. *Dolis abiectis* heic, ut 9. *consiliis* (id est, *dolis*) *abiectis.*

Ibid. *Statui iam* etc. *asinum me bonae frugi Dominis exhibere*] Apud Plautum Trinummo ille: *Certum'st ad frugem applicare animum.* Infra de eodem asino isto lib. 8. *Quin emis bonum et frugi mancipium?*

Ibid. *Quod in proximo nobis esset habenda mansio, et totius viae finis quieta*] Seneca cap. 1. de Tranquill. *Pecoribus fatigatis velocior domum gradus est.*

Ibid. *Clementi denique transmisso clivulo* etc.] Cato apud Priscianum: *Quod iter longius arduiusque erat a curis.* Idem apud Servium in Virgilium: *Quam mollissimum est, adoriuntur.* Quos locos hactenus divulsos iungamus, et hoc modo corrigamus: *Quod iter longius arduiusque erat a clivis, qua mollissimum est adoriuntur.* Qui *clemens clivulus* Appuleio, est Tacito Annal. 13. *collis clementer assurgens.* Ammiano lib. 16. *collis molliter editus.* Plinio *clivus sensim fallens, ut eum ascendere non putes, scias ascendisse.* Lib. 5. Epist. 6.

Ibid. *Pulvereis volutatibus* etc.] Pollux 1. 11. Λέγοις δ' ἂν περὶ ἵππων, ψηλαφᾷν, καὶ ψήχειν· etc. κυλίσαι, ἀλίσαι, καὶ ἐξαλίσαι. Sic ὡς ὄνος κυλισθεὶς Sophocles apud Apollonii Scholiastem. Vide Suidam in ἐξαλίσας. Vegetius 1. 1. *se transvolvere* dixit.

Ibid. *Res ac tempus ipsum, locorum ac speluncae illius quam latrones inhabitabant, descriptionem exponere flagitant*] Infra hic lib. 9. *Res ipsa mihi poscere videtur, ut huius quoque servitii mei disciplinam exponam.* Sallustius in Catilinario: *Res ipsa mihi hortari videtur* etc. et in Iugurthino: *Res postulare videtur Africae situm paucis exponere.* Cicero 2. 25. ad Atticum: *Te exspecto*, etc. *neque eo magis, quam ipsa res et tempus poscit.* Appuleius heic imitatus videtur Aelianum, qui ferme simili praefatione Var. 13. 1. speluncam Atalantae describit.

Pag. 67. *Mons horridus* etc.] Guntherus Lib. 5. *Praedonum castella iugis horrentia summis, Et vix spectandas summis in rupibus arces.*

Ibid. *Frondibus umbrosus*] Florid. 1. *Spelunca frondibus inumbrata.*

Ibid. *Huius per obliqua devexa, qua saxis asperrimis, et ob id inaccessis cingitur* etc.] Lib. 6. *Saxum immani magnitudine procerum, et inaccessa salebritate lubricum.* Guntherus lib. 4. de simili factione: *Rupis inaccessae sedem statione latenti Servabant.* Ait, *per obliqua devexa.* Iosephus 15. 13. Trachonitarum praedonum latebras describens: Πέτρα τὸ σύμπαν σκληρὰ καὶ δύσοδος, εἰ μὴ τρίβῳ χρῷτό τις ἐξ ὁδηγίας· οὐδὲ γὰρ αὐταὶ κατ' ὀρθὸν, ἀλλὰ πολλὰς ἕλικας ἐξελίττονται. Adde quae de Isauriae latronibus Ammianus 14. non longe ab initio.

Ibid. *De summo vertice fons affluens bullis ingentibus scaturibat*] Catullus: *Qualis in aërii pellucens vertice montis, Rivus muscoso prosiliit e lapido.*

Ibid. *Perque prona delapsus* etc.] Ibidem: *Qui cum de prona praeceps est valle volutus.* Avienus: *Et qua praecipiti volvuntur prona meatu Flumina.* Scholiastes vetus Horatii ad Carm. 1. 29. *Proni dicuntur rivi de montibus effluentes.* et ad 1. 7. *Praeceps Anio: aut per devexa cadens, aut, rapidus.*

Ibid. *Ac valles illas agminibus stagnantibus irrigans* etc.] Virgil. *Nec quae Saxosas inter decurrunt flumina valles.* Infra lib. 6. *Montis ardui verticem, de quo fontis atri fuscae defluunt undae, proximaeque conceptaculo vallis inclusae Stygias irrigant paludes* etc. *Stagnantia agmina*, quae campos circumiacentes inundarent. Aeneid. 3. *Exupero praepingue solum stagnantis Helori.* Servius: *Fluvii qui ad imitationem Nili effunditur campis.* Onomast. vetus: *Stagno*, λιμνάζω.

Ibid. *In modum stipati maris*] Fortasse melius *sopiti maris.* Somnus apud Homerum ad Iunonem Iliad. ξ. Ἄλλον μέν κεν ἔγωγε θεῶν αἰειγενετάων Ῥεῖα κατευνήσαιμι, καὶ ἂν ποτάμοιο ῥέεθρα Ὠκεανοῦ, etc. at Iovem nequaquam.

Ibid. *Insurgit speluncae* etc. *turris arduo caule firma*] Saxo Grammaticus lib. 6. *Nihil ita situ munitum, cui si desit humana opera, simplex nostra tutela sufficiat.* ubi pro *nostra* videtur *Naturae* scribendum. *Caule* pro *colle* dixit. Virgil. 2. Georg. *Quin et caudicibus* etc. ubi Servius: *Pro codicibus, sicut caulem pro collem: sauricem pro sorice dicimus.* et ad Georg. 3. *Caurum pro Corum, sicut saurex pro sorex, caulis pro collis.* In vetere Onomast. *Colliculus*, καυλίον.

Ibid.

Ibid. *Ante fores exigui tramites*] Male nonnulli *ramices*. Virgilius: *Tenuis qua semita ducit, Angustaeque ferunt fauces, aditusque maligni*. Interpres vetus Iudith. 7. 5. *Sederunt per loca, quae ad angusti itineris tramitem dirigunt inter montosa*. Iosephus ubi supra: *Αἱ μὲν εἴσοδοι στεναὶ, καθ' ἕνα παρερχομένων*. ubi rectius *παρεισερχομένων* crediderim. Idem 14. 27. de aliis id genus speluncis: *Ἦν δὲ ἐν ὄρεσι τὰ σπήλαια τελέως ἐξεῤῥωγόσι, καὶ κατὰ τὸ μεσαίτατον ἀποκρήμνους τὰς προσόδους ἔχοντα*.

Ibid. *Casula cannis temere contecta*] Ita editi omnes, ita Oxon. MS. legendum tamen *contexta*. Isidorus Orig. 15. 12. *Casa est agreste habitaculum, palis atque virgultis arundinibusque contextum*. et ibid. cap. 2. *Tuguria sibi et casas virgultis arundinibusque contexuerunt*. Ovidius Metamorph. 8. *Mille domos clausere ferae, tamen una recepit Parva satis, stipulis et canna tecta palustri*. ubi *texta* reponendum non dubito. Idem alibi: *Texantur reliqua tecta palude tibi*. id est, *κατὰ μετωνυμίαν*, *cannâ de palude texantur*. Idem 3. Fastorum: *Aspice de canna straminibusque domum*. contextam nempe de cannâ et straminibus: cuiusmodi et *πλεκτὰς καλύβας* Theocritus dixit. *Temere contexta* inquit, Lucius Noster. Ammianus lib. 14. *Ratibus temere contextis*. Sic, *lapides temerario interiectu positi* in de Deo Socratis.

Ibid. *Sorte ducti noctibus excubabant*] Virgilius: *Per muros legio sortita periclum Excubat*. Sidonius 8. 7. *Si quid inter excubiales curas, utpote in castris, sortito vacabis*. ad quem locum Savaro consulendus. Noster in de Mundo: *Custodiam per vices sortium sustinebant*.

Ibid. *Stipatis artubus direpsissent*] Existimo *derepsissent* legendum. Infra lib. 9. *Derepit in quandam cistulam*. De fele Phaedrus: *Derepit ad cubile setosae suis*. hoc et nonnunquam *erepere*. Avienus Perieg. *In dumosas erepunt denique rupes*. Seneca Epist. 53. *Dum per aspera crepo*. Suetonius in Tiberio: *Quod* etc. *per aspera et devia erepsisset*. Sic, *per aspera et dumis hirta crepere*, lib. 27. Ammianus. et *agrum crepere*, Sat. 6. Iuvenalis.

Ibid. *Anum* etc. *curvatam g. senio*] Crates: *Ὁ χρόνος μ' ἔκαμψε*.

Ibid. *Commissa videbitur*] *Commissa* idem hîc quod *permissa*, at hoc Appuleianum magis lib. 9. *Senex claudus, cui nostra tutela permissa fuerat*. ibidem: *Suaeque Dominae custodelam omnem permittit*. itaque melius *permissa* legamus.

Ibid. *Etiamne tu?* etc.] Legi non male potest, *Tune etiam?* Virgilius, (quem Noster pressim et ubique sectatur,) *Tune etiam telis moriere Dianae?* ubi Servius: *Cum ingenti amaritudine dictum est*.

Ibid. *Busti cadaver*] Claudianus de Eutropio: *Postquam deforme cadaver Mansit, et in rugas totus deflexit aniles*. Infrà hîc Lib. 8. *At te cadaver surdum ac mutum* etc.

Ibid. *Vitae dedecus*] Plautus *capuli decus* dixit. Infra lib. 9. *Illam universi sexus grande dedecus*.

Ibid. *Et Orci fastidium solum*] Id est, quam solum Orcus cum fastidio transit, nec inter mortuos recipere dignatur. In Pseudolo Plautina: *Eam ob rem Orcus recipere hunc ad se noluit, Ut esset heic qui mortuis coenam coquat*.

Ibid. *Sic nobis otiosa domi residens lusitabis? nec nostris tam magnis tamque periculosis laboribus solatium de tam sera refectione tribues?*] Lib. 9. *Siccine vacuus et otiosus insinuatis manibus ambulabis mihi? nec obito consueto labore vitae nostrae prospicies, nec aliquid cibatus parabis?* Pro *sera refectione* fuit qui *fera profectione* legebat, coniecturâ inutili. Calpurnius Ecloga 5. *Ubi declivi iam nona tepescere Sole Incipiet, seraque videbitur hora merendae*. τὸ *de* etiam qui in *die* mutaverunt, Auctorem corruperunt plane. Supra lib. 3. *Nostraeque viduitati ac solitudini de vindicta solatium date*.

Pag. 68. *Stridenti vocula anus*] Eugraph. ad 2. 1. Eunuchi: *Decrepiti dicuntur senes, siquidem longa senectute vix loqui possunt: et tantummodo fractis vocibus loquuntur, ac sunt quasi quaedam crepitacula*.

Ibid. *Quae diebus ac noctibus nihil quidquam rei quam merum saevienti ventri tuo soles aviditer ingurgitare*] Simonides de voraci uxore: *Ἐσθίει μὲν ἐν μύχῳ Προνὺξ, προῆμαρ*. Aelianus Var. 2. 2. de Mycerino: *Ταῖς ἡμέραις προστιθεὶς τὰς νύκτας, διετέλει ἀγρυπνῶν καὶ πίνων ἅμα*. Horatius: *Nocturno certare mero, certare diurno*. Scholiastes: *Dies noctesque potare*. Plautus: *Dies noctesque bibite, pergraecamini*. *Ingurgitare* heic (ut et infra 7.) est, *ingerere*. Glossae: *Ingurgito, ἐμφορέομαι*. Bene autem *saevienti ventri*. Iuvenalis: *Dum gula saevit*.

Ibid. *Sospitatores*] Ita recte Beroaldus, cum antea *hospitatores* legeretur. lib. 7. *Virginis et asini sospitator*. et 11. *Humani generis perpetua sospitatrix*. Onomast. vetus: *Sospito, σώζω*.

Ibid. *Affatim cuncta* etc. *pulmenta praesto sunt*.] *ἕτοιμά ἐστι*. De quâ, et similibus in convivali re loquendi formulis, videantur quae ad Matth. 22. 4. notavimus.

Ibid. *Ecce quidam longe plures numero iuvenes* etc.] Oxon. MS. et vetus Vicent. editio: *quidem*. male. lib. 2. *Ecce tres quidam vegetis et vastulis corporibus* etc. et 9. *Ecce quidam miles per mediam plateam* etc.

Ibid. *Vestis sericae intextae filis aureis*] Ovidius: *Et pictis intextum vestibus aurum*.

Ibid. *Estur ac potatur*] Plautus Persa: *Bibitur, estur, quasi in popina, haud secus*.

Ibid. *Pulmentis* etc. *panibus* etc. *poculis* etc.] Quae tria etiam Virgilius iunxit: *Viscera tosta fe-*

ferunt taurorum, oncrantque canistris Dona laboratae Cereris, Bacchumque ministrant.

Ibid. *Clamore ludunt, strepitu cantillant, conviciis iocantur*] Lucretius: *Clamor, singultus, iurgia gliscunt.*

Ibid. *Strepitu cantillant*] *Crateras magnas statuunt, et vina coronant: Fit strepitus tectis.*

Ibid. *Ac iam caetera semiferis Lapithis*, etc. *Centaurisque similia*] Scholiastes ad Horatii 1. Car. 18. *Post ebrietatem Centauri cum Lapithis pugnavere.* Lucianus Lapith. Καὶ οἱ πλεῖστοι ἐμέθυον ἤδη, καὶ βοῆς μεστὸν ἦν τὸ συμπόσιον. Chrysostomus Homil. in Herodiad. saltat. Ὅπου θρύψις, καὶ χλιδὴ, καὶ μέθαι, καὶ κῶμοι, οὐδὲν βέβαιον, ἀλλὰ πάντα σεσαλευμένα καὶ ἀνάστατα.

Ibid. *Qui robore caeteris antestabat*] Gellius 9. 13. *Viribus et magnitudine, et adolescentia, simulque virtute caeteris antestabat.*

Ibid. *Praeter tantae fortunae copiam*] Sic infra hîc, *fortunam popularium inquirebamus.* quae ἑνικῶς solens, id est, insolenter dixit. Glossae: *Fortunae*, ὑπάρχοντα· Et, Ὑπάρχοντα, *Bona, fortunae.*

Ibid. *Quam nostra virtute nacti sumus*] Non, Deorum auxilio, et virtute nostra: ut solebant iustis praeliis vincentes loqui: sed, vi nostrarum manuum, vigore fortitudinis nostrae. Loqui hoc modo autem latrones ἠθικώτατα facit: *Dextra etenim his Deus, et telum quod missile librant.* Rectius porro me Iudice, *nostra vi et virtute* legas. Gellius 17. 2. *Is et genere, et vi, et virtute bellica concedebat nemini.* Et 15. 21. *Praestantissimos virtute, prudentia, viribus.* Adde eiusdem 9. 13. locum paulo supra citatum. Quin et lectio a nobis excogitata, in MS. Bertin. erat.

Ibid. *Duce vestro fortissimo Lamacho* etc.] Nomen (ut plura in hoc scripto alia) instituto vitae adaptatum. Hesychius: Λάμαχος, ἄμαχος. ἀκαταγώνιστος.

Pag. 69. *Sed illum quidem nimia virtus sua peremit*] Sallustius Catil. *Atque ille egregius adolescens immoderatae fortitudinis poenas morti dedit.* Iuvenalis: *Torrens dicendi copia multis, Et sua mortifera est facundia: viribus ille Confisus periit, admirandisque lacertis.*

Ibid. *Enim vos* etc.] Ita et recte Oxon. MS. vide Colvii notas.

Ibid. *Inter furta parva atque servilia timidicule per balneas* etc. *reptantes* etc.] Apud Senecam Clytaemnestra: *Quid timida loqueris furta?* contra in Eiusdem Hippolito: *Non in recessu furta, et obscuro improbus Quaerit cubili.* Et nota, *parva furta.* Iuvenalis: *Exiguae furtis imbutus ofellae.* Nec temere eadem *servilia*, de balneis loquens vocavit. Horatius: *Sub noctem qui puer uvam Furtiva mutat strigili.* ubi vetus Scholiastes: *Puer, servus qui strigilem furatur.*

Ibid. *Scrutariam facitis*] Dum strigiles, soleas, et id genus quisquilias, e balneis, cellulis et conclavibus surripitis. Lucilius: *Scrutariu' laudat Praefractam strigilem, soleam improbu' dimidiatam.*

Ibid. *Numerosa familia*] In de Deo Socratis: *Familias numerosissimas comparant.* Infra lib. 5. *familiam populosam* dixit.

Ibid. *Tamen quisque magis suae saluti* etc. *consulat* etc.] Lib. 9. *Ad istum modum saluti quisque suae consulebat.* et 6. *Quin igitur* etc. *tuae saluti dum licet consulis?* De loci sententia dicemus ad lib. 7.

Ibid. *Fortunam parvam* etc. *protegunt acrius*] Theophylactus ad Luc. 18. Ὁ πένης πρὸς τὴν μίαν οἰκίαν, καὶ πρὸς τὸν ἕνα ἀγρὸν δριμύτερον διάκειται. id est, *acrius protegit.*

Ibid. *Et sanguinis sui periculo muniunt*] Hieronymus ad Rusticum: *Et servent cum animae discrimine quae multis periculis quaesierunt.* Et nota heic vocem *sanguinis.* Donatus ad 1. 1. Phorm. *Damnum, plaga, res, sanguis noster dicitur.* In veteri senario: Ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς. Pollux 2. 23. de avaro: Θᾶττον ἂν τοῦ αἵματος ἢ χρημάτων μεταδῴη.

Ibid. *Res denique ipsa sermoni meo fidem dabit*] Lucretius 5. *Dictis dabit ipsa fidem res.* Gellius 17. 10. *Res ipsa verum indicium facit.*

Ibid. *Vix enim Thebas* etc.] Locus turbatior paulo, at mens aperta est. Pro tempore ad hunc modum reponere tentabam: *Vix enim Thebas Heptapylos accessimus, sed dum (quod est huic disciplinae primarium studium) sedulo fortunam inquirebamus popularium, nec* (id est, *non*) *nos denique latuit Chryseros quidam* etc. *Inquirere in alicuius fortunas* dixit et Seneca 1. de Beneficiis. Similis autem Appuleii loco est hic Petronii, de simili tenebrionum collegio: *Haud procul* etc. *civitatem cernimus: nec quod esset sciebamus errantes, donec a villico quodam Crotona esse cognovimus* etc. *Quum deinde exploraremus qui homines nobile solum inhabitarent*, etc. id est, qui caeteros opibus et facultatibus anteirent. nimirum ut his prae caeteris insidias tenderent. In Oxon. heic, *Fortunas inquirebamus populares.*

Ibid. *Copiosae pecuniae Dominus*] Glossae: πολυχρήματος, *pecuniosus.*

Ibid. *Qui metu* etc. *munerum publicorum magnis artibus magnam dissimulabat opulentiam*] Recte *munerum publicorum.* est enim *munus publicum quod subit quis in administranda Repub. cum sumptu sine dignitatis titulo.* l. 14. ff. de Muner. et honor. Τοὺς εἰς λειτουργίαν τινὰ χειροτονουμένους, καὶ ἐπὶ προφάσει πενίας λειτουργεῖν μὴ βουλομένους, habemus apud Suidam:

qui Scriptor in voce ἀντίδοσις consulendus. Huc spectant et Glossarii ista: Ἀπειθία τοῦ μὴ λειτουργεῖν τῇ πατρίδι· *detrectatio.*

Ibid. *Magnam dissimulabat opulentiam*] Proverb. 13. 7. *Est quasi dives cum nihil habeat*, (πτωχαλάζων Graecis) *et est quasi pauper cum in multis divitiis sit. Dissimulator opis propriae* Horatianum est.

Ibid. *Solus et solitarius, parva, sed satis munita domuncula contentus* etc. *aureos folles incubabat*] *Rerum tutela suarum Certa magis, quam si fortunas servet easdem Hesperidum serpens, aut Ponticus. — Tantis parta malis cura maiore metuque Servantur: misera est magni custodia census.* Ait, *Solus et solitarius.* de simili prorsus homuncione Lucilius: *Cui neque iumentum est, nec servus, nec comes ullus. Bulgam, et quicquid habet nummorum, secum habet ipse: Cum bulga coenat, dormit, lavit, omnis in una Spes hominis bulga, hac devincta est caetera vita. Aureos incubare folles* proverbiale est. Sulpicius Severus: *Praedia excolunt, auro incubant.* Martialis: *Largiris nihil, incubasque gazae.* Aristophanes ἐπὶ χρυσῶν ὀρῶν χέζειν dixit. Bene autem *munita domuncula.* ἐν ἀφράκτῳ γὰρ οἰκεῖν εἰς ἐπιβουλὴν ῥᾴδιον. Lucian. in de Gymnas.

Ibid. *Contempta pugna manus unicae*] Id est, manuum unius hominis, Chryserotis nempe, quem *solum et solitarium* dixit. qui aliter exposuerunt, torserunt se ut a vero aberrarent.

Pag. 70. *Qua clavi immittendae foramen patebat, sensim immissa manu* etc.] Cantic. 5. 4. Ἀπέστειλεν χεῖρα αὐτοῦ διὰ τῆς ὀπῆς. Seneca in Controversiis: *Effregit domum manu suspensa.* Lucianus in Meretric. Dialog. Ἐπάρας ἠρέμα τὴν θύραν, παραγαγὼν τὸν στροφέα, παρῆλθον ἀψοφητί.

Ibid. *Claustrum evellere gestiebat*] Lib. 3. *Claustrisque omnibus violenter evulsis*, etc.

Ibid. *Omnium bipedum nequissimus*] Plinius 1. Epist. 5. *Regulus, omnium bipedum nequissimus.* Alexander Severus de Caracalla apud Spartianum: *Ille omnium non solum bipedum, sed etiam quadrupedum nequissimus.*

Ibid. *Vigilans, et singula rerum sentiens*] Quintilianus 2. Declam. *Parvulis noctium turbamur offensis: excitant nos exigui plerumque motus: vox incerta, longinqua, et aliquando ipsum silentium.*

Ibid. *Obnixum silentium tolerans*] Infra hoc libro, *Premens obnixum silentium.*

Ibid. *Exitiabili nexu patibulatum*] Seneca 6. 37. Lactantii: *Sive flamma ore recipienda est, sive extendenda per patibulum manus.* Hesychius: Προσήλωσαν, προσέπηξαν, etc.

Ibid. *Gurgustioli sui tectum ascendit, contentissima voce clamitans, rogansque vicinos*] Lucianus verae Histor. 2. Αὐτὸς δὲ ἀνελθὼν ἐπὶ τὸ στέγος, ἐβόων τε, καὶ τοὺς ἑταίρους συνεκάλουν. Quintilianus iam citato loco: *Prima vigilantium praesidia sunt clamores.* Infra Lib. 7. *Procurrens in cubiculum, clamoribus inquietis, cuncta miscuit,* etc. *omnem viciniam suppetiatum convocans.* quod in l. 1. Cod. Theod. de rapt. virg. etc. *vicinorum opem clamoribus quaerere.* In Appuleii qui prae manibus loco *corrogansque vicinos* scripserim. Glossae: Συμπαρακαλῶ. *corrogo.* sic infra heic Lib. 9. *amicos corrogare.* Lib. 6. *Formicarum accolarum classem corrogare.* et ibidem, *benevolam misericordiam corrogare.*

Ibid. *Contentissima voce clamitans*] Florid. 1. de praecone: *Contentissima voce clamitat.*

Ibid. *Et salutis communis admonens*] Lucretius: *Communi deësse saluti.* Supra heic Lib. 3. *Salute communi protecta.*

Ibid. *Rogansque vicinos*, etc. *diffamat incendio repentino domum suam possideri*] Seneca 1. 25. de Clement. *Sub uno aliquo tecto flamma apparuit? familia vicinique aquam ingerunt.*

Ibid. *Unusquisque proximi periculi confinio territus, suppetiatum decurrunt anxii*] Salvianus lib. 6. *Quis domum vicini sui ardere cernit, et non efficere omnibus modis nititur ne ipse* etc. *concremetur?* Infra hic Lib. 5. *Tanti mali confinio sibi etiam eximie metuentes.*

Ibid. *Suppetiatum decurrunt*] Glossae: Ἐπικουρῶ. etc. *Suppetias venio.*

Ibid. *In ancipiti periculo constituti* etc.] Iustinus Lib. 27. *Ancipiti periculo circumventi.* Curtius 5. *Ancipiti malo oppressi.* Sallustius Catilinario: *Ancipiti malo permotus*, etc.

Ibid. *Medium e re nata validum volente eo comminiscimur*] Pro *medium* reponamus *remedium*, quod ingeniose a Beroaldo excogitatum recentiores recensitores temere repudiaverunt. et pro *validum*, *calidum*, id est, *citum*, *subitarium.* sic supra ad finem 1. *consilium calidum.* ubi dicta vide. Ait, *e re nata.* Donatus ad 3. 1. Adelph. *Sic proprie dicimus de iis, quae contra voluntatem nostram acciderunt.*

Ibid. *Dum trepidi regionis urgemur gravi tumultu* etc.] Ita et Oxon. Cod. Virgilius Aeneid. 12. *Trepidae rerum.* ubi Servius: *Nescientes quid agant, ignarae auxilii.* malebam tamen in Appuleio *trepidae regionis.* Virgilius: *Omne tumultu Festinat trepido Latium.* Servius: *Trepido, festino.*

Ibid. *Dum trepidi regionis u. g. t. et instantis periculi metu terremur ad fugam* etc.] Sidonius 3. 12. *Dum dubitant in crimine reperti, starent, an dilaberentur* etc. *Instantis periculi* locutio est ex Iure sumpta. vide l. 3. §. 4. 5. de mortis causa donat.

Ibid. *Multis nos affatibus, multisque precibus*

quaesens hortatur: Per dextram Martis etc.] Eugraphius ad Andr. I. 5. *Impetrabile fit, si quod volumus, in allocutione cum precibus collocamus.* Et nota, quam proprie haec adiuratio facta. Dido apud Virgil. Aeneid. 4. *Per ego has lacrymas, dextramque tuam te.* ubi Servius: *Bene virum fortem per dextram adiurat.* Oxoniensis MS. et editio vetus Vicentina, *quaerens hortatur.*

Ibid. *Bonum commilitonem cruciatu simul et captivitate liberaremus*] Id est, occideremus eum. Lucanus: *Aut aliquis Magno dignus comes exigat ensem.* Mezentius ad Aeneam: *Nullum in caede nefas.* ubi Servius: *Aut, nihil acerbi in morte se passurum ait: aut, nihil infandum Aeneam commissurum, si se volentem interfecerit.* Apud Saxonem Grammaticum ille: *Obire volentem Sterne virum.* Et post: *Sponte pia legem fati praecurrere fas est, Quod nequeam fugere, hoc etiam anticipare licebit.* Deinde, *Mors optima tunc est Cum petitur.* Servius ad Aeneid. 10. *Pro petentis qualitate nonnunquam etiam mors miseratio videtur esse.* In Senecae Troade: *Mortem misericors saepe pro vita dedit.* Et nota heic mortem captivitati praeoptatam. Tacitus Annal. 12. de Zenobia gravida cum coniuge Rhadamisto fugiente: *Festinatione continua ubi quati uterus, et viscera vibrantur, orare ut morte honesta contumeliis captivitatis eximeretur.* Anonymus apud Servium ad Aeneid 2. *Scimus mortem captivitatis esse remedium.* Iustinus lib. 4. de Demosthene: *Amisso exercitu, a captivitate* etc. *voluntaria morte se vindicat.* Nicol. Damascenus apud Stobaeum de Autariatis: Τοὺς τῶν στρατιωτῶν ἀδυνάτους ἐν ταῖς ὁδοιπορίαις οὐδέποτε ζῶντας ἀπολείπουσι. ne nempe aut hostium iras aut ludibria experirentur.

Pag. 71. *Cur enim manui, qua sola rapere et iugulare posset, fortem latronem supervivere?*] Iuvenalis: *Extinctae corpus non utile dextrae.* In Mimo vetere: *Nil posse quenquam, mortuum hoc est vivere.* Tertullianus in de Idololatria: *Eundem* (Apostolum) *praecepisse dicunt, secundum suum exemplum, ut manibus unusquisque operetur ad victum. Si hoc praeceptum ab omnibus manibus defenditur, credo et fures et aleatores manibus suis vivere, et ipsos latrones manibus agere quo vivant.* ubi et vide Laberii locum ab eruditissimo Rigaltzio adductum. In Oxon. et alio MS. *iuvare*, non *iugulare* exaratum. In eodem, et nonnullis editis rectius *manu* (id est, *manui*) scriptum. Sic I. *Primum ingressu stabulum.* Infra hic, *lacu aliquo conterminam.* et alibi eodem libro isto, *Luctu publico congruum.*

Ibid. *Qui manu socia volens occumberet*] Id est, alicuius ex sociis suis. Oxon. *succumberet.*

Ibid. *Cumque nulli nostrum spontale parricidium suadens persuadere posset* etc.] Florus de Bruto et Cassio: *Quis sapientissimos viros non miretur ad ultimum non suis manibus usos? nisi si hoc quoque ex persuasione defuit ne violarent manus, sed in abolitione* etc. *animarum, iudicio suo, scelere alieno uterentur.*

Ibid. *Sumptum gladium suum, diuque deosculatus,* etc.] Ita Epaminondas (apud Iustinum) moribundus gladium osculatur suum. In Appuleio videtur legendum *diu diuque deosculatus.* Infra lib. 5. *Viam, quae sola ad salutem perducit, diu diuque cogitatam* etc. et II. *Diu diuque apud cogitationes meas revolvebam.*

Ibid. *Per medium pectus ictu fortissimo transadigit*] Hegesippus 2. 18. *Elevavit dextram, ac formidabilem cunctis subiiciens sibi mortem, proprio victor se mucrone transfixit.*]

Ibid. *Magnanimi Ducis vigore* etc.] Florid. I. *Idem vigor acerrimi bellatoris.*

Ibid. *Corpus veste linea diligenter convolutum* etc.] Ioh. 19. 40. Ἔλαβον τὸ σῶμα etc. καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις. Artemidorus 2. 3. Τοὺς ἀποθανόντας ἐν λευκοῖς ἔθος ἐκφέρεσθαι. Plutarchus Crasso: Τὸ σῶμα τοῦ τεθνηκότος ἐν λευκοῖς ἀμφιέννυσι.

Ibid. *Mari celandum commisimus*] Theodoretus de nautis: Ἰωνᾶν τῇ θαλάττῃ παρέδοσαν.

Ibid. *Et nunc iacet noster Lamachus*] Id est, corpus Lamachi nostri. Palinurus apud Virgilium: *Nunc me fluctus habet.* ubi Servius: *Quia secundum Philosophos corpus solum nostrum est, quod nobiscum oritur, nobiscum perit:* etc. *ergo ME, corpus meum, quod est hominis proprium.* Bene autem *iacet.* Hesychius: Κεῖται ἀεὶ ἐπὶ τοῦ κακοῦ τίθεται· ἢ θανάτου, ἢ ἀπραξίας. Infra hoc lib. *Iacentem bestiam.*

Ibid. *Elemento toto sepultus*] Plinius Prooemio libri 19. de inventore lini velificationi inservientis: *Cui satis non fuit hominem in terra mori, nisi et insepultus periret.* At non invenusta catachresi etiam in mari quis sepeliri dicitur. Eustathius ad Homerum: Θαλάσσῃ θυμβεύεσθαί τις λέγεται, βυθισθεὶς ἐκεῖ. Clitophon apud Achillem Tatium: Οὐκ ἤκουσας ὅτι ἐν πελάγει τέθνηκεν; ἔτι πλέω Λευκίππης τάφον. *Sepultus toto elemento* inquit, non terrae exigua portiunculâ sex pedes longum faciente. Alcmaena de Hercule suo apud Senecam: *Quae tibi sepulchra gnate, quis tumulus sat est? Hic totus orbis famâ erit tumulus tibi.* Bene et *elemento toto* Virgilius: *Tot maria intravi duce te.* ubi Servius: (quem in transitu emendabimus) *Dicendo maria, partes eum maris navigasse ait, non tantum* (lege, *non totum*) *mare: mare enim elementum est totum.* Arrianus venuste: Εὐθὺς ὅτε πλέω, παρακύψας εἰς τὸν βυθὸν etc. ἐξίσταμαι, καὶ φανταζόμενος ὅτι ὅλον με δεῖ τὸ πελάγος τοῦτο ἐκπιεῖν, ἂν ναυαγήσω, οὐκ ἐπέρ-

ἐπέρχεταί μοι ὅτι μοι τρεῖς ξέσται ἀρκοῦσι. Ex quibus, ut et Appuleii verbis patet Veteres ita et sensisse, et loqui solitos. Fortasse etiam κατ' ἐξοχὴν *elementum* heic non tam *mare* quam *aquam* vocat: secutus hac parte Physicos, inprimis Thaletem, qui *aquam* omnium rerum esse *elementum* affirmavit. Vide ad 4. Georg. Iunium Philargyrum.

Ibid. *Et ille quidem dignum virtutibus suis vitae terminum posuit*] Diodorus lib. 1. de Sesostri Rege: Δόξας τῇ μεγαλοψυχίᾳ τῶν πεπραγμένων ἀκόλουθον τὴν τοῦ βίου καταστροφὴν πεποιῆσθαι. Egesippus 5. 30. de Iuliano milite: *Haud* etc. *tali dignus exitu fuit, ut tanta viri virtus sic deciperetur.* Frequens et in partem contrariam simile genus loquendi. Diodorus Siculus de Phayllo: Τῆς ἀσεβείας οἰκείως τὸν βίον κατέστρεψε. et in Excerptis, de Antiocho R. Μετὰ πάσης δυνάμεως ἀπολλύμενος, πρέπουσαν τὴν καταστροφὴν τοῦ βίου εὗρε. Gregorius Nyssenus de foeneratore quodam: Ἀξίως τοῦ τρόπου τὸν βίον καταστρέψας. Sallustius: *Dignum moribus factisque suis exitum vitae invenit.* Paterculus de Agrippa: *Dignum furore suo habuit exitum.* Idem de Ignatio Rufo: *Mortem dignissimam sua vita obiit.* Egesippus 4. 20. de Nerone: *Parricida dignum meritis suis vitae exitum tulit.* Trebellius Pollio de Aureolo: *Apud Mediolanum occisus, dignum exitum vita ac moribus suis habuit.*

Ibid. *Enimvero Alcimus solertibus coeptis tamen saevum Fortunae nutum non potuit abducere*] Lib. 10. *Sed haec bene, atque optime* etc. *disposita, feralem Fortunae nutum latere non poterant.* ad quem locum uberius dicemus. *Alcimi*, ut *Lamachi*, et *Thrasyleonis*, nomen a fortitudine effinxit. Hesychius: Ἄλκιμος, μάχιμος, ἀνδρεῖος, ἰσχυρὸς, θρασὺς.

Ibid. *Qui cum* etc. *protinus oblisis faucibus interstinguere eam debuisset, prius maluit* etc.] Quod praeter sectae suae disciplinam factum, vitae dispendio luit. Vide Marc. 3. 27. Casaubono *debuisset* heic est ἔμελλε: nobis nostra expositio satisfacit.

Ibid. *Per latiorem fenestram*] Ita Oxon. MS. et vett. editt. fortasse tamen *altiorem* scribendum. sequitur enim in hac ipsa narratione, *Qui praeter altitudinem nimiam* etc.

Ibid. *Nobis scilicet rapienda* etc.] Firmatur et haec lectio a iam dicto MS.

Ibid. *Cuncta rerum gnaviter emolitus*] *Res emoliri*, est quod sententia simili l. 39. ff. de furt. *res egerere*. ubi qui pro *egesserunt*, *eiecerunt* substituunt, si non in mentem Iurisconsulti, eius in sermonem peccant. Sic infra hic lib. 7. *monte lignum egerere.*

Ibid. *Genibus eius profusa, sic nequissima illa deprecatur*] Ennius: *Me orat mulier, lacrymansque ad genua accidit.* Similem infra sub finem 9. astutiam vide.

Ibid. *Quid oro fili paupertinas pannosasque reculas miserrimae anus* etc.] Tibullus 1. 1. *At vos exiguo pecori furesque lupique Parcite, de magno est praeda petenda grege.* *Pannosae et paupertinae reculae*, sunt σκεύη καὶ ἐσθὴς, τοιαῦτα οἷα ἂν γένοιτο πτωχῶν κτήματα: ut Basilius Homil. in Avarit. locutus. l. 1. Cod. de defensor. civit. *res minusculariae* vocat. Seneca et Iuvenalis, *frivola*. Glossae: Σκευάρια εὐτελῆ πάνυ, *frivola*. Oxon. et veteres editiones *resculas* legunt.

Ibid. *Iam certus erroris*] Schoppius, et (in margine Appuleii sui) Casaubonus, *incertus erroris*. quae vox posterior abest ab Oxon. MS.

Pag. 72. *Senile illud facinus*] Id est, anus facinorosa illa: at alterum illud gravius et vehementius. Terent. Eunuch. *Quin insuper scelus* etc. ubi Donatus: Αὔξησις, *plus enim est quam scelestus.*

Ibid. *Inopinato pulsu nutantem ac pendulum* etc. *praeceps inegit*] In caput inegit. Glossae: Ἐπὶ κεφαλῆς, *praeceps*. Hesychius: Κυβιστίζω, ἐπὶ κεφαλὴν ῥίπτω. Virgil. *Pronusque magister Volvitur in caput.* Lucilius: *Has e fenestris in caput deiiciunt.* Simillimum isti facinus, etiam a muliere patratum, e nescio quo Veterum ita Suidas narrat: Ἡ δὲ ἐγκύψαντα αὐτὸν εἰς πίθον etc. ὤσεν εἰς κεφαλὴν, καὶ ἀπέπνιξεν. In verbo ὤσεν.

Ibid. *In prospectu alioquin attonitum*] Hesychius: Προκεχηνότες, πρὸς τὰ κάτω βλέποντες.

Ibid. *Praeter altitudinem nimiam*] Id est, *profunditatem*. Servius ad Aeneid. 1. *Altum, sciendum est quod et superiorem et inferiorem altitudinem significat: namque mensurae nomen est altitudo.*

Ibid. *Diffissaque crate costarum* etc.] Aeneid. 12. *Transadigit costas, et crates pectoris ense.* Sidonius de Elephantis: *Improba cratem Nativam nec tela forant.* Arnobius 3. *Sub costis, earumque sub cratibus.* Aldhelmus de laud. virginit. *Squamigeras costarum crates.* Lactant. cap. 5. de Opific. Dei: *Ex eius (spinae) parte quasi media, costas, id est, transversa et plana ossa porrexit in diversum: quibus clementer curvatis* etc. *interna viscera conteguntur: ut ea quae mollia et minus valida fieri opus erat, illius solidae cratis amplexu possent esse munita.* Hesychius: Κτένας etc. μεταφέροντες ἀπὸ τῶν εἰς τὰς τρίχας ἐπιτηδείων κτενῶν, λέγουσι καὶ τὰς πλευρὰς νωτιαίας.

Ibid. *Rivos sanguinis vomens*] Ex Virgilii illis, *Sanguinis ille rivos vomens cadit.* Aldhelmus in de Virginit. laud. *Cruorem ritu rivi rorantis deputare.* ubi forsan *despumare* scribendum.

dum. Aeneid. 9. *Et plenos spumanti sanguine rivos.*

Ibid. *Primitus narratis nobis quae gesta sunt* etc. *vitam evasit*] Lib. 8. *Et enarratis ordine singulis* etc. *ferro sub papillam dextram transadacto corruit.* Lib. 10. de medico, venenata potione hausta: *Domum pervadit aegerrime, vixque enarratis cunctis* (supple, quae gesta sunt) etc. *effudit spiritum.* Ibidem statim, de uxore eius, eodem illo poculo perempta: *Ab ipso exordio crudelissimae mulieris cunctis atrocitatibus diligenter expositis* etc. *ante ipsos Praesidis pedes exanimis corruit.* Apud Libanium Parasitus: Τοσοῦτον δ' οὖν ὅμως ἤρκησα πρὸς τὸν λιμὸν ἀντισχεῖν, ὅσον ἃ πέπονθα πρὸς ὑμᾶς εἰπὼν, τὸν βίον καταλῦσαι. In Gallo Luciani: Ὤμην γὰρ τὸν Εὐκράτην αὐτὸν ἄπαιδα ὄντα, οὐκ οἶδα ὅπως, ἀποθνήσκειν· (id est, ἐσχάτως ἔχειν) εἶτα προσκαλέσαντά με, καὶ διαθήκας θέμενον ἐν αἷς κληρονόμος ἦν ἁπάντων ἐγὼ, μικρὸν ἐπισχόντα ἀποθανεῖν. Terentius 1. 5. Andr. *Mors continuo eam occupat.* ubi Eugraphius: *Continuo, inquit, tanquam ad mandati creditam sententiam vita suffecerit.*

Ibid. *Bonum secutorem Lamacho dedimus*] In vetere funesta formula apud Servium: *Vale, nos te ordine quem Natura permiserit, sequemur.* Scaliger et Lipsius ad gladiatorium morem allusum malunt. Ego *sequi* hîc intelligo *comitari.* sic 9. *Myrmecem acerrimum uxori secutorem relinquens.* et hinc 7. iunctim, *Marti Comiti et Secutori* dixit.

Ibid. *Orbitatis duplici plaga petiti*] Ita *repetitum orbitatis vulnus* Quintilian. lib. 6. Praefatione dixit. Oxon. *Exorbati d. p.* ἀπορφανισθέντες.

Ibid. *Thebanis conatibus abnuentes*] Sic 6. *Venus terrenis remediis inquisitionis abnuens.* Simile apud Lucilium: *Stimulisque negantem.* Hoc κείμενον ab Oxon. abest.

Ibid. *Ibi fama celebrem quendam, nomine Democharen munus editurum gladiatorum deprehendimus*] Repone ex Cod. Florent. *Ibi famam celebrem super quodam Demochare munus edituro deprehendimus:* quae eadem totidem literis scriptura est Oxoniensis manuscripti. *Democharis* nomen, ut et aliorum multorum, ad negotium praesens accommodavit: quod apparet vel ex continuo sequentibus, *voluptates publicas instruebat.*

Ibid. *Nam et genere primarius vir* etc.] Melius Oxon. Cod. *Nam vir, et genere primarius,* etc. Onomasticon vetus: *Primarius*, ἀρχικός.

Ibid. *Digno fortunae suae splendore publicas voluptates instruebat*] Ita MS. ille, et Vicentiae editus liber. Casaub. hic ad oram libri sui: *dignas fortunae suae splend.* placeret mihi, *Digno fortuna sua splendore* etc.

Ibid. *Quis tantus ingenii, quis facundiae, qui singulas species apparatus multiiugi?* etc.] Iosephus in descriptione Vespasianaei triumphi: Ἀμήχανον κατὰ τὴν ἀξίαν εἰπεῖν τῶν θεαμάτων ἐκείνων τὸ πλῆθος, καὶ μεγαλοπρέπειαν, ἐν ἅπασιν οἷς ἄν τις ἐπινοήσειεν, ἢ τεχνῶν ἔργοις, ἢ πλούτου μέρεσιν, ἢ φύσεως σπανιότησιν. Oxon. *apparatus multi:* quod nequaquam vulgato praetulerim.

Ibid. *Gladiatores isti famosae manus*] Infra lib. 10. de alio munerario: *Gloriae publicae studio Thessaliam etiam accesserat, nobilissimas feras, et famosos inde gladiatores comparaturus. Famosae manus gladiatores* vocat, qui multa Orco funera demiserant, qui (ut de perfido medico eodem libro illo) multarum palmarum praeliis spectati, magna dextrarum suarum trophaea numeraverant. Donatus ad Hecyr. *Meretrices et gladiatores dici nobiles solent.*

Ibid. *Perdita securitate suis epulis bestiarum saginam instruentes*] Artemidorus 2. 59. Ὁ θηριομαχῶν, ἀπὸ τῶν ἰδίων σαρκῶν τὰ θηρία τρέφει. De huiusmodi Amphilochius: Δοῦλοι γὰρ ὄντες γαστρὸς, αἰσχίστης νόσου, Ὑπηρετοῦσι τοῖς κακοῖς προστάγμασιν. Ἡ δ' ὡς πικρὰ δέσποινα τῶν λοιπῶν μελῶν Ἔνδον κάθηται θηρσὶ πωλοῦσα μέλη, Λαύρως κατεσθίουσα τὰ τιμήματα, Γαστὴρ ἄσωτος, θηρίων εἰς γαστέρας Τυραννικῶς ὠθοῦσα συγγενῆ μέλη. Apud Minucium Foelicem: *Ferae membris et visceribus hominum saginatae.* Oxon. *severitate.* ego nec hoc, nec illud intellectum habeo.

Ibid. *Confixilis machinae sublicae, turres tabularum nexibus ad instar circumforaneae domus*] *Sublicas* Glossarium *sublices* vocat, exponitque, καταπῆγας τοὺς ἐν ποταμῷ τὴν γεφύραν ὑποβαστάζοντας. de his plura iam alii. at in Oxoniensi *sublimes* legitur: unde post *turres*, non *sublicae* interpungendum crediderim. Virgilius 9. *Turris erat vasto suspectu, et pontibus altis.* Servius: *Pontibus*, pro *tabulatis.* De huiusmodi Claudianus: *Et non permissa morari, Fida per innocuas errent incendia turres. Ad instar domus circumforaneae*, inquit. Iosephus ubi supra: Θαῦμα δὲ ἐν τοῖς μάλιστα παρεῖχεν ἡ τῶν φερομένων πηγμάτων κατασκευὴ etc. τριώροφα γὰρ αὐτῶν καὶ τετρώροφα πολλὰ πεποίητο. Bene autem *nexibus.* Tacitus Annal. 4. ubi de gladiatorio munere: *Neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit.*

Ibid. *Qui praeterea numerus! quae facies ferarum!*] Claudianus simili argumento: *Quodcunque tremendum Dentibus, aut insigne iubis, aut nobile cornu, Aut rigidum setis, capitur: decus omne timorque Sylvarum non caute latet, non mole resistunt Fortia, non volucri fugiunt pernicia cursu.* Gellius 5. 19. ex Appione: *Multae*

tae ibi saevientes ferae, *magnitudine* (lege *magnitudines*) *bestiarum excellentes: omniumque invisitata erat aut forma aut ferocia.*

Ibid. *Nam praecipuo studio forensi etiam advexerat generosa illa damnatorum capitum funera*] Interpunge: *N. praecipuo studio*, *forensi etiam*, *advexerat* etc. Non solum *studio praecipuo*, sed et *forensi:* id est, *exotico. ἐκ χωρῶν τῶν ἔξω.* sic supra lib. 1. *forensis sermo.* Mira et delectabilia plane quae heic bonus Beroaldus excogitavit. Oxon. *corporum*, non *capitum* legit.

Ibid. *Totis utcunque patrimonii viribus immanis ursae comparabat numerum copiosum*] Salvian. 3. contra Avarit. *Totis patrimonii sui viribus elaborans* etc. Anonymus in Passione S. Mariae, de Tertullo Decurione: *Munera anni auspicantis absolvit: et magnis spectaculis propriis viribus comparatis*, *communem totius populi aspectum satiavit.*

Ibid. *Immanis ursae*] Ammianus lib. 31. *Vel interemerit immanem ursum.* Infra hîc lib. 7. *Ex summo studio fugiens immanem ursam.*

Ibid. *Largis emptionibus partas*] Donatus ad 1. 1. Phorm. *Proprie dicitur partum*, *de eo quod labore quaesitum est.*

Pag. 73. *Tutela sumptuosa nutriebat*] Sic infra lib. 8. *ad tutelae praesidia curiose alumnari.* Commode in hoc argumento autem *sollicite nutriebat.* Seneca cap. 14. de Vita beata: *Feras cum labore periculoque venamur*, *et captarum quoque illarum sollicita possessio est.*

Ibid. *Pigra etiam sessione languidae* etc.] Idem Epist. 122. *Sine ulla exercitatione iacentibus tumor pigrum corpus invadit*, *et super membra iners sagina succrescit.* Apud Suidam ex Veteribus quis in ἀκινησίᾳ· Καὶ τοὺς ἵππους ἐξελαύνειν προσέταξεν, ὡς διαλύοιτο αὐτοῖς τὸ ὑπὸ τοῦ πολλοῦ νεναρκηκὸς ὑπὸ ἀκινησίας.

Ibid. *Passim per plateas cerneres iacere semivivorum corporum ferina naufragia*] Ex his Virgilii: *Plurima perque vias sternuntur inertia passim Corpora.* Aeneid. 2.

Ibid. *Tunc vulgus ignobile* etc.] Hieronymus in Hilarionis vita: *Et hinc inde ex urbibus et agris vulgus ignobile.*

Ibid. *Quos inculta pauperies tenuato ventri cogit sordentia supplementa et dapes gratuitas conquirere*] Supra lib. 2. *Tenuato viatico paupertati meae fomenta conquiro.* Recte autem gratuitas dapes facit pauperes sectari. Scholiastes ad Plutum Aristophanis: Κατὰ νουμηνίαν οἱ πλούσιοι δεῖπνον ἑσπέρας ὡς Ἑκάτῃ θυσίαν προσάγοντες, ἐπὶ ταῖς τριόδοις ἐτίθουν, οἱ δὲ πένητες ἤρχοντο πεινῶντες, καὶ αὐτὸ ἤσθιον. Pro *supplementa* hîc quidam *explementa* maluit, quod non possum approbare. Supra lib. 2. *Ubi sagae mulieres mortuorum ora demorsicant*, *eaque sunt illis artis Magicae supplementa.* Adde, quod et Ovidius *supplere* pro *explere* dixit: *Amplexaque corpus amantis Vulnera supplevit lacrymis.* Metamorph. 4. Vide et Iacobi 2. 23. 1. Cor. 14. 16. Latinum Interpretem.

Ibid. *Passim iacentes epulas adcurrere*] Tertullianus Apologetico: *Ipsorum ursorum alvi appetuntur*, *cruditantes adhuc de visceribus humanis: ructatur proinde ab homine caro pasta de homine.*

Ibid. *E re nata subtile consilium* etc. *comminiscimur*] Ita editi plerique, ita Oxon. MS. Vicentiae liber excusus, *Nacti subtile consilium.* ut supra hoc libro, *subtilem occasionem nactus.* At melior altera lectio: Supra heic, *Remedium e re nata* etc. *validum comminiscimur.*

Ibid. *Ursam quae caeteris sagina corporis praevalebat*, etc.] Glossae, *Sagina*, παραπλήρωμα. rectius hîc alii autem *sarcina corporis.* sic infra lib. 8. *lupos corporibus sarcinosos* dixit. Oxon. et Florent. MSS. *Unam quae* etc. utro legatur modo, ad sensus nihil, ad veritatem contextus permultum refert. Sequamur itaque lectionem ineditam illam, cui subiecti loci sat auctoritatis conciliabunt. Infra hîc, *Unus e numero nostro*, *non qui corporis adeo*, *sed et animi robore caeteris antestabat.* Lib. 3. *Unus denique et manu* (caeteris) *promptior*, *et corpore vastior*, etc. et 8. *Unus prae caeteris*, *et animo fortior*, *et aetate iuvenior*, *et corpore validior.*

Ibid. *Eiusque nudatum probe carnibus corium* etc.] Florid. 1. *Velut ursum bipedem corio execto*, *nudis et laceris visceribus reliquerunt.* Virgilius: *Tergora deripiunt costis*, *et viscera nudant.*

Ibid. *Servatis solerter unguibus*] Theodoretus 4. περὶ Προνοίας· Λέουσι καὶ ἄρκτοις καὶ παρδάλεσιν etc. ὀξεῖς καὶ παχεῖς, καὶ μακροὺς, καὶ μάλα ἰσχυροὺς ἐνέφυσεν ὁ Ποιητὴς ὄνυχας. φυσικὴν αὐτοῖς περιτέθεικε πανοπλίαν. Ovidius Metamorph. *Armatosque unguibus ursos.*

Ibid. *Tergum omne rasura studiosa tenuamus*] *Tergum* (ut et Virgilius iam adductus) quod supra *corium* vocat. Glossarium: *Tergus*, δορὰ ζώων. Onomasticon vetus: *Tergus*, σκύτος. Porro *studiose* scribi malim. *rasura studiose tenuare* hîc, ut 6. *fabrica studiose polire.* Huiusmodi, non mutant sensum, at contextus sinceritatem stabiliunt.

Ibid. *Rasura*] In eodem Onomastico: *Rasura*, κουρά.

Ibid. *Et minuto cinere perspersum* etc.] Lib. 7. *Corium adfirmatum inspersu cineris.*

Ibid. *Soli siccandum tradimus*] Sic 6. *Solis ardentis vaporibus tradere.*

Ibid. *Pulpis eius saginamur*] Gloss. Σάρκες, *pulpae.* Infra lib. 8. *Ossa pulpis viduata.*

Ibid. *Instantis militiae disponimus sacramentum*]

tum] Lib. 11. *Da nomen huic sanctae militiae, cuius iam olim etiam sacramento rogaberis.*

Ibid. *Per opportuna noctis silentia*] *Per amica silentia noctis.*

Pag. 74. *Solers species*] Bertin. et Oxon. MSS. *solers spes.*

Ibid. *Habili corio*] Isidorus Orig. lib. 10. *Habilis, quod sit ad habendum aptus et commodus.* Gloss: *Habilia*, εὐάρμοστα. Cicero 1. de Orat. *Quamvis essent habiles, et apti ad pedem.*

Ibid. *Mollicie tractabili*] Huc spectant Glossarii ista: *Pelliones*, δερματομαλάκται. In alio Glossario: Εὐψηλάφητος, *tractabilis.* et contra, Ἀψηλάφητος, *intractabilis:* in eodem Glossario.

Ibid. *Juncturae rimam, licet gracilem* etc.] Aptius ni fallor, *scilicet* g. legas.

Ibid. *Thrasyleonis caput subire cogimus*] Cum tamen supra, *Sic instanti militiae disponimus sacramentum, ut unus e numero nostro*, etc. *atque is inprimis voluntarius*, etc. *ursae effigiem subiret.* at *cogere*, hoc loco *facere* intelligendum.

Ibid. *Parvisque respiratui circa nares et oculos datis foraminibus* etc.] Apud Petronium ille: *Ego vos in duas iam pelles conicciam, vinctosque loris inter vestimenta pro sarcinis habebo: apertis scilicet aliquatenus labris, quibus et spiritum recipere possitis, et cibum.*

Ibid. *Abusi praesidio tenebrarum*] *Defensi tenebris, et dono noctis opacae. Abusi* pro *usi*, quomodo et Lucretius: *Sentit enim vim quidque suam qua possit abuti.* et Cicero ipse: *Nos elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur.* 2. de Nat. Deorum.

Ibid. *Demiratus bestiae magnitudinem*] Gellius, paulo supra adductus: *Magnitudines bestiarum excellentes.* Et nota, *bestiam* de ursa. sic in l. 2. ff. ad leg. Aquil. *Bestiae sunt ursi, pantherae*, etc.

Ibid. *Ut ipse habebat*] Desunt in Oxon. MS.

Ibid. *Iubet nobis protinus* etc. *decem aureos adnumerari*] In Trinummo Plautina: *Iam modo ex hoc loco Iubebo ad istam quinque perferri minas.*

Ibid. *Ut novitas consuevit ad repentinas visiones animos hominum pellere*] Ammianus lib. 26. *Insita plerisque vulgarium novitatis repentina iucunditate.* Ovidius: *Est quoque cunctarum novitas gratissima rerum.* Seneca Natur. quaest. lib. ult. *Naturale est magis nova quam magna mirari.* Petronius: *Convertit ad novitatem rei mentem. Repentinas visiones* heic ut supra lib. 1. *Attonitus repentinae visionis stupore.* Pro *pellere*, melius *impellere*, vel *pellicere* legas.

Ibid. *Multi numero mirabundi ad bestiam confluebant*] Phaedrus: *Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt.* Themistius 9. Orat. Τῆς καινουργίας etc. ἐπισπωμένης ἀεὶ τὸν πολὺν συρφετὸν, καὶ πρὸς τὰ ξένα καὶ παράλογα κεχηνότα. Et bene in hoc argumento *mirabundi.* Cassiodorus Chronico: *Muneribus amphitheatralibus diversi generis feras, quas aetas pro novitate miratur, exhibuit.*

Ibid. *Itineris spatio fatigatam*] ἐκ τῆς ὁδοιπορίας κεκοπιακυῖαν.

Ibid. *Domus tuae patulum ac perflatilem locum* etc.] Etymologus: Κάπω, τὸ πνέω· ὅθεν καὶ κῆπος διαπνεόμενος τόπος, διὸ καὶ ἐν ταῖς οἰκίαις τὸν ἀποτετμημένον τόπον πρὸς ἀνέμου ἀνάπνευσιν, καὶ κῆπον λέγουσι. vide Pollucem 5. 18. Hesychius: Ῥιπιστὰ, διαπνεόμενα. Eundem vide etiam in κεκαφηότα. Oxon. et Florent. MSS. *perflabilem.* Ammianus, ut heic, *perflatilem.* De Alexandrina urbe lib. 22. *Auris, et salutari temperamento perflatilis.*

Ibid. *An ignoras hoc genus bestiae lucos consitos, et specus roridos, et colles frigidos, et fontes amoenos semper incubare?*] Virgilius de equabus: *Saltibus in vacuis pascant, et plena secundum Flumina, muscus ubi, et viridissima gramine ripa, Speluncaeque tegant, et saxea procubat umbra.* Adde quae Iobi 40. 16. 17. de Behemotho, quem *elephantum* exponunt. In Cod. Palat. et Aldina editione, *superexcubare.* quod fortasse vulgatis rectius. sic infra lib. 6. *superexcubare* dixit. *Roridos* bona lectio est, non *rosidos.* Glossae: Δροσίζω, *roro.* Onomast. vet. *Roresco, roro*, δροσίζω.

Ibid. *Talibus monitis* etc.] Lib. 3. *Talibus me monitis delinire gestiunt.*

Ibid. *Hic ibidem*] Vide supra pag. 55. adnotata.

Ibid. *Excubare noctes*] Id est, *noctu.* Virgil. 4. Georg. *Flet noctem.* ubi Servius, *Iugi nocte.* Idem: *Noctes lentus non deficit humor.*

Ibid. *Cibum tempestivum* etc. *offeramus*] Hoc Psalm. 104. διδόναι τὴν τροφὴν εἰς εὔκαιρον. et Psalm. 144. ἐν εὐκαιρίᾳ. sic infra 9. *prandium tempestivum.*

Ibid. *Nihil indigemus labore isto vestro*] Supra lib. 1. *Nihil (inquit) istarum rerum* etc. *indigemus.*

Ibid. *VALE facto, discessimus*] Lege coniunctim *valefacto*, a *valefacio.* vide veterem Interpretem Act. 18. 18. et 21. 6.

Ibid. *Ex disciplina sectae servato noctis illuni tempore*] Ammianus lib. 19. *Observata nocte squalida et interluni.* Thucydides lib. 4. Τηρήσαντες νύκτα etc. ἀσέληνον. nimirum, cuius nullam partem Luna illuminavit. At alia Appuleii mens: vult ille id noctis tempus quo lumen obscura

scura Luna premit, ut Virgilius loquutus. Ait, *ex sectae disciplina.* Theodoretus 7. περὶ προνοίας· Οἱ τῆς πονηρίας κατατολμῶντες etc. νύκτωρ κακουργοῦσι, τὸ σκότος, καὶ τὸν ὕπνον, καὶ τὴν ἁπάντων ἡσυχίαν τῆς λῃστείας λαμβάνοντες. Adde quae 1. 18. Gellius ex Varrone.

Ibid. *Quo somnus obvius impetu primo* etc.] Guntherus: *Quo membra diurnis Extenuata malis primo sopor irrigat imbre.* Idem: *Primo somni torpore gravatos.* Ovidius Metamorph. 7. *Prima quies aderat, quâ curis fessa diurnis Pectora somnus habet.* Phaedrus: *Sanctamque uxorem dormientem cubiculo, Sopita primo quae somno nil senserat. Obvius*, est, ultro insinuans se, dono Divûm serpens. *Premit* heic, ut infra 5. *Exordio somni prementis implicitus.*

Ibid. *Expilationis vadimonium*] Glossae: Ἀποσυλῶ, *expilo.* Aliae: *Expilat*, ἀποδύει, λῃστεύει, συλᾷ, ἐκπορθεῖ, τοιχωρυχεῖ.

Ibid. *Examussim capto*] Onomasticon vetus: *Examussim*, ἀπηκριβωμένως.

Ibid. *Custodes, qui prope sopiti quiescebant* etc. *gladio conficit*] Firmicus 6. 31. *Famosos domuum effractores reddet, et qui armati gladio quiescentibus hominibus, et patrimonii iacturam et vitae discrimen infligant.* Scriptor de Excid. Hierosol. 4. 9. *Quoscunque repererunt, dormientes alios, perterritos alios, totis viis caedebant.* In Appuleio *probe*, non *prope* scribendum. Supra heic: *Probe nudatum carnibus corium.* Lib. 6. *Iubam probe pectinatam.* 9. *Probe suasum et confirmatum.* Ibidem, *Probe capite contectum.* et 10. *Poculum probe temperatum.*

Ibid. *Ad unum omnes*] Servius ad Aeneid. 3. *Ad unum: nullo excepto.* In Graeco 1. Samuel. 11. 11. Οὐκ ὑπελείφθησαν ἐν αὐτοῖς δύο κατὰ τὸ αὐτό. Gellius 3. 7. *Quadringenti omnes tum una perfossi gladiis, aut missilibus operti, cadunt.* quae scio sic posse accipi, *una cadunt*: credebam tamen melius, *omnes ad unum perfossi* etc. Sic 16. 11. apud Eundem: *Eo facto Psyllos ad unum omnes interiisse.* Ammianus Lib. 31. *Trucidassetque omnes ad unum, ni* etc. Idem lib. 14. *Periissent ad unum, ni* etc. Scriptor de Illustribus Viris: *Ad unum occisione perierunt.* Perplexam porro Appuleiani loci lectionem ita bene Oxon. MS. constituit, *omnes ad unum, mox etiam* etc.

Ibid. *Fores ianuae repandit, nobisque* etc. *domus alveo receptis* etc.] Ex his (ni fallor) Virgilii: *Caeduntur vigiles, portisque patentibus omnes Accipiunt socios, atque agmina conscia iungunt.*

Ibid. *Demonstrat horreum ubi vespera sagaciter argentum copiosum recondi viderat*] Supra Lib. 3. *Tunc horreum quoddam* etc. *quod mediis aedibus constitutum gazis Milonis fuerat refertum* etc. Infra lib. 5. *Altrinsecus aedium horrea sublimi fabrica perfecta, magnisque congesta gazis conspicit.* Sic *pignora in horreis servata*, in l. 9. Cod. de pignor. act. Lampridius in Alexandro Severo: *Horrea fabricavit, in quibus privati homines qui domi loca non habebant, aut custodia carebant, aurum, argentum, gemmas, aut grana convectarent.* Similem hodieque usum Venetiis *la Volta* praebet.

Ibid. *Asportare quantum quisque poterat* etc.] In vetere Onomastico: *Asportare*, ἐμφέρειν. Glossarium: *Asportavit*, ἐξεφορτίσατο.

Ibid. *In illis aedibus* etc. *mortuorum*] In Notis Magnonis. D. M. *Domus mortui.* Sic *monumentorum bustorumque diversoria* apud Suetonium in Neronis vita. Vide ad Matth. 19. 23. notata. Lusit heic operam ergo qui *sedibus* reponebat.

Ibid. *Quod enim ex usu foret omnium*] Oxon. *ex censu*: male. Infra 11. *Quod enim ex usu foret* etc.

Ibid. *Ad proterrendos*] Glossae: Καταπτοῶ, *Proterreo*, etc. Onomast. vetus: *Proterreo*, ἀποφοβέω: adde quae infra sub initium libri 10. adnotata.

Ibid. *Immani forma tantae bestiae*] Ad proprietatem locutionis animos advertamus. Virgilius; *Et formae magnorum ululare luporum.* Plinius lib. 1. Epist. 20. *Animalium formas* etc. *nihil magis quam amplitudo commendat.* Sic *primae formae ferae* apud Senecam lib. Cur bonis viris etc. Horatius Serm. 2. 2. *Imparibus formis deceptum te patet.* Scholiastes: *Inaequali magnitudine.* Iuvenal. 4. *Adriaci spatium admirabile rhombi.* Scholiastes: *Piscis formae magnitudo.* Iustinus lib. 25. *Elephantos ad terrorem velut inusitatas Barbaris formas Rex ostendi iusserat.* Isidorus 12. 2. *Elephantem Graeci a magnitudine corporis vocatum putant, quod formam montis praeferat.* Solinus cap. 5. de enormibus hominum staturis tractans: *Ante Augustum annis ferme mille non apparuit forma huiusmodi.*

Ibid. *His omnibus salubri consilio recte dispositis accurrit saevus eventus*] In de Dogm. Platonis: *Instabile quiddam et incurrens intercedere solere, quae consilio fuerint et meditatione suscepta, quod non patiatur ad finem venire.*

Ibid. *Numerosae familiae frequentia domus tota completur: taedis, lucernis* etc.] Theocrit. 24. Οἱ δ' αἶψα προγένοντ' ἅμα λύχνοις δαιομένοισι Δμῶες, ἐνεπλήσθη δὲ δόμος σπεύδοντος ἑκάστου.

Pag. 77. *Taedis*, etc. *clarescunt tenebrae*] Niceph. Gregoras lib. 8. Λαμπάσι καὶ πυρσοῖς κεχρήμεθα ἕως ἐν μὲν στερήσει τῆς τὰ πάντα βοσκούσης λαμπάδος, οἱονεί τινα δεύτερον ἐκ μηχανῆς ἥλιον τῇ νυκτὶ πράττοντες. quo loco forsan πλάττοντες scribendum.

Ibid.

Ibid. *Nocturni luminis instrumentis clarescunt tenebrae*] *Noctem flammis funalia vincunt.* Optime hic MS. Oxon. *Et caeteris nocturni l. i.*

Ibid. *Sebaceis*] Gloss. *Sebum* (sic enim, non *Sebrum* legendum) λίπος. Ammian. lib. 18. *Sebalem facem* etc.

Ibid. *Nec inermis quispiam* etc. *processit : sed singuli fustibus, lanceis* etc.] Infra lib. 8. *Hic lanceam, ille venabulum, alius gerebat spicula, fustem alius* etc. Accius apud Festum in *Rodus. Nec quisquam a telis vacuus :* etc. *hic ferrum, alius saxum* etc.

Ibid. *Muniunt aditus*] *Omnemque aditum custode coronant.*

Ibid. *Canes* etc. *horricomes*] Quales λασίους, τιννα ρᾷ καὶ αὐχμούσῃ τῇ λάχνῃ Lucianus in Philopseude vocat.

Ibid. *Gliscente adhuc illo tumultu, retrogradi fuga domum facesso*] Plutarchus in Amator. narrat. Ἐν τῷ θορύβῳ ἡ κόρη φυγοῦσα, ᾤετο διὰ τῆς χώρας. Infra hic lib. 10. *Dum magister meus lectulo probe coaptando districtius inservit, et tota familia partim ministerio venationis occupata, partim voluptario spectaculo attenta,* etc. *paulatim furtivum pedem proferens* etc. *cursu me celerrimo proripio.* Horatius: *Fit clamor utrinque Undique concursus : sic me servavit Apollo.* Supra hic: *Me retrorsum celeri gradu in stabulum quo diverteramus recipio.*

Ibid. *Quanquam vitae metas ultimas obiret*] *Quanquam iu media iam morte tenetur.* Servius ad Aeneid. 12. *Metas vitae dicimus, non mortis : mors enim infinita est.*

Ibid. *Non tamen sui nostrique, vel etiam pristinae virtutis oblitus* etc.] Iustinus lib. 9. *Non tamen pristinae gloriae obliti, cecidere.* Infra lib. 9. *Nec tamen sagacitatis* etc. *meae prorsus oblitus* etc. et 7. *Nec tamen illa genuini vigoris oblita* etc. De Socrate 7. 2. Valer. Maximus: *O immensam sapientiam, quae nec ipso vitae excessu oblivisci sui potuit!* E converso quod Agathiam, Ἔφευγον προτροπάδην, ἀλκῆς ἁπάσης ἐπιλελησμένοι Porro et haec Noster effinxit partim ex Virgilii illis, [III, 629. ubi v.] *Nec talia passus Ulysses, Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto :* partim ex his Sallustii in Iugurthino : *Attamen virtutis memores* etc. et Catil. *Quo audacius aggredimini ; memores pristinae virtutis.*

Ibid. *Iam faucibus ipsis hiantis Cerberi* etc.] Id est, *esurientis Cerberi*, ut 1. de eodem locutus. Sic *hiare*, et *malis increpare* apud Virgilium. Bene hic Oxon. *ipsius h. C.* simile mendum supra pag. 184, a. ex Quintiliano sustulimus.

Ibid. *Cum anima retinebat*] Sallustius: *Quem quisque locum pugnando vivus coeperat, eum amissa anima corpore tegebat.*

Ibid. *Variis corporis sui schemis ac motibus* etc.] Ovidius in Herculis et Acheloi lucta: *Flexos sinuavit corporis orbes.* Virgil. 5. *Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.* Ibidem: *Ille ictum venientem a vertice velox Praevidit, celerique elapsus corpore cessit.* Statius Theb. 6. *Motu Spartanus acuto Mille cavet lapsas circum sua sempora mortes.* Curtius lib. 9. *Macedo lanceam emisit, quam cum Dioxippus exigua declinatione corporis vitâsset,* etc. et 6. *Alia tela clypeo excipiebat, alia corpore vitabat* etc. Scholiastes ad 2. lib. Apollonii, in pugna Amyci et Pollucis: Ὁ Ἄμυκος ἐπέκειτο μὲν etc. διεκκλινόμενος δὲ ἐκεῖνος ἄτρωτος ἦν. Lucianus in de Saltat. Ἅτε ἠσκημμένος ἐν τῇ ὀρχηστικῇ, ῥαδίως οἶμαι διεδίδρασκε τὰς ἐπ᾽ αὐτὸν τῶν ἀκοντίων ἀφέσεις. Bene autem *schemis corporis.* Agatharcides apud Photium: Πολλαχῶς τῶν σωμάτων, τὰς θέσεις μετασχηματίζοντες.

Ibid. *Miserum funestumque spectamen aspexi,* etc.] Lib. 8. *Cerneres non tam hercle memorandum quam miserandum spectaculum : canes copiosos ardentibus animis alios fugientes arripere, alios stantibus inhaerere, quosdam iacentes inscendere, et per omnem nostrum commeatum morsibus ambulare.*

Ibid. *Populi* etc. *turbulis immisceor*] Lege ex Florent. et Oxon. MSS. *turbelis.* Lib. 3. *Inter ipsas Graecorum turbelas.* Ut a fuga *fugela*, sic a turba *turbela.*

Ibid. *Pretiosam perdimus bestiam*] Virgil. 8. *Et pelle Libystidis ursae.* ubi Servius: *Libystidis, ut et pretio bestiae aliquid gratiae potuisset* etc. *accedere.* i. e. *accederet.*

Ibid. *Nostri sermonis artes*] *Sermonis fallacias* infra lib. 5. vocat. Servius Fuldensis: *Veteres, artes pro dolis ponebant.* Infra lib. 10. *Maritum miris artibus persuadet* etc.

Procurrens etc.] Claudianus: *Unus per medios, audendi pronior, ense Prosilit exerto, dictisque et vulnere torvus Appetit.* 2. in Ruffin.

Pag. 78. *Certatim gladios, et iam de proximo congerunt*] In Excerptis Euripidaeis: πλησίον θρώσκουσί με. Contra de Alexandro Curtius lib. 9. *Cum unum procul tot manus peterent, nemo tamen audebat propius accedere.* et lib. 6. de Agide Lacedaemonio: *Nec quisquam fuit qui sustineret cominus congredi, procul missilibus appetebatur.* Virgilius, ubi de Mezentio: *Non ulli est animus stricto concurrere ferro: Missilibus longe, et vasto clamore lacessunt.*

Ibid. *Thrasyleon, egregium decus nostrae factionis*] Aen. 11. *Ite, ait, egregias animas, quae sanguine nobis,* etc. ubi Servius: *Ingenti arte laudat potius quam miseretur extinctos : ut praesentium animos* etc. *succendat.* Idem fabulatoris propositum istius, eadem ceteros excitandi solertia.

Ibid. *Spiritu expugnato magis quam patientia*] Hegesippus 5. 28. de Sabino: *Confectus vulneribus, spiritum prius quam bellum deposuit.*

Ibid. *Neque clamore, ac ne ululatu quidem* etc.] Gellius 12. 5. *Nullos eiulatus, nullas comploratione, ne ullas quidem voces indecoras edebat.* Auctor ad Herenn. 4. de Tib. Graccho: *Nulla voce delibans insitam virtutem, concidit tacitus.* Lucanus de Pompeio: *Nullo gemitu consensit ad ictum.* Et paulo ante: *Continuitque animam ne quas effundere voces Posset, et aeternam fletu corrumpere famam.* Plinius lib. 6. Epist. 20. *Possem gloriari, non gemitum mihi, non vocem parum fortem in tantis periculis excidisse.* et 7. 19. de Fannia: *Nullam vocem cedentem periculo emisit.* Seneca cap. 3. ad Helviam, de veteranis: *Quamvis confossi, patienter, ac sine gemitu* etc. *patiuntur.* In Ecclesiae Smyrnensis Epistola de Polycarpi passione: Οἱ μὲν (de martyribus sermo) μάστιξι καταξανθέντες etc. τοὺς δὲ εἰς τοσοῦτον γενναιότητος ἐλθεῖν, ὥστε μήτε βρύξαι, μήτε στενάξαι τινὰ ἑαυτῶν. De Batavo milite perpessitio, Bredae in cespitum scapha ab explorantis cuspide vulnerato, recentior multo est memoria, quam ut scribi tanquam obliterata debeat.

Ibid. *Fidem sacramenti et*] Supra heic: *Per fidem sacramenti*, etc.

Ibid. *Obnixo mugitu* etc.] Lib. 8. *Ferinos mugitus reiterans.* ubi notata confer.

Ibid. *Gloriam sibi reservavit*, etc.] Oppositione non dissimili apud Isocratem est, ἀντὶ θνητοῦ σώματος ἀθάνατον δόξαν ἀντικαταλλάττεσθαι. Auctor ad Herennium: *Decius vitam amisit, at non perdidit.*

Ibid. *Vitam fato reddidit*] Sic τὸ ζῆν τῇ πεπρωμένῃ ἀποδοῦναι lib. 1. Diod. Siculus.

Ibid. *Ut nemo quisquam fuerit ausus bestiam quamvis iacentem vel digito contingere*] Desumpta puto ex his Ovidii Metam. 8. qui sic de Meleagri apro: *Immanemque feram, multa tellure iacentem Mirantes spectant, nec adhuc contingere tutum Esse putant.* Virgilius de Arunte: *Nec telis occurrere virginis audet.* ubi Servius: *Sic fuerat consternatus, ut etiam vulneratam timeret.* Nicetas Choniates: Τὸν θῆρα (Andronicum Imperatorem fugientem) καὶ γυμνὸν ὄντα τῶν ἀμυντηρίων, οὐδὲν ἔλαττον ἐδεδίεσαν· καὶ παρὰ μόνην τὴν ἐκείνου θέαν κατέπτυσσον. ubi malim κατεπτοήθησαν legi.

Ibid. *Nisi tandem pigre ac timide quidam lanius paulo fidentior* etc.] Statius: *Timide primum vestigia iungens.* Ante *pigre et timide* supplendum *etsi:* aut post *fidentior*, subaudiendum *ceteris:* aliter vix sententia constabit. *Nisi* heic est *sed:* cuiusmodi multa exempla Manutius ad Sallustium congessit.

Ibid. *Utero bestiae resecto, ursae magnificum despoliavit latronem*] Legendum, si quid video, *ursâ.* despoliavit eum ursâ, quia ursam induerat. Sic supra lib. 2. *Aves, et muscas induere.* et infra lib. 11. *asinum exire.* Recte et *utero bestiae.* Tertullianus (cap. 10. de fuga in persecut.) de Iona: *Sed illum, non dico in mari, et in terra, verum in utero etiam bestiae invenio.* Virgilius de equo ligneo: *Uterumque armato milite complent.* Isidorus 11. 1. *Uterum solae mulieres habent*, etc. *Auctores tamen uterum pro utriusque sexus ventre ponunt.*

Ibid. *Thrasyleon nobis perimitur, sed a gloria non perivit*] Cicero: *Exiguum nobis vitae curriculum Natura circumscripsit, immensum gloria.* Idem in Pisonem: *Periit in mari, tamen ob virtutem gloria et laude vivit.* Symmachus 19. 25. de Vettio Praetextato: *Licet naturae lege resolutus sit, vivit tamen in memoria et amore cunctorum: atque hoc uno punit Invidiam, quod tantum ei Mors ad gloriam contuiit, ut huic quoque Fortunae livor debeat invidere.* Paterculus lib. 2. *Rapuisti* (M. Antoni) *Ciceroni lucem*, etc. *famam vero gloriamque adeo non abstulisti, ut auxeris.* Otho apud Tacitum: *Mortem omnibus ex Natura aequalem, oblivione apud posteros vel gloria distingui.* Iulianus 1. Orat. Ὑπὲρ σοῦ (κλέους) καὶ ἀποθνήσκειν ἄνδρες ἀγαθοὶ πολλάκις τολμῶσιν, οἷον πρὸς ἀργύριον τὴν δόξαν τὰς ψυχὰς ἀποδόμενοι. Seneca Suasor. 2. *Optamus quoque plerique mortem, adeo in securam quietem recessus est: at gloriae nullus finis.* Himerius in Polemarchico: (ex Augustano Codice vulgatis tertia parte auctiore) Λυθέντι μὲν ὑπὸ τῆς φύσεως, ἓν καὶ τοῦ βίου τέλος καὶ τῆς μνήμης ἐστιν ὁ θάνατος· τελευτήσαντι δὲ σὺν ἀρετῇ, τῷ σώματι μὲν ἐξιέναι, τῇ δόξῃ δὲ μένειν λείπεται. Euripides: Ἀρετὴ δὲ, κἂν ἀποθάνῃ τις, οὐκ ἀπόλλυται. Serv. ad Virgil. illa: *Breve et irreparabile tempus* etc. *Ideo amandas dicit esse virtutes, ut vitae brevitas famâ et gloriae meritis augeri possit.* Thales apud Ausonium: *Vita perit, mortis gloria non moritur.* Tacitus de Agricola: *Quanquam medio in spatio integrae aetatis abreptus, quantum ad gloriam longissimum aevum peregit.*

Ibid. *Concito gradu deserentes*] Male in editis quibusdam *cito g. d.* Supra heic, *Rursum concito gradu recurrentes.* et infra, *concito se gradu proripiunt.* Lib. 5. *Concito gradu viam pelago capessit.* et 9. *Concito gradu recta ad civitatem festinat.*

Ibid. *Onere vecturae, simul et asperae viae toti fatigati*] Livius lib. 54. *Longo itinere fatigatum, et onere fessum.* *Viae fatigati*, κεκοπιακότες ἐκ τῆς ὁδοιπορίας. Ioh. 4. 6.

Ibid. *Poculis aureis memoriae*] Asconius Verr. 3. de Graecis: *Toties merum libant, quoties et Deos et caros suos nominatim vocant.*

Ibid. *Etenim nobis* etc.] Bene Gruterus, *At enim:* et ita Oxon. MS.

Ibid. *Sine ulla mensura*] Οὐκ ἐκ μέτρου. Ioh. 3. 34. Glossae: Κατακόρως, *Saturatim, affatim.*

Ibid.

Ibid. *Tanta copia et quidem solus potitus* etc.] Lib. 8. *Cave ne solus exedat tam bellum* etc. *pullulum.* ubi dicta confer.

Pag. 79. *Saliares se coenasse coenas crederet*] Oxon. *Salias se coenasse crederet.* quomodo et Florent.

Ibid. *Ego vero, quanquam alias ordeum tunsum minutatim* etc.] Florent. et Oxon. MSS. *Ego vero nunquam alias ordeo cibatus sum minutatim* etc. Corruptum locum agnosco, ad tempus tamen impunem dimitto.

Ibid. *Rimatus angulum quo panis reliquiae* etc.] *Neque enim tam stultus eram, tamque vere asinus, ut, dulcissimo illo cibo relicto, asperrimum foenum coenarem.* Infra lib. 10.

Ibid. *Quo panis reliquiae* etc.] Plutarchus 6. 8. Sympos. Οὐκ ἀνθρώπους μόνον, ἀλλὰ κτήνη μάλιστα πάντων ἐδωδίμων ἀναῤῥώννυσιν ἄρτος.

Ibid. *Fauces araneantes* etc.] In quas iamdiu cibus non intraverat, et ob id situ obductas. sic *labra incana situ* Ovidius dixit. et Catullus: *Plenus sacculus est aranearum.* Parasitus Plautinus: *Venter gutturque resident esuriales ferias.*

Ibid. *Nocte promota latrones expergiti* etc.] Horatius: *Ut iugulent homines surgunt de nocte latrones.* *Promota nocte*, ut apud Paulum, ἡ νὺξ προέκοψεν. Supra hoc lib. *Provecta vespera.*

Ibid. *In Lemures reformati*] Non solum a Palat. Cod. sed et Oxoniensi absunt.

Ibid. *Iam ferme tertium qualum rumigabam*] *Et inattenuata manebat Sic quoque dira fames.* In vet. Onomast. *Quallus*, κάλαθος. MS. Fulvii non *ferme*, sed *farinae* legit. Priorem voculam ut non ausim quidem hoc loco exturbandam dicere, ita certus sum simillimae sibi vocis locum eam apud Ammianum occupasse: et ex erecto sensum evanidum defectumque effecisse. Nec inutile fuerit adhuc aliqua juvare Scriptorem et a se conspicuum, doctorumque Virorum curis iam saepe elimatum. Habemus lib. 26. haec verba de Procopio: *Et quia se quaeri industria didicerat magna*, etc. *ad abdita longiusque remota recessit. Cumque a Ioviano exploratius indagari latibula sua sentiret, et formae vitae iam fuisset pertaesum*, etc. *postremae necessitatis impulsu deviis itineribus ad Chalcedonium agrum pervenit. Formam vitae* scio et Tacitum dixisse Annal. 1. *Formam vitae iniit, quam postea celebrem miseriae temporum* etc. *fecerunt.* et Prudentium, *Libertas laxior ipsi Concessa est homini, formam cui flectere vitae Atque voluntatis licitum est.* Constanter tamen in Ammiano *ferinae vitae* reposuerim. Androdus 5. 14. A. Gellii: *Triennium ego et leo in eadem specu eodemque victu viximus* etc. *sed ubi me vitae illius ferinae iam pertaesum est, leone in venatum profecto, reliqui specum*, etc. Polybius, si memini, apud Suidam, voce ἔφεδρα· Μεσολαβηθεὶς etc. ὑπ' ἐχθρῶν ὑπερκειμένων καὶ ἐφέδρων, εἰς τὸ ἄντρον εἰσκριθεὶς, ἐπίπονον καὶ θηριώδη βίον συνεστήσατο. Ita clamat etiam apud Ammianum legendum vel vox *latibula.* at (quae vix hactenus eruditis animadversa) perpetua eius imitandi Gellium consuetudo certissime evincit. Cicero 1. de Invent. *Cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur, et sibi ritu ferino vitam propagabant.* Hieronymus 24. Epist. *Qui sibi* etc. *ritu ferino victum quaerebant.* Curtius lib. 3. *Delituisse inter angustias et saltus, ritu ignobilium ferarum. Vitam Degere more ferae* Virgilianum est.

Ibid. *Huic me operi attentum clara lux oppressit*] Livius lib. 9. *Plenos crapulae eos lux oppressit.* Cicero in de Amicitia: *Quoties illum lux aliquid noctu describere ingressum, quoties non oppressit cum coepisset mane!*

Ibid. *Verecundia ductus, aegerrime tamen digrediens* etc.] *Ite domum pasti, si quis pudor, ite iuvenci.*

Ibid. *Vilem laciniam*] Cyprianus in de Christi nativit. *Panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio laciniae congeruntur.* Gloss. Isidori: *Laciniosum, pannosum, lacerum.*

Ibid. *Verbis quae dolebat minora facientes*] Λύπην γὰρ εὔνους οἶδεν ἰᾶσθαι λόγος. Et, Ψυχῆς νοσούσης ἐστὶ φάρμακον λόγος. Infra lib. 8. *Verbis palpantibus doloris stimulum obtundere.*

Ibid. *Salutis et pudicitiae*] *Of your life, and of your honour.*

Ibid. *Brevem patientiam nostro compendio tribue*] Lib. 7. ille: *Ego arbitror latrones*, etc. *nihil anteferre lucro suo debere.*

Ibid. *Quos ad istam sectam necessitas paupertatis adegit*] Cyprianus 61. Epist. de histrione: *Quod si penuriam et necessitatem paupertatis obtendit*, etc. Terent. Phorm. 5. 1. *Quod ut facerem, egestas me impulit.* Donatus: *Venialis status.* Servius ad Aeneid. 3. de Achaemenide: *Utitur veniali statu per excusationem paupertatis.* Sirachides 27. 1. *Propter inopiam multi deliquerunt.* Ita vivitur, at (quod de meretrice Iurisconsultus) *Non est ignoscendum ei, qui paupertatis obtentu vitam turpem agit.* l. 43. §. 4. de ritu nupt. Et nota hîc inprimis *necessitatis* vocem. Apud Suidam: Ἀνδρὶ πεινῶντι κλέπτειν ἐς' ἀναγκαίως ἔχειν. Ἐπὶ τῶν ἐξ ἀνάγκης τι ποιούντων. Heliodorus lib. 1. de Thyami latronum Duce: Γένος τε ὄντα τῶν ἐπὶ δόξης, καὶ πρὸς ἀνάγκης παρόντα βίον ἑλόμενος. Donatus ad 1. 1. Andr. *In conditione turpissimi nominis, multum sumitur excusatio voluntatis.*

Ibid. *Sine mora parabunt scilicet idoneam sanguinis sui redemptionem*] Tatianus ex Iustino

Martyre: Ἐκείνοις (λῃσταῖς) ἔθος ἐστὶ ζωγρεῖν τινας, εἶτα τοὺς αὐτοὺς μισθοῦ τοῖς οἰκείοις ἀποκαθιστᾷν. Quintilianus 5. Declam. *Piraticae feritatis ingenium est, in captivorum taxatione solos redimentes aestimare.* Idem 6. *Non tenuissent* (latrones) *iuvenem, nisi redempturos parentes talem filium credidissent.* Ibidem 9. ille: *Literas de redemptione scripsi patri* (*Deos testor*) *soli: qui enim sentire viderer de parentis affectu, si hoc incolumi redemptionem ab alio petivissem?* Homerus Iliad. de Chryse Briseidis captivae patre: Ἦλθε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων, Λυσόμενός τε θυγάτρα, Φέρων τ' ἀπερείσι' ἄποινα. Philo lib. Ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. Πατέρες υἱῶν τιμὰς κατέθησαν, καὶ υἱοὶ πολλάκις πατέρων, ἢ κατὰ λῃστείας ἀπαχθέντων, ἢ κατὰ πόλεμον αἰχμαλώτων γενομένων. Hinc illud (congrue) de Barbaris 8. 3. apud Philostratum: Ἐπιχώριον αὐτοῖς καὶ τοὺς αὑτῶν ἀποδίδοσθαι, καὶ ἀνδραποδισθέντων μὴ ἐπιστρέφεσθαι. *Cupidi* hîc non est quod infra 11. *cupienti voluntate praediti*, sed *avari*. In vet. Onomast. *Cupidus*, πλεονεκτικὸς. Ita optime 1. Tim. 6. 10. Interpres vetus Φιλαργυρίαν *cupiditatem* vertit. quod tamen Bezae eruditioni non potuit satisfacere. Isidorus 10. *Cupidus*, *a cupiendo multum* etc. *vocatus*. *Sanguis* metonymice, ut 10. *Necessarium sui sanguinis munus aggreditur.* id est, *sororis*. et 5. de sororibus Psyches, *Inimicus sanguis*. Hieronymus in Marcellae Epitaph. *Cum illa diligeret suum sanguinem* etc. Tacit. Annal. 4. *Precatus* etc. *ne secus quam suum sanguinem foveret ac tolleret.* Virgil. 2. *Aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus.* ubi Servius: *Quasi bis sanguinem fuderit Priami: quia et filium eius occidit.* Valer. Max. 5. 9. de Hortensio, etsi improbam, haeredem filiam instituente: *Honorem sanguini reliquit.* Tibullus: *Quicquid agit, sanguis est tamen illa tuus.* Apud Quintilianum Declam. 18. uxor de filio loquens ad maritum suum: *Viscera de tuis concepta vitalibus, sanguinem qui de tua fluxit anima.* Pro *scilicet*, et hic et alibi Colvius *ilicet* reponebat: male hoc nomine meritus de Auctore nostro, qui voluit Graecum δηλαδὴ exprimere. sic 7. *Quin potius effaris ubi puerum eiusdem agasonem, necatum scilicet, occultaris?* et alibi in his libris.

Ibid. *His et similibus blatteratis* etc.] Lib. 9. *Has et similes affanias frustra adblatterantes* etc. et 8. *Haec, et huiuscemodi mutuo blatterantes* etc. Oxon. et Florent. *His, et his similibus* etc. quod et rectum puto.

Ibid. *Nequicquam dolor sedatur puellae*] *Moestum me, atque etiam tum trepidum variis solabatur affatibus: nec tamen indignationem iniuriae quae inhaeserat altius meo pectori, permulcere quivit.* Supra lib. 3.

Ibid. *Inter genua sua deposito capitè, sine modo flebat*] Horatius: *Rufus posito capite, ut si Filius immaturus obisset, flere* etc. In Tabula Cebetis: Ἡ τὴν μάστιγα ἔχουσα, καλεῖται Τιμωρία· ἡ δὲ τὴν κεφαλὴν ἐν τοῖς γόνασιν ἔχουσα, Λύπη.

Ibid. *Blando quantum posset solaretur alloquio*] Servius ad Eclog. 9. *Solatium, infelicium esse consuerit.* Terent. Adelph. *Et istam quod* (id est, *quoad*) *potes Fac consolere.* Servius ad Aeneid. 10. *Est alloqui, consolari.* Catullus: *Qua solutus es allocutione?* Scriptor Sapient. 8. 9. παραίνεσις φροντίδων. ubi Vetus, *allocutio*. sic Seneca in Troadibus *in luctu alloqui* dixit. Onomast. vetus doctissimum: *Alloquor*, εὐαγμενίζω.

Ibid. *Ab inceptis fletibus avocari*] Οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι. vide ad Matth. 2. 18. adnotata.

Ibid. *Sed altius eiulans* etc.] *Haudquaquam alloquio mensura doloris Cedit, at exuperat magis, aegrescitque medendo.* Male autem ex Florentino Elmenhorstius: *auctius e.* Infra lib. 8. *Infortunium domus herilis altius miserantes.* *Altius* hoc loco autem, quia eam consolabatur anicula. Apud Terentium: *Quid consolare me?* ubi Donatus: *Ut solet, in vero angore, ipsa consolatione aegrescit dolor.*

Ibid. *Mihi quoque lacrymas excussit*] Horatius: *Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt Humani vultus.* Vide quae ad Ioh. 11. 33. adnotavimus.

Ibid. *An ego misera, tali domo, tanta familia, tam caris vernulis, tam sanctis parentibus desolata?* etc.] Q. d. *Cum mihi iam patriam antiquam spes nulla videndi, Nec dulces vernas, exoptatosque parentes.* Sirachidis 38. 20. Latinus Interpres: *In abductione permanet tristitia.* ubi optimus Expositorum Grotius: *Abductione ab iis quibuscum vixeris.* Apud Catullum: *Egone a mea remota haec ferar in nemora domo? Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?* In Milite Plautino: *Quidni ego fleam? Ubi pulcherrime egi aetatem, inde abeo.* Cicero exul ad Atticum: *Possum oblivisci qui fuerim, non sentire qui sim?* Apud Plautum in Rudente illa: *Haec parentes haud mei scitis miseri, Me nunc miseram ita esse uti sum.* In Quintiliani Declam. Divitis filius piratarum captivus: *Naturâ redit in extremis tristis praeteritae voluptatis recordatio: et mihi cum generis conscientia, cum fortunae conscius aliquando fulgor*, etc. *domus, familia, amici, caeteraque nunquam videnda, in ultima mortis exspectatione succurrerent*, etc. Sallustius apud Nonnium: *Ac tum maxime, uti solet, extremis in rebus, sibi quisque carissimum domi recordari.*

Ibid. *Vernulis*] Gloss. Οἰκογενὴς, ὑποκοριστικῶς· *vernulae.*

Ibid.

Ibid. *Parentibus desolata*] Ut apud Euripidem illa, Μόνη, μονωθεῖσ' ἀπὸ πατρὸς καὶ μητέρος. Infra lib. 10. *Desolatam puellam, parentumque praesidio viduatam.* Iuvenal. 11. *Suspirat longo non visam tempore matrem.* ubi vetus Scholiastes, *Quia diu abest a parentibus, tristis est.* Hieronymus in Epitaphio Paulae: *Inter hostium manus, et captivitatis duram necessitatem, nihil crudelius est, quam parentes a liberis separari.*

Ibid. *Inque isto saxeo carcere* etc.] Cuiusmodi lib. 7. *domum lapideam* dixit. Et recte *carcerem* vocat, etsi *speluncam*, eam: *Est* enim *carcer undecunque exire prohibemur.* Servius ad Aeneid. 1. Sic infra lib. 5. *carcerem beatum* habemus.

Ibid. *Sub incerta salutis et carnificinae laniena*] Paterculus lib. 2. *In quam arcto salutis exitiique confinio fuerimus* etc. Apud Senecam Controvers. 3. 5. *Nihil est miserius, quam incertum inter vitam mortemque destitui.* eiusmodi Deuteron. 28. 68. statum descriptum vide. Recte autem Beroaldus monuit *incerto* legendum. sic 7. Declam. Quintilianus *incertum accusationis.* 8. *incertum orbitatis.* 14. *incertum interpretationis.* et 15. (ut heic Appuleius noster) *salutis incertum.* In Cod. Theod. de Equ. currul. *incertum contentionis:* apud veterem Bibliorum Interpretem 1. Tim. 6. 17. *incertum divitiarum.* Scholiasten ad 2. Carm. Horat. *incertum maris:* et infra hoc ipso libro, *venerationis incertum.* Obiter corrigatur Zeno Veronensis Serm. de Continentia: *At illa aegra fastidio novem mensium non baiulat pondus, sub incerta partu parientis de salute non gemit.* scribe; *sub incerto parturientis nascentisque de s. n. g.*

Ibid. *Inter tot ac tales latrones* etc. *omnino vivere potero?*] Tacitus Annal. 14. de Poppaea: *Puella* etc. *inter centuriones ac milites, praesagio malorum iam e vita exempta.* Apud Quintilianum 6. Declam. *Coeci etiam litigare possunt, captivi nec vivere.*

Ibid. *Animi dolore* etc. *fatigata, marcentes oculos dimisit ad soporem*] Fuse ad Luc. 22. 45. in hac mentem dixi. porro *demisit*, non *dimisit* legendum. Propert. *Somno demissa recenti.*

Ibid. *Iam commodum conniverat*] Id est, ut infra 11. *Necdum satis conniverat.* sic supra lib. 1. *Commodum quieveram.*

Ibid. *Cum repente lymphatico ritu somno recussa* etc.] Lib. 8. *Velut quodam tormento, inquieta quiete excussa, luctu redintegrato prolixum heu heu eiulat.* Apud Senecam Octavia: *Tremor, et ingens excutit somnos pavor, Renovatque luctus et metus miserae mihi.* Ovid. 4. Fast. *Excutitur terrore quies.* Lucanus: *Quos agit vesana quies, somnique furentes.* Virgilius: *Excutitur somno.* ubi Servius: *Ut appareat terroris esse, non satietatis.* Idem effectus enim terroris mala ex conscientia. Claudianus in Ruffinum: *Nec recipit somnos, et saepe cubilibus amens Excutitur.* Chrysostomus Homil. 6. ad Antiochenos: Δεδοικότες καὶ τρέμοντες, etc. καὶ ἐκ μέσων ὕπνων ἀναπηδῶντες ἀπὸ τῆς διηνεκοῦς ἀγωνίας.

Ibid. *Et pectus etiam palmis infestis tundere, et faciem illam luculentam verberare incipit*] Supra lib. 3. *Percussit faciem suam manibus infestis.* Ovid. 10. Metam. *Pariterque sinum, pariterque capillos Rupit, et indignis percussit pectora palmis.* Seneca Troad. *Vacat ad crebri verbera planctus Furibunda manus.* Virgil. Ceiri: *Incipit ad crebros insani pectoris ictus Ferre manum, assiduis mulcens praecordia palmis.* quo loco *mulcans* reposuerim. Iuvenalis 13. *Nec pugnis caedere pectus Te veto, nec plana faciem contundere palma. Faciem luculentam* supra etiam 2. dixit.

Ibid. *Causas novi et instaurati moeroris requirenti* etc.] Seneca iam dicto loco: *Quis te repens commovit afflictam metus?* Oxon. *doloris et moeroris requirenti.*

Ibid. *Heu, nunc certe, nunc maxime funditus perii*] Apud Euripidem Helena: Ὄλωλα, φροῦδά τ' ἐμὰ, κ' οὐδὲν ἔτ' εἰμι. In Sticho Plautina: *Nunc ego hercle perii plane, non obnoxie. Perpetuo perire* Terentius plus semel vocat. Infra heic lib. 5. *Se nunc maxime prorsus periisse iterans.*

Ibid. *Laqueus aut gladius, aut certe praecipitium procùldubio capessendum est*] Cum notaverim mihi elegantes aliquot Auctorum locos, in quibus tria haec coniuncta occurrunt, eos ad aliorum sive usum, sive delectationem, libens oblata occasione ista in medium proferam. Horatius: *Voles modo altis desilire turribus, Modo ense pectus Norico recludere: Frustraque vincla gutturi innectes tuo, Fastidiosa tristis aegrimonia.* Valer. Max. 9. 12. *Ferrum acuant*, etc. *laqueos apprehendant, vastas altitudines circumspiciant.* Cornelia apud Lucanum 9. *Nunquam veniemus ad enses, Aut laqueos, aut praecipites per inania iactus.* Idem 8. *Aut mihi praecipitem nautae permittite saltum, Aut laqueum collo, tortosque aptare rudentes, Aut aliquis Magno dignus comes exigat ensem.* Phaedra apud Senecam: *Decreta mors est, quaeritur fati genus. Laqueóne vitam finiam, an ferro exigam? An missa praeceps arce Palladia cadam?* Phyllis in Epistolis Ovidianis: *Est sinus adductos modice curvatus in arcus, Ultima praerupta cornua mole rigent. Hinc mihi suppositas immittere corpus in undas Mens fuit.* Et post: *Saepe cruenta Traiectam gladio morte perire iuvat. Colla quoque infidis quae se nectenda lacertis Praebuerant, laqueis implicuisse iuvat.* In Andria

dria Terentiana: *Occidi, Utinam esset mihi aliquid heic quo nunc me praecipitem darem.* ubi Donatus: *Non dixit gladium aut laqueum, ne esset Tragicum.* Seneca 7. Controvers. 1. *Haec est conditio generis humani quod nascimur uno modo, multis morimur. Laqueus, gladius, praeceps locus*, etc. *mille aliae mortes insidiantur miserae huic animae.* Plinius 2. 63. *Ne lacerum corpus abrupta dispergerent, ne laquei torqueret poena praepostera*, etc. *ne ferri cruciatus scinderet corpus.* Chrysostomus Homil. 66. ad Pop. Antioch. Τοὺς βρόχους ἀνάπτοντας, καὶ τοὺς κατὰ κρημνῶν ἀφιέντας ἑαυτοὺς, καὶ διὰ μέσων ξιφῶν ἑαυτοὺς ἀναιροῦντας οὐ σφόδρα οἰκτείρομεν. Apud Quintilianum 15. Declam. *Datum est remedium dolori, qui saepe in laqueos, in praecipitia compulit: qui cruciatus laborantis animae vulneribus emisit.* Ibidem 11. *Subtraham omne ferrum, incidam quoscunque strinxeris nexus, ab omni revocabo praecipitio.* et 18. *Si saucium palpitantemque iussisses adigere ferrum, premerem clausis vulneribus animam: si stringeres aptatos ad colla nexus, conarer abrupto desilire laqueo: si vero inilceres manum ad praecipitia properanti, flecterem in plana cursum.* Lampridius de Heliogabalo: *Praedictum eidem erat a sacerdotibus Syris biothanatum se futurum: paraverat igitur funes blatta et serico et cocco intortos, quibus si necesse esset, laqueo vitam finiret, paraverat et gladios aureos quibus se occideret, si aliqua vis urgeret*, etc. *fecerat et altissimam turrem, substratis aureis gemmatisque ante tabulis, ex qua se praecipitaret.*

Ibid. *Ad haec anus subiratior, dicere eam saeviore iam vultu iubebat, quid, malum, fleret*] Callimachus apud Suidam: Τί δάκρυον εὗδον ἐγείρεις. Hippolitus apud Senecam: *Effare aperte quis gravet mentem dolor.* Afranius apud Nonnium: *Quid isthuc est? quid fles? quid lacrymas? largitus proloquere.* Ait *subiratior* Appuleius. Servius ad 6. Eclog. *Consolantis et hoc officium est, ut moerentem strictim et obiurget.*

Ibid. *Postliminio pressae quietis lamentationes licentiosas refricaret*] Id est, *renovaret.* In Palat. et Oxon. MSS. *replicaret.* male. Onomast. vetus: *Refrico*, ἀνανεῶ. Cicero in Familiaribus: *Ne refricem* etc. *desiderium ac dolorem tuum.* vide Colvium. Pro *pressae*, in dicto Oxon. Cod. *pressim* legitur. at rectum *pressae* illud, id est, *prementis.* sic alibi *fletam*, id est, *flentem mulierem* dixit. *Prementis quietis*, ut 5. *exordio somni prementis.* et supra hîc, *Quo somnus obvius mortalium corda* etc. *premit et invadit.*

Ibid. *Compendio tuae redemptionis fraudare iuvenes meos destinas?*] Oxon. *desinas.*

Ibid. *Lacrymis istis, quas parvipendere latrones consuevere* etc.] Apud Achillem Tatium tamen: Δάκρυα καὶ λῃστὴς αἰσχύνεται. et Nicetam Choniatem in rebus Manuelis Comneni: Καὶ κακόεργος ὅστις δὴ παρχίτητός ἐστι δάκρυσι, καὶ λιταῖς παρυπάγεται. Sed *sententiae* (ut recte ad Virgilium Servius) *ad negotiorum qualitatem aptantur, nec semper generales sunt.* Et nota, *lacrymas parvipendere.* Suidas: Κλαίειν ἐῶσι· καταφρονοῦσι, παρ' οὐδὲν λογίζονται.

Ibid. *Parce mi parens*] Bene hoc ad vetulam. Hesychius: Μήτηρ, ἡ πρεσβυτάτη πᾶση.

Ibid. *Et durissimo casui meo, pietatis humanae memor, subsiste*] Apud Solinum filius Croesi: *Parce patri meo Cyre, et te hominem esse vel ex casibus nostris disce.* Apud Auctorem ad Herennium: *Fer mansuete fortunam: nos quoque fuimus beati: nosce te esse hominem.*

Ibid. *Nec enim ut reor* etc. *tibi miseratio exaruit*] *Non tua sunt duro praecordia ferro Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.* Lactantius 3. 22. *Cum natura hominis imbecillior sit quam caeterorum animalium, quae vel ad perferendam vim temporum, vel ad incursiones a suis corporibus arcendas naturalibus munimentis Providentia coelestis armavit, homini quia nihil istorum datum est, accepit pro omnibus istis miserationis affectum.* Tacitus Annal. 4. *Sunt molles in calamitatem mortalium animi.* Chrysostomus ad 1. Tim. 3. Ἔχει τὸ συμπαθὲς τὸ ἀνθρώπινον, καὶ ταῖς τῶν ἑτέρων συμφοραῖς κατακλώμεθα. Iuvenalis: *Mollissima corda Humano generi dare se Natura fatetur.* Scholiastes: *Humanitatem et misericordiam Natura hominibus non negavit. Exaruit*, ut in Plauti Milite: *Nec dum exarui ex rebus amoenis et voluptariis.* Ammianus lib. 22. *Nondumque apud eos penitus Musica exaruit.*

Ibid. *Speciosus adolescens*] *Speciosum* heic non ad statum refero, ut in l. 100. de V. S. sed ad formae venustatem. supra lib. 3. apertius *iuvenem formae speciosae* dixit. Gloss. *Speciosus*, etc. εὐειδής.

Ibid. *Tantulo triennio maior in aetate*] Plaut. Bacchide: *Triduum non inter est eos aetatis, uter maior sit.*

Ibid. *Mecum primis ab annis nutritus* etc.] Ovid. 2. 5. de Ponto: *Tu comes antiquus, tu primis iunctus ab annis.* Virgilius Aen. 2. *Pauper ad arma pater primis huc misit ab annis.* et bene ab hac re exaggeratio petita. Apud Quintilianum 9. Declam. *A primis aetatis annis iunxerat nos potentissimus amor ille puerilis.* Maximianus: *Par aetas animos conciliare solet.* Andronicus, vel quisquis alius, Nicomach. 8. 12. Μέγα πρὸς φιλίαν, καὶ τὸ συντραφῆναι, καὶ συνήλικας εἶναι. Scholiastes Vetus Horatii ad Carm. 1. 36. *Vult videri per hoc quod simul togas mutaverint, aetatis aequalitatem augere ami-*

amicitiam. Aristaenetus I. 18. Ἡ χρόνου ἰσότης ἐπὶ ἴσαις ἡδοναῖς ἄγουσα δι' ὁμοιοτάτου φιλίαν παρέχεται. Idem Quintilianus 16. Declam. *A primis statim aetatibus in eandem coire vitam, habet aliquem fraternitatis affectum.* et Declam. 321. *Consuetudo alienos etiam, ac nulla consuetudine* (lege *necessitudine*) *inter se coniunctos, componere et adstringere affectibus potest: consuetudo actae pariter infantiae, pueritiae, studia, lusus tristitia* (lege *tristia*) *ioci.* Plutarchus in de lib. educ. Ἡ συντροφία ὥσπερ ἐπιτόνιόν ἐστι τῆς εὐνοίας. Petronius: *Vetustissima consuetudo in sanguinis pignus transit.* Non mirandum ergo quod hîc sequitur de affectione et nuptialibus tabulis. Ovidius: *Par aetas, par forma fuit, primasque magistris Accepere artes, elementa aetatis ab iisdem, Hinc amor amborum tetigit rude pectus, et aequum Vulnus utrique dedit.* Metam. 9.

Ibid. *Individuo contubernio*] In Apologia: *Qui in individuo contubernio mecum vixit.* Infra lib. II. *Contuberniis sacerdotum individuus.* contra apud Valer. Maximum *dividuum contubernium.* Tertullianus ad Uxorem: *Convictus, et individuus usus.* Maximianus: *Per multos, [illegible]ibus indivisi viximus annos.*

Ibid. *Sanctae caritatis affectione mutuo mihi pignoratus*] Scribe, *affect. mutua mihi p.* sic supra lib. 2. *Voluntate mutua tibi mancipata.*

Ibid. *Pacto iugali pridem destinatus*] *Destinare* vox nuptiis accommoda. Persius: *Fortique marito Destinet uxorem.* Plinius lib. 5. Epist. 16. de Fundani filia: *Iam destinata egregio iuveni* etc. Ulpianus 10. *Si patronus sibi desponderit aliam, vel destinaverit.*

Ibid. *Consensu parentum, tabulis etiam maritus nuncupatus*] Ut et hoc nomine tam immaturum funus mihi luctuosius evaderet. Plinius iam citato loco: *O triste plane acerbumque funus! morte ipsa mortis tempus indignius! iam destinata egregio iuveni, iam electus nuptiarum dies.* Ait, tabulis *maritum* nuncupatum eum. Virgil. de Choroebo: *Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat.* ubi Servius: *Secundum spem illius dictum est. Gener dicitur et qui est, et qui esse vult: sic etiam maritus: unde in* 4. *Quos ego iam toties sum dedignata maritos.* Thamyris ad Teclam apud Basil. Seleuciensem: Πείσθητί μοι τῷ σῷ Θαμύριδι· καὶ γάρ εἰμι σὸς, εἰ μηδέπω τῷ γάμῳ, τῷ νόμῳ λοιπὸν, καὶ ταῖς ἐπὶ σοί μοι γεγενημέναις συνθήκαις. additur, *consensu parentum:* nec de nihilo: *non omnis enim potestas nuptiarum in patre est.* Donatus ad I. 5. Andr. In l. 2. ff. de ritu nupt. *Nuptiae consistere non possunt, nisi consentiant omnes:* id est, *qui coëunt, quorumque in potestate sunt.* vide et l. 18. eod.

Ibid. *Ad nuptias officio frequenti cognatorum et affinium stipatus*] Artemidorus Oneirocrit. 2. Τὰ αὐτὰ ἀμφοτέροις συμβαίνει, τῷ γαμοῦντι καὶ τῷ ἀποθνήσκοντι· οἷον, παραπομπὴ φίλων, ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν. Et bene hîc *officio.* In Apologia: *Nuptiae ne illae fuerant, an aliud celebratum officium?* sic *amici nuptiarum officium celebrare* in Claudio Suetonii. Glossae: *Cognatus*, Εὐγενὴς ἀπὸ θηλείας. *Cognatio*, εὐγένεια· ἀπὸ ἐπιγαμίας θηλείας. scribe cum Vulcanio (quod et inviso nos eo suspicati sumus) συγγενὴς, et συγγένεια. In eod. Glossario: *Affinis.* ἀγχιτέρμων, καὶ ὁ κατ' ἐπιγαμίαν συγγενής.

Ibid. *Tota domus lauris obsita*] Statius argumento simili: *Iam festa fervet domus utraque pompa, Fronde virent postes.* Servius ad Aeneid. 6. *Domum laetam frondes indicant festae.* Iuvenalis: *Ornentur postes, et grandi ianua lauro.* Scholiastes: *Ad honorem nuptiarum: sic enim solent in nuptiis praeparare.* Sunt autem haec verba, cum sequentibus, paulum verso ordine, versiculus, ex nescio quo Veterum desumptus. videtur conceptus fuisse ad hanc faciem: *Obsita tota domus lauris, et lucida taedis.* et plura id genus latent in Scriptore isto. Infra hoc lib. *Talis ad Oceanum pergentem Venerem comitatur exercitus.* ex illis nescio cuius, Catulli forsan: *Qualis ad Oceanum Venerem comitatur euntem*, etc. sic et 8. de Pegaso: *Dum in altum, et adusque coelum subsilit, ac resultat, formidans scilicet igniferae morsum Chimerae.* Quae clare ex his deprompta, fortasse Ovidianis: *Scilicet igniferae morsum timet ille Chimerae, Indeque ad extremum subsilit usque polum.* Ita lib. II. *Et Sol curvatus intrahebat vesperam.* Quae nemo citius legat quam senarium agnoscat. Huiusmodi multa, ex ipso etiam Cicerone adnotavit, et sub uno conspectu posuit ad Catilin. I. Muretus.

Ibid. *Tunc me gremio suo mater infelix tolerans, mundo nuptiali decenter ornabat: mellitisque saviis crebriter ingestis, iam spe futura liberorum votis anxiis propagabat*] Claudianus: *Ac velut officiis trepidantibus ora puellae Spe propiore tori mater solertior ornat Adveniente proco, vestesque et cingula comit Saepe manu, viridique angustat iaspide pectus: Substringitque comam gemmis, et colla monili Circuit, et baccis onerat candentibus aures.* Oxon. *manto nuptiali.* Pro *spe futura*, puto *spem futuram* legendum. *Spem propagare* heic, ut 5. *familiam propagabimus.* et nota, *votis anxiis.* Servius ad Aen. 8. *Inest semper in matribus votum.*

Ibid. *Cum irruptionis subitae gladiatorum impetus* etc.] *Subita praedonum manus Aggressa ferro facinus occultum tulit.*

Ibid. *Cubiculum nostrum invadunt*] Quintilianus 2. Declam. *Cubiculi fores* etc. *impulsu effringuntur.* Gloss. Ἐπεισέρχομαι βιαίως, *invado.*

Ibid.

Ibid. *Nudis et infestis mucronibus coruscans*] Lib. 3. *Coruscant in modum ortivi Solis ignis et mucro. Infestis* lectio non inconcinna. Supra lib. 1. *Spatham* etc. *infesto mucrone devorasse.* ad quem locum plura. At in Oxon. Bertin. MSS. et quibusdam editis, *incertis m.* unde non magna mutatione *intectis* legas. sic 9. iunctim, *nudis et intectis pedibus.* et 10. *nudo et intecto corpore.* praetulerim tamen vulgatam lectionem.

Ibid. *Exanimem saevo pavore*] Aeneid. 4. *Audiit exanimis.* ubi Servius: *Territa: nam exanimatus est mortuus. Pavore exanimem* dixit et Tacitus, a quo Noster desumpsit.

Ibid. *Trepidae de gremio matris rapuere*] Achilles Tatius: Βοὴ τις περὶ τὰς θύρας ἐξαίφνης ἦν, καὶ εὐθὺς εἰστρέχουσιν ἄνθρωποι μεγάλοι καὶ πολλοὶ, μαχαίρας ἐσπασμένοι· καὶ ἐπὶ τὴν κόρην πάντες ὥρμησαν. Ad oram heic MSti Oxoniensis adscripserat quispiam, *De medio matris deripuere sinu.* Virgil. *Gremiisque abducere pactas.* ubi Servius: *Exaggeratio est, quod ait, gremiis abductas.*

Ibid. *Sic instar Athracis, vel Pirithoi*, etc. *dispectae disturbataeque nuptiae*] In Lexiphane Luciani: Ἐξοικεῖν ἔμελλε τήμερον εἰς ἀνδρὸς τὴν θυγατέρα, καὶ ἤδη ἐκάλλυνεν αὐτὴν· (supra hic, *mundo nuptiali mater me decenter ornabat*) εἶτα μεσημβριόν τι κακὸν ἐμπεσὸν, τὴν ἑορτὴν διέκοψε. Pro *instar*, lege cum Oxoniensi *ad instar:* sic passim Appuleius. In eodem, et Vicent. edit. *despecta.* Idem Codex *Atthidis.* at vide heic Beroaldum. verba *vel Pirithoi* absunt a MS. illo, nec non a Vicentiae edito.

Ibid. *Saevissimo somnio* etc. *redintegratur* etc. In Senecae Octavia: *Confusa tristi proximae noctis metu Visuque (nutrix) mente turbata feror.* Apud Plutarchum in de Virtut. et vitio: Ὅταν δὲ νυστάζοντά με λύπη λάβῃ, Ἀπόλλυμαι ὑπὸ τῶν ἐνυπνίων. Dido apud Virgil. *Quae me suspensum insomnia terrent?* Servius ad Eiusdem 1. *Est quies quae potest etiam somniorum terrore turbari.*

Ibid. *Saevissimo somnio*] Supra lib. 1. *Saeva et gravia somniare.*

Ibid. *Violenter abstracta*] Terent. Adelph. *Et istam Psaltriam una illuc mecum hinc abstraham.* ubi Donatus: *Non, abducam, sed (quod saevientis est) abstraham.*

Ibid. *Pedibus fugientem alienis*] Lib. 6. *Quid meis pedibus facere contendis?*

Ibid. *Talis aspectus atrocitate perterrita, somno funesto pavens excussa sum*] Theocritus, vel, si mavis, Moschus: Ἡ δ' ἀπὸ μὲν στρωτῶν λεχέων θόρε δειμαίνουσα, Παλλομένη κραδίην· τὸ γὰρ ὡς ὕπαρ εἶδεν ὄνειρον. Propertius Cynthiam suam naufragantem somnians: *Iamque ego conabar summo me mittere saxo, Cum mihi discussit talia visa metus.* Seneca Troad. *Mihi gelidus horror ac tremor somnum excutit.* et Herc. Oeteo: *Hinc meum pectus timor (Altrix) lacessit, hinc rapit somnos pavor.* Philostratus 1. 13. Πηδήσεται ἡ καρδία, θαμὰ ἐκθρώσκοντες τοῦ ὕπνου· ὃ δὴ μάλιστα περὶ τοὺς ἐρῶντας φασὶ γενέσθαι.

Ibid. *Nec vanis somniorum figmentis terreare*] Apud Euripidem: Ψευδεῖς ὄνειροι χαίρετ', οὐδὲν ἦτ' ἄρα. et proprie hic *vanis.* Lucanus: *Ecquid (ait) vani terremur imagine visus?* Propertius: *Si non vana canunt mea somnia.* Quintilianus 10. Declam. *Non fictus aut fucatus habitus: nec, ut somniorum vanitate conspicitur.*

Ibid. *Contrarios eventus nonnunquam pronunciant*] Vide hic Elmenhorst. et adde Plinii lib. 1. Epist. 18. *Pronunciant* valet *nunciant:* nemo itaque in *praenunciant* mutet. supra lib. 1. *Porro eadem literis Demeas meus pronunciat.* ubi et male *porro nunciat* substituunt. Isidorus Orig. 20. 10. de Pharo: *Usus eius* etc. *ad pronuncianda vada, portusque introitus.*

Ibid. *Dulciolis*] Glossae: *Dulcium*, (melius *dulciolum*) πλακοῦντα.

Ibid. *Voluptatem Veneream*] Philo in *de congressu erud. quaer. gratia:* Τὰς σωμάτων πρὸς σώματα μίξεις καὶ ὁμιλίας, ἡδονὴν τὸ τέλος ἐχούσας. Virgilius: *Veneris nec praemia.* Servius: *Voluptates.* supra lib. 1. *Voluptatem Veneream.*

Ibid. *Ego te narrationibus lepidis anilibusque fabulis protinus avocabo*] Simplicius in cap. 8. Epicteti: Ἱστορίαι καὶ μυθικὰ διηγήματα ἡμᾶς ψυχαγωγεῖ. Scholiastes Theocriti: Αἱ Νύμφαι τὸν Ὕλαν ἐπὶ τῶν γονάτων ἀνέχουσαι παρεψυχοῦντο· καὶ παρεμυθοῦντο ἱλαροῖς τισι λόγοις κλαίοντα. Seneca 3. 39. de Ira: *Si vehementior erit, (furor) aut pudorem illi cui non resistat, incutiat, aut metum: si infirmior, qualis esse mulierum solet, sermones inferet vel gratos vel novos, vel cupiditate cognoscendi avocabit.* Et bene haec anum loquentem Appuleius inducit. Tibullus: *Assideat custos garrula semper anus: Haec tibi fabellas referat*, etc.

Ibid. *Fabulis avocabo, et incipit* etc.] Lib. 1. *Fabulam Graecam incipimus.* et 9. *Fabulam bonam* etc. *ad aures vestras adferre decrevi: et en occipio.*

Ibid. *In quadam civitate Rex et Regina*] Lib. 5. *Accedit quandam civitatem, in qua regnum maritus unius sororis eius obtinebat.* Andreas Caesariensis ad Apocalypseos illud: Καὶ κόψονται ἀπ' αὐτῆς οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς. Τοὺς βασιλεῖς, τοὺς ἄρχοντας· ὡς, περὶ τῆς Ἱερουσαλὴμ· Ἰδοὺ, οἱ βασιλεῖς αὐτῆς συνήχθησαν. Sic *Regem urbis* Phaedrus in Apologis dixit: et urbis Iontonae βασιλέα Diodorus in fragmentis.

Ibid. *Sermonis humani penuria*] In de Deo So-

Socratis; *Cum Plato* etc. *frequentissime praedicet hunc* etc. *non posse penuria sermonis humani quavis oratione vel modice comprehendi.* Infra lib. 11. *Eius mirandam speciem ad vos referre connitar, si tamen mihi disserendi,* (fors: *edisserendi*) *facultatem tribuerit paupertas oris humani.* Xenophon Memorab. 3. Καὶ εἰπόντος, ὅτι κρεῖττον εἴη τοῦ λόγου τὸ τῆς γυναικὸς κάλλος.

Ibid. *Multi civium et advenae*] Eadem quae Act. 17. 21. oppositio.

Ibid. *Inaccessae formositatis admiratione stupidi*] Exprimitur quod Esdrae 4. 9. Εἰς αὐτὴν ἐκκέχυνται, καὶ χάσκοντες τὸ στόμα αὐτὴν ἐθεώρουν. et ibidem: Ὁ βασιλεὺς χάσκων τὸ στόμα, ἐθεώρει αὐτήν. vide et 3. Esdrae 4. 19. Servius ad Aen. 6. *Serenus dixit Gorgonas puellas fuisse unius* (legendum forsan *nimiae*) *pulchritudinis: quas cum vidissent adolescentes, stupore torpebant.* Virgilius de Camilla: *Illam omnis tectis agrisque effusa juventus, Turbaque miratur iuvenum, et prospectat euntem, Attonitis inhians animis.* ubi Servius: *Stupore quodam in ore patefacto. Vultum inhiatione mirari* Trebellius in Galieno dixit. *Inaccessae*, est *inaccessibilis:* teste Servio ad Georg. 3. Virgil. 7. *Inaccessos lucos.* ubi idem Servius: *Inaccessibiles, inaccedendos.* sic ἀπρόσιτον ἀρετὴν Gregorius Nyssenus dixit.

Ibid. *Et admoventes oribus suis dextram*] Vide Lipsium Elect. 2. 6. Pythaeum Adversar. 1. 7.

Ibid. *Ut* IPSAM *prorsus Deam Venerem* etc.] Terent. 2. 2. Eunuch. *Haec superat ipsam Thaidem.* ubi Donatus: IPSAM *addidit, quasi nimiae pulchritudinis.*

Ibid. *Iam Numinis sui passim tributa venia, in mediis populi coetibus conversari*] Germanicus de Astrea: *Mediis te laeta ferebas Sublimem populis, nec dedignata subire Tecta hominum.* vide quae a Viro maximo, et post illum, a nobis ad Act. 14. 21. adnotata. *Tributâ veniâ*, id est, *gratia.* sic in Apologia: *Mihi hanc veniam tribueret.* Vox *conversari* occurrit et in l. 9. §. 1. ff. de Offic. Proconsul. et in l. 3. §. 2. de administr. et peric. tut. etc. In veteri Onomastico: *Conversor*, διατρίβω.

Ibid. *Sic immensum indies procedit opinio*] Ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτῆς, ut Matth. 4. 14. ubi et Vetus, *opinio eius.* Pro *immensum* lege *in immensum* cum Codice Oxon. Infra lib. 10. *Video in immensum damni querelam procedentem.*

Ibid. *Sic insulas iam proximas* etc. *provinciasque plurimas fama porrecta pervagatur*] Aperte ex his Taciti de Caractaco: *Unde fama eius euecta Insulas, et proximas Provincias peruagata.* Annal. 12. Idem Annal. 11. de Italo Cherusco: *Iamque ad proximos, iam longius clarescere.* Nicephorus Gregoras ad Andronicum seniorem: Τὸ σὸν κλέος, καθάπερ ἐπὶ νηὸς τῆς φήμης ὀχούμενον, etc. διὰ πάσης γῆς ἔρχεται. Isidorus Orig. 5. 27. *Fama dicta, quia fando et loquendo pervagatur.* Infra hic lib. 5. *Latiusque famâ porrectâ* etc. Glossae: *Pervagatur*, περιέμβεται.

Ibid. *Iam multi mortalium longis itineribus atque altissimis maris meatibus ad seculi specimen gloriosum contendebant*] Auctor de Viris illustr. *Virginem pulcherrimam, ad cuius aspectum concurrebatur.* Plinius Lib. 2. Epist. 3. *Gaditanum quendam* etc. *ad visendum* (Livium) *ab ultimo terrarum orbe venisse.* Eunapius de Magno Sophista: Πάντες ἔπλεον, καὶ παρ' αὐτὸν ἐφοίτουν. carpentis et navibus nempe, quod ipsum heic Appuleius. *Specimen* heic, *formositatis* intellige. sic Cicero Q. Scaevolam *temperantiae prudentiaeque specimen* appellavit. de Nat. Deorum 3. Valerius Maximus 6. 9. de Fabio Maximo: *Nil eodem sene ornatius aut speciosius illo seculo nostra civitas habuit.* Notentur nec non illa, *mortalium multi.* Poterat simpliciter *multi*, aut *multi homines:* at sexui non tantum consulere, sed et emphasi voluit. Fronto Gellii verbis 13. 27. *Multorum hominum appellatio intra modicum quoque numerum cohiberi atque includi potest: multi autem mortales nescio quo pacto, et quodam sensu inenarrabili, omne fere genus hominum et aetatum, et sexus comprehendunt.* Ita est, doctissime et significantissime passim se explicat bipes Asinus noster: ubi male feriati homines inscitia Antiquitatis non tantum absone loqui eum, sed et rudere existimant.

Ibid. *Paphum nemo, Gnidum nemo, ac ne ipsa quidem Cythera ad conspectum Deae Veneris navigabant:* etc.] Apud Catullum: *Domum conventu tota frequentat Thessalia, oppletur laetanti regia coetu:* etc. *Deseritur Scyrus, linquunt Phthiotica Tempe, Graiugenûmque domos, et moenia Larissaea: Pharsaliam coëunt, Pharsalia tecta frequentant, Rura colit nemo.* Hieronymus in Epist. ad Laetum: *Auratum squalet Capitolium, fuligine et aranearum telis omnia Romae templa cooperta sunt,* etc. *et inundans populus ante delubra semiruta currit ad Martyrum tumulos.* Et post: *Solitudinem patitur et in Urbe Gentilitas: Dii quondam Nationum, cum bubonibus et noctuis in solis culminibus remanserunt.*

Ibid. *Cythera*] *Insula quae numero tantum plurali dicitur.* Servius ad Aeneid. 1.

Ibid. *Sacra Deae deseruntur*] Propertius: *At nunc desertis cessant sacraria lucis.* Idem 2. 6. *Velavit aranea fanum, Et mala desertos occupat herba Deos.* Catullus supra adductus: *Deseritur Scyrus.* Seneca 96. Epist. *Liberalia* pro-

professi sine ulla frequentia desertis angulis praesident.

Ibid. *Incoronata simulacra*) Euripides Hippol. Ἀστέφανοι δὲ Κόρας ἀνάπαυλαι Λατοῦς βαθεῖαν ἀνὰ χλοάν. Jupiter apud Lucianum in Bis accusato: Ἀστεφάνωτοι καὶ ἡμῖν ἔσονται.

Ibid. *Et arae viduae frigido cinere foedatae*] Ibidem Iupiter: Ἄσπονδοι οἱ κρατῆρες, ψυχροὶ δὲ οἱ βωμοί. Idem apud eundem Lucianum in Icaro-Menippo: Ψυχροτέρους ἂν μου τοὺς βωμοὺς ἴδοις τῶν Πλάτωνος νόμων, ἢ τῶν Χρυσίππου συλλογισμῶν. Contra apud Avienum, *Iunone calent hic arae Praeside semper.*

Ibid. *Puellae supplicatur, et in humanis vultibus* etc.] Vide ad Act. Apost. 14. 13. notata.

Ibid. *Et in matutino progressu virginis* etc.] Apud Catullum: *Mihi floridis corollis redimita domus erat, Linquendum ubi esset orto Sole cubiculum.* Posidonius de Athenione quodam apud Athenaeum: Πολλοὶ ἐπὶ τὴν οἰκίαν ἐλθόντες ἀνέμενον αὐτοῦ τὴν πρόοδον.

Pag. 84. *Veneris absentis Numen propitiatur*] Non dubito rectius esse *nomen*, quod in vet. edit. Vicent. et Cod. Oxon. legitur. imo praecessit vox *numina*, quae hic frigide geminaretur.

Ibid. *Floribus sertis et solutis* etc.] Servius ad Aeneid. 1. *Sertum et serta cum nihil adiicitur dicimus:* etc. *si autem sertos dixero, adiicio, flores.*

Ibid. *Verae Veneris vehementer animos incendit*] Propertius: *Prae se formosis invidiosa Dea est.* Servius ad Eclogam 10. de Erynoma: *Haec cum esset nimiae castitatis, et hoc* (lege, *et per hoc*) *a Minerva ac Diana diligeretur, Veneri esse coepit invisa.*

Ibid. *Et impatiens indignationis, capite quassanti fremens altius, sic secum disserit*] *Stetit acri fixa dolore, Tum quassans caput, haec effudit pectore dicta.* τὸ *disserit* forsan irreptitium est. Virgilius (ex quo hunc locum delineasse Appuleius videtur.) *Cum Iuno aeternum servans sub pectore vulnus Haec secum.* supra heic lib. 3. *Ac tunc sic tacitus mecum.* et 6. *Et ipse mecum*, etc. Terentius: *Egomet continuo mecum.* Donatus: *Deest, volvebam, cogitabam*, etc.

Ibid. *En rerum naturae prisca parens, en elementorum origo initialis*] Eadem de seipsa infra lib. 11. *Rerum naturae parens, elementorum omnium Domina, seculorum progenies initialis.*

Ibid. *Origo initialis*] Videsis quae olim pag. 153. ad Apologiam adnotata.

Ibid. *Orbis totius alma Venus*] De eadem infra 11. *Matrem siderum, parentem temporum, orbisque totius Dominam. Alma*, i. e. *altrix, alumna.* Vid. ibidem pag. 74. dicta.

Ibid. *Cum mortali puella partiario maiestatis honore tractor*] Chrysostomus Homil. 1. in Philemonem: Ἐξ ἴσου τιμῶντες ἄνθρωπον τῷ θεῷ, τὸν θεὸν ὑβρίζουσι. Latona apud Ovidium indignabunda: *En ego vestra parens, vobis animosa creatis, Et nisi Iunoni nulli cessura Dearum, An Dea sim dubitor, perque omnia secula cultis Arceor, ô nati, nisi vos succurritis, aris.*

Ibid. *Et nomen meum coelo conditum terrenis sordibus profanatur*] Scriptor Sapient. de Idololatris 14. 21. Τὸ ἀκοινώνητον ὄνομα λίθοις καὶ ξύλοις περιέθησαν.

Ibid. *Sed non adeo gaudens ista, quaecunque est, meos honores usurpabit*] *Largis haec gaudia faxo Compenset lacrymis.* Apud Heliodorum lib. 4. Οἰμώξει, ἔφη Θεαγένης, ὅστις ποτὲ ἔστιν. *Non gaudens* Graecum est. Aristaenetus 1. 5. Τὴν ἐμὴν εὐνὴν οὔποτε χαίρουσα καθυβρίσει. Lucianus Gallo: Ἀφ᾽ ἑσπέρας εὐθὺς ἤδη κέκραγεν, ἀλλ᾽ οὔτε χαίρων γε. et in Iove Tragoedo: Πλὴν οὐ χαιρήσουσί γε οἱ τὰ τοιαῦτα διεξιόντες. Iulianus in Caesaribus: Ἀλλ᾽ οὐ χαιρήσουσιν οἱ τούτων αἴτιοι. Infra heic lib. 7. *Sed non laetaberis cladibus meis homicida.* Charon apud Virgilium: *Nec vero Alciden me sum laetatus euntem Accepisse lacu.* ubi Servius: *Non laetatus, propter supplicium suum.*

Ibid. *Usurpabit*] Glossarium: *Usurpatio*, ἐξιδιοποίησις, ὑφάρπασις.

Ibid. *Iam faxo huius etiam ipsius illicitae formositatis poeniteat*] Minantis formula. Infra lib. 5. *Iam faxo* etc. *lusus huius poeniteat.* Petronius: *Iam faxo sciatis non viduae hanc Insulam esse.* Supra Lib. 1. *Faxo eum sero, immo statim, immo iam nunc, ut* etc. *curiositatis poeniteat.* adde Claudianum supra adductum. In vet. Onomastico: *Faxo*, ποιήσω. Verum est, voluntarium cuiquam non esse quali formâ nascatur, eoque in ea causa rem non esse, ut rationem *poenitendi* capiat: quam eleganter tamen festiveque adeo ea voce heic Appuleius usus sit, disce vel ex Auli Gellii 17 1. *Illicitae* est, *nimiae*, mortali non congruae: cuius vocis concinnitatem ac venerem cum non caperent Lipsius Colviusque, exemplo pessimo legi *illiciae* voluerunt.

Ibid. *Puerum suum pinnatum illum, qui* etc. *flammis et sagittis armatus* etc.] Ovidius ad Eundem, de Ponto 3. 3. *Sic habeas ferientes cuncta sagittas, Sic nunquam rapido lampades igne vacent.* Senec. Hippol. *Nulla pax isti puero per orbem: Spargit effusas agilis sagittas.* Horatius: *Ferus et Cupido, Semper ardentes acuens sagittas Cote cruenta.*

Ibid. *Omnium matrimonia corrumpens*] Moschus: Πτερόεις ὅσον ὄρνις ἐφίπταται ἄλλοτ᾽ ἐπ᾽ ἄλλοις. De eodem Lib. 6. *Quotidianis fabulis ob adulteria cunctasque corruptelas infamatum.* Glossarium: *Domicorruptor*, οἰκοφθόρος.

pος. Et bene hic, *discurrens.* Zeno Veronensis de Impudicitia: *Discurrit*, etc. *per populos.* Cyprianus Epist. 55. de Felicissimo: *Matrimoniorum multorum depopulator atque corruptor.*

Ibid. *Et nihil prorsus boni facit*] Id est, omnia mala. De eodem Zeno Veronensis: *Occasionem ullam prorsus nocendi non praeterit.* et Seneca: *Ille ferocem iussit Achillem Pulsare lyram, fregit Danaos, Fregit Atridem, regna evertit: Priami claras diruit urbes.* Ad Appuleii phrasin Aristophanes: Οὐ γάρ ποθ' ὑγιὲς οὐδὲν ἐξελήλυθε Δράσοντ'. Plaut. Bacchid. *Nec boni ingenii quidquam in his inest, Nisi ut improbis artibus se teneant.* Lactant. 3. 17. *Nec boni quicquam faciendum putabit.* Seneca Epist. 76. *Nihil boni negotii habere quod agat.*

Ibid. *Hunc, quanquam genuina licentia procacem, verbis quoque insuper stimulat*] Infra lib. 9. *At illa praeter genuinam nequitiam, contumelia etiam, quamvis iusta, altius commota atque exasperata* etc. et 8. de canibus: *Praeter genuinam ferocitatem, tumultu suorum exasperati.* Livius lib. 24. *Hunc natura et moribus immitem ferumque, insuper Dux ipse efferavit.* Non abit Taciti illud 3. Histor. *Super insitam pervicaciam secundis ferox.* Aeneid. 7. *Quam Iuno his acuit dictis.* Servius: *Irritavit et instigavit insaniam* Glossae: *Stimulat*, παροξύνει, ἐπείγει.

Ibid. *Perducit ad illam civitatem*] Lib. 9. *Perducit ad illud suum grabatulum.* et 3. *Ad illud superius cubiculum me perducit.*

Ibid. *Gemens ac fremens indignatione*] Chrysologus Serm. 51. *Gemens, et tremens, et eiulans.* Livius de indignante Hannibale: *Frendens, fremens, gemensque.*

Pag. 85. *Vindictam tuae parenti, sed plenam tribue*] *Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis, Tuque puerque tuus: magnum et memorabile nomen, Una dolo Divûm si foemina victa duorum est.*

Ibid. *Pulchritudinem contumacem reverenter vindica*] De Eadem Achilles Tatius in Rhodopes et Euthynici fabula: Παραστησαμένη τὸν υἱὸν τὸν τοξότην· Τέκνον, (εἶπεν) ζεῦγος τοῦτο ὁρᾷς ἀναφρόδιτον καὶ ἐχθρὸν ἡμῶν, καὶ τῶν ἡμετέρων μυστηρίων; ἡ παρθένος καὶ θρασύτερον ὤμοσεν κατ' ἐμοῦ. Ὁρᾷς δὲ αὐτοὺς ἐπὶ τὴν ἔλαφον τρέχοντας; ἄρξαι καὶ σὺ τῆς θήρας, ἀπὸ πρώτης τῆς τολμηρᾶς κόρης etc. Vicent. edit. et MS. Oxon. *In pulchritudinem* etc. haud dubie rectius. sic saepe *in aliquem vindicare* Appuleius noster.

Ibid. *Idque unum, et prae omnibus unicum volens effice*] *Hunc mihi da proprium fili dilecte laborem, Hanc operam, ne noster honos. infractave cedat Fama loco.* et nota, *unum et unicum.* Gellius 18. 4. *Cum ille se unum et unicum lectorem enarratoremque Sallustii diceret.* Catullus: *Quem nemo gravius nec acerbius urget, Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.* *Volens* hic, ut supra 3. *Magnis suis artibus reformatur volens.* Horatius: *Lauro cinge volens Melpomene comam.* Locutio Graecanica est.

Ibid. *Virgo ista amore teneatur flagrantissimo hominis extremi*] Apud Quintilianum Declam. 15. *Pauper sit, et amet quamcunque meretricem, et amare non desinat.*

Ibid. *Et ipsius incolumitatis Fortuna damnavit*] Id est, *sanitatis*, Gloss. Ρῶσις, *Incolumitas, sanitas.* Item, Ὑγίεια, *salus, incolumitas.* Onomast. vetus: *Incolumitas*, ὑγίεια. Iterum Glossarium: Εὐεξία σώματος, *Incolumitas.* sic ὁλοκληρίαν Act. 3. 16. quam versio vulgata *integram sanitatem:* Interpres vetus Irenaei *incolumitatem* vertit.

Ibid. *Tamque infimi*] Ita bene ex MSS. Wowerius: antea, *infirmi.* In Eunucho Terent. 3. 2. *Tace tu, quem ego esse infra infimos omnes puto.*

Ibid. *Et osculis hiantibus*] Amicus A. Gellii, οὐκ ἄμουσος adolescens: *Dum semihiulco suavio Meum puellum suavior*, etc. Apud Lucianum in Meretric. Dial. Ἐφίλουν με etc. οὐκ αὐτὰ μόνον προσαρμόζουσαι τὰ χείλη, ἀλλὰ καὶ τὸ στόμα ὑπανοίγουσαι.

Ibid. *Vibrantium fluctuum* etc.] Qui in levem vibrantur undam, ut supra lib. 2. locutus.

Ibid. *Summum rorem calcavit*] Prudentius: *Ambulat per stagna Ponti, summa calcat fluctuum.* Florent. et Oxon. MSS. *summo rore calcato, ecce iam*, etc. et post, *sudo vertice.*

Ibid. *Et ipsum quod incipit velle, statim, quasi pridem praecepit, non moratur marinum obsequium*] Senec. Herc. Oet. *Vincere quod parat, Iam victum est.* Q. Curtius de Alexandri militibus: *His animis Regem audierunt, ut iam cepisse verticem viderentur.* Xenophon παιδ. 2. Πιθανοὶ οὕτως, ὥστε πρὶν εἰδέναι τὸ προσταττόμενον, πρότερον πείθονται. De Deo vero Clemens quod de Deâ falsa Madaurensis noster: Ἕπεται τῷ χαρίσασθαι, μόνον τὸ βουληθῆναι αὐτὸν τὴν χάριν πεπληρῶσθαι. τὸ γὰρ μέλλον τοῦ χρόνου, τῇ δυνάμει τοῦ θελήματος προλαμβάνεται. Paedag. 1. 6.

Ibid. *Adsunt Nerei filiae chorum canentes, et Portunus* etc.] Simillimum apparatum comitatumque habemus apud Lucianum in Dial. Noti Zephyrique.

Ibid. *Auriga parvulus delphini Palaemon*] Gellius 7. 8 *Delphini amantis, et pueri non abhorrentis consuetudines, lusus, gestationes, aurigationes.*

Ibid. *Maria persultantes*] Oxon. et alius MS. *persulcantes:* at placet posita lectio. Lucretius: *Inde fere pecudes persultant pabula laeta.* sic Phi-

Philo lib. de plantat. Noë, navem *τοῖς κύμασιν ἐπιτρέχειν* dixit. Vide Colvii notas.

Ibid. *Hic concha sonaci leviter buccinat*] Virgilius: *Cava dum personat aequora conchâ.*

Ibid. *Alius sub oculis Dominae speculum praegerit*] Seneca Epist. 95. *Vetemus lintea ec strigiles Iovi ferre, et speculum tenere Iunoni.* Infra lib. 11. *Aliaeque nitentibus speculis pone tergum reversis, venienti Deae obvium commonstrarent obsequium.* Oxon. melius, *progerit.* sic 11. *divinas effigies progerebant.* et 6. *sinu nucleos progestans.*

Ibid. *Flagrantiae Solis obsistit inimici*] Abest vox ultima a Codice Oxoniensi.

Ibid. *Perspicua pulchritudine*] Mutat Wowerius in *praecipua*, me neutiquam adprobante. *Perspicuum* enim et Firmicus et alii Scriptores pro *conspicuo* ponunt.

Ibid. *Sed ut simulacrum* etc. *mirantur omnes*] Auctor Dialogi de Oratoribus, de Basso, quamvis insigni Poëta: *Si quis (eum) requirit, et semel vidit, transit, et contentus est, ut si picturam aliquam vel statuam vidisset.*

Ibid. *Olim duae sorores* etc.] Oxon. *Enim d. s.* ut supra hoc lib. *Enim vos bonae frugi latrones.*

Ibid. *Quarum temperatam formositatem nulli diffamarunt populi*] Id est, *praedicarunt.* 1 Esdrae 4. 12. *Quomodo non praecellit Rex qui sic diffamatur?* Scholiastes vetus Horatii de Sappho: *Diffamatur tribas fuisse.* Glossarium: *Διαφημίζω, diffamo.* supra hîc, *Diffamas incendio repentino domum possideri.* De *stata forma*, vel *formositate temperata*, vide 5. 11. A. Gellium.

Ibid. *Virgo vidua* etc.] Ut in Apologia, *Vidua antequam nupta.*

Pag. 86. *Aegra corporis, animi saucia*] *Πρὸς τῷ σώματι καὶ τὸν νοῦν μαραινομένη.* ut 1. 10. apud Aristaenetum. Ovidius Trist. 5. 14. *Aeger enim traxi contagia corpore mentis, Libera tormento pars mihi ne qua vacet.*

Ibid. *Irae Deum metuens*] *Irae* heic dandi casu intellige. vide supra ad p. 23. notata.

Ibid. *Et tanto numine* etc.] Divinaveram, quod et alium fecisse video) *Et a t. n.*

Ibid. *Ingratae virgini* etc.] Inamabili (inquit Beroaldus) et nulli gratae: quippe quae a nemine expeteretur. quam parum apte id dixerit, praecedentia monstrant. dicemus potius *moestae:* Servius ad Aeneid. 6. *Ingrato, tristi: ut gratum, laetum dicimus.* supra de Eadem, *Deflet solitudinem suam.* at hoc, dum quid certius promatur.

Ibid. *Apollo, quanquam Graecus* etc. *sic Latina sorte respondit*] E converso in Floridis: *Persius, quamvis* etc. *optime Latine possit, tamen hodie nobis ac vobis Atticissabit.*

Ibid. *Montis in excelsi scopulo desiste puellam*] Seneca de seipso: *Infigar scopulo.* Oxon. *subsiste p.* ita et Codex Fuxensis.

Ibid. *Ornatam mundo funerei thalami*] Achilles Tatius de Andromeda: *Δέδεται μὲν τὸν θάνατον ἐκδεχομένη· ἕστηκε δὲ νυμφικῶς ἐστολισμένη.*

Ibid. *Fluminaque horrescunt*] Lib. 5. de Eodem: *Dei, qui et ipsas aquas urere consuevit.*

Ibid. *Affatu sanctae vaticinationis accepto, piger tristisque retro domum pergit*] Vide ad Matth. 19. 22. *affatu* et *piger* habet et Oxon. MS. et vetus Vicent. editio.

Ibid. *Praecepta sortis enodat*] Hoc sensu *λύειν συνδέσμους* Danielis 5. In veteri Onomastico: *Enodo, διαλύω.* Apud Senecam Oedipo: *Nodosa sortis verba, et implexos dolos.*

Ibid. *Moeretur, fletur, lamentatur*] Apud Quintilianum Declam. 315. *Moriendum est: quid tibi praestare infoelix pater possum? cum duceris, flebo, plangam.* Et nota impersonalia ista. Terent. Adelph. *Ignotum est, tacitum est, creditum est.* ubi Donatus: *Honestius impersonaliter, quam, ignovimus*, etc.

Ibid. *Fletur*] Terent. Andr. *In ignem posita est, fletur.* Donatus: *Bene impersonaliter, fletur: extrema enim mortuorum omnes ad lacrymas commovent.*

Ibid. *Dirae sortis iam urgent tetri effectus*] Oxon. et duo alii MSS. *urget teter effectus.* Ammianus lib. 17. *Urgens effectus intepuit.*

Ibid. *Feralium nuptiarum* etc.] Lib. 2. *Feralium nuptiarum scaena.*

Ibid. *Iam taedae lumen atrae fuliginis cinerem arcessit*, etc.] In veteri Epigramm. *Ἄρτι μὲν ἐν θαλάμοις Νικιππίδος ἡδὺς ἐτήχει Λωτὸς, καὶ γαμικοῖς ὕμνος ἔχαιρε κρότοις· Θρῆνος δ' εἰς Ὑμέναιον ἐκώμασεν, ἡ δὲ τάλαινα Οὔπω πάντα γυνὴ, καὶ νεκὺς ἐβλέπετο.* Bion de Veneris planctu super Adoni: *Ἔσβεσε λαμπάδα πᾶσαν ἐπὶ φλιαῖς Ὑμέναιος, Καὶ στέφος ἐξεπέτασσε γαμήλιον· οὐκέτι δ' Ὑμὰν Ὑμὰν οὐκέτ' ἀειδόμενον μέλος, ἄδεται δ' αἶ, αἶ.* Heliodorus 2. *Τὸν Ὑμέναιον ᾀδόμενον ἔτι διεδέχετο θρῆνος, καὶ ἀπὸ τῶν παστάδων ἐπὶ τὸ μνῆμα παρεπέμπετο, καὶ δᾷδες αἱ τὸ γαμήλιον ἐκλάμψασαι φῶς, αὗται καὶ τὸ ἐπικήδειον πυρκαΐαν ἐξῆπτον.* Apud Propertium: *Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa Traxit ab everso lumina nigra foco.* et Ovidius: *Nostraque plorantes video super ora parentes: Et face pro thalami fax mihi mortis adest.* Vox *modum* non est in Oxon. nec Fuxensi MS. In alio non *arcessit*, sed *arescit* legitur.

Ibid. *Sic affectae domus triste fatum cuncta civitas congemebat*] *Τὰ γὰρ τῶν βασιλέων παθήματα Ἴσασι πάντες ὧν ἐπιστροφή τις*, etc. ut est apud Euripidem. Tyrtaeus: *Τὸν δ' ὀλο-*

φύ-

φύρονται μὲν ὅμως νέοι ἠδὲ γέροντες, Ἀργαλέῳ τε ποθῷ πᾶσα κέκηδε πόλις.

Ibid. *Luctuque publico confestim congruens edicitur iustitium*] Sidonius 2. 8. *Decessit nudius tertius non absque iustitio matrona Philimatia.* Ammianus lib. 19. *Indicto iustitio iuvenis* etc. *lugebatur.* Fronto apud Fulgent. Planciadem: *Denique plebi iustitium indicitur.* Lucanus: *Ferale per urbem Iustitium, latuit plebeio tectus amictu Omnis honos.* Ovidius ad Liviam, ubi de Druso mortuo: *Urbs gemit, et vultum miserabilis induit unum, Gentibus adversis forma sit illa precor,* etc. *Iura silent, mutaeque tacent sine vindice leges, Aspicitur toto purpura nulla foro.*

Ibid. *Misellam Psychen ad destinatam poenam efflagitabat*] Infra lib. 7. *Destinatam sectionem meam flagitat.*

Pag. 87. *Toto prosequente populo vivum funus producitur*] Lib. 8. *Funus, toto feralem pompam prosequente populo deducitur ad sepulturam.* et 9. *Frequente prosequente comitatu tradunt sepulturae. Vivum funus* elegantissime. Cyprianus de se ad bestiarum pugnam obiicientibus: *Viventes in ultroneum funus ornantur.* Manilius de Andromeda (ut et Psyche) rupi affigenda: *Virginis et vivae rapitur sine funere funus.* Rutilius Numatianus: *Perditus hic vivo funere civis erat.* Apud Quintilianum 9. Declam. *Sonabant clangore ferali tubae, illatisque Libitinae toris ducebatur funus ante mortem.* et Senecam Controvers. 7. 4. *viva cadavera.* Supra hic lib. 1. *Semimortuus, immo ipse mihi supervivens et postumus.*

Ibid. *Comitatur non nuptias, sed exequias suas*] Seneca Controvers. 6. 6. *Versae sunt in exequias nuptiae, genialisque lectus mutatus est in funebrem.* Tacitus de Poppaea Annal. 14. *Huic primus nuptiarum dies loco funeris fuit.* Noster Florid. 3. de Philemone: *Comoediam eius prius ad funebrem facem, quam ad nuptialem venisse.*

Ibid. *Dum moesti parentes* etc. *nefarium facinus perficere contantur,* etc.] Lib. 5. *Iam tum facinori manus admovens, adhuc incerta consilii titubat, multisque calamitatis suae distrahitur affectibus.*

Ibid. *Tanto malo perciti*] Contra lib. 5. *Tanto bono percita.*

Ibid. *Quid infelicem senectam fletu diutino cruciatis?*] Non *vos*, sed *senectam vestram.* Terent. 5. 3. Andr. *Cur meam senectutem huius sollicito amentia?* ubi Donatus: *Non, me, sed meam senectutem: quod plus est et miserabilius.*

Ibid. *Quid spiritum vestrum, qui magis meus est, crebris eiulatibus fatigatis?*] Paulus Act. 21. 13. Τί ποιεῖτε κλαίοντες καὶ συνθρύπτοντές μου τὴν καρδίαν; quo loco adnotata consule. Aeneid. 4. *Desine meque tuis incendere, teque querelis.* In Eunucho Terent. 1. 2. *Ne crucia te obsecro, anime mi.* ubi Donatus: *Eo gestu dictum, quasi in eo etiam ipsa crucietur.* Seneca Epist. 104. de Paulina sua: *Cum sciam spiritum illius in meo verti.*

Ibid. *Quid caniciem scinditis? quid pectora* etc. *tunditis?*] *Pectora quid pugnis foedatis, et unguibus ora?* Lucianus in Meretric. dialog. Ἐσπαράττη τὰς κόμας, καὶ τὰ στέρνα ἐτύπτετο.

Ibid. *Tunc dolere, tunc flere* etc. *debuistis*] Hannibal apud Livium: *Tunc flere decuit cum adempta nobis arma* etc. Curtius lib. 7. *Tunc demens lacrymare debueras, cum equo calcaria subderes.*

Ibid. *Sentio et video*] Catullus: *Sed facere, ut quivis sentiat et videat.*

Ibid. *Ducite me, et cui sors addixit scopulo sistite*] *Nulla mora est, sequor, et qua ducitis, adsum.* Macaria virgo apud Euripidem: Ἡγεῖσθ' ὅπου δεῖ σῶμα κατθανεῖν τόδε, Καὶ στεμματοῦτε, καὶ κατάρχεσθε, etc.

Ibid. *Festino felices istas nuptias obire*] Sic in l. 6. ff. de appell. de damnato: *Perire festinans.* Apprime ad hunc locum faciunt Pacati in Panaegyrico ista: *Magno pectoribus humanis, atque adeo maximo lux amori, interitus horrori est: sed quatenus aut ista optari potest, aut ille vitari; at, si ultima supra caput steterit hora, et venerit dies nunquam reversurus, ac se confessa mors fuerit, non timentur extrema cum certa sunt. Hinc reorum usque ad damnationem metus, postea attonitus stupor, et ex desperatione securitas: et ad locum supplicii voluntaria, carnifice non trahente, properatio.*

Ibid. *Quid differo? quid detrecto?* etc.] Apud Senecam Octavia: *Quid iam frustra miseranda moror? Rapite ad lethum.*

Ibid. *Sic profata virgo, conticuit*] Lib. 3. *Sic profatus accusator,* etc. *vocem repressit.*

Ibid. *Et miseri quidem parentes eius* etc. *clausae domus abstrusi tenebris* etc.] In fragmentis Petronianis: *Orbique parentes,* etc. *Afflicti vitam in tenebris luctuque trahebant.* Ovidius Remed. Amor. 2. *Nec sit tua ianua clausa, Nec tenebris vultus flebilis abde tuos.* Seneca Epist. 113. de Alexandro: *Modo occiso amico, modo amisso, iacebat in tenebris* etc. *moerens.* Infra lib. 8. de Charite: *Tenebris imis abscondita, iam cum luce transegerat.* Sallustius Iugurth. *Caeteri clausi in tenebris cum moerore et luctu, morte graviorem vitam exigunt.* Apud Quintilianum 12. Declam. *Fletus inde, et desperatio, et lucis odium.* et Nostrum de Thrasyllo: *Valvis super se diligenter obseratis, inedia statuit elidere sua sententia damnatum spiritum.*

Ibid. *Tanta clade defessi*] Sic *calamitatum* las-

lassitudinem Quintilianus in Declamationibus dixit. In Nostro *clade fessi* legendum videtur. τὸ *de* ex mediae vocis fine irrepsisse credo. Seneca Thyeste: *Malisque fessos gravibus* etc. Claudianus: *Et quamvis gemina fessum iam clade fugarit.* Nec aliter saepe Tacitus, quo frequentius Noster neminem imitatur. Virgilius 1. *Fessi rerum.* ubi Servius: *Dicimus, fessus animo, et, fessus corpore (quod magis proprium est): et, fessus rerum a fortuna venientium.* repone, *Dicimus, fessus corpore, et fessus animo, (quod magis proprium est,)* etc. Idem ad Aeneid. 8. *Corpore fatigatum dicimus, animo vero fessum,* etc. Onomast. vetus excellentissimum: *Fessus,* ἀπειρηκῶς.

Ibid. *Florentis cespitis gremio leniter delapsam reclinat*] Seneca cap. 32. ad Polybium de Nerone: *In praeceps (me) euntem divinae manus usus moderatione, deposuit.* id est, *leniter reclinavit.* Curtius lib. 8. de Bucephalo: *Multis vulneribus confossus deficiensque procubuit, posito magis Rege quam excusso.* Quintilianus 17. Declam. *Strictos circa collum laqueos, aut nexus aut ipsius corporis ruina decepit: rotatos per abrupta mollis iactus explicuit.* Virgilius, ubi de Turno se in flumen proiiciente: *Ille suo cum gurgite flavo, Accepit venientem, et mollibus extulit undis.* Seneca Praefat. lib. 3. Naturalium: *Nunc cum maxime Deus alia exaltat, alia submittit: nec molliter ponit, sed ex fastigio suo, nullas habitura reliquias iactat.*

LIBER QUINTUS.

Pag. 88. *In ipso toro roscidi graminis suave recubans* etc.] Ovidius: *Proque toro, terrae non semper gramen habenti Incubat.* Virgilius: *Viridante toro consederat herbae.* ubi Servius: *Verbum de verbo: nam torus a tortis herbis dictus est.*

Ibid. *Dulce conquievit*] Zeno Veronensis Serm. Attende tibi: *Foecundi cespitis viridantes et herbidi tori*, etc. *in quibus dulces et salubres somni nullis curarum morsibus effugantur.* Claudianus: *Heic mollis panditur herba, Sollicitum curis non abruptura soporem.* Philostratus 1. 4. de Apollonii matre: Εἰς ὕπνον ἀπήχθη κλιθεῖσα ἐν τῇ πόᾳ.

Ibid. *Lucum proceris et vastis arboribus consitum*] Lib. 8. *Pervenimus nemus quoddam proceris arboribus consitum.*

Ibid. *Fontem vitreo latice perlucidum medio luci meditullio*] Ovidius: *Stat vetus, et multos incaedua sylva per annos*, etc. *Fons sacer in medio.* quae vox postrema fortasse ex Appuleio expungenda. infra enim 7. *oneris in ipso meditullio:* et 10. *in ipso scaenae meditullio* dixit. An vero *medium meditullium* est quod supra lib. 2. *libratam loci medietatem* vocat? *Perlucidum* est et in Oxon. Cod. et Vicentiae edito libro. sic infra 9. *Vas aquae perlucidae.* in aliis *placidum.* ut supra lib. 1. *Fluvius in speciem paludis placidae ignavus.*

Ibid. *Iam scires ab introitu primo Dei cuiuspiam luculentum et amoenum videre te diversorium*] Ita plerique editi: in nonnullis *scies.* optime Oxon. MS. *Iam sciens* etc. (Psyche scilicet) *videre se diversorium.* Virgil. Aeneid. 1. *Nympharum domus*, etc. ubi Servius: *Talis locus est ut credatur domus esse Nympharum.*

Ibid. *Summa laquearia citro et ebore cavata subeunt aureae columnae*] Ovid. de Solis regia: *Sublimibus alta columnis, Clara micante auro.* et statim: *Cuius ebur nitidum fastigia summa tegebat.* Propertius: *Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis, Nec camera auratas inter eburna trabes.* Nec *ebore* domus ista, sed et *citro* cavata. Cant. Cantic. 1. 16. *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* 1. Reg. 6. 18. Ὠκοδόμησε τοὺς τείχους τοῦ οἴκου ἔσωθεν διὰ ξύλων κεδρίνων, ἀπὸ τοῦ ἐδάφους etc. ἕως τῶν δοκῶν.

Ibid. *Bestiis et id genus pecudibus occurrentibus ob os introeuntium*] Firmicus 8. 10. *Erit quoque vinearum amator et cultor*, etc. *vel qui buxeas arbores tondens, in belluas fingat.*

Pag. 89. *Mirus prorsum* etc. *homo* etc.] Propertius: *Quicunque ille fuit primus qui protulit enses, Nonne putas miras hunc habuisse manus?*

Ibid. *Imo semideus, vel certe Deus, qui magnae artis subtilitate* etc.] Theocritus de textilibus: Ὡς χαρίεντα! θεῶν περονάσματα φάσεις. Apud Scriptorem ad Hebraeos: Πόλις ἧς τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ θεός. Eustathius Ἐρωτ. 1. Ἁπάνθ' Ἥφαιστος ἐχαλκούργησε, καὶ Δαιδάλου χεὶρ ἐτεχνούργησεν. Theodoretus 4. περὶ Προνοίας· Οἰκίαν ὁρῶντες ἱκανῶς μάλα γεγενημένην, καὶ στεῤῥᾶς κρηπῖδος ἐρερεισμένην, εὖρος τε καὶ μῆκος ἔχουσαν, καὶ ὕψος τὴν πρὸς ταῦτα διασώζον ἀναλογίαν, etc. καὶ τὰ ἄλλα ὅσα τὰς τοιαύτας οἰκίας λαμπρύνειν φιλεῖ, εὐθὺς τὸν τεχνίτην θαυμάζομεν, καὶ τὸν εὖ παρόντα ζωγραφοῦμεν τῇ διανοίᾳ, καὶ εἰς τὴν ἐκείνου τέχνην πᾶσαν ἐκείνης τῆς εὐπρεπείας τὴν εὐμορφίαν ἀναφέρομεν. Et post: Ἐκ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων ἀναλόγως τὸν γενεσιουργὸν θεωροῦμεν· λογιζόμεθα γὰρ ὀρθῶς καὶ δικαίως, εἰ τηλικοῦτον τῶν ποιημάτων τὸ μέγεθος, πηλίκος, ὁ ποιητής, etc.

Ibid. *Tantum efferavit argentum*] *Efferavit*, in speciem ferarum formavit. Vide Firmicum paulo supra adductum. Scripturam hanc habet et

et Oxon. MS. cum edito Vicentiae libro: praetulerim tamen cum Beroaldo *effigiavit*, eoque id magis, quia vox *artis* praecessit: sic *statuas et imagines variis artibus effigiare*, in Apologia dixit. In vet. Onomastico: *Effigio*, εἰκονίζω. Pro *argentum* Lipsius *argumentum*, multum Colvio laudante: cum tamen heic praecesserit, *parietes omnes argenteo caelamine conteguntur:* et lib. 2. in non dissimili descriptione occurrat, *vitrum fabre sigillatum, crystallum impunctum, argentum clarum, et aurum fulgurans, et succinum mire cavatum*, etc.

Ibid. *Pavimenta ipsa lapide pretioso caesim diminuto* etc.] Philostratus 2. 11. de Solis apud Brachmanas Templo: Τὸ δὲ ἔδος αὐτὸ μαργαρίτιδος σύγκειται ξυμβολικὸν τρόπον. Glossarium: Ψήφωσις, *pavimentum*. In alio: *Pavimentum*, ψηφολογητὸν ἔδαφος. Ennius: *Pavimento, atque emblemate vermiculato. Caesim diminuto*, est *minutim caeso*. Gellius 17. 8. *In olla una lentis Aegyptiae, et cucurbitae inibi minutim caesae.*

Ibid. *In varia picturae genera discriminantur*] Isidorus Orig. 19. 14. *Lithostrota sunt elaborata arte picturae, parvulis crustis ac tessellis tinctis in varios colores.* Seneca Epist. 86. *Nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint: nisi illis undique operosa, et in picturae modum variata circumlitio praetexatur.* Cassiodorus 1. 6. ubi de marmorariis: *De arte veniat quod vincat naturam: discolora crusta marmorum gratissima picturarum varietate texantur.* Statius in Vopisci Tiburtino: *Solum, varias ubi picta per artes Gaudet humus, superantque novis asarota figuris.*

Ibid. *Iterum ac saepius beatos*] Quintilianus Declam. 13. *Iterum ac saepius*, (Iudices) *admoneo*, etc. Synesius in de Providentia: Αὖθις τε καὶ πολλάκις εἰρῆσθαι ἄξιον.

Ibid. *Qui super gemmas et monilia calcant*] Statius ubi supra: *Dum vagor aspectu, vultusque per omnia duco, Calcabam necopinus opes.* Lucanus de Cleopatrae palatio: *Totaque effusus in aula Calcabatur onyx.* Martial. *Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.* Seneca de Tranquill. cap. 1. *Iam domus etiam qua calcantur pretiosa.* Idem in de Ira 3. 35. *Qui nolunt domi nisi auro pretiosa calcare.* Iterum Epist. 16. *Ut terram marmoribus abscondas, et non tantum haberi tibi liceat, sed et calcare divitias.* et Epist. 86. *Eo deliciarum pervenimus, ut nisi gemmas calcare nolimus.*

Ibid. *Domus sine pretio pretiosae*] Id est, supra omne pretium pretiosae. sic *auri damno pretiosum* infra lib. 6. Virgilius: *Ignotum argenti pondus et auri.* ubi Servius: *Aut quod ignorabat Dido: vel ad magnitudinem pertinet: tantum quantum nullus novit.*

Ibid. *Totique parietes solidati massis aureis, splendore proprio coruscant*] Philostratus ubi supra: Οἱ δὲ τοῦ ἱεροῦ τοῖχοι πυρσοῖς λίθοις ὑπαστράπτει χρυσὸς, αὐγὴν ἐκδιδοὺς ἐοικυῖαν ἀκτῖνι. Iosephus 8. 5. de Hierosolymitano templo: Τοὺς δὲ τείχους κεδρίνοις ἀναλαβὼν σανίσι, χρυσὸν αὐτοῖς ἐντετόρνευσεν, ὥστε στίλβειν ἅπαντα τὸν ναὸν. Plinius Prooemio libri 3. *Alibi divitiis foditur, quaerente vita aurum*, etc. *alibi deliciis, gemmis, et parietum digitorumque pigmentis.* et ibidem cap. 3. *In parietes quoque, qui iam et ipsi tanquam vasa inaurantur.* In vet. Onomast. *Solido*, στερρόω. utitur Gellius 2. 1. et Annal. 15. C. Tacitus.

Ibid. *Ut diem suum sibi domus faciat*] Homerus Odyss. Θαύμαζον κατὰ δῶμα διοτρεφέως βασιλῆος, Ὥστε γὰρ ἠελίου αἴγλη πέλεν, ἠὲ σελήνης. Firmicus de Luna: *Per noctem lucens hominibus, alterum pene diem facit.*

Ibid. *Licet Sole nolente*] Corippus Africanus: *Aedibus in mediis miro constructa paratu Extabat sedes, aura gemmisque superba: Lumen habens sine Sole suum.* Malmesberiensis lib. 4. *Nos parum putamus actum* etc. *nisi multicoloribus parietes picturis reniteant, et Solem ad lacunar sollicitent.* vide Apocal. 21. 23. et 22. 5.

Ibid. *Licet Sole nolente*] In Senecae Hippolito: *Etiam die nolente discutiam tibi Tenebras.*

Ibid. *Valvae*] Oxon. Palat. et Fuxensis MS. *balneae.* vide Senec. Epist. 86.

Ibid. *Nec secius opes caeterae maiestati domus respondent*] *In quamcunque domus advertas lumina partem, Immensae spectantur opes.*

Ibid. *Ut equidem recte videatur ad conversationem humanam magno Iovi fabricatum* etc. *palatium*] Lucianus in de Imaginibus: Καὶ εἰ οἰκίαν ἐπαινῇ καλὴν, καὶ ἄριστα κατεσκευασμένην, εἴποις ἂν· Ζηνός που τοίη δέ γ' Ὀλυμπίου ἔνδοθεν αὐλή. Egesippus 5. 43. de Hierosolymitano templo: *Quia tantum non nisi summi Dei crederetur domicilium esse.*

Ibid. *Ad humanam conversationem*] L. 4. de Venere: *Iam Numinis sui passim tributa venia in mediis conversari populi coetibus.* vide Act. 14. 11. et notata ibi. In Graeco Danielis: Οἱ θεοὶ, ὧν οὐκ ἔστιν ἡ κατοικία μετὰ πάσης σαρκός.

Ibid. *Propius accessit*] Oxon. *prius*, non male, quia sequitur *mox:* nec tamen alterum illud reiicio. Flor. 4. *Propius accessit, ut incognosceret.* et Miles. 1. *Dubia mente propius accessi.*

Ibid. *Intra limen sese facit*] Ita et Oxon. et Vicentina editio. Colvius, *sese agit.* quod et poterat ex his Virgilii fulcire: *Aeneas se matutinus agebat.* et, *Is enim se primus agebat.* ubi Servius: *Incedebat: sermo tractus a ratione physica: nam agitur corpus animi iudicio.* Item 6. *Ecce gubernator sese Palinurus agebat.* ubi Servius:

vius: *Sese agere, est, sine negotio incedere.* quae sana non dubito esse, an sint recta, dubito. Ex his Virgilii, inquam, suam poterat coniecturam adstruere: ego lectioni alteri tamen adhaerendum puto: quia et fide Manuscriptorum nititur: quia infra lib. 10. Noster: *Ut primum ante Iudicis conspectum facta est*, etc. et quia Act. 5. 34. plane similem locutionem video. quo loco etiam Latinus Interpres verbo *faciendi* utitur.

Ibid. *Prolectante studio pulcherrimae visionis, miratur singula*] Aeneid. 8. *Oculos per singula volvit Miraturque.* ibid. *Miratur, facilesque oculos fert omnia circum.* et 1. *Obtutuque haeret defixus in uno.* ubi Servius: *In unoquoque: hoc est, singula miratur.* Calpurnius Siculus: *Sic undique fulgor Percussit, stabam defixus, et ore patenti: Cunctaque mirabar.* Achilles Tatius Lib. 5. Ἐγὼ δὲ μερίζων τοὺς ὀφθαλμοὺς etc. θεατὴς ἀκόρεστος ἤμην, καὶ τὸ κάλλος ὅλως οὐκ ἐξήρκουν ἰδεῖν, τὰ μὲν ἔβλεπον, τὰ δ' ἔμελλον, τὰ δὲ ἐπειγόμην ἰδεῖν, τὰ δὲ οὐκ ἤθελον παρελθεῖν, ἐκράτει τὴν θέαν τὰ ὁρώμενα, εἷλκε τὰ προσδοκώμενα.

Ibid. *Nec est quidquam quod ibi non est*] Quidquam quod ars ulla luxuriae elaboravit: ut Seneca Epist. 16. locutus.

Ibid. *Offert se vox quaedam* etc.] In de Deo Socratis: *Socrates non* vocem *sibi, sed* vocem quampiam *oblatam dixit; quo additamento profecto intelligas non usitatam vocem nec humanam significare: quae si foret, frustra,* quaepiam: *quin potius, aut* vox, *aut certe* cuiuspiam vox *diceretur:* etc. *qui vero* vocem *dicit se* quampiam *audivisse, aut nescit unde ea orta sit, aut in ipsa aliquid addubitat, aut eam quiddam insolitum et arcanum demonstrat habuisse.*

Ibid. *Quid, inquam Domina, tantis obstupescis opibus*] Calpurnius ubi supra: *Quid te stupefactum rustice dixit Ad tantas miraris opes?*

Ibid. *Tua sunt haec omnia*] Supra lib. 2. *Tua sunt* etc. *cuncta quae vides.* quo loco adnotata confer. Arrianus 2. 17. in Epictetum: Ἔρχου εἰς τὰ σὰ etc. σά ἐστι ταῦτα τὰ κτήματα.

Ibid. *Lectulo lassitudinem refove*] Lib. 1. *Lectulo* (illum) *refoveo, cibo satio*, etc.

Ibid. *Sedulo praeministrabimus*] Sic lib. 2. et 6. *sedulum ministerium.*

Ibid. *Nec corporis cura* etc.] Id est, lavatio, balneatio. Infra heic, *Balnearum vaporosis fontibus curatas.* et 1. *Lavacro trado*, etc. *probe curatum ad hospitium perduco.* Ita Plautus intelligendus: *Ut lassus veni de via Me volo curare.* Servius (quem et Beroaldum adduxisse video) ad 4. Georg. *Curare corpus, si de hominibus dicimus, et cibo et lavacro intelligimus, vel alterutro*, etc. at, hic posterius intelligendum, nam et *epulae* speciatim additae.

Ibid. *Regales epulae*] Virgil. 6. *Epulaeque ante ora paratae Regifico luxu.* Idem 1. *Regales mensas.* Ibidem: *Postquam prima quies epulis* etc. ubi Servius: *Propter regalem affluentiam.* ad alium tamen eiusdem libri locum sic idem Servius: *Quidam dapes Regum volunt esse, epulas privatorum.* quae, solens tacito Auctoris nomine, habet et 20. 2. Isidorus. In veterum Catalectis: *Regales dapibus gravare mensas.* et 4. 8. Isidori *regales cibi.* Ammianus Marcellinus: *Epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivia regales mensas superent.*

Pag. 90. *Lavacro fatigationem diluit*] Supra lib. 1. *Hospitem nostrum produc ad proximas balneas: satis arduo et prolixo itinere fatigatus est.* Aristophanes Ranis: Ἐγὼ μὲν οὖν εἰς τὸ βαλανεῖον βούλομαι, Ὑπὸ τῶν κόπων γὰρ τὼ νεφρὼ βουβωνιῶ. Lexiphanes Lucianeus: Χαίρω μετὰ κάματον ἀπολουόμενος. Clemens Paedag. 3. 9. Λούειν δεῖ etc. τὸ σῶμα διὰ τὴν ἄσην τὴν αὐτῷ ἐπιφυομένην· σὺ μὴν, ἀλλ' ἔσθ' ὅτε καὶ ὑπεκλύειν τοὺς καμάτους. Plautus Trucul. *Prae lassitudine opus est ut lavem.* In Eiusdem Mercatore: *Nunquam aedepol omnes balneae hanc mihi lassitudinem eximent.* adde tertium Eiusdem locum paulo supra adductum. Oxoniensis, Fuxensis. Palat. et multi alii MSS. *fatigationem sui diluit.*

Ibid. *Suggestum propter*] Oxon. et Florent. Codd. *suggestu.*

Ibid. *Nullo serviente, sed tantum spiritu quodam impulsa subministrantur*] Lucianus ver. hist. 2. animarum in fortunatis Insulis convivia describens: Διακονοῦνται, καὶ διαφέρουσιν ἕκαστα οἱ ἄνεμοι. Glossarium: Πνεῦμα ἀνέμου, *flatus, spiritus.* Onomast. *Spiritus*, πνοὴ, πνεῦμα.

Ibid. *Nec quidquam illa tamen videre poterat, sed verba tantum audiebat excidentia*] Vide ad Act. 9. 7. adnotata. τὸ *excidentia* non est in Oxon. MS. nec veteri Vicent. editione.

Ibid. *Opimas dapes*] Arnobius 7. *Pinguibusque se dapibus atque opimis interficiunt cibis:* (fortasse *infarciunt* legend.) Glossae: *Dapes*, πολυτελῆ δεῖπνα.

Ibid. *Alius cithara pulsavit*] Lege cum Fuxensi MS. *citharam.* Congrue hoc autem post *dapes opimas.* Maximus Tyrius: Ἀοιδοῦ πρὸς κιθάραν μινυρίζοντος καιρὸς (ἐστιν) ἐπειδὰν πλήθωσιν αἱ τράπεζαι Σίτου καὶ κρειῶν, μέθυ δὲ κρητῆρος ἀφύσσων Οἰνοχόος προχέῃσι. Dissert. 37.

Ibid. *Tunc modulatae multitudinis conferta vox* etc.] Interpres vetus 23. 42. Ezechielis: *Et vox multitudinis exultantis in ea.* ubi Grotius: *Omnia hymnis Deorum perstrepebant.* Palat. Fu-

Fuxensis, Oxon. MSS. *Tunc in modum multitudinis* etc. ita et Vicentina editio.

Ibid. *Quamvis hominum nemo pareret*] i. appareret. Glossarium: *Paret*, πείθεται etc. φαίνεται. In Distichis Catonis nomen praeferentibus: *Temporibus peccata latent, sed tempore parent.*

Ibid. *Clemens quidam sonus aures eius accidit*] *Mollior aura Venerat, exili murmure dulce fremens. Delia non aliter secreta silentia noctis Submissa ac tenui rumpere voce solet. Non aliter teneris collum complexa lacertis, Auribus admotis condita verba dare.* Oxon. et Vicent. *accedit.* at vide Colvii notas.

Ibid. *Et quovis malo plus timet quod ignorat*] In Epistolis Ovidianis: *Quid timeam ignoro, timeo tamen omnia demens.* Fulgentius in de Virg. Continent. *Timor, iuste amputatis et manibus et oculis et auribus pingitur, quod nec quod videt sentiat, nec quod audit sciat, nec quod gerat novit.* Ita expurgandus locus ille, qui vulgo corruptissimus. Pacatus in Panaegyrico: *Ita multiplici circumventus metu, quasi parum habeam timere quod video, quod timeam:* ubi Lips. (Epistol. quaest. 4. 6.) *cogito quod timeam.* Quintilianus 2. Declam. *Gravius necesse est expavescant, quibus de solitudine sua non renunciant oculi: et cuius conclusus animus non exit in visus, non habet unde timori suo par sit.* Scriptor Sapientiae, de Aegyptiis spissa caligine obsessis: Ἐκδειματούμενοι τῆς μὴ θεωρουμένης ἐκείνης ὄψεως. Oxon. heic, *ignoratur.*

Ibid. *Ignobilis maritus*] Ignotus. Glossae: *Ignobilis*, ἄγνωστος, etc. e converso 2. *nobilissimi* (i. *notissimi*) *iuvenes.*

Ibid. *Et uxorem sibi Psychen fecerat*] Ovid. 7. Metam. *Illic et gelidi coniunx Actaea tyranni, Et genetrix facta est.* Martialis: *Et quae te faciet prima puella virum.* Isidorus Pelusiota 3. 243. Τὴν παρθένον ὁ ἀνὴρ συναπτόμενος, γυναῖκα etc. ποιεῖ. Apud Theocritum puella imminuta: Παρθένος ἔνθα βέβηκα, γυνὴ δ' εἰς οἶκον ἀφέρψω. Terent. 4. 3. Eunuch. *Ut illi* etc. *in oculos involem venefico.* Donatus: *Ex virginibus mulieres facienti.* Iulius Proculus apud Vopiscum: *Centum ex Sarmatia virgines cepi, ex his una nocte decem inivi: omnes tamen, quod in me erat, mulieres intra 15. dies reddidi.* (i. *feci.*) Solinus de Milone: *Ictu nudae manus taurum victimam fecit.* sic infra hîc lib. 8. *cadaver facere.*

Ibid. *Ante lucis exortum propere discesserat*] Lib. 10. (etiam simili argumento) *Operosa et pervigili nocte transacta, vitata lucis conscientia facessit mulier.* Parthenius de Periandri matre: Εἰσέρχεται παρὰ τὸν παῖδα, καὶ πρὶν ἢ περιφαίνειν ἕω, λαθραίως ἔλειπεν. Apud Plautum Iupiter post Alcmenae concubitum: *Cur me tenes? Tempu 'st, exire ex Urbe priusquam luciscat volo.* Iudic. 14. 25. Καὶ ἔγνωσαν αὐτὴν, καὶ ἀνέπαιξαν αὐτῇ ὅλην τὴν νύκτα ἕως τὸ πρωῒ, καὶ ἐξαπέστειλαν αὐτὴν ἅμα τὸ ἀναβαίνειν τὸν ὄρθρον.

Ibid. *Ante lucis exortum*] Gloss. Πρὸς ὄρθρον, *ante lucem.* Aliud Glossarium: Πρὸ διαφαύματος, *ante lucem.*

Ibid. *Interfectae virginitatis*] Sic *virginitatem morituram* Hieronymus in Hilarionis vita. Zeno Veronensis Serm. de Continentia: *Pretiosae virginitatis dulcis occisio.* Tertullianus in de Pallio: *Occisae in publico castitatis.* Idem in de Spectaculis: *Illae pudoris sui interemptrices* etc. et in de Pudicitia: *Sicut nec de locis refert, in cubiculis an in curribus pudicitia trucidetur.* Longus ποιμεν. 3. Χλόη δὲ συμπαλαίουσά σοι ταύτην τὴν πάλην, οἰμώξει καὶ κλαύσεται καὶ αἵματι κείσεται πολλῷ, καθάπερ πεφονευμένη. Nec male *interfectae*, *extinctae*, ἀφανισθείσης exponas. Tertull. Apologet. *Quotidie lux interfecta resplendet.* sic in Meleagro Accius *torrem interfectum:* et Plautus *usum aedium interemptum*, *interfectum* dixere. Augustin. Confess. 10. 31. *indigentiam satietate occidi.* et supra lib. 3. Noster, *lorum interire.*

Ibid. *Haec diutino tempore sic agebantur*] Petronius: *Dum haec magno tempore sic aguntur*, etc.

Ibid. *Ut est naturâ redditum*] Oxon. *natura rerum.* et statim, *delectationem ei commendarat.*

Pag. 91. *Namque praeter oculos, et manibus et auribus sentiebatur*] Idem Codex: *ille nihil sentiebatur:* moleste, nec otiose minus. Sensus est: Et manibus et auribus sentiebatur Cupido, non item (vel exceptis) oculis, id enim heic valet *praeter.* Gellius 6. 17. *Urbe, praeter arcem incensa.* Idem 17. 21. *Tum Galli Romam praeter Capitolium ceperunt.* et 5. 17. *Urbem praeter Capitolium captam esse.*

Ibid. *Tuumque vestigium requirentes*] Lib. 6. *Venus anxia disquisitione vestigium tuum* etc. *requirit.*

Ibid. *Diem totum lacrymis et plangoribus misella consumit*] Lib. 8. *Dies totos totasque noctes insumebat luctuoso desiderio:* ubi notata vide.

Ibid. *Et humanae conversationis colloquio viduata* etc.] Iacentem locum eriges, si legeris mecum, *at humanae c.* Septa (inquit) beato quidem (h. e. bonis omnibus affluente) carcere: at maxima (caeterorum omnium condimento) iucunditate humanae conversationis viduata. Cicero in libello de Amicit. appositissime: *Atque hoc* (quam necessaria res nempe sit societas) *maxime indicaretur, si quid tale posset contingere, ut aliquis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, et in solitudine uspiam collocaret: atque ibi suppeditans omnium rerum quas Na-*

Natura desiderat abundantiam, et copiam; hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet: quis tam ferreus esset qui eam vitam ferre posset? cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo? Idem 1. Offic. *Si contigerit ea vita sapienti, ut omnium rerum affluentibus copiis ditetur: quamvis omnia quae cognitione digna sunt summo otio secum ipse consideret, et contempletur, tamen si solitudo tanta sit ut hominem videre non possit, e vita excedat.*

Ibid. *Humanae conversationis colloquio viduata*] Seneca Epist. 8. *Quomodo solitudo in odio est, ita in dulcedine appetitio societatis.* Cicero citato de Amicitia libro: *Natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tanquam adminiculum nititur.*

Ibid. *Nec lavacro, nec cibo, nec ulla denique refectione recreata* etc.] Lib. 8. *Vos autem (inquit) de cibo vel poculo, vel omnino ulla refectione cogitatis?*

Ibid. *Flens ubertim decessit ad somnum*] Nullo cibo refecta. Plutarch. Consolat. ad Uxorem: Ἀμέλειαι σώματος ἕπονται τῷ κακῷ τούτῳ, (moestitiae) καὶ διαβολαὶ πρὸς ἄλειμμα, καὶ λουτρὸν, καὶ τὴν ἄλλην δίαιταν. Pro *decessit* forsan *recessit* scribendum. Infra lib. 9. *Suadebat maritum temporius quieti recedere.* nisi locus ille ex hoc loco emendandus.

Ibid. *Lectum maritus accubans*] Oxon. *accumbens.*

Ibid. *Hoccine mihi pollicebare Psyche mea?*] Aeneid. 4. *Hoc illud germana fuit?* ubi Servius: *Allocutio per conquestionem.* Aeneid. 11. *Non haec, ô Palla, dederas promissa parenti.* Catullus: *At non haec quondam blanda promissa dedisti Voce mihi: non hoc miserum sperare iubebas. Hoccine pollicebare?* (inquit). Donatus ad 2. 3. Andr. *Pollicitatio et promissio eandem vim habent, at pollicitatio maioris asseverationis est.*

Ibid. *Age iam nunc ut voles* etc.] Horatius ad Librum suum: *Fuge quo discedere gestis, Non erit emisso reditus tibi.*

Ibid. *Et animo tuo damnosa poscenti pareto*] Apud Ovidium Metamorph. 7. *Procrin habe, dixit: quod, si mihi provida mens est, Non habuisse voles.* Vide quae ex Seneca, Philone, Simplicio, et Aliis notavimus in hanc mentem ad Matth. 6. 8.

Ibid. *Memineris meae seriae monitionis cum coeperis sero poenitere*] Propertius: *Quod si tu monitis tardas adverteris aures, Heu referes quanto verba dolore mea.* Sirachides 12. 12. Μὴ καθίσῃς αὐτὸν ἐκ δεξιῶν σου, μήποτε ζητήσῃ τὴν καθέδραν σου· καὶ ἐπ' ἐσχάτῳ ἐπιγνώσῃ τοὺς λόγους μου, καὶ ἐπὶ τῶν ῥημάτων μου κατανυγήσῃ. Nota et loci paronomasiam. sic 3. *Mihi sero quidem, serio tamen subvenit ad auxilium vile decurrere.* et in Floridis: *Serum fortasse an, sed serium.*

Ibid. *Et dum se morituram comminatur*] Iocasta apud Statium: *Annuite, aut natum complexa superstite bello Heic moriar.* Curtius lib. 10. *Lugubrem totis castris edidere clamorem, denunciantes se morituros, si Rex irasci perseveraret.* Apud Ovidium 9. Metam. *Et, si reiicerer, potui moritura videri.* Infra hic lib. 9. *Nam sibi statutam decretamque mortem proximare, ni cupito maturius potiatur.* ad quem locum plura notamus.

Ibid. *Sed identidem monuit* etc.] Gellius 14. 1. *Atque identidem commonebat* etc.

Pag. 92. *De tanto fortunarum suggestu pessum deiiciat*] Infra hoc lib. *Nisi eam de tantis opibus pessum deiecero.*

Ibid. *Prius, inquit, centies moriar quam isto tuo dulcissimo connubio caream*] Terentius: *Animum potius relinquam quam illum deseram.*

Ibid. *Atque ut meum spiritum diligo*] Lib. 4. *Quid spiritum vestrum, qui magis meus est* etc. *fatigatis?*

Ibid. *Nec ipsi Cupidini comparo*] Id est, ipsi Cupidini praefero. Firmicus Mathes. 3. 8. *Faciet philologos, aut laboriosarum literarum peritos, et qui naturam suam nolint caeteris hominibus comparare.* Horatius: *Nil ego contulerim iucundo sanus amico:* pro, omnibus iucundum amicum praetulero. Basilius Magnus: Τῷ βίῳ οὐδεμίαν πρὸς τοὺς ἄλλους ἐπιδέχεται σύγκρισιν. i. probitate, et vitae integritate alios antecellit. simile lib. 3. *Me nullam aliam Fotidi meae praemalle.* ubi adnotata vide.

Ibid. *Imprimens oscula suasoria*] Ovid. Metam. 10. *Sic ait, et mediis interserit oscula verbis.* ita in Suetonii Domitiano *persuasoriae assertiones*, ubi vereor ut recte Vir doctissimus Cressolius *perfusorias* substituat, hoc est, sine fide, summis labiis prominentes.

Ibid. *Et iungens membra cohibentia*] Lucilius apud Nonnium: *Tum latu' componit lateri, et cum pectore pectus.* Apud Euripidem ad Menelaum Helena: Περὶ δὲ γυῖα χεῖρας ἔβαλον, ἡδονὰν ὡς λάβω Ὦ πόσις, ὦ φιλτάτη πρόσοψις. Oxon. *inferens m. cohibentia:* non male, cum praecesserit *ingerens:* et amat παρηχήσεις Noster, nec a priore tamen lectione recedimus. Scriptor de bono Pudicitiae: *Hinc illud dicit,* (Apostolus,) *membra Christi membris meretricis non esse iungenda.*

Ibid. *His etiam blanditiis adstruit*] Oxon. *Haec etiam* etc. blanditiis uxoriis intellige, ut initio 6. locutus.

Ibid. *Mellite mi marite*] MSS. et principes editiones, *Mi mellite, mi marite.* Bene sane, bene: Apud Terentium Hecyr. 4. 2. illa: *Mi Pamphile* etc. ubi Donatus: *Principium hoc est* ali-

aliquid precantis faeminae: a blandimentis ergo incipit, ut libenter audiat.

Ibid. *Tuae Psyches dulcis anima*] Ζωὴ καὶ ψυχή. ut apud Iuvenalem Sat. 6. ubi Scholia: *Quibus sermonibus Graecae mulieres in concubitu blandiri solent.* Bene et *dulcis.* Servius ad Aeneid. 4. *Amantes amores suos sua dulcia dicunt.*

Ibid. *Vi ac potestate Veneris usurus, invitus succubuit maritus*] Verbis nempe, et osculis suasoriis, sed praecipue membris cohibentibus demulctus. Virgilius de Venere pro filio arma a Vulcano orante. 8, 387. *Dixerat, et niveis hinc atque hinc Diva lacertis Cunctantem amplexu molli fovet: ille repente Accepit solitam flammam, notusque medullas Intravit calor, et labefacta per ossa cucurrit.* Vocem *usurus* suspectam habeo: est qui *victus*, vel *ursus* proponit. Terent. 2. 2. Hec. *Patrio animo victus*, etc. ubi Donatus: *Bene victus, quia non ratione facit.* Remotius ego, at certius forsan *oppressus* scribo. *oppressus* (inquit) *potestati Veneris* (sic legendum enim) *succubuit.* Infra lib. 8. de Thrasyllo: *Promissioni fallaciosae mulieris oppressus succubuit.* Firmicus 1. 3. de Socrate: *Severae animadvertentium potestati succubuit.*

Ibid. *Invitus succubuit*] Lib. 8. *Invita quidem, verum religiosae necessitati succumbens.*

Ibid. *Et cuncta se facturum spopondit*] De Boccho Sallustius: *Saepius fatigatus lenitur, et ex voluntate Syllae omnia se facturum polliceretur.* Infra hoc ipso libro: *His verbis, et amplexibus mollibus decantatus maritus*, etc. *facturum spopondit.*

Ibid. *De manibus uxoris evanuit*] Infra de Eodem: *Ex oculis et manibus* etc. *coniugis tacitus avolavit.*

Ibid. *Deflebant oculos, et plangebant ubera, quoad crebris earum ululatibus saxa cautesque parilem sonum resultarent*] Virgilius: *Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.* Cicero pro Archia: *Saxa atque solitudines voci respondent.* Philoctetes apud Sophoclem: Ὦ λιμένες, ὦ πρόβλητες, etc. Ὦ καταῤῥῶγες πέτραι, Οἷ' ἔργα ὁ παῖς μ' ἔδρασε! Cicero 2. de Finibus: *Turpe putandum est, non dico dolere, (nam id quidem est interdum necesse) sed saxum illud Lemnium clamore Philoctetaeo funestare: Quod eiulatu, questu, gemitu, fremitibus Resonando multum flebiles voces refert.* Bion: Ὤρεα πάντα λέγοντι, καὶ αἱ δρύες, Αἲ τὸν Ἄδωνιν· Καὶ ποταμοὶ κλαίουσι τὰ πένθεα τᾶς Ἀφροδίτας. Scriptor tertii Maccabaici: Ὥστε καὶ τοὺς παρακειμένους αὐλῶνας συνηχήσαντας ἀκατάσχετον οἰμωγὴν ποιῆσαι. Oxon. heic, *percutiebant ubera.*

Ibid. *Iamque nomine proprio sororem* etc. *ciebant*] Lib. 2. *Me nomine ciere non prius desierunt*, etc. Lib. 7. *Milites, suosque famulos nominatim cientes.* et 8. *Clamore nominatim cientes illum iuvenem.*

Ibid. *Per prona delapsae*] Lib. 4. *Perque prona delapsus evomebat undas argenteas.*

Ibid. *Amens ac trepida*] Lib. 8. *Amens, et vecordia percita.*

Ibid. *Quam lugetis adsum*] *Quam quaeritis adsum.*

Pag. 93. *Prolectante gaudio*] Infra lib. 8. *Et quas in primo moerore lacrymas non habebat, iam scilicet crescente gaudio reddere.*

Ibid. *Tectum et Larem nostrum laetae succedite*] Ex his Didonis ad Troianos Aeneid. 1. *Quare agite ô iuvenes, tectis succedite nostris. Succedere*, etiam in *subeundi* significatu, recte et dativo et accusativi iungi docet Servius ad 5. Eclog. Virgilii.

Ibid. *Sic allocuta* etc.] Et haec ex his eiusdem Virgil. loci: *Sic memorat, simul Aenean in regia ducit Tecta.*

Ibid. *Populosam familiam*] Oxoniensis, *populos, atque familiam.*

Ibid. *Inhumanae mensae*] Coelestis. sic infra lib. 11. *Inhumanus aspectus.* et lib. de Deo Socratis, *coelestis et inhumana sententia.*

Ibid. *Praecordiis penitus nutrirent invidiam*] Six Oxon. et Vicent. malim tamen *penitis.*

Ibid. *Scrupulose curioseque percontari non desinunt*] Gloss. Πολυπραγμονῶ, *sciscito, percontor.* Infra lib. 8. *Percontatur anxie.*

Ibid. *Quisve, vel qualis ipsius sit maritus*] Libentius *ipsus* legerim, expende proxime praecedentia. ac illa, *quisve, vel qualis*, non a Palat. tantum, sed et MS. Oxon. absunt.

Ibid. *Ullo pacto*] Et haec ab iisdem Codd. absunt: an recte nescio. Infra lib. 6. *Redire nullo pacto poteris.*

Ibid. *Vel pectoris arcanis exigit*] *Pectoris arcana*, sunt quae infra 11. *pectoris secreta* vocat.

Ibid. *Commodum lanoso barbitio genas inumbrantem*] Glossae: Ἀρχιγένειος, *lanuginosus.* Ovid. Metam. 1. *Pene puer, dubiaque tegens lanugine malas.* et 13. *Signârat dubias tenera lanugine malas.* Pacuvius; *Nunc primum opacat flore lanugo genas. Inumbrantem*, ut apud Euripidem Phoenissis: Ἐπεὶ δὲ τέκνων γένυς ἐμῶν σκιάζεται, etc.

Ibid. *Auro facto*] *Gold-plate.* sic in Glossario, Ἀργυροῦν σκεῦος, *argentum factum.*

Ibid. *Gemmosisque monilibus*] Claudianus: *Luxurient tumido gemmata monilia collo.*

Ibid. *Invidiae felle flagrantes*] ἐν χολῇ πικρίας οὔσας· ut Act. 8. 23.

Ibid. *En orba et saeva et iniqua Fortuna: hoccine tibi complacuit, ut utroque parente prognatae diversam sortem sustineremus? et nos quidem*

dem quae natu maiores, maritis advenis ancillae deditae etc.] Contextus pluscula adscripsimus, ut cum his Senecae conferantur: *Haec* (mors) *ubi res fortuna male divisit, et aequo iure genitos alium alii donavit, exaequat omnia.* Consolat. ad Marc. *cap.* 20. Pincianus, et post eum Lipsius, *aliis* supponunt: nimirum *rebus.* ego nil mutandum contendo. De *rebus* antea locutus, de *personis* subiungit. *donare* ergo ibi est *addicere:* in hoc Appuleii loco *dedere.* Loquitur Seneca de servitute, non ex natura re, sed ex iure gentium orta. Cyprianus ad Demetrianum: *Ipse de servo tuo exigis servitutem,* etc. *et cum sit vobis eadem sors nascendi, conditio una moriendi,* etc. *aequali iure, et pari lege vel veniatur in istum mundum, vel de mundo postmodum recedatur, tamen nisi tibi pro arbitrio tuo serviatur,* etc. Adde, quod et *homines* exaequare Mors satis recte dicitur, *res* vero nequaquam. Plinius 19. 4. *Mors certe aequabit quos pecunia separaverit.* In Trinummo Plautina: *Nos homunculi, Qui cum salillum animae extemplo amisimus, Aeque* (lege *aequo*) *mendicus atque ille opulentissimus Censu censetur ad Acherontem mortuus.* Adverte et ad illa Appuleii *utroque parente prognatae?* annon id ipsum volunt quod Senecae ea, *aequo iure genitos?* Oxon. hic non *prognatae*, sed *progenitae* legit.

Ibid. *Maritis advenis ancillae deditae*] Augustinus Confess. 3. 9. *Ex quo illas tabulas quae matrimoniales vocantur, recitari audissent, tanquam instrumenta quibus ancillae factae essent,* etc. Scriptor de bono Pudicitiae in Cypriani operibus: *Virginitas quid aliud est quam soluta libertas? maritum non habet Dominum.* vide 1. Petr. 3. 6. Medea apud Euripidem: Ἅς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ Πόσιν πρίασθαι, δεσπότην δὲ σώματος Λαβεῖν. Quod inter antiquiores Romanos ne fieret, coëmptione cavebatur. Isidorus 4. 29. Orig. *Antiquus nuptiarum erat ritus, quod se maritus et uxor invicem emebant, ne videretur ancilla uxor.*

Ibid. *Extorres et Lare et ipsa patria degamus*] Apud Sophoclem illa: Ὅταν εἰς ἥβην ἐξικώμεθ' εὔφρονες Ὠθούμεθ' ἔξω, καὶ διεμπολούμεθα. Afferuntur heic (idque data opera) a Colvio Tertulliani ista: *Plerique nec Ecclesias habent, sine matre, sine Deo, orba fide, extorres quasi, late vagantur.* in quibus censet legendum, *extorres quasi Lare, vagantur:* putatque sapientissimum Scriptorem illum se aliquo beneficio obstrinxisse. Ego infeliciter eum operam posuisse, benéque se habentem locum vulnere deformasse puto. Lucanus: *Lateque vagatur Ensis, et a nullo revocatum est pectore ferrum.* Hoc aliis scriptoribus *passim vagari* dicitur. Virgil. *Quae passim tota regione vagantur.* Servius ad Eiusdem Aen. 4. *Ante inventum a Cerere frumentum, passim homines sine lege vagabantur.* et ad Aeneid. 8. illa: *Armenta videbant. Quae post mortem Caci passim* etc. *vagabantur.* Prudentius: *Capta passim vagus errat in Urbe.* Infra lib. 11. *Inter has oblectationes ludicras quae passim vagabantur* etc. Glossarium: *Vage, passim,* σποράδην. Tibullus: *Passimque vagantes Dulce sonant tenui gutture carmen aves.*

Ibid. *Haec autem novissima, quam foetu satiante postremus partus effudit* etc.] Appositum e Virgilio locum praeripuit Beroaldus: at non Philonis istum in de Abrahamo: Πρεσβύτερος καὶ πρῶτος ἔστω καὶ λεγέσθω ὁ ἀστεῖος. νεώτερος δὲ καὶ ἔσχατος πᾶς ἄφρων.

Ibid. *Et Deo marito potita*] Oxon. et alius MS. *potita sit.* et poscit quidem imperfecta pendensque oratio.

Ibid. *Quae nec uti recte tanta bonorum copia novit*] Male haec absunt ab Oxoniensi. Terentius de divitiis, amicis, etc. *Atque haec perinde sunt ut illius animus qui ea possidet: Qui uti scit, ei bona: illo qui non utitur recte, mala.* Infra lib. 9. *Potens, et dives, et iuvenis, et prosapiae maiorum gloria male utens.* Apud Quintilianum ille 9. Declam. *Non ego aes alienum luxuria contraxi: nec profusus in vitia, fortuna nostra male usus sum.* Plato: Οὐκ ὀρθῶς δωρεᾷ κατακέχρηται. Donatus ad ea Phormionis: *Regem me esse oportuit. Ostendit pauperum affectiones, qui se solos uti divitiis scire aiunt, si eas haberent.*

Ibid. *Vidisti soror, quanta in domo iacent et qualia monilia*] *Quanta et qualia*, ut apud Virgilium: *Nam qualis quantusque.* Totum hoc κείμενον abest ab Oxon. MS.

Ibid. *Quantum praeterea passim calcatur aurum*] Vide supra notata.

Ibid. *Procedente consuetudine, et affectione roborata*, etc.] Seneca in de Tranquillitate etc. *Longa conversatio amorem inducit.* Lucretius: *Consuetudo concinnat amorem.* Scriptor de Hierosolymitano excidio. 1. 23. *Usu et consuetudine amoris igniculus adolescenti obrepsit.* Ovidius: *Fac tibi consuescat, nil consuetudine maius.* Fulgentius Mythol. 20. *Amantur quaedam speciei venustate, quaedam etiam lenocinante consuetudine.* Achilles Tatius lib. 1. Τὸ σύνηθες τῆς κοινωνίας εἰς χάριν αἰδεσιμώτερον, εἰ γὰρ τὰ ἄγρια τῶν θηρίων συνηθείᾳ τιθασσεύονται, πολὺ μᾶλλον ταύτῃ καὶ γυνὴ μαλαχθείη. Oxon. *ut in affect. robor.* *Roborata* autem in huiusmodi argumento significanter dixit. Ovidius: *Amor vires sibi colligit usu; Si bene nutrieris, tempore firmus erit.* et alibi: *Mora dat vires, teneras mora percoquit uvas: Et validas segetes quod fuit herba, facit.*

Ibid. *Deam spirat*] Ammianus lib. 22. *Iulian*

lianus prosperis elatus, ultra homines iam spirabat. Hoc Sophocli in Aiace, μὴ κατ' ἄνθρωπον φρονεῖν. Sosiphani ἴσ' οὐρανῷ φρονεῖν· Scriptori Maccabaicorum 2. 9. 12. φρονεῖν ἰσόθεα.

Ibid. *Cucurbita glabriorem*] Probabilem lectionem istam facit auctoritas Fulgentii, et Plauti locus Trinummo, ubi in ovium vituperio: *Tam glabrae quam haec est manus.* at *glabrum*, ubi de hominibus, sensu diverso ponitur. Glossae: Ἁβρὸς, *glaber, delicatus.* Infra heic de Cupidine: *Corpus glabellum atque luculentum, et quale peperisse Venerem non poeniteret.* haud cunctanter itaque *calviorem* praefero, quod et editio vetus Vicentina adstruit, et Oxoniensis MS. cum Codice Florentino.

Ibid. *Et quovis puero pumiliorem*] Ita et Fulgentius: Vicentini, ac MSS. quos dixi, scripturam ego recipiendam arbitror: est ea *pusilliorem.*

Ibid. *Articulari morbo complicatum*] Glossae: Ἀρθριτικὸς, *articularius.* Cassiodorus 10. 29. *Limosae podagrae inundatione complutus.* pro quo substituunt Viri docti *completus.* in margine varians lectio *complectus* additur: unde facili correctione *complicatus* (ut in Appuleio) scribo.

Ibid. *Ac, per hoc, rarissime Venerem meam recolentem*] *Amoris languidi desidia volentes meos amplexus discruciantem.* ut infra lib. 9. loquitur. Iuvenalis de senibus agens: *Coitus iam longa oblivia, vel si Conêris, iacet exiguus cum ramice nervus: Et quamvis tota palpetur nocte, iacebit.*

Ibid. *Detortos et duratos in lapidem digitos eius perfricans*] Seneca Epist. 95. *Decolor vultus*, etc. *et retorti digiti articulis obrigescentibus.* id est, (ut hic Appuleius noster) *in lapidem duratis.* Cassiodorus ubi supra: *Petit* (arthritis) *concavas lacunas, ubi palustri statione pigrescens, saxa perficit de liquore: et quae ad decorem inflexionis Natura laxaverat, in turpissimum rigorem soliditate peregrina constringit.* Philostratus de Polemone Sophista: Αἰθιώντων αὐτῷ τῶν ἄρθρων, παρεκελεύετο ἰατροῖς ὀρύττειν καὶ τέμνειν τὰς Πολέμωνος λιθοτομίας.

Ibid. *Duratos in lapidem*] Lib. 2. *Et lapides quos offenderam, de homine duratos.*

Ibid. *Fomentis* etc.] Scholiastes Vetus Horatii ad Epist. lib. 1. *Fomenta podagram iuvant,* (*id. levant:*) *non sanant.* Seneca, cur bonis viris etc. *Cuius pedes inter fomenta subinde mutata tepuerunt.*

Ibid. *Et pannis sordidis, et foetidis cataplasmatis*] Virgilius 3. Georg. *Turpesque podagras.* ubi Servius: *Respexit ad curam, quae sine pannis et medicaminibus sordidis non fit.* Apud Stobaeum Epictetus: qui quia non adest Graecus, pro tempore Latine loquetur: *Corpus, omnium sordidissimum molestissimumque curamus ac diligimus: quod si quinque tantum diebus vicini corpus curandum esset, molestiam ferre eam non possemus. quam grave esset, mane cum surrexeris, alienos dentes fricare, et illas corporis partes purgare, quae ad naturae necessitates fabricatae sunt!* In Eundem 3. 16. Arrianus: Σοῦ τὶς ἀνάσχοιτο τῶν γραῶν ἐρῶντος, καὶ τῶν γερόντων, καὶ ἐκείνας ἀπομύττοντος, καὶ πλύνοντος. Oxon. cum Fuxensi MS. et Vicentiae edito, *cataplasmatibus.*

Ibid. *Manus* etc. *adurens*] Atterens. Plinius lib. 28. *Femina equitatu atteri adurique notum est.*

Ibid. *Nec uxoris officiosam faciem, sed medicae laboriosam personam sustinens*] Vana querela: cum ut semper aliàs, ita maxime decumbenti marito sedulitatem ac assiduitatem suam uxor approbare debeat. Clemens στρωμ. β. Αἱ σωματικαὶ νόσοι μάλιστα τὸν γάμον ἀναγκαῖον δεικνύουσι. ἡ γὰρ τῆς γυναικὸς κηδεμονία, καὶ τῆς παραμονῆς ἡ ἐκτένεια, τὰς ἐκ τῶν ἄλλων οἰκείων καὶ φίλων ἔοικεν ὑπερτίθεσθαι προσκαρτερήσεις, ὅσῳ τῇ συμπαθείᾳ διαφέρειν καὶ προσεδρεύειν μάλιστα πάντων προαιρεῖται. Demosthenes in Neaeram: Πλείστου ἀξία ἐστι γυνὴ ἐν ταῖς νόσοις παροῦσα ἀνθρώπῳ κάμνοντι. Hieronymus de Paulae filia Eustochio: *Assidere lectulo, flabellum tenere, sustentare caput, pulvillum supponere, fricare pedes, manu stomachum confovere, mollia strata componere, aquam calidam temperare, mappulam apponere, omnium ancillarum praevenire officia.* De Domitii Tulli uxore 8. 19. Plinius: *Parum decore secuta matrimonium videbatur divitis senis, ita perditi morbo, ut esse taedio posset uxori quam iuvenis sanusque duxisset. Quippe omnibus membris extortus et fractus, tantas opes solis oculis obibat: ac ne in lectulo quidem nisi ab aliis movebatur,* etc. *Vivebat tamen, et vivere volebat, sustentante maxime uxore, quae culpam inchoati matrimonii in gloriam perseverantia verterat. Non uxoris faciem, sed medicae personam sustinens,* valet, *Non tantum u. f. sed et* etc. similia Artemidori illa: Τὰ γυναικὸς, καὶ τὰ θυγατρὸς ἔργα παρέχουσα.

Ibid. *Tam beatam fortunam collapsam indigne*] Scribendum *indignae.* Infra lib. 7. *Exoculatam esse Fortunam, quae semper suas opes ad malos et indignos conferat.* ad quem locum notata vide, praecipue ex Herodiano et D. Halicarnassensi.

Ibid. *Praesentia nostra gravata*] Sic editi omnes: sic Cod. Oxon. Repono, *praesentiam nostram gravata.* Ita, *gravari aspectum alicuius* apud Tacitum Annal. 3. Servius ad Aen. 10. *Gravaris, negas, graviter fers: et hac elocu-*

tione non nisi per accusativum utimur: ut, gravor adventum tuum, gravor praesentiam tuam. Sic, *falsam vituperationem gravari* Noster, ut olim ad Apologiam restituimus.

Pag. 95. *Iactatione immodicae ostentationis*] In Apolog. *Quam immodica sui ostentatrix!*

Ibid. *Nec sum mulier, nec omnino spiro, nisi eam pessum* etc. *deiecero*] Apud Ovid. Metam. 7. *Nec sim Saturnia, si non Ab Iove mersa suo Stygias penetrabit ad undas.* In Menaechmo Plautina: *Non hercle is sum qui sum, nisi hanc iniuriam Meque ultus pulchre fuero.* Alius apud Petronium: *Aut ego vir liberque non sum, aut noxio sanguine parentabo iniuriae meae.*

Ibid. *Ac, si tibi etiam* etc. *inacuit nostra contumelia, consilium validum ambae requiramus*] Post verba, *Ac, si tibi etiam*, subintellige, *ut mihi.* Virgilius 8. *Quos illi bello profugos egere superbo.* ubi Servius: *Sicut et vos: et movet conciliationem sententia ex fortunae similitudine. Inacuit* ab *inacesco* sume. est autem qui (nec male) *innotuit* coniectavit.

Ibid. *Consilium validum ambae requiramus*] *Secede mecum te rogo, et rerum statum Dubium ac minacem iuncta consilia explicent.* Pro *validum* (quod tamen et MS. Oxon. et veteres editiones agnoscunt) malebam *calidum* scribi. In Epidico Plautina: *Reperiamus aliquid calidi conducibilis consilii.* quibus vide quam heic similia: *Consilium calidum requiramus.* confer quae et supra ad pag. 19. adnotata. Terentius *celere consilium* dixit. P. Syrus: *Iratus etiam facinus consilium putat.*

Ibid. *Nec enim beati sunt quorum divitias nemo novit*] Seneca Epist. 94. *Irritamentum est omnium in quae insanimus, admirator et conscius.* Idem de Natura loquens cap. 32. de beata vita: *Curiosum nobis ingenium dedit, et artis tibi ac pulchritudinis suae conscia, spectatores nos tantis rerum speculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara* etc. *solitudini ostenderet.*

Ibid. *Sciet se non ancillas, sed sorores maiores habere*] Lib. 6. *Tandem ancilla nequissima Dominam habere te scire coepisti?* Plinius Panaegyrico: *Discat igitur Aegyptus credatque experimento, non alimenta se nobis sed tributa praestare: sciat se esse populo Romano necessariam, et tamen serviat.*

Ibid. *Lares pauperes nostros, sed plane sobrios*] In Poenulo Plautina: *Quanquam sumus pauperculi, Est domi quod edimus, ne nos tam contemptim proteras.* Hieronymus: *Etsi pauper sum, tamen frontem meam tueor, et fidem novi.*

Ibid. *Et perinde ut merebantur ora lacerantes*] Infra heic: *Et perinde ut merebantur, laceratis visceribus* etc.

Ibid. *Dolum scelestum, imo vero parricidium struentes contra sororem*] Isidorus 5. 26. *Parricidii actio non solum in eum dabatur, qui potentem* etc. *interemisset, sed et in eum qui fratrem occiderat.* Iam *fratris sororisque* eadem necessitudo est.

Pag. 96. *Magnis conatibus* etc.] Lib. 6. *Nec magno conatu res indiget.*

Ibid. *Neque omnino sermonem conseras*] Vide ad ipsum libri 1. initium notata.

Ibid. *Infantulus uterus*] Lege cum Cod. Oxon. *infantilis.* Onomast. vet. *Infantile*, νηπιαχῶδες.

Ibid. *Familiam nostram propagabimus*] *Familiam* stirpem intellige. Glossarium: *Familia*, οἰκετεία, γένος. et bene hîc *propagabimus.* Glossae: Γένους ἐπίδοσις, *propagatio.*

Ibid. *Futuri pignoris gloria gestiebat*] Pacatus in Panaegyrico: *Fugitiva successuum repentinorum voluptas, ut occupat, sic relinquit: felicitas longior est exspectare securum.* scribe mecum, *exspectare securum.* Plinius in Epistolis: *Rerum quas assequi cupis, praesumptio ipsa iucunda est.*

Ibid. *Crescentes dies, et menses exeuntes anxia numerat*] Nimirum *Incusat spes aegra moras, longique videntur Stare dies, segnemque rotam non volvere Phoebe.* Themistius Orat. 12. Γεγηθυῖα πρὸς τὴν ἐλπίδα, πλέον πρὸς τὴν μέλλησιν ἀνιᾶ.

Ibid. *Sarcinae nescia rudimenta*] Id est, quae nesciuntur. vide 9. 12. A. Gellium: apud quem etiam Plauti versiculum inter voces *nescitur* et *ignarus* repone. nimirum paulo altius quam in excusis occurrit.

Ibid. *Incrementulum*] Oxon. *Incrementum.*

Ibid. *Anhelantes vipereum virus*] Auctor ad Herennium: *Spumans ex ore scelus, anhelans ex infirmo pectore crudelitatem.* Vide ad Act. 9. 1. notata.

Ibid. *Momentarius maritus*] Quem Fulgentius, hanc fabulam enarrans, *mansionarium* vocat.

Ibid. *Castra commovit, et aciem direxit, et classicum personavit*] Ὑστερολογία. Sonat tuba enim antequam castra commoveantur, et acies dirigatur. Pollux 1. 10. §. 19. Ὑπεσημήναντο οἱ σαλπιγκταὶ τὸ εἰς ἔφοδον. vide et 1. Cor. 14. 8.

Ibid. *Tui nostrique miserere*] Apud Virgilium: *Natique patrisque Alma precor miserere.*

Ibid. *Quas tibi* etc. *sorores appellare non licet* etc.] τὰς οὐκέτι ἀξίας κληθῆναι ἀδελφάς σου. Vide ad Luc. 15. 21. dicta.

Pag. 97. *Post internecina odia*] Sic *internecina odia* libro 6. Iustinus.

Ibid. *Cum more Sirenum*] Oxon. *In more Sirenum.* lege, *in morem S.*

Ibid.

Ibid. *Singultu lacrymoso*] Ovidius Eleg. ad Liviam: *Singultu medios impediente sonos.* Idem Remed. 2. *Ruptaque singultu verba loquentis erant.* Horatius: *Singultim pauca locutus.* Scholiastes: *Cum intervallo: interruptis verbis.*

Ibid. *Sermonem incertans*] In Senecae Apocol. *Quid nunc profatu vocis incerto sonas?* Supra lib. 1. *Incerta verborum salebra balbutire.*

Ibid. *Iamdudum fidei atque parciloquii mei perpendisti documenta*] Apud Livium lib. 32. *Vult sibi quisque credi: et habita fides ipsam plerumque obligat fidem.* Oxon. et Vicent. editus: *parciloquio meo.*

Ibid. *Sacrosanctae imaginis tuae*] *Sacrum* (inquit Iun. Philarg. ad Georg. 2.) *dici volunt, quod sit cum religione: sanctum, quod cum amore.* ergo *sacrosancta imago* heic, quam et amore et reverentia prosequor.

Ibid. *Redde saltem* etc.] De usu et vi particulae istius vide 12. 14. A. Gellium. Servium ad Aen. 4. Donatum ad 2. 1. Andriae. et 2. 2. Adelph.

Ibid. *Sic in hoc saltem parvulo cognoscam faciem tuam*] Non displiceat *recognoscam.* infra lib. 10. noverca ad privignum: *Illius* (patris tui) *recognoscens imaginem in tua facie* etc.

Ibid. *Tibi devotae charaeque Psyches animam gaudio recrea*] Τὰ σπλάγχνα ἀνάπαυσόν μου· ut Paulus ad Philemonem locutus. in quibusdam est *dicataeque:* in Oxon. nec hoc nec illud.

Ibid. *Nocturnae tenebrae*] Lib. 3. *Nocturnas tenebras causabatur sibi obsistere.*

Ibid. *Teneo te*] Cantic. 3. 4. *Iuveni eum quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam,* etc.

Ibid. *Amplexibus mollibus* etc.] Palat. *mollitis,* male. Virgilius: (ex quo Noster) *Niveis hinc atque hinc Diva lacertis Cunctantem amplexu molli fovet.*

Ibid. *Iugum sororium consponsae factionis* etc.] Apud Achillem Tatium: Ὦ ζεῦγος κατ' ἐμοῦ γοήτων, ἀνδρὸς καὶ γυναικός! Festus Pomp. *Consponsor, coniurator,* translatio a re connubiali ducta. Idem: *Consponsos Antiqui dicebant mutua fide colligatos.*

Ibid. *Praecipiti cum velocitate*] Oxon. *p. animi velocitate.*

Ibid. *Zephyrus* etc. *susceptas eas gremio spirantis aurae, solo reddidit*] Supra fine 4. *Psychen* etc. *mitis aura molliter spiranti Zephyri* etc. *florentis cespitis gremio leniter delapsam recumbit.*

Ibid. *Domum penetrant*] Lib. 3. *Cum penetraverint Larem quempiam.*

Ibid. *Venti ferentis*] Suidas: Φορὸς, ὀξυτόνως, ὁ ἐπιτήδειος ἄνεμος. Aeneid. 4. *Ventosque ferentes.* ubi Servius: *Propitios, prosperos.* Clemens in Protreptico, ad Ulyssem de Scylla: Ἔασον αὐτὴν ἐπινέμεσθαι τοὺς νεκροὺς, πνεῦμα σε οὐράνιον βοηθεῖ· πάριθι τὴν ἡδονὴν, Interpres falsa lectione inductus, *tibi opem fert divinus spiritus.* at πνεῦμα οὔριον scribendum.

Ibid. *Complexaeque suam praedam*] Ut quidem opinabantur eam. Infra lib. 9. *Opulentam praedam iam tenebat animo.*

Ibid. *Sorores nomine mentientes*] Sic excusus etiam Vicentiae liber, et MS. Oxoniensis. avebam tamen reponere *sororum nomen ementientes.* sic infra heic, *mariti mentito nomine.* et 8. *Amici fidelissimi personam mentiebatur.* Gellius 1. 2. *Sanctissimae disciplinae nomen ementiri* dixit. Corrige Auctorem de Viris Illustribus, apud quem mendum simile delitescit: *Gentilitas eius Manlii cognomine iuravit, ne quis postea Capitolinus vocaretur.* scribe, *G. e. cognomen eiuravit, ne quis* etc. sublata etiam voce *Manlii,* quae ut τοῦ *eius* interpretamentum importune illapsa.

Ibid. *Thesaurumque penitus abditae fraudis laeto vultu tegentes*] In versu Graeco: Θησαυρὸς ἐστι τῶν κακῶν κακὴ γυνή.

Ibid. *Sic adulant*] Fortasse *appellant* scribendum, quae vox insidianti congrua. Infra hic de Iisdem ad Eandem: *Hoc astu puellam appellant.* Lectio potest vera esse *adulant,* nam et *contemplo,* et id genus alia usurpavit. vide Beroaldum: at in Oxon. MS. clare *adulantur* legitur.

Ibid. *Non ita ut pridem parvula*] Paulus ad Philemonem de Onesimo: οὐκ ἔτι ὡς δοῦλον. Oxon. *Non pridie parvula.* unde legendum conicio, *non, ut pridie parvula.*

Pag. 93. *Psyche, non ita ut pridem, parvula, et ipsa iam mater es*] Apud Theocritum: Γυνὴ μήτηρ, τοκέων τροφὸς, οὐκέτι κόρα. Quomodo *mater* autem quae necdum pepererat? solvent hunc nodum autem ista A. Gellii: *Idonei vocum antiquarum enarratores tradiderunt, matronam dictam esse proprie quae in matrimonium cum viro convenisset, quod in eo matrimonio maneret, etiamsi sibi liberi nondum nati forent: dictamque ita esse a matris nomine non adepto iam, sed cum spe et omine mox adipiscendi: unde ipsum quoque matrimonium dicitur.* An vero *mater,* gravida quaevis abusive appellari potest?

Ibid. *Quantis gaudiis totam domum nostram hilarabis?*] Sic *domum nuptiarum gaudiis hilarare* lib. 1. dixit.

Ibid. *Eas lassitudine viae sedilibus refotas*] Nonne melius, *Eas a lassitudine v.?*

Ibid. *Et balnearum vaporosis fontibus curatas, pulcherrimo triclinio,* etc.] Oxon. sic legit et interpungit: *E. b. vapore roseis fontibus curatas pulcherrime, triclinio* etc. quae non conor defendere.

Ibid.

Ibid. *Mirisque illis* etc. *eduliis* [*atque tuccetis* etc.] Seneca Epist. 12. *Cum vino, et illis funereis epulis sepelisset se.*

Ibid. *Tibias agere*] Sic et Oxon. et Vicent. editio.

Ibid. *Ad destinatam* etc.] Glossae: *Ad destinata*, πρὸς τὰ ἀφορισθέντα.

Ibid. *Occipiunt sciscitari qualis ei maritus, et unde natalium sectacula proveniret*] Ita Beroaldus maluit, nec aliter in Oxon. est. Colvius *natalium notacula:* infeliciter. Wowerius et Pontanus, *unde natalium, secta cuia p.* quae coniectura caeteris antecellit longe. Prudentius in pugna Concord. et Discord. *Circumstat propere strictis mucronibus omnis Legio virtutum, exquirens fervente tumultu Et genus et nomen, patriam, sectamque* etc. Ovid. Metamorph. 1. *Nec non et cuius, et unde, Quove sit armento, veri quasi nescia quaerit.* Servius ad Eclog. 3. *Antiqui dicebant, sicut meus, mea, meum, sit cuius, cuia, cuium.* Bene autem curiosas et invidas istas *sciscitari* dicit. Donatus ad Eunuchum: *Sciscitari, est occulta magis et secretiora rimari, et cognoscere velle.*

Ibid. *Scelestarum foeminarum* etc.] In MS. quodam *strivarum:* unde Schopp. *strigarum*, i. *veneficarum.* at in Oxon. et vett. editis est *scelestarum*, quae lectio sincerissima est. Supra: *Ne illas scelestas foeminas* etc. *nec audias, vel videas.* ut omittam, *strigarum foeminarum* quam illepide dici.

Ibid. *Magnis pecuniis negotiantem*] Supra lib. 1. *Negotiator magnarius.*

Ibid. *Iam medium cursum aetatis agere*] Hesychius: Μεσῆλιξ, ἀπὸ τῶν τεσσαράκοντα ἕως πεντήκοντα. Ammonius, ubi de aetatum discriminibus: Εἶτα νεανίσκος, εἶτα νεανίας, εἶτα ἀνὴρ μέσος, etc. vide olim pag. 195. ad Apologiam notata.

Ibid. *Interspersum rarâ canicie*] Hesychius; Μεσαιπόλιος, οὐ σφόδρα πεπολιωμένος, ἀλλὰ μέσος, οὔπω γέρων. et bene *interspersum.* Virgilius 5. *Temporibus geminis canebat sparsa senectus.* Propertius: *Sparserit et nigras alba senecta comas.*

Ibid. *Candenti canicie lucidus*] Eunapius de coma sua in Proaeresii vita: Διὰ πλῆθος πολιῶν τριχῶν ἀφριζούσῃ θαλάσσῃ προσεμφερὴς, καὶ ὑπαργυρίζουσα.

Ibid. *Nec in sermone isto tantillum morata*] *In alium sermonem intentionem earum derivans*, ut lib. 1. loquitur.

Pag. 99. *Quorum utrum verum est*] Probo Rittershusii coniecturam, *Q. utrum utrum est.* Valer. Maximus de Socrate lib. 7. *Ab adolescentulo quodam consultus utrum uxorem duceret, an se omnino* (malim *omni*) *matrimonio abstineret: respondit, utrum utrum fecisset, acturum poenitentiam.* Cicero de Nat. D. 2. *Quorum utrumvis sit, sequitur, mundum Naturâ administrari.* unde scimus an et illic scribendum? *Q. utrum utrum sit.*

Ibid. *Laqueo nexili* etc.] Sic πλεκταῖς ἀρτάναις Sophocles in Antigone. Infra 8. *Sibi laqueum nectit.*

Ibid. *Exordio sermonis huius quam concolores fallacias adtexamus*] Oxon. *E. s. huius colorales f. a.* Onomast. vet. *Coloro*, σχηματοποιῶ.

Ibid. *Nocte turbatis vigiliis perditae*] Ut 4. *fame perditus.*

Ibid. *Soliti venti praesidio* etc.] Praetulerim *solito.* infra de iisdem: *Flatus alitis impulsu solito super scopulum porrectae.*

Ibid. *Lacrymisque pressurâ palpebrarum coactis*] Virgilius: *Dolis, lacrymisque coactis.* ubi Servius: *Coactis, expressis.* Ovidius: *Quinetiam discant oculi lacrymare, coacti.* *Vexare oculos humore coacto* Iuvenalis dixit. Propertius: *Fletum invitis ducere luminibus.* In Eunucho Terentii: *Haec verba mehercule una falsa lacrymula, Quam oculos terendo misere vix vi expresserit, Restinguet.* Xenophon: Ἐπεσπάσατο ἐμπλησθῆναι δακρύων τὰ ὄμματα. Euripides Helena: Ἐκβαλόντες δάκρυα ποιητῷ τρόπῳ. Aristaenetus 1. 9. Δάκρυον ὑποκρίσεως ἀποματτομένη, τῶν μάτην πρὸς αὐτῆς ὑποθλιβομένων βλεφάρων. Sirachides 22. 24. Ὁ νύσσων ὀφθαλμὸν, κατάξει δάκρυα.

Ibid. *Tu quidem felix, et ipsa tanti mali ignorantia beata*] Apud Senecam: *In malis unum hoc tuis Bonum est, Thyesta, mala quod ignoras tua.* Plutarch. Consolat. ad Apoll. Μετ' ἀγνοίας τῶν οἰκείων κακῶν ὁ βίος ἀλυπότατος. Terentius: *Nos omnes quibus est alicunde obiectus labos, Omne quod est interea tempus priusquam id rescitum est, lucro est.* In Mimis veteribus: *Bene dormit qui non sentit quam male dormiat.* Ibidem: *Miseriam nescire propriam sine periculo est vivere.*

Ibid. *Sedes incuriosa periculi tui*] *Nec quae circumstant te deinde pericula cernis.* Seneca in de Vita beata, ex personâ Socratis: *Hoc vos nec intelligitis, et alienum fortunae vestrae vultum geritis: sicut plurimi, quibus in Circo aut theatro desidentibus iam funesta domus est, nec malum annunciatum.*

Ibid. *Sedes incuriosa periculi tui: nos autem* etc.] Fadilla ad Commodum fratrem apud Herodianum: Σὺ μὲν etc. μένων ἐπ' ἡσυχίᾳ, τῶν πραττομένων ἀγνοίᾳ ἐσχάτῳ καθέστηκας κινδύνῳ· ἡμεῖς δὲ τὸ σὸν γένος ὅσον οὐδέπω ἀπολλύμεθα.

Ibid. *Pro vero comperimus*] *Pro vero obtinere* initio Apologiae dixit.

Ibid. *Sociae scilicet doloris casusque tui*] Theophylact. ad 1. Cor. 12. 16. Ἡ ἀκριβὴς ἔνωσις

σις κοινὰς ποιεῖ τε τὰς συμφορὰς, καὶ τὰς εὐδοκιμήσεις.

Ibid. *Pervigili cura rebus tuis excubamus*] Lib. 9. *Qui meae tutelae pervigiles excubias agitaverant.*

Ibid. *Immanem colubrum multinodis voluminibus serpentem* etc.] Sic μυριέλικτον ὄφιν Eunapius apud Suidam dixit: et *cerastarum sinuosa volumina* Avienus in Periegesi.

Ibid. *Veneno noxio colla sanguinantem*] Pontanus Analect. 1. 8. *saniantem*, affectatissime. Schopp. ex MS. quodam *saginantem*. Utraque manu amplectimur nos positam lectionem, non tantum a vetustis editionibus, sed et Cod. Oxoniensi firmatam. Glossae: Αἱμάττω, *cruento*, *sanguino*. In veteri et instructissimo Onomastico: *Sanguinare*, αἱμάσσεσθαι. Aeneid. 2. *Immensis orbibus angues*, *Pectora quorum inter fluctus arrecta, iubaeque Sanguineae exuperant undas.* ubi Servius: *Iubae sanguinei coloris.* qui locus omnem hîc controversiam dirimit.

Ibid. *Hiantemque ingluvie profunda*] Virgilius, itidem de angue, Georg. 3. *Piscibus atram Improbus ingluviem, ranisque loquacibus explet.* Servius: *Ingluviem, ventris capacitatem.* quae forsan minus vera expositio. Glossae Vindocinenses MS. *Ingluvies, gulae spatium, vel gutturis.* Glossarium Stephani: *Ingluvies*, τράχηλος, etc. Avienus, citato iam loco, de Cerastis: *Immodice late patet oris hiatus Quippe feris, antro panduntur guttura vasto.* Iam et *ingluviem* ab *inglutiendo*, (quod gula, non ventre fit) formari, quis est qui nescit? ut omittam, vel ex voce *hiantem* patere, sic *ingluviem* accipiendam.

Ibid. *Tecum noctibus latenter acquiescere*] Arnobius lib 5. *In draconis terribilem formam migrat, ingentibus spiris pavefactam colligat virginem: et sub obtentu fero* (malim *feri*) *mollissimis ludit atque adulatur amplexibus.*

Ibid. *Et accolae plurimi*] Glossarium: *Accolae*, ἀκρογείτονες.

Ibid. *Videre eum vespera redeuntem e pastu*] Oxon. *Viderunt eam bestiam redeuntem* etc. et post, *vadum innatantem.*

Ibid. *Nec diu blandis alimoniarum obsequiis te saginaturum omnes affirmant* etc.] Philostratus de Lamiis: Καὶ ἀφροδισίων μὲν· σαρκῶν δὲ, (melius τε) καὶ μάλιστα ἀνθρωπείων ἐρῶσι, καὶ πάλλουσι τοῖς Ἀφροδισίοις οὓς ἂν ἐθέλωσι δαίσασθαι. et post: Δακρύοντι ἐώκει τὸ φάντασμα, καὶ ἐδεῖτο μὴ βασανίζειν αὐτὸ, μηδ᾽ ἀναγκάζειν ὁμολογεῖν ὅ, τι εἴη, ἐπικειμένου δὲ, (τοῦ Ἀπολλωνίου) καὶ μὴ ἀνέντος· ἔμπουσά τε εἶναι ἔφη, καὶ πιαίνειν ἡδοναῖς τὸν Μένιππον εἰς βρῶσιν τοῦ σώματος. Apocal. 12. 4. Καὶ ὁ δράκων ἕστηκεν ἐνώπιον τῆς γυναικὸς τῆς μελλούσης τεκεῖν· ἵνα ὅταν τέκῃ, τὸν τέκνον αὐτῆς καταφάγῃ. *fructu* hîc, ut apud Lucam 1. 42. καρπὸς κοιλίας.

Ibid. *At hic iam tua existimatio est*, *utrum* etc.] Infra lib. 7. *Hanc ex animo quidem meo conducibilem sententiam protuli: sed vos vestrorum estis consiliorum rerumque Domini.* In quibusdam heic, *Ad hoc.* Oxon. *Ad haec:* bene. Gloss. *Ad haec*, ἐπὶ τούτοις.

Pag. 100. *An saevissimae bestiae sepeliri visceribus*] Antoninus 4. 13. Ὅσος ἀριθμὸς (ζώων) κατανaλίσκεται, καὶ οὑτωσί πως θάπτεται ἐν τοῖς τῶν τρεφομένων σώμασι! Tertullianus in Apologetico: *Suffocatis et morticinis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur vel intra viscera sepulto.* Sidonius de Thyeste: *Fratris crimine qui miser voratis Vivum pignoribus fuit sepulchrum.* at *bestiae visceribus sepeliri*, peculiari quadam elegantia dictum. Eustathius ad Homerum: Θυμβεύεσθαι τις λέγεται καὶ εἰς θηρίων γαστέρας, εἰ καταφάγωσιν αὐτὸν. Ignatius ad Romanos: Μᾶλλον κολακεύσατε τὰ θηρία, ἵνα μοι τάφος γένωνται. Apud Achillem Tatium 3. Εἰς ἡμᾶς ἰχθὺς ἀναλωσάτω, μία γαστὴρ χωρησάτω, ἵνα ἐν ἰχθῦσι κοινῇ ταφῶμεν. De vulture Ennius: *Heu quam crudeli condebat membra sepulchro!*

Ibid. *Simplex, et animi tenella*] Ἄκακος. Rom 16. 18. supra hîc de Eadem: *Pro genuina simplicitate, proque animi tui teneritudine.*

Ibid. *Prorsus omnium mariti monitionum* etc.] Oxon. *quod rursum omnium* etc. scripserim, *Rursus omnium* etc.

Ibid. *Et in profundum calamitatis se praecipitavit*] Lib. 8. *In profundam ruinam cupidinis* etc. *se praecipitavit.* ubi dicta vide.

Ibid. *Semianimi voce*] In Florent. Cod. non male *semihiante.* infra lib. 10. *Semihiantes adhuc compressit labias.* et Floridis: *Semihiantibus in conatu labellis.* at forsan *semianimem vocem* hîc appellat quam supra lib. 3. *tenuem ac diminutam admodum.*

Ibid. *Sic ad illas ait*] Τὸ *ait* credam vix unquam non esse malae manus interpolamentum. lib. 6. *Confusisque in unum grumulum, sic ad illam. Videris mihi* etc. eodem libro: *Atque sic ad illum: Licet tu* etc. lib. 1. *Et ad illum: Nae merito* (*inquam*) etc. mendum simile lib. 4. pag. 84. sustulimus.

Ibid. *Vel omnino cuiatis sit*, *novi*] Lib. 1. *Sed, ut prius noritis quis sim, et cuiatis* etc.

Ibid. *Malumque grande de vultus curiositate praeminatur*] De curiosa vultus inspectione. sic 2. *curiosus obtutus*, 4. *curiosus aspectus.* et 1. *curiose arbitrari. Malum grande* est quod Plauto non semel *magnum malum.* Olympias Alexandri mater, de Iunone: *Malum mihi prorsum illa magnum dabit.* etc. (apud Gellium 13. 4.) ita et Terentius 5. 4. Eunuchi.

Ibid. *Si quam salutarem opem periclitanti sorori potestis adferre, iam nunc subsistite*] Apud Virgilium: *Tu pro germano, si quid praesentius audes, Perge.*

Ibid. *Incuria sequens prioris providentiae beneficia corrumpit*] Cyprianus in de bono Patientiae: *Pereunt praeterita, dum quae coeperant, desinunt esse perfecta.* Servius ad 2. Virgilii Eclogam: *Tolerabilius est non incipere aliquid, quam inceptum deserere.* Salvianus 3. de Avaritia: *Laudari anteactae aetatis prudentia non merebitur, nisi bono fine claudatur.* Isidorus Pelusiota: Ἡ ῥαθυμία τοὺς προγεγινημένους πόνους, κ' ἂν λαμπροὶ εἶεν, σβέσει. Arrianus 4. 3. in Epictetum: Μικρὸν ἂν ἀπονυστάξῃς, ἀπῆλθε πάντα τὰ μεχρὶ νῦν συνειλημμένα.

Ibid. *Nactae* etc. *nudatum sororis animum*] Claudianus: *Et Veneri mentis penetralia nudant.*

Ibid. *Omissis tectae machinae latibulis, districtis gladiis fraudium* etc.] Sic *clandestinae proditionis cuniculis, apertae simultatis machinas* Sidonius 3. 13. opponit. quibus similia heic infra lib. 6. *Reiecto velamento ad promptum* (id est, manifestum) *exitium compelli. Gladii fraudium* hic, fraudulenti sermones, acumen gladiorum exaequantes. In versiculis Phocyllidi adscriptis: Ὅπλον τοί λόγος ἀνδρὶ τομώτερόν ἐστι σιδήρου.

Ibid. *Simplicis puellae* etc. *cogitationes invadunt*] διὰ τὴν χρηστολογίαν τὴν τῆς ἀκάκης καρδίαν ἀπατῶσι. Rom. 16. 18.

Ibid. *Quoniam nos originis nexus* etc.] Aeneid. 4. *O luce magis dilecta sorori.* ubi Servius: *Per nomen necessitudinis ostendit se quae sunt utilia, suadere.*

Pag. 101. *Viam quae sola deducit iter ad salutem, diu diuque cogitatam* etc.] In Nubibus Aristophanis] Ὅλην τὴν νύκτα φροντίζων, ὁδοῦ Μίαν εὗρον ἀτραπὸν δαιμονίως ὑπερφυᾶ. Aelianus apud Suidam: Καταδαρθέντι οἱ τῶν τις ἱερέων ἔδοξε λέγειν, μίαν εἶναι σωτηρίας ὁδόν etc. Helena apud Euripidem: Μί' ἐστὶν ἐλπὶς ᾗ μόνῃ σωθεῖμεν ἄν. Virgil. *Ea visa salus morientibus una.* Catullus: *Una salus haec est: hoc est tibi pervincendum.* Cato 3. 6. A. Gellii: *Alia nisi haec, salutis via nulla est.*

Ibid. *Novaculam praeacutam*] Isidorus 20. 13. *Novacula ferrum subtile, satisque acutum.*

Ibid. *Ad pulsum etiam lenientis palmulae exasperatam*] In Palat. Florent. et aliis MSS. *appulsu palmulae* etc. quae lectio purior. sic infra lib. 6. *suavium blandientis linguae appulsu mellitum.*

Ibid. *Lucernamque concinnem*] Id est, aptam, mediocrem. In Floridis: *Corpus tam concinnum est, ut neque oppido parvum, neque nimis grande sit, sed quantum satis sit ad usum decoremque.* Onom. vet. *Concinnus*, εὐθήμων.

Ibid. *Claro lumine praemicantem*] Lib. 11. *Video praemicantis Lunae candore nimio completum orbem.*

Ibid. *Claudentis aulae tegmine*] Id est, *ollae.* In Oxon. tamen et tribus aliis MSS. *tabulae* exaratum.

Ibid. *Sulcatos intrahens gressus*] Sic infra 11. *sulcos viperarum* dixit. Lucanus: *Et contentus humum cauda sulcare paraeas.*

Ibid. *Cubile solitum* etc.] Ita, δράκοντος φωλεῶδη χειὰν, Plutarchus in de Oracul. defect. et κοίτην συνήθη Aelianus 6. 47. de Animal.

Ibid. *Altum soporem flare coeperit*] Virgil. *Toto proflabat pectore somnum.* Theocritus: Ὕπνον βαρὺν ἐκφυσῶντος. *Altum soporem*, ut apud Ovid. Metam. 7. *Adhuc Regem sopor altus habebat.* et infra hic: *In altum soporem descenderat.*

Ibid. *Pensilem gradum* etc.] Quem supra lib. 3. *vestigium suspensum* dixit. quo loco adnotata vide.

Ibid. *Paulatim minuens*] Lib. 2. *Relictum paululatim labellis minuens.*

Ibid. *Dextra sursum elata*] Gestus ferituri. Virgilius 5. *Ostendit dextram insurgens Entellus, et alte Extulit.* Idem 10. *Strymonio dextram fulgenti diripit ense Elatam in iugulum.* ubi Servius: *Iugulo suo vulnus minantem.* Sirachides 47. 5. de Davide: Ἐν τῷ ἐπάραι χεῖρα ἐν λίθῳ σφενδόνης, etc. Hesychius in ὀρέξασθω, Ὁ τύπτων τὴν χεῖρα ἐκτείνει Egesippus 1. 45. de Herode: *Levavit*, (melius *elevavit*) *dextram, cupiens sese ferire.* Idem 2. 18. *Elevavit dextram, ac formidabilem cunctis, subiiciens sibi mortem, proprio victor se mucrone transfixit.* Ammianus lib. 26. *Elata prospere* (scribe *propere*) *dextrâ ut Princeps fiducia plenus, increpare quosdam ut seditiosos*, etc. Vide et Latinum Iosuae 8. 26. Interpretem.

Ibid. *Nodum cervicis et capitis abscinde*] Ovid. Metam. 1. *Falcato vulnerat ense Quà c[illegible] est confine caput.* Hesychius: Συνεχμωτῇ· σὺν ἁρμολογῇ τοῦ τραχήλου καὶ τῆς κεφαλῆς etc. deformatum monstrosissime locum ita pristinae suae formae restitue: Συνεοχμῷ· τῇ συναρμολογῇ etc. Seneca, quem statim adducemus, *commissuram* vocavit. respexit autem Hesychius Homeri ista ex Iliad. ξ. Τὸν δ' ἔβαλεν κεφαλῆς τε καὶ αὐχένος ἐν συνεοχμῷ Νείατον ἀστράγαλον· ἀπὸ δ' ἄμφω κέρσε τένοντε. ubi τένοντες *nodus* Appuleio nostro: id est, nervi cervicis. Glossarium: *Cervix*, τένων. Praesectis his nervis evitatur animal. Odyss. γ. Πέλεκυς δ' ἀπέκοψε τένοντας Αὐχενίους, λῦσεν δὲ βοὸς μένος. Apud Suidam quis e Veteribus: Ὁ ταῦρος etc. διακοπεὶς τοὺς τένοντας etc. ἡσυχῇ κατηνέχθη.

Se-

Seneca: *Magnarum virium animalia humanae manus ictus impellit: tenui ferro commissura cervicis abrumpitur: et cum articulus ille qui caput collumque committit, incisus est, tanta illa moles corruit.*

Ibid. *Cunctisque ocyus tecum relatis*] Rom. et Vicent. (editt. principes) *Cunctisque istis sociis t. r.* Oxon. MS. *Cunctisque istis opibus t. r.* quod sensum non inconcinnum efficit.

Ibid. *Tali verborum incendio* etc.] Iacobus 3. 6. Ἡ γλῶσσα πῦρ.

Ibid. *Relicta sola, nisi quod infestis Furiis agitata sola non est*] Scriptor de bono Pudicitiae in Cypriani operibus: *Ioseph in imum carceris truditur, sed sola non est in carcere pudicitia.* Vide Ioh. 16. 32.

Ibid. *Aestu pelagi similiter moerendo fluctuat*] Medea apud Senecam: *Anceps aestus incertam rapit, Ut saeva rapidi bella cum venti gerunt, Utrinque fluctus maria discordes agunt, Dubiumque pelagus fervit: haud aliter meum Cor fluctuat.* vide supra sub initium lib. 4. notata.

Ibid. *Iam tum facinori manus admovens, adhuc incerta consilii titubat*] Apud Quintilianum Declam. 1. (etiam in homicidii argumento) *Quem etiamsi nullae fallerent tenebrae, metus, et conscientia, magni sceleris testes, incertum fecissent.*

Pag. 102. *Et, quod est ultimum* etc.] Lib. 7. *Quodque est cunctis extremius* etc.

Ibid. *Vespera* etc. *iam noctem trahente*] Reposuerim *intrahente.* supra hoc libro: *Sulcatos intrahens gressus.* Alius: *Et Sol curvatus intrahebat vesperam.*

Ibid. *In eodem corpore odit bestiam*] Oxon. *odit serpentem bestiam.* sic *bestiam proserpentem* alicubi memini Plautum dixisse.

Ibid. *Nox aderat*] In fabula Saturni genitalia patris demessuri Hesiodus: (ex quo hanc suae particulam effinxit Appuleius noster.) Ἦλθε δὲ νύκτ' ἐπάγων μέγας οὐρανός.

Ibid. *Et maritus aderat*] Elegantius multo Fuxensis Codex, *et maritus advenerat.*

Ibid. *Primisque Veneris praeliis velitatus, in altum soporem descenderat*] Ex his Virgilii: *Optatos dedit amplexus, placitumque petivit Coniugis infusus gremio per membra soporem.* Supra lib. 3. *Iamque luminibus meis vigilia* (libidinosa) *marcidis infusus sopor, etiam in altum diem nos attinuit.*

Ibid. *Psyche, corporis et animi alioquin infirma*] Lib. 4. *Psyche* etc. *aegra corporis, animi saucia.*

Ibid. *Fati tamen saevitia subministrante, viribus roboratur*] Metamorph. 8. *Faciente Cupidine vires.* Oxon. *Furi tamen* etc. ex quibus aliquid extricare possem, si indulgere coniecturis vellem. Post vocem *subministrante* puto *vires* subaudiendum.

Ibid. *Arrepta novacula*] Hesiodus ubi supra: Δεξιτερῇ δὲ πελώριον ἔλαβεν ἅρπην, Μακρὴν, καρχαρόδοντα.

Ibid. *Sexum audacia mutavit*] Lib. 6. *Capta supra sexum audacia.*

Ibid. *Tori secreta*] Gellius 9. 10. *concubii secretum* dixit. Quintilianus Declam. 1. *Secretum nuptiarum, et matrimonialis lectuli solitudinem.* Ibidem de eodem: *Servuli longius quiescunt, et praestatur Genio loci grande secretum.*

Ibid. *Formose cubantem*] Decoro corporis situ dormientem. Florid. 3. de Philemone mortuo: *Iacebat incumbens toro, similis cogitanti* etc. *stetere qui introierant, perculsi tam inopinae rei, tam formosae mortis miraculo.*

Ibid. *Et acuminis sacrilegi novaculam poenitebat*] Lectionem istam oggessit Lipsius: quem et acuminis sui poenitere oportuit. Oxon. MS. et omnes veteres editiones habent, *novacula praenitebat.* Aspectu talis (inquit) corporis, non lucernae tantum lumen increbuit, sed et praenituit novacula: id est, splendore plusquam proprio praemicuit. *Sacrilegi acuminis novacula,* aut hypallage est, pro, *novaculae sacrilegum acumen:* aut eâ formâ dictum quâ *homo multae prudentiae,* et id genus multa.

Ibid. *Marcido pallore defecta tremensque, desedit in imos poplites*] *Palluit, et subito sine sanguine frigida sedit.* Stesichorus de iis qui Helenam lapidibus obruturi erant: Ἅμα τῷ τὴν ὄψιν ἰδεῖν, ἀφεῖναι ἐπὶ τὴν γῆν τοὺς λίθους. Petronius: *Gyton mirabili forma exarmaverat nautas.* Oxon. *descendit in imos p. In imos poplites* hîc, ut infra lib. 7. *Totum corporis pondus in postremos poplites recello.*

Ibid. *Nisi ferrum timore tanti flagitii* etc.] Hieronymus in Epistola de muliere septies icta: *Quasi ferrum ream timeret attingere, circa cervicem torpet innoxium.* Ovidius 3. Fast. *Amne iubet mergi geminos, scelus unda refugit: In sicca pueri destituuntur humo.*

Ibid. *Manibus temerariis delapsum evolasset*] Pater filium deferens libro 1. Heliodori: Ξιφήρης νύκτωρ ἐπῆλθε, καὶ παρὰ τοσοῦτον γέγονε (scripserim οὐ γέγονε) πατραλοίας, παρ' ὅσον ἀντέσχεν ἡ Τύχη, ἀπροσδοκήτῳ φόβῳ τὸ ξίφος τῶν τούτου χειρῶν ἐκπεσεῖν παρασκευάσασα.

Ibid. *Lassa et salute defecta*] Oxon. *Lapsa salute d.* Glossae: Ἀποκαμοῦσα, *lassa, defessa, defracta.* pro *defracta,* puto *defecta* scribendum. In vet. Onomast. *Defectus,* δύσθυμος.

Ibid. *Videt capitis aurei genialem caesariem,* etc. *genasque purpureas pererrantes crinium globos*] Propertius: *Vidi ad frontem sparsos errare capillos.*

Ibid. *Cervices lacteas*] Aeneid. 11. *Fusos cervix cui lactea crines Accipit.*

Ibid. *Quorum splendore nimio fulgurante* etc.] Male doctiss. Ursinus *splendore minio.* Infra

 lib.

lib. 11. *Video candore nimio Lunae praemicantem orbem.* et 9. *Demonstrat ei novitate nimia candentes aureos.*

Ibid. *Tremule resultantes*] Oxon. *temere r.*

Pag. 103. *Caeterum corpus glabellum*] De Apolline Florid. 2. *Genis gratus, et corpore glabellus.*

Ibid. *Et quale peperisse Venerem non poeniteret*] Infra lib. 10. *Filium* etc. *quem tibi quoque provenisse cuperes, vel talem. Poeniteret* heic, ut supra, elegantissime. vide 17. 1. A. Gellium.

Ibid. *Puncto pollicis* etc.] Glossae: Νυγμή, *punctum, punctio.*

Ibid. *Ut per summam cutim roraverint parvulae sanguinis rosei guttae*] In Epistolis Ovidianis: *Summa leviter districta sagittâ Pectora.* Prudentius: *Summo tenus extima tactu Laesa cutis, tenuem signavit sanguine rivum.* Virgilius 12. *Et summum degustat vulnere corpus.* ubi Servius: *Leviter tangit: id est, stringit, propter exiguitatem sanguinis.* Seneca cap. 3. ad Helviam: *Non summam cutim rupit, (vulnus tuum,) pectus et viscera ipsa divisit. roraverint*, ut apud Aldhelmum *ritu rorantis rivi cruorem* etc. et *sanguinis rorantes maculae* apud Hegesippum.

Ibid. *Sic ignara Psyche sponte in Amoris incidit amorem*] Vide ex parva punctura quantus animi aestus obortus. Theocritus: Τὸν κλέπταν ποτ' Ἔρωτα κακὰ κέντασε μέλισσα, Κηρίον ἐκ σιμβλῶν συλευμένον, ἄκρα δὲ χειρῶν Δάκτυλα πάντ' ὑπένυξεν· ὁ δ' ἄλγεε, καὶ χερ' ἐφύσση, Καὶ τὰν γᾶν ἐπάταξε, καὶ ἅλατο· τᾷ δ' Ἀφροδίτᾳ Δεῖξεν τὰν ὀδύναν, καὶ μέμφετο ὅττι γε τύτθον Θηρίον ἔντι μέλισσα, καὶ ἅλικα τραύματα ποιεῖ! Χ' ἁ μάτηρ γελάσασα· τί; δ' οὐκ ἶσον ἐσσὶ μελίσσαις; Χ' ὢ τυτθὸς μὲν ἔῃς, τὰ δὲ τραύματα ἅλικα ποιεῖς! Ovid. Metam. 10. *Primaque cupidine tacta, Quod facit ignorans, amat, et non sentit amorem.*

Ibid. *Prona in eum efflictim inhians, patulis ac petulantibus suaviis* etc.] Lib. 2. *Pronus in eam* etc. *mellitissimum illud suavium impressi.*

Ibid. *De somni mensura metuebat*] Ne brevior esset somnus eius, et per hoc longiorem illa saviandi copiam amitteret: aut, cum non suaviari illum non posset, a suaviis tamen ne evigilaret, timebat. Apud Longum ποιμεν. 1. Ὀκνῶ μὲν καὶ φιλῆσαι, αὐτὴν ἀφυπνίσω.

Ibid. *Bono tanto percita*] Eximium voluptatis cruciatum sustinere nequiens: ut supra lib. 2. locutus.

Ibid. *Evomuit* etc.] Persius: *Pinguem nebulam vomuere lucernae.*

Ibid. *Lucerna, Amoris vile ministerium*] Lucernam illa apud Aristophanem alloquens: Ἐν τοῖσι δωματίοισιν Ἀφροδίτης Πειρωμέναισι πλησίον παραστατεῖς, Λορδουμένων σωμάτων ἐπιστάτης. Ὀφθαλμὸν οὐδεὶς τὸν σὸν ἐξείργει δόμων· Μόνος δὲ μηρῶν εἰς ἀποῤῥήτους μυχοὺς Λάμπεις, ἀφεύων τὴν ἐπανθοῦσαν τρίχα. In Graecis Paroemiis tamen: Χαῖρε φίλον φῶς. Γραῦς ἐθέλουσα ἀπολασταίνειν γυμνὴ, ἵνα μὴ τὴν ῥυκίωσιν τοῦ σώματος ἐλέγχῃ, τοῦτο εἶπε.

Ibid. *Psyche statim resurgentis eius crure dextro ambabus manibus arrepto, sublimis evectionis appendix miseranda* etc.] Scylla apud Ovidium ad Minoëm Metamorphos. 8. *Insequar invitum, puppimque amplexa tenebat: Per freta longa trahar: vix dixerat, insilit undis, Consequiturque rates faciente Cupidine vires: Gnossiacaeque haeret comes indivulsa carinae. Appendix* (inquit) *miseranda.* Infra lib. 8. *Seque in praealtissimum puteum, appendicem parvulum trahens, praecipitat.* Non ergo insipidus ille qui *appendio* volebat?

Ibid. *Penduli comitatus extrema consequa*] Debemus (et utinam id minus) Grutero istud. Bene in aliis *consequia.* Infra 10. *Novissimis trahebantur consequiis.*

Ibid. *Sed hic feci leviter*] Oxon. *Sed hoc* etc.

Pag. 104. *Ipse me telo meo percussi*] *Patior telis vulnera facta meis.* Tale illud: Τοῖς αὐτῶν πτεροῖς ἁλισκόμεθα. Tibullus: *Eheu nunc premor arte mea.*

Ibid. *Caput exciderES meum*] In nonnullis malis *exscinderes.* In vetere Onomastico: *Excido*, ἐκτέμνω. Florid. 4. Noster: *Lingua excidenda est.*

Ibid. *Hic tibi identidem* etc.] Oxon. *Haec* etc.

Ibid. *Et cum termino sermonis pinnis in altum se proripuit*] Virgilius: *Dixit, et in sylvas pinnis ablata refugit.* Idem: *Haec ubi dicta dedit, lacrymantem, et multa parantem Dicere, deseruit: tenuesque recessit in auras.* ubi Servius: (ad Appuleii sensum non inconcinne) *Non metu, nec enim minantibus convenit: sed ne posset rogatu placari.*

Ibid. *Pinnis in altum se proripuit*] *Nec sese dedit in conspectum corde cupitus.*

Ibid. *Quantum visu poterat* etc.] Male haec aberant a Cod. Palatino. supra lib. 3. *Quantum extensis primoribus pedibus adniti poteram.*

Ibid. *Ubi remigio plumae raptum maritum proceritas spatii fecerat alienum* etc.] In plerisque *captu maritum* etc. quod sic ad oram libri sui exposuit Casaubonus. *alienum captu*, id est, *qui capi non posset:* nos illud *raptum* probamus, *remigio plumae* nempe. *Alienum fecerat* heic, ut infra 8. *Lancea mali Thrasylli me tibi alienum fecit. Remigium plumae*, ut apud Lucianum ἡ τῶν πτερῶν εἰρεσία· et Nostrum 1. Florid. *pennarum remigium.* vide Elmenhorstium.

Ibid. *Per proximi fluminis marginem praecipitem se dedit: sed mitis fluvius* etc. *eam innoxio volumine super ripam exposuit*] Virgilius de Turno: *Tum demum praeceps saltu sese omnibus*

bus armis In fluvium dedit: ille suo cum gurgite flavo Accepit venientem, et mollibus extulit undis. Ovidius supra adductus: *Amne iubet mergi geminos, scelus unda refugit In sicca pueri destituuntur humo.*

Ibid. *In honorem Dei qui et ipsas aquas urere consuevit*] In Epist. Philostrati: Καὶ αὐτὸ ὑπὸ ἔρωτος τὸ ὕδωρ καίεται.

Ibid. *Super ripam* etc. *exposuit*] Iustinus de Gargoris filio (eodemque nepote) in Oceanum proiecto: *Velut nave, non fluctu veheretur, leni salo in littore exponitur.*

Ibid. *Iuxta supercilium amnis*] Sic *Istri supercilia* Ammianus lib. 22. et lib. 16. *supercilia Rheni.* infra hic lib. 7. *ripae supercilium.* Tobiae veterem Interpretem 11. 5. *supercilium montis.* Pollux 2. 4. Καὶ ὀφρύας καλοῦσι τὰ τῆς γῆς ἀνέχοντα.

Ibid. *Complexus hic humo Cannam Deam*] Oxon. *Complexus hic Cannam Deam:* bene, nisi quod *sic* loco τοῦ *hic* reponendum. Sedebat iuxta supercilium amnis. *sic* Cannam D. complexus. i. *incuriose.* Horatius *sic temere* dixit.

Ibid. *Cannam Deam*] Virgilius: *Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula.* Servius: *Inaequalibus cannis.* Glossae: *Canna*, συρίγγιον ἐκ καλάμων. Isidorus 17. 7. *Arundo dicta quod cito arescat: hanc Veteres cannam vocaverunt.* Scholiastes vetus Horatii ad Art. Poët. *Arundo canna est.* Glossarium; Κάλαμος δι' οὗ γράφομεν, *Canna.*

Ibid. *Eamque voculas omnimodas edocens recinere*] Servius ad Eclog. 8. *Pan fistula canere primum invenit: quia calamos in usum cantilenae adducens, inertes esse non passus est.* Oxon. cod. et antiquitus editi, *retinere.*

Ibid. *Permulcet verbis lenientibus*] *Palpantibus verbis doloris stimulum obtundere* infra 8. vocat.

Ibid. *Sum quidem rusticanus et opilio*] Ipse de seipso apud Lucianum in Bis accus. Μέχρι τοῦ πλαγίου καλάμου καὶ τῆς σύριγγος ἐγὼ σοφὸς, τὰ δ' ἄλλα, αἰπόλος. In veteri Onomastico: *Rusticanus*, ἀγροῖκος. sic in l. ult. ff. de doli mali et met. except. *rusticanus homo.*

Ibid. *Sed senectutis prolixae beneficio multis experimentis instructus*] *Mihi multa vetustas Scire dedit. Multa tempore tam longo vidi, multa auribus hausi.* De seipso D. Basilius: Τὸ ἡλικίας οὕτως ἔχειν, καὶ τὸ διὰ πολλῶν ἤδη γεγυμνάσθαι πραγμάτων etc. ἔμπειρόν με τῶν ἀνθρωπίνων πεποίηκεν. et lib. 9. apud Nicephorum Gregoram ille senior Andronicus: Τῷ μακρῷ χρόνῳ μάλα πλείστην πεῖραν ξυνειλοχὼς καὶ προσθεὶς ἐμαυτῷ. Idem Gregoras lib. 6. de Muzalone: Διὰ etc. γῆρας, μακρὰν καὶ ποικίλην ἐμπειρίαν πραγμάτων μετὰ φρονήσεως ἔχων. et lib. 11. de Alexio Philantropeno: Ἐκ τοῦ γήρως ἔσχε λαμπρὰν τὴν πολυπειρίαν. Noster (in de Deo Socratis,) de Nestore: *Experimentis cautus, senecta venerabilis.* Isidorus Orig. 8. 11. de Daemonibus: *Inest illis cognitio rerum plusquam infirmitati humanae, partim subtilioris sensus acumine, partim experientia longissimae vitae.* Suidas: Γέρων ἀλώπηξ οὐκ ἁλίσκεται πάγῃ. ἐπὶ τῶν διὰ τοῦ χρόνου πλῆθος ἐμπείρων. Isocrates in Nicocle ait, τοὺς τὴν φύσιν καταδεεστέρους (tales plerumque senes) ταῖς ἐμπειρίαις πολὺ τῶν ἄλλων προέχειν. Virgil. 8. *Retinet longaevus aruspex.* ubi Servius: *Argumento aetatis vult doctum videri.* Sophocles: Γῆρας διδάσκει πάντα, καὶ χρόνου τριβή. Iobi 12. 12. Ἐν πολλῷ χρόνῳ σοφία, ἐν δὲ πολλῷ βίῳ ἐπιστήμη. Plutarchus in de lib. educ. Ὁ χρόνος τ' ἄλλα πάνθ' ἀφαιρῶν, τῷ γήρᾳ προστίθησιν ἐπιστήμην. Antiphanes: Σοφόν γε τι πρὸς τὸ βουλεύειν ἔχει Τὸ γῆρας, ὡς δὴ πολλ' ἰδὸν καὶ μαθὸν. Iocasta apud Euripidem: Οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ Ἐτεοκλέες, πρόσεστιν, ἀλλ' ἡμπειρία Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον. sic γήρως ἐμπειρία 5. 10. apud Iosephum. Anicula apud Heliodorum: Πεῖραν ἔχω σοῦ μᾶλλον τῆς Ἀφροδίτης. ἡ πολιὰ θρὶξ ἣν ὁρᾷς, αὕτη πολλοῖς τοιούτοις ἐνήθλησεν.

Ibid. *Multis experimentis instructis*] Παλαιά τε πολλά τε εἰδὼς. Sirachides 25. 8. *Corona senum multa peritia.* Plinius Epist. 1. 5. de Maurico: *Gravis, prudens, multis experimentis eruditus.* Appuleius (supra adductus) de Nestore: *Experimentis cautus.*

Ibid. *Si recte coniecto, quod profecto prudentes viri divinationem autumant* etc.] Terentius Hecyra: *Plane hic divinat.* ubi Donatus: *Nota*, divinat *de praeterito dictum: unde proverbium: Aiunt divinare sapientem: quia qui verum dicit, divinus est.* Nepos in vita Attici, de Ciceronis ad Eundem Epistolis agens: *Sic omnia de studiis Principum, vitiis Ducum, aemulationibus Reipublicae perscripta sunt, ut nihil in his non appareat: et facile existimari possit Prudentiam quodammodo esse Divinationem.*

Ibid. *Ab isto titubante et saepius vacillante vestigio, deque nimio pallore corporis, et assiduo suspiritu, imo et ipsis moerentibus oculis tuis, amore nimio laboras*] Si recte coniecto, pro *ipsis*, *istis:* et pro *moerentibus*, *marcentibus* reponendum. supra lib. 2. *Oculos udos, et tremulos, et prona libidine marcidos.* Infra lib. 10. *Iam caetera salutis vultusque detrimenta aegris amantibus convenire nemo est qui nesciat: pallor deformis, marcentes oculi, lapsa genua, quies turbida, et suspiritus cruciatus tarditate vehementior.*

Ibid. *Deque pallore nimio*] Ovidius: *Palles, facit hunc Amor ipse colorem.* vide plura ad citatum libri 10. locum.

Ibid. *Nec te* etc. *ullo mortis accersito genere perimas*] *Nec mortis maturatae festinas tenebras accersito.* ut infra lib. 6. loquitur.

Ibid. *Luctum desine, et pone moerorem*] Οὐ γάρ τις πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο.

Ibid. *Pone moerorem, precibusque potius* etc. *Deorum maximum percole*] Apud Terentium 3. 2. Adelph. *Lacrymas mitte, ac potius quod ad honorem opus est, porro consule.* In Senecae Hippolito, post ea, *Sepone questus, non levat miseros dolor:* sequitur: *Agreste placa virginis Numen Deae.* Horatius: *Desine mollium Tandem querelarum, et potius nova Cantemus Augusti trophaea Caesaris.*

Ibid. *Precibusque potius* etc.] Virgilius 3. *Iunonis magnae primum prece Numen adora.* et 8. *Iunoni fer rite preces, irasque minasque Supplicibus supera votis.*

Ibid. *Deorumque maximum* etc.] De eodem apud Festum Ennius: *Deus qui multo est maxumus.*

Ibid. *Adolescentulum delicatum blandis obsequiis promerere*] *Blanditiis leni*, ut infra lib. 6. loquitur. Chrysus apud Petronium: *Rescribe blandius Dominae, animumque eius candida humanitate restitue.*

Ibid. *Pergit ire*] A. Gellius 14. 2. *A subselliis pergo ire ad Phavorinum.* Terent. Phorm. *Domum ire pergam.* ubi Donatus: *Hoc nos ἐλλειπτικῶς dicimus, Domum pergam.*

Ibid. *Inscio quodam tramite* etc.] Id est, *ignoto*, sic infra 7. *obliquam ignaramque* (i. ignotam) *viam.* ad quem locum notata confer.

Ibid. *Alternis amplexibus mutuae salutationis* etc.] Lib. 7. *Sic mutuae salutationis officium indicabat.* Est qui ex veteri libro *mutuis amplexibus alternae salutationis* mavult, non advertens hypallagen.

Ibid. *Percontanti causas adventus sui*] Lib. 1. *Percontatur* etc. *causas etiam peregrinationis meae.*

Ibid. *Laboranti vestigio*] Inepte Colvius *labascenti vestigio. laborans vestigium* hic vocat quod 6. *festinans vestigium.*

Ibid. *Et nimia voluptatis copia* etc. *laborarem inopia*] Apud Quintilianum 12. Declam. *Ipsa nimia cupiditate nocet abundantia.* Supra lib. 4. *Opulentiae nimiae nimio ad extremas incitas redacti.*

Ibid. *Casu scilicet pessimo* etc.] Lib. 3. *Quod me, pessima scilicet sorte conantem*, etc.

Pag. 106. *Et nomen quo tu censeris* etc.] Vide Beroaldum.

Ibid. *Arra atque nuptiis coniugabo*] Mercerus ad Tacitum *confarreatis nuptiis.* Glossarium Isidori dictum: *Confarreatus, consociatus.* Glossarium ab H. Stephano editum: *Confarreatus*, συμβιώσεως χάριν ζευχθεὶς. Oxon. *Et nomen q. t. censeris aiebat, his nuptiis coniugabo.*

Ibid. *Et quamvis alio vento flante*] Nec inepte *alieno* scribas.

Ibid. *Accipe me, dicens*, etc. *saltu se maximo praecipitem dedit*] Apud Ovid. Art. 3. *Accipe me Capaneu, cineres miscebimus, inquit, Iphias: in medios desiluitque rogos.*

Ibid. *Reconcinnato mendacio fallens maritum*] Lib. 9. *Confictis observationibus vanis, fallens maritum.*

Ibid. *Laceratis visceribus suis*] Laceratis ob altitudinem praecipitii. Firmicus 1. 3. *Per praecipitia proiectum corpus flebili laceratione dispersit.* Et 6. 19. *Ipsos vero ex altis deiectos locis misera laceratione praecipitat.*

Ibid. *Nec vindictae sequentis poena tardavit*] *Nec scelestam Deseruit pede poena claudo.*

Ibid. *Vulnere lucernae*] Sic *vulnus venantum* apud Virg. initio duodecimi: et paulo post, *nostrum vulnus:* quod nos scilicet intulimus. vide Gellium 12. 9. in fine.

Ibid. *Demergit sese propere ad Oceani profundum gremium*] Oxon. *D. s. prope ad* etc.

Pag. 107. *Dubium salutis iacere*] Ovidius: *Hic ego sum vitae dubius.*

Ibid. *Illa verbosa et satis curiosa avis*] *Loquacitatem* bene *curiositati* iunxit. Donatus ad Hecyram: *Curiositas signum est loquacitatis.* Plutarchus in περὶ ἀδολεσχ. Τῇ δὲ ἀδολεσχίᾳ, καὶ ἡ περιεργία (κακὸν οὐκ ἔλαττον) πρόσεστι· πολλὰ γὰρ ἀκούειν θέλουσιν, ἵνα πολλὰ λέγειν ἔχωσιν. Paulus 1. 5. ad Timoth. φλύαροι καὶ περίεργοι.

Ibid. *Irata solidum*] *Soundly angry.* Hesychius: Ὑπέρχολος, ὑπερβαλλόντως ὀργιζόμενος. Clamor irae comes et pedissequus. vide ad Matth. 12. 19. notata.

Ibid. *Ille bonus filius meus*] Amare. sic in Apologia: *Hascine gratias bonus filius matri rependis?* Venus ista ad Psychen infra lib. 6. *Ego te excipiam ut bonam nurum condecet.* vide supra ad Lib. I. pag. 6. notata.

Ibid. *Prome* etc. *nomen illius quae puerum* etc. *investem sollicitavit*] Procopius: Αἱ τῶν γυναικῶν ἁμαρτάδες οὐκ ἐπὶ τοὺς ἄνδρας ἵενται μόνον, ἀλλὰ καὶ παίδων ἅπτονται μᾶλλον.

Ibid. *Quae sola mihi servis amanter*] Male haec absunt ab Oxoniensi. supra lib. 2. *Me* etc. *satis amanter cooperuit.*

Ibid. *Vel maxime* etc.] Oxon. *permaxime.*

Ibid. *Iam inde a foribus boans*] Pollux Onomast. 2. 4. Τῶν τῆς γλώττης ἔργων ὀνόματα, βοᾶν, ἐκβοᾶν, etc. Boare ab ipsis foribus, indignantium est. simile 9. *Introëuntem maritum aspero sermone accipit.*

Ibid. *Honesta haec, et nostris natalibus* etc. *congruentia?* etc.] Donatus ad 4. 1. Andr. *Ab interrogatione incipiunt qui nimis irascuntur.*

Ibid. *Tuae parentis, imo Dominae*] Hieronymus ad Gaudentiam, de filiolae institutione: *Amet*

(ma-

(matrem) *ut parentem*, *subiiciatur ut Dominae* Lactantius 4. 3. *Dominum eundem esse qui sit pater*, *etiam Iuris civilis ratio demonstrat: quis enim poterit filios educare*, *nisi habeat in eos dominii potestatem?*

Ibid. *Nec sordidis amoribus inimicam meam pollueres*] Ita et Oxoniensis Codex: praefero autem quod in editis permultis, *cruciares.* sensus est: nec non tantum (quod meministi me contendisse a te,) inimicam meam sordidis amoribus non cruciasti: verum etiam etc.

Ibid. *Per* etc. *ora populorum rumoribus conviciisque* etc. *male audire*] Infra lib. 8. *Hac infamia consternati*, *quae per ora populi facile dilapsa*, *merito invisos ac detestabiles eos cunctis effecerat*, etc.

Ibid. *Verum etiam hoc aetatis puer*, *tuis licentiosis et immaturis iungeres amplexibus*] In Apologia: *Inter scorta et pocula puer hoc aevi* etc. *agitat.* Infra lib. 9. ille: *Tu autem*, *tam mollis*, *ac tener*, *et admodum puer* etc. *aetatis flore mulieres adpetis?* etc. *et intempestivum tibi nomen adulteri vindicas?*

Ibid. *Inamabilis*] Post reliqua hoc additum pro gravissimo convicio. vide 2. 6. A. Gellium.

Ibid. *Nec me per aetatem posse concipere*] De liberis Hesiodus: Γηράσκοντας ἀτιμήσουσι τοκῆας.

Ibid. *Eique donaturum istas pinnulas et arcum* etc.] Ipsa Eadem de Eodem apud Lucianum in Deorum Dialogis: Πολλάκις ἠπείλησα, εἰ μὴ παύσηται τοιαῦτα etc. κλάσειν μὲν αὐτοῦ τὰ τόξα καὶ τὴν φάρετραν, περιαιρήσειν δὲ καὶ τὰ πτερά.

Ibid. *Et omnem meam supellectilem*, *quam tibi non ad hos usus dederam*] Ut me nempe, praeter caetera morum tuorum dedecora, telis vulnerares tuis. etiam Ovidius ad lascivientem Deum istum 3. 3. de Ponto: *Discipulo perii solus ab ipse meo. Dum damus arma tibi*, *dum te lascive docemus*, *Haec de discipulo dona magister habet.* Notetur formula loquendi, *non ad hos usus.* Ovid. Metam. 5. *Non hos adhibendus ad usus.* Virgilius: *Ensemque recludit Dardanium*, *non hos quaesitum munus in usus.* Manilius de Andromeda: *Induiturque sinus*, *non haec in vota paratos.* Porcius Latro in Catilinam: *Reminiscere*, *reminiscere ferrum illud scelestum*, *atque illas nefarias faces* etc. *non ad oppugnandam Urbem*, *neque ad eam concremandam tibi datas fuisse: sed potius ad salutem civium*, *dignitatem imperii*, *libertatisque nostrae defensionem.*

Ibid. *Quem tibi non ad hos usus dederam*] Supra lib. 2. *Gladium*, *quem* etc. *ad hos usus extuleram.*

Ibid. *Male prima pueritia instructus es*] Oxon. et plures alii MSS. *inductus es.* nec aliter antiquissimae editiones. Gellius 16. 8. *Cum in disciplinas dialecticas induci* etc. *vellemus.* l. gradatim, §. 4. in hunc modum. ff. de muner. et honor. *Eos qui primis literis pueros inducunt.* Socrates Histor. Eccles. 3. 24. Ὡς ἔθος τοῖς σοφισταῖς ποιεῖν ἐν τῇ νέων εἰσαγωγῇ. *Prima pueritia* est quam Gellius 10. 19. *primorem pueritiam* vocat.

Ibid. *Acutas manus habes*] Quaenam aut cuiusmodi sunt *acutae manus?* num *agiles?* ut *motus acutus* apud Statium: et *acuti ungues* apud Iuvenalem: an quales *immansuetas* Propertius vocat? *In me mansuetas non habet illa manus.* et alibi, *audaces manus. Neu timeam audaces in mea membra manus.* An vero *acutae manus* metonymice pro *acutis telis* quae manu spargit? Psalmista 45. 6. τὰ βέλη σου ἠκονημένα.

Ibid. *Maiores tuos irreverenter pulsasti toties*] *Crudelis mater magis*, *an puer improbus iste? Improbus iste puer*, *crudelis tu quoque mater.*

Ibid. *Et ipsam matrem tuam*, *me inquam* etc. *denudas quotidie*, *et percussisti saepius*] Seneca Octav. *Timende matri teliger saeve puer.* Venus ista de Eodem apud Moschum: Καὶ χρύσεον περὶ νῶτα φαρέτριον· ἔνδοθι δ' ἔντι Τοὶ πικροὶ κάλαμοι, τοῖς πολλάκι κ' ἐμὲ τιτρώσκει. nec non apud Lucianum: Ὑβριστής ἐστιν, ἐμὲ γοῦν αὐτοῦ τὴν μητέρα οἷα δέδρακεν! ἄρτι μὲν εἰς τὴν Ἴδην κατάγων Ἀγχίσου ἕνεκα, etc. ἄρτι δ' ἐς τὸν Λίβανον, ἐπὶ τὸ Ἀσσύριον ἐκεῖνο μειράκιον, etc. Colvius *defrudas* importune. agitur hic de *pulsatione* et *verberibus*, quibus *denudatio* praevia.

Ibid. *Me inquam* etc.] Cicero in pro Caelio: *Me ipsum: me inquam quondam pene ille decepit.*

Ibid. *Sed faxo te lusus huius poeniteat*] *At non impune feremus*, *Quaeque inhonoratae*, *non et dicemur inultae.*

Ibid. *Irrisui habita quid agam? quo me conferam?* etc. *petamne auxilium ab inimica mea Sobrietate*, *quam* etc. *saepius offendi? an rusticae* etc.?] Dido apud Virgilium: *En quid agam? rursus ne procos invisa priores Experiar?* Ariadne apud Catullum: *Nam quo me referam? quali spe perdita nitar? Idmoneas ne petam montes*, *a gurgite lato Discernens Pontum truculentum ubi dividit aequor? An patris auxilium sperem*, *quem nae ipsa reliqui?* ubi in primo versiculo pro *nam* legerim *nunc*, quomodo in Appuleio nostro: et pro *perdita*, *prodita:* infra ibidem enim, *Iustam a Divis exposcam prodita mulctam.*

Ibid. *Stellionem istum*] Glossae: Κακοῦργος, *maleficus*, *stellio.* sic enim, non, *stellionatus* legendum.

Ibid. *Nec tamen vindictae solatium tantum spernendum est*] Percommode Palat. et Florent. MSS.

MSS. *solatium undeunde spernendum.* vindictae (inquit) ex quacunque plaga flans aura recreabit me. Iuno apud Virgilium: *Quod si mea Numina non sint Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod usquam est.* ubi Servius: *Ac si diceret*, (ut hîc Venus) *etiam humilia.* In veteri locupletissimo Onomastico: *Undeunde*, ὁπόθεν οὖν. Terent. Andr. 4. *Ubi-ubi erit.* ad quae Donatus: *In prima parte vim suam tenet, in posteriore productionem: quemadmodum ut-ut, quaqua, undeunde.* De *vindictae solatio* abunde ad pag. 39. diximus.

Pag. 109. *Arcum denotet*] Oxon. *enodet*; pro qua alteram non mitto lectionem.

Ibid. *Et ipsum corpus eius acrioribus remediis coërceat*] Quod Paulo τὸ σῶμα δουλαγωγεῖν καὶ ὑπωπιάζειν.

Ibid. *Istis manibus* etc.] *Istis* δεικτικῶς. vide ad Act. Apost. 20. 34. notata.

Ibid. *Meo gremio nectarei fontis*] Hypallage, qualis 6. *Venus terrenis remediis inquisitionis abnuens.*

Ibid. *Sic effata, foras sese proripit infesta*] Iliad. 22. Ὣς φαμένη, μεγάροιο διέσσυτο μαινάδι ἴση, Παλλομένη κραδίην. De Petro Nonnus in Ioh. 20 3. Ἔμπνοος εἰσπρηθέντι ποδῶν διφήτορι ταρσῷ Ἄνθορεν ἐκ μεγάροιο. Achilles Tatius 2. Ταῦθ' ἅμα λέγουσα, ἀνεπήδησεν ἔξω.

Ibid. *Stomachata biles Vencreas*] *Foemineae ardentem curaeque iraeque coquebant.*

Ibid. *Quaesivere cur truci supercilio tantam venustatem micantium oculorum coërceret*] *Quae causa indigna serenos Foedaret vultus.* In Epistolis Philostrati: Ἄνθος ἐστὶ γυναικὸς ἡ τοῦ προσώπου γαλήνη· μὴ οὖν τραχεῖα γίνου, μηδὲ φοβερά· μηδὲ ἀποστεφάνου τὸ κάλλος, μηδὲ ἀφαιροῦ ῥόδων σεαυτὴν, ἃ ταῖς καλαῖς ὑμῖν ἐν τοῖς ὄμμασι φύεται. Ibidem: Ἐχθές σε ὀργιζομένην κατέλαβον, καὶ ἔδοξα ἄλλην βλέπειν· τούτου δὲ αἴτιον ἡ τοῦ θυμοῦ ἔκστασις, ἀκριβῶς σοι συγχέουσα τὴν τοῦ προσώπου χάριν. Iterum: Οὐ πρέπει οὐδὲ ἡλίῳ τοῦ προσώπου νεφέλην προβάλλεσθαι. τίς ἡ κατήφεια αὕτη; τίς ἡ νύξ; τί τὸ στυγνὸν σκότος τοῦτο; μειδίασον, etc. ἀπόδος ἡμῖν τὴν τῶν ὀμμάτων ἡμέραν. Aristaenetus 1. 17. Μὴ σκυθρώπαζε καλή γε οὖσα, μηδὲ τὰς ὀφρῦς ἄναγε· εἰ γὰρ φοβερὰ γένοιο, ἧττον καλὴ ἔσῃ. *Micantes oculi* heic, ut supra 2. et 3. libb. Prae *vultu tumido* mihi *vultu turbido* placeret. Pacuvius: *Caperata fronte, vultu turbido.* Infra lib. 9. *Dum Barbarus vultu turbido iratus incedit.* ad quem locum plura. Gellius 11. 7. *vultum turbatum* dixit.

Ibid. *Venustatem micantium oculorum*] Ex hoc loco Ammianus lib. 25. de Iuliano loquens: *Venustate micantium oculorum flagrans.* et bene heic *venustatem.* supra lib. 3. *Frontem tuam assidua venustate laetabit.*

Ibid. *Opportune, inquit, ardenti prorsus isti meo pectori violentiam scilicet perpetraturae venitis*] Lectionis istius, quae impune per omnes editos discurrit, sensum ego nullum perspicio. si *pectori violentiam perpetraturae* (aut, ut in quibusdam est, *perpetrare*) *veniebant*, quomodo *opportune?* nemo qui malo dando venit, tempestive adest. ut omittam loquendi modum satis absonum, *violentiam pectori perpetrare.* Tentabam sic mederi, *pectori volentia s. p. v. Volentia*, grata, iucunda, vel, quae placeant mihi. ita Sallustius apud Nonium (a quo tot locutiones desumit Noster) *volentia plebi facturus.* et bene huic sensui subsequentia congruunt. At (inquies) quis sic usus *perpetrandi* verbo? Noster supra hoc libro: *Quo protinus perpetrato* etc. et Scriptor significantissimae Latinitatis Aulus Gellius: qui *pacificationem perpetrare* (id est, *facere*) 7. 11. dixit. Festus: *Perpetrat, peragit, perficit*, etc.

Ibid. *Nec enim vos* etc. *famosa fabula* etc. *latuerit*] Q. d. *Omnibus in triviis vulgatur fabula passim.*

Ibid. *Domus meae famosa fabula*] Plautus: *Me miserum famosum facit flagitiis suis.* Gloss. Κακόφημος, *famosus.* Κακοφημία, *famositas.* et in alio: *Famosus*, ἄτιμος.

Ibid. *Et non dicendi filii mei* etc.] Ob mores depravatos. Glossarium: Ἄφατος, ὁ μὴ λεκτὸς, *nefandus.* et, Ἄλεκτος, *infimus, indicendus.* frustra ergo exquisitissimae doctrinae Vir P. Faber *dicenda* reponebat. Senex Terentianus: *Ego te meum dici tantisper volo, Dum quod te dignum est facis.* Scriptor Maccabaicorum: Τοῦ ἀσεβοῦς, καὶ οὐκ ἀρχιερέως Ἰάσονος. supra hoc ipso libro: *Illas scelestas foeminas, quas tibi post internecinum odium, et calcata sanguinis foedera, sorores appellare non licet.*

Ibid. *Tunc illae, ignarae quae gesta sunt*, etc.] Infra lib. 9. *Maritus ignarus rerum* etc. *hospitium repetit.* loci tamen qui prae manibus sententiae magis congruit *gnarae*, vel *non ignarae:* quod et video Beroaldum monuisse. Firmatur lectio talis ab his supra, *Utcunque casus eius non inscius*, etc.

Ibid. *Palpare Veneris iram* etc.] Lib. 8. *Verbis palpantibus stimulum doloris obtundere.* Onomast. vetus: *Palpum*, θωπεία.

Ibid. *Quid tale Domina deliquit tuus filius, ut* etc.?] Servius ad Aeneid. 10. *Quaeritur quid tantum iste commiserat, ut sic Aeneas saeviret.*

Ibid. *Animo pervicaci*] Ita melius quam *pertinaci.* In veteri Tragoedia; *Sed pervico Aiax animo et indomabili.*

Ibid. *Quod autem damus illi crimen, si puellae lepidae libenter arrisit?*] Martialis: *Quod (rogo,) quod scelus est mollem spectare ministrum?* Apud Quintilianum Declam. 260. *Quid est*

est igitur? amavit ille meretricem, et intra concessos adolescentiae lusus (licet aliud parentibus videatur) Naturâ tamen datos, forsitan minus tenuerit cupiditatum fraenos? etc. *Et quomodo crimen istud hoc tempore est? Puellae lepidae* heic, ut 6. de Eadem: *Amoris uxori, puellae lepidae periclitanti* etc. *Alicui crimen dare*, ut infra lib. 7. *Culpam manus suae mentiens bestiae dabat.*

Ibid. *An ignoras eum masculum et iuvenem esse?*] Apud Terentium ille: *Male iudicas: Non est flagitium mihi crede adolescentulum Scortari.* Alius apud Plautum: *Meo filio non sum iratus: Neque te tuo est aequum esse iratum: si amant, sapienter faciunt.* In Senecae Controversiis 2. 4. *Amat meretricem? solet fieri, adolescens est.*

Ibid. *Vel certe iam quot sit annorum oblita es?*] Lucianus de puero isto: Ἀρχαιότερος τοῦ Ἰαπετοῦ. ergo optime in praecedentibus *et iuvenem* Florentinus nescit.

Ibid. *An, quod aetatem portat bellule, puer tibi semper videtur?*] Iupiter ad Eundem eodem Luciani loco: Διότι μὴ πώγωνα μηδὲ πολιὰς ἔφυσας, διὰ ταῦτα καὶ βρέφος ἀξιοῖς νομίζεσθαι.

Ibid. *Filii tui lusus semper explorabis curiose?*] *Indulge veniam puero.*

Ibid. *Et tuas artes* etc. *in f. filio reprehendes?*] Maximian. *Quis suam in alterius condemnet crimine vitam?* vide quae in hanc mentem ad Rom. 2. 2. vir maximus H. Grotius.

Ibid. *Passim cupidines populis disseminantem*] Zeno Veronensis de Impudicitia loquens: *Dis currit* etc *per populos.*

Ibid. *Et vitiorum muliebrium publicam praecludas officinam?*] Haec est communis lectio, sed ineptissima. scribe, *recludas officinam:* expende praecedentia.

Ibid. *Sic illae, metu sagittarum, patrocinio gratioso Cupidini* etc. *blandiebantur*] Supra heic: *Sed mitis fluvius, in honorem Dei scilicet, qui et ipsas aquas urere consuevit, metuens sibi, confestim eam innoxio volumine super ripam* etc. *exposuit.*

Ibid. *Venus indignatâ ridicule tractari suas iniurias* etc. *concito gradu pelago viam capessit*]. *Multa gemens, et se pelago Dea condidit alto. Vertit se, et indignans abiit:* ut 4. Reg. 5. 13. Naämanus. Aelianus Var. 12. 57. de Menecrate: Ἐξαναστὰς ἀπιὼν ᾤχετο, καὶ ἔλεγεν ὑβρίσθαι. *ridicule tractari* etc. est, *ridiculos in suas iniurias iocos construi*, ut infra lib. 8. locutus. sic alibi eodem libro, *ridicule laudare.*

Ibid. *Pelago viam capessit*] Lib. 9. *Retro qua veneramus, viam capessit.*

LIBER SEXTUS.

Pag. 110. *Mariti vestigationibus inquieta*] Virgilius: *Vestigatque virum.* Servius: *Inquirit: translatio a canibus.*

Ibid. *Uxoriis blanditiis lenire*] Seneca Octav. *Tu modo blando vince obsequio Pacata virum.* Interpres vetus Iudic. 14. 15. *Blandire viro tuo.* vide et ibidem 19. 3. Supra hîc lib. 5. in eodem argum. isto: *Adolescentulum delicatum blandis obsequiis promerere.* Bene et *lenire:* sic, *foeminea lenitate ad veritatis humanitatisque viam maritum reducere*, Lib. 14. Ammian. Marcellinus. cui simile φιλανδρίᾳ σώφρονι (βιαστικῷ καὶ δικαίῳ φαρμάκῳ) τὸν γήμαντα ἐπάγεσθαι, Paedag. 3. 11. apud Clementem Alexandrinum.

Ibid. *Certe servilibus precibus* etc.] Id est, *saltem s. p.* cupida uxoriis blanditiis maritum lenire, saltem servilibus p. p. Meursius *certa*, minus recte reponebat.

Ibid. *Prospecto Templo*] Cereris nempe. Aen. 2. *Est urbe egressis tumulus, templumque vetustum Desertae Cereris.*

Ibid. *Unde autem scio?* etc.] Supra lib. 1. *Unde autem (inquit) scio an?* etc. Infra lib. 9. *Unde autem tu stultule asine* etc. *scire potuisti?* etc. et 10. *Unde enim scio an?* etc. Quintilianus Declam. 321. *Et unde scio an exhausta potione statim concidat?* Arnobius lib. 6. *Et unde novissime scitis an simulachra haec?* etc. Seneca Epist. 17. *Unde enim scis an iam nimis habes?* Ita et Latinus Interpres 1. Cor. 7. 16. et Augustinus Confessionum 10. 18. et 37.

Ibid. *Dirigit citatum gradum*] Lib. 9. *Rapidum dirigit gressum:* et 7. *Dirigit gressum ad suam patriam.*

Ibid. *Quem defectum prorsus assiduis laboribus spes incitabat et votum*] Hieronymus in vita Pauli de Antonio: *Neque vero gressus sequebantur animum, sed quamvis corpus inane ieiuniis seniles etiam anni fregerant, tamen animo vincebat aetatem.* Symeon Metaphrastes de Ioanne Euangelista: Ἐπιβὰς (ἵππου) ἤλαυνεν ὅλαις ἡνίαις, τὸ τοῦ ἵππου τάχος πρὸς τὴν αὐτοῦ σπουδὴν ἧττον εἶναι οἰόμενος. Pro *defectum assiduis laboribus*, malim *defessum* scribi. infra heic: *In tantis exantlatis laboribus defessam.* nisi ex isto ille locus corrigendus.

Ibid. *Flexiles in corona*] Ita excudi debuit, ut et in Oxon. legitur, non *flexibiles.* at fortasse non *flexibiles* sed *plectiles* scribendum. sic *plectilem corollam* Plautus Bacchid. dixit. Onomasticon vetus: *Plectilis*, πλεκτὸς.

Ibid. *Et operae messoriae mundis omnis: sed cuncta passim iacentia, et incuria confusa*] *Dispersae iacebant Sarculaque, rastrique, graves, longique ligones.* Scholiastes ad Nubes Aristophanis: Ὁ αὐτῶν (ἀγροίκων) οἶκος πυρῶν καὶ δερμάτων μεστὸς ὢν, οὐδεμίαν ἔχει etc. εὐθεσίαν, ἀλλ' ἄλλο ἀλλαχῆ κεῖται, ὡς ἔτυχε.

Ibid. *Aestu, laborantium manibus proiecta*] Virgilius: *Rapido fessis messoribus aestu.* Claudianus: *Et cum se rapido forsan proiecerit aestu.*

Pag. 111. *Rata scilicet nullius Dei fana et cerimonias negligere se debere*] Propertius: *Nullas illa suis contemnet fletibus aras.* Iolaus apud Euripidem: Ποῖ τρεψόμεθα; τίς γὰρ ἄστεπτος θεῶν; Ποῖον δὲ γαίας ἕρκος οὐκ ἀφίγμεθα.

Ibid. *Tuum vestigium* etc. *requirit*] Plaut. Cistell. *Vestigium heic requiro, Qua aufugit quaedam nescio quo mihi.*

Ibid. *Teque ad extremum supplicium expetit*] Catullus: *Supplicium scaevis exposcens anxia factis.*

Ibid. *Es totis* etc. *viribus* etc.] Ita saepe Appuleius. vide quae olim ad Apolog. pag. 156. [514. Ed. Flor.] notata.

Ibid. *Uberi fletu rigans Deae vestigia*] Arnobius: *Spirantia haec signa quorum plantas et genua contingitis.*

Ibid. *Humumque verrens crinibus suis*] Claudianus: *Numinibus votisque vacas, et supplice crine Verris humum.* Arnobius 1. *Cum Deorum ante ora prostrati, limina ipsa osculis everterent.*

Ibid. *Per tacita sacra cistarum*] Melius in Fuxensi et aliis, *secreta.* sic *tacitum* (i. *tacendum*) *secretum* infra lib. 10.

Ibid. *Demeacula*, etc. *remeacula*] Lib. 10. *Candidum quod coelo demeat, coerulum quod mari remeat.* Onomast. vetus: *Demeaculum*, κατωπορεία.

Ibid. *Miserandae Psyches animae* etc. *subsiste*] *Miserere laborum Tantorum, miserere animae non digna ferentis.*

Ibid. *Inter istam spicarum congeriem patere* etc. *delitescam*] Plutarchus in Amator. narrat. Ἀπέκρυψαν αὐτὴν οἱ γεωργοὶ ἐν τῷ σίτῳ, καὶ οὕτω παρῆξαν μὲν οἱ διώκοντες.

Ibid. *Quoad tantae Deae saeviens ira spatio temporis mitigetur*] Τὸ *temporis* exturbandum dixerim e loco nullo iure occupato. Seneca 3. 39. de Ira: *Primam iram non audebimus oratione mulcere*, etc. *dabimus illi spatium*, etc. Claudianus: *Spatio debilitatur amor.* Infra hic lib. 9. *Nec saltem spatio* etc. *pecuniae cupido leniebatur.* et ibidem: *Quoad spatio fervens mariti sedaretur animus.* ad quem locum notata vide.

Ibid. *Cum qua etiam antiquum foedus amicitiae colo*] Lib. 4. *Qui ius amicitiae summum cum illo Demochare colebat.* Oxon. *auctum foedus*: haud bene. Servius ad Aeneid. 11. *Firmiores sunt antiquiores amicitiae.*

Ibid. *Bonae praeterea foeminae malam gratiam subire nequeo*] *Bona foemina*, ut apud Ciceronem Philipp. 3. *Tuae uxoris, bonae foeminae* etc. et Ennium: *Tarquini corpus bona foemina lavit et unxit.* *Mala gratia*, ut apud Catonem: *Utrubi bona, utrubi mala gratia capiatur* etc. et Senecam Controvers. 1. 5. *Volo tibi malam gratiam cum sponso tuo facere.*

Ibid. *Optimi consule*] Lib. 8. *Boni* etc. *et optimi consules* etc.

Ibid. *Discede itaque istis aedibus*] Oxon. *D. istis pedibus.* supra: *Psyche pedes eius advoluta* etc. *Istis* δεικτικῶς dixit.

Ibid. *Inter subsitae convallis sublucidum lucum prospicit fanum*] Apposita Glossarii illa: Ἱερὸν ἐν ἄλσει, *fanum.* Ovidius Metamorph. 7. *Templa Deûm Matri, quae quondam clarus Echion Fecerat ex voto nemorosis abdita sylvis.* Ait *sublucidum lucum.* Glossarium: Ὑποσκοτεινὸς, *obscurus, subluculus.* crediderim, ut in Appuleio nostro, *sublucidum* reponendum. *Convallis subsita* est fere qualem Virgilius *depressam* vocavit. Hesychius: Καθήμενον, τὸ κοῖλον καὶ ὁμαλὸν χωρίον, καὶ πεδίον. at in Bertin. MS. *subditae* exaratur. sic *vallem subditam* 4. ipso fine habemus.

Ibid. *Sed adire cuiuscunque Dei veniam*] Ita *Deos prece adire* apud Propertium. Virgil. *Principio delubra adeunt.* ubi Servius: *Adeunt proprie dixit: ad maiores enim qui accedit, adit.* Terent. 2. 1. Phorm. *Sed quid cessas hominem adire?* Donatus: *Bene* adire, *quasi terribilem.*

Ibid. *Foribus*] Glossae: Θύραι ἱεροῦ, *fores*, *singulare non habet.*

Ibid. *Videt dona speciosa*] Servius ad Aeneid. 3. *Sciendum inter sacratas res etiam dona esse.* complures MSS. habent *pretiosa.* Lactantius 6. 25. *Etiam apud istos qui nullo modo rationem divinitatis intelligunt, donum est quicquid auro argentóve fabricatur: item quicquid purpura et serico texitur.*

Ibid. *Postibusque suffixas*] Ibidem Servius: *Figi dona dicuntur.*

Ibid. *Quae cum gratia facti* etc.] Iustinus lib. 24. de templo Delphico: *Multa ibi opulenta Regum populorumque visuntur munera: quaeque magnificentia sui reddentium vota gratam voluntatem* etc. *manifestant.* Ovid. Amor. 2. ad Isidem: *Ipse feram ante tuos munera tota pedes. Adiiciam titulum:* SERVATA NASO CORINNA. Virgilius: *Aere cavo clypeum magni gestamen Abantis Postibus adversis figo, et rem carmine signo.*

Ibid. *Manibus aram* etc. *amplexa*] Scholiastes Sophoclis ad Oedip. Colon. Προστάτης, ὁ ἱκέτης· ὁ προσεστηκὼς τῷ βωμῷ. Servius ad Ae-

Aeneid. 4. ex Varrone: *Aras Veteres ansas dicebant* etc. *necesse enim erat a sacrificantibus teneri: quod ni fieret, Diis sacrificatio grata non esset.* et ad 6. *Rogabant Deos, ararum ansas tenentes.*

Ibid. *Detersis ante lacrymis*] Suidas in ἀπεμορξάμην· Παρέπεται τοῖς δάκρυσιν, ἀπομάττεσθαι.

Ibid. *Detersis ante lacrymis, sic apprecatur*] Lib. 11. *Deam lacrymoso vultu sic apprecabar.*

Ibid. *Inclytis Argivorum praesides moenibus*] Non sunt in Oxon. Codice.

Ibid. *Sis meis extremis casibus Iuno sospita*] Sic ad Lunam 11. *Meis iam nunc extremis aerumnis subsiste.* et infra heic: *Vos Superi* etc. Pro *sis* heic malim *adsis.* Luna citato libri 11. loco: *Adsum tuis commota Luci precibus.*

Ibid. *Quod sciam* etc.] Casaub. ad oram libri sui: *A ce que j'entends.* nos paulo aliter accipimus. vide supra ad L. II. p. 33. notata.

Ibid. *Cum tota sui Numinis augusta dignitate*] σὺν πάσῃ μεγαλειότητι αὐτῆς: Act. 19. 27. Virgilius 8. de Aenea: *Tanto laetus honore.* Servius: *Quod manifeste viderat matrem, et plenam Numinis sui.*

Ibid. *Quam vellem (inquit) Psyche nutum meum* etc. *accommodare!*] Reponamus ex Florent. Palat. et Oxon. MSS. *Q. v. i. per fidem nutum meum* etc. Supra lib. 3. *Quam vellem (parens) iussis tuis obsequium commodare, si per fidem liceret!*

Ibid. *Nutum meum precibus tuis accommodare!*] Melius *commodare:* sic infra 10. *Verbis nutum commodare.*

Ibid. *Nurus meae, quam filiae loco semper dilexi*] De socru sua apud Aristaenetum 2. 8. ille: Αὕτη με κηδεστὴν ἐξ εὐνοίας παῖδα καλεῖ.

Ibid. *Tum etiam legibus quae servos alienos profugos* etc. *vetant suscipi*] Corippus Africanus: *Profugis damus ostia servis? Legibus hoc nostris non convenit.*

Pag. 113. *Indipisci*] Infra 9. *Vestigium adulteri posse se indipisci.* Excerpt. e Gloss. vet. *Indipisci*, ἐπιτυχεῖν.

Ibid. *Iam quae possunt alia meis aerumnis tentari subsidia* etc.?] Aen. 12. *Iam quid ego? aut quae iam spondet fortuna salutem?*

Ibid. *Cui nec Dearum quidem* etc. *potuere suffragia prodesse?*] Concepta ex Virgilii hisce: *Heu quae nunc tellus, (inquit) quae me aequora possunt Accipere? aut quid iam misero mihi denique restat? Cui neque apud Danaos usquam locus.*

Ibid. *Cui nec Dearum quidem, quanquam volentium*, etc.] Inscriptio vetus Hispaniensis: *Nec Hercules, quem Gades colunt: nec Bellona, quam Camertes adorant: nec Dii omnes Romani eripere me a morte potuere.*

Ibid. *Quo rursum* etc. *tantis laqueis inclusa vestigium porrigam?*] Vetus Tragicus apud Ciceronem 3. de Orat. *Quo nunc me vortam? quod iter incipiam ingredi?* apud Eundem Tuscul. 3. *Quid petam praesidii, aut exequar? quove nunc auxilio aut fuga Freta sim? Quo accedam? quo applicem?* Prae illis *quo rursum*, placet *quorsum* a Mercero substitutum. infra hîc: *Quorsum istam festinanti vestigio lucubratis viam?*

Ibid. *Quibusque tectis, vel etiam tenebris abscondita, magnae Veneris inevitabiles oculos effugiam?*] Terent. 1. 4. Phorm. *Quod eius remedium inveniam iracundiae?* ubi Donatus: *Plus est quam si diceret, nullum.* Psalmista 138. 7. *Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?* et post: *Et dixi, forsan tenebrae conculcabunt me, et nox illuminatio mea*, etc. *Quia tenebrae non obscurabuntur a Te, et nox sicut dies illuminabitur.* Theodoretus Serm. 8. περὶ προνοίας· Οὐκ ἐπέχουσιν ἐκεῖνον τὸν ὀφθαλμὸν ἃ βούλεται θεωρεῖν, ὄροφοι, καὶ τοῖχος, καὶ θύραι κεκλεισμέναι· οὐδὲ τῆς νυκτὸς τὸ ζοφῶδες ἐμπόδιον τῇ θεωρίᾳ γίνεται. Minucius in Octavio: *Tenebris interest, interest cogitationibus nostris.*

Ibid. *Quin igitur masculum sumis animum?*] Catullus: *Quin tu animum affirmas?* Ovidius: *Quin animum firmas, teque ipsa recolligis?* infra hoc libro: *Quin igitur masculum tandem sumis animum?*

Ibid. *Et ultroneam te Dominae tuae reddis?*] Ad Bessum Cobares apud Curtium lib. 7. *Quin* etc. *occupas gratiam, dedisque te? utcunque cesserit, meliorem fortunam deditus quam victus habiturus.*

Ibid. *Et vel sera modestia saevientes eius impetus mitigas?*] Petronius: *Saevi quoque implacabilesque Domini crudelitatem impediunt suam. si quando poenitentia fugitivos reduxit: et dediticiis hostibus parcimus.*

Ibid. *Principium futurae secum meditabatur defensionis*] Apud Terentium ille: *Quam ego nunc totus displiceo mihi! Quam pudet! neque quod principium incipiam ad placandum scio.* adde quae ad Luc. 15. 18. adnotavimus.

Ibid. *Currum quem ei Vulcanus subtili fabrica studiose poliverat*] Aeneid. 12. *Ensem, quem Dauno ignipotens Deus ipse parenti Fecerat.* ubi Servius: *Ac si diceret: non per ministros.* Oxoniensis hîc, et plures alii MSS. *Quem ei Vulcanus aurifex.* et nota, *studiose poliverat.* Virgil. scutum describens, de eodem artifice: *Et lapsa ancilia coelo Extuderat.* ubi Servius: *Extuderat, studiose fecerat.*

Ibid. *Ante thalami rudimentum*] Lib. 7. *Post* etc. *rudimenta Veneris.* et 9. *Amori rudi litabant.*

Ibid. *Limae tenuantis detrimento conspicuum*]

 Id

Id est, eo vel nomine pluris aestimandum. Plinius 33. 11. *Iam vero et mensas repositoriis imponimus, et ad sustinenda obsonia interradimus latera: et interest quamplurimum lima perdiderit.* Glossarium: *Detrimentum*, *ἀπότριμμα.* quod in vet. Onomastico: *Retrimentum*, *διάτριμμα.* et ibidem: *Rasamentum*, *ῥίνημα.* bene et *limae tenuantis.* Scholiastes vetus Horatii ad Epist. 1. 14. *Limat*, *attenuat*, *diminuit.*

Ibid. *Ipsius auri*] Ovidius de Solis curru: *Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae Curvatura rotae.*

Ibid. *Stabulant*] In eodem veteri Onomastico: *Stabulo*, *αὐλίζομαι.*

Ibid. *Picta colla torquentes*] Male ad Propertium Passeratius *torquatae* scribit. supra lib. 2. *Cervicem intorsit.* quo loco adnotata consule. De pictis collis columbarum vide et supra ad L. I. p. 26. notata.

Ibid. *Iugum gemmeum subeunt*] *Quatuor Dea magna columbas Curribus admovit, frenisque coërcuit ora: Et medium coeli terraeque per aëra vecta est.*

Ibid. *Susceptaque Domina laetae subvolant*] Ovidius Metamorph. 7. de Eadem ista: *Perque leves auras iunctis invecta quadrigis, Litus adit Laurens.*

Ibid. *Et caeterae quae dulce cantitant aves melleis modulis suave resonantes, adventum Deae pronunciant*] Lib. 11. de hac Dea ipsa: *Ut canorae etiam aviculae* etc. *concentus suaves adsonarent: matrem siderium, parentem temporum, orbisque totius Dominam blando mulcentes adfamine.*

Ibid. *Melleis modulis*] Supra lib. 5. *Mellita cantus dulcedine.*

Ibid. *Cedunt nubes, et coelum panditur*] Malebam *discedunt nubes.* Virgilius: *Video medium discedere coelum.* at *cedere* forsan pro *discedere:* ut *cernere* pro *decernere* apud Virgilium eundem. Bene autem post nubium discessionem ait coelum pandi. Virgil. Georg. 3. *Quem super ingens Porta tonat coeli.* Servius: *Aër nubibus plenus, per quem iter in coelum est.*

Ibid. *Aether cum gaudio suscepit Deam*] Claudianus: *Quam laetus post bella Iovem susceperit aether*, etc. *cum gaudio* hic, ut infra: *Acceptam cum gaudio plenam urnulam* etc. *retulit. Summum aethera* autem dixit exemplo Virgilii, qui proprium et perpetuum id aetheri epitheton dedit, ut docet nos Servius Fuldens. ad Aeneid 1.

Ibid. *Obvias aquilas*] Obvia quidem lectionis istius mens est: non inscite tamen *κατὰ μετωνυμίαν obuncas* scribas. Florid. 1. de Aquila: *vel unguibus obuncet.*

Pag. 114. *Magnae Veneris canora familia*] Catullus: *Et canoras non tacere Dione iussit alites.*

Ibid. *Nec renuit Iovis caerulum supercilium*] *Annuit invicto coelestum numine rector.* Aeneid. 1. *Coeli quibus annuis arcem.* Servius: *Nutu semper promittit aliquid Iupiter.* Et quia prae manibus *renuendi* vox, adducamus Taciti locum. Annal. 15. habet haec de Fenio Rufo: *Subrio Flavio adsistenti, annuentique an inter ipsam cognitionem destringeret gladium, caedemque Neronis patraret, retinuit, infregitque impetum.* quo loco optime Faërnus *renuit*, *infregitque impetum.* Gloss. *Renuit*, *ἀνανεύει.*

Ibid. *Ovans* etc.] Id est, *inovante gradu*, ut infra 11. loquitur.

Ibid. *Frater Arcas*] Ita et Oxon. MS.

Ibid. *Et simul dicens*] Sic editi, sic MS. ille. audebam tamen praeferre, *Haec simul dicens.* lib. 2. *Haec simul dicens, insceso grabatulo* etc. et post: *Haec simul dicens, respexit ancillam.* Macrob. 2. 14. Saturnal. *Simul haec dicens, amygdalam de lance tulit.* Graeci (a quibus Latini) *ἅμα λέγων ταῦτα.*

Ibid. *A fuga retrahere* etc.] *Retrahere* proprie de *fugitivis* dictum: quo Terentius respiciens, *argentum fugitivum retrahere* Heautont. 4. 2. dixit.

Ibid. *Savia*] Servius ad Aeneid. 1. *Osculum religionis est, suavium voluptatis.*

Ibid. *Et unum blandientis appulsu linguae longe mellitum*] Ovidius: *Osculaque inserüit cupida luctantia lingua.* Idem: *Improba tum vero iungentes oscula vidi. Illa mihi lingua nexa fuisse liquet.* Et post: *Quod tota labellis Lingua tua est nostris, nostra recepta tuis.* vide Pollucem 2. 4. Hesychium et Suidam in *καταγλωττίζειν*, et *κατεγλωττισμένον*: et hoc loco Elmenhorstium. *Appulsum linguae*, ut supra lib. 5. *appulsu palmulae.*

Ibid. *Iamque fores eius Dominae proximanti* etc.] *τὸ eius* exturbandum videtur.

Ibid. *De famulatione Veneris*] Onomasticon vetus: *Famulatio*, *θεραπεία.*

Pag. 115. *Tandem ancilla nequissima Dominam habere te scire coepisti?*] Agrippa Rex apud Philonem: *Κἀγώ τις εἰμι τῶν εἰδότων ὅτι δεσπότην ἔχω καὶ Κύριον.* Ad sensum loci allegoricum D. Petrus: *Ὧι τις ἥττηται, τούτῳ καὶ δεδούλωται.*

Ibid. *Quod meas potissimum manus incidisti*] Sic *εἰς χεῖρας ἐμπίπτειν.* Hebr. 10. 31. et in Historia Susannae com. 23.

Ibid. *Inter Orci cancros iam ipsos inhaesisti*] *In Proserpinae peculio, et familia Orci iam potes numerari:* ut supra lib. 3. locutus. In Glossis Isidori: *Cancer*, *forceps.*

Ibid. *Audaciter in capillos eius immissa manu*] Infra heic: *His editis, involat in eam* etc. *capilloque discisso* etc. In Eunucho Terentii: *Vix me contineo quin involem in capillum.* ubi Do-

Donatus: *Minae sunt istae foeminarum, in se et in alios unguibus saevientium.* Aristaenetus 2. 7. Ζηλοτυποῦσα τὴν παιδίσκην, τῆς κόμης ἐξεῖλκεν. Propertius 3. 7. *Tu vero nostros audax invade capillos.* Idem 3. 16. *Neu timeam audaces in mea membra manus.*

Ibid. *Trahebat eam*] Ad Venerem nempe. Aeneid. 2. *Manus iuvenem interea post terga revinctum Pastores magno ad Regem clamore trahebant.* Servius: *Cum festinatione adducebant.* vide ad Act. 8. 3. adnotata.

Ibid. *Nequaquam renitentem*] Vide supra pag. 135. dicta.

Ibid. *Latissimum cachinnum extollit, et qualem solent furenter irati*] Mamertinus in Panaegyrico: *Quis nescit aliorum Imperatorum hilarem diritatem cachinnantemque saevitiam?* γέλωτι ὑβριστικῶς χαίρειν dixit Xenophon παιδ. 8. Petronius: *Invenit me cum fratre ludentem: risu itaque plausuque cellam implevit*, etc. *nec se solum intra verba continuit: sed lorum de perâ solvit, et me coepit non perfunctorie verberare.* Oxon. heic, *frequenter irati.* melior vulgata lectio. Cicero 1. 15. ad Atticum: *Eum pueri aiunt furenter irasci.*

Ibid. *Caputque quatiens*] Homerus: Κίνησε κάρα, κακὰ βυσσοδομεύων. Petronius: *Iratum caput commovens.*

Ibid. *Et scalpens aurem* etc.] Heliodorus 2. Τὴν παρειὰν ὑπὸ τὸ οὖς ἐπικνῶσα, etc.

Ibid. *Sed esto secura*] Amare, ut 8. *Quiesce secure.*

Ibid. *Excipiam te ut bonam nurum condecet*] Apud Terent. Adelph. *Ego te exercebo hodie ut dignus es, silicernium.* Lucianus Lapith. Αὔριον ἀμυνοῦμαι ὑμᾶς ὅν τινα καὶ χρὴ τρόπον. Apud Petronium illa: *Si quis Deus manibus meis Gytona imponeret, quam bene exulem exciperem!*

Ibid. *Ut bonam nurum condecet*] Terent. Hecyra 2. 1. *Uno animo omnes socrus oderunt nurus.* Donatus ad eiusdem Fabulae 4. 3. *Sententiose dixit, tunc congruere et concordare inter se mulieres posse, cum et illa esse desierit socrus, et illa nurus: haec enim inter illas est discordiosa coniunctio.*

Ibid. *Ubi sunt Sollicitudo atque Tristities, ancillae meae?*] Supra lib. 4. *In voluptatem veneream convenire, tristitie animi, languore corporis, damnisque caeteris delassatum iri praedicant.* Lucretius: *Primum Veneris dulcedinis in cor Stillavit gutta, et successit frigida cura.* In versu Graeco: Ὡς πολλὰ διὰ τὰς ἡδονὰς λυποῦμεθα!

Ibid. *Tormentis excruciatam*] Lib. 7. *Tormentis vexatum pluribus, et pene ad ultimam mortem excarnificatum.*

Ibid. *Et ecce (inquit) turgidi ventris sui lenocinio commovet miserationem*] Quasi diceret: cum vel ex hoc ipso iustior mihi excandescendi ratio. Iuno ad Calisthum apud Ovid. 2. Metamorph. *Scilicet hoc etiam restabat (adultera) dixit, Ut foecunda fores, fieretque iniuria partu Nota, Iovisque mei testatum dedecus esset.*

Ibid. *Unde me praeclara sobole aviam beatam scilicet faciat*] Virgilius: *Et pulchra faciat te prole parentem.*

Ibid. *In ipso aetatis meae flore* etc.] Virgil. Eclog. 10. *Heic ipso tecum consumerer aevo.* Servius: *Ipso flore aetatis.* Idem ad 4. Aeneid. *Sciendum inter homines et herbas esse reciprocam translationem: sic enim pubentem herbam dicimus, quemadmodum, florem aetatis.*

Ibid. *Et vilis ancillae filius nepos Veneris audiet*] Indignanter. Tacitus Annal. 13. ubi de Nerone amore Actes incapistrato: *Sed Agrippina libertam aemulam, nurum ancillam* etc. *muliebriter fremere.* et nota hîc, non, *meus nepos*, sed *Veneris:* quod iratae congruum magis. apud Virgilium Iuno stomachabunda: *Ubi heic Iuno?* ad quae Servius: *Melius, quam si* EGO *dixisset.*

Ibid. *Et patre non consentiente factae*] Donatus ad Terentii Andriam: *Summa nuptiarum potestas in patre puellae est.* et ad 1. 2. Phorm. *Filius familiae non tam ducit uxorem quam a patre accipit.* Aeneid. 11. *Alma tibi hanc nemorum cultrix Latonia virgo Ipse pater famulam voveo.* ubi Servius: *Bene ipse pater, quia auctoramenti potestatem nisi patres non habent.* Tacitus 13. Annali: *Sed ubi mulier vacua fuit, nectere moras, adversam patris voluntatem causari.*

Ibid. *Legitimae non possunt videri*] Hero apud Musaeum: Ἄμφοδον οὐ δυνάμεσθα γάμοις ὁσίοισι πελάσσαι, Οὐ γὰρ ἐμοῖς τοκέεσσιν ἐπεύαδεν. Evaristus ad Africanos Episcopos: *Aliter legitimum non sit coniugium, nisi ab his qui super ipsam foeminam dominationem habere videntur.* Vide quae ad Matth. 28. 30. illustr. H. Grotius.

Ibid. *His editis, involat in eam*, etc. *capilloque discisso* etc. *graviter affligit*] Ovidius ubi supra: *Dixit, et arreptam prensis a fronte capillis Stravit humi.* Chrysostomus Homil. 15. in Epist. ad Ephes. Εἰς τοσοῦτό τινες (Dominae) ἀτοπίας ἥκουσιν, ὡς ἀποκαλύπτειν τὴν κεφαλὴν, καὶ ἀπὸ τριχῶν σύρειν τὰς θεραπαινίδας. Oxon. et alii MSS. *involat eam.*

Pag. 116. *Et capite conquassato*] In Apologetico: *Fronte et occipitio conquassatus.*

Ibid. *Et accepto frumento, et hordeo, et milio, et papavere, et cicere, et lente, et faba, commixtisque acervatim* etc.] Philo in de Ling. confus. Μίξις σωμάτων διαφερόντων ἐστὶν οὐκ ἐν κόσμῳ παράθεσις· ὥσπερ ἂν εἴ τις σωρὸν ποιήσειε κριθὰς καὶ πυροὺς, καὶ ὀρόβους, καὶ ἄλλα τὰ εἴδε τῶν σπαρτῶν, εἰς ταυτὸν εἰσενεγκὼν, etc.

Ibid. *Videris (inquit) mihi tam deformis ancilla, nullo alio, sed tantum sedulo ministerio amatores tuos promereri*] Lucretius: *Nec divinitus interdum Venerisque sagittis, Deterior fit nunc uti forma foemina ametur: Nam facit ipsa suis interdum foemina factis, Ut facile insuescat vir secum degere vitam.*

Ibid. *Sedulo ministerio*] Lib. 2. *Ob sedulum istud ministerium.* lib. 7. *Sedulum colendi frequentabam ministerium.* ibidem: *Sedulum* etc. *obibam culturae sacrorum obsequium.* et 5. *Tibi sedulo praeministrabimus.*

Ibid. *Discerne seminum istorum passivam congeriem*] Theodoretus Serm. 9. περὶ Προνοίας· Κ'ἂν ἀναμίξαι θελήσῃς κέγχρον καὶ φακὸν, καὶ πυροὺς, καὶ κριθὰς, πάλιν αὐτὰ διακρίνεις εὐμαρῶς, ὥσπερ ἐθέλοις. Glossae: Διαχωρίζω, *discrimino, discerno*, etc.

Ibid. *Nec Psyche manus admolitur inconditae illi et inextricabili moli*] Panaegyristes ad Constantinum: *Non est ratio conandi, cum non est spes ulla complendi.* Quintilianus 6. Declam. *Labori incumbere oportet ubi effectus promittitur: stulta cura est quae spem non habet.*

Ibid. *Manus admolitur*] Onomast. vetus: *Admolior*, ἐπιχειρῶ. *manus admoliri* supra etiam 1. dixit.

Ibid. *Immanitate praecepti consternata silens obstupescit*] Seneca Natural. quaest. 3. 27. *In extrema perductis hoc unum solatium est, quod transit in stuporem metus: non vacat timere mirantibus.*

Ibid. *Silens obstupescit*] Virgil. 11. *Obstupuere silentes.*

Ibid. *Difficultatis tantae* etc.] Laborantem a prava distinctione locum sic emenda: *Difficultatis tantae, laborisque miserta contubernalis magni Dei, socrusque saevitiam execrata*, etc.

Ibid. *Terrae omniparentis agiles alumnae*] Virgilius: *Terrae omniparentis alumnum.* etiam Artemidorus Oneirocrit. 1. 26. et 3. 6. formicas τῆς γῆς παῖδας vocavit.

Ibid. *Puellae lepidae* etc.] Venustae, speciosae. Gloss. *Lepidus*, etc. χαρίεις, ὡραῖος. supra lib. 5. *Si puellae lepidae libenter adriserit.*

Ibid. *Contubernalis magni Dei*] Lib. 5. de Eodem: *Precibusque potius Deorum maximum percole.*

Ibid. *Ruunt aliae, superque aliae sepedum populorum undae*] Apollonius Argonaut. 4. itidem de formicis: Ἄπληκτον μεμάασιν ἐπήτριμοι. Hesychius: Ἐπήτριμα, ἄλλα ἐπ' ἄλλοις, πυκνά. bene et *ruunt.* Servius ad Aen. 4. *Ruunt, cum impetu festinant.* Idem ad Aen. 8. *Ruebant: cum impetu veniebant: et hoc verbo more suo ostendit velocitatem.* Donatus ad 3. 2. Adelph. *Ruere, est toto corpore uti ad impellendum: quod faciunt, qui ipsi praecipites alios prosternunt.*

Seneca cap. 1. de Vita beata: *Inde ista coacervatio aliorum supra* (lege *super*) *alios ruentium.* supra heic lib. 1. *Socratem superruo.* bene *populorum* etiam. Proverb. 30. 25. *Formicae populus infirmus.* sic, *populos apum*, Virgilius 4. Georg. *Undae* μεταφορικῶς. Iuvenalis: *Nobis properantibus obstat Unda prior.* Scholiastes: *Populi multitudo* etc. sic *inundantem populum* Hieronymus ad Laetum. Ammianus lib. 26. *Undatim coëunte plebe.*

Ibid. *Sed initio noctis* etc.] Melius, *Sic initio noctis.* supra lib. 3. *Sic noctis initio Pamphile vecors animi*, etc. et 10. *Sic necessarium sanguinis sui munus aggreditur.*

Ibid. *Vino madens*] Suidas: Διάβροχος, οἰνωμένος. supra lib. 2. *Compotores, vino madidi.*

Ibid. *Nec tuarum manuum istud opus*] Tibullus: *Humanum nec fuit istud opus.*

Ibid. *Illius, cui tuo, imo ipsius malo placuisti*] Lib. 8. *Oculi isti, quibus male placui.* ubi plura.

Pag. 117. *Frusto cibarii panis ei proiecto*] Post opus expeditum nempe. Chrysostomus Eclog. Homil. de Iuramento: Πολλάκις τεχνίτης διωμόσατο τῷ μαθητῇ μὴ πρότερον αὐτὸν ἀφήσειν φαγεῖν καὶ πιεῖν, ἕως τὸ δοθὲν ἔργον ἅπαν ἀνύσῃ. τοῦτο δὲ καὶ παιδαγωγὸς πολλάκις πρὸς νέον, καὶ πρὸς θεράπαιναν ἐποίησε δέσποινα. *Panis cibarius*, est, *nec delicatus, qui servis ad cibum datur.* sunt verba Isidori Orig. 20. 2. *Proiecto*, tanquam ad canem dixit, in maiorem contumeliam.

Ibid. *Non tuum, inquit, nequissima*, etc.] Oxon. *N. t. i. foemina.* forsasse utrumque inserendum. lib. 3. *Nequissimam facinorosissimamque foeminam.*

Ibid. *Interioris domus unici cubiculi custodia clausus coercebatur acriter*] In Eunucho Terentii: *Mihi ne abscedam imperat, In interiorem partem ut maneam solus*, etc. Ἐν δόμων μυχοῖς φυλάσσειν Menander apud Stobaeum dixit. at quale hîc *unicum cubiculum* vix quisquam exposuerit. legamus, dum quid melius succurrerit, *munitique cubiculi.* supra lib. 4. *Parva, sed satis munita domuncula* etc. infra lib. 9. *Mira custodela munitam domi suae* etc. *cohibebat.*

Ibid. *Coercebatur acriter*] De eodem lib. 5. *Et corpus eius acrioribus remediis coërceat.* Glossae: *Coërcet*, etc. κολάζει, τιμωρεῖται.

Ibid. *Aurora commodum inequitante*] Lib. 3. *Commodum punicantibus phaleris Aurora roseum quatiens lacertum, coelum inequitabat*, etc.

Ibid. *Oves ibi nitentes, aurique colore flaventes*, etc.] Apud Ciceronem ex Tragoedia veteri: *Agnum inter pecudes aurea flavum coma.* Seneca de ariete Pelopis, in Thyeste: *Huius per omne corpus infusa coma Dependet auro.*

Ibid.

Ibid. *Fluvialis rupis*] Inde *praerupia fluminis* (quae nempe flumini praetenduntur) in Apologia.

Ibid. *Musicae suavis nutricula* etc. *Arundo*] Scholiastes Horatii: *Ripae fluminum arundinum sylvâ decorantur, quae a ventis agitata obscure sonant.*

Ibid. *Aerumnis exercita*] Beda in de Orthographia: *Exercitus laboribus, exercitatus studiis.*

Ibid. *Meas sanctas aquas polluas*] In Dialogo ad Asclepium: *Undaeque divinae non solum polluentur sanguine, sed* etc.

Ibid. *Truci rabie solent efferri*] Lucilius: *Studio atque odio illius efferor ira.* at melius P. Colvius, *efferari.* infra lib. 9. *Efferari iam simili rabie.* et ibidem: *In suam advertit perniciem efferari.* Glossarium: *Efferatus*, ἠγριωμένος.

Ibid. *Et nonnunquam venenatis morsibus in exitium saevire mortalium*] Lib. 8. de lupis: *Exitiumque infestissimarum pecudum ipsis iam humanis capitibus imminere.* De *venenatis morsibus* sub initium libri 9. dicemus.

Ibid. *Sub ista procerissima platano quae mecum simul fluentum bibit*] Lib. 1. *Haud longe radices platani lenis fluvius* etc. *ibat.* ubi fusius.

Pag. 118. *Subridens amarum*] Ammianus lib. 27. (ex Nostro, ut saepicule:) *Minutus suopte ingenio, et subamarum ridens.* Virgilius: *Subridens mista Mezentius irâ.* Hesychius: Σαρκάζων· μετὰ πικρίας γελῶν. Infra hoc lib. *Risu maligno salutant.* Cicero in de Orat. *Et ridens, et stomachans.* Noster in Apologetico: *Cum risu succensentem.* quo loco adnotata vide.

Ibid. *Subridens amarum*] E converso apud Catullum, *Dulce ridentem.*

Ibid. *Facti auctor*] Glossae: Αὐτουργὸς, *auctor rei.*

Ibid. *Pauca Cocyti fluenta*) *Rauca* excusum volui, quomodo Lipsius emendaverat.

Ibid. *Indidem mihi de summi fontis penita scaturigine rorem rigentem istâ confestim urnulâ deferto*] Iuvenal. 6. *Si candida iusserit Io, Ibit ad Aegypti finem, calidaque petitas A Meroë portabit aquas.*

Ibid. *Studiose gradum celerans*] Ex his Virgilii: *Illa gradum celerans studio properabat anili.*

Ibid. *Cumulum*] Scribe cum Colvio et Bertin. Cod. *tumulum.*

Ibid. *Deferto*] Oxon. *deferes.*

Ibid. *Certe vel illic inventura vitae pessimum finem*] Veterrimae editiones: *Certe vel illic invitae pessimum finem.* Oxon. MS. *Certe vel illic invitae pessimo fine.* ex quibus facile est conii. cere, aut, *inventura pessimum finem:* aut, *perituras pessimo fine* scribendum.

Ibid. *Dextra laevaque* etc. *saevi dracones, inconnivae vigiliae luminibus addictis*] Epitomator Festi: *Dracones ἀπὸ τοῦ δρακεῖν dicti:* etc. *qua ex causa incubantes eos thesauris custodiae causa Antiqui finxerunt.* Draconem infantiae Neronis custodem apud Tacitum Ann. 11. habemus: fluminis autem, ut hoc loco, custodem, apud Euripidem Phoenissis.

Ibid. *Inconnivae vigiliae luminibus addictis*] Hinc ἄυπνοι δράκοντες 2. 14. Philostrati. Seneca de M. Regulo: *Et in perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina.*

Pag. 119. *Quid facis? vide. et, quid agis?* etc.] Donatus ad 1. 3. Phorm. *Perturbati est intercessoris dicere, Quid agis?* Arrianus 3. 22. in Epictetum: Ποῖ φέρεσθε; τί ποιεῖτε. Persius: *Quo deinde insane ruis? quo? Quid tibi vis?* Plinius lib. 9. Epist. 13. *Quid audes? quo ruis? quibus te periculis obiicis?* infra hîc: *Quid facis infelix puella? quid agis? cur ad Orcum festinas?* nec de nihilo heic post *Quid facis?* etiam *quid agis?* additum. Gellius 13. 23. *Atrocitatem rei bis idem dicendo alio atque alio verbo auxit inculcavitque: duplexque eadem compellatio admonitionem instantiorem facit.*

Ibid. *Cave, et, Fuge, et, Peribis*] Servius ad Aeneid. 2. *Brevitas orationis in periculis congruit.* Hieronymus in Malchi vita: *Vox per antrum sonat:* etc. *Exite morituri: quid statis? quid moramini? exite.*

Ibid. *Mutata in lapidem Psyche*] φρενοβλαβὴς, καὶ παρὰ τῶν δεινῶν παράπληξ. ut 9. Heliodorus locutus. supra hîc lib. 9. *Fixus in lapidem steti gelidus.*

Ibid. *Quamvis praesente corpore, sensibus tamen aberat*] Philo de congressu erud. quaer. causa: Τοῖς σώμασι παρεῖναι, ταῖς διανοίαις ἀπολλάχθαι, εἰδώλων καὶ ἀνδριάντων μηδὲν διαφέροντας. Suidas: Παρὼν ἀποδημεῖ· ἐπὶ τῶν αἴσθησιν ἑαυτοῖς μηδεμίαν παρεχόντων. Terentius Prologo Andriae: *Adeste.* ubi Donatus: *Non, ut absentibus dicit, quippe qui corporibus praesto erant: sed intenti estote.* Augustinus Confess. 6. 8. ex Alipii ad socios persona: *Si corpus meum in Amphitheatrum trahitis, numquid et animum meum in illa spectacula potestis intendere? adero itaque absens*, etc.

Ibid. *Lacrymarum etiam extremo solatio carebat*] Infra lib. 9. *Nec ullum verbum, ac ne tacitum quidem fletum tot malis circumventus senex quivit emittere.* Isidorus Pelusiota: Οἱ μὲν μετρίως λυπούμενοι καὶ δακρύειν ἰσχύουσιν, οἱ δὲ καταπληττόμενοι ἐπὶ etc. συμφοραῖς, οὐδὲ δακρῦσαι δύνανται, τῇ τοῦ πάθους ὑπερβολῇ ἑαλωκότες, καὶ πᾶν ὅσον εἶχον ὑγρὸν τῇ τοῦ πυρὸς ἀκμῇ δαπανήσαντες· ἀχανεῖς γοῦν καὶ κατηφεῖς εἰσι, μήτε λόγον, μήτε δάκρυα προϊέμενοι. Apud Quintilianum ille Declam. 17.

Frat-

Fractae malorum contentione mentes etc. *caligant: non querelas post hoc invenio, non verba, non lacrymas.* Ibidem 1. *Miser post omnia etiam lacrymas perdidit.* Bene autem *solatio lacrymarum.* Euripides Oenomao: Ἔστι γὰρ δὴ κ᾽ ἂν κακοῖσιν ἡδονὴ Θνητοῖς ὀδυρμοὶ, δακρύων τ᾽ ἐπιῤῥοαὶ· Ἀλγηδόνας δὲ καὶ ταῦτα κουφίζει Φρενῶν, Καὶ καρδίας ἔλυσε τοὺς ἄγαν πόνους.

Ibid. *Supremi Iovis regalis ales*] Virgil. Ceiri: *Aquilis semper gaudet Deus ille coruscis.*

Ibid. *Propansis utrinque pennis*] In Floridis, etiam de aquila loquens: *Propassis utrinque pennis praelabitur.*

Ibid. *Deique numen in uxoris laboribus percolens*] Tale illud 10. *Illius recognoscens imaginem in tua facie, merito te diligo.*

Ibid. *Alti culminis diales vias deserit*] *Diales vias* istas sic in Floridis circumloquitur: *Aquila cum se nubium tenus altissime sublimavit, evecta alis totum illud spatium qua pluitur et ningitur, ultra quod cacumen nec fulmini nec fulguri locus est: in ipso (ut ita dixerim) solo aetheris, et fastigio hiemis*, etc.

Ibid. *Simplex* etc. *et expers rerum talium*] Supra lib. 3. *Talium rerum expers et rudis.*

Ibid. *Diis etiam, ipsique Iovi formidabiles aquas istas Stygias*] *Formidabiles:* per quas formidant peierare. Virgilius: *Stygiamque paludem, Dii cuius iurare timent et fallere numen.* Servius ad Eiusdem illa: *Ipsa Deum poenas docuit:* etc, *Fertur ab Orpheo, quod Dii peierantes per Stygiam paludem, novem annorum spatio in Tartaro puniuntur*, unde Statius: *Et Styx periuria Divûm Arguit.*

Ibid. *Libratisque pinnarum nutantium molibus* etc. *remigium dextra laevaque porrigens*] Eodem Floridorum loco: *Nutu clementi laevorsum vel dextrorsum tanta mole corporis labitur, velificatas alas quo libuit advertens, modico caudae gubernaculo.* *Libratis* heic vox propria. Ovid. Amor. 2. *Omnes quae liquido libratis in aëre pennas.* Virgilius de apibus: *Sese per inania nubila librans.*

Ibid. *Et ut abiret innoxius praemonentes*] Oxon. *minantes*, edit. Vicentina, *praeminantes:* quod revocat et commode fulcit vir doctus hoc Isidori loco: *Minator est monitor: sed monitor dicitur cum praenunciat bona: minator, cum adversa praenunciat.* Supra hîc lib. 5. *Malumque grande de vultus* (sui) *curiositate praeminatur.*

Ibid. *Citata*] Neque male *citatim* scribas. Gloss. Κατὰ τάχος, *citatim.*

Pag. 120. *Maiora atque peiora flagitia comminans*] Σκληρότερα διαπειλησαμένη, ut 3. Maccabaico.

Ibid. *Renidens exitiabile*] *Scyllaeum renidens*, Hieronymus (Turnebo corrigente) dixit. Contra apud Mamertinum Panaegyristen, *serenum renidens.* Fuxens. et Oxoniens. *ridens exitiabile.*

Ibid. *Et alte prorsus malefica*] Ita bene Scaliger. lib. 4. *Meque in altioris vindictae vicem* etc. lib. 9. *Altius commota atque exasperata.* et 8. *Fortunam domus herilis altius miserantes.*

Ibid. *Sed adhuc istud, mea pupula, ministrare debebis*] Plane hoc erat quod (v. ἄτεγκτος) ἐπίπονα, καὶ τῶν ἐσχάτων κινδύνων ἐχόμενα ἐπιτάττειν Aelianus apud Suidam vocat. In vet. Onomast. *Pupus*, παιδάριον. Glossarium: Παιδάριον, *puellus, pupus.* et in alio, Πάλλαξ, *pupa, pupula.* in Palat. tamen, *pupilla.*

Ibid. *Tum conferens pyxidem Proserpinae, petit de te, Venus, dicito, modicum de tua mittas ci formositate*] Zeno Veronensis, Serm. de Continent. *Ecce rursus ad lenocinia redis, colorem de pyxide mutuaris.* Lucianus de mulierum fucis, et formae adulteriis: Καθάπερ ἐκ Φαρμακοπώλου πυξίδων ὄχλος, ἀγγεῖα μεστὰ πολλῆς κακοδαιμονίας. Oxon. *ad te.* scribe, *Petit a te.*

Ibid. *Sed haud immaturius redito*] Supra lib. 2. *Sed* etc. *cave regrediare maturius.*

Ibid. *Indidem delinitam*] Fuxens. et Oxon. *delitam:* alii (quod non improbo,) *delibutam.* Glossarium: *Delibutus*, κατάῤῥυτος.

Ibid. *Et velamento reiecto ad promptum exitium sese compelli*] *Velamento reiecto*, est, *palam*, sine obliquis artibus. *omissis tecta machinae latibulis, districtis gladiis fraudium*, ut lib. 5. locutus. Contrarium κατασοφίζεσθαι: de quo ad Act. 7. 19. notata vide.

Ibid. *Prorumpit in vocem*] Oxon. et Florent. *prorupit.*

Ibid. *Ecquid te (inquit) praecipitio misella quaeris extinguere?*] In iisdem, et Cod. Fux. *praecipitem ô misella* etc.

Ibid. *Quidque iam novissimo periculo, laborique isto temere succumbis*] Scriptor ad Hebraeos 10. 35. 37.

Ibid. *Si spiritus corpore tuo semel fuerit seiugatus, ibis quidem profectò ad imum Tartarum, sed inde nullo pacto redire poteris*] Seneca Herc. fur. *Gradumque retro flectere haud unquam sinunt Umbrae tenaces.* Idem Hippol. *Non unquam amplius Convexa tetigit supera, qui versus semel Adiit silentem nocte perpetua domum.* et in Ludo de morte Claudii: *Cyllenius illum obtorto collo trahit, Illuc unde negant redire quenquam.* Lucianus in Mort. dialog. Οὐ θέμις ἀνελθεῖν τινα τῶν ἅπαξ τὴν λίμνην διαπλευσάντων, καὶ ἐς τὸ ἔσω τοῦ στομίου παρελθόντων. nec alia Luc. 16. 26. sententia.

Ibid. *Mihi ausculta*] Lib. 8. *Expergite mi ausculta.*

Ibid. *Achaiae nobilis civitas*] πόλις (ut Act. 21. 39.) οὐκ ἄσημος.

Ibid.

Ibid. *Taenarum*, etc.] Virgil. Georg. 4. *Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis.* ubi Servius: *Taenarus Laconiae promontorium est, circa finem Maleae, ubi Inferorum dicitur esse descensus.*

Ibid. *Inibi spiraculum Ditis, et per portas hiantes monstratur iter invium*] Ex his Virgilii: *Hic specus horrendum, et saevi spiracula Ditis Monstrantur.* Bene autem *per hiantes portas*: πλατεῖα γάρ ἡ πύλη, καὶ ἡ ὁδὸς εὐρύχωρος. vide ad Matth. 7. 13. adnotata.

Ibid. *Cuius te limite transmeato simul commiseris* etc.] Malebam *limiti transmeato.* apte porro post vocem *invium*, addit *limitem.* Gloss. *Limes*, πλαγία ὁδὸς. adeo male a nonnullis *limine* edebatur.

Pag. 121. *Canale directo perges ad ipsam Orci regiam*] Ovid. 1. 4. de Ponto: *Cernis ut e molli sanguis pulmone remissus, Ad Stygias certo limite ducat aquas.* ubi forsan *tramite* scribendum: quod heic *canali.* Zeno Veronensis: *Itineris vitae tuae rectum tibi tramitem demonstrare, qui te absque errore ullo ad ipsa coeli regna perducat.* i. e. ut hic Noster, *canali directo.*

Ibid. *Mulso concretas*] In aliis *contritas.* Oxoniensis, *concreptas.* de quo amplius cogitandum.

Ibid. *Claudum asinum* etc. *cum agasone simili*] Lexiphanes Lucianeus: Ὁ ἀστραβηλάτης ἐπέσπερχε, καὶ ἀσκωλιάζων αὐτὸς. Noster lib. 9. *Senex claudus, cui nostra tutela fuerat permissa, universa nos iumenta* etc. *bibendi causa gregatim prominabat.* et 11. *Asinum pinnis agglutinatis, cuidam debili* (id est, claudo) *seni adambulantem.*

Ibid. *Nec mora*] Lib. 7. *Nec mora, nec cunctatio.* Infra hic: *Nec mora, cum coena* etc. *affluens exhibetur.*

Ibid. *Ad ulteriorem ripam sutili cymba deducit commeantes*] Sutilium navicularum apud Gellium, Plinium, nec non alios mentio. Virgilius de hac ipsa caudicula: *Gemuit sub pondere cymba Sutilis, et multam accepit rimosa paludem.* praetulerim tamen Fuxensem librum, et ab Aldo editum, qui legunt *futili:* id est, *exigua.* Ipse apud Lucianum Charon ad Mercurium: Μικρὸν ἡμῖν ὡς ὁρᾶτε, τὸ σκαφίδιον etc. ἐστι. (In Dialog. Mort.) Apud Aristophanem Hercules ad Bacchum demeare ad Inferos volentem: Ἐν πλοιαρίῳ τηννουτῳί σ' ἀνὴρ γέρων Ναύτης διάξει. Scholiastes: Τηννουτῳί, τοὺς δακτύλους καὶ τὴν παλάμην κοιλάνας φησὶν· ἀντὶ τοῦ, μικρῷ. de *ulteriore ripa* supra ad L. II. p. 30. dixi.

Ibid. *Ergo inter mortuos vivit avaritia?*] Petronius: *Ergo amor etiam Deos tangit?*

Ibid. *Nec Charon ille, Ditis pater?* etc.] In Oxon. libro, et edito Vicentiae: *Nec Charon ille, et D. p.*

Ibid. *Et pauper moriens viaticum debet quaerere? et, si aes forte prae manu non fuerit, nemo eum exspirare patietur?*] Apud Lucianum Menippus ad Charontem vecturae eius pretium flagitantem: Ὃ μὴ ἔχω πῶς ἂν λάβοις. Char. Σὺ δ' οὐκ ᾔδεις ὡς κομίζειν δέον. Menipp. Ἤδειν μὲν, οὐκ εἶχον δὲ· τί οὖν; ἔχρην διὰ τοῦτο μὴ ἀποθανεῖν. De paupere Iuvenalis: *Iam sedet in ripa, novitius horret Porthmea, nec sperat caenosi gurgitis alveum Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.* *Prae manu*, est *in manu:* sic Terent. in Adelph.

Ibid. *Huic* etc. *dabis nauli nomine de stipibus* etc. *alteram*] Vetus Interpres Ionae 1. 3. *Descendit in Ioppen, et dedit naulum iis.* Glossae: Ναῦλον, *navis vectura, naulum.* Glossae aliae: *Vectura*, φόρετρον, ναῦλον. in qua voce vide Hesych. et Suidam, nec non in δανάκη· ita enim, non δανάη legendum. Antiphanes: Τεθνήξῃ, πλουτοῦσαν ἀφεὶς μεγάλην διαθήκην, Ἐκ πολλῶν ὀβολῶν μοῦνον ἐνεγκάμενος. adde Isid. Orig. 8. 11. Scholiasten ad Sat. 3. Iuvenalis.

Ibid. *Sic tamen ut* etc.] Eadem locutio etiam in l. 16. ff. ad leg. Cornel. de sicariis.

Ibid. *Nec tu tamen illicita affectare pietate*] Codd. Palat. et Bertin. *adflictare.* Oxoniensis, Fuxensis, et unus Fulvii scriptus, *adflectare.*

Ibid. *Manus paulisper accommodes*] Sic *manum commodare* Vell. Paterculus. Infra hic lib. 9. *Quin igitur praecingeris, mihique manum tantisper accommodas?* hoc sensu vetus Onomasticon: *Commodo*, συνοφελέω.

Ibid. *Ut vel unam de manibus omittas offulam*] Melius ita, quam in veteribus, *committas:* at *amittas* reponendum. Alexander apud Q. Curtium: *Nolite* etc. *maturos fructus per inertiam e manibus amittere.* Sic *e manibus victoriam amittere*, apud Cyprianum in de dupl. martyr. et, *manibus praedam amittere* in Plautino Milite. videantur quae ad Apolog. pag. 88. olim notata.

Ibid. *Altera enim perdita, lux haec tibi prorsus denegabitur*] Vide Suidam in Τροφώνιος.

Ibid. *Canis namque pergrandis*, etc. *amplo capite praeditus* etc.] Glossae: *Amplum*, εὐμέγεθες. Glossae aliae: Ὑπερμεγέθης, *amplus.* In editionibus vetustis melius *praegrandis.* Onomasticon vetus: *Praegrandis*, περιπληθής. supra hic lib. 2. *praegrandis lucerna.*

Ibid. *Tonantibus oblatrans faucibus, mortuos* etc. *territando*] Columella 7. 12. ubi de Canibus: *Villae custos eligendus est amplissimi corporis, vasti latratus, canorique, ut prius auditu maleficum, deinde etiam conspectu terreat.* In Oxon. MS. et principibus editionibus, non male, *conantibus:* nec inficete Colvius, *sonantibus.* Infra lib. 7. *Rudivi fortiter, tonantique cla-*

clamore personui: quae etiam Lipsio favent, qui *tonantibus* emendavit. Beroaldus *comantibus*, infelicissime.

Pag. 122. *Mortuos* etc. *frustra territando*] *Aeternum latrans exangues territat umbras.*

Ibid. *Frustra territando*] In de Deo Socratis: *Inane terriculamentum.*

Ibid. *Servat vacuam Ditis domum*] Vide Beroaldum.

Ibid. *Offulae praeda*] Sic loquitur etiam in Floridis, et eodem de Deo Socratis libello.

Ibid. *Quae te comiter excipiet, ac benigne*] Seneca Epist. 21. *Paratus erit istius domicilii custos, hospitalis, humanus, et te polenta excipiet.*

Ibid. *Ut et molliter assidere* etc. *suadeat*] In Equit. Aristophanis: Ἀλλ' ἐπανάϊρου, Κᾆτα καθίζου μαλακῶς, ἵνα μὴ τρίβῃς, etc.

Ibid. *Et panem sordidum petitum esto*] *Panis sordidus* idem qui supra hîc *cibarius panis.* Nonnius Marcellus: *Cibarium, quod nunc aut de pane sordido, aut de alio indigno dicatur. Panum sordidorum* meminit et l. 5. Cod. Theodos. de annon. civic. In Plauti Asinaria: *Sordido vitam oblectabas pane.* Suetonius de Nerone: *Panem quidem sordidum oblatum aspernatus est.* Seneca Epist. 18. *Panis durus et sordidus.* sic ἄρτοι ῥυπαροὶ 1. 71. apud Artemidorum: contrarius in Colloquiis Graec. καθαρὸς ἄρτος· Romae porro et Vicentiae excusi *petitu esto.* quod si rectum, ἀρχαϊσμὸς suberit, et hypallage. archaismus, *petitu* pro *petitui:* ut 1. *primum ingressu stabulum.* et 11. *isto habitu congruentem.* vide 4. 16. A. Gellium. hypallage, *petitu esto*, pro, *pete esui.*

Ibid. *Canis saevitiam offula reliqua redime*] Isidorus Orig. 20. 2. *Offa est proprie frustum dentium:* (lege *edentium*) *nunc est* (melius *et*) *latrantium: quia si in os canis iacitur, satiatus illico compescitur.* Arnobius lib. 7. *Latratorum et canum ritu, offis saevitias ponere.* De Cynico Lucianus: Δῆλος ἦν οὐκέτι εἰρήνην ἄξων, etc. εἰ μὴ κατὰ καιρὸν εἰσεκεκόμιστο πλακοῦς εὐμεγέθης, πρὸς ὃν ἀποβλέψας, ἡμερώτερος ἐγένετο.

Ibid. *Recalcans priora vestigia*] Oxon. et duo alii MSS. *recolens* etc. male. infra lib. 9. *Reciproco gressu mea recalcans vestigia.*

Ibid. *Observandum praecipue tibi censeo*] Sic et alibi: *Observandum cautela pressiore censeo.*

Ibid. *Sic turris illa propitia*] Rectum proculdubio *prospicua*, ut in Oxon. et Florent. MSS. quibus prope accedit Palatinus, qui *perspicua* legit.

Ibid. *Formositatis divinae abditum cures thesaurum*] Scribe ex Oxon. et aliis MSS. *abditum curiosius thesaurum*, subaudi ex praecedentibus, *aperire*, vel, *inspicere velis.*

Pag. 123. *Adorata* etc.] Ita et Oxon. MS.

Ibid. *Mente capitur temeraria curiositate*] Est qui *inante capitur* etc. legit: ego κατ' ἐναλλαγὴν *mente* pro *mentis* accipio: aut *mentecapitur* iunctim legendum putarim.

Ibid. *Asinario debili*] Lib. 11. *Asinum pinnis agglutinatis, cuidam debili seni adambulantem.*

Ibid. *Infernus somnus, ac vere Stygius*] *Alta quies, placidaeque simillima morti.* Ovid. *Sunt quoque quae faciunt altos medicamina somnos, Vinctaque Lethaea lumina morte premunt.*

Ibid. *Invadit eam crassa soporis nebula, cunctisque eius membris perfunditur*] Ex Oxon. et aliis MSS. sic lege et interpunge: *Invadit eam, crassaque soporis nebula cunctis m. e. p.*

Ibid. *Iacebat immobilis, et nihil aliud quam dormiens cadaver*] Apud Quintilianum 2. Declam. *Tu iaces, et in cadaveris similitudinem usque resoluta es.* Basilius in Epistolis: Τῷ βαθεῖ κάρῳ κατακρατεῖσθαι etc. ἐν θανάτῳ ποιεῖ τοὺς οὕτω καθεύδοντας. cui non dissimile illud in Simocattae Epistolis: Τὸ πέρα καθεύδειν τοῦ πρέποντος, τοῖς τεθνηκόσι μᾶλλον ἤπερ τοῖς ζῶσιν ἁρμόδιον. Supra lib. 2. *Me somnus profundus in imum barathrum repente demergit: ut ne Deus quidem ipse Delphicus facile discerneret duobus nobis iacentibus quis magis mortuus esset. Cadaver dormiens* est ὀξύμωρον. sic *vivum cadaver* Chrysologus paralyticum vocat. et *spirans cadaver* Hieronymus in Epistolis dixit. Videamus nunc *immobilis* quam heic aptum vocabulum. Lactantius cap. 18. de Opif. Dei: *Corpus vigilante sensu licet iaceat immobile, non tamen quietum est.* Tertullianus cap. 43. de Anima: *Propone tibi corpus* etc. *blanda quietis accessione prostratum, immobile situ: quale ante vitam iacuit, et quale post vitam iacebit.* Virgilius: *Custode sepulto.* ubi Servius: *Sine pulsu, sine* MOTU.

Ibid. *Immobilis, et nihil aliud quam dormiens cadaver*] Nam *immobilitas* proprie cadaverum. In Apologetico: *Ritu cadaveris, unum et immobilem vultum possidet.* Plinius Epistolarum lib. 3. *Extentus et immobilis, fidem peractae mortis implevit.* Suidas: Φθορά ἐστι σωμάτων νέκρωσις, καὶ ΑΚΙΝΗΣΙΑ τῶν ὀργάνων τοῦ σώματος, τῆς ψυχῆς ἀπὸ τούτου χωρισθείσης.

Ibid. *Refectisque pinnis aliquanta quiete* etc.] Supra lib. 5. *Vel certe vires meae diutino labore fessae, quietis intervallo leniantur.*

Ibid. *Psychen innoxio punctulo suae sagittae excitat*] Simile apud Thucydidem: ἀναστήσας αὐτὸν ὥστε μὴ ἀδικῆσαι. vide ad Act. 12. 7. dicta. *Innoxio punctulo* heic, ut in Cod. Theod. de cursu publ. etc. *innocuo titillo.*

Ibid. *Tu provinciam quae tibi matris meae praecepto mandata est, exequere gnaviter*] Oxon. et

et Fuxensis MSS. *Tu quod tibi m. m. p. mandatum est, c. g.*

Ibid. *Caetera egomet videro*] In Colloquiis Graecis vett. Ἀμέριμνος ἔστω, ἐμοὶ μελήσει. Aelianus apud Suidam: Ὁ δὲ θεὸς λέγει ἐκείνους μὴ πολυπραγμονεῖν, αὐτῷ γὰρ εἶναι διὰ φροντίδος.

Ibid. *In pinnas se dedit*] Oxon. *In plumas.*

Ibid. *Aliisque pernicibus coeli penetrato vertice*] Avienus in Arat. *Et coelum pernicibus intrat Diva alis.*

Ibid. *Iupiter prehensa Cupidinis buccula, manuque ad os suum relata, consuaviat*] De eodem Aeneid. I. *Oscula libavit natae.* ubi Servius Fuldensis: *Multi nolunt ita intelligi, ut summum osculum filiae dederit: id est, non pressum, sed summa labella contingens: sed ita aiunt: libavit, id est, contigit: ut solemus, cum blandimentis quibusdam sinistram maxillam contingere puerorum, ac deinde ad os nostrum referre.* Sueton. August. *Eiusque osculum delibatum digitis ad os suum retulisset.* Aristaenetus I. 22. Καὶ λάθρα τὴν ἑαυτῆς πεφίληκε δεξιὰν, ᾗ προσήψατο τοῦ μειρακίου.

Ibid. *Licet tu Domine fili nunquam mihi concessu Deûm decretum servâris honorem*] Virgil. Ceiri: *Malus ille puer quem nec sua flectere mater Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem Iupiter.* In Senecae Octavia: *Invicta gerit tela Cupido, Queis exstinxit fulmina saepe, Captumque coelo Iovem traxit.* Ibidem: *Tu fulminantem saepe domuisti Iovem.*

Ibid. *Domine fili*] Hieronymus contra Iovianum, de cuiusvis νεογάμου filiola: *Vocanda Domina, celebrandus Natalis eius.*

Ibid. *Crebris terrenae libidinis foedaveris casibus*] Ferri utcunque potest haec lectio, at malim *sordibus.* Venus lib. 4. *Et nomen meum coelo conditum terrenis sordibus profanatur.* ubi et *divinum* vides *mortali* oppositum. Iam et *sordibus* quid aptius potest de libidinibus dici?

Ibid. *Crebrisque terrenae libidinis foedaveris casibus*] Cyprianus de scaenicis: *Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Iovem illum suum* etc. *in terrenos amores cum ipsis suis fulminibus ardentem.* Arnobius lib. 4. *Et tolerari forsitan maletractatio haec posset, si eum saltem personis coniungeretis comparibus, et adulter a vobis immortalium constitueretur Dearum: in humanis vero corporibus quidnam quaeso inerat pulchritudinis, quid decoris, quod incitare, quod flectere oculos posset* etc. *Iovis?*

Ibid. *Contraque leges, et ipsam Iuliam, disciplinamque publicam* etc.] Lib. 4. de Eodem isto: *Contempta disciplina publica,* etc. *nocte discurrens, et omnium matrimonia corrumpens.*

Ibid. *In aves et gregalia pecua serenos vultus meos sordide reformando*] Idem ad Eundem apud Lucianum in Deorum dialogis: Οὕτως ἐμοὶ ἐντρυφᾷς, ὥστε μηδέν ἐστιν ὅ μὴ πεποίηκάς με· Σάτυρον, ταῦρον, χρυσὸν, κύκνον, αὐτὸν, etc. Venus in iisdem dialogis de Eodem: Τὸν Δία πολύμορφον ἐπεδείκνυες, ἀλλάττων ἐς ὅ, τι ἂν σοι ἐπὶ τοῦ καιροῦ δοκῇ. Iterum ibidem de Eodem ad Iovem Iuno: Ἕπῃ αὐτῷ ἔνθα ἂν ἥγηταί σου, καὶ ἀλλάττῃ ῥαδίως ἐς ὅ, τι ἂν κελεύσῃ. et de Iove ipso, in *de Sacrificiis:* Ἄρτι μὲν γιγνόμενος χρυσίον, ἄρτι δὲ ταῦρος, ἢ κύκνος, ἢ ἀετὸς· καὶ ὅλως ποικιλώτερος αὐτοῦ Πρωτέως. Cyprianus ubi supra: *Nunc in plumas oloris albescere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubescentium raptus ministris avibus prosilire.* Arnobius lib. I. *O digna et pretiosa dulcedo propter quam Iupiter maximus cygnus fieret, et taurus, et candidorum procreator ovorum! Reformando* hic, *mutando.* Glossae: Μετατυπῶ, *deformo, reformo.*

Ibid. *Attamen modestiae meae memor*] Apud Petronium ille: *Non ero tui similis.*

Ibid. *Quodque inter istas meas manus creveris*] *Istas* δεικτικῶς. vide ad Act. 20. 34. notata.

Ibid. *Dum tamen scias* etc.] Tertullianus Apologetico: *Dum tamen sciatis* etc.

Ibid. *Aemulos tuos cavere*] Haec quidem, utcunque ab aliis exposita, me non assequi fateor. si *aemulos meos amovere* quis legerit, multo clarior sententia erit. Virgilius de Miseno: *Cava dum personas aequora concha Demens.* ubi Servius: *Improvidus: qui non consideravit etiam Deos in aemulationem posse descendere.*

Ibid. *Et, si qua* etc. *puella praepollet pulchritudine, praesentis beneficii vicem, per eam mihi te repensare debere*] Fuit hoc, non dare, (mi Iupiter) sed fenerare beneficium: quod, cum vel extero factum, laudabile minus, in suum, imo in filium suum patratum, quam illiberale censendum!

Ibid. *Repensare debere*] In vetere Onomastico: *Repenso,* ἀντεξισάζω. Glossarium: *Repensare,* ἀντιστῆσαι, ἀναδοῦναι· crediderim ἀντιδοῦναι scribendum.

Ibid. *Ac si qui* etc.] Hoc sensu in Glossario: *Ac si quis,* ἐὰν δέ τις. ad veterem enim videtur hanc formulam alludi.

Ibid. *In poenam decem millium nummûm conventum iri*] Sic *conveniri in crimen* Tertullianus cap. 24. Apologetici. et cap. 35. *in sacrilegium conveniri.*

Ibid. *Completo coelesti theatro, pro sede sublimi sedens procerus Iupiter, sic enunciat*] De Eodem Ovidius: *Ergo ubi marmoreo Superi sedere recessu, Celsior ipse loco, sceptroque innixus eburno, Talibus inde modis ora indignantia solvit. Procerus,* eminens, sublimis. sic in veteri Onomastico non solum redditur εὐμήκης, sed et ἐξο-

ἔξοχος. *Sede sublimi sedens*, ἐφ' ὑψηλοῦ βήματος καθήμενος. vide ad Act. 12. 21. notata. supra lib. 3. *Sublimi suggestu magistratibus residentibus.*

Ibid. *Cuius primae iuventutis caloratos impetus*, etc.] Quintilianus Declam. 322. *Adolescens est, omnes cupiditates, omnes impetus in hac aetate facilius convalescunt.* infra hic lib. 10. *Caloris iuvenilis impetu.* Fulgentius Mytholog. 3. *caloratae iuventutis igniculum* dixit. *Flagrantia iuventutis incendia* Cyprianus. Claudianus: *Calida rapuit te flamma iuventae.* pro *cuius* malim *huius* scribi.

Ibid. *Ob adulteria cunctasque corruptelas infamatum*] Firmicus 6. 17. Mathes. *Faciet lupanaribus deditos promiscuo libidinum* (lege *libidine*) *scorta sectari: ita ut ex hoc cum magnâ notâ graui pulsentur infamia.* In Actis Chrysanthii Martyris: *Miserunt virum quendam turpissimum, et in scelere corruptionum opinatissimum.* (i. infamatissimum.) sic, *famosum adulteriis et corruptelis*, in Claudio Suetonius. Lactantius 6. 19. *Hinc stupra, hinc adulteria, hinc omnes corruptelae extiterunt.* Idem in de Ira Dei cap. 8. *Libidine utuntur ad corruptelas et voluptates.* Cyprianus Epist. 62. de Diaconis: *Quomodo possunt* etc. *continentiae praeesse, si ex ipsis incipiunt corruptelae* etc. *procedere?* In vet. Onomast. *Corruptela*, διαφθορά.

Ibid. *Tollenda omnis occasio*] ἐκκόπτειν ἀφορμὴν Paulus ad Corinthios dixit. at heic *occasionem* intellige, aut libidinandi, (Chrysostomus Homil. 15. in Epist. ad Ephes. de ancilla scortatrice: Ζεῦξον (αὐτὴν) ἀνδρὶ, (tu Domina eius.) περίελε τῆς πορνείας τὰς ὑποθέσεις.) aut, ut apud Paulum Eundem ad Timotheum, ἀφορμὴν λοιδορίας χάριν. Apud Senecam ille Controvers. 2. 6. *Uxorem mature duxi, semper dilexi: quod ad omnem me fabulam tutum praestitit.* id est, omnem rumusculorum occasionem abstulit ac praecidit.

Ibid. *Et luxuria puerilis nuptialibus pedicis alliganda*] Apud Aristaenetum ille 2. 11. Ἑταίρας ἐρῶν, πρὸς ἀπαλλαγὴν τοῦ πόθου etc. συνεζύγην σώφρονι γαμετῇ. Herodianus de Severo: Ἠγάγετο αὐτῷ (filio suo) γυναῖκα, γάμῳ σωφρονίσαι θέλων. Plutarchus in de liber. educandis: Πειρατέον δὲ καὶ τοὺς τῶν ἡδονῶν ἥττους, καὶ πρὸς τὰς ἐπιτιμήσεις δυσηκόους, γάμῳ καταζεῦξαι· δεσμὸς γὰρ οὗτος τῆς νεότητος ἀσφαλέστατος. Ignatius in Damasceni Parallelis: Τοῖς νεωτέροις ἐπίτρεψον γαμεῖν, πρὶν διαφθαρῶσιν εἰς ἑταίρας. Clemens Constit. 4. 11. Σπουδάζετε ὥρᾳ γάμου ζευγνῦναι, καὶ συναλλάσσειν αὐτοὺς, ἵνα μὴ τῆς ἡλικίας ἐν ἀκμῇ ζεούσης ἔθη πορνικὰ ἀποβῇ. Augustinus Confess. 2. 3. *Iam pestilentiosum, et in posterum periculosum, sentiebat coërcere* (malim, *censebat coërceri*) *termino coniugalis affectus, si resecari ad vivum non poterat.* Martialis: *Legitimos esses cum vagus ante toros.* Hinc ista Panaegyristae ad Constantinum: *Quo enim magis continentiam patris aequare potuisti, quam quod te ab ipso fine pueritiae ilico matrimonii legibus tradidisti, ut primo adolescentiae ingressu formares animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis aetati voluptatibus in hoc sacrum pectus admitteres.* Et Claudiani de Honorio: *Hinc fuit ut primos in coniuge disceret ignes, Ordirique virum non luxuriante iuventa, Sed cum lege tori casto cum foedere vellet.* Bene autem heic *pedicis nuptialibus.* Apud Achillem lib. 1. ille: Γάμον ἤδη σοι δίδωσιν ὁ πατὴρ· τί γὰρ ἠδίκησας ἵνα πεδηθῇς. Augustinus ubi supra: *Quia metus erat ne impediretur spes mea compede uxoria.* Paulus 1. Cor. 7. 27. Δέδησαι γυναικί; μὴ ζήτει λύσιν. vide et Rom. 7. 2. Artemidorus 2. 58. de crucifixione loquens: Ἀνδρὶ ἀγάμῳ γάμον προσαγορεύει, διὰ τὴν δέσιν.

Ibid. *Puellam elegit*] Quintilianus Declam. 306. *Nusquam libertas tam necessaria quam in matrimonio est: ego eligam cum qua victurus sum*, etc. In Apologetico Noster de Pudentilla illum aliis procis praeferente: *Quae electio tam gravis foeminae*, etc.

Ibid. *Teneat*] Id est, *habeat*. ita Scriptoribus mos enim hoc in argumento loqui. In Plaut. Trucul. ille: *Haud mansisti dum ego darem illam, tute sumpsisti tibi: Nunc habeas ut nactus.* vide et Trinum. 1. 2. In Eiusdem Bacchid. *Illum exoptavit potius, habeat* etc. In Aulularia: *Ego quia sum tangere ausus, haud causificor quin eam Ego habeam potissimum.* et in Cistellaria: *Eo facetus, quia tibi alia est sponsa locuples Lemnia? Habeas.* Ovidius Metamorph. 7. *Procrin habe dixit: quod, si mihi provida mens est, Non habuisse voles.* vide ad 2. Oseae D. Hieronymum. apud Terentium 4. 4. Adelph. *Valeas, habeas illam quae placet.* Donatus ad eandem fabulam: *Haberi uxor dicitur.* Ioh. 3. 29. Ὁ ἔχων νύμφην, νυμφίος ἐστιν.

Ibid. *Nec prosapiae tantae tuae statuique de matrimonio mortali metuas*] Idem ad filiam Cererem apud Ovidium in Plutonis fabula: *Commune est pignus onusque Nata mihi tecum: sed si modo nomina rebus Addere vera placet, non hoc iniuria factum, Verum amor est: neque erit nobis gener ille pudori.*

Ibid. *Iam faxo nuptias non impares*] In amatoriis Graecorum Epistolis: Κυδίππην Ἀκοντίῳ συνάπτων, οὐ μόλυβδον ἂν συνεπιμίξαις ἀργύρῳ, ἀλλ' ἑκατέρωθεν ὁ γάμος χρυσοῦς ἔσται.

Ibid. *Porrecto* etc. *poculo*] Iuvenal. 11. *Plebeios calices* etc. *Porriget incultus puer.* Horat. Epist. 1. *Porrecta negantem Pocula.* Virgil. 8. *Et pocula porgite dextris.*

Ibid.

Pag. 125. *Porrecto Ambrosiae poculo, sume (inquit) Psyche, et immortalis esto*] Apud Lucianum Iupiter de Ganymede, in Deorum Dialogis: Ἄπαγε αὐτὸν ὦ Ἑρμῆ, καὶ πιόντα τῆς ἀθανασίας ἄγε οἰνοχοήσαντα ἡμῖν. Marcianus Capella: *Ipsamque nupturam Deo convenire non posse, nisi Superûm S. C. mortalis esse desineret.*

Ibid. *Istae vobis erunt perpetuae nuptiae*] Virgilius: *Connubio iungam stabili, propriamque dicabo.* ubi Servius: *Dicendo* connubio, *ostendit legitimum: dicendo* stabile, *longam promittit concordiam: id est, quae divortio careat.* Appuleius verbis continuo praecedentibus: *Nec unquam digrediatur a tuo nexu Cupido.*

Ibid. *Accumbebat summum torum maritus*] Horatius: *Summus ego.* Scholiastes: *Princeps, in summa parte lecti.* non ideo honoratiore tamen, quam hîc sponsae concessam putem.

Ibid. *Psychen gremio suo complexus*] Iuvenal. *Ingens Coena, sed et gremio iacuit nova nupta mariti.* Cicero Philipp. 3. *Cum in gremiis mimarum mentum mentemque deponeret.*

Ibid. *Cum sua Iunone Iupiter*] Lib. 8. *Cum suo Adone Venus Domina.*

Ibid. *Quod vinum Deorum est*] Dele glossema putidissimum.

Ibid. *Spargebant balsama*] Lib. 11. *Unguentis et geniali balsamo plateas conspergebant.*

Ibid. *Musae voce canora personabant, Apollo cantavit ad citharam*] Homerus: Δαίνυντ᾽, οὐδέ τι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐΐσης, Οὐ μὲν Φόρμιγγος περικάλλεος, ἣν ἔχ᾽ Ἀπόλλων, Μουσάων θ᾽ αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.

Ibid. *Voce canorâ personabant*] Gellius 1. 2. *Aquis canoris et avibus personante.*

Ibid. *Venus suavi Musicae suppari gressu formosa saltavit*] Revocemus antiquam lectionem *superingressa.* infra lib. 10. *Super has introcessit alia* etc. *gratia coloris ambrosei designans Venerem.* ubi forsan *coloris rosei* scribendum.

Ibid. *Tibias inflaret Satyrus*] Glossae: *Flat, flator*, φυσᾷ, αὐλητής. lege, *Flat*, φυσᾷ. *Flator*, αὐλητής.

Ibid. *Ad fistulam diceret*] Oxon. *ducerent.* et statim, *Sic rite Psyche* etc.

Ibid. *Compendiosum* etc. *iter*] Glossae: Σύντομος ὁδὸς, *compendiaria.*

Ibid. *Convênit in manum Cupidinis*] Lib. 8. *Modo ne in Thrasylli manum convenias.* Terentius Andr. *Hanc mihi in manum dat.* Donatus: *Confirmatae sunt legitime nuptiae per in manum conventionem.*

Ibid. *Et nascitur illis maturo partu filia* etc.] Plutarchus in Parallelis: Ἐγκύμων κατέστη, καὶ εἰς τὸν ὡρισμένον χρόνον ἐγέννησεν Αἰγίπανα. Horatius: *Rite maturos aperire partus Lenis Elithya.* Phocas in Virgilii vita: *Cum maturo premeretur pondere ventris.* supra lib. 5. *Cum praegnationem tuam plenus uterus maturaverit.*

Ibid. *Dolebam mehercules quod pugillares et stilum non habebam, qui tam bellam fabellam praenotarem*] Plaut. Mil. *Habes tabellas? vis rogare? habeo et stilum.* Ammian. Marcellin. lib. 28. *Cum haec eadem numerantes notarii prope triginta assistant cum thecis et pugillaribus.* supra lib. 2. *De industria quodam tabulis praenotante.*

Ibid. *Latrones reveniunt onusti*] Livius lib. 1. *In latrones praeda onustos impetum facere.* infra hoc libro: *Rapinis suis onusti coram deprehendunt latrones.* De fure Phaedrus: *Onustus sacrilegio cum discederet.*

Ibid. *Prandioque raptim tuburcinato*] Glossae: *Raptim*, ἁρπαγίμως, ἢ μετ᾽ ἁρπαγῆς. *tuburcinari*, est δαρδάπτειν. Hesychius: Δαρδάπτουσιν· ἐσθίουσι, σπαράττουσι, μετὰ ταραγμοῦ ἐσθίουσι. lege, Δαρδάπτουσι· λαύρως ἐσθίουσιν, etc. et post, μετὰ σπαραγμοῦ ἐσθίουσι. Idem Hesychius: Δάψαι· σπαράξαι, etc. καταφαγεῖν μετὰ σπαραγμοῦ, etc. vide et in δαρδάπτειν. infra heic, *ferinis animis coenam invadere* dicitur.

Ibid. *Me et equum, vectores rerum illarum futuros, fustibus exinde tundentes producunt in viam*] Supra lib. 3. *Nos duos asinos et equum meum productos e stabulo, quantum possunt gravioribus sarcinis onerant, et domo* etc. *minantes baculis exigunt.* optime hîc MS. Oxon. *prodeunt in viam.*

Pag. 126. *Producunt ad quampiam speluncam*] Scribe cum Oxon. fidenter, *perducunt.*

Ibid. *Ne breviculo quidem tempore refectos* etc.] Lib. 7. *Nec mihi misero statuta saltem cibaria pro tantis laboribus praestabantur.* ubi dicta confer.

Ibid. *Ob iter reducunt*] Oxon. et alii MSS. imo et editiones antiquissimae, *obiter reducunt.* quod a Beroaldo (quem secuti reliqui) perspectum minus, in duas voces dissiluit. *Obiter* hîc, est *similiter, ut ante*, vel, *e vestigio.* Glossae: *Obiter*, ὁμοίως, ἐν τῷ αὐτῷ. Glossae aliae: Ἐν τῷ αὐτῷ, *Eodem, inibi, obiter.*

Ibid. *Tantaque festinatione trepidabant*] Supra lib. 3. *Me trepidatio simul et festinatio decepit.* Quintilianus 17. Declam. *Nec praecipiti* etc. *trepidatione festinant.*

Ibid. *Unde crebris aeque ingestis ictibus* etc. *me aegre ad exurgendum compellunt*] Lib. 4. *Certus atque obstinatus nullis verberibus ad ingrediundum exurgere.*

Ibid. *Quid, quod et pessimo pede domum nostram accessit?*] Apud Plautum Rudente: *Malam fortunam te in aedes adduxi meas.* contra apud Laërtium Xeniades de Diogene: Ἀγαθὸς δαίμων εἰς τὴν οἰκίαν μου εἰσελήλυθε.

[*Ll* 3] Ibid.

Ibid. *Sarcinas istas, quamquam invitus pertulerit*] Lib. 5. *Nec immemor Zephyrus regalis edicti, quamvis invitus, susceptas eas* etc. *solo reddidit.* et 9. *Apponebat propere mulier, quamvis invita.*

Ibid. *Protinus eum vulturiis gratissimum pabulum futurum praecipitabo*] Plaut. Rudente: *Teque ambustulatum obiiciam magnis avibus pabulum.* id est, *vulturiis.* supra hîc lib. 5. *Alitibus bestiisque obvium ferens pabulum, interiit.* Seneca Thebaïde: *Et in alta nemora pabulum misit feris Avidis, avibusque.* Idem Thyeste: *Utrumne saevis pabulum alitibus iacent?* et ibidem: *Avibus epulandos licet Ferisque triste pabulum saevis tradat.* De Aiace apud Sophoclem Menelaus: Ἐκβεβλημένος, Ὄρνισι φορβὴ παραλίοις γενήσεται. Bene et *gratissimum pabulum.* Homerus: Οἱ δ' ἐπὶ γαίῃ Κείατο γύπεσσι πολὺ φίλτεροι ἢ ἀλόχοισιν. Statius 9. Thebaidos: *Ibitis aequoreis gratissima pabula monstris.*

Ibid. *Dum secum mitissimi homines altercant de mea nece, iam et domum perveneramus*] Infra heic: *Dum sic mecum fustem quatiens benignus iocatur comes, iam domus eorum extremam loricam perveneramus.* Fuxensis et Oxon. *immitissimi:* at spissis Lucii nostri ironiis magis alterum congruit.

Ibid. *Timor mihi ungulas alas fecerat*] Lib. 8. *Sed illa pernicies non erat alacritatis meae, at formidinis indicium. Denique mecum sic reputabam, Pegasum inclytum illum metu magis volaticum fuisse, ac per hoc merito pinnatum proditum.*

Ibid. *Nulla salutis nostrae cura, ac ne meae quidem necis habita*] Imo habitam curam necis eius et praecedentia et sequentia monstrant: unde conieceram legendum, *at meae quidem n. h.* post vidi in Oxoniensi ἰσοδύναμον, *sed meae q. n. h.* Sententia loci clara est, nec dissimilis Taciti illa: *Non esse curae Diis securitatem nostram, esse ultionem. Salutem* heic *refectionem* intellige, ex qua salus. hinc infra 10. *refectioni se ac saluti redderet.* vide ad Act. 27. 30. notata.

Ibid. *Comitibus adscitis qui vulnerati remanserant, dudum recurrunt*] *Dudum recurrere* quid valeat, non dispicio: conabar ita locum constituere: *C. a. qui dudum vulnerati remanserant, recurrunt.* vel pro *dudum*, *domum* substituere. supra paulo: *Quid, quod et pessimo pede domum nostram accessit?* Elmenhorstius, qua fultus auctoritate non video, *actutum* edidit.

Ibid. *Relaturi taedia, ut aiebant, nostrae tarditatis*] Oxon. *relectiori taedio* etc. MS. alius: *relatori taedio.* subesse aliquid puto vulgato rectius.

Ibid. *Quid stas Luci?*] Melius ita Beroaldus, quam qui postea, *restas* et *instas:* Novius apud Nonnium: *Quid stas? age, move te.* Horatius in Epistolis: *Quid stas?* Infra hîc lib. 11. *Quid stas ô Luci?* In Menaechmo Plautino: *Quid statis?* etc. *iam sublimem raptum oportuit.* Terentius Eunuch. *Quid stas?* ubi Donatus: *Quasi sit causa properandi.* Haec autem cum sequentibus *Vides istas rupinas* etc. concepta (ni fallor) sunt ex Horatii hisce: *Quid mori cessas? potes hac ab orno, Pendulum zona bene te secuta, Laedere collum.*

Ibid. *Vel quid iam novissimum exspectas?*] Apud Quintilianum ille Declam. 9. *Tota cogitatione in mortem intentus, exspectabam cruentum illum confectorem. Novissimum*, pessimum, ultimum, rerum omnium extremum. supra lib. 1. *Pol dignus es extrema sustinere, et, si quid est novissimo extremius.* Tacitus Annal. 6. de Caligula: *A summâ spe novissima exspectabat.* et apud Eundem 12. *Novissima quidem exempla meritum.*

Ibid. *Praeminentes silices*] MSS. Oxon. et Fuxensis, *prominentes:* at antiquissimae editiones *praeminentes.* pro quo nonnulli *praeeminentes*, quod eodem cadit. Tacitus Annal. 12. *Caeteros peritia legum praeminebat.* Idem de Vatinio quodam Annal. 15. *Optimi cuiusque criminatione eo usque valuit, ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malis praemineret.* ubi *malos* pro *malis* Pichena, quod in sensum eundem recidit. ego *magis* scribendum conieci, hac sententia. Praeminebat gratia, praeminebat pecunia, at magis vi nocendi praeminebat. Ammian. lib. 17. *Ferocia pares, et numero praeminentes.* sic *labra praeminentia* Eugraphius ad 2. 3. Eunuchi. Augustinus Confess. 6. 9. *Ingressus ad cancellos plumbeos qui vico argentario desuper praeeminent.*

Ibid. *Quae te penetrantes qua decideris, membratim dissipabunt*] Colvius, *quaqua decideris*, quod non improbo. est autem in Florentino, *Q. te pene antequam decideris m. d.* quae vel ipsa, vel, quae illi cognata, *Q. te penetrantes antequam decideris m. d.* est lectio, me Iudice, vulgatae longe praeferenda. Supra 5. de sorore Psyches, quae e scopulo se praecipitem dedit: *Nec tamen ad illum locum vel saltem mortua pervenire potuit: nam per saxa cautium membris iactatis atque dissipatis* etc. *alitibus bestiisque obvium ferens pabulum interiit.*

Ibid. *Non vultum tibi tantum laboresque asini*, etc.] In Oxon. *Non victum tibi* etc. quae lectio lenocinatur quidem. supra fine tertii: *Praesentem casum tolerans, in asini faciem foena rodebam.* nil tamen ausim mutare: nam et 4. de ursae pellem subeunte: *Vultu ferino se recondit*, et supra hoc ipso libro: *Potest in asino meo latere vel vultus hominis, vel facies Deorum.*

Pag.

Pag. 127. *Sed hirundinis tenue membranulum circumdedit*] In vet. Onomastico: *Membranulum*, μηνίγγιον. Glossae: Ὑμὴν, *membranum*, *membranium*. scribe *membranulum*. pro *hirundinis* alii *hirudinis*: quibus non illibenter accedo.

Ibid. *An custodiam anus semimortuae formidabis?*] Sophocles: Ἦ καὶ δοκεῖτε τοῦ τυφλοῦ τιν' ἐντροπὴν ἢ φροντίδ' ἕξειν.

Ibid. *Pedis tui calce unica finire poteris*] Donatus ad Phorm. 1. 2. *Modo* calces, *non partes plantae*, *sed percussiones pedum plagasque significat*. *Finire* Graecum est, sic Iustinus lib. 27. de Sohemo: *Equo praecipitatus finitur*. et *bestiis finiri*, Tertullianus in de Scorpiace.

Ibid. *Et alacri statim nisu lorum quo fueram destinatus abrumpo*, *meque quadrupedi cursu proripio*] Homerus: Δεσμὸν ἀποῤῥήξας θείει, πεδίοιο κροαίνων. Infra hic lib. 7. *Cervice ardua elata*, *lorum quo tenebar abrumpo*, *meque protinus pernici fugae committo*. et 9. *Protinusque vinculo quo fueram deligatus abrupto*, *cursu me totis pedibus proripio*. *Lorum* hic est qui Polluci 1. 11. δεσμὸς ἐπιφατνίδιος.

Ibid. *Meque quadrupedi cursu proripio*] Infra 11. *Inclementi me cursu proripui*. Aldhelmus in de Virginit. *Multimodas ferarum naturas quadrupedante cursu orbem lustrantes*. sic *quadrupedantes cantherii* apud Plautum Casina.

Ibid. *Astutulae anus milvinos oculos* etc.] Oculos insidiantes mihi, me furtim observantes. Artemidorus in Oneirocriticis: Ἱέραξ φανεροὺς (malim φανερῶς) καὶ ὁμόσε χωροῦντας· (σημαίνει) ἰκτῖνος λάθρα ἐπιθεμένους. verborum et temporis haud parum heic frustra Beroaldus insumpsit.

Ibid. *Capta super sexum* etc. *audacia*] Infra statim: *Virili constantia sumptâ*. Iustinus de Xerxe et Artemisia: *Ut in viro muliebrem timorem*, *ita in muliere virilem audaciam cerneres*. Pro *super* lege *supra*: Scriptor de Excid. Hierosolymit. 1. 12. *Nec mediocris mulieri spiritus*, *ut maxima quaeque auderet*: *atque supra foeminei sexus conditionem praelia disponeret*.

Ibid. *Lorum prehendit*, *ac me deducere ac revocare contendit*] Infra hic: *Prenso loro*, *retrorsum me circumtorquet*.

Ibid. *Incussis in eam posteriorum pedum calcibus*] Ὁπλὰς δι' ὀπισθίων ποδῶν κινεῖν Simonides apud Suidam vocat. Infra hic lib. 9. *Ad tutelam salutis crebris calcibus velitatus*.

Ibid. *Illa*, *quamvis humi prostrata*, *tamen tenaciter loro inhaerebat* etc.] Aeneid. 1. *Fertur equis*, *curruque haeret resupinus inani*, *Lora tenens tamen*: *huic cervixque comaeque trahuntur Per terram*.

Ibid. *Tamen tenaciter loro inhaerebat*, *ut procurrentem* (*me*) *aliquantisper tractu sui sequeretur*] Bene Oxon. *Tam tenaciter* etc. Pro *tractu sui*, alii *tractus vi* malunt.

Ibid. *Sed frustra fletibus cassum tumultum commovebat*] Virgil. 3. Aeneid. *Talia fundebat lacrymans*, *longosque ciebat Incassum fletus*. ubi et Servius: (satis commode ad aniculam istam) *Et* longos, *et* incassum: *ut foemineos affectus monstraret*. Glossarium: *Frustra*, *nequicquam*, *cassum*. ubi malim *incassum* scribi. Onomasticon vetus: *Incassum*, φρούδως.

Ibid. *Quippe cum nullus afforet*, *qui suppetias ei ferre posset*] In Pluto Aristophanis: Βοηθεῖς τὸν οὐ παρόντα, καὶ μάτην καλεῖς. vide Iudic. 18. 28.

Ibid. *Sumptaque audacia virili*] Est in nonnullis *constantia*. ego positam lectionem amplector. Iustinus lib. 27. *Puer* etc. *virilem audaciam sumit*. Sallustius de Sempronia: *Multa saepe virilis audaciae facinora commiserat*. Supra heic, de eadem ista: *Capta supra sexum* etc. *audacia*.

Ibid. *Facinus audet pulcherrimum*] Γενναίαν ἅμα καὶ συνετὴν βουλὴν βουλεύεται· ut 6. Anna Comnena locuta. Terent. 2. 3. Heautont. *Non fit sine periculo facinus magnum*, etc.

Pag. 128. *Sed et plagarum suasu*, *quae me saepicule commonebant*] E converso lib. 7. *Caeterum plagis non magnopere commovebar*. *Commovebant* heic (ut passim) Latine, et venustissime. Virgilius: *Pendens in verbera*, *telo Admonuit biiuges*. apud Plautum ille: *Ego vos commonefaciam monumentis bubulis*. sic νουθετεῖν κονδύλοις in Vespis Aristophanes. In Cod. Theodos. de Curs. publ. etc. *Placet ut omnino nullus in agitando fuste utatur*, *sed aut virga*, *aut certe flagro*, *cuius in cuspide infixus brevis aculeus*, *pigrescentes artus innocuo titillo poterit admonere*.

Ibid. *Obliquatâ cervice*] Oxon. et alius MS. *obliquatus a cervice*. rectior sine dubio vulgata lectio. Infra lib. 9. *Dum obliquata cervice per quandam fenestrulam* etc. *prospicere gestio*.

Ibid. *Suspirans altius*] Idem Oxon. et Vicentiae editus *spirans*, minus recte. De Axa Calebi filia Iosue 15. 18. *Suspiravitque*, *ut sedebat in asino*. qui locus valde similis isti.

Ibid. *Vos Superi*, *tandem meis supremis periculis opem ferte*, *et tu Fortuna durior iam saevire desine*: *sat tibi miseris istis cruciatibus litatum est*] Infra lib. 11. *Tu meis iam nunc extremis aerumnis subsiste*: *tu fortunam collapsam adfirma*: *tu saevis exantlatis casibus pausam pacemque tribue*: *sit satis laborum*, *sit satis periculorum*, ad quem locum plura.

Ibid. *Et tu Fortuna durior*, *iam saevire desine*] Ex illis Virgilii: *Et tu Saturnia Iuno*, *Iam melior*, *iam Diva precor*. Aen. 12. Donatus ad 2. 1. Adelph. *Iam*, *tarditatis incusatio est*.

Ibid.

Ibid. *Tuque praesidium meae libertatis, meaeque salutis* etc.] Iustinus de Eumene: *Nunc commilitones suos, nunc patronos appellans*, etc. *nunc refugia salutis suae, et unica praesidia commemorans.*

Ibid. *Parentibusque* etc. *reddideris*] Donatus ad 4. 5. Eunuch. *Redditur* (quis) *cupientibus, ut Domino servus: restituitur cupiens, ut patriae civis: redditur et restituitur, ut parenti filius.*

Ibid. *Iubam istam tuam probe pectinatam* etc.] De cervo Virgilius: *Ornabat cornua sertis, Pectebatque ferum.* Aeneid. 7. Pollux. I. 11. ubi de ferramentis ad equorum curam pertinentibus: Τὸ δὲ διακτενίζον σιδήριον ὀδοντωμένον, πριονῶδες, ψῆκτρα (καλεῖται).

Ibid. *Meis* etc. *monilibus adornabo*] In uno Fulvii MS. erat, *manibus a.* quod (impense ab eruditis laudatum) nos nulli rei putamus. Claudianus de Honorii equo: *Luxurient tumido gemmata monilia collo.* In de Deo Socratis Noster: *Neque enim in emendis equis phaleras consideramus*, etc. *si ex argento, et auro, et gemmis monilia variae gazae dependent*, etc. Bardesanes de mulieribus Bactrorum, (apud Eusebium) Μετὰ πολλῆς φαντασίας ἔφιπποι, κοσμοῦσαι πολλῷ χρυσῷ καὶ λίθοις βαρυτίμοις τοὺς ἵππους.

Ibid. *Setas incuria lavacri congestas, et horridas*] In Apologetico: *Capillus hirtus et nodosus, prorsus inenodabilis diutina incuria.* ubi olim notata confer. τὸ *lavacri*, ut in aliis exemplaribus, melius abfuturum puto.

Ibid. *Bullisque te* etc. *aureis inoculatum, veluti stellis sidereis relucentem*, etc.] Virgilius 2. *Illi stellatus iaspide fulva Ensis erat.* ubi Servius ex Caio Memmio: *Syriaci calceoli gemmarum coloribus stellati.* et Aen. 3. *Armatumque auro circumspicit Oriona.* Servius: *Quia et balteus eius et gladius clarissimus fingitur stellis.* Oxon. *inauratum:* haud bene. Onomast. vetus: *Inoculo*, ἐνοφθαλμίζω.

Ibid. *Et gaudiis popularium pomparum ovantem*] Lib. 11. *Comitare pompam sospitatricis Deae inovanti gradu.*

Ibid. *Edulia mitiora*] Eodem lib. 11. *Miti commonstrato cibo.*

Ibid. *Te* etc. *saginabo*] Glossae: *Saginat asinum*, σάσσει ὄνον.

Ibid. *Et depictam in tabula* etc.] Vide supra ad pag. 111. annotata.

Ibid. *Saginabo*] Oxon. *saturabo.*

Pag. 129. *Accedes antiquis et ipse miraculis: credemus etiam exemplo tuo veritati*] Cornutus apud Sosipatrum Charisium: *Iamque exemplo tuo etiam principes civitatium et Poëtae incipient similia fingere*, etc. In ista autem, (quod in multis editionibus factum) *exemplo tuae veritatis* etc. excusum volui.

Ibid. *Ad quoddam pervenimus trivium, unde me arrepto capistro dirigere dextrorsum magnopere gestiebat*, etc. *sed ego gnarus latrones illac ad reliquas commeasse praedas, renitebar fortiter*] Horatius ex persona equitis vectorem alloquentis suum: *Quo tendis? non mihi Cumas Est iter, aut Baias, laevâ stomachosus habena Dicet eques: sed equi fraenato est auris in ore.* ad quae vetus Scholiastes: *Hoc tanquam ad equum loquitur secundum consuetudinem vertentem: sed in equi ore fraenato* (inquit) *auricula est quae locorum famam captat, et prout cognôrit, iter dirigit.* quae, sententiâ longinquâ satis prolata, aptissime tamen Appuleium illustrant.

Ibid. *Unde me arrepto capistro dirigere dextrorsum* etc.] Vide Iacobi 3. 3. et ad eum locum adnotata nobis.

Ibid. *Quid facis?* etc. *quid agis?*] Vide supra ad pag. 119. init. notata.

Ibid. *Quid meis pedibus facere contendis?*] Venustissime. sic Philo de homine equo residente: Ἐφιδρύμενος, ἄνευ καμάτων, μετὰ πολλῆς ἡσυχίας, ἑτέρου σώματι καὶ ποσὶν τὸν δρόμον ἐξανύει. Ambrosius de Christo: *Vestigiis nostris descendit ad mortis aerumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad coelum.*

Ibid. *Meis pedibus facere* etc.] Sic *animo alieno amare* Declam. 306. apud Quintilianum.

Ibid. *Diversa tendentes*] Lib. 2. *Populus aestuat, diversa tendentes.* ubi dicta confer.

Ibid. *In causa finali*] In causa finium.

Ibid. *Imo viae erciscundae*] Allusio ad notissimam Iuris formulam, *familiae herciscundae.*

Ibid. *Coram deprehendunt*] Supra lib. 3. *Reum coram deprehensum.* et 9. *Non quidem coram* etc. *deprehensum.*

Ibid. *Et ad Lunae splendorem iam inde longius cognitos*, etc.] Virgilius Aeneid. 2. *Addunt se socios Ripheus, et maximus annis Iphitus, oblati per Lunam.* ubi Servius: *Ducti per Lunae splendorem.* Idem 9. *Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra Prodidit immemorem, radiisque adversa refulsit.* et 10. *Iamque dies coelo concesserat, almaque curru Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum.* et statim: *Atque illi medio in spatio chorus ecce suarum Occurrit comitum, Nymphae.* ad quae Servius: *Lunae non sine causa commemoratio fit: nam aliter videri Nymphae non poterant.* Ammianus lib. 26. ubi de Procopio saltubus et nemoribus delitescente: *Cum a vespertino ortu Luna praelucens in diem metum augeret, undique facultate evadendi exemptâ*, etc. Dio Cassius de M. Crasso: Ἐπεχείρησε μὲν νυκτὸς ἀποδράναι, προδοθεὶς δὲ ὑπὸ τῆς σελήνης, πανσελήνου οὔσης, οὐκ ἔλαθε. Achilles Tatius lib. 3. Ὁρῶ δύο τινὰς ἐξ ἐναντίας (σεληναῖα δ' ἦν) σπουδῇ θέοντας. Diodorus lib. 13. Ἀνακρινόμενος πῶς νυκτὸς οὔσης ἐπε-

ἐπεγίνωσκε τὰς ὄψεις· ἔφησε, πρὸς τὸ τῆς σελήνης φῶς ἑωρακέναι.

Ibid. *Risu maligno salutant*] Γέλωτι ὑβριστῇ, ut 2. 6. apud Aristaenetum. Supra hic: *Latissimum cachinnum tollens, et qualem solent furenter irati.* vide quae olim ad Apologiam p. 12. adnotata. In nonnullis male *risu magno s.*

Ibid. *Quorsum istam* etc. *lucubratis viam?*] Glossae: Εἰς ποῖον μέρος, *quorsum. Lucubrare viam* est quod lib. 1. *antelucio ire* vocat. sic infra 9. *farinam lucubrare.*

Ibid. *Nec noctis intempestae Manes larvasque formidatis?*] Apud Afranium: *Quis tu es ventoso in loco Soleatus, intempesta nocte sub dio?* etc. *Noctem intempestam* non necesse est praecise accipere. Festus: *Intempestam noctem dicimus pro incertiore tempore, quia non tam facile noctis horae intelligi possunt.* et Servius ad Aeneid. 12. docet *intempestum* non tantum peculiarem noctis partem significare, sed et perpetuum noctis epitheton esse.

Ibid. *An tu probissima puella parentes tuos intervisere properas?*] Amaro risu prolata. talia supra illa: *Tandem dignata es socrum tuam salutare? an potius maritum* etc. *intervisere venisti? Probissima puella* moralissime dictum. Terent. 3. 5. Andr. *Ehodum bone vir.* ubi Donatus: Εἰρωνικῶς, *cum omne genus contumeliae leve in eum dicimus* (lege *ducimus*) *in quem ferimur iracundiâ.* Malunt docti heic (ex duobus MSS.) *p. tuos furtim visere p.* et *furtim* quidem *furto noctis* ex Tacito interpretari poterant. at nil mutandum apparet, cum ex Onomasticis illis, *Interviso*, διασκέπτομαι; tum praecipue ex collatione locorum parilem amaritudinem exprimentium, vocisque utroque loco unius et eiusdem adhibitione.

Ibid. *Solitudini tuae praesidium* etc.] Lib. 10 *Desolatam*, etc. *parentumque praesidio viduatam.*

Ibid. *Prenso loro retrorsum me circumtorquet*] Μετάγει. Iacob. 3. 3. ubi dic a vide.

Ibid. *Nec baculi nodosi quem gerebat suetis ictibus temperat*] In Cod. Theodos. de cursu publ. *Plerique nodosis et validissimis fustibus inter ipsa currendi primordia animalia publica cogunt quicquid habent virium, absumere.* supra lib. 1. *Dei medici baculo, quem ramulis semiamputatis nodosum gerit.* Glossarium: *Nodus*, etc. ῥάβδου κονδύλωμα.

Pag. 130. *Titubas ac vacillas?*] Lib. 5. *Titubante, ac saepius vacillante vestigio.* Glossarium: Σκάζω, *titubo, vacillo.*

Ibid. *Et putres isti tui pedes fugere possunt, ambulare nesciunt?*] Lib. 7. *An ipsum quidem saepius incursare calcibus potuisti, moriturum vero alacritate simili defendere nequivisti?* In Bacchid. Plaut. *Comesse panem tres pedes latum potes? Fores pultare nescis?* In Eiusdem Milite: *Si quid faciendum est mulieri male atque maliciose, Ea sibi immortali memoria est meminisse, et sempiterna: Sin bene quid aut fideliter faciendum est, eo deveniunt, Obliviosae extemplo uti fiant, meminisse nequeunt.* Salvianus lib. 6. *Infirmi ad ambulandum, robusti ad bibendum: ad gressum nutabundi, ad saltandum expediti.*

Ibid. *Isti tui pedes fugere possunt?*] Ammianus lib. 16. *Ad solam fugam strenui.*

Ibid. *At paulo ante vincebas pinnatam Pegasi celeritatem*] In Plautina Trinummo: *Ubi usus nihil erat dicto, Spondeo Dicebat: nunc hic cum opus est, non quit dicere.* Gloss. Μικροῦ πρότερον, *paulo ante.*

Ibid. *Fustem quatiens*] Simul, ut vidimus, eius de tarditate stomachans. Plautus Aulul. *Si hodie hercle fustem accepero aut stimulum in manum, Testudineum istum ego tibi grandibo gradum.*

Ibid. *Domus eorum extremam loricam* etc.] Simile τὸ τῆς πόλεως κράσπεδον apud Themistium. de *domus lorica* fuse hic Beroaldus.

Ibid. *Procerae cupressus*] Lib. 5. *Involavit proximam cupressum, deque eius alto cacumine*, etc.

Ibid. *Cum suo sibi funiculo devinctam dedere praecipitem*] Lib. 7. *Ipsos partim constrictos uti fuerant, provolutosque in proximas rupinas, praecipites dedere.* Et nota, non sepultam hanc anum, sed praecipitem datam. Servius ad Aen. 12. *Cautum fuerat in Pontificalibus libris ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abiiceretur.* Fabulam Graecanicam quidem narrat Appuleius noster, ita tamen ut Romanos mores ubique alludat.

Ibid. *Coenam, quam postrema diligentia praeparaverat* etc.] Ita *sollicitae cautionis diligentia praeparare* lib. 2. apud Arnobium. Palat. et Oxon. Codd. *postuma diligentiâ:* quod nemo doctior et sagacior non vulgato praetulerit.

Ibid. *Ferinis invadunt animis*] Seneca Epist. 104. *In pascuum emissus, cibum meum invasi.* en quam emphatice, imo Latine ubique Appuleius noster.

Ibid. *Incipiunt de poena nostra* etc. *secum considerare*] In Senecae Apocol. *De genere poenae diu disputatum est, quid illum pati oporteret.*

Ibid. *Utpote in coetu turbulento variae sententiae fuere*] Ἄλλοι ἄλλό τι ἔκραζον, ἦν γὰρ ἡ ἐκκλησία συγκεχυμένη.

Ibid. *Ut primus vivam censeret cremari puellam*] Theophylactus ad 1. Cor. 13. Χαλεπώτερον πάντων τὸ ζῶντά τινα κατακαῆναι. infra lib. 9. *Addebat, et tales oportere vivas exuri foeminas.*

Ibid. *Tunc unus, omnium sedato tumultu* etc.] Simile Act. 19. 35. vide.

Ibid. *Placido sermone sic orsus est*] Virgil. *Maximus Ilioneus placido sic pectore fatur.*

Ibid. *Ac ne meae quidem modestiae congruit, pati vos ultra modum, delictique saevire terminum*] Horatius: *Adsit Regula, peccatis quae poenas irroget aequas. Nec scutica dignum horribili sectere flagello.* Iuvenalis: *Flagrantior aequo Non debet dolor esse viri, nec vulnere maior.* non ultra modum saevire (inquit.) Cicero Offic. 1. *Est enim ulciscendi et puniendi modus.* hinc *Iudices immodice saevientes* in l. 2. Cod. de custod. reorum. Isidorus Pelusiota: Ἀντιμετρεῖν χρὴ τοῖς πλημμελήμασι τὰς τιμωρίας, οὐκ ὑπερβαίνειν. Iulianus: Οὐδὲ γὰρ εἰ σφόδρα ἐπιτήδειοί τινες εἰσὶ πάσχειν κακῶς, καὶ κολάζεσθαι, τούτους ἐκ παντὸς ἀπολέσθαι χρεών. Leo Imper. Constit. 61. Τῆς κρίσεως ἀπαντώσης κατὰ λόγον τοῦ ἁμαρτήματος τοῖς ἐξημαρτηκόσι, δίκης ὡς ἀληθῶς ἐστι ψῆφος, καὶ δίκαιον τὸ τούτοις ἐπιτιθέμενον τίμημα· βαρυτέρας δὲ κολάσεως ἢ ἐφ᾽ ὅσον ἔδει τὸ πταῖσμα κολασθῆναι προϊούσης, οὐκέτι δίκης ἔργον, ἀδικίας δὲ εἴη τὸ γιγνόμενον.

Ibid. *Ac ne mortis quidem maturatae festinas tenebras accersere*] Sed diutinam poenam aliquam cita morte graviorem. Claudianus de Ruffino: *Cruciatus, vincla, tenebras, Dilato mucrone parat.* Ruffinus, versione Eusebianae Historiae, de Origene: *Ut mille mortibus vexatus sit, nec tamen una ei quam exoptabat accideret: persecutore summo studio id gerente, ut nec interitus praestaretur, nec poena cessaret.* Philo de carnificibus Alexandrinos Iudaeos lacerantibus: Οὐκ εὐθὺς ἐπὶ τὰ κυριώτατα μέρη τὰς πληγὰς φέροντες, ἵνα μὴ θᾶττον τελευτήσαντες, καὶ τὴν τῶν ὀδυνηρῶν ἀντίληψιν ἀποθῶνται. et nota hîc *mortis tenebras.* Virgilius: *Malum virus serpentibus addidit atris.* Servius: *Noxiis: ad tenebras et mortem* (id est, ad mortis tenebras) *mittentibus. Mortis tenebras* dixit et Orig. lib. 30. Isidorus. Hesychius: Σκότος, ὄλεθρος, θάνατος. Σκότος ὄσσε κάλυψε· θάνατος κατέσχεν.

Ibid. *Meis itaque consiliis auscultantes* etc.] Lib. 8. in fine: *Expergite mi ausculta.* ubi dicta vide.

Ibid. *Vitam puellae, sed quam meretur largimini*] Nudam nempe per mediam asini alvum insuite: *Ingrata miserae vita ducenda est in hoc, Novis ut usque suppetat doloribus.*

Ibid. *Semper pigro quidem, sed manducone summo*] Γαστὴρ ἀργός ergo, ut apud Paulum Epimenides locutus.

Ibid. *Virginalis fugae sequestro*] Sic 9. *Anus stupri sequestra.* Interpres vetus Deuter. 5. 5. *Ego sequester et medius fui.* Guntherus 6. *Latores apicum, mandatorumque sequestri.* de deo Tertullianus: *Idoneus patientiae sequester.* his adde a Beroaldo notata.

Pag. 131. *Per mediam alvum nudam virginem* etc. *insuere, ut sola facie prominente* etc.] Capitolinus de Macrino: *Cum quidam milites ancillae hospitis pudorem depravare suspecti essent, et per quendam frumentarium ille didicisset, adduci eos iussit, interrogavitque utrum esset factum: quod cum constitisset, duos boves mirae magnitudinis vivos subito aperiri iussit, atque his singulos milites inseri, capitibus, ut secum colloqui possent, exstantibus.*

Ibid. *Super aliquod saxum scruposum* etc. *exponere*] Lib. 4. *Montis in excelsi scopulo desiste puellam.*

Ibid. *Insuticium* etc.] Ita Scaliger correxit: at Oxon. et alius MS. *insiticium* legunt.

Ibid. *Et Solis ardentis vaporibus tradere*] Hieronymus in vita Pauli: *Perseverantem in fide Martyrem* etc. *iussit melle perungi, et sub ardentissimo Sole* etc. *resupinari.* Gellius 6. 4. de Carthaginiensibus: *Uti erat Sol visus ardentissimus, repente* (e tenebris Regulum) *educebant, et adversus Solis ictus oppositum continebant.*

Ibid. *Cum vermibus membra laniabuntur*] Valer. Maximus 9. 2. *Atque ut diutinus poenae sufficiant, cibo et potione infelice spiritum prorogare, donec intus putrefacti laniatus sint animalibus, quae tabidis corporibus innasci solent.* ubi nova et mira voce Pontanus *saniatui* substituit. ex isto autem Appuleii loco mutandum nil apertissimum est.

Ibid. *Cum canes et vultures intima protrahent viscera*] Catullus: *Lingua exsecta avido sit data vulturio: Effossos oculos voret atro gutture corvus, Intestina canes, caetera membra lupi.* confer quae olim dicta pag. 184. ad Apologiam.

Ibid. *Inediae diutinae lethali fame tabescet*] Plinius 2. 63. *Ne* etc. *dirae famis mors* etc. *lenta nos tabe consumeret.* Quintilianus 12. Declam. de *Fame* loquens. *Animi tormentum, corporis tabes*, etc.

Ibid. *Mortem sibi fabricare*] Est Graecum. sic θάνατον τεύχειν Homerus: et supra hîc lib. 3. *risum fabricare.*

Ibid. *Talibus dictis, non pedibus sed totis animis latrones in eius vadunt sententiam*] Infra lib. 7. *Talibus dictis universi omnes adsensere. Orantem sequitur clamor, cunctisque cruentas Porrexere manus, inventaque tristia laudant.*

Ibid. *Non pedibus, sed totis animus* etc.] Lib. 7. *Et, quod aiunt, pedibus in sententiam meam vado.* Apud Quintil. De lam. 12. *Pedibus manibus ivimus in sententiam necessitatis.*

Ibid. *Quod meis tam magnis auribus accipiens, quid aliud quam meum crastinum deflebam*

iam cadaver?] Infra lib. 8. *Haec audiens, iam meas futuras novas cogitabam aerumnas.*

LIBER SEPTIMUS.

Pag. 132. *Ut primum tenebris abiectis dies inalbebat*] Initio 2. *Ut primum nocte discussa Sol novus diem fecit. abiectis*, tanquam onerosum amiculum a nocte luci circumiectum: hinc μελάμπεπλος et κυανόπεπλος νὺξ toties apud Graecos. *Inalbebat*, ut apud C. Mattium: *Albicascit Phoebus, et recentatur.*

Ibid. *Candidum Solis curriculum cuncta collustrabat*] Supra lib. 1. *Et iam iubaris exortu cuncta collustrantur.* ubi dicta vide.

Ibid. *Quidam de numero latronum pervenit: sic enim mutuae salutationis officium indicabat*] Simillimus hic locus initio quarti: *Apud notos et familiares latronibus senes divertimus: sic enim primus aditus, et sermo prolixus, et oscula mutua* (quae hic *officium mutuae salutationis* vocat) *quamvis asino, sentire praestabant. Officium salutationis* (ut multa) a Suetonio accepit. *Mutuae* autem *salutationis officium* heic, ut 5. *Alternis amplexibus mutuae salutationis expletis.* et apud Gellium 2. 2. *Assurrexit placide Taurus, et post mutuam salutationem resedit.*

Ibid. *Residens*] Nec male, si faverent libri, *resistens.*

Ibid. *Ex anhelitu recepto spiritu*] Terentius 3. 2. Adelph. *Animum recipe.* ubi Eugraphius: *Spiritum resume.* et Donatus: *Quia prae anhelitu verba continuare non possit.* Cicero 1. de Officiis: *Cum nimias suscipimus celeritates, anhelitus moventur.* Arnobius lib. 1. *Anhelum pectus spiritum ex ore iaciat.* Achilles Tatius lib. 5. Εἰστρέχει τις τῶν θεραπόντων ἀσθμαίνων. Apollonius Rhodius: Ἐτ' ἄσπετον ἐκ καμάτοιο Ἆσθμ' ἀναφυσιόων. Scholiastes ad Eiusdem 2. Ἄσθματι· τῷ ἐν τῷ δρόμῳ γενομένῳ φυσήματι. Heliodorus 8. Ἐφίσταταί τις ἱππεὺς ὑπὸ συν τόνου τῆς ἐλασίας ὡς ἐδόκει πνευστιῶν. Hesychius: Ἐπασθμαίνων· πνευστιῶν. *Spiritum recipere* praeter Nostrum et Terentium, dixit et Plautus Menaechmo. Servius ad Georg. 1. *Cum captos pisces super herbam exposuisset in litore, et illi recepto spiritu rursus mare petissent*, etc. Petronius: *Apertis scilicet aliquatenus labris, quibus et spiritum recipere possitis, et cibum.*

Ibid. *Immixtus ego turbulis popularium*] Lib. 4. *Populi* etc. *turbulis immisceor.* Oxon. et Fuxens. *turbellis.*

Ibid. *Commendatitiis literis*] Ἐπιστολαῖς συστατικαῖς 2. Cor. 3. 2. Gloss. *Commendatitiae literae*, συστατικά.

Ibid. *Vinum commentitus bonum* etc.] Sirachides 11. 31. *Non omnem hominem inducas in domum tuam, multae enim sunt insidiae dolosi.* Ὑποκρινόμενος ἑαυτὸν δίκαιον, ut Luc. 20. 20. Virgilius *bonum simulare* dixit, et Lucilius: *Blanditia certare, bonum simulare virum se, Insidias facere.* Cicero: *Totius iniustitiae nulla capitalior est, quam eorum, qui cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni esse videantur.* Minucius Octavio: *Creduli circumveniuntur ab his quos bonos putaverunt.* In Mimo veteri: *Malus bonum cum simulat, tunc est pessimus.*

Ibid. *Inter familiares intimos haberetur*] Lib. 2. *Inter caeteros familiares* etc. *dehinc* (te) *numerabimus.*

Pag. 133. *Plusculisque ibidem diebus demoratus*] Scribe *P. ibi d. d.* Infra lib. 9. *Pauculis ibi diebus commorati*, etc.

Ibid. *Falsis amoribus ancillae Milonis animum irrepens*] Lib. 11. de hac eadem ancilla: *Cum me Fotis malis incapistrasset erroribus.*

Ibid. *Curiose perspexerat*] Fux. et Oxon. *prospexerat.*

Ibid. *Procul ac procul*, etc.] Suidas:Ποῤῥωτέρω, καὶ ποῤῥωτάτω· ἐπὶ συγκρίσεως καὶ ὑπερθέσεως, ἀντὶ τοῦ, πάνυ μακρὰν· καὶ ἁπλῶς, ἀντὶ τοῦ, πάνυ. Glossarium Isidori dictum: *Procul, procul; longe longius.* Illa, *ac procul* male omissa sunt in Cod. Oxoniensi.

Ibid. *Equum namque illum suum candidum vectorem futurum duxisse secum*] Supra lib. 6. *Quis enim viantium vectorem suum non libenter auferat secum?*

Ibid. *Tormentis vexatum pluribus* etc. *nihil quidquam rerum talium esse confessum*] Lib. 10. *Nec rota, vel eculeus tormentis eius apparata iam deerant: sed obfirmatus mira praesumptione, nullis verberibus, ac ne ipsi quidem succubuit igni.*

Ibid. *Pene ad ultimam mortem excarnificatus*] Sisenna in fragmentis: *Vitam cum dolore et insigni cruciatu excarnificatus, amisit.*

Ibid. *In patriam Lucii illius multos numero*] Oxon. *I. p. L. viros multos numero.*

Ibid. *Veteris fortunae, et illius beati Lucii*, etc. *et infelicis asini facta comparatione medullitus ingemebam*] Lib. 9. *Veterisque Lucii fortunam recordatus*, etc. *submisso capite moerebam.* Quintilianus 2. Declam. *Naturâ redit in extremis praeteritae voluptatis recordatio.* Tibullus: *Cura novatur, Cum memor anteactos semper dolor admonet annos.* Euripides: Κεκλημένῳ δὲ φωτὶ μακαρίῳ πότε Αἱ μεταβολαὶ λυπηρὸν· ὧ δ' ἀεὶ κακῶς Ἐστ', οὐδὲν ἄλγει, συγγενῶς δύστηνος ὤν. Maximianus: *Dura satis*

tis miseris memoratio prisca bonorum. Synesius in Epistolis: Συνεπιτίθηται δέ μοι τῇ πικρᾷ τῶν παρόντων αἰσθήσει μνήμη τῶν παρελθόντων ἀγαθῶν, ἐξ οἵων ἄρα ἐν οἵοις γεγόναμεν. Vide Numer. 11. 5. Augustini Confess. 10. 21. Et nota *comparationis* vocem. Seneca Troade: *Est miser nemo nisi comparatus. Medullitus ingemebam*, ut apud Ammianum lib. 14. *Haec medullitus multis gementibus agebantur.* et lib. 25. *Illud tamen ad medullas usque bonorum pervenit*, etc. i. e. ingemebant medullitus. Infra hic lib. 10. *Medullitus dolore commotus.* Festus: *Medullitus: ex intimis medullis.* Onomasticon vetus: *Medullitus*, ἐκ μυελῶν.

Ibid. *Subiit itaque me* etc.] *Subibat me illa frequens cogitatio*, ut infra isto libro loquitur.

Ibid. *Non de nihilo veteris priscaeque doctrinae viros finxisse ac pronunciasse, coecam et prorsus exoculatam esse Fortunam, quae semper suas opes ad malos et indignos conferat*] Pacuvius apud Auctorem ad Herennium lib. 4. *Fortunam insanam esse, et coecam, et brutam perhibent Philosophi.* et post: *Brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere.* Plinius 2. 7. *A plerisque caeca est aestimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix.* Seneca Hippolito: *Res humanas ordine nullo Fortuna regit, spargitque manu Munera coeca, peiora fovens.* Herodianus 5. Τὰ μὲν τῆς Τύχης δῶρα καὶ ἀναξίοις περιπίπτει. Palladius in Anthologia: Οὐ λόγον, οὐ νόμον οἶδε Τύχη, μερόπων δὲ τυραννεῖ, Τοῖς ἰδίοις ἀλόγοις ῥεύμασι συρομένη. Μᾶλλον τοῖς ἀδίκοισι ῥέπει, μισεῖ δὲ δικαίους, Ὡς ἐπιδεικνυμένη τὴν ἄλογον δύναμιν. Dionys. Halicarnass. Τύχη ἄδικος, δωρουμένη τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν τοῖς ἀνεπιτηδειοτάτοις. De Pluto apud Phaedrum Hercules: *Odi (inquit) illum quia malis amicus est.* Saturni sacerdos apud Lucianum de Iove conquerens: Ἀγαθοὺς ἀφεὶς, καὶ πονηροῖς καὶ ἀνοήτοις ἀνδράσι περιχεῖ τὸν πλοῦτον. *Caecam et exoculatam* hic, ut 9. *Nudis et intectis pedibus.* vide ad Apologetici pag. 139. adnotata.

Ibid. *Nec unquam iudicio quenquam mortalium eligat*] Οὐ λόγον, οὐ νόμον οἶδε. ut supra in Palladii verbis. Ammianus Marcellinus lib. 25. *His ita caeco quodam iudicio Fortunae peractis*, etc. de eadem 8. 11. Isidorus: *Passim in quoslibet incurrens, sine ullo meritorum examine.* Menander apud Stobaeum: Οὐδὲν κατὰ λόγον γίγνεθ' ὧν ποιεῖ Τύχη. In Tabula Cebetis: Οὐ δὲ ποιεῖ μετὰ λογισμοῦ, ἀλλ' εἰκῇ καὶ ὡς ἔτυχε, πάντα. ibidem: Ἀφαιρεῖται ἃ δέδωκε, καὶ ἄλλοις δίδωσιν· εἰκῇ, καὶ ἀβεβαίως. Asclepius vetus Epigrammatarius: *Iniusto arbitrio tempora dividens, Quod dignis adimit, transit ad impios: Nec discrimen habet, rectave iudicat.*

Ibid. *Quodque cunctis est extremius, varias opiniones imo contrarias nobis attribuit, ut malus boni fama glorietur, et innocentissimus contra noxiorum more plectatur*] Frequenter id fieri patet vel ex Ciceronis hisce: *Quaero* (inquit) *si duo sunt quorum alter optimus vir, aequissimus, summa iustitia singulari fide: alter insigni scelere et audacia: et, si in eo sit errore civitas, ut bonum illum virum, sceleratum, facinorosum, nefarium putet: contra autem, qui sit improbissimus, existimetur esse summa probitate ac fide*, etc. Andronicus Rhodius 10. 10. de Anaxagora: Φησὶν οὐδὲν θαυμαστὸν εἰ δόξειέ τις τοῖς πολλοῖς ἄτοπος εἶναι· δυνατὸν γὰρ ἀγαθὸν καὶ εὐδαίμονα ὄντα, πονηρὸν καὶ ἄθλιον τοῖς πολλοῖς νομισθῆναι. Seneca Hippol. *Tristis virtus perversa tulit Praemia recti: castos sequitur Mala paupertas, vitioque potens Regnat adulter.* Simplicius in cap. 1. Epicteti: Ἀσεβοῦντες πολλάκις περὶ τὸ θεῖον, αὐτοί τε εὐσεβεῖν ἑαυτοὺς ἡγοῦνται, καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων τοιοῦτοι νομίζονται· καὶ, τὸ ἐναντίον, ἄλλοι σεμνοτέρας καὶ μεγαλειοτέρας ὑπολήψεις ἔχοντες περὶ τοῦ θείου, καὶ ἀνθρωπικὰ καὶ ἀτελῆ παραιτούμενοι περὶ αὐτοῦ λέγειν, ἀσεβεῖς παρά τινων ὑπολαμβάνονται.

Ibid. *Ut malus boni viri fama glorietur*] Ecclesiastes 8. 10. *Vidi impios sepultos, qui cum etiam adhuc viverent, in sancto loco erant: et laudabantur in civitate quasi iustorum operum.* Dio Cassius cum Caium Marium artibus malis instructissimum dixisset, adiungit, Ἐκ τῆς Τύχης tamen, ᾗ παράπαν τὰ πρῶτα ἀγαθῇ ἐχρήσατο, καὶ ἀρετῆς δόξαν ἐκτήσατο.

Ibid. *Et innocentissimus contra noxiorum more plectatur*] Casaubonus heic in margine libri sui correxerat *noxio rumore p.* opponit (inquit) viri boni famam rumori noxio. ingeniosam non possumus non laudare, nec tamen sequi coniecturam. non *rumore* enim, sed suppliciis innocentes plecti, sententia est Appuleii nostri. nec ille solus hoc dixit, sed et alii. Seneca: *Invadit* etc. *validissimos phthisis, innocentissimos poena, secretissimos tumultus.* Cicero ubi supra: *In eo est errore civitas, vel potius orbis ipse totus, ut bonos et iustos viros tanquam malos et impios, persequatur, excruciet, damnet, occidat*, etc. Boëthius in de Consolat. *Premit insontes Debita sceleri noxia poena: Latet obscuris condita virtus Clara tenebris, iustusque tulit Crimen iniqui.* Philostratus 6. 11. de Socrate et Palamede: Ἀδικώτατα ἔπαθον, ὄντες δικαιότατοι. quibus adde 8. 14. Ecclesiastem. Iam vero et *nocentissimorum more tractari* Tertullianus dixit libro *de fuga in persecut.* adeo ut depositae lectionis veritate nulla amplius dubitatio supersit.

Pag. 134. *Et extremae sortis quadrupedem* etc.]

Ovid. Amor. 2. *Auritus miseranda sortis asellus.* sic *extremae conditionis mancipia* Epist. 20. apud Senecam. Glossae: *Infima sors*, ὕστερα τύχη.

Ibid. *Cuiusque casus etiam cuivis iniquissimo dolendus atque miserandus* etc.] Sophocles Oedip. Tyr. Θέαμα δ' εἰσόψει τάχα Τοιοῦτον, οἷον καὶ στυγοῦντ' ἐποικτίσαι.

Ibid. *Cuivis iniquissimo*] In Apologetico: *Cuivis vel iniquissimo animum explesse*, etc.

Ibid. *Crimine latrocinii in hospitem mihi carissimum postulabar: quod crimen non modo latrocinium, verum etiam parricidium quisque rectius nominaverit*] Petronius: *Qui ignotos laedit, latro appellatur: qui amicos, paulo minus quam parricida.* Noster lib. 5. *Domus suas contendunt, dolum scelestum, imo vero parricidium struentes contra sororem insontem.*

Ibid. *Denique mala conscientia tam scelesto crimini praesens viderer silentio consentire*, etc.] Demosthenes περὶ παραπρεσβ. Τῷ μηδὲν αὐτῷ συνειδότι δεινὸν εἰσήει, εἰ πονηρῶν καὶ δεινῶν ἔργων δόξῃ κοινωνεῖν, τῷ σιωπῆσαι. Donatus ad Adelph. *Confessionis genus est adversarium tacuisse.* Cicero in pro Sextio: *Me vero non movit illius oratio, sed eorum taciturnitas in quos illa tam improba oratio conferebatur: qui tum, quanquam ob alias causas tacebant, tamen hominibus omnia timentibus, tacendo loqui; non inficiando, confiteri videbantur.* Marius apud Sallustium: *Cum omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere, ne quis modestiam in conscientiam duceret.* D. Hieronymus in Epistolis: *Respondere compellor, ne videar tacendo crimen agnoscere.* Idem 1. contra Ruffinum: *Et hortamini ut respondeam criminanti, ne si tacuerim, videar crimen agnoscere.* Cyprianus contra Demetrianum: *Ultra tacere non oportet, ne iam, non verecundiae sed diffidentiae esse incipiat, quod tacemus: et dum criminationes falsas contemnimus refutare, videamur crimen agnoscere.*

Ibid. *Mala conscientiâ* etc.] Gloss. Κακόνοια· *mala conscientia.* infra heic: *Conscientiae malae reatum sustinebo.*

Ibid. *Impatientia productus, volui dicere, Non feci*] Phaedrus: *Difficulter continetur spiritus, Integritatis qui sincerae conscius, A noxiorum premitur insolentiis.* *Non feci*, idiotismus est suam aut alienam innocentiam testatam volentium. Cicero in pro Ligario: *Causas Caesar egi multas*, etc. *certe nunquam hoc modo: ignoscite Iudices: erravit, lapsus est, non putavit, si unquam posthac: ad parentem sic agi solet: ad Iudices, Non fecit, non cogitavit*, etc. Ovidius Amor. 2. *Felix qui quod amat defendere fortiter audet, Cui sua*, Non feci, *dicere amica potest.* vide 19. 13. Sirachid. Apud Quintilianum ille Declam. 11. *Miser ego nec ad cadavera accessi, non in sepulchra maiorum meis manibus intuli: nec licuit super ipsa cadavera proclamare, Non feci.* Ibidem Declam. 271. *Non enim tibi proderit dixisse, Non feci: nunquam mens exitu aestimanda est.* e converso apud Iuvenal. 6. *Sed clamat Pontia, Feci.* Quid sit *productus* nescio: forsan *perditus* legendum. sic 4. *fame perditus.* et 5. *vigiliis perdita.*

Ibid. *Sed in prima voce remansi*] *Inceptus clamor frustratur hiantem.* vide supra ad illum locum notata.

Ibid. *Quanquam nimia rotunditate pendula vibrassem labia*] Lib. 10. *Contortâ in modum linguae postrema labiâ. Rotunde vibrare*, est ἐπιστρέφειν. unde articulatio formatur. Pollux 2. 4. de Lingua: Τῇ ὑγρότητι τῆς ἔνδον ἐπιστροφῆς τὰς φωνὰς τυποῦσα. id non effecit Asinus noster ob pendula et prominentia labia. Eugraphius ad 2. 3. Eunuchi: *Scimus retortis ad hiatum labris, sed praeeminentioribus, minus facile sonos exprimi.*

Ibid. *Et identidem boavi: Non, Non*] Oxon. *boavi, nixa:* quod quid sit nescio, nisi forte *enixe* legendum.

Ibid. *Sed quid ego pluribus de Fortunae scaevitate conqueror?*] Idem MS. *plus de Fortunae* etc.

Ibid. *Quanquam nec istud puduit* etc.] Nullam scriptura ista sententiam praebet. non male dudum Beroaldus, *Quam nec i. p.* quo et modo Oxon. legit. conieceram ego quidem ex ingenio, *quam quidem* legendum.

Ibid. *Me cum meo famulo meoque vectore illo equo factum conservum atque coniugem*] Non memini illum equo suo ἑτεροζευχθέντα, unde putavi posse *congregem* scribi. infra hoc libro: *Equinis armentis me congregem* etc. *permiscuit.*

Ibid. *Ventrem crebro suspiciens meum* etc.] Oxon. *Ventrem quoque crebro s. m.*

Ibid. *Qui commodum falsam de meo notoriam pertulerat*] In l. 3. §. 4. ad leg. Cornel. de sicar. *falsum indicium* vocatur. vide Cuiac. Observ. 1. 3. Pancirollum Var. Lect. 1. 37. et 7. 137. In Oxon. et alio MS. *falsa notoria.* l. 7. Cod. de accus. *Notoriis insimulatus.*

Ibid. *Expromptis mille aureis*] Donatus ad Terentium: *Exprompta, in medium prolata.*

Ibid. *Quos in sinu laciniae contexerat*] Bene Palat. MS. *insutos laciniae.* non zonis tantum, sed et vestibus nummos nonnunquam recondebant. Petronius: *Scis frater ad nos rediisse thesaurum de quo querebaris? illa est tunicula adhuc, ut apparet, intactis aureis plena.*

Ibid. *Communi conferebat arcae*] Solomo μιμητικῶς, itidem de improborum coetu: Τὸν σὸν κλῆρον βάλε ἐφ' ἡμῖν, κοινὸν δὲ βαλλαντίον κτησόμεθα πάντες· μαρσύππιον ἓν γεννηθήτω ἡμῖν.

Ibid. *Fortissimum quemque, variis quidem, sed impigris casibus adoppetisse*] Ovidius: *Cum pereant acie fortissima quaeque.* 3. 6. de Ponto. Iustinus lib. 5. *Sed navibus exercitus deerat, fortissimis quibusque in Asiae populatione amissis.* De bello Euripides loquens: Ἐσθλῶν δὲ χαίρει πτώμασι νεανίων. ubi ἐσθλοὶ, *fortes*, *non ignavi.* contra in Sallustii Iugurthino: *Videre fugientes capi aut occidi: fortissimum quemque tutissimum.* et apud Suidam, ex Veterum nescio quo, in ἀποθνήσκοντας· Ἐν πολέμῳ ἀποθνήσκοντας ὁρῶ τοὺς περὶ πλεῖστον τὸ ζῆν ποιουμένους, καὶ ζῶντας ὅσοι τοῦ ζῆν ἀπεγνώκεισαν.

Ibid. *Variis casibus adoppetisse*] Iustinus lib. 17. *Amissis antea variis casibus quindecim liberis.*

Pag. 135. *Ad pristinae manus numerum* etc. *integraretur*] *Instauraretur:* ita ad Andr. 3. 3. Donatus. Idem ibidem 4. 2. *Integratur quod ad integrum redit, quod repetitur, quod instauratur.* Festus Pompeius: *Instaurari, ab instar dictum est, cum aliquid ad pristinam similitudinem* etc. *reficitur.*

Ibid. *Nam et invitos terrore compelli, et volentes praemio provocari posse*] Hierocles: Οἱ τρόποι τῆς παραγωγῆς ἢ ἔργων γίγνονται· λόγῳ μὲν, θωπευόντων ἢ ἀπειλούντων· ἔργῳ δὲ, δωρεὰς ἢ τιμωρίας προτεινόντων. Tacitus: *Dona in promptos, minas adversus abnuentes.* Sallustius Iugurth. *Formidine, aut ostentando praemia affectare.* Ammianus lib. 26. *Qui* etc. *ad pacatiora iam vitae discesserant, partim inviti, alii volentes adsciscebantur.* Themistius 9. Orat. de Spartaco et sociis eius: Τοὺς μὲν ὁμοίους συμπείσαντες, τοὺς ἀμείνονας δὲ βιασάμενοι.

Ibid. *Instar tyrannicae potestatis*] Melius, *Ad instar* etc. Infra lib. 10. *Ad instar barbaricae feritatis, vel tyrannicae impotentiae.*

Ibid. *Staturâ procerum, et aetate iuvenem*] Pacuvius apud Gellium 13. 28. *Aetate integra, feroci ingenio, facie procerâ virum.* Glossae: *Statura*, ἀνάστημα, μέγεθος σώματος, μῆκος ἡλικίας. In quibusdam hîc *statu procerum.* Gellius 1. 1. *In reperienda* etc. *status longitudinisque Herculis praestantiâ.*

Ibid. *Et corpore vastum*] Lib. 2. *Vegetis et vastis corporibus.* ubi dicta confer. ad sententiam Hierocles: Πρὸς λῃστείαν ὑπὸ ῥώμης σώματος ἐκφερόμενοι.

Ibid. *Eique suasisse, ac denique persuasisse*] In Apologia: *Suasi, ac denique persuasi.* ad quem locum vide notata.

Ibid. *Ut manus hebetatas diutina pigritia tandem referret ad frugem meliorem, bonoque secundae, dum posset, frueretur valetudinis*] Theophylactus in Epistolis: Ἄπαγε δῆτα τῆς ἀργίας, ὦ βέλτιστε· τὰ τῆς φύσεως γὰρ δῶρα κατῄσχυνας, τηλικαύτην ῥώμην καὶ εὐρωστίαν τοῦ σώματος ἀκόσμητον παριών. Menander apud Stobaeum: Ἀργὸς δ' ὑγιαίνων τοῦ πυρέττοντος πολὺ Ἀθλιώτερος, διπλάσια γὰρ ἐσθίει ματην. Palaeologus 7. Orat. Οὐκοῦν γε λαμβάνειν ἁρμόττει τοῖς παρὰ σφίσιν αὐτοῖς τὰς χεῖρας κατέχουσι; τοῦτο λελωβημένοις ἀνθρώποις καὶ παρειμένοις προσήκειν ἔοικεν· οἷς δὲ καὶ ῥώμη σώματος, καὶ ὑγίεια etc. τούτους δὲ γενναίους ἄνδρας αὐτοὺς δεικνύναι, etc. et nota hîc, *hebetatas manus.* Sallustius Catilinario: *Scilicet ne per otium torpesceret manus, gratuito potius malus atque crudelis erat.* Oxon. *deferret ad frugem mel.*

Ibid. *Nec manum validam erogandae stipi porrigeret*] Apud Claudianum: *Tolerabis iniquam Pauperiem, cum tela geras? Ad stipem manum porrigere* etiam Seneca dixit. Prudentius: *Omnesque qui poscunt stipem.* Glossae: *Stipem*, ἐλεημοσύνη. Act. 3. 2. Ἠρώτα ἐλεημοσύνην λαβεῖν.

Ibid. *Sed hauriendo potius exerceret auro*] At sanius multo Chrysostomi illud, Βέλτιον ἐπαιτεῖν ἢ ἁρπάζειν. Homil. 70. in Matth.

Ibid. *Universi omnes adsensere*] Male in recentioribus quibusdam, *universim:* nam et Gellius 19. 12. *omnes universos* dixit.

Ibid. *Vestigare statuunt*] Melius in Oxon. *Vestigari statuunt.*

Ibid. *Perducit immanem quendam iuvenem*, etc. *nescio an ulli praesentium comparandum*] *Immanem* hîc intellige, *Cui magni membrorum artus, magna ossa, lacerti. Praesentium* voce puto significari, *Qui tunc vivebant homines, atque aevum agitabant.* qui vivunt sunt *praesentes*, mortui *abesse* videntur.

Ibid. *Nam praeter ceteram corporis molem, toto vertice cunctos antepollebat, et ei commodum lanugo malis inserpebat*] Ammianus lib. 19. *Primae pubis adolescentem* etc. *proceritate et decore corporis aequalibus antestantem.* quae sumpsit ex istis Quadrigarii apud Gellium: *Viribus, et magnitudine, et adolescentia, simulque virtute caeteris antestabat.*

Ibid. *Toto vertice cunctos antepollebat*] 1. Reg. 10. 23. de Saul. *Altior fuit universo populo ab humero, et sursum.*

Ibid. *Centunculis* etc. *male consarcinatis semiamictum*] Firmicus 8. 11. Mathes. *Pannis male pendentibus nudus:* id est, *semiamictus.* vide supra pag. 14. notata. *Centunculus male consarcinatus*, est, quem πτυχικὸν καὶ πολυκόλλητον χιτῶνα Homil. in Christi Baptism. Gregorius Nyssenus vocat.

Ibid. *Inter quos pectus et venter crustata crassitie reluctabant*] *Pinguis aqualiculus, tota ut sibi sesquipede exstet.* Iustinus de Physcone Ptolomaeo: *Saginâ ventris non homini sed belluae similis: quam foeditatem nimia subtilitas*

et

et perlucida vestis (scribe, *subtilitas pellucidae vestis*) *augebat.* quod ibi a pellucida veste, hîc a pertusâ factum.

Ibid. *Fortissi o Deo Marti* etc.] De Eodem 5. *Fortissimum bellatorem illum.*

Ibid. *Libentius vulnera excipientem, quam aurum manu suscipientem*] Δι᾽ ὅλου νενευρωμένον, etc. οὐδὲν πρὸς πληγὰς ἐνδόντα· ut alicubi Philo locutus. Chrysostomus de SS. Martyribus Homil. 40. ad Antiochenos: Ἐπὶ τὸ ξίφος, ὡς ἐπὶ διάδημα καὶ στέφανον ἔτρεχον· καὶ πᾶν εἶδος τιμωρίας ἤλεγξαν, οὐ τῷ γενναίως φέρειν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ μεθ᾽ ἡδονῆς καὶ προθυμίας. Hesiodus Scuto Herculis: Λιλαιόμενοι πολέμοιο Φυλόπιδα στήσειν, τά κὶ σφὶν πολὺ φέρτερα θοίνης. ex quibus adumbrata puto haec Marii apud Sallustium: *Sudorem, pulverem, et alia talia nobis relinquant, quibus illa epulis iucundiora sunt.*

Ibid. *Aurum manu suscipientem*] Glossae: Χρυσυποδέκτης, *susceptor aurarius.*

Ibid. *Ipsaque morte, quam formidant alii, meliorem*] Egesippus 2. 18. *Formidabilem cunctis subiiciens sibi mortem.* Apud Lucanum ille: *Pompeii vobis minor est causaeque Senatus, Quam mihi mortis amor.* Curtius Alexandrum laudans: *Clementia in devictos*, etc. *mortis, cuius metus caeteros exanimat, contemptio.* Ignatius de Petro et Apostolis: Θανάτου κατεφρόνησαν, ηὑρέθησαν ὑπὲρ θάνατον. *Morte melior* Graecum est.

Ibid. *Nec me putetis egenum vel abiectum*] Sic *vilis et abiectus homo* in l. 4. Cod. de custod. reor. item *abiectus et contemptus* apud Ciceronem in contra Rullum.

Pag. 136. *Neve de pannulis istis virtutes meas aestimetis*] Lucianus in de Vita sua: Μὴ μυσαχθῇς τοῦ σώματος τὸ εὐτελὲς, μηδὲ τῆς ἐσθῆτος τὸ πιναρὸν. Cantic. 1. 5. Μὴ βλέψητέ με ὅτι μελανωμένη εἰμι. Sirachides 11. 2. Μὴ βδελύξῃ ἄνθρωπον ἐν ὁράσει αὐτοῦ. Apud Virgilium: *Neve haec nostris spectentur ab annis Quae ferimus.* Aeneid. 9. Σκόπει με ἐξ ἐμαυτοῦ, Bionis est apud Laërtium.

Ibid. *Ego sum praedo famosus, Haemus ille Thracius, cuius totae Provinciae nomen horrescunt*] Servius ad Aeneid. 10. *Praedones sunt qui populandum alienam invadunt Provinciam.* Firmicus Mathes. 3 5. *Faciet bellorum Duces* etc. *quorum adventum civitates semper aut Provinciae maxime perhorrescant.* Sua autem Appuleius effinxit ex Virgilii hisce: *Sum pius Aeneas raptos qui ex hoste penates Classe veho mecum: famâ super aethera notus.* In Glossis: Κατάφημος, *famosus. praedo famosus* autem, ut in l. 3. § 1. ff. de Offic. Praef. vigil. et l. capitalium. ff. de poenis, *famosus latro.* et infra huic lib. 9. *latro inclytus.* Bene *praedoni* etiam *Thraciam* patriam assignat. vide Advers. 3. 16. Turnebum.

Ibid. *Patre Therone*] Hoc nomen a Virgilio, Virgilius (teste Servio) a Pindaro sumpsit.

Ibid. *Humano sanguine nutritus, interque ipsos manipulos factionis educatus*] Seneca de Hannibale (2. 5. de Ira.) *Innatus sanguini, et ab infantia caedibus admotus.* apud Suetonium de Caio Caesare: *In castris natus, patriis nutritus in armis.* Themistius ad Valentinianum iuniorem, Orat. 11. Ἔτι ἐν ἀγκάλαις περιφερόμενος συνεστράτευες τῷ πατρὶ καὶ συνεστρατήγεις· καὶ τρέφει σε οὐκ ἐν θαλάμοις κατακοιμίζων etc. ἀλλ᾽ ἐπὶ τῷ Ἴστρῳ, καὶ τοῖς Σκυθικοῖς, etc. Iustinus 12. *Si veteranis patribus tirones filii succederent, militaturi in vallo in quo essent nati: constantioresque futuri, si non solum tirocinia, verum et incunabula in ipsis castris posuissent.* et post: *Neque castra aliter quam patriam* etc. *duxere.*

Ibid. *Haeres et aemulus virtutis paternae*] Ovidius: *Vivit et in nobis facundi vena parentis, Et res haeredem repperit illa suum.* Iustinus lib. 19. de Hasdrubale et Hamilcare: *Per vestigia paternae virtutis decurrentes, sicuti generi, ita et magnitudini patris successerunt.*

Ibid. *Exiguo temporis* etc. *spatio*] Lib. 2. *Exiguum vitae spatium deprecamur.* et 5. *Modici temporis spatium* etc.

Ibid. *Procuratorem Principis, ducenariâ perfunctum* etc.] De *procuratoriis ducenariis* vide Cuiacium ad lib. 10. Cod. Brissonium in de V. S. et (qui nuper Cyprianum edidit) doctissimum Rigaltzium. Beroaldus *militum ducentorum praefecturam* intelligit: quo pertinent ista Servii: *Illos centeni quemque secuti. Ex numero militum qui sequuntur, gradus dignitatis apparet.*

Ibid. *Ipsi etiam probe spectatus*] Supra lib 3. *Apud meos probe spectatus.* Virgil. *Et rebus spectata iuventus.* Servius: *Experimentis probata.* Piso ad Tiberium apud Tacitum 3. Annal. *Quondam D. Augusto parenti tuo probatus, et Tibi amicus.* In vett. Grammaticis: *Spectatur, qui videtur, vel, qui probatur.* Symmachus: *Ita me Dii Dominis* (Impp.) *probabilem* (id est, *spectatum*) *praestent.* Ovid. de Ponto 2. 6. ad Graecinum suum: *Quodque soles animo semper, quod voce precari, Omnia Caesaribus sic tua facta probes.*

Ibid. *Hunc insimulatum quorundam astu proiecit extorrem saeviens invidia*] Ita *multorum obtrectatio unius virtutem devicit*; ut loquitur in Hannibalis vita Aemil. Probus. Lucianus in de non temere credendo: Ἴδοις δ᾽ ἂν τοιούτους (διαβόλους) μάλιστα ἔν τε βασιλέων καὶ δυναστευόντων φιλίαις εὐδοκιμοῦντας· ἔνθα πολὺς μὲν φθόνος, μυρίαι δ᾽ ὑπόνοιαι, πάμπολλαι δὲ etc.

etc. διαβόλων διαθέσεις. *Invidia* (inquit) *proiecit extorrem eum.* Tacitus Annal. 3. *Conspiratione inimicorum, et invidia falsi criminis oppressum.* vide ad Matth. 27. 18. annotata. Virgilius: *Pulsus ob invidiam.* ubi Servius: *Ne merito expulsus esse videatur.* bene et *proiecit.* Ammianus lib. 22. *Unde omnes huiusmodi* etc. *proiecit.* Glossae: *Proiectus*, ἐκβεβλημένος, ἐξεῤῥιμένος.

Ibid. *Rarae fidei, atque singularis pudicitiae foemina*] In veteri Lapide: *Foeminae rarissimae, singularis exempli, pudicitiae*, etc. Apud Quintilianum in Declam. *Exempli rarissimi uxor.*

Ibid. *Quae decimo partus stipendio viri familiam fundaverat*] Passim eruditionis Appuleianae vestigia deprehendas: en tibi vel hoc ipso loco *fundaverat* quam Latine dixit. Statius Sylv. 4. *Prole fundâsti vacuos Penates.* Plautus Mostell. *Parentes fabri liberûm sunt, Et fundamentum substruunt liberorum.* hinc παῖδας, οἴκων στύλους Euripides Iphigenia vocat. Pollux 3. 2. οἴκων στηρίγματα. et 2. 10. *columnis* Artemidorus assimilat. Plinius lib. 4. Epist. 21. *Cui nunc unus ex tribus liberis superest, domumque pluribus adminiculis paulo ante fundatam, desolatus fulcit ac sustinet.* nec alio vorsum vetus Panaegyristes respiciens, *Reipublicae fundamenta* appellavit leges eas, quae mulcta caelibes afficiebant, parentesque praemiis honorabant.

Ibid. *Spretis atque contemptis* etc.] Cyprianus in de Lapsis: *Spretis his omnibus atque contemptis.* infra hîc lib. 10. *Spretis illis suis luculentis vehiculis, et praeterhabitis* etc. *carpentis.*

Ibid. *Fugientis comes*] Ovidius: *Sola comes nostrae perstitit illa fugae.* Augustinus in 14. Ioannis: *Quam multi proscripti a castis uxoribus amplius dilecti sunt! probata sunt multa casta* (malim *cara*) *coniugia calamitatibus maritorum: et, ne aliud amare coniuges quam maritos putarentur, non solum non deseruerunt, amplius, etiam secutae sunt.* Tacitus Histor. 1. *Comitatae liberos profugos matres, secutae maritos in exilia coniuges.* et en exempla nonnulla. Idem 15. Annal. *Novio Prisco, Glitio Gallo, atque Asinio Pollioni data exilia: Priscum Antonia Flaccilla coniux comitata est.* Plinius 7. Epist. 19. de Fannia Helvidii uxore: *Bis maritum secuta est in exilium: tertio ipsa propter maritum relegata.* Valerius Maximus de Hypsicratea uxore Mithridatis: *Victum a Cn. Pompeio per efferatas gentes fugientem, animo pariter et corpore infatigabili secuta est.*

Ibid. *Et infortunii socia*] Seneca ex uxoris bonae maritum alloquentis personâ: *Non possumus una faelices esse*, etc. *una infaelices erimus.* Controvers. 1. 6. Ovidius 5. 15. Trist. *Esse bonam facile est, ubi quod vetet esse, remotum est, Et nihil officio nupta quod obstet habet: Cum Deus intonuit non se subducere nimbo, Id demum est pietas, id socialis amor.*

Ibid. *Tonso capillo, in masculinam faciem reformato habitu* etc.] Valer. Maximus ubi supra: *Propter quem* (maritum) *praecipuum formae suae decorem in habitum virilem convertere voluptatis loco habuit; tonsis enim capillis equo se et armis assuefecit, quo facilius laboribus et periculis eius interesset. Reformato*, ut 8. *in Lemures reformati.* et 11. *Non in alienam personam reformatus.* Glossae: Μετατυπῶ, *deformo, reformo.*

Ibid. *Pretiosissimis monilium, et auro monetali zonis refertis incincta*] Ex more iter molientium, de quo ad Luc. 15. 13. adnotavi. imprimis autem Appuleium illustrant Iustini ista de Aetolorum uxoribus: *Quasi in perpetuum cum viris exulaturae, pretiosissima quaeque auferentes* etc. *Aurum monetale* vocat, quod in Iure *signatum aurum.* Glossae: Χρυσοῦν νόμισμα, *aurum signatum.*

Ibid. *Inter ipsas* etc. *militum manus, et gladios nudos intrepida* etc.] *Nec insidias inter, nec militis ensem, Nec mare, nec ventos, barbariemve timens.* Statius Sylv. 5. de Priscilla Abascantii: *Quod si anceps metus ad maiora vocasset, Illa vel armiferas pro coniuge laeta catervas, Fulmineosque ignes, mediique pericula Ponti Exciperet.* Seneca cap. 16. Consol. ad Marciam: *Cloeliam, contempto hoste, et flumine, ob insignem audaciam tantum non in viros transcripsimus.*

Ibid. *Et gladios nudos intrepida*] *Non illa pericli Telorumve memor. Nam fortem faciebat amor, nexusque mariti Foederis.* De Amore apud Stobaeum Aristarch. Οὗτος γὰρ ὁ θεὸς καὶ τὸν ἀσθενῆ σθένειν τίθησι, καὶ τὸν ἄπορον εὑρίσκειν πόρον. Maximus Tyrius Dissert. 9. Οὐ θηρίον αὐτῷ δεινὸν, οὐ πῦρ, οὐ κρημνὸς, οὐ θάλαττα, οὐ ξίφος, ἀλλὰ καὶ τὰ ἄπορα αὐτῷ εὐπορώτατα, καὶ τὰ δεινὰ εὐμαχώτατα, καὶ τὰ φοβερὰ εὐτελέστατα, καὶ τὰ χαλεπὰ εὐκολώτατα, etc. πανταχοῦ θάῤῥει, πάντων ὑπερορᾷ, πάντων κρατεῖ.

Ibid. *Cunctorum periculorum particeps*] Philo de Abrahami uxore: Μυρία δείγματα τῆς φιλανδρίας ἐνεγκαμένη, τὴν σὺν αὐτῷ τῶν συγγενῶν ἀπόλειψιν, τὴν ἐκ τῆς οἰκίας ἀνενδοίαστον μετάστασιν, τὰς ἐπὶ τῆς ἀλλοδαπῆς συνεχεῖς ἐπαλλήλους πλάνας, etc. ἀεὶ καὶ πανταχοῦ παρῆν, οὐδένα τρόπον ἢ κλῆρον ἀπολιποῦσα, κοινωνὸς ὄντως βίου, καὶ τῶν κατὰ τὸν βίον πραγμάτων, ἐξ ἴσου δικαιοῦσα μετέχειν ἀγαθῶν ὁμοῦ καὶ κακῶν. Tacitus de Germanorum uxoribus: *Ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonentur venire se laborum periculorumque socias: idem in pace, idem in praelio ausuras passurasque.*

Ibid.

Ibid. *Pro mariti salute pervigilem curam sustinens*] Supra lib. 5. *Pervigili cura rebus excubamus tuis.*

Ibid. *Ingenio masculo sustinebat*] Τὸν θέλην λογισμὸν ἐνμῷ ἄρσενι διεγείρασα· ut de septem filiorum matre 2. 7. 21. scriptor Maccabaicorum locutus. Seneca ubi supra: *Quis dixerit Naturam maligne cum muliebribus ingeniis egisse, et virtutes illarum in arctum retraxisse? par illis (mihi crede) vigor, par ad honesta* etc. *facultas.*

Ibid. *Itineris difficultatibus*] Ita Tacitus (e quo Noster) Annal. 13.

Ibid. *Marisque terroribus*] Germanicus in Arataeis: *Et cum terrores auget nox atra marinos.*

Ibid. *Temporariam sedem*] Sic infra 11. *Temporarium larem.* contra lib. 8. *Larem sedesque perpetuas.*

Ibid. *Tabernulam quandam litori marique proximam* etc. *incubabat*] Florent. male, *cavernulam:* sequitur enim iam statim de *cubiculo*, cui nullus in *caverna* locus. imo et *tabernulam* vocat, quam §. 5. Instit. de rerum divis. Iuris consultus *casam*. *Littorum quoque* (inquit) *usus publicus est*, etc. *ob id, cuilibet liberum est casam ibi ponere, in quam te recipias* etc.

Ibid. *Invadimus* etc. *omnia*] Solent praedones maris littora insidere, ut casu aut consilio appellentes infestare possint. vide supra pag. 96. annotata. et bene *invadimus*. Gloss. Ἐπεισέρχομαι βιαίως, *invado*. supra lib. 2. *Id omne latrocinalis invasit manus.*

Ibid. *Clamoribus inquietis cuncta miscuit*] Lucret. *Magnis clamoribus omnia complent.* Infra hîc 8. *Latratibus fervidis dissonisque miscent omnia.* Gellius de Polo histrione: *Opplevit omnia* etc. *lamentis veris et spirantibus.*

Ibid. *Suosque famulos nominatim* etc. *suppetiatum convocans*] Apud Theocritum Eidyll. 26. Δμῶας δὴ τοτ' ἄϋσ' ὕπνον βαρὺν ἐκφυσῶντας. *nominatim convocans*, ut solent periculis improvisis circumventi. Aeneid. 11. *Nomine quemque vocans.* ubi Servius: *Per hoc extrema necessitas indicatur.*

Ibid. *Pavore cunctorum, cum sibi quisque metuentes delitescebant, effectum est ut impune discederemus*] Ammianus lib. 25. *Semet quisque reliquis omnibus anteponens, vitare* etc. *terribilia festinabat.* Seneca 3. 24. de Benef. *In tanta confusione* etc. *cum sibi quisque consuleret, omnes ab illa fugerunt.* Apud Achillem Tatium lib. 3. Τὸ οἰκεῖον ἕκαστος σκοπῶν ἀσφαλὲς, τὸ πρὸς τοὺς ἑτέρους εὔγνωμον οὐκ ἐλογίζετο. supra lib. 4. *Licet numerosa familia latis diversetur aedibus, tamen quisque magis suae saluti quam Domini consulat opibus.* Oxoniensis heic, et alius MS. *qui sibi* etc.

Ibid. *Unicae fidei foemina*] E converso lib. 10. *Malitiae novercalis exemplar unicum.*

Ibid. *Bonis artibus gratiosa*] A Tacito, qui *bonis artibus gratos* Annali 1. dixit. Idem Annali 3. *honestis artibus copiosum.* quas 6. *sanctas artes* vocat. opponuntur supra hîc 2. *malae artes;* item in l. 1. §. 5. de servo corrupto.

Ibid. *Aggressurae*] Est in l. 4. famil. ercisc. sic *aggressores* in l. 7. ad leg. Pomp. de parricid. et *aggressionis insidiae* in Valentiniani edicto.

Ibid. *Denique noluit esse Caesar Haemi latronis collegium, et confestim interiit.* Arrianus 3. 13. in Epictetum: Ὁρᾶτε ὅτι εἰρήνην μεγάλην ὁ Καῖσαρ ἡμῖν δοκεῖ παρέχειν, (id est, παρέχει) ὅτι οὐκ εἰσὶν οὐκέτι πόλεμοι, οὐδὲ μάχαι, οὐδὲ λῃστήρια, οὐδὲ πειρατικά· ἀλλ' ἔξεστι πάσῃ ὥρᾳ ὁδεύειν πλεῖν τε etc. Hoc praecipuum subditorum beneficium a Regibus acceptum: et hinc ἤρεμος καὶ ἡσύχιος βίος ille, de quo ad 1. 2. 2. Timoth. plena manu adnotavimus. Ad verba Appuleii autem illustranda faciunt unice Aristidis ista: Τῶν πάλαι τις αὐτοκρατόρων πεττεύει, ὥς λέγεται, καὶ μεταξὺ παρεφθέγξατο, μὴ βούλεσθαι Νασαμῶνας εἶναι, εἶτα οἱ Νασαμῶνες ἀπώλοντο. Orat. in Smyrn. Oxon. hîc *interivit*, et infra statim *transabivi.* sic 4. *A gloria non perivit.*

Pag. 136. *Tantum potest nutus etiam magni Principis*] Virgilius Ecloga 1. *Saepe malum hoc nobis (si mens non laeva fuisset,) De coelo tactas memini praedicere quercus.* ubi Servius, (quem ut opportune emendem adduco.) *Significat motu Imperatoris posse agros eorum perire.* ita, qua nunc utor, editio Genevensis. scribendum *nutu Imperatoris.* Ovidius de Augusto: *Noluit, at poterat minimo me perdere nutu.* Sidonius de Avito Imperatore: *Solus facit omnia nutus.*

Ibid. *Tota denique factione* etc. *confecta atque concisa, ipse* etc. *solus* etc. *evasi*] Macrob. Saturnal. 7. 2. *Vel, si quis tota pene classe* etc. *occupata, seu ingenio seu viribus solus evasit.* *Concisâ*, ut apud Lucianum in Iove Tragoedo, κακούργους ἐκκόπτειν. *Vexillationis* vocem, ut complures alias, a Suetonio sumpsit. *Factionem* heic, *latrocinalem* intellige. Lib. 3. *Globus latronum invadit omnia, et singula domus membra cingit armata factio.* Tertullianus Apologetico: *Illis nomen factionis accommodandum est, qui in odium bonorum et proborum conspirant.*

Ibid. *Sumpta veste muliebri* etc.] Solertia non semel, nec de una causa usurpata. Plato in Critone: Καὶ ἴσως ἂν ἡδέως σου ἀκούοιεν ὡς γελοίως ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου ἀπεδίδρασκες, σκευήν τινα περιτιθέμενος, ἢ διφθέραν λαβὼν, ἢ ἄλλα οἷα δὴ εἰώθασιν ἐπισκευάζεσθαι οἱ ἀποδιδράσκοντες,

τες, καὶ τὸ σχῆμα σαυτοῦ μεταλλάξας. Gellius 6. 10. de Euclide: *Tunica longa muliebri indutus, et pallio versicolore amictus, et caput et ora velatus, e domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat.*

Ibid. *Calceis foemininis albis illis*] Clemens Paedag. 2. 11. Γυναιξὶ τὸ λευκὸν ὑπόδημα συγχωρητέον, πλὴν εἰ μὴ ὁδεύοιεν. vide Colvii notas.

Ibid. *In sinus flaccidos abundante*] In multis *floccidos*. *flaccidos* autem (quod haec editio praefert) si *rugosos* interpretamur, sententia in perspicuo erit. In veteri Onomast. *Flaccidus*, χαλαρὸς. ita *flaccidos sinus* dixeris, quorum striae rugas imitantur. unde nec improbe Beroaldus *undante*, non *abundante* substituit. supra lib. 2. *Capillo fluenter undante*. Oxon. *In sinus flavos*, quod frugis nihil bonae continet.

Ibid. *In sequiorem sexum insertus*] *Incertus* (ἄδηλος nempe) alii ex MSS. malunt. mihi *insertus* placet, ἐγκεντρισθεὶς: neque aliter enim quam *insiticium* intelligo, metaphorâ non invenustâ. Oxon. *intectus*: ut infra statim: *Habitus alieni fallacia tectus.*

Ibid. *Transabii*] Infra 8. *difficultates transabiremus illas*. Oxon. *transabivi*. ut et supra paulo non *interiit*, sed *interivit*. nec longinque hîc Florent. Codex, qui *transivi* legit.

Ibid. *Mulierem* etc. *asinariam*] Gloss. Ὀνηλάτης, *asinarius*.

Ibid. *Quippe cum mihi etiam tunc depiles genae laevi pueritia splendicarent*] *Nondum prima genas vestibat flore iuventa*. et bene *splendicarent*. infra lib 9. *Puer, adhuc lubrico genarum splendore conspicuus.* Pollux 2. 4. Καὶ ἀνθοῦσαι παρειαὶ, καὶ εὐανθεῖς, λάμπουσαι, στίλβουσαι, etc. Apud Aristoph. Thesmophor. Τί δ' ἐστιν ὦ παῖ; παῖδα γάρ σ' εἰκὸς καλεῖν, Ἕως ἂν οὕτως τὰς γνάθους ψίλας ἔχεις. Glossae: *Depiles*, ἄτριχες, ψίλοι. Oxon. *Quippe enim mihi* etc. quod in vulgato praetulerim, parum Appuleium noverim. In Apologetico: *Quippe etenim videbatur sibi peridoneum matri reppetisse*. Cicero 4. de finibus: *Quippe habes enim a Rhetoribus* etc. et non semel Lucretius. vide Merceri notas ad Nonium Marcellum.

Ibid. *Nec ab illa tamen paterna gloria vel mea virtute descivi, quanquam* etc. *iuxta mucrones Martios constitutus*] Lib. 4. *Quanquam vitae metas ultimas obiret, non tamen sui nostrique, vel pristinae virtutis oblitus.*

Ibid. *Habitus alieni fallacia tectus*] Eodem lib. 4. nec dissimili argumento: *Ad reliqua fallaciae pergimus.*

Ibid. *Villas seu castella*, etc.] Glossae: Κώμη, *villa, castellum, vicus*. Isidorus 15. 2. Orig. *Vici et castella et pagi, ii sunt, qui nulla dignitate civitatis ornantur, sed vulgari hominum conventu incoluntur, et propter parvitatem sui maioribus civitatibus attribuuntur.* τὸ *seu* est *et*, ut supra ad lib. 1. monui.

Ibid. *Solus aggrediens*] En *latronem succinctum, de civitate in civitatem exilientem*: ut 36. 28. apud Sirachidem.

Pag. 138. *Diloricatis statim pannulis*] Hegesippus 1. 25. *Amictu diloricato.*

Ibid. *Vestro collegio*] *Collegium* pauci nesciunt ἐκ τῶν μέσων esse. eam vocem iste tanquam ad legitimae cuiusdam militiae socios aptavit. In Glossario: Τάξις στρατιωτικὴ, *collegium*, etc.

Ibid. *Meque vobis Ducem fidissimum*, etc. *offero*] Catilina apud Sallustium: *Vel Imperatore me vel milite utimini: neque animus neque corpus a vobis aberit.*

Ibid. *Si tamen non recusatis*] *Si vestrae res est accommoda turbae. Nisi vobis nolentibus suadeo*: ut hîc infra locutus. Plautus Trinummo: *Bene volo ego illi facere, nisi tu nevis*. Plinius lib. 3. Epist. 1. *Liber legitur interdum, etiam praesentibus amicis, si tamen illi non gravantur.*

Ibid. *Brevi temporis spatio lapideam istam domum vestram facturus auream*] Alexander apud Q. Curtium: *Totum exercitum aspicite, qui paulo ante nihil praeter arma habebant, nunc argenteis cubant lectis, mensas auro onerant.* Virgilius: *Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu Si foetura gregem suppleverit, aureus esto.* Augustus apud Aurel. Victorem: *Urbem lateritiam reperi, relinquo marmoream.*

Ibid. *Nec mora, nec contatio*] Ex Virgilio, qui *Nec mora, nec requies*. Aeneid. 5.

Ibid *Ducatum latrones*, etc. *ei deferunt*] In Glossario: *Ducatus latronum*, ἀρχὴ λῃστείας.

Ibid. *Vestemque lautiusculam proferunt, sumeret abiecto centunculo divite*] Videantur quae ad Luc. 15. 22. annotavimus. Oxon. hoc modo interpungit: *Vestemque l. p. sumeret. Abiecto centunculo divite sic reformatus*, etc. et continuo, *et singulos exosculatus. Proferunt sumeret*, ut supra lib. 2. *porrigit bibam*. male Colvius hîc operam impendit.

Ibid. *In summo pulvinari*] Id est, *in summo toro*, ut lib. 6. locutus.

Ibid. *Vinculis onusta*] Ita *vinculis onustum* 1. 45. apud Hegesippum. Ammianus lib. 15. *Onustum catenis* dixit. infra lib. 9. Noster, *vinculis obrutam.*

Ibid. *Contorta et vituperanti nare*] Horat. Epist. 1. 5. *Corruget nares.* Scholiastes: *Quoties horret aliquis, nares contractae rugam faciunt.* Idem Epist. 1. 19. *Ad haec ego naribus uti Formido.* Scholiastes: *Caninis vituperantium naribus.* Suidas: Ἐπέμυξεν, ἐξεμυκτήρισεν· ἦχον διὰ τῶν ῥινῶν ἐποίησεν. Hesychius: Ἀποσ-

σιμοῦν, ἀποστρέφειν, etc. *Damnare simo vultu* Virgilius in Moreto dixit.

Ibid. *Malae conscientiae reatum intra me sustinebo, si quod bonum mihi videtur dissimulavero*] Silius Italicus: *Animumque nefas temerare silendo.* Fulgentius Mytholog. 2. *Sicut livoris nota est silere quod noveram, ita crimen non est enarrare quod sentiam.*

Ibid. *Ego arbitror latrones quiqui eorum recte sapiunt, nihil anteferre lucro suo debere*] Arrianus 2. 26. in Epictetum: Τί κλέπτης θέλει; πρᾶξαι τὸ αὑτῷ συμφέρον. Theophylactus ad Marc. 11. Τὸ λῃστρικὸν γένος περὶ τὸ κερδαίνειν ἐπτόηται. Heliodorus lib. 1. Λῃσταῖς καὶ ψυχῶν αὐτῶν τὰ χρήματα προτιμότερα. Ibidem de Petosyride: Χρήματα πάμπολλα καὶ βοσκήματα τοῖς ζῶντα (Thyamin fratrem eius) προκομίσασιν, εἰς τὰς κώμας τὰς λῃστρικὰς διαπέμπων ἐπικήρυξεν, ὑφ' ὧν ἁλόντες οἱ λῃσταὶ, καὶ μηδὲ παρὰ τὸ ζέον τῆς μάχης τῆς μνήμης τὸ κέρδος ἀποβαλόντες πολλῶν θανάτων ἐζώγρησαν. Τὸ *quiqui* bene hic a Colvio repositum. Glossarium: Οἵ τινες ἂν, *quiqui.* Ibidem: Ὅ, τι ἂν, *quodquod.* et, Οἷς τισιν ἂν, etc. *quibusquibus.* item, Ἀφ' ὧν τινων ἄν ποτε, *a quibusquibus.* iterum: Ἅς τινας ἂν, *quasquas.* Ἅς τινας δήποτε, *quasquas, quascunque.* et, Ἧς τινος ἂν. *cuius, cuius.* Ἧι τινι δήποτε. *cui cui.* Sic *quemquem* in Hecyrae fabula apud Terentium.

Ibid. *Sine ullo compendio indignationem vestram exercueritis*] Sic apud Senecam 2. 4. de Clementia: *Non in compendium, sed occidendi causâ occidere.*

Ibid. *Quin ego censeo* etc.] Apud Terent. 5. 8. Eunucho: *Militem ego rivalem recipiendum censeo.* ubi Donatus: *Quod* EGO *addidit, eo dicto usus est quo uti solent, qui plus in negotio vident.*

Ibid. *Censeo deducendam eam ad quampiam civitatem, ibique venundandam*] Horatius: *Vendere cum possis captivam, occidere noli.* Hegesippus 5. 47. *Nec Romani* etc. *abnuebant vitae indulgentiam, et studio captiva mancipia vendendi promptiores erant ad salutem reservandam.* Iudas Genes. 37. ad fratres, de Iosepho: Τί χρήσιμον (quid compendii afferet nobis) ἐὰν ἀποκτείνωμεν τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν; δεῦτε, ἀποδώμεθα αὐτὸν τοῖς Ἰσμαηλίταις.

Ibid. *Nec enim levi pretio* etc.] Florid. 3. *Neque enim levi pretio emit qui rogat.*

Ibid. *Distrahi poterit talis aetatula*] *In fornicem* nempe *processura*, ut continuo subiungit. Quintilianus Declam. 340. de puerulo: *Aut ob infelices contumeliae annos vaenibit in lupanar aliquod.*

Pag. 139. *Condigne natalibus suis*] Infra heic: *Suis monstruosis nuptiis condignam victimamus hostiam.* et 10. *Providentiae divinae condignum exitum accepit.*

Ibid. *In fornicem processuram*] Gloss. *Fornix*, πόρνη, καμάρα. lege, πόρνης καμάρα. ibidem: *Fornicaria*, πόρνη, ἀπὸ καμάρας ἢ ἵστανται.

Ibid. *Hanc ex animo quidem meo conducibilem sententiam protuli, sed vos nostrorum estis consiliorum rerumque Domini*] Plinius lib. 1. Epist. 20. *Haec est* etc. *mea sententia, quam mutabo, si tu dissenseris.* Sallustius ad Caesarem de Republ. ordin. *Mihi quidem quae mens suppetit eloqui non dubitabo: caeterum tui erit ingenii probare quae vera (id est, iusta) atque utilia factu putes.* Cicero Famil. 16. ad Tironem: *Ita censeo, verum ut videbitur.* Apud Plutarchum in Sapientum Convivio: Ἐγὼ etc. ταῦτα ἀποκρίνομαι, τῶν δὲ ἄλλων ἕκαστος ἀποφαίνεσθαι δίκαιός ἐστι τὴν ἑαυτοῦ γνώμην. Chrysost. ad 1. Cor. 8. Ὁ συμβουλεύων λέγει τὰ περὶ ἑαυτοῦ, οὐκ ἀναγκάζων τὸν ἀκροατὴν, ἀλλ' αὐτὸν ἀφίησι (scribe ἀφεὶς) τῆς τῶν γενομένων αἱρέσεως κύριον. supra hic lib. 5. ad Psychen sorores impiae: *Iam tua existimatio est, utrum sororibus pro tua cara salute sollicitis assentiri velis*, etc. *an saevissimae bestiae sepeliri visceribus.*

Ibid. *Conducibilem*] Gloss. *Conducibilis*, εὔχρηστος.

Ibid. *Ille latronum fisci advocatus*] Quia ne indignationem suam sine compendio exercerent consilium dederat. In Oxon. *Ille latronum frugi consiliator.*

Ibid. *In diutina deliberatione caeteri cruciantes morâ consilii mea praecordia, imo miserum spiritum* etc.] Festus: *Cogitatio* etc. *longa eiusdem rei agitatio in eadem mora consilii explicandi.* Ammianus lib. 26. ex Appuleio nostro: *Gradum sensim referentes, moris diuturnis excruciabant.* repono, ex Auctore nostro *m. diutinis e.* sic infra hic lib. 8. *Mora diutina commoti. Cruciantes spiritum meum*, est quod Act. 21. Τὴν καρδίαν μου συνθρύπτοντες.

Ibid. *Libenter tandem novitii latronis a. s.*] Oxon. *Libentes tam boni novitii l. a. s.*

Ibid. *Quin igitur (inquit) supplicatum Marti Comiti pergimus?*] De Thyami, etiam latronum Duce, lib. 1. Heliodorus: Τὸν ὑπασπιστὴν ἱερεῖον ἄγων (l. ἄγειν) προσέταττεν, ὡς ἂν θεοῖς ἐγχωρίοις ἐναγίσαντες, οὕτω τῆς μάχης ἄρχοιεν.

Ibid. *Epulas Saliares comparaturus*] Ita clare etiam in Oxon. MS.

Ibid. *Aram cespite virente Marti Deo faciunt*] Virgilius, ubi de Turno et Aenea: *In medioque focos, et Dis communibus aras Gramineas.* ubi Servius: *Gramineas, quia et de bello res agitur, et Marti sacrificatur, cui gramen* est

est consecratum, *quod*, *secundum Plinium in Natur. Historia*, *humano cruore procreatur. Cespite virente aram* heic, ut apud Iul. Capitolinum *arae cespititiae*, et in l. 12. Cod. Theod. de Pagan. etc. *erecta effossis ara cespitibus.* Oxoniensis, vulgatis melius, *Aramque* etc.

Pag. 140. *Grandem hircum*, *annosum et horricomem Marti* etc. *victimant*] Heliodorus 2. Κριόν τινα τῶν ἡγουμένων καταθύσαντες. In Epistola Smyrnaensis Ecclesiae, de Polycarpo: Προσδεθεὶς ὥσπερ κριὸς ἐπίσημος ἐκ μεγάλου ποιμνίου, εἰς προσφορὰν etc. Bene autem post *hircum praegrandem*, dixit *victimant.* Glossarium: *Victimae*, τὰ μεγάλα θύματα. bene et *annosum.* Isidorus 12. 1. *In victimis etiam aetas considerabatur.* commode et *Marti* additum. Servius ad Aeneid. 3. *Ratio victimarum fit pro Numinum qualitate.* Idem ad 9. *Singulis Numinibus certa sunt dona quae offeruntur: unde est*, *Strueremve suis altaria donis: id est*, *propriis. Horricomem*, φριξότριχα· ut in Glossario redditur.

Ibid. *Non modo* etc. *expeditionum praedarumque*, *verum etiam voluptatum vestrarum Ducem me strenuum sentire debetis*] Suidas de P. Aemilio: Ἔλεγε τῶν αὐτῶν ἀνδρῶν εἶναι, τῷ τε πολέμῳ κρατεῖν, καὶ ταῖς παρασκευαῖς τῶν συμποσίων ἐπιμελεῖς τε καὶ φιλοτίμους φαίνεσθαι. Proprie autem *voluptatum* dixit. Firmicus: *Faciet popinarios*, *et qui alienarum voluptatum curam sollicitudinemque sustineant.* Galienus apud Trebellium Pollionem: *Ecquid habemus in prandio*, *ecquae voluptates paratae sunt?* Gellius 2. 1. de Socrate: *Parcendique moderandique rationibus dicitur et a voluptatum labe cavisse*, *et salubritates corporis retinuisse.* sic 19. 2. *gustus voluptatem* dixit. Terentius 3. 1. Eunuchi: *Tum me convivam solum abducebat sibi.* ubi Donatus: *Hoc supererat*, (ita enim, non *superat* legendum) *ut qui esset minister magnarum rerum*, etc. *voluptatum quoque Regis particeps esset.* In tribus (quorum unus est Oxoniensis) MSS. male *expositionum* legitur. Onomast. vetus: *Expeditio*, στρατεία. Glossae: Ἔξοδος εἰς πόλεμον, *expeditio.* Item: Ἡ εἰς πόλεμον ἔξοδος, *expeditio.* Instit. de milit. testam. §. sed et si: *In expeditione degens.* et ibid. §. 1. *Cum in expeditionibus occupati sunt.*

Ibid. *Gnaviter cuncta praeministrat*] Glossae: *Navus*, ἔμπρακτος, εὐστροφής, εὐκίνητος. Hesychius: Ἐλαφρίζων, παρασκευαζόμενος ῥᾳδίως.

Ibid. *Verrit*, *sternit*, *coquit*, *tuceta concinnat*, *apponit scitule*] Πῦρ ἅψας, καὶ ἐνθεὶς τῶν σκευῶν ὅσα πρὸς τοῦτο χρηστὰ, τὰ πρὸς τὴν δαῖτα ἄφθονα παρέχων, καὶ μάλα αὐτὸς ἑαυτὸν ἐπεσπέρχων, ut apud Philostratum in Iconibus ille. *Scitule* (quod et in Oxoniensi et aliis) Beroaldus ex coniectura reposuit. sic supra lib. 2. *scitule ministrare.* in Vicentina autem, et aliis editionibus veteribus *satule* excusum; unde *satulle* Colvius, cuius notas adi. ita *satulle apponere*, erit quod in Philostrati verbis παρέχειν ἄφθονα. Pro *concinnat*, Oxon. et MS. alius *concremat.* de quo ulterius dispiciendum.

Ibid. *Poculis crebris grandibusque singulos ingurgitat*] Gellius 15. 2. *Crebris et ingentibus poculis omne ingenium ingurgitabat.* sic *pocula ingentia* apud Senecam 3. 33. de Ira: quibus opposita apud Ciceronem in de Senectute, *rorantia et minuta pocula.*

Ibid. *Interdum tamen* etc.] Id est, *interdum autem*, ut passim in Appuleio.

Ibid. *Quae poscebat usus*] Arnobius 1. *Omnia quae usus posceret.*

Ibid. *Ad puellam commeabat assidue*, *partesque subreptas* etc. *offerebat hilaris*] Esdrae 4. Λαμβάνει ἄνθρωπος τὴν ῥομφαίαν ἑαυτοῦ, καὶ ἐκπορεύεται εἰς ἐξόδειαν λῃστεύειν καὶ κλέπτειν· καὶ ὅταν κλέψῃ καὶ λωποδυτήσῃ, τῇ ἐρωμένῃ ἀποφέρει. Petronius: *Delectatus miles et forma mulieris*, *et secreto*, *quicquid boni per facultates poterat coëmebat*, *et prima statim nocte in monumentum deferebat.* Oxon. heic, *sublectas.*

Ibid. *Et praegustatas* etc. *potiones*] Ex Seneca Hieronymus: *Potionemque nullam nisi alternis tactam labris vir et uxor hauriebant.*

Ibid. *Promptis suaviolis adlubescebat*] Lib. 2. *Patentis oris inhalatu cinnameo*, *et occursantis linguae illisu nectareo prona lubidine adlubescenti.*

Ibid. *Hem! oblita es nuptiarum?*] *Iamne flammatum geris Amore subito pectus*, *et Venere nova?*

Ibid. *Tuique mutui cupitoris?*] *Qui voluntate mutua tibi mancipatus erat*, ut lib. 2. loquitur.

Ibid. *Et illi nescio cui recenti marito quem tibi parentes iunxerant* etc.] Catullus; *Virginitas non tota tua est*, *ex parte parentum est*, *Tertia pars patri data*, *pars data tertia matri: Tertia sola tua est.* Supra lib. 4. *Parentum consensu maritus nuncupatus.*

Ibid. *Hunc advenam*] Terent. Andr. *Hanc peregrinam.* ubi Donatus: *HANC cum contemptu dictum.*

Ibid. *Cruentumque percussorem*] Infra hic, *Abactorem indubitatum*, *cruentumque percussorem.* et 9. *cruentus*, *et exercitatus percussor.* Glossae: *Percussor*, σφάκτης, sic legendum enim.

Ibid. *Nec te conscientia stimulat?*] Lib. 8. *perpetuae conscientiae stimulum.*

Ibid. *Scortari tibi libet?*] Oxon. *licet.*

Ibid. *De verbis eorum quibusdam dubiis*, *sed non obscuris prudenti asino*, *cognosco* etc.] Oxon. et

et duo alii MSS. *sed non obscuris, prudens asinus cognosco* etc. τὸ *prudens* heic epitheton temporale est: nec permittit enim nostri asini verecundia perpetuum intelligi. infra lib. 9. *Ipse gratas gratias asino meo memini, quod meo suo celatum tegmine, variisque fortunis exercitatum, et si minus prudentem, multiscium certe reddidit.*

Ibid. *Contempta mea praesentiâ*] Lib. 9. *Dum praesentiam meam parvi facientes, libere quae volunt omnes et agunt et loquuntur.*

Pag. 141. *Instantia validiore* etc.] Gloss. Ἔπιξις, *instantia*, etc. lege Ἔπειξις, ab ἐπείγω. Glossae aliae: *Instantia*, σπουδὴ, etc. ἔνστασις, ἔπειξις.

Ibid. *Vinum iam immixtum* etc. *sauciis illis, et crapula vinolentiaque madidis, ipse abstemius non cessat impingere*] *Immixtum*, est *merum*, ἄκρατον. Nicolaus Damascenus de Parsonda, et Nanybri cauponibus: Οἶνον ἥδιστον πίνειν ὑπέχεον ἀκρατέστερον, ἐπίτηδες ὡς μεθυσθείη. *Crapula vinolentiaque madidis*, est quod Luc. 21. 34. ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ βαρυνομένοις. *Mero saucios* dixit et 24. Iustinus. *a vino fatigatos* Interpres vetus Iudith. 13. 2. *Abstemius* male abest ab Oxoniensi MS. Suidas: Κλεψιποτῶ· τὸ, φειδόμενος πίνω, καὶ τὸν συμπότην φενακίζω. Αὕτη γε μὲν κλεψιποτοῦσα, καὶ σωφρονοῦσα, etc. id est, (ut hic Noster) *ipsa abstemia.* Tibullus: *Saepe mero somnum peperi tibi, at ipse bibebam Sobria supposita pocula victor aqua.* vide Iudith. cap. 12. in fine.

Ibid. *Non cessat*] Gloss. Οὐ διαλείπει, *non cessat*, etc.

Ibid. *Cuncti denique, sed prorsus omnes vino sepulti iacebant*] Scripserim, *sed et prorsus omnes* etc. Servius in schedis Fuldens. *Cicero saepe ait, cuncti atque omnes: quia omnes non statim sunt cuncti, nisi iidem simul sint iuncti.* Hinc *cuncti*, σύμπαντες, in vetere Onomastico. Claudianus: *Huius pacificis debemus moribus omnes, Quod cuncti gens una sumus.* Apud Cassiodorum 5. 16. *Et ob id omnibus possunt esse gratissima, quia cunctis profutura noscuntur.* sic supra lib. 3. *Et singulis et universis.* *Sepulti* heic, ut apud Senecam Epist. 12. *Cum vino* etc. *sepelisset se.* Virgilius: *Custode sepulto.* Servius: *Dormiente sine pulsu, sine motu.* *Iacebant* autem Latinissime dictum. Interpres vetus Iudith. 13. 4. *Porro Holofernes iacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus.* Virgilius 6. Ecloga: *Silenum pueri somno videre iacentem, Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho.* Idem Aeneid. 3. de Polyphemo: *Vinoque sepultus, Cervicem inflexam posuit, iacuitque per antrum.* ubi Servius: *Verbum* iacuit *de Varrone mutuatus est, qui ait in lecto temulentos iacere, sobrios cubare consuescere.*

Ibid. *Vino sepulti* etc.] Gloss. *Sopor e vino*, κάρος ἐξ οἴνου.

Ibid. *Parati morti*] Ad omnes iniurias expositi, ut et de ebrio illo lib. 8. loquitur. ἔκδοτοι ὑπὸ τοῦ ὕπνου, ut 6. 14. Antiquit. apud Iosephum. Claudianus: *Largo sopita Lyaeo Castra subit: pereunt alii dum membra cubili Tarda levant, alii letho iunxere soporem.* *Paratos morti* heic, ut apud Tacitum Annal. 14. *incesto parata.* et Annal. 15. *arguenti paratus.* ita enim cum Faërno legendum non ausim dubitare. Verba Taciti: *Prior Natalis totius coniurationis magis gnarus, simul arguenti* (vel, si malueris, *urgenti* Neroni) *paratior, de Pisone primum fatetur*, etc. In excusorum nullo non legitur, *arguendi peritior.*

Ibid. *Tunc nullo negotio artissimis vinculis impeditis* etc. *illis*] Nimirum, *Facilis victoria de madidis, et Blaesis, atque mero titubantibus. Nullo negotio*, est ἀπονητὶ, μετ' εὐκολίας, ὥσπερ ἐν σαγήνῃ λαβὼν· ut Chrysostomus in *de Iuramento* locutus. ἄνευ πολέμοιο, Nonnus in Dionysiacis dixit: cuius versus ob similitudinem argumenti merentur apponi: Καὶ σφίσι λοίγιος ὕπνος ἐπέχραεν, ἀκλινέες δὲ Ἔσχατα βακχευθέντες ἐπευνάζοντο βοείαις. Ἄλλοι δ' ἀστορέεσσι κατεκλίνοντο κατευναῖς, Νωθρὸν ἐπιτρέψαντες ἀκινήτῳ δέμας ὕπνῳ· Βάκχαις ἀδρανέεσσιν ἑλώρια καὶ Διονύσῳ. Τοὺς δὲ δίχα πτολέμοιο καὶ εὐθίκτοιο σιδήρου Δούλιον ἐς ζυγόδεσμον ἐληΐσαντο γυναῖκες Βριθομένους μελέεσσι, καὶ ἀντιβίων ὑπὲρ ὤμων Ὡς νέκυες ζώοντες ἐλαφρίζοντο μαχηταί. Loquitur de Indis post potum medicatum fluvium a Baccho subiugatis. Sisenna apud Nonium: *Inermos armati, impeditos expediti, sine ullo suorum vulnere cunctos interficiunt.*

Ibid. *Quam simul accessimus, tota civitas ad votivum conspectum effunditur*] Apud Athenaeum Deipnos. 5. Posidonius Apamaeensis: Καὶ σχεδὸν τὸ πλεῖστον μέρος τῆς πόλεως ἐπὶ τὴν ἐκδοχὴν αὐτῷ ἐξεκέχυτο. supra lib. 3. *Ac dum primum angiportum insistimus, statim civitas omnis effusa, mira densitate nos insequitur.* Theodoretus Prodromus: Ἡ γε μὲν πόλις, Ἐπεὶ τὸ ξυμβὰν καὶ τελούμενον μάθοι, Ἐξῄεσαν ξύγκλυδες ἐκ τῶν δωμάτων. Iosephus bell. Iud. 7. 22. de nobilibus Romanis, Vespasiano e Iudaea Romam adveniente: Οὐκέτ' ἀνεκτὸν ἦν ἀναμένειν, ἀλλὰ πορρωτάτω τῆς Ῥώμης αὐτῷ προσεντυχεῖν ἔσπευδον· οὐ μὴν, οὐδὲ τῶν ἄλλων τις ἠνείχετο τῆς εὐτεύξεως τὴν ἀναβολὴν, ἀλλ' οὕτως ἐξεχέοντο πάντες ἀθρόοι, καὶ πᾶσιν εὐπορώτερον καὶ ῥᾷον ἐδόκει τοῦ μένειν τὸ ἀπιέναι· ὡς καὶ τὴν πόλιν αὐτὴν τότε πρῶτον ἐν ἑαυτῇ λαβεῖν ὀλιγανθρωπίας αἴσθησιν ἰδίαν· (malim ἰδίας) ἦσαν γὰρ ἐλάττους τῶν ἀπιόντων οἱ μένοντες. Chrysostomus Homil. de Babyla: Καὶ γάρ ποτε ἡνίκα ἀπὸ τῆς Δάφνης ἐπα-

νήει, πᾶσα μὲν ἡμῖν ἡ πόλις εἰς τὴν ὁδὸν ἐξεχύθη.

Ibid. *Procurrunt parentes, affines, clientes, alumni, famuli, laeti, faciem gaudio delibuti*] Infra lib. 11. *Confestim denique familiares ac vernulae, quique mihi proximo nexu sanguinis cohaerebant*, etc. *repentino laetati gaudio* etc. *ad meum festinant illico diurnum reducemque ab Inferis conspectum.* quo loco *vernulas* vocat, quos hîc *alumnos*. Glossae: *Alumnus*, οἰκοτραφὴς, etc.

Ibid. *Gaudio delibuti*] Isidorus Orig. lib. 10. *Delibutus, de oleo unctus*, etc. *hinc et delibutum gaudio, id est, perfusum, vel plenum.* supra heic lib. 3. *Laetitiâ delibuti.*

Ibid. *Pompam cerneres omnis sexus et omnis aetatis*] Pollux Onomast. 9. 8. Οὐδεὶς οὕτω γέρων ἢ παῖς ὅστις αὐτὸν οἴκοι κατεῖχεν. Iustinus lib. 5. *Non pueros imprudentia, non senes debilitas, non mulieres sexus imbecillitas domi tenet.* Paulinus in Ambrosii funere: *Erat exequiarum turba innumerabilis, totius dignitatis, totiusque sexus, omniumque pene aetatum.* Chrysostomus ubi supra: Κεναὶ μὲν ἀγοραὶ ἀνδρῶν, κεναὶ δὲ γυναικῶν ἦσαν αἱ οἰκίαι, ἔρημοι δὲ παρθένων οἱ θάλαμοι· οὕτω καὶ ἡλικία πᾶσα καὶ φύσις ἐκκατέρα τῆς πόλεως ἐξεπήδησαν. Posidonius iam dicto loco: Συνέτρεχον ἐπὶ τὴν θέαν ταύτην, ἄνδρες, γυναῖκες, παῖδες. Theod. Prodromus: Ἀνδρῶν, γυναικῶν ὄχλος, ἡβῶντες νέοι, Γηρῶντες, οὐ γηρῶντες, εὐτυχὴς, πένης, Γραῶν ὅμιλος, παρθένων, οὐ παρθένων, etc.

Ibid. *Hercle memorandum spectamen*] Lib. 6. *Videt hercle memorandi spectaculi scaenam.* et 8. *Cerneres non tam hercle memorandum quam miserandum etiam spectaculum.*

Ibid. *Hilarior pro virili parte*] Ovid. Trist. 5. 12. *Laudes Caesar pro parte virili Carmina nostra tuas qualiacunque canunt.*

Ibid. *Proflatisque naribus*] Glossae: Ἐκφυσῶ, *efflo, proflo.* Virgilius: *Proflat de naribus ignem.*

Ibid. *Rudivi fortiter, imo tonante clamore personui*] Lucianus Baccho: Ὁ τοῦ Σειληνοῦ ὄνος ἐνυάλιόν τι ὠγκήσατο. quod ὀγκᾶσθαι μάλα τραχὺ καὶ καταπληκτικὸν Idem in Piscatoribus vocat. Virgil. 4. *Tercentum tonat ore Deos.* Servius: *Aut quia* etc. *aut, tonat, clara voce, et cum fiducia invocat.*

Ibid. *Colligatos adhuc vino magis quam vinculis* etc.] Chrysostomus Homil. de Ebrietate: Ἅπαν καταδεσμοῦντες τὸ σῶμα, ἁλύσεως σιδηρᾶς χαλεπωτέρῳ, τῷ τῆς μέθης etc.

Ibid. *Colligatos vino*] sic μέθη συμποδίζων τινὰ Plato 6. de Republ.

Ibid. *In proximas rupinas praecipites dedere*] Lib. 4. *Per altissimum praeceps in vallem proximam etiamnunc simul spirantem praecipitant.*

Ibid. *Suis sibi gladiis obtruncatos reliquere*] Hegesippus 4. 32. de Vitellio: *Peremitur in media urbe, vina et sanguinem fundens.* Petronius: *Hic graves alios mero Obtruncat, et continuat in mortem ultimam Somnos.* De Sisarâ a Iaële occiso, Iudic. 4. 14. *Soporem morti consocians defecit.* Claudianus: *Alii letho iunxere soporem.*

Ibid. *Tali vindicta laeti* etc.] Infra hoc lib. *Vindictae* etc. *gratulabar.* Virgilius: *Et tandem laeti sociorum ulciscimur umbras.*

Pag. 142. *Civitatem revenimus*] Oxon. *reveriimus.*

Ibid. *Publica custodela*] Quae Tacito Annal. 3. *publica custodia.* vide ad Act. 5. 18. notata.

Ibid. *Enim me, sospitatorem suum nuncupatum, matrona prolixe curitabat*] Gloss. *Prolixe*, etc. αὐταρκῶς. fortasse ἀρκετῶς legendum. Variant hoc loco et editi, et MSS. Oxoniensis, *matrona quiritabat:* quae, si τὸ *nuncupatum* abesset, satis commoda lectio. quiritabat me sospitatorem suum, i. e. praedicabat, singulis instrepebat: hoc et olim Beroaldo placuit.

Ibid. *Praesepium meum passim hordeo repleri iubet*] Lib. 9. *Cibariis abundanter praesepium instruxit.* Ovidius: *Plenum ad praesepe iuvenci.* Tibullus: *Nunc ad praesepia debent Plena coronato stare boves capite.* Hinc πολυτελὴς καὶ φατνωματικὴ παρασκευὴ in Plutarchi Apophthegm. vide Suidam, verbo Ὄνος πρὸς ἄχυρα· et Hesych. in Στατὸς ἵππος, et Καπανικώτερα.

Ibid. *Foenumque camelo Bactrino sufficiens*] Vide 1. 10. §. 8. Iul. Pollucem.

Ibid. *Diras devotiones imprecer*] Lib. 9. *Diras in eum devotiones deprecata.* Servius ad Aeneid. 4. *Iam utitur* (Dido) *imprecationibus, i. e. devotionibus: unde devotor et devotrix dicitur, qui imprecatur.*

Ibid. *Largissimae coenae reliquiis rapinisque canes omnes inescatos atque distentos*] Ambrosius Serm. 33. *Videas in nonnullorum domibus nitidos et crassos canes discurrere*, etc. Canis apud Phaedrum: *De mensa sua Dat ossa Dominus, frusta iactat familia, Et quod fastidit quisque pulmentarium.* *Inescatos* hîc, *repletos:* quia escis nempe solent corpora repleri. hinc infra 9. metaphoricῶς, *odore sulphuris inescatus.*

Ibid. *Quoad summos illi promitterent honores habituri mihi*] Pro, *se habituros mihi* sic Taciti Ann. 15. *Fossam depressuros promiserant.* Virgilius: *Sensit medios delapsus in hostes.* ubi Servius Fuldens. *Sensit in medios se hostes esse delapsum.* ut Horatius: *Dignis ait esse paratus.* pro, *ait se dignis paratum esse.* Catullus: *Ait fuisse navium celerrimus.*

Ibid. *Consilium datur*] Sic 1. Cor. 12. 25. γνώμην διδόναι.

Ibid. *Placuerat uni, domi me conclusum*] Vir-

Virgilius: *Aut intus clausos satura ad praesepia servant.* In vetere Onomastico: *Concludo*, συγκατακλείω. Oxon. et Palat. MS. *Placuerat quidem Dominae conclusum* etc. cui ne possim lectioni acquiescere obstat sequens illud, *Sed obtinuit alius*, etc. Antithesis vocum *uni* et *alius* vulgatam lectionem stabilit.

Ibid. *Otiosum* etc. *saginari*] Lib. 6. argumento simili: *Inter cibos delicatos et otium profundum.* Horatius: *Bovemque Disiunctum curas.* ubi vetus Scholiastes: *Otiosum pascis.* Apud Phaedrum lupus: *Quanto est facilius mihi sub tecto vivere, Et otiosum largo satiari cibo!*

Ibid. *Deducendus adsignor*] Donatus ad 2. 2. Eun. *Ducitur quis ad sepulturam, deducitur ad laetitiam.*

Ibid. *Rurestribus campis*] Lib. 8. *arva rurestria* vocat.

Ibid. *Daturus Dominis inscensu generoso multas mulas alumnas*] Philo 2. de legg. special. Ὄνους ὑπερμεγέθεις, οὓς προσαγορεύουσι κήλωνας, ἀνατρέφουσιν, ἵνα ταῖς θηλείαις ἀναβαίνωσι πώλοις.

Ibid. *Evocato armentario* etc.] *Cui tradita cuncta Armenta, et late custodia credita campi.* Onomasticon vetus: *Armentarius*, ἀγελάρχης.

Ibid. *Gaudens laetusque*] Supra hoc libro, *Laeti et gaudentes.*

Ibid. *Sarcinis et caeteris oneribus iam nunc renunciaturus*] Post nempe insignem honorem salvam virginem reportandi. etiam hodie, camelus qui quotannis Mecham donaria Regis Turciae portat, ex eo nunquam tempore ullâ sarcinâ gravatur. τὸ *oneribus* (quod et in Oxoniensi legitur) bene additum fuit ex Palatino Codice.

Ibid. *Veris initio pratis herbentibus rosas utique reperturus aliquas*] Infra lib. 10. *Plane tenui, ut potui, speculâ solabar clades ultimas, quod ver in ipso ortu iam gemmulis floridis cuncta depingeret*, etc. *et commodum dirupto spineo tegmine spirantes cinnameos odores promicarent rosae.* Horatius: *Mitte sectari rosa quo locorum Sera moretur.* ubi vetus Scholiastes: *Vetat puerum rosas, quae iam peracto vere inveniri non solent, studiose quaerere.*

Ibid. *Subibat me tamen illa etiam frequens cogitatio*] Oxon. et duo alii MSS. *S. m. tum illa etiam sequens cogitatio.*

Ibid. *Honoribusque plurimis asino modo tributis*] Non hanc damnaverim scripturam, praetulerim tamen *asino meo tributis*, quam et nonnulli editi et Codex Oxon. exhibent. Infra lib 9. *Ipse gratas gratias asino meo memini.* et 11. *Ad illum locum pervenimus, in quo meus pridie stabulaverat asinus.* sic in eodem libro, *Redde me meo Lucio.* et 10. *Rosae, quae me priori meo Lucio redderent.*

Pag. 143. *Molae machinariae subiugum me dedit*] Columella de hoc genus animalibus: *Iam vero molarum et conficiendi frumenti pene solennis est huius pecoris labor. Subiugum me dedit*, (inquit.) infra lib. 9. *Subiungi machinae novitium clamabat asinum.* In vetere Onomastico: *Subiugalis*, ὑποζύγιος. Glossae: Ὑποζύγιον, *iumentum, subiugium.* scribe, *iumentum subiugum.* Hesychius: Ὑποζύγια κτήνη, τὰ ὑπὸ τὸν ζυγὸν· καὶ τὰ ὑπόζωμα (fortasse καὶ τὰ ζῶα) πάντα τὰ ἐζευγμένα.

Ibid. *Nec mihi misero statuta saltem cibaria pro tantis praestabantur laboribus*] Infra lib. 9. *Matutino lutum nimis frigidum, geluque praeacuta frusta nudis invadens pedibus enitebar: ac ne suetis saltem cibariis meum ventrem replere poteram.* Iure autem hoc asinus conqueritur, cum, ut virga et onus portio eius, ita et cibaria. vide 33. 25. Sirachidem. Δούλῳ μισθὸς τροφή, Aristoteles in Oeconomicis dixit. Seneca lib. 3. de Benef. *Est aliquid quod Dominus praestare servo debeat, ut cibaria* etc. Theano de servis loquens: Δικαία χρῆσις, ἵνα μήτε διὰ τὸν κόπον κάμνωσι, μηδὲ ἀδυνατῶσι διὰ τὴν ἔνδειαν. vide Proverb. 31. 15. Matth. 10. 10. Coloss. 4. 1. l. 22. et l. 50. ff. de *oper. libert.*

Ibid. *Laboriosae machinae attrito*] Infra lib. 9. *Pectora copulae sparteae triturâ continuâ exulcerati.* exempla locutionis iam ab aliis adducta.

Ibid. *Furfures apponebat*] Suum, non iumentorum pabulum. Plaut. Capteiv. *Pistores scrophipasci, qui furfure alunt sues.*

Ibid. *Incretos*] Vide Beroaldum.

Ibid. *Vicinorum etiam frumenta* etc.] Oxon. *frugamenta:* quam vocem nondum alibi reperii.

Ibid. *Talibus aerumnis edomitum novis Fortuna saeva cruciatibus tradidit*] Infra hîc: *Fortuna meis casibus pervicax* etc. *novas instruxit insidias.* Item: *Fortuna meis cruciatibus insatiabilis, aliam denuo mihi pestem instruxit.* Apud Virgilium: *Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos Insequitur.* Apud Achillem Tatium ille lib. 6. Ἐμοὶ δὲ ἡ συνήθης Τύχη πάλιν ἐπιτίθεται, καὶ κατ' ἐμοῦ δρᾶμα καινὸν συντίθεται. In veteri Mimo: *Fortuna obesse nulli contenta est semel.* apud Nonnium Ennius: *Heu mea fortuna, ut omnia in me conglomeras mala! Edomitum aerumnis*, ut apud Servium (Aen. 2.) *aerumnis victum.* Catonis hoc loco locum opportune corrigamus. *Adversae* (inquit) *res se domant, et docent quid facto opus sit.* ita omnes Gellii editiones mihi visae exhibent; legendum, *adversae res edomant*, etc. habemus similem sententiam in his Livii lib. 5. *Adversae res admonuerunt religionum.* et his Lucretii: *Multoque in rebus acerbis Acrius advertunt animos ad religionem. Quo magis in dubiis homines spectare periclis Convenit, adversisque in rebus nos-*

noscere qui sint. item his Aurelii Victoris. *Constat sanctos prudentesque sensu mali prudentiores fieri: contraque expertes aerumnarum, dum opibus suis cunctos aestimant, minus consulere.* Idem alibi: *Perditae res subigunt recta consulere.*

Ibid. *Fortuna saeva*] Lib. 5. *En orba, et saeva* etc. *Fortuna.* et alibi: *Fortunae saevitatem meae.*

Ibid. *Scilicet, ut* etc. *domi forisque fortibus factis adoreae plenae gloriarer*] Seneca lib. cur bonis viris etc. *Fortuna fortissimos sibi pares quaerit, quosdam fastidio transit.*

Ibid. *Mandati dominici serius auscultator*] Ex vocibus *aliquando* et *tandem*, quae sequuntur, legendum, quantum ego video, *serus auscultator.* imo et sic scriptum reperi in Cod. Oxoniensi.

Ibid. *At ego tandem liber asinus* etc.] Virgilius: *Tandem liber equus, campoque potitus aperto.*

Ibid. *Tripudians, graduque molli gestiens*] Georg. 3. *Altius ingreditur, ac mollia crura reponit.* ubi Servius: *Cum exultatione quadam incedit.* Κυδρῷ σχήματι καὶ ὑγροῖν σκελοῖν γαυρώμενος φέρεσθαι. Xenophon in *de re equestri* dixit.

Ibid. *Equas opportunissimas iam mihi futuras concubinas deligebam*] Apud Plautum Mil. glor. *Ad equas fuisti scitus admissarius.* In his autem cum proxime praecedentibus, puto exprimi gestum illum quem τὸν εἰς τὰς θηλείας σχηματισμὸν l. II. §. 13. Iulius Pollux vocat. cuius loci aut ego intellectu, aut Interpres Latinus falsus. *Deligebam* est *eligebam.* In veteri Onomastico: *Deligo*, ἐπιλέγομαι.

Ibid. *Sed haec etiam spes hilarior in capitale processit exitium*] Vide sub initium libri 9. adnotata.

Ibid. *Ob admissuram Veneream passim satiati ac diu saginati*] Columella 6. 27. *Roborandus est largo cibo, et appropinquante vere hordeo ervoque saginandus, ut Veneri supersit*, etc. Varro 2. 8. de re Rust. *Hos (asinos) pascimus praecipue faeno atque hordeo: atque id ante admissuram largius facimus.* Onomasticon vetus: *Admissura*, ὀχεία. Glossarium: Βίβασις· ἡ ὀχεία, *admissura.* ibidem: Ὀχευτὴς, *admissarius.* ita *equus admissarius* Sirachidis 33. 6. apud Latinum Interpretem: ut recte pro *emissarius* restituit aeternum deflendus honorandusque Vir Il. Grotius. τὸ *Veneream* ex Fulvii MS. Schopp. et Wowerius deprompserunt. habebant veteres editiones, *admissuram veterem:* Oxon. MS. *venerem:* quod merum praecedentis vocis interpretamentum est. ego omnia ista inducenda crediderim, legendumque *ob admissuram passim satiati* etc.

Ibid. *Et utique quovis asino fortiores*] Lib. 9. *Canes rabidos et immanes, quibusvis lupis et ursis saeviores.*

Ibid. *Nec hospitalis Iovis servato foedere*] Lib. 3. argumento parili: *Sed, proh Iupiter hospitalis!* etc. *praeclarus ille vector meus cum asino capita conferunt*, etc. *utque me praesepio videre proximantem* etc. *infestis calcibus insequuntur.*

Ibid. *Arduus capite*] Virgil. de equo: *Campo sese arduus infert.*

Ibid. *Arduus capite, et sublimis vertice*] Ita γαῦρον καὶ ὑψαύχενα ἵππον, Orat. I. Themistius. et ἐριαύχενας ἵππους Iliad. λ. Homerus. Pro *vertice* (quod omnes editos, imo, quod sciam, omnes Manuscriptos insedit) puto *cervice* reponendum. Silius Ital. de generoso pullo: *Insignis multa cervice.* Virgilius II. *Arrectisque fremit cervicibus alte.* Infra hîc de seipso: *Arduaque cervice sublimiter elata, lorum quo tenebar, abrumpo.*

Ibid. *Primoribus in me pugilatur ungulis*] Lactantius de animalibus loquens: *Alia eorum* etc. *suffulta ungulis, vel instructa cornibus. Primoribus*, est, *prioribus*, ἐμπροσθίοις. sic ὁπλὰς ἐμπροσθίους μετεωρίζειν lib. 3. apud Agathiam Scholasticum: et, ὁπλαῖς ἐμπροσθίους ἐνσείειν 2. 3. 25. Maccabaicae historiae. Anacreon: Φύσις κέρατα ταύροις, Ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις. Xenophon Παιδ. β. Ἐπίσταται ὁ βοῦς κέρατι παίειν, ὁ ἵππος ὁπλῇ, etc.

Ibid. *Hinnitu maligno* etc.] Hinnitu, quem infesta rabies, non propitia voluntas ciebat. κατὰ φύσιν enim *hinnitum* equis *hilarem* in Excerptis Floridorum tribuit.

Pag. 144. *Remissis auribus*] *Remulsis* Vicentina editio, et non unus MS. Frustra fuerunt illi qui *remissis* maluerunt. supra lib. I. *Aures* (equi) *remulceo.* Cassiodorus 7. 15. de Equis: *Crispatis naribus, ac rotundis et constrictis membris, auribusque remulsis.* de lupo Virgilius: *Caudamque remulcens Subiecit pavitantem utero.* supra libro 3. in re simili, *deiectis auribus furere* vocavit Noster. nec tamen ad mentem Colvii hoc in loco *demissis* scribendum. quid sit *demittere aures*, in promptu est ex notissimo illo: *Demitto auriculas ut iniquae sortis asellus.* quod quam huic loco alienum, quis ille qui nescire fatebitur?

Ibid. *Qui miseros hospites ferinis equis suis* etc.] De Eodem Ovidius: *Quique suis homines pabula fecit equis.* vide praeter alios Servium ad finem I. Aeneid. *Ferinis equis:* quia ut ferae hominum carnes vorabant.

Ibid. *Rursus molares illos circuitus requirebam*] Apud Horatium: *Obsecro et obtestor, vitae me redde priori.* De deliciis humanorum votorum Maximus Tyrius: Εἴ τις θεῶν, ὥσπερ ἐν δράματι ὑποκριτὰς, ἀποδύσας ἕκαστον τοῦ

τα-

παρέντος βίου καὶ σχήματος, μεταμφιέσει τὰ τοῦ πλησίον, αὖθις οἱ αὐτοὶ ἐκεῖνοι ποθήσουσι μὲν τὰ πρότερα, ὀδυροῦνται δὲ τὰ παρόντα. Lactantius cap. 3. de Opific. Dei: *Magnisque clamoribus conditionem pristinam flagitant.* Arrianus Epictetaeorum 3. 16. de eo qui e servitute in libertatem et divitias evaserat: Πεφίληκε παιδισκάριον, καὶ δυστυχῶν ἀνακλαίεται, καὶ τὴν (προτέραν) δουλείαν ποθεῖ. adeo vere Eubulus: Πολλοὶ φυγόντες δεσπότας, ἐλεύθεροι Ὄντες, πάλιν ζητοῦσι τὴν αὐτὴν φάτνην.

Ibid. *Fortuna meis cruciatibus insatiabilis*] Heliodorus 2. Ἐριννὺς τοῖς ἡμετέροις κακοῖς ἀκόρεστος. De eàdem Theodorus Prodromus: Οὐ ταῦτα τὴν ἄπληστον αὐτῆς γαστέρα Ἔπλησεν, οὐκ ἔδωκε τῷ λιμῷ κόρον.

Ibid. *Delegor enim ligno monte devéhundo*] Lactantius de Ira Dei cap. 13. *Utitur* (homo) *terra ad percipiendam frugum varietatem: collibus ad conserenda vineta: montibus ad usum arborum atque lignorum.* Asinos his usibus deputatos Graeci ἀγκαλιδαγωγοὺς vocant. vide 7. 25. Pollucem.

Ibid. *Puerque mihi praefectus imponitur*] *Praefectum* lepide dixit. Terentius: *Elephantis quem Indicis praefecerat.* ubi Donatus: *Etiam hoc stulte, cum hoc ad dignitatem sumat, et sic pronunciet ut magna esse praefectura videatur.* Bene et *imponitur.* Quintilianus 13. Declam. *Et vacca, et armenta, et omne pecudum genus: sed illa impositus cohibet magister.* hinc in Glossario, Ἐπικτηνίτης, *iumentarius* etc. quo loci non inepte *superiumentarius* reponas: nec enim vim nullam illud ἐπὶ habet, nec altera vox illa apud Suetonium non extat.

Ibid. *Omnium ille quidem puer deterrimus*] Gulielmius *omnimodis ille* etc. at melius duo MSS. *omnibus modis.* infra lib. 11. *Lucrum certum modis omnibus significari.* Gellius lib. 2. cap. 18. *Ex quibus latenter intelligas non omnes modo Diis exosos esse, qui in hac vita cum aerumnarum varietate luctantur.* quo loco mihi perplaceret, *non omnibus modis Diis* etc. reponi. est et *omnibus* in Oxon. Codice, τῷ *modis* negligenter omisso.

Ibid. *Nec me montis excelsi tantum arduum fatigabat iugum*] Cyprianus in de habitu virgin. *quem laborem, cum conamur ascendere colles, et vertices montium!* at cum de *lignatione* heic agatur, apponamus congruum hunc Horatiani Scholiastis locum: *Non facile itur in ea loca ad caedendum ligna, quae sunt nimis alta atque abrupta.* De *montium iugis arduis* supra ad L. I. pag. 2. dixi.

Ibid. *Nec saxeas tantum sudes incursando conterebam ungulas*] *Sudes saxeas*, ut potuit, exposuit Beroaldus. bene interim Oxoniensis MS. *nec saxosa tantum incursando contribam ungulas.*

Ibid. *Fustium quoque crebris ictibus persaepe dedolabar.* Glossae: Συλοκόπος, ὁ τύπτων ξύλῳ, *fustuarius.* et ibidem: Συλοκοπῶ, τύπτω ξύλῳ, *defusto, fustigo. Dedolabar*, ut in alio Glossario: *Dolat*, πελεκᾷ, καὶ τύπτει.

Ibid. *Ut usque plagarum mihi medullaris insideret dolor*] Hypallage, pro, *Ut medullas usque plagarum dolor insideret mihi.* Virgilius: *Altius ad vivum persedit.* ubi Servius: *Medullas* etc. *penetravit.* Scriptor ad Hebraeos 4. 12. Διϊκνούμενος ἄχρι μερισμοῦ etc. ἁρμῶν καὶ μυελῶν.

Ibid. *Coxaeque dextrae semper ictus incutiens* etc.] Apud Plautum Bacchid. ille: *Stimulo cor foditur.* cui alter cavillans, *Pol tibi multo aequius est coxendicem.*

Ibid. *Et vulneris latissimi facto foramine, imo vero fovea*] Libanius 14. Declam. Ὀρωρυγμένους ὑπὸ τῶν μαστίγων. In martyrio Polycarpi: Μάστιξι μὲν καταξανθέντες, ὥστε μέχρι τῶν ἔσω φλεβῶν καὶ ἀρτεριῶν τὴν τῆς σαρκὸς οἰκονομίαν θεωρεῖσθαι. sic *vulnerum foveas* Cassiodorus cap. 15. de Anima dixit: *fossare telis corpora* apud Varronem Ennius: et *tergum vulneribus defossum* Claudianus. Virgilius: *Reddit specus atri vulneris undam Spumantem.* ubi Servius: *Poëtica exaggeratione* specum *pro* cavatione *posuit.* Pro *atri*, *alti* autem quid nos prohibet legere? Praedictam sancti Viri passionem, cum Ignatii Epistolis ex MSS. nuper in lucem edidit celeberrimus sanctissimusque Praesul, Usserius, Armachanus Archiepiscopus: *qui* (quod de Sophocle Val. Maximus,) *certamen cum natura rerum gloriosum habet: tam ille benigne opera sua mirifica exhibendo, quam illa operibus tempora* (commodiora utinam) *liberaliter subministrando.*

Ibid. *Lignorum vero tanto me premebat pondere, ut* etc.] *Molem immensam humeris, et non tractabile pondus Imponens.* Seneca cap. 5. de Tranquill. *Necesse est opprimant onera quae ferente maiora sunt.* nec solum *pondere* eum, sed et *verberibus* multat. haec sors hoc genus animalium: Ῥάβδος καὶ φορτία ὄνῳ apud Sirachidem est. bene et *premebat.* Lucilius: *Mantica cantheri costas gravitate premebat.*

Ibid. *Ut sarcinae molem* etc.] Festus: Moles *pro* magnitudine *fere poni solet.*

Ibid. *Quoties in alterum latus praeponderans declinaret sarcina*] Hoc volunt Hesychii ista: Ῥέπει· κλίνει, βαρεῖ, καθέλκει.

Ibid. *Vel certe in alterum latus translatis peraequare*] Hoc illud est quod ὑποζύγια ἀφ᾽ ἑκατέρας πλευρᾶς εἰς τὸ ἰσόῤῥοπον βαρύνειν, Philo in Flaccum vocat. Pollux 4. 24. Ἀνασηκωθῆναι δέ λέγοιτ᾽ ἄν, τὸ προσθεῖναι τῷ ἀναφερομένῳ πρὸς τὸ βαρύνον ἰσοῤῥοπίαν.

Ibid. *Sarcinae pondere*] Glossarium: Βάρος, *sarcina*, *pondus*, *gravamen*.

Pag. 145. *Madore*] Onomast. vetus: *Mador*, δίεσις, ὑγρασία. utitur et 1. libro.

Ibid. *Superpondium*] In eodem Onomast. *Superpondium*, ὑπέρμετρον.

Ibid. *Ripae supercilio*] Vide supra pag. 282. dicta. [hui. Ed. 253.]

Ibid. *Cauda sublevare*] Lib. 4. *Non fustibus, non stimulis, ac ne cauda quidem* etc. *cruribusque undique versum sublevatis, tentabat exsurgere.* vide Exod. 23. 5. de asino sub onere deficiente. ubi Latinus: *Sublevabis eum eo.* Ita *plaustrum conversum sublevare*, in l. 52. ff. ad leg. Aquil. In vet. Onomast. *Sublevo*, ὑποαίρομαι.

Ibid. *Certe partem tanti ponderis quoad resurgerem saltem detrahere*] Panaegyristes ad Constantinum: *Nimia mole depressi, levato onere consurgimus.*

Ibid. *Nullum quidem defesso mihi ferebat auxilium*] Haec est vulgaris lectio, et satis commoda: crederem commodiorem tamen *defecto*. lib. 8. *Meisque defectis lateribus consulas.* et libri 6. initio, *defectus gradus.* et post, eodem libro: *Lassa, saluteque defecta.* Glossae: *Defectus*, ἐξατονήσας.

Ibid. *Donec fomenti vice ipsae me plagae suscitarent*] Petronius: *Osculis, tanquam fomentis aggressus est.* De eo qui plagis velut fomentis quibusdam ad coitum incitari solebat, vide Caelium Rhodiginum.

Ibid. *Spinas acerrimas, et punctu venenato virosas* etc. *caudae meae pensilem deligavit cruciatum: ut incessu meo commotae incitataeque funestis aculeis infeste me convulnerarent*] Glossa ordinaria ad Matth. 23. 5. *Faciebant grandes fimbrias, et in iis ligabant acutas spinas, ut eundo vel sedendo interdum pungerentur, et sic quasi commoniti, ad Dei officia retraherentur.* In veteri Onomast. *Aculeus*, κέντρον.

Ibid. *Si dolori parcens* etc.] Opportune heic stabiliendam censeo vulgatam in Iure lectionem, quam e doctorum numero non unus (Gothofr. Schardius) immutatam voluit. In l. 1. §. 7. ff. si quadrupes pauper. fecerit: *Si equus dolore concitatus calce petierit, cessare actionem istam.* ex l. 52. §. 1. sequentis tituli *dolone* substituunt. quos vel hic locus Appuleianus erroris manifestos facit. at cum supra etiam libro 4. *dolorem plagarum* legam: apud Curtium 3. Darii equos *dolore efferatos*: et Senecam, (de animalibus sessorem recusantibus) *Compescimus ea, ut dolor contumaciam vincat.* (lib. In sap. non cad. iniur.) Cum haec legam (inquam) et apud Ciceronem (quem imitatus Iurisconsultus videtur) Orat. pro Scauro apud Priscianum: *dolore concitatum*: non ipse tantum persuadeor, sed et aliis me persuasurum crediderim, in tam concinna lectione nil quidquam novandum.

Ibid. *Nec quidquam videbatur aliud excogitare puer ille nequissimus, quam ut* etc.] Suidas: Ἀεὶ Φέρει τι Λιβύη κακόν· ἐπὶ τῶν κακούντων, καὶ ἀεί τι κακὸν νεώτερον ἐξευρισκόντων Iosephus 8. 3. de Ieroboamo: Οὕτως ἐξύβρισεν εἰς τὸ θεῖον, καὶ παρηνόμησεν, ὡς οὐδὲν ἄλλο καθ' ἡμέραν ζητεῖν, ἤ τι καινὸν καὶ μιαρώτερον τῶν ἤδη τετολμημένων ἐργάζεσθαι.

Ibid. *Idque iurans etiam* etc.] Infra lib. 9. *Idque deierans etiam confirmat per omnia divina Numina.*

Ibid. *Idque iurans etiam nonnunquam, comminabatur assidue*] Infra lib. 9. *Carcerem, et perpetua vincula, mortem denique* etc. *comminatus*, etc. *idque deierans etiam confirmat per omnia divina Numina.* Philo in de legg. special. Εἰσὶ γὰρ οἳ ὀμνύουσιν, ἐὰν τύχῃ, τραύματα καὶ σφαγὰς. Chrysostomus Homil. 15. in Epist. ad Ephes. Εἰσὶ δέ τινες αἳ καὶ ὅρκους προστιθέασιν, (nempe irae suae litaturas se) οὐδὲν δὲ αἰσχρότερον τῆς οὕτω θυμουμένης. Supra hîc lib. 5. *Nec sum mulier, nec omnino spirem, nisi eam de tantis opibus pessum deiecero.*

Ibid. *Et plane fuit quod eius detestabilem malitiam ad peiores casus stimularet*] Philo de Flacco loquens: Προσεπέῤῥωσεν δ' αὐτοῦ τὴν ἐκ μαθέσεως τὸ πλέον ἢ Φύσεως ἐπιτετηδευμένην ἀπόνοιαν καὶ συντυχία τις τοιαύτη, etc.

Ibid. *Nimia eius insolentia expugnatâ patientiâ meâ*] Ovidius: *Vitiis patientia victa est.*

Ibid. *Denique tale facinus in me comminiscitur*] Infra lib. 10. *Tale denique comminiscitur facinus.*

Ibid. *Stuppae sarcina me satis onustum, funiculisque constrictum, propere producit in viam*] In aliis, *onustum, propereque funiculis constrictum, producit* etc. quod propius verae lectioni: quam putamus *probeque funiculis constrictum*. lib. 3. de caprinis utribus: *Quos cum probe constrictos* etc. *cernerem.*

Pag. 146. *Fomento tenui calescens et enutritus ignis surgebat in flammas*] Vide ad Iacobi 3. 5. notata.

Ibid. *Pestis extremae*] Ustrinae, incendii. Virgilius: *Quid pestem evadere belli Iuvit?* ubi Servius: *Pestem, incendium significat: ut, Toto descendit corpore pestis: cum de navibus incensis loqueretur.*

Ibid. *Ustrina*] Gloss. Καῦσις νεκρῶν, *bustuarium, usterna*: an non melius *ustrina* legas? in veteri Onomast. *Ustrina*, τὰ καυτηρεῖα.

Ibid. *Ustrina talis moram non sustinens meliora consilia praevertitur*] *Moras extrema recusant.* Infra lib. 10. *Perturbatus, excussusque toto consilio, et ob angustiam temporis spatio cogitandi privatus.* et 9. *Praecipitante consilium*

pe-

periculi praesentia. ad quem locum fusius dicemus.

Ibid. *Affulsit Fortunae nutus hilarior, nescio an futuris periculis me reservans*] Infra heic: *Mediis Orci manibus extractus, sed extremae poenae reservatus.* supra lib. 1. *Recordabar bonam Meroën non misericordia iugulo meo pepercisse, sed saevitia me cruci reservâsse.* ad quem locum pag. [hui. Ed. 156.] adnotata inspice.

Ibid. *Pluviae* etc. *conceptaculum*] Onomast. vetus: *Conceptaculum*, ἐκδοχεῖον. *collectam* et *collectaculum* vocant finium Scriptores: ad quos eruditissimi Viri Rigaltzii Glossarium vide. Eiusmodi receptacula video et *lamas* dicta. Scholiastes vetus Horatii ad Epistol. lib. 1. *Lama, est aqua in via stans, ex pluvia.* item: *Lamas dixerunt maiores lacunas, aquam coelestem con-* [illegible]

Ibid. *Ibi memet improvido saltu totum proiicio*] Inconsulto (id enim est *improvido*) saltu ustrinam fugiens. Auctor de cardinal. Christi oper. cum Cypriano excusus: *Non attendi quo prosilirem, dum me vorax incendium non cremaret.*

Ibid. *Gregariisque* etc.] Gloss. *Gregarius*, ἀγελάρχης, ποιμήν.

Ibid. *Titubanti gradu prolapsum*] Lib. 6. ad eundem istum: *Rursum titubas, ac vacillas?*

Ibid. *Mihi etiam arridens* etc.] *Subamarum arridens*, ut supra lib. 6. locutus.

Ibid. *Iam se nequitiae meae proclamans imparem*] Saturnus apud Lucianum: Οὐκ ἠδυνάμην ἀρκεῖν πρὸς οὕτω πολλὴν ἀδικίαν. *Non capiunt vires crimina tanta meae.* Servius ad finem 4. Georg. *Hoc vult dicere: Res quidem publica habet optimum Imperatorem, sed tanta sunt vitia* etc. *ut ea, licet optimus rector, refraenare non possit.* Seneca 2. 8. de Irâ: *Omnia sceleribus ac vitiis plena sunt: plus committitur quam quod possit coërcitione sanari.*

Ibid. *Querelas huiusmodi concinnat*] Id est, falsas criminationes. Glossae: *Querela*, μέμψις ματαία. Proprie autem argumento tali *concinnat.* In eodem Glossario: *Concinnat*, etc. ἐπὶ συμφώνῳ συγκαττύει, etc. συνσκευάζεται. Aliud Glossarium: Κατασκευάζω, *concinno.* ibidem: Κατασκευαστὴς, ὁ κακοπράγμων, *concinnator*, etc. sic, *criminum concinnatores* 3. 13. Sidonius: et apud Eundem 4. 22. *mendacium concinnare.* infra hîc lib. 8. *fraudulentas ambages concinnare.* et 9. *mendacium reconcinnare.*

Ibid. *Ignigenam istum*] Ex praecedentibus exponere hanc vocem minus arduum foret. at MSS. aliam, imo tertiam, et quartam exhibent. Oxoniensis *nugonem istum.* ut 5. *nugonem istum castiget.* quod hoc loco tamen non est cur approbem.

Ibid. *Tardissimumque, et nimis asinum?*] Arnobius lib. 2. *Bovis ritu, aut asini, porci: aut si est ullum animal tardius.*

Ibid. *Me, prae caeteris flagitiis, nunc novis etiam periculis angit*] In Apologia: *Cur autem praeterita conqueror, cum non sint acerba minus praesentia?* In Adelphis Terentii 1. 2. *Nam illa quae antehac facta sunt Omitto, modo quid designavit?* et alibi: *Nam, ut alia omittam, pitissando modo mihi Quid vini absumpsit!* In Florentino hîc et Oxoniensi, *Me prae caetera flagitia:* unde recte in recentius editis quibusdam, *Me praeter c. f.* Ait *novis periculis* Noster. Cicero 5. Verr. *Id agit, ut semper superius suum facinus novo scelere vincat.* vide supra pag. praec. ad *τὰ nec quidquam* etc. notata.

Ibid. *Scitula mulier*] Glossae: *Scitus*, etc. χαρίεις.

Ibid. *Virgo nubilis*] Cornel. Nepos: *Aut virgo amici nubilis.* Virgil. 7. *Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.*

Ibid. *Seu tener puellus*] Infra lib. 9. *Tener, et admodum puer.* Lucilius: *Tener ipse etiam, atque puellus.* Ovidius 13. Metamorphos. *Nam tener, et lactens, puero que simillimus aevo est.* Iuvenalis: *Quo tener Hedymeles operas dedit.* Scholiastes: *Tener ad aetatem retulit.* hinc *primae teneritudinis pueros* Suetonius in Tiberii vita.

Ibid. *Stramentis abiectis*] Gloss. *Stramenta*, χορτόστρωτοι στιβάδες.

Ibid. *Furens incurrit*] Iuvenalis, ubi de salaci matrona: *Si nihil est, servis incurritur.* Infra hîc lib. 10. *Verebatur ne quo casu iuvenilis caloris impetu lapsus, nescius nesciam sororem incurreret.* Tertullianus in de Pudicitia: *Nec enim interest, alienam nuptam an viduam quis incurset, dum non suam foeminam.* Salvianus de Gubern. 7. *In quamcunque eos primam foeminam ardens impudicitiae furor traxerit, irruunt.* utitur et Declam. 3. hoc sensu Quintilianus. Minucius Octavio: *Dum domi natos alienae misericordiae frequenter exponitis, necesse est in vestros recurrere,* (scribendum *incurrere,*) *in filios inerrare.*

Pag. 147. *Amator talis*] *Trux* nempe, *et insuavis amator*, ut hîc infra vocatur. sic 9. *Talis illa mulier*, etc. detestanter prolatum.

Ibid. *Prostratis illis inhians*] Tertullianus: *Libidine fera humanis membris inhiant.* Supra 5. de Psyche: *Prona in eum* (Cupidinem) *efflictim inhians.*

Ibid. *Et ferinas voluptates adversa Venere invitat ad nuptias*] In aliis *aversa Venere:* quod ἐξηγητικὸν volunt esse praecedentium, *ferinas voluptates:* facile hoc equidem concederem, at quid est *ferinas voluptates invitare?* aut quis modus loquendi ille? melius interpunctionem mutassent sane, et *invitans* legissent: *Incognitas* ten-

tentat libidines, et ferinas voluptates: aversa Venere invitans ad nuptias. at aliam longe (eamque ni fallor veram) scripturam Oxoniensis praefert. est ea, *Et foeminas volutatas adversa Venere invitat ad nuptias:* quae et optime congruit praecedentibus, *humi prostratis illis:* neque cogit nos praeposterae hic Veneris spurcitiem comminisci. Bene sit illi Manuscripto: semper igni, semper aqua interdicatur ei, ex quo haud paucis locis Appuleium sanavimus. *Nuptiae* heic pro *concubitu* ponuntur, ut in Plautinis illis: *Habemus nuptias quotidianas, Haec quidem ecastor viro quotidie nubit.* et apud Auctorem ad Herennium: *Cuius mater quotidianis nuptiis delectatur. Invitat* heic, eâdem qua apud Petronium elegantia: *Non destitit ad pygiaca sacra invitare.* et Firmicum lib. 5. *Ad consortium tori genialis invitant.*

Ibid. *Nam imaginem etiam savii mentiendo*] Τὸ *etiam* ab Oxon. abest.

Ibid. *Ore improbo compulsat*] Gloss. Συνωθῶ, *contrudo, compulso.* Onomast. vetus: *Compulso*, συναράττω.

Ibid. *Pariet*] Oxon. *parient.*

Ibid. *Mulierem incoram omnium gestiebat inscendere*] Florid. 2. *Ibidem, in loco celebri, luce clarissima accubuit.* Nicetas Choniates ad milites quosdam, de nescio quo libidinoso sene: Ἀποφλαυρίσας τὰς ὑμῶν ἐντολὰς, ταῖς παρθενικαῖς, ἐπὶ μάρτυσι πολλοῖς, ὀνηδὸν ἐπιβριμώμενος, οὐχὶ δέδιε.

Ibid. *Ploratu questuque foemineo*] Pollux lib. 6. Θρηνώδες γυναικεῖον γένος. Virgilius: *Lamentis, gemituque, et foemineo ululatu.* Idem: *Foemineum clamorem ad coeli sidera tollunt.* Tacitus Annal. 3. *foeminarum ululatum* dixit. Horatius: *Et illa non virilis eiulatio.* Scholiastes: *Planctus* etc. *magis foeminis conveniens.* Seneca Troade: *Nos flebilis clamor movet, Furorque cassus foeminae?* Seneca alter cap. 3. ad Helviam: *Lamentationes, et ululatus, et alia, per quae fere muliebris tumultuatur dolor.*

Ibid. *Compavita*] Ita et Oxon. vide Colvium.

Ibid. *Dirupta*] Sic infra 10. *Diruptâ nobili foeminâ:* et 9. *Nates illas candidas diruptus.*

Ibid. *Talibus mendaciis admiscendo sermones alios* etc.] Ψεύδεα πολλὰ λέγων, ἐτύμοισιν ὅμοια.

Ibid. *Animos pastorum in meam perniciem* etc. *suscitavit*] Lib. 9. *Magisque in suam perniciem advertit efferari.*

Ibid. *Denique unus ex illis* etc.] Lib. 8. *Inter haec unus ex illis* etc. Terent. Eunuch. *Illi invidere misere, verum unus tamen Impense.* Donatus: *Proprie* unus: *nam unus ex multis dicitur.*

Ibid. *Imo communem omnium adulterum*] Seneca 3. 28. de Benef. *Libidinis et gulae servus: et adulterae, imo adulterarum commune mancipium.*

Ibid. *Obtruncato protinus eo* etc.] *Obtruncare* (vox qua plures quam qui intelligunt utuntur) est, a collo caput dividere. Servius ad Aeneid. 3. *Obtruncare, est proprie capite caedere.* In vetere Onomastico: *Obtrunco*, ἀποδειροτομέω. Hesychius: Ἀποδειροτομήσω· ἀποτεμῶ τοὺς τραχήλους. Lucianus hoc loco, laxius, ἀποσφάξατε.

Ibid. *Intestina quidem canibus nostris iacta, caeteram vero carnem* etc.] Catullus: *Intestina canes, caetera membra lupi. Iactare* pro *iacere* insolentius, nec fortasse tamen solus dixit. Glossarium: Ἀκοντίζω. *iactum iacio, iaculor.* quod facile dicat prolatum quis, ut *coenare coenam: pugnare pugnam*, etc. neque timeo proponere, tamen an *iacto, iacio*, etc. legendum.

Ibid. *Eiusque mortem de lupo facile mentiemur*] Genes. 37. 20. *Occidamus eum, et mittamus in cisternam* etc. *dicemusque: fera pessima devoravit eum. Facile* hîc non tam εὐχερῶς aut ῥαδίως, quam πιθανῶς signat.

Ibid. *Sublata contatione*] Lib. 9. *Iamque omni sublata contatione*, etc. supra hoc lib. *Nec mora, nec contatio.*

Ibid. *Meis insultans malis*] Servius ad Aeneid. 2. *Insultare, est in alienum dolorem exultare.* et ad 10. *Insultare, est inimicis per cavillationem illudere.* Glossae: *Insultat*, ἐπιγαυριᾷ, ἐπιχαίρει, etc. sic τῇ τύχῃ (ἀλλοτρίᾳ) ἐπεμβαίνειν, Vetus quis apud Suidam: et ταῖς συμφοραῖς ἐπεμβαίνειν 3. 17. apud Pollucem.

Ibid. *Calcisque illius admonitus* etc.] Aeneid. 6. *Et nimium meminisse necesse est.* ubi Servius ex Cicerone: *Cui placet, obliviscitur, cui dolet, meminit.*

Ibid. *Gladium cotis attritu parabat*] *Destinatae lanienae cultros acuebat:* ut infra lib. 8. loquitur. *Parabat*, in re tali significanter dixit. Donatus ad 4. 2. Andr. *Apparari ad horrorem et timorem refertur.* ne quid dissimulem tamen, fortassis *exasperabat* scribendum. supra lib. 5. *Novacula* etc. *lenientis palmulae appulsu exasperata.*

Ibid. *Nefas (ait) tam bellum asinum sic enecare*] Lib. 4. de urso ille: *O grande (inquam) et extremum flagitium! vere pretiosam perdimus bestiam.*

Ibid. *Propter luxuriem lasciviamque amatoriam culpatum* etc.] Lib. 5. *Mater autem tu* etc. *filii tui lusus explorabis curiose? et in eo luxuriem culpabis, et amores revinces?*

Ibid. *Servitioque tam necessario* etc.] Plinius Panaegyr. de Aegypto: *Sciat se esse Pop. Rom. necessariam, et tamen serviat.*

Ibid. *Crassior atque corpulentior effici*] Plaut. Epi-

Epidico: *Corpulentior videre atque habitior.* Oxon. *fieri.*

Ibid. *Asinos inertes*] Lib. 9. *Iners asellus* etc.

Ibid. *Nimio libidinis calore laborantes*] Abest, (ut male, vereor) *calore* ab Oxon. et Florent. MSS. supra lib. 6. *Cuius effrenae iuventutis caloratos* (id est, libidinosos) *impetus* etc. ubi dicta pag. [hui. Ed. 268.] vide.

Ibid. *Adhibita detestatione mansuetos ac mansues* etc. *factos*] Aelianus in Epistolis: Τοῦτο (de castratione agit) τὰ ζῶα ἀναπείθει ἡσυχίαν τε ἔχειν, καὶ σωφρονεῖν. *Mansuetos ac mansues* habent editi omnes, habet et Oxon. MS. ego qui tam clare non video ut discrimen harum dictionum cernam, vitandae illepidae geminationis ergo *mansuetos ac mites* reposuerim. Gellius 5. 14. *Mitis ac mansuetus accessit.* Gloss. Πρᾶος, *lenis*, *mitis*, *mansuetus*. Ibidem: Καταπραΰνω, *mitigo*, *mansuefacio*, etc.

Ibid. *Et oneri ferundo non inhabiles*] *Neque enim quid de fortitudine iumenti castratione detrahitur.* l. 38. §. 6. ff. de aedilit. edicto.

Ibid. *Ceteri ministerii patientes*] Florent. Fuxens. et Oxon. Codd. *Cetero ministerio p.*

Ibid. *Mercatum proximum* etc.] Glossae: *Mercatus*, etc. πανήγυρις.

Ibid. *Ferramentis*] Arnobius 3. *Aut ruris ferramenta procudat.* Cato apud Servium in Virgilium: *Vir bonus*, *cuius ferramenta splendent.* Glossae: Σιδηρεῖα ἐργαλεῖα, *ferramenta*: at heic speciatim intellige quae *castratoria ferramenta* Palladius vocat.

Ibid. *Trucemque amatorem istum* etc.] In Apologia, de vulgaria Venere: *Immodico trucique perculsorum animalium serva corpora complexu vincientem.*

Ibid. *Atque insuavem*] Graecissat, ut et 9. *Insuavis* etc. *mariti.*

Ibid. *Dissitis femoribus emasculare*] Onomasticon vetus ornatissimum: *Emasculo*, εὐνουχίζω. *Salacem ferro caudam demetere* Horatius dixit. Colvius *dissectis f* Oxon. cod. *discissis.* τὸ *dissitis* nobis satisfacit. lib. 6. *Distributis dissitisque generibus:* nisi forsan, cum de castratione agatur, *desectis* vel *destinatis* scribendum. supra lib. 1. *Vel*, *membris eius destinatis*, *virilia desecamus?* In vetere Onomastico: *Deseco*, ἀποτέμνω.

Ibid. *Vervece mitiorem efficere*] Proverbiale est. sic 8. *Vervecem*, *non asinum vides.* ad quem locum fusius dicemus. Oxon. male, *viliorem.*

Ibid. *Mediis Orci manibus extractus*] Achilles Tatius lib. 6. ἐκ μέσων τῶν τοῦ θανάτου πυλῶν ἀναγαγεῖν dixit. infra lib. 9. *Mediis lanii manibus ereptus.*

Ibid. *Extremae poenae reservatus*] Ovidius: *Poenae crucianda reservor.*

Ibid. *Et in novissima parte corporis totum me periturum deflebam*] Tale illud, *Exstinctae corpus non utile dextrae.*

Ibid. *Praecipiti ruina memet ipse quaerebam extinguere*] Ex θανατιώντων consuetudine, de qua fuse ad Matth. 27. 5. pag. 250. dixi. *Praecipiti ruina*, ut apud Ennium: *Praecipiti sese traxere ruina.* et Maximum Taurinensem: *Etiam Magum illum Simonem orationibus suis* (Petrus) *de aëris vacuo praecipiti ruina prostraverat.*

Ibid. *Dumque in ista necis meae decontor electione* etc.] Hegesippus 1. 45. *De genere necis tractat.* Ovidius: *In necis electu parva futura mora est.* supra lib. 1. *De genere mortis tumultuario deliberabam mecum.* ubi notata pag. [hui. Ed. 156.] vide.

Ibid. *Montis suetum vestigium*] 11. *Sueto lavacro traditum.* pro *vestigium* cur non *fastigium* legimus? supra in hac ipsa narratione: *Nec me montis excelsi tantum arduum fatigabat iugum*, etc.

Ibid. *Securi lignum quod deveheret*] Ierem. 46. 22. *Cum securibus venient*, *quasi caedentes ligna.* Ovidius: *Et*, *caesa securibus*, *urar. Deveheret*, de monte veheret, nec enim illud *de* vacat.

Ibid. *Vastum attollens caput*] Seneca Oedipo: *Altum taurus attollens caput.* Idem Hippol. *Alto vertice attollens caput.* infra heic lib. 11. *Caput attollens arduum.* et 8. *deformem attollens faciem.*

Ibid. *Repentinâ facie conterritus*] Lib. 9. *Mobili*, *ac trepida facie percitus.*

Pag. 149. *Quam simul aspexi* etc.] Catullus: *Simul te Lesbia aspexi*, etc.

Ibid. *Totum corporis pondus in postremos poplites recello*] Phaedrus: *Feroque viso retulit retro pedem.*

Ibid. *Meque protinus pernici fuga concitato* etc.] Maximus Tyrius Dissert. 32. Τῷ τῶν ἵππων γένει συγκεκλήρωται πρὸς σωτηρίαν δρόμος. Xenophon in de *re equestri*: Ἐκφυγὼν οὐδεὶς ἵππος βάδην πορεύεται. In vett. editt. melius, *pernici fugae committo.*

Ibid. *Perque prona non tantum pedibus*, *verumetiam toto proiecto corpore*, *propere devolutus*, etc.] Theophylactus ad illa Philipp. 3. τοῖς ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος: Τοῦτ᾽ ἔστι, πρὶν φθάσαι, λαβεῖν σπουδάζων· καὶ τοὺς πόδας, καὶ τοι τρέχοντας, τῷ λοιπῷ σώματι προλαμβάνειν σπεύδων, τὸ ἐπικλίνειν ἑαυτὸν εἰς τὰ ἔμπροσθεν, ὅπερ ἀπὸ πολλῆς προθυμίας γίνεται. Virgilius: *Mox sese ad litora praeceps Cum fletu precibusque tulit.* ubi Servius: *Praeceps*, *respectu salutis: scilicet postquam Cyclopum graviora pericula cogitasset.* et post: *Quo eat non cogitat*, *eorum comparatione quae fugit.* et nota τὸ *devolutus.* Aristoph. Acharn. Εἰ μὴ σχολὴν ἔχεις

κατελθεῖν, ἐγκεκλήθητι. Scholiastes: Συστράφηθι

Ibid. *Immitto me campis subpatentibus*] Lucianus in de Domo: Ἵππος ἡδίον ἂν οἶμαι δράμοι κατὰ πρανοῦς πεδίου καὶ μαλακοῦ, προσηνῶς τὴν βάσιν δεχομένου, καὶ ἠρέμα ὑπείκοντος τῷ ποδὶ, καὶ μὴ ἀντιτυποῦντος τῇ ὁπλῇ· ἅπαντι γοῦν τότε τῷ δρόμῳ χρῆται, καὶ ὅλον ἐπιδοὺς ἑαυτὸν τῷ τάχει, ἁμιλλᾶται καὶ πρὸς τὸ κάλλος τοῦ πεδίου.

Ibid. *Summo studio fugiens immanem ursam*] Melius: *Ex summo studio* etc. Lib. 8. contraria sententia: *Ex summo studio bestiam insequentes.* Lib. 3. *Ex summis viribus irruentes.* et saepe alibi.

Ibid. *Tunc quidam viator solitarium vagumque me respiciens, invadit:* etc.] Factu res haud ardua. Isidorus Orig. 12. 1. de hoc genus quadrupedi: *Animal tardum, et nulla ratione renitens, statim ut voluit, sibi homo substravit.*

Ibid. *Baculo quem gerebat obverberans*] Commentus est Beroaldus lectionem istam, quam miror caeteros editores ita facile secutos. Oxon. codex, primique omnium Romae et Vicentiae cusi, elegantissime *obumbrans* legunt: quod ego interdicto *Unde vi* suo loco restituendum censeo.

Ibid. *Per obliquam gravemque me ducebat viam*] Reponendum ex Cod. Florent. *obliquam ignaramque:* quod et (prima tantum literula omissa) est in libro Oxoniensis Bibliothecae. Servius ad Aeneid. 10. *Ignarum: id est, ignoratum: qui nesciretur.* Isidorus lib. 10. Orig. *Ignarus duo significat: vel, qui ignorat, vel, qui ignoratur.* quae sumpsit ex his Gellii 9. 12. *Ignarus utroquevorsum dicitur, non tantum qui ignorat, sed et qui ignoratur.* Ita *ignarum* pro *ignoto* Tacitus Histor. 3. et Annal. 15. Ab eadem ultro citro communicatae significationis forma, supra etiam lib. 5. *tramitem inscium* dixit. contra in Floridis: *Prioribus gnaris, sequentia exspectare.* id est, *notis.* et in Apologia: *Alta illa* etc. *Platonica, rarissimo cuique piorum gnara.*

Ibid. *Nec invitus ego cursui me commodabam, relinquens atrocissimam virilitatis meae lanienam*] Lib. 8. *Nec me pondus sarcinae, quanquam enormis urgebat, quippe gaudiali fuga detestabilem exsectorem virilitatis meae relinquentem. Virilitatis* voce utitur et 9. 4. A. Gellius. Iurisconsultus in l. 4. ff. ad leg. Cornel. de sicar. Quintilianus Declam. 340. et 7. de *Civ. Dei* D. Augustinus. eodem etiam sensu Graeci ἀνδρείαν ponunt. Artemidorus 1. 47. Τοῦ ἰσχύος, καὶ τῆς τοῦ σώματος ἀνδρείας αἰδοῖον αἴτιόν ἐστι· διὸ ἀνδρεία πρός τινων καλεῖται. Fuxensis, non male, *Cursui me commendabam.* sic 1. *fugae mandes* (id est, *commendes*) *praesidium.*

Ibid. *Caeterum plagis non magnopere commovebar*] Hinc ὄνος ἀήττητος Arriano 1. 18. in Epictetum. Plaut. Pseudolo: *Neque ego homines magis asinos unquam vidi, ita plagis costae callent.*

Ibid. *Quippe consuetus ex fortuna concidi fustibus*] *Ex fortuna*, est, ex sorte hoc genus animalium. Ῥάβδος καὶ φορτία ὄνῳ Sirachidem iam dicentem audivimus. Ovid. Amor. 2. 7. *Aspice ut auritus miserandae sortis asellus, Assiduo domitus verbere tardus eat.* Apud Arrianum 3. 7. παροιμιακῶς, Ὡς ὄνον ξυλοκοπῆσαι. Non commovebar plagis (inquit,) quippe fustibus caedi consuetus. Ovidius 3. 7. de Ponto: *Ductus ab armento taurus detrectat aratrum, Subtrahit et duro colla novella iugo. Nos quibus assuevit Fatum crudeliter uti, Ad mala iampridem non sumus ulla rudes.* Virgil. 9. *Assuevi longo* etc. ubi Servius: *Docet usum in omnibus rebus plurimum posse.* Plinius 6. Epist. 2. *Mihi* etc. *leviora incommoda, quod assuevi.* Apud Senecam Agamemnone: *Exilia mihi haud sunt nova, assuevi malis.* Sallust. Iugurthino: *Quae quanquam gravia sunt, tamen consuetudine iam pro nihilo habentur.*

Ibid. *Fortuna meis casibus pervicax*] Libentius *pertinax* legerem. Seneca Epist. 104. de Catone: *Cum quo infestius Fortuna, et pertinacius egit.*

Ibid. *Perditam sibi requirentes vacculam, variasque regiones peragrantes*] Vide 1. Samuel. 9. 4.

Ibid. *Quid me raptatis violenter? quid invaditis?*] In Menechmo Plautina: *Quid hoc est negotii? quid illic homines ad me currunt obsecro? Quid vultis vos? quid quaeritatis? quid me circumsistitis?* τὸ *violenter* eiiciunt, ego non moveri malim. lib. 8. *Funestum nodum manibus ambabus violenter invadens.* et 10. *Sic elisus violenter spectatissimus medicus.*

Ibid. *Quin potius effaris ubi puerum eiusdem agasonem, necatum scilicet occultaris?*] Vibulenus apud Tacitum Annal. 1. *Responde Blaese, ubi cadaver abieceris.*

Ibid. *Infit deierans, nullum semet vidisse ductorem*] Lib. 10. *Deierant utrique nullam se prorsus fraudem* etc. *factitasse.*

Ibid. *Nullum semet vidisse ductorem, sed plane* etc. *solutum et solitarium* etc.] Non moveo illud *ductorem*, nam et 9. *Ubi ducis asinum istum?* magis placeret tamen *rectorem.* Ammianus Marcellinus (et fortasse haec Appuleii respiciens.) *Iumentum solum, solutum, sine rectore.* Virgilius: *Curruque haeret resupinus inani.* Servius: *Inani: sine rectore. Solutum et solitarium* hic, ut 4. *solum et solitarium.*

Ibid. *Ob indicinae praemium*] Quod *gratiam indicii* Minucius in Octavio vocat. vide Exod. 23. 5. Iulium Pollucem 6. 41.

Pag.

Pag. 150. *Quem nunquam profecto vidissem*, etc.] Eustathius ad Homeri Odyss. 18. Ἔθος τοῖς θυμουμένοις μέμφεσθαι καὶ τὸ ἤδη γεγονὸς, καὶ ἐπαρᾶσθαι, μὴ ἂν γενέσθαι, etc.

Ibid. *Huius omnis iniuriae* etc.] *Omnis* a Vicentino abest, et ab Oxon. MS.

Ibid. *Sic adseverans nihil quidquam promovebat, nam collo constrictum* etc.] Lib. 9. *Has, et similes affanias frustra obblaterantes eos retrorsum pagani abducunt: statimque vinctos in Tullianum compingunt.* Curtius lib. 6. de Philota iam ad necem ducendo: *Gentium iura, Deos patrios, nequicquam apud surdas aures invocabat.*

Ibid. *Pastores molesti*] Fero moleste vocem istam, nec moveo tamen: est enim in omnibus libris, nec saltem in scripturâ variatur.

Ibid. *Conspicitur*] Oxon. *Conspicantur.* lib. 2. *Conspicor in medio foro*, etc.

Ibid. *Serae vindictae gratulabar*] Idem Codex, et ille quo Colvius usus, *Ferae:* id est, *ursae.* sic 8. de apro: *ferae quidem pepercit.*

Ibid. *Et cadaver quidem disiectis partibus tandem totum repertum, aegreque concinnatum, ibidem terrae dedêre*] Lucanus de Pompeium tumulante: *Et collecta procul lacerae fragmenta carinae Exigua trepidus posuit scrobe.* Seneca Hippol. *Errant per agros funebres famulae manus, Per illa qua distractus Hippolitus loca, Longum cruenta tramitem signat nota. Moestaeque Domini membra vestigant canes, Nec dum dolentum potuit sedulus labor Explere corpus.* Et nota, *aegre concinnatum.* Euripides de discerpto Penthei cadavere, Οὐ ῥᾴδιον ζήτημα.

Ibid. *Terrae dedere*] *Solatium est vivorum humare defunctos.* Servius ad Aeneid. 10.

Ibid. *Terrae dedere*] Lactantius 6. 12. *Non patiamur Dei figuram iacere feris in praedam: sed reddamus id terrae.* Cicero 2. de legibus: *Terrae corpus redditur.*

Ibid. *Ad casas interim vinctum suas perducunt, quoad renascenti die sequenti deductus ad Magistratum* etc.] Ammianus lib. 26. de Procopio: *A comitibus suis arctius vinctus, relato iam die* etc. *Imperatori offertur.* Supra hîc lib. 3 *Priusquam iste clandestinis itineribus elaberetur, mane praestolatus, ad gravissimum Iudicii vestri sacramentum curavi produci.* ubi dicta pag. [hui. Ed. 190.] vide.

Ibid. *Ad casas suas*] Glossae: Σκηνὴ ἀγροίκων, *casa, tugurium.* aliud Glossarium: Καλύβη, *casa, tuguriolum*, etc. Isidorus 15. 12. Orig. *Casa est agreste habitaculum virgultis arundinibusque contextum.*

Ibid. *Dum puerum istum parentes sui plangoribus fletibusque quaerebant* etc.] Luc. 2. 48. Ὁ πατήρ σου κ' ἀγὼ ὀδυνώμενοι ἐζητοῦμέν σε.

Ibid. *Destinatam sectionem meam flagitat*] Supra lib. 4. *Misellam Psychen ad destinatam poenam efflagitabat.*

Ibid. *Hoc sic effectum est*] Τὸ *hoc* ex duorum MSS. auctoritate delere possis.

Ibid. *Gratias agebam bono puero, quod* etc. *unam carnificinae meae dicculam donâsset*] *Dieculâ unâ* solet tempus brevissimum denotari. sic supra 6. *Ad unam saltem dicculam sufficiens.* Cicero: *Huic latroni unius diei usuram non dedissem.* Et in mortis (ut hîc) lucratione, apud Achillem Tatium lib. 5. Οὕτως ἐξεφύγομεν τὴν ἐπιβουλὴν, ἐκερδήσαμεν δὲ οὐδὲν ἢ μίαν ἡμέραν. Apud Lucianum mortuorum cymbae Dives imponendus: Μίαν ὦ Μοῖρα ἔασόν με τὴν ἡμέραν μεῖναι. Heliodorus lib. 9. Οἱ ἀπεγνωκότες ἑαυτῶν ἄνθρωποι, καὶ τὴν ἀεὶ παροῦσαν ὥραν κέρδος εἰς ὑπέρθεσιν θανάτου νομίζουσιν.

Pag. 151. *Mater pueri mortem deplorans acerbam filii*] Τὸ τέκνον ἑαυτῆς κλαίουσα· Matth. 2. 18. ubi dicta vide.

Ibid. *Fleta*] Pro *flens.* sic apud Virgilium *Tunsae pectora palmis.* nomen pro participio. fortasse et Graecissat. Philo in de Mosis vita: Δεδακρυμένοι τὸν παῖδα ἐκτιθέασιν, etc. et post: Καὶ δεδακρυμένον ὁρῶσαν, ἐλεεῖν. item: Συνδραμόντες εἰς τὰ βασιλεῖα δεδακρυμένοι.

Ibid. *Fuscaque veste contecta*] Ut solent luctu indulgentes. vide supra pag. [hui. Ed. 186.] dicta.

Ibid. *Ambabus manibus trahens cinerosam canitiem*] Scholiastes ad Pacem Aristoph. Τίλλειν ἑαυτὸν, λέγεται, τὸ τῶν ἑαυτοῦ τριχῶν ἐπιλαμβάνεσθαι, καὶ τὰς κόμας σπαράττειν. infra lib. 10. *Trahens cinere sordentem canitiem.* supra lib. 2. *Deprecantis, suamque canitiem distrahentis.* vide 2. 10. Fabri Semestrium.

Ibid. *Et exinde proclamans*] Fortasse melius, *Et de limine proclamans.* infra lib. 8. *De primo limine proclamat.* aut ita, *Et iam inde* (id est, a limine, vel foribus) *proclamans.* supra lib. 5. *Iam inde a foribus* etc. *boans.*

Ibid. *Tunsisque* etc. *uberibus*] Lib. 4. *Quid ubera sancta tunditis?* et 8. *Nec non interdum manus Charites a pulsandis uberibus amovere.* item 9. *Et interdum pugnis obtundens ubera.*

Ibid. *Incipit*] Magis Appuleium saperet, *infit.*

Ibid. *Et nunc iste* etc.] Ex his Virgilii: *Et nunc iste Paris cum semiviro comitatu.*

Ibid. *Securus incumbens praesepio*] *Securus* hîc est quod Varroni in Menippaeis, *Habens ante positam alimoniam, Neque ante prospiciens, neque post respiciens.* quod in Epistola Iudae ἀφόβως ἑαυτὸν ποιμαίνειν. Ignatius de hoc genus animalibus: Μηδὲν τοῦ μέλλοντος φροντίζοντες, μόνον τοῦ φαγεῖν ὀρεκτικοί εἰσιν. Epist. ad Tarsenses. infra hîc lib. 10. *Nec tantillum commotus ego, securus esitabam. Incumbens*, κύψας. *demersus circa praesepium caput* lib. 9. di-

dixit. Aristophanes de Cleone: Οἷον δὲ κύψας ὁ κατάρατος ἐσθίει! ad quae Suidas: Διὰ τοῦ σχήματος τὴν ἀδηφαγίαν αὐτοῦ δηλοῖ· καὶ γὰρ ἀνθρώπων καὶ θρεμμάτων οἱ τοῖς ἐδέσμασι μάλιστα ἐγκεκυφότες καὶ προσκείμενοι, δοκοῦσιν ἀπλήστως καὶ περισπουδάστως ἐσθίειν.

Ibid. *Voracitati suae deservit*] *Furit ardor edendi, Perque avidas fauces immensaque viscera regnat.* *Deservit*, ut Rom. 16. 18. Τῇ ἑαυτῶν κοιλίᾳ δουλεύειν. Τῇ γαστρὶ λειτουργίας λειτουργεῖν Chrysostomus Homil. 15. ad Antiochenos dixit.

Ibid. *Detestabilem casum* etc.] Glossae: *Detestabilis*. οἰκτρὸς, ἐλεεινὸς, etc.

Ibid. *Defuncti magistri*] Sic infra 8. *Equorum magister.* Quintilianus Declam. 13. *Et vacca, et armenta, et omne pecudum genus: sed illa impositus cohibet magister.* Servius ad Aeneid. 12. *Proprie magistri sunt militum, pastores pecorum: sed reciprocae sunt istae translationes, nam et ductor militum pastor vocatur, et magistros pecorum dicimus.* sic 1. Maccab. 6. 37. Latinus, *Magister bestiae.* vide et Senecam 2. 19. de Beneficiis.

Ibid. *Senectam infirmitatem meam contemnit ac despicit*] Tacitus Annal. 6. *Senectutem Tiberii ut inermem despiciens.* Idem 1. Historiarum: *Ipsa aetas Galbae irrisui et fastidio erat.* Dio Cassius de Nerva: Διὰ τὸ γῆρας καταφρονούμενος. Hesiodus: Αἶψα δὲ γηράσκοντας ἀτιμήσουσι τοκῆας. Msximianus, ubi de senectutis incommodis: *Iurgia, contemptus, violentaque damna sequuntur.* Cicero in Catone M. de Salinatore et Albino: *Deplorare solebant (senectutem) cum quod voluptatibus carent, tum quod spernerentur ab iis a quibus coli soliti erant.* ibidem de senibus: *Contemni se putant, despici, illudi. Senectam infirmitatem* exponere quoquomodo Colvius conatur. at veteres editiones sincerius, *senectam, infirmitatemque meam*; et hanc germanam scripturam esse probat sequens illud: *Senties efficiam misero dolori naturales vires adesse* id est, quamvis infirma sim, dolori tamen vires suppetere. accedat Taciti locus ex praedicto Historiarum libro: ubi *senectae* et *infirmitatis* contemptum videbimus coniungi. *Superior* (Germaniae) *exercitus Hordeonium Flaccum spernebat, senecta ac debilitate pedum invalidum.* De iuventute contempta ad 1. Tim. 4. 12. dicemus.

Ibid. *Atque utcunque se praesumit innocentem*] Malim, *Et utique praesumit innocentem.* lib. 5. *Sed utique praesumis nugo, et corruptor*, etc.

Ibid. *Est enim congruens pessimis conatibus contra noxiam conscientiam sperare securitatem*] *Contra noxiam conscientiam*, exponas, *contra morem noxiae conscientiae:* quae plerumque adeo parum secura est, ut quod meretur assidue exspectet. Non longe ab his (saltem verborum conceptione) discedunt Symmachi ista: *Moribus scaevis familiare atque cognatum est armare spiritus impunitatis exemplo.* et forsan *securitatem* Noster pro *impunitate* dixit: ita sensus Symmachiano quadrabit.

Ibid. *Quadrupes nequissime*] Gloss. *Nequissime*, ἄθλιε.

Ibid. *Certe dorso receptum auferres protinus*] Theodoretus περὶ προνοίας 5. de Equo loquens: Οὗτος καὶ θηρῶντι συνθηρεύει, καὶ πολεμοῦντι συναγωνίζεται, καὶ κατὰ τῶν ἀντιπάλων μετὰ ῥύμης χωρεῖ· κἂν φεύγειν ἐθελήσῃς, δειλιῶν μεταβάλλει τὸ θράσος, καὶ σὺν τάχει φερόμενος τῶν διωκόντων ἐλευθεροῖ. vide quae de elephanto Pori Q. Curtius, et de Bucephalo Alexandri A. Gellius.

Ibid. *An ignoras eos etiam qui morituris auxilium salutare denegarunt, quod contra bonos mores id ipsum fecerint, solere puniri?*] Seneca 1. 14. de Ira: *Cogitet quam multa contra quam bonum morem faciat.* Propert. *O nimium nostro felicem tempore Romam, Si contra mores una puella facit.* ex Iure formula desumpta est, ut notavit Beroaldus: *Morituris* intellige *perituris.* Lactantius 6. 11. *Qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit.* De furtis (Homil. π. διδαχῆς) non aliena Chrysostomus: Οὐχ οἱ κλέπτοντες μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ κύριοι ὄντες κωλῦσαι, μὴ ποιοῦντες δὲ, τὴν αὐτὴν ἐκείνοις δίδουσι δίκην.

Ibid. *Sed non diutius meis cladibus laetaberis*] Vide supra pag. [hui. Ed. 234.] adnotata.

Ibid. *Senties, efficiam, misero dolori naturales vires adesse*] Dolori, etsi foeminae, etsi aniculae. Apud Senecam Andromache: *Dabit ira vires.* Ovidius de Hecuba: *Facit ira valentem.* Idem 1. Amorum: *Quamlibet infirmas adiuvat ira manus.* Servius ad Georg. 3. *Languentia corpora in vires quandoque furor excitat.* Esaiae 63. 5. *Indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Philo in de Iosepho: Ῥώμη κραταιοτέρα τοῦ πάθους ἰσχὺν ἐπιδιδόντος, ὃ καὶ τοὺς ἀσθενεστέρους νευροῦν εἴωθε.

Ibid. *Subsertis manibus, exsolvit suam sibi fasciam, pedesque meos sigillatim alligans* etc.] Non alibi maior varietas quam in primae vocis scripturâ. in Oxon. MS. *subsertis.* in alio *subseptis.* in tertio *obseptis.* et in editis quibusdam, *assertis.* et nemo quidvis horum explicavit nobis. delendum forsan τὸ *manibus*, et pro *subsertis*, *sub suris* scribendum. Sub suris exsolvit suam sibi fasciam etc. Petronius: *Duas institas* (Appuleius *fascias* diceret) *ancilla de suris protulit, alteraque pedes meos alligavit, altera manus.*

Pag. 152. *Et pertica* etc. *arrepta*, etc.] *Non oblita animorum, annorum oblita suorum.*

Ibid.

Ibid. *Non prius me desiit obtundere, quam victis fessisque viribus* etc.] Iosephus Antiquit. 13. 21. Τραπέντας (Ἰουδαίους) ἅπαντας ἐδίωκον οἱ Φονεύοντες, ἕως οὗ καὶ ὁ σίδερος αὐτοῖς ἠμβλύνθη, etc. καὶ αἱ χεῖρες παρείθησαν.

Ibid. *Quam* etc. *suopte pondere degravatus; manibus eius fustis esset elapsus*] Virgilius 12. *Vi victus, et ipso Pondere defecit, praedamque ex unguibus ales Proiecit.* Plinius lib. 2. Epist. 1. *Liber, quem forte acceperat grandiorem, et seni, et stanti, ipso pondere elapsus est.* Petronius: *Fracta est putris sella, quae staturae altitudinem adiecerat: anumque suo pondere deiectam super foculum mittit.* Nota et argumento tali τὸ *elapsus.* De Poro Q. Curtius: *Multoque sanguine profuso, languidis manibus magis elapsa quam excussa tela mitteret.*

Ibid. *Tunc de brachiorum suorum cita fatigatione conquesta* etc.] Propertius 4. 9. *Atque ubi iam nostris lassavit brachia plagis.* Terent. Adelph. *Ego vapulando, ille verberando ambo defessi sumus.* vide 1. Samuel. 14. 31.

Ibid. *Procurrit ad focum, ardentemque titionem gerens* etc.] Virgilius: *Ambusta torrem Corinaeus ab ara Corripit.* Sic *ignes ex proximo raptos* inter subitaria tela Quintilianus Decl. 19. numerat. *Titio* autem muliebris vindictae non infrequens adiumentum. Lib. 10. de altera illa: *Velut mentitam, atque cuncta fingentem, titione candenti inter media femina detruso, crudelissime necavit.* Aelianus Var. 13. 2. de Macarei uxore: Χίζαν ἁρπάσασα etc. ἡμίκαυτον, ταύτῃ τὸν παῖδα ἀπέκτεινεν. *Ardentem* licentiosius ait. *titionem* enim, *extractum foco torrem semiustum et exstinctum vulgus appellat.* sunt verba 4. 14. Lactantii.

Ibid. *Donec solo quod restabat praesidio nisus, liquida fimo strictim egesta* etc.] Solinus cap. 43. de Bonaso: *Quicquid praesidii monstro illi frons negat, alvus sufficit: nam cum in fugam vertitur, proluvie citi ventris fimum egerit, per longitudinem trium iugerum: cuius ardor quicquid attigerit, adurit.*

Ibid. *Liquida fimo strictim egesta* etc.] Nonnius: *Foria, stercora, liquidiora.* Glossarium: Ἐσφιγμένως, *strictim.*

Ibid. *Qua caecitate atque faetore tandem fugata est a me pernicies*] Cicero de bestiis agens: *Multae etiam insectantes odoris intolerabili foeditate depellunt.* 2. de Nat. Deor. Solinus ubi supra: *Ita egerie noxia summovet insequentes.* Cassiodorus 10. 30. de Elephanto: *Quod si aliquis* (circumstantium) *praebere contempserit postulata,* (id est, stipem,) *vesicae collectaculo patefacto, tantam dicitur alluvionem egerere, ut in eius penatibus quidam fluvius videatur intrasse, contemptum vindicans de faetore.*

LIBER OCTAVUS.

Ibid. *Venit quidam iuvenis ex proxima civitate*] Rectius in Cod. Bertin. *ex proxima villula.* lib. 7. *De proxima villula spirantem carbunculum furatus,* etc. et lib. 1. *Utrique comites ad proximas villulas laevorsum abiere.*

Ibid. *Mira* etc. *ignem propter assidens, inter conservorum frequentiam sic annunciabat*] Apud Athenaeum Xenophon Colophonius: Πὰρ' πυρὶ χρὴ τοιαῦτα λέγειν, χειμῶνος ἐν ὥρᾳ. Lucianus in de Peregrini morte: Σὺ μὲν πόῤῥω ταῦτα καὶ μακρῷ ἀσφαλίστερον· ἐγὼ δὲ παρὰ τὸ πῦρ αὐτὸ, καὶ ἔτι πρότερον ἐν πολλῷ πλήθει τῶν ἀκροατῶν εἶπον αὐτά. Bene autem frequentiam conservorum propter ignem posuit. Martialis: *Cingunt serenum lactei focum vernae.*

Ibid. *Equisones, opilionesque, et bubsequae*] Vide olim ad Apologiae pag. 23. notata.

Pag. 153. *Nec vero incomitata Manes adivit*] Aeneid. 4. *Comitemne sororem Sprevisti moriens?* et 12. *Et misero fratri comes ire per umbras.* Titinnius statim interfecturus se, ad Cassium iacentem: *Accipe me fati tui comitem.* Ovid. in Eleg. ad Liviam, de mortui Neronis Drusi comitibus: *Quorum aliquis moestus tendens sua brachia, dixit, Cur sine me? cur sic incomitatus abis?* Statius ad Priscillae Manes de Abascanto: *Rupisset tempora vitae, Ne tu Tartareum Chaos incomitata subires.* Clotho in ludo Senecae de morte Claudii: *Hos tres uno anno, exiguis intervallis temporum divisos mori iubebo: nec illum* (Claudium) *incomitatum dimittam.* Frequentius haec et huiusmodi notamus, ut eximia nostri Auctoris eruditio, servataeque diligentius proprietates legentibus elucescant.

Ibid. *Quaeque possent merito doctiores, quibus stilos Fortuna subministrat, in historiae specimen chartis involvere*] Pacatus fine Panaegyrici: *Ad me longinquae convenient civitates, a me gestarum ordinem rerum omnis stilus accipiet:* etc. *compensabo Tibi istam* (*Imperator*) *iniuriam, si cum de Te nihil ipse dixerim quod legendum sit, instruam quae legantur.* Ausonius Panaegyrico: *Qui dicturi estis laudes Principis nostri, habetis velut seminarium, unde orationum vestrarum iugera compleatis.* Vopiscus in Probo: *Illud tantum contestatum volo, me et rem scripsisse, quam, si quis voluerit, honestius eloquio celsiore demonstret.* Idem in Carino extremo: *Habe mi amice meum munus: quod ego* etc. *non eloquentiae causa, sed curiositatis, in lumen edidi: id praecipue agens, ut si quis eloquens vellet facta Principum reserare,* ma-

materiam non requireret, *habiturus libellos meos ministros eloquii.* Cicero de Caesare: *Dum voluit alios habere unde sumerent*, *qui* (melius *si qui*) *vellent historiam scribere.*

Ibid. *Quibus stilos Fortuna subministrat*] Lampridius in Heliogabalo: *Te vero Auguste venerabilis multis paginis*, *iisdemque disertioribus illi prosequentur*, *quibus id feliciter Natura detulerit.* A. Gellius 6. 8. *Sed hanc utramque declamatiunculam* etc. *celebraverint quibus abunde et ingenii*, *et otii*, *et verborum est.*

Ibid. *Iuvenis natalibus praenobilis:* etc. *pecuniae satis locuples*, *sed luxuriae popinalis* etc.] Gracchus apud Gellium 7. 11. de adolescente Lucano quodam: *Apprime summo genere natus*, *sed luxuria et nequitia pecuniam magnam consumpserat.* In versu Graeco: Πολλοὶ γὰρ ὄντες εὐγενεῖς εἰσὶν κακοί. De Clodio Plutarchus: Γένει εὐπατρίδης, πλούτῳ καὶ λόγῳ λαμπρός· ὕβρει δὲ καὶ θρασύτητι τῶν ἐπὶ βδελυρίᾳ περιβοήτων οὐδενὸς δεύτερος.

Ibid. *Equo clarus*, *et pecuniae simul satis locuples*] Oxon. *Quo clarus*, *et pecuniae fuit satis locuples.* quo accedit Vicentina editio: *Pecuniae satis locuples*, est, εὖ χρημάτων ἔχων, οὐ μέν τοι ὑπερπλουτῶν, ut lib. 59. Dio Cassius locutus.

Ibid. *Luxuriae popinalis*] Nonnius Marcellus: *Popinones*, *quos nunc dicimus tabernarios: vel luxuriosos qui se popinis dedunt.*

Ibid. *Scortisque et diurnis potationibus exercitatus*] Apud Suidam v. ἐφήδοιτο, de nescio quo Aelianus: Ῥάθυμον καὶ λαγνὸν βίον, τὸν εἰς ἑταίρας καὶ πότους προῃρημένα. In Apologia: *Puer hoc aevi inter scorta et pocula*, etc. Plutarchus de Themistocle; Ἐν πότοις καὶ γυναιξὶν ἐκυλινδεῖτο. sic, *scortari et potare*, Terentius Adelph. iunxit. et bene, *exercitatus scortis.* Plautus Bacchid. *Saliendo se exercebant magis quam scorto.* sic, *exercere scortum*, Idem in Amphitryone. Terent. Phorm. 3. 1. *A sua palaestra exit foras.* ubi Donatus: *Bene palaestram eius dixit lenonis domum*, *in qua est exercitus* (melius *exercitatus* legas) *amator assidue.* Suetonius de Tiberio: *Infantiam pueritiamque habuit luxuriosam et exercitatam.*

Ibid. *Nec non manus infectas humano cruore*] Lib. 1. *Cruore humano aspersum atque impiatum.* Firmicus 6. 31. *Latronem*, *et humano semper cruore perfusum.* Salvianus de sui temporis moribus: *Quis est aut humano sanguine non cruentus*, *aut coenosâ impuritate non sordidus?* Et bene in huiusmodi argumento *infectas.* Tertullianus in de Baptismo: *Quisquis se homicidio infecerat*, etc. Propertius: *Infectas sanguine habuisse manus.* pro quo apud Senecam Tragicum, *Hominum cruenta caede pollutas manus.* vide et Festum in *Impias.*

Ibid. *Idque sic erat*, *et Fama dicebat*] Haec est communis lectio, nec inepta ea: quam tamen saepius putavi in meliorem sic mutari posse: *Isque sic erat*, *et famâ dicebatur.* Ovid. Metam. 7. *Felix dicebar*, *eramque.* Suidas: Ἡ μὲν κλέος, ἥδε καὶ ἦσθα· Ἐπὶ τῶν ὁμοίων τῇ περὶ αὐτῶν Φήμῃ. Themistius 4. Orat. Σοφισταὶ ὁμῶς, καὶ ἤστην καὶ ἐλεγέσθην. Simplicius de Diogene et Heraclito: Ἀξίως θεῖοι ἦσαν, καὶ ἐλέγοντο. Eunapius in Aedesii vita, de Sapore Rege: Τυραννικὸς καὶ ἄγριος etc. ἦν τε ἀληθῶς, καὶ ἐξηγγέλλετο. Horatius: *Si curas esse quod audis.* ubi Scholiastes: *Si talis es qualem te Fama testatur.* In Excerptis e lib. 5. Pachymerii: *Quaedam de aliquo dicuntur*, *et sunt: quaedam nec sunt*, *nec dicuntur: quaedam dicuntur*, *sed non sunt: quaedam contra sunt*, *sed non dicuntur.*

Ibid. *Cum primum Charite nubendo maturuisset*] Cum esset *Iam matura viro*, *iam plenis nubilis annis.* infra lib. 10. *Ubi flos aetatis nuptialem virgini diem flagitabat.* Plato in Critone: Ἤδη εἰς ἀνδρὸς ὥραν τῆς κόρης ἡκούσης. Hesychius: Ὥρα γάμων· ἐν ἀκμῇ γάμων. Idem: Ἐπιτελής· ὡραία γημᾶσθαι.

Ibid. *Eximiisque muneribus parentes invitaret*, *iudicio morum tamen improbatus*, *repulsa contumeliae fuerat aspersus*] *Apud Veteres* enim *in eligendis maritis non genus et pulchritudo tantum*, *sed et virtus spectabatur.* Cicero 2. de Offic. Achilles Tatius de Callisthene: Προσελθὼν τῷ Σωστράτῃ (Leucippes patri) ᾐτεῖτο τὴν κόρην· ὁ δὲ βδελυττόμενος αὐτοῦ τοῦ βίου ἀκολασίαν, ἠρνήσατο. Roman. Vicent. et Aldina editt. *parentum invitaret iudicium*, *morum tamen improbatus*, etc. quod vix probo tamen, vel ob Tit. Codicis: *De repud. et iudicio morum sublato.*

Ibid. *Repulsae contumelia*] Phaedrus: *A quo repulsus* [*repulsae?*] *tristem sustinuit notam.*

Ibid. *Denegati thalami permiscens indignationem*] *Manet alta mente repostum Iudicium morum*, *spretaeque iniuria vitae.*

Ibid. *Cruento facinori quaerebat accessum*] Ἐζήτει εὐκαιρίαν· ut Matth. 26. 16. Luc. 22. 6.

Ibid. *Nactus denique* etc. *tempestivam occasionem*] Lib. 10. *Nacta solitudinis damnosam occasionem.* et 4. *Subtilem occasionem nactus.* infra hic: *Nactus fraudium opportunum decipulum.*

Ibid. *Sceleri* etc. *accingitur*] Donatus ad 5. 8. Eunuchi: *Accingor dicimus in rebus magnis suscipiendis.* Servius ad Aeneid. 1. *Accingunt se: studiose parant.* infra hic lib. 9. *Ad expugnandum tenacem domus disciplinam totis viribus accingitur.*

Ibid. *Infestis mucronibus*] Vide supra pag. [hui. Ed. 144, a.] adnotata.

Ibid. *Turbae gratulantium* etc. *permiscuit sese*]

se] Donatus ad 5. 8. Eunuchi: *Multi se fingunt gratulari, cum invideant: gaudere, cum dolent.* In excerptis vet. Glossarii: *Turba laetantium*, χορὸς.

Ibid. *Gaudibundus*] Scribendum *gratulabundus* puto.

Ibid. *Ad honorem splendidae prosapiae inter praecipuos hospites* etc, *receptus*] Si vera ista scriptura, quae mihi parum Latina videtur, *Ad honorem splendidae prosapiae*, valet, *Ut prosapia atque dignitas eius postulabat.* ut infra lib. 10. loquitur. *Eius*, intellige Thrasylli, non Tlepolemi.

Ibid. *Occultato consilio sceleris, amici fidelissimi personam mentiebatur*] *Tuta frequensque via est per amici fallere nomen.* vide sub initium libri 7. notata, ad ea: *Virum bonum commentitus. Occultato* (inquit) *consilio sceleris.* Augustinus in Psalm. 119. de doloso homine: *Obtento velo probitatis et mansuetudinis, saepe virus occultat.*

Pag. 154. *Coenâ poculoque communi carior cariorque factus*] Theophylactus ex persona Christi. Luc. 22. Ἐξ ἑνὸς ἄρτου ἐφάγετε, καὶ ἐξ ἑνὸς ποτηρίου ἐπίετε· φίλους ὑμᾶς καὶ ἑνωμένους ἡ μία τράπεζα ποιεῖ. Homerus: Ἐπεί οἱ ἑταῖρος ἔην φίλος εἰλαπιναστής. *Communis coena* heic, ut apud Euripidem κοινὴ τράπεζα. et Chrysologum Serm. 171. *mensa, ac convivium commune.*

Ibid. *Carior cariorque*] Vide Scaligerum ad ea Tibulli pag. 167. *candidior candidiorque.*

Ibid. *In profundam ruinam cupidinis sese paulatim nescius praecipitaverat*] Magis placeret mihi, *In profundum cupidinis*, extritâ intermedia vocula. sic 5. *in calamitatis profundum praecipitare se.* apud Valer. Maximum 9. 1. *in profundum turpitudinis cadere.* et apud Eundem 2. 10. *in profundum miseriarum abiici.* at cum *ruinam* Oxoniensis MS. habeat, eorum qui *rotam*, *aerumnam*, *rimam* etc. voluerunt, praeterhabitis coniecturis, τὸ *ruinam* (quod et Scaliger, vel potius Faber reponendum existimaverunt) haud invitus amplector. *Ruinam* vocat, quod argumentis similibus alii *barathrum*, *abyssum*, *charybdin.* Catullus: *Tanto te absorbens vortice amoris Aestus, in abruptum detulerat barathrum.* Clemens Alexandrinus in Protreptico: Ἡδέϊ γαργαλίζει ἡ συνήθεια, ἀλλ' εἰς τὸ βάραθρον ὠθεῖ. sic, εἰς λαγνείας ἄβυσσον ἐμβάλλειν ἑαυτὸν, 5. 29. Isidorus Pelusiota. et, εἰς τὸ Σοδόμων βάραθρον καταικοντίζειν τινα apud Suidam (v. σπάδων) Cyrillus Alexandrinus. sic, *stupri barathrum*, Hieronymus in Epistolis. Anaxilaus de scorto Phryne: Τὴν χάρυβδιν οὐχὶ πόῤῥω ποιεῖ, Τόν τε ναύκληρον λαβοῦσα καταπέπωκ' αὐτῷ σκάφει. Horatius: *Ah miser, Quanta laboras in Charybdi!* quibus congruum, in re non dissimili, apud Sirachidem 9. 13. τῷ πνεύματι εἰς ἀπώλειαν ὀλισθαίνειν. quo tamen loco αἵματι Latinus legit.

Ibid. *Paulatim nescius sese praecipitaverat*] Cyprianus in de zelo et livore: *Qui odit fratrem suum* etc. *it nescius in gehennam.* Augustinus Confess. 6. 8. de Alypio in amphitheatro sedente: *Ut vidit illum sanguinem*, (gladiatoris cadentis) *immanitatem simul ebibit: et non se avertit, sed fixit aspectum, et hauriebat furias, et nesciebat.* et ibidem 5. 13. *Propinquabam sensim, et nescivi.* Bene autem hoc argumento *paulatim.* Infra 10. de matrona libidinosa: *Per admirationem assiduam, paulatim in admirabilem mei cupidinem incidit.* Terent. Phorm. *Amare caepit.* ubi Donatus: *Caepit: non amavit: ut ostendat vim amoris non* etc. *rem esse quae semel suscipi possit.* vide notata ad ea lib. 5. *Accedente consuetudine, et roborata affectione.* bene et *praecipitaverat.* Plautus: *Qui in amore Praecipitavit, peius perit quam si saxo saliat.* Paterculus lib. 2. *A rectis in vitia, a vitiis in prava, a pravis in praecipitia pervenitur.*

Ibid. *Cum flamma saevi amoris, parva quidem primo vapore delectet, sed fomento consuetudinis exaestuans, immodicis ardoribus totos adurat homines*] Lucretius: *Primum Veneris dulcedinis in cor Stillavit gutta, et successit frigida cura.* infra lib. 10. *Sed mulier illa, quamdiu primis elementis Cupido parvulus nutriebatur*, etc. *facile ruborem tenuem deprimens, silentio resistebat: at ubi completis igne vesano praecordiis totis immodice debacchatus amor exaestuabat, saevienti iam Deo succubuit.*

Ibid. *Fomento consuetudinis exaestuans, immodicis ardoribus totos adurat homines*] Ovidius argumento isto: *Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uvas, Et validas segetes quod fuit herba, facit. Quae praebet latas arbor spatiantibus umbras, Quo posita est primum tempore, virga fuit. Tunc poterat manibus summa tellure revelli, Nunc stat in immensum viribus aucta suis.* Apud Xenophontem παιδ. α. Ἔγωγ' οὖν ταύτην ἑωρακὼς, καὶ πάνυ μοι καλῆς δοξάσης εἶναι, ὅμως παρὰ σοι ἔιμι, καὶ ἱππεύω, etc. cui Cyrus: Ναὶ, μὰ Δί', ἴσως γὰρ θᾶττον ἀπῆλθες ἢ ἐν ὅσῳ χρόνῳ ὁ ἔρως πέφυκε συσκευάζεσθαι ἄνθρωπον· καὶ πυρὲς γάρ τοι ἐστι θήγοντα μ, ἡ εὐθὺς καίεσθαι· καὶ τὰ ξύλα οὐκ εὐθὺς ἀναλάμπει. adde Clementis locum paulo supra adductum.

Ibid. *Quo* etc.] Id est, *quo pacto.*

Ibid. *Cum et* etc.] Lege, *Et cum* etc.

Ibid. *Et puellae, si vellet, quanquam velle non posset, furatione coniugalis incommodaret rudimentum*, etc.] Ista quidem nec satis intelligere, nec in transitu emendare possum.

Ibid. *Et tamen ad hoc ipsum*] Melius, *Tamen a. h. i.*

Ibid. *Ad hoc ipsum quod non potest, contentiosa pernicie quasi posset impellitur*] Heaut. 2. 3. *Haud stulte sapiens, si quidem id sapere est, velle id quod non potest contingere.* Seneca 1. 3. de Ira: *Concupiscunt homines et quae non possunt.* de proximo autem rem praesentem illustrant ista Maximi Tyrii: Ἀκόλαστον παύσασθαι μοιχείων οὐκ ἐῶσιν αἱ ἐλπίδες, προστάττουσαι ἀνήνυτα πονεῖν καὶ ἀτελεύτητα. dissert. 37. Hieronymus in Epistolis: *Impatientia nescit modum, et desiderium non sustinet,* (οὐ μακροθυμεῖ) *unde et nos obliti virium nostrarum, et, non quid possimus, sed quid velimus tantum cogitantes, cupimus* etc. Terent. Andr. *Nodum in scirpo quaeris.* ubi Eugraphius: *Rem quae omnino esse non potest, nimia sollicitudine et cura inquiris.*

Ibid. *Quod nunc arduum factu videtur, amore per dies roborato, facile videtur effectu*] Ἔχω δὲ τόλμης καὶ θράσους διδάσκαλον Ἐν τοῖς ἀμηχάνοισιν εὐπορώτατον, Ἔρωτα· dixit nescio quis apud Euripidem.

Ibid. *Amore per dies roborato*] Lib. 5. *Accedente consuetudine, et affectione roborata*, etc.

Ibid. *Spectate denique* etc.] Lib. 4. *Specta denique scaenam meae calamitatis.*

Ibid. *Sollicitis animis intendite*] *Quae dicam animis advertite vestris.* Infra lib. 11. *Imperiis istis meis animum intende sollicitum.*

Ibid. *Indagaturus feras, si quid tamen in capreis feritatis est*] Aeneid. 4. *Ferae caprae.* ubi Servius: *Capreae.* Xenophon παιδ. 1. Ἄρκτοι πολλοὺς ἤδη πλησιάζοντας διέφθειραν, καὶ λέοντες, καὶ κάπροι, καὶ παρδάλεις· οἱ δὲ ἔλαφοι καὶ δορκάδες ἀσινεῖς εἰσι. In vet. Onomast. *Caprea*, δορκὰς.

Ibid. *Magis magisque*] Virgil. 2. Aeneid. *Et magis atque magis.* ubi Servius: *Iteratione sermonis fecit augmentum.* supra lib. 2. *Magis magisque cum aemulatione virium crebrius insultantes.* et 3. *Magis magisque ad indignationem erecti.*

Ibid. *Nec enim Charite maritum suum quaerere patiebatur bestias armatas* etc.] Propertius: *Incipiam captare feras, et reddere pinu Cornua, et audaces ipse movere canes. Nec tamen ut vastos ausim tentare leones, Aut celer agrestes cominus ire sues. Haec igitur mihi sit lepores audacia molles Excipere, aut stricto figere avem calamo.* Adumbravit autem haec sua Appuleius ex Ovidianis hisce in Veneris et Adonidis fabula: *Hortaturque canes, mutaeque animalia praedae, Aut pronos lepores, aut celsum in cornua cervum: Aut agitat damas, at fortibus abstinet apris: Raptoresque lupos, armatosque unguibus ursos Vitat, et armenti saturatos caede leones.* quibus statim subiunguntur ista: *Te quoque ut hos timeas, si quid prodesse monendo Posset, Adoni monet: fortisque fugacibus esto Inquit, in audaces non est audacia tuta. Parce meo iuvenis temerarius esse periclo, Neve feras quibus arma dedit Natura, lacesse.* Oxoniensis, non *quaerere*, sed *quatere* legit.

Ibid. *Armatas dente vel cornu*] Lactantius (cap. 2. de Opif. Dei) de animalibus loquens: *Alia eorum, vel plumis levibus in sublimi suspensa, vel suffulta ungulis, vel instructa cornibus* [illegible] etc. *arma sunt dentes*, etc. *Animalia ad nocendum armata* Seneca Epist. 121. dixit.

Ibid. *Frondosum tumulum*] Onomast. vet. *Tumulus*, λόφος. Glossarium: Λόφος, ὑψηλὸς τόπος, *tumulus, collis.* nec male in Oxoniensi, *frondosum cumulum.* Glossae aliae: *Cumulus, collis*, βουνὸς, φάραγξ. lege, *Cumulus, collis*; βουνὸς, *Convallis*: φάραγξ. vel, *Cumulus*, βουνὸς. *Convallis*, φάραγξ.

Ibid. *Ramorumque densis tegminibus umbrosum*] Hesychius: Δάσκιον, μεγάλως σκιάζον, διὰ τὸ σύνδενδρον καὶ δασύ. Pollux 1. 12. §. 10. de ramis: Σκιεροὶ, εὔσκιοι, σύσκιοι, δασεῖς, βαθεῖαν ποιούμενοι σκιὰν, etc. *Ramorum tegmina*, sunt quae *nexus ramorum* Tacitus in *Germania* vocat. *Densis* hîc, ut supra 4. *marginem densis arboribus septam.* Glossae: Δασεῖα, ἐπὶ ὕλης, *densitas.* Ibidem: Δρυμὸς, *nemus, saltus, condensum.*

Ibid. *Prospectu vestigatorum* etc.] Glossae: *Vestigator*, ἰχνευτής. Ulpianus l. 12. §. 22. ff. de instruct. vel instrum. leg. *Venatores, vestigatores*, etc. vide Servium ad ea Aeneid. 4. *Saltusque indagine cingunt.* et ipso Orig. libri 10. fine Isidorum. In Oxon. et duobus aliis MSS. *prosectu.*

Ibid. *Canes venationis indagini generosae mandatae*] Constructio est, *Canes mandatae v. i. g.* Mandatas, *destinatas* intelligo: et *venationem*, μετονυμικῶς rem venatu quaesitam. Ad sententiam Theodoretus περὶ Προν. ε. Οὗτος (de cane loquitur) ἰχνεῦσαι θήραν ὑπὸ κυνηγέτου κελευόμενος, καὶ τῶν ὀσμῶν ἀντιλαμβάνεται, καὶ ταύταις οἷον ἴχνεσί τισι κατ᾽ ἀκρίβειαν ἑπόμενος, οὐ πρότερον ἀφίσταται ἕως οὗ εὕρῃ τὸ θήραμα.

Ibid. *Totos praecingunt aditus*] Virgilius: *Saltusque indagine cingunt.* Idem Ecl. 6. *Iam claudite saltus.* ubi Servius: *Ne scilicet latius evagetur, eoque minus investigari possit.*

Ibid. *Tacitaque prius servata mussitatione* etc.] Seneca Thyeste: *Sic cum feras vestigat, et longo sagax Loro tenetur Umber, ac presso vias Scrutatur ore, dum procul lento suem Odore sentit, paret, et tacito locum Rostro pererret.* Et in Hippol. *At vos laxas Canibus tacitis mittite*

tite habenas. Horatius: *Seu visa est catulis cerva fidelibus.* ubi vetus Scholiastes: *Sagacibus: vel silentium in vestigando servantibus.* Pollux Onomast. 5. 10. aut bonae canis esse φροντίζειν μὲν κατὰ τὴν ζήτησιν τῶν ὀσμῶν, ἡσυχάζειν δὲ κατὰ τὴν εὕρεσιν τῶν ἰχνῶν. et Longus lib. 2. ὑλακτεῖν, κακῶς πεπαιδευμένων esse. Arnobius 2. *Asellus et bos, usu atque assiduitate cogente, discit arare et molere,* etc. *canis, cum invenerit praedam, cohibere et continere latratum.* Oppianus Cyneget. 2. Μηδ' ὑλάειν ἐθέλοιεν, ἐπεὶ μάλα θηρευτῆρσι Σιγὴ τέθμιος ἐστι, πανέξοχα δ' ἰχνευτῆρσι. Plinius 8. 40. *Quâ* (fera) *visâ, quam silens, et occulta, quam significans demonstratio est! cauda primum, deinde rostro.*

Ibid. *Signo sibi repentino reddito* etc.] Plutarchus in de Deo Socratis: Οὐκ οἱ πολλοὶ κύνες τῶν θηρατικῶν σημείων etc. συνίασιν, ἀλλ' οἱ μεμαθηκότες, εὐθὺς ἀπὸ σιγμοῦ τοῦ τυχόντος, τὸ προστασσόμενον αἰσθανόμενοι, ῥᾳδίως εἰς ὃ δεῖ καθίστανται. vide Hesychium in Ἐπίσηγμα, et Ἐπισήττειν. Pollucem ubi supra: et magni Etymologici Auctorem in Ἐπίτιστον.

Ibid. *Latratibus* etc. *miscent omnia*] Ex his Lucretii: *Et cum iam latrant, et vocibus omnia complent.*

Ibid. *Pavens damula*] Aelianus 7. 19. de Animal. Νωθέτερά πως δοκεῖ πρόβατον καὶ ὄνος· ἄτολμα δὲ, νεβροὶ καὶ πρύκες. Artemidorus in Oneirocriticis: Καὶ τὰ δειλὰ καὶ δρομικὰ καὶ ἀνελεύθερα, δειλοὺς ἢ δραπέτας παριστοῦσιν· ὡς ἔλαφος, λαγὼς, etc.

Pag. 155. *Exurgit*] Ἔκθορε φωλάδος κοίλης· ut Babrias apud Suidam locutus.

Ibid. *Pilis* etc. *squalidus*] Lib. 11. *Squalens pilus defluit.* A. Gellius 2. 6. *Quicquid nimis inculcatum obsitumque aliqua re erat, et incuteret visentibus facie* (id est, *specie*) *horrorem: id squalere dicebatur.*

Ibid. *Setis* etc. *hispidus*] Sidonius Carm. 23. *Formam imponit apri, caputque setis Et tergum asperat: hispidisque malis Leve incurvat ebur.* Ammianus Marcellinus lib. 24. *Cervicibus iubatis leones, armisque hispidos apros.*

Ibid. *Setis insurgentibus spinae hispidus, dentibus attritu sonaci spumeus, oculis aspectu minaci flammeus*] Haec tria in apri ferocientis descriptione etiam Alii iunxerunt. In vet Anthologia: Καὶ τὰς αὐχενίους πεφρικότα, θηγὸν ὀδόντα Βρυχῶντα, γλήναις φρικτὸν ἰέντα σέλας. Ἀφρῷ χείλεα πάντα δεδευμένα. Philostratus Icon. 1. Ὁρῶ δὲ αὐτὸν καὶ τὴν χαίτην φρίττοντα, καὶ πῦρ ἐμβλέποντα, καὶ οἱ ὀδόντες αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς πατάγουσιν. Ante omnes in *Scuto Herculis* Hesiodus: Θήγει δὲ τε λευκὸν ὀδόντα Αὐχμωθεὶς, ἀφρὸς δὲ περὶ στόμα μαστιχόωντι Λείβεται· ὄσσε δὲ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐίκην· Ὀρθὰς δ' ἐν λοφιῇ φρίσσει τρίχας.

Ibid. *Attritu* etc.] Sidonius ubi supra: *Hirtam dorsa feram, repanda tela Attritu assiduo cacuminantem.* adde paulo post notanda, ad ea, *Dentium compulsu* etc. *Attritu* autem, arboris vel saxi intellige: utroque enim pro libitu sicas dentium acuunt: ut libri 18. Praefatione nos Plinius docet.

Ibid. *Oculis* etc. *flammeus*] *Ab ore Scintilla absistunt, oculis micat acribus ignis.*

Ibid. *Impetu frementis oris totus fulmineus*] Claudianus de apro Herculis: *Fulmen ab ore venit.* Phaedrus: *Aper fulmineis ad eum venit dentibus.* Ovid. 10. Metamorphos. *Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.* Fast. 2. *Fulmineo celeres dissipat ore canes.* et de Arte amandi 2. *Fulmineo rapidos dum rotat ore canes.* Ausonius: *Stringere fulmineo venabula cominus hosti.*

Ibid. *Canum procaciores, quae cominus contulerant vestigium*] Ovid. Halieut. *Canum quibus est audacia praeceps.* Seneca Epist. 76. *In cane sagacitas* (virtus) *prima est, si investigare debet feras: cursus, si consequi: audacia, si mordere et invadere.*

Ibid. *Canis hac illac iactatis* etc. *interficit*] Ovidius simili argumento: *Ille ruit, spargitque canes, ut quisque furenti Obstat.*

Ibid. *Dein, calcata retiola* etc.] Seneca lib. 1. de Clementia: *Feras lineis et pinnis conclusas continet: easdem a tergo eques telis incessat: tentabunt fugam per ipsa quae fugerant, proculcabuntque formidinem.* Pollux 5. 10. Τὰς ἄρκυς διακόψειεν ἂν, καὶ τὰς στάλικας ἀνατρέψειεν. et quia τῶν ἀρκύων meminimus, corrigamus Hesychii locum: Ἀρκύτατα, (inquit) οἱ τόποι ἔνθα αἱ ἄρκυες πήγνυνται. legendum ἀρκυστάσια. Pollux 5. 4. Ὁ δὲ τόπος ἐν ᾧ (αἱ ἄρκυες) ἵστανται, ἀρκυστάσιον.

Ibid. *Qua primos impetus reduxerat, transabiit*] Hegesippus 5. 27. *Ferae ipsae, cum se circumvallatas armatis viderint, maiore in eos impetu ruunt, ut vi sibi iter aperiant.* Quid autem hîc *impetus reduxerat?* legendum *direxerat* puto. sic 7. *In eam furiosos direxerit impetus.* et 9. *Canem rabidam* etc. *per posticam impetu miro se direxisse.* et passim uti amat *dirigendi* voce. lib. 3. *Dirigitur praeliaris acies.* 6. *Dirigit citatum gressum.* et 10. *Domum iuvenis* etc. *se direxit scaeva rivalitas.*

Ibid. *Nos* etc. *pavore deterriti*] *Nos pavidi trepidare metu.* Aen. 2.

Ibid. *Inermes atque immuniti*] *Inermes* ad *manus* refer, *immuniti* ad corpora.

Ibid. *Tegumentis frondis et arboribus latenter abscondimur*] Πάπτηνεν δ' ἕκαστος ὅπῃ φύγοι αἰπὺν ὄλεθρον. pro *frondis* malim *frondeis* scribi. Servius ad Aeneid. 1. *Frondosus locus est qui frondes habet: frondeum, totum est de frondibus.* In Oxon. melius, *vel* (id est, *et*) *arboribus:*

et post, *ascendimus:* non male, si Latinitas constaret. Tacitus Annal. 1. *Turpi fuga in summa arborum nisi, ramisque se occultantes.* at recta est lectio vulgata, nam et 6. et infra hoc libro *latenter se abscondere* dixit.

Ibid. *Captiose compellat*] Insidiose, fraudulenter. Onomast. vetus: *Captio*, ὑπαγωγή.

Ibid. *Cassa formidine*] Lucretius: *Sollicitamque geris cassa formidine mentem.* Idem alibi: *Cassa formidine torpes.*

Ibid. *Humilitati servorum istorum*] Sic supra lib. 7. *humilem et servilem vitam.* iterum ac saepius dico, Appuleio magis proprie vix quenquam loqui. apud Senecam Phaedra: *Matris superbum est nomen, et nimium potens, Nostros humilius nomen affectus decet: Me vel sororem Hippolite, vel famulam voca.* sic Luc. 1. 48. δούλης ταπείνωσις. Philip. 2. 7. μορφὴν δούλου λαβών. et post, sequente versiculo, ἑαυτὸν ἐταπείνωσε. *Servos* hic, eos intellige, qui in venatu Dominis operas exhibebant. eiusmodi *recept. sentent.* 3. 6. Paulus meminit. Ammianus lib. 28. *Si agros visuri processerint longius: aut alienis* (id est, servorum) *laboribus venaturi*, etc. qui ergo *cervorum* reponebat, minus caute bonam lectionem immutavit. [Vlit. ad Grat. Cyneg. 85.]

Ibid. *Mediis manibus amittimus?*] De hac loquendi forma ad pag. 121. L. VI. diximus.

Ibid. *Quin equos inscendimus? quin ocyus indipiscimur? et cape venabulum, et ego lanceam sumo*] Aristoteles in equi Apologo: Ἠρώτα τὸν ἄνθρωπον, εἰ δύναιτο μετ' αὐτοῦ κολάσαι τὸν ἔλαφον· ὁ δὲ ἔφησεν· ἐὰν λάβῃ χαλινὸν, καὶ αὐτὸς ἀναβῇ ἐπ' αὐτὸν, ἔχων ἀκόντια. Oxon. *quin eum indipiscimur?*

Ibid. *Quin equos inscendimus?*] Collatinus apud Livium 1. ad Tarquinium: *Quin, si vigor iuventae inest, conscendimus equos?*

Ibid. *Nec tantillum morati* etc.] Lib. 9. *Nec quidquam moratus* etc.

Ibid. *Bestiam insequentes*] τὸ *bestiam* ab Oxoniensi abest.

Ibid. *Lanceam*] Quam supra lib. 1. *lanceam venatoriam* appellat.

Ibid. *Nec tamen illa genuini vigoris oblita, retorquet impetum*] Cicero pro Milone: *Hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris Natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim quacunque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsent.* Plinius de bestiis loquens: *Si vis inferatur, nulla est cui non sit anima iniuriae impatiens: et prompta, si noceas, ad se defendendum alacritas. Sentit enim vim quidque suam, qua possit abuti.* ut rectissime Lucretius: *Impetum retorquere*, est *fugere:* contrarium illius quod praecessit, *impetum dirigere.*

Ibid. *Et incendio ferocitatis ardescens*] Incendebatur (h. e. augebatur) irritatione ista naturalis ferocitas eius. In Oxon. MS. et veteribus editt. (etsi in sensu discrimen nullum) rectius *feritatis.* Seneca 1. 1. de Ira: *Non vides, ut omnium animalium simul ad nocendum insurrexerunt, procurrant* (melius *praecurrant*) *notae?* etc. *ac feritatem suam exasperent? spumant apris ora*, etc. et post: *Nullum animal tam horrendum*, etc. *ut non appareat in illo, ubi ira invasit, nova feritatis accessio.* Pro *et*, lege, *at incendio* etc.

Ibid. *Dentium compulsu* etc.] Ovidius: *Dentibus ille ferox in querno stipite tritis Imminet exitio.* Seneca 1. 1. de Ira: *Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu.* Pollux ubi supra: Τοὺς ὀδόντας θήγει. et post: Τῷ πρὸς ἀλλήλους κόμπῳ τῶν ὀδόντων ἀπειλεῖ. Aristophanes Ranis: Θήγοντος ὀδόντας Ἀντιτέχνου. ubi Scholia: Ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν χοίρων, οἳ ὅταν εἰς μάχην παρασκευάζωνται, τοῦτο ποιοῦσι. De apro D. Basilius: Τὸν ἔνδοθεν θυμὸν διὰ τῆς τῶν ὀδόντων παρατρίψεως ὑπεκφαίνων, adde quae paulo supra ex Philostrato notata.

Ibid. *Quem primum insiliat, cunctabunda rimatur*] Apollonius de lupis in ovili: Μαίονται δ' ὅ, τι πρῶτον ἐπαΐξαντες ἕλωσι, Πολλ' ἐπιπαμφαλόωντες ὁμοῦ. Seneca Thyeste: *Ieiuna sylvis qualis in Gangeticis Inter iuvencos Tygris erravit duos, Utriusque praedae cupida, quo primos ferat Incerta morsus: flectit huc rictus suos, Illo reflectit, et famem dubiam tenet: Sic dirus Atreus capita devota impiae Speculatur irae, quem prius mactet sibi Dubitat, secunda deinde quem caede immolet.* Ovidius Metamorphos. 5. *Ille nihil contra, sed et hunc et Persea vultu Alterno spectans, petat hunc ignorat, an illum.* Hegesippus 4. 1. de Vespasiano: *Cum paucis, quos praesentes habebat, imperterritus stetit: quasi in quos sese excuteret, considerans.*

Ibid. *Iaculum* etc. *contorquet*] Glossae: *Contorquet, immittit, iaculatur*, ἐμβάλλει. Glossae aliae: Ἐνακοντίζω, *intorqueo.*

Ibid. *At Thrasyllus ferae quidem pepercit, sed equi, quo vehebatur Tlepolemus, postremos poplites*, etc. *amputat*] Ita fateor quidem in omnibus legi et editis et MSS. cogitabam tamen concinne scribi posse, *Sed feri* etc. *Ferae pepercit quidem, at feri* etc. quae παρήχησις (quo genere nemo spissior Nostro) adeo quidem blanditur mihi, ut si vel in uno MS. reperirem, recipere non dubitarem. *Ferum de equo* dici, praeter alios docet Servius ad Aeneid. 2. et 7. Idem ad Aen. 1. *Feras dicimus, aut quod omni corpore feruntur, aut quod naturali libertate utantur, et pro desiderio suo ferantur: propterea omnes quadrupedes feras dicebant.* Hesychius: Θήρεια, τὰ ζῶα· καὶ ἐπὶ τῶν ἵππων οὕτω λέγουσι.

γονσι. corruptum et mutilum locum (si videbitur) sic constitues mecum: Θηρία, τὰ ἄγρια ζῷα· καὶ ἐπὶ etc.

Ibid. *Quadrupes recidens qua sanguis effluxerat, toto tergo supinatus, invitus Dominum suum devolvit ad terram*] Polybius apud Suidam: Ὁ ἵππος τοῦ Σκιπίωνος ἐδυσχρήστησε μὲν ἀπὸ τῆς πληγῆς, οὐ μὴν ὁλοσχερῶς ἐσφάλμησε. διόπερ ὀρθὸς Σκιπίων ἐπὶ τὴν γῆν ἀπέπεσεν. Heliodorus lib. 9. in Blemmyum et Persarum pugna: Ἐλυμαίνοντο τὴν ἵππον ὑπὸ τὴν γαστέρα κατὰ τὴν διεξέλασιν τοῖς ξίφεσιν ἀποκόπτοντες, ὥστε ἔπιπτον μὲν οὐκ ὀλίγοι τῶν ἵππων, πρὸς τὸν ἀλγηδόνα τὸν χαλινὸν ὑπερορῶντων, καὶ τοὺς ἀναβάτας ἀποσειομένων. Agathias lib. 3. de elephanto saucio: Πρὸς τὴν πληγὴν δυσχανασχετῶν, καὶ πρός γε τοῦ δορατίου ἀμφὶ τὸν ὀφθαλμὸν κραδαινομένου ἐκταραττόμενος, etc. τοὺς ὕπερθεν ἑστῶτας ἀποσεισάμενος κατέβαλε. et statim, de equis illius belluae rabie turbatis: Οὐ μάλα τοῖς ξυνῆρσιν ἐπείθοντο, ἀλλὰ τὰς ἐμπροσθίους ὁπλὰς μετεωρίζοντες, ἐξεκήλουν τοὺς ἐλατῆρας. Illa *toto tergo*, non sunt in Oxon. MS. Ab eodem et Palat. Cod. τὸ *invitus* abest. Pro *recidens* (quod Oxoniensis, et editt. vett. agnoscunt) male ex uno codice Elmenhorstius *residens*. Onomasticon vetus: *Recido*, ἀναπίπτω. Hunc locum autem effinxit Noster vel ex isto Aeneid. 11. *Archilochus Romuli (quando ipsum horrebat adire) Hastam intorsit equo, ferrumque sub aure reliquit. Quo sonipes ictu furit arduus, altaque iactat Vulneris impatiens arrecto pectore crura. Volvitur ille excussus humi.* vel certe ex hoc e decimo, quem et video Beroaldum adduxisse: *Multa movens animo iam tandem erumpit, et inter Bellatoris equi cava tempora coniicit hastam. Tollit se arrectum quadrupes, et calcibus auras Verberat, effusumque equitem super ipse secutus Implicat.* ubi Servius: *Multa movens, utrum scilicet in ipsum an in equum tela intorqueret; quo vulnerato Mezentius effugio carebat.* ad mentem Thrasylli nostri non importune.

Ibid. *Supinatus*] Hesychius: Παλιμπετὲς· τὸ εἰς ὀπίσω πεπτωκός.

Pag. 156. *Bonum piguit amicum*] Amare, sic Declam. 321. apud Quintilianum: *Illud interim testor, hunc bonum amicum utrique maledicere.*

Ibid. *Vel suae saevitiae litatum* etc.] Lib. 5. *Tunc meae iniuriae litatum crediderim*, etc. haec autem cum sequentibus usque ad verbum *contegenti*, sorte qua mala nescio Oxoniensis ignorat, connectit hoc modo autem contextus seriem: *Nec coepti nefarii bonum piguit amicum, sed suum auxilium miseriter roganti*, etc.

Ibid. *Plagosa crura contegenti*] In aliis *p. vulnera c.* quod et nos rectius putamus. Virgil. *Et vulnera dira tegentem.*

Ibid. *Suumque auxilium miseriter roganti, per dextrum femur lanceam immisit*] Alterius sprétis precibus suum opus perficit. Aen. 12. *At fervidus advolat hasta Messapus, teloque orantem multa trabali Desuper altus equo graviter ferit.* Ibid. 10. *Tum caput orantis nequicquam, et multa parantis Dicere, deturbat terrae.* Et 1. *Tum validam perque arma viro perque ossa securim Altior insurgens, oranti et multa precanti Congeminat.* Ovid. 9. Metamorph. *Dicentem, genibusque manus adhibere parantem, Corripit Alcides: ac terque quaterque rotatum, Mittit in Euboicas tormento fortius undas.*

Ibid. *Suumque auxilium miseriter roganti*] Lib. 9. *Deprecatur periclitanti sibi ferret auxilium.* *Miseriter* (Appuleianum quid sonans) non ausim expungere: malueram autem *miserabiliter*. In vet. Onomastico: *Miserabiliter*, ἐλεεινῶς.

Ibid. *Nec non tamen ipsam bestiam* etc.] Oxon. *Per f. d. lanceam immisit: ipsam etiam bestiam* etc. expunctis intermediis omnibus.

Ibid. *Ad hunc modum defuncto iuvene* etc.] Redonemus ineptam hanc Beroaldo coniecturam. Oxoniensis Codex, duo alii MSS. vetusque editio Vicentina *definito* legunt. unde veram scripturam *finito* haud aegre elicimus. Lib. 6. *Quam (vetulam) licet claudi pedis tui calce unica finire poteris.* ubi dicta p. [hui. Ed. 271, a.] vide.

Ibid. *Quanquam perfecto voto*] Placet Bertin. codicis scriptura, *peracto voto*. Satis iam facit mihi communis lectio. Infra lib. 9. *Magnis suis laboribus perfectum desiderium Philosetaero* etc. *nunciat.*

Ibid. *Vultu tamen gaudium tegit*] *Consilium vultu tegit.* Virgilius.

Ibid. *Et frontem adseverat*] Lib. 2. *Vultuosam frontem rugis* etc. *adseverabat.*

Ibid. *Et cadaver quod ipse fecerat, avide amplexatus, omnia quidem lugentium officia sollerter finxit*] Iosephus Antiquit. 15. de Herode, Aristobulo eius fraude occiso: Πᾶσι τοῖς ἔξωθεν πιθανῶς ἐπισκευάζετο, μὴ μετὰ προνοίας γενέσθαι τῷ παιδὶ τὸν θάνατον· οὐκ ὅσα πρὸς πένθος ἐπιτηδεύων μόνον, ἀλλὰ (en peritiorem Thrasyllo artificem,) καὶ δάκρυσι χρώμενος, καὶ σύγχυσιν τῆς ψυχῆς ἀληθινὴν ἐμφαίνων. Idem bell. Iud. 2. de Hierosolymitanis sicariis: Ταῖς ἐσθήσεσιν ὑποκρύπτοντες μικρὰ ξιφίδια, τούτοις ἔτυπτον τοὺς διαφόρους, ἔπειτα πεσόντων, μέρος ἐγένοντο τῶν ἐπαγανακτούντων. Sequentia heic usque ad vocem *conformatus*, membranae Oxonienses ignorant.

Ibid. *Cadaver quod ipse fecerat, amplexatus*] Seneca, Alexandrum inprimis designans, at fide bona poenitentiam emendantem. *Transfoderunt* (irati quidam) *amata corpora, et in eorum quos occiderant iacuere complexibus.* de Ira 2. 37.

Ibid.

Ibid. *Ad nostri similitudinem* etc. *conformatus*] Servius ad Aeneid. 2. *Nostri et vestri, genitivi plurales sunt antiqui, et ex Graecis venientes.* (sic enim, non *convenientes* scribendum.) *Ad nostri similitudinem conformatum* phrasi Paulina dicas, *σύμμορφον τῆς ἡμῶν εἰκόνος γινόμενον*· Rom. 8. 29. ubi et Vetus, *conformis.*

Ibid. *Solae lacrymae procedere noluerunt*] Nec decebat sane Naturam penitus ab imitatore exaequari. Seneca Epist. 11. *Artifices scaenici qui imitantur affectus, qui metum et trepidationem exprimunt, qui tristitiam repraesentant, hoc indicio imitantur verecundiam: deiiciunt vultum, verba submittunt, figunt in terram oculos, et deprimunt: ruborem sibi exprimere non possunt.*

Ibid. *Ad nostri similitudinem qui vere lamentabamur conformatus*] Ἀληθινὴν τῆς ψυχῆς σύγχυσιν ἐμφαίνων, ut Iosephum iam loquentem audivimus. Hesychius: Σχηματιζόμενοι· προσποιούμενοι, σχῆμα ἐπιδεικνύντες. Seneca Epist. 99. *Remota omni lugentium scaena, nihil erat nisi quod veris dabatur affectibus.* Gellius 7. 5. *Opplevit omnia, non simulacris, atque imitamentis, sed luctu, atque lamentis veris et spirantibus.*

Ibid. *Nec dum satis scelere transacto Fama dilabitur*] Donatus ad 5. 6. Andr. *Fama mali celerior quam boni.* non improbo Bertin. codicis lectionem, *fama dilatatur.* supra lib. 4. *Fama porrecta pervagatur.* Totius porro istius loci imaginem Appuleius ex hoc Virgilii coepit: *Interea pavidam volitans pennata per urbem Nuncia fama ruit, matrisque allabitur aures Euryali, ac subitus miserae calor ossa reliquit: Excussi manibus radii, revolutaque pensa. Evolat infelix, et femineo ululatu Scissa comam, muros amens atque agmina cursu Prima petit: non illa virûm, non illa pericli, Telorumve memor: coelum dehinc questibus implet.*

Ibid. *Qualem non audiet alium*] Oxon. et Florent. MSS. *Quale n. a. aliud.*

Ibid. *Amens*] *Vestigium amenti similis accelerans*, ut supra lib. 2. loquitur. Λύπη γὰρ ὀργή τ' εἰς ἕνα ψυχῆς τόπον Ἐλθοῦσαι, μανία τοῖς ἔχουσι γίνεται. ut olim Cleaenetus scripsit. Aeneid. 9. *Femineo ululatu Scissa comam, muros amens, atque agmina cursu Prima petit.* Ovid. Metam. 2. *Lugubris et amens Et laniata sinus, totam percensuit urbem.*

Ibid. *Cursuque bacchata furibundo* etc.] Virgilius Ceiri: *Infelix virgo tota bacchatur in urbe.* et Aeneid. 7. *Immensam sine more furit bacchata per urbem.* Ovidius de Phyllide: *Ibat, ut Aonio referens trieterica Baccho, Ire solet fusis barbara turba comis.* bene et *cursu furibundo.* Scriptor Maccabaici tertii, de Hierosolymitanis mulieribus, Antiocho templi penetrali ingresso: Τὴν ἁρμόζουσαν αἰδῶ παραλείπουσαι, δρόμον ἄτακτον ἐν τῇ πόλει συνίσταντο. hoc habitu, interfectis matre et fratribus, Antigone ab Euripide describitur.

Ibid. *Per plateas populosas* etc. *fertur*] Ἀνὰ πτόλιν οἰκτρὸν ἀείδει· ut Adoni Venus interfecto. Chrysologus de archisynagogi filia: *Illa secretas languoris sui sustinet passiones: hic* (pater eius) etc. *toro fertur et iactatur in populo.* Curtius ubi de Alexandro mortuo: *Nobiles pueri, custodiae eius corporis assueti, nec doloris magnitudinem capere, nec seipsos intra vestibulum regiae retinere potuerunt: vagique et furentibus similes, totam urbem luctu ac moerore compleverunt.*

Ibid. *Et arva rurestria fertur*] *Moeret, illacrymat, gemit: Et huc et illuc anxios gressus refert.* Cicero Tuscul. 3. *Ex hoc evenit, ut in animi doloribus alibi solitudines captent, ut ait Homerus de Bellerophonte: Qui miser in campis moerens errabat Aleis, Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.* Bion ubi supra, de Venere: Ἀνὰ δρυμὼς ἀλάληται. et post: Δι' ἄγκεα μακρὰ φορεῖται Homerus de Achille Patroclum interfectum lugente: Δινεύεσκ' ἀλύων παρὰ θῖν' ἁλός. De Hercule, rapto Hila Theocritus: Ἐν ἀτρίπτοισιν ἀκάνθαις Παῖδα ποθῶν δεδόνατο, πολὺν δ' ἐπελάμβανε χῶρον. et statim: Ἀλώμενος ὅσσ' ἐμόγησεν Ὤρεα καὶ δρυμώς! deinde: Ὁ δ' ᾇ πόδες ἆγον, ἐχώρει Μαινόμενος. ex quibus Ovidiana ista de Canente, marito Pico amisso: *Latos errat vesana per agros, Per iuga, per valles, qua sors ducebat euntem.*

Ibid. *Confluunt* etc. *civium catervae*] Lib. 10. *Magnae civium turbae confluebant.* et 11. *Tunc ecce confluunt undique turbae.* Aen. 11. *Fluuntque ad regia plenis Tecta viis.* Servius: *Fluunt, festinanter incedunt.*

Ibid. *Civitas vacuatur studio visionis*] Lib. 7. *Tota civitas* etc. *conspectum effunditur.* ubi dicta p. [hui. Ed. 285, b.] vide.

Ibid. *Labantique spiritu totam se super corpus effudit*] Donatus ad 4. 5. Adelph. *Animo male fieri dicitur, cum ictu alicuius moeroris perculsus, non sustinet corpus, sequiturque ruina membrorum.* Zeno Veronensis: *Mortua spiritu, labentibus ad terram membris, incertas reddebat exequias, cui* (melius, *et cui*, id est, *utri*) *lacrymas commendarent: mortuone, an morienti.* pro quibus Appuleius: *Penissime ibidem, quam devoverat ei, reddidisset animam*, etc. Et nota in verbis Zenonis, *lacrymas commodare.* sic ad 1. 1. Andr. Donatus: *Qui alienis lacrymis suas commodabat.* quos locos si incidissent eruditi homines, haud ita male eandem in Petronio locutionem vexassent: nec, dum lucem

cem afferre se crederent, Scriptori illi tenebras offudissent. Pro *labantique spiritu*, cum Florent. cod. et Vicent. edit. *labentique* scribe. Tacitus (quem, ut saepe monui, saepissime imitatur Noster) de Charicle medico: *Labi spiritum*, (Tiberii) *nec ultra biduum duraturum* etc. *firmavit*.

Ibid. *Totam se super corpus effudit*] Servius ad 5. Eclog. *Lugentium est, ut et corpori inhaereant*. Aeneid. 10. de Mezentio, Lauso filio occiso: *Ambas Ad coelum tendit palmas, et corpore inhaeret*. Ovidius Fast. 2. ubi de Lucretia: *Ecce super corpus communia damna gementes, Obliti decoris virque paterque iacent*. Q. Curtius de Alexandro: *Super amici* (Ephestionis) *corpus eiulans procubuit*. Hieronymus de Eustochio, matre Paula mortua: *Deosculari oculos, haerere vultui, totum corpus amplexari*. Virgilius de Euandro: *Venit in medios feretro Pallante reposto, Procubuit super*. Statius de Abascantio: *Ore ligato Incubat amissae*. amissae uxori scilicet. Philostratus de Aiace, Palamede interfecto: Ἐπιῤῥίψας ἑαυτὸν τῷ νεκρῷ. Heliodorus 2. Ἐπὶ τὸ σῶμα τῆς κειμένης κατενεχθεὶς, etc. εἴχετο, καὶ προσεπεφύκει.

Ibid. *Sed, aegre manibus erepta suorum* etc.] Melius, ut in Palat. *erecta*: se totam enim super corpus effuderat.

Ibid. *Invita remansit in vita*] Ovidius ad Liviam, Druso mortuo: *Vix etiam fueras paucas vitalis in horas, Obtulit invitae cum tibi Caesar opem*. Pro *invita remansit* etc. magis ad Appuleii morem *quamvis invita* scribas. Lib. 5. *Quamvis invitus, susceptas eas* etc. *solo reddidit*. Lib. 6. *Cum primum sarcinas istas, quamvis invitus, pertulerit*. et 9. *Apponebat propere mulier, quamvis invita*. at Palat. Cod. et antiquissimae editt. ita locum concipiunt: *Aegre m. e. s. remansit in vita*. Oxon. MS. *invita remansit*. *Aegre* autem *remansit* intellige, non *aegre erecta*. Iustinus lib. 12. *Aegréque ab eo obtentum ut vellet vivere*. Potest et alterum illud permitti: *Aegre erigi* hic, ut supra lib. 1. *Fatigatum aegre sustinere*.

Ibid. *Funus vero toto feralem pompam prosequente populo, deducitur ad sepulturam*] Ovidius, ubi de Druso: *Funeris exequiis adsumus omnis eques*. vide supra p. [hui. Ed. 237, a.] dicta. Dio Cassius de Augusto mortuo: Παρῆν δὲ, καὶ συνεξέφερεν αὐτὸν ἥ τε γερουσία, καὶ ἡ ἱππὰς, αἵ τε γυναῖκες αὐτῶν, καὶ τὸ δορυφορικὸν, οἵ τε λοιποὶ πάντες ὡς εἰπεῖν οἱ ἐν τῇ πόλει ὄντες. P. Chrysologus Serm. 121. *In obsequium divitis migrat tota civitas cum funus effertur: pauper vadit solus*. ubi *obsequium* erudite dixit. Terent. Andr. *In funus prodeo*. ubi Eugraphius: *In obsequium funeris*. Luc. 7. 12. de vidua filium efferente: Καὶ ὄχλος τῆς πόλεως ἱκανὸς ἦν σὺν αὐτῇ. Florid. 4. Noster: *Aspexit in pomaeriis civitatis funus ingens locatum: plurimos homines ingenti multitudine, qui exequias venerant circumstare*. Laërtius de Platone mortuo: Πανδημεὶ παρεπέμφθη. De *pompa exequiali* supra p. [hui. Ed. 188, b.] dixi.

Pag. 157. *Sed Thrasyllus nimium clamare, plangere*, etc.] Tacitus Annal. 2. *Et periisse Germanicum nulli iactantius moerent quam qui maxime laetantur*. In Oxoniensi et duobus aliis MSS. *nimium nimius clamare*: unde *nimium nimiumque c.* putavit bene Colvius legendum. supra fine tertii: *Et cervice prolixa, nimium nimiumque porrectis labiis*, etc. ut quidem in vetere Vicentina, et Codice Oxoniensi legitur: in nuperis enim editionibus, mutile, *cervice, prolixa, nimiumque p. l.*

Ibid. *Veritatem ipsam fallere*] Supra lib. 2. *Ipsos Solis et Iustitiae oculos frustrari*.

Ibid. *Illum* etc. *coaetaneum, contubernalem*, etc.] Ex quibus vinculis necessitudo arctior, proin gravior iactura. supra lib. 4. puella sponsum ereptum deflens: *Tantulo triennio maior in aetate, mecum primis ab annis nutritus, et adultus, individuo contubernio*, etc. ad quem locum pag. [hui. Ed. 230, b.] adnotata confer.

Ibid. *Fratrem denique* etc.] *Fratrem* post omnia dixit, quasi ceteris maius omnibus. Lib. 1. *Comes, et pater, et frater meus*. ubi dicta pag. [hui. Ed. 157, b.] vide.

Ibid. *Addito nomine lugubri, ciere*] Virgil. 4. *Et morientem nomine clamat*. at quid heic *nomen lugubre*? aut quae ratio epitheti illius? locum interpunctionis, et (quod haud paulo gravius) vitiosae lectionis macula deturpatum, ita mecum restitue: *Fratrem denique, addito nomine, lugubriter ciere*. sic supra 3. *lugubriter eiulare*. Livius lib. 1. *Solvit crines, et flebiliter nomine sponsum mortuum appellat*. id est, (ut heic Appuleius) *lugubriter ciet*. supra lib. 5. *Iamque nomine proprio sororem miseram ciebant, quoad sono penetrabili vocis ululabilis* etc. *trepida Psyche procurrit*, etc. quae quid sibi volunt quam quod hic, *lugubriter ciere*?

Ibid. *Verbis palpantibus stimulum doloris obtundere, variis exemplis multivagi casus solatia nectere*] Petronius, ubi de matrona Ephesina: *Coepit* (miles) *hortari lugentem ne perseveraret in dolore supervacuo*, etc. *omnium eundem exitum esse, sed et idem domicilium: et caetera, quibus exulceratae mentes ad sanitatem revocantur*. Paulus 1. 10. 13. ad Corinth. Πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν, εἰ μὴ ἀνθρώπινος. Euripides: Οἴμοι! Τί δ' οἴμοι; θνητά τοι πεπόνθαμεν. his *casus multivagus* illustratur.

Ibid. *Studium contrectandae mulieris adhibere*] In Milite Plautino: *Te compellare, et complecti, et contrectare*. Cicero lib. 1. de Deo-

rum Nat. *Cur non gestiret taurus equae contrectatione, equus vaccae?* Cyprianus in de habitu virgin. *Cum amictu vestis honor corporis ponitur: denotanda et contrectanda virginitas revelatur.* Achilles Tatius lib. 4. Χειρὸς θίγειν, ψαῦσαι σώματος, αὗται ἐρώτων παραμυθίαι. Ibidem: Ἀκοῦσαι θέλω φωνῆς, χειρὸς θίγειν, ψαῦσαι σώματος. Oxoniensis, et alius MS. *contractandae:* quod eôdem cadit. Glossae: Ψηλαφῶ, *tracto, contracto*, etc. *palpo.*

Ibid. *Officiis inferialibus statim exactis*] Malueram *peractis.* sic 9. *Peractis feralibus officiis.* et in l. 44. de manum. testam. *solennia mortis peragere. Solennia tumuli peragere*, Servius ad Aen. 9. dixit. Seneca cap. 13. ad Marciam: *Peractis quae moris erat praestare defunctis*, etc.

Ibid. *Puellae protinus festinat ad maritum suum demeare*] Infra: *Iam tempus est ut* etc. *deorsum ad meum Tlepolemum viam quaeram.*

Ibid. *Cunctasque prorsus pertentat vias*] Ut Porcia Bruti.

Ibid. *Certe lenem illam* etc.] *Inediae* scilicet, ut continuo subiungitur: ergo bene *lenem.* Tacitus Ann. 11. *Hortantibus* etc. *quibusdam inediam, et lenem exitum.* id est, *lenem inediae exitum.* Seneca Epist. 77. de Tullio Marcellino se inedia luci subtrahente: *Paulatim defecit, ut aiebat, non sine quadam voluptate, quam afferre solet lenis dissolutio.* Idem, lib. cur bon. vir. etc. *Lenior ieiuno mors est, cruditate dissiliunt.* liceat, dum quid certius excogitaverit quis, *cruditantes* reponerè: qua voce adversus Psychicos, et alibi Tertullianus utitur. Valer. Maximus 7. 1. *Lenique genere mortis* etc. *extinctum.*

Ibid. *Tenebris imis abscondita, cum luce iam transegerat*] *Caput ferali obducit amictu, Decrevitque pati tenebras.* ut apud Lucanum Cornelia. vide supra pag. [hui. Ed. 237, b.] adnotata.

Ibid. *Familiares et necessarios*] Tacitus Annal. 4. *Amici, aut necessarii.* sic, φίλους et ἀναγκαίους Dio Cassius lib. 47. iunxit. confer ad Act. 10. 24. allata.

Ibid. *Religiosae necessitati succumbens*] Seneca Epist. 80. *Interdum non licet palam esse miseros, sed inter aerumnas cor ipsum exedentes necesse est agere felicem.*

Ibid. *Obiens, ut videbatur viventium munia* etc.] Melius in aliis *iubebatur.* Clitophon apud Achillem Tatium lib. 5. Θεραπευθεὶς ἄκων τὸ τραῦμα, τοῦ Μενελάου με παρηγοροῦντος, ζῶν διεκαρτέρησα.

Ibid. *Penitus in medullis*] Lib. 10. *Perniciem caecam* etc. *medullae penitus attraxerant.*

Ibid. *Vultu non quidem hilaro, verum paulo sereniore* etc.] Lib. 3. *Paulisper hilaro vultu renidens, quantumque poteram, laetiorem me refingens.* Sex versus subsequentes, usque ad verba *solatio cruciabat*, male desunt in Oxon. MS.

Ibid. *Moerore carpebat animum*] Glossarium: *Carpitur*, τρύχεται, δρέπεται, κακοπαθεῖ.

Ibid. *Dies totos, totasque noctes insumebat luctuoso desiderio*] *Saevumque arcte complexa dolorem Perfruitur lacrymis, et amat pro coniuge luctum.* ut Cornelia apud Lucanum: qui fortasse ista patrui imitatur: *Teneas licet, et amplexèris dolorem tuum, quem tibi in filii locum superstitem fecisti.* (cap. 1. Consol. ad Marciam) et post eum Augustinus: *Solus fletus erat dulcis mihi, et successerat amico in deliciis animi mei.* Confess. 4. 4.

Ibid. *Dies totos totasque noctes* etc.] Lib. 5. *Diem totum lacrymis et plangoribus misella consumit.* In veteri lapide: *Desiderio natae diem ac noctem cum lacrymis traxit.* Apud Quintilianum 6. Declam. *Quae misera desiderio tui die noctesque iungit.* Seneca cap. 6. ad Marciam: *Si fletibus Fata vincerentur*, etc. *eat omnis inter luctus dies: noctem sine somno tristitia consumas.* Petronius ubi supra: *Positumque in hypogaeo corpus custodire, et flere totis noctibus diebusque coepit.* Homerus: Νυκτάς τε καὶ ἤματα δακρυχεούσῃ. Scriptor Tobiae vitae, de matre eius: Ἡμέρας ἄρτον οὐκ ἤσθιε, τὰς δὲ νύκτας ὅλας οὐ διελύμπανε θρηνοῦσα. Horatius: *Tu semper urges flebilibus modis Mysten ademptum: nec tibi vespera Surgente decedunt amores, Nec rapidum fugiente Solem.* Cinna in Smyrna apud Servium in Georg. 2. *Te matutinum flentem conspexit Eous, Et flentem paulo vidit post Hesperus idem.* Lucretius: *Nec nox ulla diem, neque noctem aurora secuta est, Quae non audierit mistos vagitibus aegris Ploratus, mortis comites et funeris atri.*

Ibid. *Totasque noctes*] Virgil. 4. Georg. *Flet noctem.* ubi Servius: *Iugi nocte: continuo fletu.*

Ibid. *Et imaginem defuncti* etc.] Admetus apud Euripidem ad uxorem suam, ut putavit, morituram: Σοφῇ δὲ χειρὶ τεκτόνων δέμας τὸ σὸν Εἰκασθὲν ἐν λέκτροισιν ἐκταθήσεται. Lactantius 2. 2. *Fingendarum similitudinum ratio idcirco* etc. *inventa est, ut posset hominum memoria retineri.* Apud Quintilianum 10. Declam. *Clamat itaque, clamat mater infelix: Si mihi aliquam imaginem filii mei* etc. *auferres, iniicerem tamen misera tanquam corpori manum: illam similitudinem flens tenerem: illos oculos, illam gratissimam faciem, et rictus oris expressos, et adumbratos artificis manu vultus.*

Ibid. *Quam ad habitum Dei Liberi formaverat*] Suetonius Calig. *Unus iam puerascens, insigni festivitate, cuius effigiem habitu Cupidinis in aede Capitolina dedicavit.* Scriptor Sapientiae 14. 15. Ἀώρῳ πένθει τρυχόμενος πατὴρ, τοῦ ταχέως

χέως ἀφαιρεθέντος τέκνου εἰκόνα ποιήσας, τὸν τότε νεκρὸν ἄνθρωπον, νῦν ὡς θεὸν ἐτίμησεν. Statius Sylv. 2. *Haec te non thyasis procax dolosis Falsi numinis induit figuras: Ipsum sed colit, et frequentat ipsum Imis altius insitum medullis.* quod ipsum heic Appuleius noster.

Pag. 158. *Affixo servitio*] Excusis omnibus prohibentibus *affixa* reponendum crediderim. Seneca cap. 2. ad Marciam: *Intenta in unam rem, et toto animo affixa.* Virgilius de Palinuro: *Clavumque affixus et haerens Nusquam amittebat.* infra lib. 9. *Affixus atque conglutinatus* etc. *commissa provincia fidem tuebatur.* Eucherius ad Valerianum: *Qui amat egregie rem aliquam, velut affixus et cohaerens illi, nusquam eam relinquit*, etc. Cicero Famil. 1. 8. *Me tibi in omnibus rebus affixum habebis.* ita *pensis puellam affixam* Tibullus, et *affixam foribus* dixit. Minucius Felix de Sole: *Caelo affixus, sed terris omnibus sparsus.* apud Quintilianum 6. Declam. *Semper estis intra domum, uno plurimum in loco, levibus officiis affixae.* Porcius Latro in Catilinam: *Nihil illo affixius ad colenda bonorum consortia.* i. *Nemo affixius illo.* Ita de personis, non rebus positum ubique vides.

Ibid. *Ipso se solatio cruciabat*] Tertullianus in de Anima, cap. 56. de Homero: *Tanto magis curam sepulturae collocavit, quanto etiam moram eius iniuriosam animabus incusavit: simul et ne quis defunctum domi detinens, ipse amplius cum illo maceretur enormitate solatii dolore nutriti.* Seneca cap. 1. ad Helviam: *Ne dolorem tuum ipsa solatia irritarent.* Idem cap. 1. ad Marciam: *Haec tristia et misera, et in se saevientia, ipsa novissime acerbitate pascuntur: et fit infelicis animi prava voluptas dolor.* Lucanus: *His se stimulis dolor ipse lacessit.* Fulgentius Mythol. 1. de Syrophane Aegyptio: *Doloris angustia (quae semper inquirit necessitatis solatium) filii sibi simulacrum in aedibus constituit.* et statim: *Fecerat ille unde luctus resurrectionem indies acquireret, non quo luctus solatium inveniret.* ubi nota (ut et in Lucio nostro) quae loquendi proprietas. Mortuorum vel absentium amicorum memoriam per eorum imagines aut statuas renovatam, plerumque veteres Scriptores *solatium* vocaverunt. Isidorus 8. 11. Orig. *Fuerunt etiam aut quidam viri fortes, aut urbium conditores, quibus mortuis, homines qui eos dilexerunt, simulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium.* Servius ad Georg. 1. de Sylvano: *Amavit puerum Cyparissum, qui habebat mansuetissimam cervam. hanc cum Sylvanus nescius occidisset, puer est exstinctus dolore: quem amator Deus in arborem eius nominis vertit, quam pro solatio portare dicitur.* Tacitus Annal. 12. de Agrippina, post veneno Claudium sublatum: *Velut victa dolore, et solatia conquirens, tenere amplexu Britannicum: veram paterni oris effigiem appellare.* Minucius in Octavio: *Dum gestiunt eorum* (Regum) *memorias in statuis detinere, sacra facta sunt quae fuerant assumpta solatia.* Seneca Epist. 40. de imaginibus loquens: *Desiderium absentiae falso atque inani solatio levant.* Lactantius 2. 2. *Si qui imaginem hominis peregre constituti contempletur saepius, ut ex ea solatium capiat*, etc. Statius Sylv. 5. *Si manus, aut similes docilis mihi fingere ceras, Aut ebur impressis aurumve animare figuris: Hinc Priscilla tuo solatia grata marito Conciperem.* Ibidem 2. *At solatia vana subministrat Vultus qui simili notatus auro, Stratis praenitet, incubatque somno.* Symmachus 10. 22. *Senatus impatiens dispendii sui, solatium petit de honore virtutis: vestrumque Numen precatur, ut virum nostra aetate mirabilem statuarum diuturnitas tradat oculis posterorum.* Perseus ironice ad Phineum quem in saxum verterat, Metam. 5. *Inque domo soceri semper spectabere nostri, Ut mea se sponsi soletur imagine coniunx.*

Ibid. *Et in sese nimietatis senio facesseret*] Beroaldus *lacesseret.* Lipsius *flaccesceret.* τὸ *facesseret* est a Colvio, et probamus: at non illud eiusdem, *Et hinc sese* etc. *In sese facessere* heic, est quod 11. *in sese recedere.* id est, evanescere, non amplius apparere: *Sic oraculi* etc. *fine prolato, Numen invictum in se recessit.*

Ibid. *Adhuc vestes lacerantem, capillos distrahentem* etc.] Ἔτι ἐν χερσὶν τὰ πένθη ἔχουσαν, καὶ νεκροῦ τάφῳ προσοδυρομένην. ut 19. 3. apud Sapient. Scriptorem. Esdr. 9. 3. Διέῤῥηξα τὰ ἱμάτιά μου etc. καὶ ἔτιλλον τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς μου. Ctesias apud Hesychium v. σάραπις· Διαῤῥηξαμένη τὸν Σάραπιν, καὶ τὰς τρίχας καθειμένη, ἐτέλετό τε (ἴσ. ἐτίλλετό τε,) καὶ βοὴν ἐποίει. Oxon. *vestem lacerantem.* supra lib. 4. *Moerentem, et crines cum veste sua lacerantem.*

Ibid. *Non dubitavit de nuptiis convenire*] Est et hîc κυριολογία. Festus Pompeius: *Veteres* conveniendi *voce utebantur, cum primus sermo de nuptiis habebatur.*

Ibid. *Tacita pectoris sui secreta*] Lib. 10. *Tacitum* (id est, tacendum) *secretum aperuit.*

Ibid. *Vocem nefandam et horruit, et detestata est*] Gloss. *Horruit*, ἔφριξεν, ἐφοβήθη. melius autem Oxon. Cod. *exhorruit, et d. e.* lib. 9. *Exhorruit Myrmex inauditum facinus, et occlusis auribus aufugit protinus.*

Ibid. *Et velut gravi tonitru*, etc. *vel ipso Diali fulmine percussa, corruit*, etc.] *Ut fulminis ictu Concidit.* Heliodorus lib. 6. Ὥσπερ βέλει, τῷ ῥήματι βληθεὶς. Petronius: *Fulminatus hac pronunciatione*, etc. *in lectulum decidi.* Hegesippus 1. 43. de Antipatro: *Velut*

ictus et saucius gravi vulnere, *iacebat ante pedes patris.*

Ibid. *Corruit corpus*] Apud Senecam Controvers. 7. 1. *Obortae sunt subito tenebrae*, *sublapsum est intercepto spiritu corpus.*

Ibid. *Et obnubilavit animam*] Cod. Bertin. *obumbravit*, male. vide olim ad Apologiam pag. 124. notata.

Ibid. *Sed intervallo*, *revalescente paulatim spiritu* etc.] Lib. 10. *Sed revalescente rursus astutia* etc.

Ibid. *Ferinos rugitus iterans*] Placet quod in Oxon. MS. et editis multis, *mugitus iterans.* lib. 9. *Tacitos secum mugitus iterans.* lib. 4. *Obvixo mugitu* etc. *praesentem casum* etc. *tolerans.* Virgilius de Laocoönte: *Clamores simul horrendos ad sidera tollit*, *Quales mugitus fugit cum saucius aras Taurus.* et 12. de Turno: *Oculis micat acribus ignis: Mugitus veluti cum prima in praelia taurus Terrificos ciet.* ubi Servius: *Apparet mugitus et dolentium et irascentium esse.* Hieronymus in Ioannis Monachi vita: *De inferno quodammodo mugitum cordis gemitumque reddebat.* Interpres vetus Psalm. 37. 9. *Rugiebam* (fortasse *mugiebam*, ut iam alibi monuimus legendum) *a gemitu cordis mei.* Tertullianus cap. 9. de poenitent. *Ingemiscere*, *lacrymare*, *et mugire* etc. *ad Dominum Deum suum.* Varro de ling. Latina lib. 6. *Multa ab animalium vocibus ad homines translata.* Sophocles: Ὑπεστέναζε, ταῦρος ὥς βρυχώμενος. Non dissimile illud Nicephori Gregorae de Caesarissa, marito mortuo: Ἐστέναζε βύθιον, καθάπερ ἐκ μεγάλης καμίνου τῆς ἔνδον πικρίας καπνοὺς ἀναπέμπουσα ζέοντας καὶ φλογώδεις.

Ibid. *Etiam scaenam* etc.] Concinnius *et iam* scribas.

Ibid. *Tunc inter moras* etc.] Florus 4. 10. *Et subinde inter moras mortem a gladiatore suo efflagitasset.* Sallustius: *Et inter eas moras promissa legatorum exspectare.* Idem: *Inter eas moras Metellus se cum exercitu ostendit.* sic loquitur etiam Suetonius in Nerone: Marcellus in l. 28. ff. de administr. et peric. tutor. et in l. 33. de ritu nupt. item Paulus l. 6. §. 4. eod.

Ibid. *Umbra illa misere trucidati Tlepolemi sanie cruentam*, *et pallore deformem attollens faciem*, *quietem pudicam interpellat uxoris*] Ovid. Metam. 11. *Luridus*, *exanimi similis*, *sine vestibus ullis*, *Coniugis ante torum miserae stetit.*

Ibid. *Pallore deformem attollens faciem*] Virgilius: *Simulacra modis pallentia miris.*

Ibid. *Quietem* etc. *interpellat uxoris*] Lib. 11. *Quietem meam rursus interpellat*, etc.

Ibid. *Mi coniunx*] Aeneid. 4. *O luce magis dilecta sorori.* ubi Servius: *Per nomen necessitudinis ostendit se quae sunt utilia persuadere.*

Ibid. *Et si pectori tuo* etc.] Τὸ *et* inducendum credo. hoc vult: si pectore tuo manet memoria nostri, te alius nemo *coniugem* vocaverit.

Ibid. *Vel acerbae mortis meae casus foedus caritatis intercidit*] Legendum puto, *Vel*, *si acerbae mortis meae casu f. c. intercidit*, aut, *acerbae mortis meae casus f. c. interscidit.* quae utraque scriptura efficiet sensum commodum.

Ibid. *Neve sermonem conferas*, *nec mensam accumbas*] Apud Synesium Epist. 44. Οὐδὲ ἐμβαλοῦμεν σοι δεξιὰν, οὐδὲ ἀπὸ τῆς αὐτῆς σιτησόμεθα. pro *conferas*, *conseras* lege. vide supra pag. [hui. Ed. 141, a.] notata.

Ibid. *Mei percussoris*] Gloss. *Percussor*, κολαφιστὴς, σφάκτης.

Ibid. *Noli parricidio nuptias auspicari*] Parricidio, quia me amicum et hospitem interemit. Lib. 7. *Ego denique* etc. *latrocinii crimine in hospitem mihi carissimum postulabar*: *quod crimen non modo latrocinium*, *verumetiam parricidium quisque rectius nominaverit.* si expilatio hospitis parricidium, multo magis occisio eius.

Ibid. *Omnemque scoenam sceleris illuminat*] Virgilius: *Caecumque domus scelus omne retexit.*

Ibid. *Ut primum moesta conniverat*] Ita bene Bertin. MS. non, *quieverat.* supra lib. 1. *Commodum conniveram*, etc. id est, ut hoc loco, *ut primum conniveram.*

Ibid. *Toto faciem impressa*] Virgilius: *Os impressa toro.* Iuvenalis: *Cubat in faciem*, *mox deinde supinus.* Petronius: *Tota facie* etc. *torum meum pressit.*

Pag. 159. *Lacrymis emanantibus*] Perennibus, iugiter fluentibus. Hesychius: Θαλερὸν δάκρυον· τὸ πολὺ, καὶ μὴ ξηραινόμενον, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἀεὶ θάλλον.

Ibid. *Velut quodam tormento inquieta quiete excussa*] Lib. 4. *Lymphatico ritu somno recussa.* ubi dicta confer. Virgilius, (quem imitatur Noster) Aeneid. 11. *Excussus Aconteus Fulminis in morem*, *aut tormento ponderis acti.* Ovidius: *Terque quaterque rotatum Mittit in Euboicas tormento fortius undas.* Iosephus bell. Iud. 2. 20. non absimili locutione: Καθάπερ ὀργάνῳ τινὶ τῇ δεισιδαιμονίᾳ συνελκόμενοι.

Ibid. *Discissaque interula*] Onomast. vetus: *Interula*, χιτωνίσκος.

Ibid. *Nec tamen cum quoquam participatis nocturnis imaginibus*] Reponamus Oxoniensis, Fuxensis, et Palat. MSS. scripturam, quae fere sic habet: *Nec tamen cum quoquam nocturnarum imaginum secreta participat.*

Ibid. *Indicio facinoris prorsus dissimulato*] *Non ulli cordolio patefacta.* ut infra lib. 9. locutus.

Ibid. *Tacite decernit*] Oxon. *Tacita decrevit.*

Ibid. *Aures obseratas de nuptiis obtundens*]

Ibidem: *A. o. ad nuptias o.* Donatus ad Andr. 2. 2. *Obtundere, saepe repetendo dicere: translatio a fabris, qui saepe repetunt, aliquid malleo trudendo.* Suidas: Διατεθρυλλημένος τὰ ὦτα· οἷον, κατηδολεσχημένος· ἤ, οἷον, πλειστάκις, καὶ περὶ τῶν αὐτῶν πλεῖστα ἀκηκοώς.

Ibid. *Obseratas aures*] Horatius: *Quid obseratis auribus fundis preces?*

Ibid. *Illa clementer aspernata sermonem Thrasylli astuque miro personata* etc.] Ἀπατῆσαι αὐτὸν ἔδοξεν, ἀντιλέγειν γὰρ οὐκ ἀκίνδυνον ἦν· ut 4. Achillis Tatii. Penelope de procis suis apud Homerum: Οἱ δὲ γάμον σπεύδουσιν, ἐγὼ δὲ δόλους τολυπεύσω.

Ibid. *Adhuc* etc. *carissimi mariti facies pulchra illa in meis diversatur oculis*] Curtius de Alexandro mortuo: *Vigor eius, et vultus educentis in praelium milites, obsidentis urbes,* etc. *occurrebant oculis.* Quomodo hîc *frater* sumendum vide in pag. [hui. Ed. 157, b.] notatis.

Ibid. *Odor cinnameus ambrosei corporis*] Cantic. Solom. 1. 1. Ὀσμὴ μύρων σου ὑπὲρ πάντα ἀρώματα. vide et 4. 13. 14. 15. Plutarchus Sympos. 1. 6. de Alexandro: Λέγεται καὶ τοῦ χρωτὸς ἥδιστα ἀποπνεῖν, ὥστε καταπιμπλάναι τοὺς χιτωνίσκους εὐωδίας ἀρωματιζούσης. In Epistola Smyrnensium de Polycarpo iam igni admoto: Εὐωδίας τοσαύτης ἀντελαβόμεθα, ὡς λιβανωτοῦ πνέοντος, ἢ ἄλλου τινὸς τῶν τιμίων ἀρωμάτων. Lucianus de Endymione: Ἀναπνεῖ τὸ ἀμβρόσιον. adde Gen. 27. 27.

Ibid. *Optimi consules*] Lib. 6. *Et, quod a me retenta* etc. *non sis, optimi consule.*

Ibid. *Quoad residuis mensibus spatium reliquum compleatur anni*] Apud Achillem Tatium ubi supra: Ἐπένευσεν ἡ γυνή, (dissimulanter, ut hîc Charite,) ἀξιοῖ δὲ etc. ὀλίγην αὐτῇ χαρίσασθαι ἡμερῶν προθεσμίαν. De annuo luctus spatio vide c. 12. de divers. temp. praescript. Cuiacium, et hoc loco Beroaldum.

Ibid. *Quae res, cum meum pudorem, tum etiam tuum salutare commodum respicit*] In Andria Terent. ille: *Si in rem est utrique* etc. ubi Donatus: *Bene, utrique: non alteri utile, alteri inutile.* cur suum *pudorem* dixerit, ex l. 8. 10. et 11. disce: cur *commodi salutaris* meminerit, continuo subiungit. Ovidius, etiam in nuptiarum argumento: *Quamvis properabitis ambo, Differ, habent parvae commoda magna morae.*

Ibid. *Indignatione iusta Manes acerbos mariti ad exitium salutis tuae suscitemus*] Lib. 9. *Certe larva, vel aliquo diro numine immisso violenter eius spiritum expugnari. Acerbos*, ante tempus factos. Virgil. *Funere mersit acerbo.* Servius: *Immature: a pomis translatione facta.* supra hîc hi Manes ipsi: *Acerbae mortis meae casu*, etc.

Ibid. *Nec isto sermone Thrasyllus sobriefactus* etc.] Lib. 9. *Nec isto saltem tam nefario scelere impuratissima illa capita confutari* etc. *potuere. Sobriefactus*, σωφρονισθείς.

Ibid. *Susurros* etc. *invergere*] *Inurguere* recte veteres editiones habent: quibus proxime accedit Oxoniensis Cod. in quo *inarguere* scriptum. Gloss. *Urgues*, ἐπείγει, κατασπεύδει, ἐπίκειται.

Ibid. *Istud equidem certe* etc.] Sic *illud quidem certe* in l. 52. §. 2. ff. ad leg. Aquil.

Ibid. *Deprecanti concedas*] In fragmentis Petronii: *Saltem concede precanti.*

Ibid. *Ut interdum tacite clandestinos coitus obeamus*] sic supra 5. *clandestinos concubitus. furtivos amplexus obire* infra lib. 9. vocat. *Interdum* est *interim:* dum nempe reliquos dies annus metiretur.

Pag. 160. *Prolixe consentit*] Lib. 10. *Prolixe* etc. *pollicetur.*

Ibid. *Noctemque, et opertas exoptat ultro tenebras*] Ex more id genus sectae, et similium lucifugarum disciplina. Prudentius: *Aptamque noctem turpibus Nocturnus adulter fovet.* Horatius: *Nocturnis ab adulteris.* Scholiastes: *Occultis: hoc enim (i. noctis) tempus crimini aptum est. Opertae* (id est, *operientes*) *tenebrae*, sunt quales infra 9. *illunem caliginem* vocat. Proverb. 7. 9. de moecho iuvene: *Graditur in obscuro noctis*, etc. *in tenebris et caligine.* Iob. 24. 15. *Oculus adulteri observat caliginem: dicens, non me videbit oculus:* etc. Theodoretus Serm. 9. de Provident. Μοιχοί, etc. καὶ οἱ τὰ τούτων συγγενῆ μετιέναι τολμῶντες, σκότῳ συνεργῷ κεχρημένοι, ταῦτα ποιεῖν ἐπιχειροῦσι. Statius Achill. *Densa noctis gavisus in umbra Tempestiva suis torpere silentia furtis.* Infra heic lib. 9. *Iamque nocte promota* etc. *amatorem strenuum infert ad usque Dominae cubiculum.* Firmicus 8. 12. de huiusmodi tenebrionibus: *Puellarum concubitus caeca nocte sectantes.*

Ibid. *Opertas* etc. *tenebras*] Quintilianus Declam. 10. ex incantatoris persona: *Opertae arcana mea tenebrae adiuvate.*

Ibid. *Uni potiundi studio postponens omnia*] Terent. 2. 3. Eunuch. *Mea nihil refert, dum potiar modo.* ubi Eugraphius: *Quaelibet causa sit, dummodo ad hoc perveniam, ut possim potiri.* Infra lib. 9. de alio scortatore: *Quidvis facere, quidvis pati paratus.* Plato in Symposio ait, τοὺς τὴν πάνδημον Ἀφροδίτην ἀσπαζομένους ἐρᾶν ὡς ἂν δύνωνται ἀνοητάτων, (melius ἀνοητώτατα,) πρὸς τὸ διαπράξασθαι μόνον βλέποντας. Heliodorus lib. 1. Πόθος ἀκριβής, etc. τῶν μὲν ἔξωθεν προσπιπτόντων ἀλγεινῶν τε καὶ ἡδέων πάντων ὑπερφρονεῖν· πρὸς ἓν δὲ τὸ φιλούμενον καὶ ὁρᾶν καὶ συννεύειν τὸ φρόνημα καταναγκάζει. supra heic lib. 2. *Paratus vel uno suaviolo recreatus, super ignem istum porrectus assari.*

Ibid. *Uni potiundo studio postponens omnia*] Lucilius: *Uno hoc non omnia muto.* Phaedrus. *Nihil respiciens dum dolorem vindicet.*

Ibid. *Quam probe veste contectus, omnique comite viduatus* etc. *fores meas tacitus accedas*] Et statim: *Te* etc. *ad meum perducet cubiculum.* Infra lib. 9. *Iamque nocte promota solum perducit ad domum, probeque capite contectum amatorem strenuum infert adusque Dominae cubiculum.* ad quem locum de adulteris coopertis plura.

Ibid. *Unoque sibilo contentus*] Hieronymus in Hilarionis vita: *Tactu, iocis, nutibus, sibilis, et caeteris huiusmodi, quae solent moriturae virginitatis esse principia.* Tibullus 1. 2. *Reseret modo Delia postes, Et vocet ad digiti me taciturna sonum.* Basilius Hexaem. 7. de vipera muraenae coitum appetente: Συριγμῷ τὴν παρουσίαν σημήνασα. Desumptus mos hic amatoriae, fortasse ex castrensi militia. In fragmentis Sisennae: *Procul sibilus significare Consuli coepit,* etc. Servius ad Aeneid. 9. *Secundum Homerum exploratores quaecunque volunt, plerumque sibilo significant.*

Ibid. *Nutricem* etc. *quae claustris adhaerens, excubabit adventui tuo*] De simili 1. 6. Tibullus: *Haec mihi te adducit tenebris, multoque timore Coniungit nostras clam taciturna manus. Haec foribusque manes noctes affixa, proculque Cognoscit strepitus me veniente pedum.* Pro *claustris* Colvius *clatris*, insulsissime. lib. 3. *Domus ianuas* etc. *evellere gestientes, claustrisque omnibus* etc. *violenter evulsis*, etc. et 7. *Ianuae claustra sedulo exploraverat*, etc. adde l. 17. §. 1. ff. de action. empt. et vend.

Ibid. *Nec sequius aliquid suspicatus*] Lib. 9. *Nec quidquam moratus ac suspicatus* etc. eod. lib. *Ac nihil etiam tunc sequius suspicatus.* Terent. 1. 1. Andriae: *Nihil suspicans etiam mali.*

Ibid. *Sed exspectatione turbidus*] Menander: Πρᾶγμ' ἐστιν ἐπίπονον τὸ προσδοκᾶν. Velleius Paterculus lib. 2. *Difficilis est* etc. *utcunque conceptae spei mora.* Achilles Tatius lib. 4. Οὐ δύναταί τις τρωθεὶς ἀνέχεσθαι. Sallust. Iugurth. *Animo cupienti nihil satis festinatur.* P. Syrus: *Est cupiditati et ipsa tarda celeritas.* Idem: *Etiam celeritas in desiderio mora est.* Firmicus 8. 12. *Puellarum concubitus coeca nocte sectantes, ei nimio impatientiae ardore poscentes.*

Ibid. *De diei spatio, et vesperae mora querebatur*] Tacitus Annal. 2. *Vix diei moram perpessus.* Cassianus 10. 2. de monacho acedia tentato: *Solem, velut ad occasum tardius properantem, crebrius intuetur.* Sensu Appuleiano Ovidius in Epistolis: *Longa mora est omnis nobis quae gaudia differt.* Idem 4. Metamorphos. *Pacta placent, et lux tarde discedere visa est.* Claudianus in de nupt. Honorii et Mariae: *Incusat spes aegra moras, longique videntur Stare dies, et lux tarde discedere visa est.* Heliodorus de Thyami lib. 1. Ὑπὸ τῆς περὶ τὴν Χαρίκλειαν ἐπιθυμίας, καὶ παροῦσαν ὥραν ἀπέραντον χρόνου μῆκος εἰς ὑπέρθεσιν ἡγούμενος. Macrobius Saturnal. 4. 6. *Nascitur praeter haec de nimietate amatorium pathos. Si mihi non haec lux toto iam longior anno est.* Aristaenetus: Ἅπαντα βραδύνειν ἐδόκει τῷ Ἀκοντίῳ· καὶ οὔτε ἡμέραν ἐκείνης (qua Cydippen duxerat) ἐνόμισε μακροτέραν εἶναι, οὔτε νύκτα τῆς ἐκείνης νυκτὸς βραχυτέραν.

Ibid. *Ex imperio Charites adornatus*] *Contextus* sicut Charite praeceperat. at in Fuxensi et Oxoniensi MSS. *Et imperio Charites adortatus, et nutricis capt. vigilia deceptus.* quam prae alterâ scripturam amplectimur.

Ibid. *Irrepit cubiculum, pronus spei*] Hieronymus de simili iuvene in vita Hilarionis: *Venit, praesumptum animo stuprum gerens. Pronus spei* hîc, ut lib. 4. *spei fatigati.* Falsi porro qui *irrumpit* pro *irrepit* reponebant. lib. 9. de simili tenebrione: *Irrepit temerarius adulter.* sic 4. *caveam* etc. *festinus irrepsit.* Cato apud Gellium: *Ibi pro scorto fuit: in cubiculum subreptavit e convivio.*

Ibid. *Quod immixtum vino soporiferum gerebat venenum*] Lib. 7. *Et hercle suspicionem mihi fecit, quasi soporiferum quoddam venenum cantharis immisceret.*

Ibid. *Crebris potionibus* etc. *facile sepelivit ad somnum*] Plautus: *Ut me deponas vino eam affectas viam.*

Ibid. *Sepelivit ad somnum*] Lib. 2. *In profundam quietem sepulto.*

Ibid. *Iamque eo ad omnes iniurias exposito ac supinato*] Sic, *vinctum, omnique patientiae expositum*, Seneca lib. 3. de Ira dixit. bene autem de ebrio, *expositum.* supra lib. 7. *Omnes vino sepulti iacebant, omnes parati morti, et expositi.* Basilius de poculis obruto: Ἕτοιμος παθεῖν τοῖς ἐχθροῖς ὅσα βούλονται. exemplum in Oloferne. bene et *supinato*, quod alieno arbitrio subiectissimum notat. lib. 9. *Nec ille, ut primum humi supinatus est, vel repugnare, vel omnino munire se potuit.* Infra hoc libro: *Supinato illi* etc. *immanem draconem mandentem resistere.*

Ibid. *Introvocata Charite*] Onomast. vetus: *Introvoco*, εἰσκαλέω.

Ibid. *Supersistit sicarium*] Virgilius, non dissimili materia: *Quem Turnus superadsistens, sic ore profatur.*

Ibid. *Masculis animis, impetuque diro*] Lib. 9. *Ardentibus animis, impetuque vesano.*

Ibid. *Fremens invadit*] Colvius, *ferine invadit*, inficete. supra lib. 4. *Gemens ac fremens indignatione.*

Ibid. *Carus mariti*] Lib. 9. *Suam, suorumque*

que carorum salutem adiurans. ubi plura dico. Oxon. *trux maritus.*

Ibid. *Qui meum sanguinem fudit*] Mariti mei. lib. 4. Psyche ad parentes: *Quid spiritum vestrum, qui magis meus est* etc. *fatigatis?*

Ibid. *Quod fraudulentas ambages in meum concinnavit exitium*] Lib. 9. *Scaenas fraudulentas in exitium mariti subdolis ambagibus construebat.* de voce *concinnare* supra pag. [hui. Ed. 291, a.] dixi.

Ibid. *Oculi isti quibus male placui*] Quibus dum placerem, male fecisse videor mihi. *plus iusto placui*, Horatius diceret: Beroaldus locutionem non intellexit. Hippolitus apud Senecam: *Sum nocens, merui mori, Placui novercae.* Seneca alter consol. ad Marciam cap. 24. *Nullius spei se praebuit, et cum quarundam usque ad tentandum pervenisset improbitas, erubuit, quasi peccasset quod placuerat.*

Ibid. *Qui quodammodo iam futuras tenebras auspicantes*] Scriptor Sapientiae 17. 20. de Aegyptiis: Ἐκείνοις ἐπέτατο βαρεῖα νύξ, εἰκὼν τοῦ μέλλοντος αὐτοὺς διαδέχεσθαι σκότους. Cyprianus in de hab. virg. *Audaci conatu crines tuos inficis: malo praesagio futurorum capillos iam tibi flammeos auspicaris.* ex quibus forsan desumpta haec Hieronymi: *Nec caput* (filiolae tuae) *gemmis oneres, nec capillum irrufes, et ei aliquid de gehennae ignibus auspiceris.*

Ibid. *Quiesce secure*] Iudic. 18. 27. *Veneruntque in Lais, ad populum quiescentem et securum.*

Ibid. *Quiesce secure*, etc. *non ego te gladio, non ferro petam*] Infra lib. 9. ille: *Nihil triste de me tibi fili metuas: non sum Barbarus, nec agresti morum squalore praeditus: nec ad exemplum maechae truculentae sulphuris te lethali fumo necabo.*

Pag. 161. *Vivo tibi morientur oculi*] Seneca Suasor. 7. *Vives, sed eruentur oculi tibi.* Donatus ad Terentii Eunuchum: *In oculos maxime saevire foeminas, et Tragoediae omnes et Comoediae protestantur.* at hic de causa adaequata oculi excaecati. Terent. 3. 2. Adelph. *Adolescenti ipsi eriperem oculos.* ubi Donatus: *Bene oculos amoris indices* (malim *illices* scribi) *et flagitii adiutores. Morientur* hic, ut apud Euripidem, ὀμμάτων φόνος. Philo in de Princip. creat. Ὀφθαλμοὶ μὴ βλέποντες, νεκροί.

Ibid. *Faxo feliciorem necem inimici tui quam vitam tuam sentias*] Sirachides 30. 17. Κρείσσων θάνατος ὑπέρ ζωὴν πικρὰν. Saxo Grammaticus lib. 6. *Cavendum duxerat, ne clarissimas manus turpissimi ciniflonis exitio commodaret: improbi amoris faces gravius ignominia quam morte multatas existimans; ita a quibusdam calamitosus exstincto punitior existimatur.* In veteri Onomast. *Faxo*, ποιήσω.

Ibid. *Manu comitis indigebis*] χειραγωγοῦ. vide, si videbitur, non iniucunda ad Act. 13. 11. adnotata.

Ibid. *Lumen certe non videbis*] Tobias ad Angelum Raphaëlem 5. 12. *In tenebris sedeo, et lumen coeli non video.* Ibid. 11. 8. *Aperientur oculi eius, et videbit pater tuus lumen coeli.* Artemidorus lib. 5. de coeco: Τὸ φῶς οὐκ ἔβλεπε.

Ibid. *Charitem non tenebis*] *Tenebis* proprie dictum. lib. 6. *Puellam elegit*, etc. *teneat*, etc. ad quem locum pag. [hui. Ed. 268, b.] notata confer.

Ibid. *Nec mortis quiete recreaberis, nec vitae voluptate laetaberis*] Apud Quintilianum ille Declam. 12. *Sic tabuimus, ut* etc. *nec vivos habeamus, nec mortuos.* Optatus Milevitanus de Corah et sociis eius: *Ne beneficium de mortis compendio consequi viderentur, dum non essent digni vivere, nec mori iis concessum est.* Tacitus (at proposito diverso) de Poppaea, Annal. 14. *Malorum praesagio iam a vivis exempta, nondum tamen morte acquiescebat.* scribe, *e vivis*, et, *morte quiescebat.* De *mortis quiete* supra pag. [hui. Ed. 190, b.] dixi.

Ibid. *Incertum simulacrum errabis inter Orcum et Solem*] Seneca Controvers. 3. 5. *Nihil est miserius quam incertum inter vitam mortemque destitui.* Theseus in eiusdem Hippolito: *Ambiguus ut me sortis ignotae labor, Detinuit inter mortis et vitae mala.* Idem Controvers. 1. 3. *Inter Superos Inferosque iactata, in novam poenam revixisti.* Mirifice autem Appuleii locum illustrant Artemidori ista: Ἔδοξέ τις λέγειν τινὰ ἑαυτῷ, ἀποθανεῖν μὴ φοβοῦ, ζῆν δὲ οὐ δύνασαι· τυφλὸς ἐγένετο· ὀρθῶς, καὶ κατὰ λόγον ἀποβάντος αὐτῷ τοῦ τοιούτου· οὐκ ἐτεθνήκει γὰρ, παρόσον ἔζη· οὐκ ἔζη δὲ, παρόσον τὸ φῶς οὐκ ἔβλεπε. lib. 5. §. 78.

Ibid. *Quodque est in aerumna miserrimum, nescies de quo queraris*] Seneca Agamemnone: *Nec hoc levamen denique aerumnis datum est, Videre saltem et nosse quo pereas malo.* Guntherus lib. 10. *Vehementibus ora sagittis Figuntur: neque scire licet, neque cernere fas est Vulneris auctorem.*

Ibid. *Sed quid mora temporis dignum cruciatum lucraris?*] Claudianus 9. *Dum mora supplicii lucro est.* Statius: *Quonam usque moram lucrabere fati?* sic, *tormenta imminentia lucrari*, lib. 3. apud Victorem Uticensem: et *lucrum suppliciorum captare*, 3. 17. apud Egesippum. De voce *lucrari* hoc sensu posita ad Act. 27. 21. dixi.

Ibid. *Et meos forsitan* etc. *imaginaris amplexus?*] Lucretius 4. *Et cui quisque fere studio devinctus adhaeret, Aut quibus in rebus multum sumus ante morati: Atque in qua ratione fuit* con-

contenta magis mens, *In somnis eadem plerumque videmur obire.* In versiculis Catonis dictis: *Mens humana quod optat*, *Dum vigilans sperat*, *per somnum cernit id ipsum.* In veteri Mimo: *Amans*, *quod suspicatur vigilans*, *somniat.* et in Veterum Poëtarum Catalectis: *Vidi ego me tecum falsa sub imagine somni.* Servius ad 2. Eclog. *Epicurei dicunt* (*quod etiam Cicero tractat*) *geminam esse voluptatem: unam quae percipitur*, *alteram imaginariam: eam scilicet quae nascitur ex cogitatione.* Macrobius Somn. Scip. I. 3. ἐνυπνίων unam esse speciem ait, *cum cura animi qualis vigilantem fatigaverat*, *talem se dormienti ingerit. ut*, *si amator deliciis suis fruentem se videat*, etc. Scholiastes vetus Horatii ad Serm. 2. *Solent homines quod cupiunt per somnium videre.* Hegesippus 2. 2. de Glaphyra: *In somnis Alexandrum vidit*, *et complecti desideravit.*

Ibid. *Ad aliam poenalem caliginem evigila*] Caliginem caecitatis. Apud Senecam Quintiliani 2. 9. ille: *Non video*, *nox oboritur*, *et crassa caligo.*

Ibid. *Vacuam faciem*] Oculis vacuam. Iocasta ad iam coecum Oedipum: *Quo avertis faciem vacuosque vultus?* Pollux 2. 4. Τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐξορύττειν, κοιλαίνειν, ΚΕΝΟΥΝ.

Ibid. *Aerumnas computa*] Lib. 6. *Quin et ceteras eius aerumnas* etc. *numerate.*

Ibid. *Ultrices habebis pronubas*] Oxon. Fuxensis, et Palat. MSS. *praevias:* P. Fabro approbante. ego *pronubas* (quod Vicentina aliaeque veteres editiones praeferunt) non puto reiiciendum. Ovidius in Epistolis: *Pronuba Tisyphone thalamis ululavit in illis*, *Et cecinit moestum devia carmen avis.* Seneca Oedip. *Et mecum Erynnes pronubas thalami traham.*

Ibid. *Sic faces nuptiales tuos illuminarunt thalamos*] Ovid. ubi supra: *Affuit Alecto brevibus torquata colubris*, *Suntque sepulchrali lumina mota face.*

Ibid. *Perpetuae conscientiae stimulum*] Melius *perpetuam* legas, nisi enallagen malueris.

Ibid. *Ad hunc modum vaticinata mulier*, etc.] Lib. 11. *Ad hunc modum vaticinatus sacerdos.* et 6. *Sic turris illa* etc. *vaticinationis munus explevit.*

Ibid. *Acu crinali* etc. *Thrasylli tota convulnerat lumina*] Terentii 4. 3. Eunuch. *Ut ego* etc. *in oculos involem venefico.* Donatus: *In oculos*, *quasi amatori.* Idem ibidem ad Sc. 6. *In oculos maxime saevire foeminas et Tragoediae fere omnes et Comoediae protestantur.* Propertius: *Praecipueque oculos qui meruere ferit. Acus crinalis* autem non infrequens mulierum saevientium adiumentum. Philostratus de zelotypa quadam: Ἐπιστᾶσα τῇ εὐνῇ, τῆς μὲν ἄμφω, τοῦ δὲ ἕτερον τῶν ὀφθαλμῶν ἐξέκοψεν, ἐναράξασα ταῖς περόναις. quibus adde quae e Hieronymo et Petronio iam alii adduxerunt.

Ibid. *Acu crinali*] Isidorus Orig. 19. 31. *Acus sunt*, *quibus in foeminis ornandorum crinium compago retinetur*, *ne laxius fluant*, etc. scribe, *ornatorum crinium*, ex his Hieronymi in Esaiam: *Habent acus mulieres*, *quibus ornatorum crinium compago retinetur*, *ne latius fluat*, etc. vicissim in Hieronymo *laxius*, non *latius* scribe. Noster supra 2. *In effusum laxa crinem.*

Ibid. *Dolore nescio*] Dolore cuius efficientem causam nescivit. supra: *Quodque est in aerumna miserrimum*, *nescies de quo queraris.* vide 9. 12. A. Gellium: cuius obiter perturbatissimum locum sic ordina: *Nescius quoque dicitur tam is qui nescitur*, *quam qui nescit. Plautus in Rudente. Quae in locis nesciis nescia spe sumus. Sed super eo qui nescit* etc.

Ibid. *Arrepto nudo gladio* etc. *per mediam civitatem cursu furioso proripit se*] Apud Petronium: *Haec locutus*, *gladio latus cingor* etc. *mox in publicum prosilio*, *furentisque more omnes porticus prosilio.*

Ibid. *Proculdubio nescio quod scelus gestiens*] *In vultu pignora mentis habens.* Progne apud Ovidium 6. Metamorph. *Magnum est quodcunque paravi*, *Quid sit adhuc dubito.* Heliodorus lib. 5. Δῆλος ἦν ἀπὸ τοῦ βλέμματος ἐμμανές τι διανοούμενος.

Ibid. *Monumentum mariti contendit*] Repone ex cod. Fulviano, *Recta monumentum m. contendit.* infra lib. 11. *Et recta patrium Larem* etc. *contendo.* In vetere Onomastico: *Recta*, τὴν εὐθεῖαν.

Ibid. *Nudatis totis aedibus*] Basilius Homil. in Gordium Martyrem: Ἐξέλειπον τὰς φυλακὰς τῶν οἴκων οἱ φύλακες, ἄκλειστα ἦν τῶν ἐμπόρων τὰ ἐργαστήρια.

Pag. 162. *Gladioque fulgenti singulos abigens* etc.] Excerpta Diodori Siculi de Aquilio quodam (ut heic Charite) sibi mortem illaturo: Τοὺς ἐπ' αὐτὸν ὁρμῶντας ἐποίησε μὴ τολμῆσαι πλησίον αὐτοῦ προσελθεῖν. *Fulgentem gladium* Noster, Virgilium imitatus dixit. *Abigere gladio* autem etiam apud Ulpianum est Tit. *de Abigeis.*

Ibid. *Abiicite importunas lacrymas*] *Muliebres tollite luctus: Flete alios*, *mea mors lacrymis non indiget ullis.*

Ibid. *Vindicavi mei mariti cruentum percussorem*] Laetabunde, ut solent qui plenarie litatum suis iniuriis credunt. Apud Quintilianum 3. Declam. ille: *Percussi* etc. *occidi*, *hausi sanguinem noxium ultrice dextra.* Ibidem 5. *Erige vultus pater*, etc. *vindicati de saevissimis praedonibus sumus. Vindicavi in mei* autem, non, ut hactenus in excusis, legendum. supra lib. 1. *Statutum est ut in eam* etc. *saxorum iaculationibus*

nibus vindicaretur. lib. 2. *Extremum facinus in nefariam scelestamque istam foeminam vindicate.* lib. 3. *Constanter ferte sententias de eo crimine quod etiam in civem vestrum* etc. *vindicaretis.* et 1. Florid. *Haud secus in eum quam in sacrilegum vindicaretur.* Iul. Paulus Sentent. 5. 23. *In honestiores poena capitis vindicari placuit.*

Ibid. *Punita sum funestum mearum nuptiarum praedonem*] Quintil. 9. 3. *Est et in verbis: (figura) ut, fabricatus est gladium: et, inimicos punitus est: quod mirum minus est, quod in natura verborum, est et quae facimus patiendi modo saepe dicere: et contra, faciendi, quae patimur: ut, vapulo: ideoque frequens permutatio est, et pleraque utroque modo efferuntur. Nuptiarum praedo* hic, ut apud Petronium, *corporis praedator.*

Ibid. *Iam tempus ut isto gladio deorsus ad meum Tlepolemum viam quaeram*] Theagenes apud Heliodorum ad Charicliam suam, quam crediderat interfectam: Ἀπολείψῃ με μικρὸν ὕστερον, ἰδοὺ γάρ σοι χοὰς ἐπάξω τὰς ἐμαυτοῦ σφαγάς. Appuleius hunc locum e Virgilio sumpsit, apud quem sic Dido: *Et nunc magna mei sub terras ibit imago.* et statim: *Ulta virum, poenas inimico a fratre recepi. Iam tempus* etc. cum luce transigentium sermo. Seneca (3. 23. de Benef.) de C. Vettio captivo: *Gladium militi ipsi a quo trahebatur eduxit: et primum Dominum occidit: deinde, Tempus est (inquit) me et mihi consulere, iam Dominum manumisi: atque ita se uno ictu transiecit.*

Ibid. *Et enarratis ordine singulis* etc.] Vide supra pag. [hui. Ed. 221, a.] notata.

Ibid. *Ferro sub papillam dextram transadacto* etc.] Ovid. *Ferro per pectus adacto.* Per dextram (inquit) papillam transadacto. ita supra hoc libro: *Per femur dextrum (ei) lanceam immisit.* at cum per mammam sinistram ad Orcum sit paratior via, quid mali est credere *dextra* Appuleium scripsisse, sinistramque *papillae* nomine ἐξόχως intellexisse? Paterculus lib. 2. de M. Bruto: *Cum mucronem gladii eius (Stratonis) dextra tenens sinistrae admovisset papillae, ad eum ipsum locum qua cor emicat impellens,* etc. *uno ictu transfixus exspiravit.*

Ibid. *Corruit*] Supra, de eadem ista: *Corruit corpus, et obnubilavit animam.*

Ibid. *In suo sibi pervoluta sanguine*] Vide supra pag. [hui. Ed. 196, a.] adnotata. In Fuxensi et Florent. MSS. *pervolutata.*

Ibid. *Balbutiens incerto sermone*] Ut solent animam efflaturi. supra lib. 1. *Cum ille impetu teli praesecata gula,* etc. *incertum stridorem per vulnus effunderet.* ad quem locum pag. [hui. Ed. 153, b. seq.] notata vide. lex 15. Cod. de Testam. etc. *linguam seminecem* vocat.

Ibid. *Pereflavit virilem animam*] Ovidius de alia sui interfectrice, Lucretia: *Fertur in exequias animi matrona virilis.* In Oxon. *perflavit:* unde non male *proflavit* scribas.

Ibid. *Corpus ablutum, unita sepultura ibidem marito perpetuam coniugem reddidere*] Antiquae editiones, ut et Oxon. Codex, *munita.* quod est qui (Roald.) conatur adstruere ex his veteris monumenti; *Structura cum munitura sarcophagi* etc. ego Lipsii (a quo *unita*) et sequor et coniecturam munio. Tobias ad filium de uxore sua: Ὅταν ἀποθάνῃ, θάψον αὐτὴν παρ' ἐμοὶ ἐν ἑνὶ τάφῳ. vide et Iudith. 16. 28. Amator de amasio suo apud Lucianum: Τελευταίως δὲ ἐντολὰς τοῖς μετ' ἐκεῖνον ὑπ' ἐμοῦ στεργομένοις ἐπιθήσομαι, κοινὸν ἀμφοτέροις ἐπιχῶσαι τάφον· ὀστέοις δὲ ἀναμίξαντες ὀστέα, μηδὲ τὴν κωφὴν κόνιν ἀπ' ἀλλήλων διακρίναι. quibus adde quae apud Euripidem Admetus ad Alcestidem, et hoc loco ab Elmenhorstio allata. De ablutione cadaverum iam heic alii dixerunt. quaedam et ad Act. 9. nos adnotasse meminimus.

Ibid. *Sponte delatus*] Gloss. Τῇ ἰδίᾳ προαιρέσει, *sponte, ultro.*

Ibid. *Ultronea vobis infesti Manes en adest victima*] Excerpta Diod. Siculi, de Adrasto, quamvis involuntario homicida: Κατ' ἰδίαν ἐπὶ τὸν Ἄτυος (id interfecto nomen) πορευθεὶς τάφον, ἑαυτὸν κατέσφαξε.

Ibid. *Ultronea* etc. *victima*] De bove Iulius Obsequens: *Iniussa de montibus per hostium classem adnatavit, seque ad aram percutiendam obtulit.*

Ibid. *Valvis super se diligenter obseratis* etc.] *Conspectum lucis fugiens, tenebrisque pudorem Celans.*

Ibid. *Valvis* etc. *obseratis, inedia statuit elidere* etc. *spiritum*] Supra heic de Charite: *Inedia* etc. *tenebris imis abscondita, iam cum luce transegerat.* Seneca (ad Marc. cap. 22.) de Cordo hoc idem genus mortis adsciscente: *Lumen omne praecludi iussit, et in tenebras se condidit.* Curtius de Sisigambi, Alexandro mortuo: *Abstinuit cibo pariter et luce.* adde supra pag. [hui. Ed. 237, b.] notata. Tertullianus de Lycurgo: *Ut in secessu inedia de semetipso iudicavit.*

Ibid. *Sua sententia damnatum spiritum*] In l. 1. ff. de confess. *Qui quodammodo suâ sententia damnatur.* Philotas apud Q. Curtium: *Memet ipse non deseram, nec committam ut damnatus etiam mea sententia videar.* In vetere Inscriptione: *Inferno Plotoni, tricorpori oxori cariss. Tricipitique Cerbero munus meum ferens, damnatam dedo animam, vivamque me hoc condo monimento,* etc.

Ibid. *Longos trahens spiritus*] *Fatigatos anhelitus trahens;* ut infra 11. Gellius 12. 5. *Spiri-*

ritusque et anhelitus e pectore eius evadere. vide supra pag. [hui. Ed. 148, b.] notata. Horatius: *Et latere Petitus imo spiritus.*

Ibid. *Pervolat quicquid in casula pretiosum conditum, meo* etc.] In aliis *conditum pervolat:* at nec sic constructio procedit. repone ex Oxon. MS. *Quicquid in casula pretiosum conditumque servabat, meo* etc. vel, melius adhuc ex Vicentina editione, *conditum servabat.*

Pag. 163. *Infantulos* etc. *et quicquid infirmo gradu fugam morabatur,* etc.] Quod praecipue infantuli solent. vide Matth. 24. 19. Virgilius de Iulo, iam capta Troia: *Sequiturque patrem non passibus aequis.* vide et Genes. 33. 14. Iudic. 18. 21. *Fugam morari* supra etiam lib. 4. dixit.

Ibid. *Nostris quoque pedibus ambulabat*] Plinius: *Alienis pedibus ambulamus.* supra lib. 6. *Quid meis pedibus facere contendis?* ubi dicta pag. [hui. Ed. 272, b.] vide.

Ibid. *Iam vespera semitam tenebrante*] Ex Nostro lib. 25. Ammianus: *Vespera tenebrante, a caena Iovianus raptus.*

Ibid. *Reposita camporum ad spatia pervecti*] Oxoniensis, et alius MS. *camporum spatia.* τῷ *ad* extrito.

Ibid. *Unde nos incolae nocturna, imo vero matutina etiam prohibebant egressione*] Oxoniensis: *Nocturnam, imo vero matutinam e. p. egressionem.* quam loquendi figuram Graecam nemo humanior respuerit. Sed et quarto et sexto casui iungi docet Servius ad 2. Aeneid.

Ibid. *Vastis corporibus sarcinosos*] Male Colvius *carnivoros.* supra 4. *Ursam, quae ceteris sarcina corporis praevalebat,* etc. sic, *pabuli sarcinam,* in de Dogm. Platonis dixit.

Ibid. *Iamque ipsas vias obsidere*] Plinius Panaegyrico: *Nec mediocre pacis decus habebatur submota campis irruptio ferarum, et obsidione quadam liberatus agrestium labor.*

Ibid. *Et in modum latronum praetereuntes aggredi*] Iudic. 9. 25. de Sichemitis latronibus: Ἀνήρπαζον πάντας τοὺς διαπορευομένους ἐν τῇ ὁδῷ.

Ibid. *Exitiumque inertissimarum pecudum ipsis iam humanis capitibus imminere*] Ita 9. de cane rabida: *Ac dehinc proximum petiisse stabulum, atque ibi pleraque iumenta* etc. *incurrisse: nec postremum saltem ipsis hominibus pepercisse. Inertissimae pecudes* heic, ut in Apologia, *segnissima corpora,* de eodem genere animalium.

Ibid. *Exitiumque* etc. *pecudum*] Seneca cap. 17. consol. ad Marciam, de Dionysio Siculo: *Libertatis, iustitiae, legum exitium.*

Ibid. *Suisque visceribus nudatis ossibus cuncta candere*] *Campos sub clade latere.* Imperator Claudius apud Trebell. Pollionem: *Campi ossibus latent tecti.* Plinius 2. 3. de Terra loquens: *Quamque sanguine nostro irrigamus, insepultis ossibus tegimus. Visceribus suis nudatis ossibus,* ut apud Zenonem Veronensem: *Ubique dispersi, ubique deperditi: semesis ossibus etiam, suis carnibus nudis.* et Agathiam lib. 2. Γυμνὰ δὲ τὰ ὀστᾶ πύθεται σποράδην ἀνὰ τὰ πεδία περιεῤῥιμμένα. et infra hoc ipso libro, *ossa pulpis viduata. Candere ossibus cuncta,* proverbiale est. Virgilius de Sirenum scopulis: *Multorumque ossibus albos.* Idem 12. *Campique ingentes ossibus albent.* Ammian. lib. 31. *Campos ossibus albentes.* Seneca Oedip. *Et albis ossibus sparsum solum.* Horat. *Albis informem spectabunt ossibus agrum.* Tacitus Annal. 1. *Medio campi albentia ossa, ut fugerant, ut restiterant, disiecta vel aggregata.*

Ibid. *Et die iam provecto*] Avienus Periegesi: *Vix evecta dies illuminat.* ubi malim *provecta* scribi. sic supra *provectam noctem* 2. lib. habuimus.

Ibid. *Dirarum bestiarum* etc.] Luporum. Aeneid. 8. *Dirarum nidis domus opportuna volucrum.* ubi Servius: *Dirarum, non nunc mali ominis dicit, ut sunt bubones: sed quae humanis cadaveribus vescebantur.* ad mentem Auctoris nostri illustrandam appositissime.

Ibid. *Cuneatim stipato commeatu difficultates illas transabiremus*] Ammianus lib. 24. de asinis agrestibus: *Ideo simul incedentes, ut constipatione densa feroces leonum frustrarentur assultus.* In vetere Onomastico: *Cuneatim,* κατὰ στίφη. Glossae: *Stipata cohors;* συνελθὸν τάγμα. et in aliis: Κούνιον, τὸ σύστημα, *cuneum. Densi cuneis se quisque coactis Agglomerant.* qui locus e Virgilio desumptus.

Ibid. *Et metu incertae insecutionis*] De qua, an superventura esset, incerti erant. sic infra 9. *incertam venditionem* dixit.

Ibid. *Circa tertiam ferme vigiliam noctis* etc.] Lib. 1. *Circa tertiam ferme vigiliam paululum conniveo.*

Pag. 164. *Quam potui, turbae medius* etc.] Virgilius: *Ipse agmine Pallas In medio.* ubi Servius: *Hic mos fuit, ut tirones ponerentur in medio, et ambirent viri fortes exercitum.*

Ibid. *Sed illa pernicitas non erat alacritatis meae, sed formidinis indicium*] Firmicus in de error. prof. relig. *Facta ex ipso timore velocior.* supra hic lib. 6. *Timor mihi ungulas alas fecerat.*

Ibid. *Pegasum inclytum illum metu magis volaticum fuisse*] Nicetas Choniates in Isaacio Angelo, de fugiente Branae Alexii exercitu: Τὴν τῶν πολεμίων ἐπιδίωξιν δεδιττόμενοι, ηὔχοντο τοὺς (αὐτῶν) ἵππους μὴ ποσὶ κόπτειν τὸ ἔδαφος, ἀλλ' ἵπτασθαι κατὰ Πήγασον.

Ibid. *Dum in altum, et adusque coelum subsilit ac resultat, formidans scilicet igniferae*

morsum Chimerae] Ut primum haec legi, imaginem horum versiculorum concepi: *Scilicet ignif erae morsum timet ille Chimerae, Indeque ad extremum subsilit usque polum.* qui, ut nescio an sint Ovidii, ita hoc et scio et profiteor, ad marginem eos Oxon. Codicis totidem verbis me appictos invenisse.

Ibid. *Pastores qui nos agebant, in speciem praelii manus obarmaverant. hic lanceam, ille venabulum*, etc.] Diodorus de Siculorum divitum pastoribus (in Excerptis): Περιφέροντες ῥόπαλα καὶ λόγχας, καὶ καλαύροπας, etc. καταπληκτικὴν εἶχον τὴν πρόσψιν, καὶ πολεμικῶν ἔργων οὐ πόῤῥω κειμένην.

Ibid. *Hic lanceam, ille venabulum* etc.] Supra hîc: *Cape venabulum, et ego sumo lanceam.* et 9. *Me lanceis illis et venabulis* etc. *compilassent*, etc.

Ibid. *Salebrosa semita*] Glossae: *Salebrae*, ἐν ταῖς ὁδοῖς ἀνωμαλίαι, καὶ βόθυνοι. Onomasticon vetus: *Salebrae*, ἐκρήγματα.

Ibid. *Erant qui sudes praeacutas attollerent*] Sallustius de parte quadam exercitus Catilinae: *Ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas: alii praeacutas sudes portabant.* Virgilius: *Hic torre armatus obusto, Stipitis hic gravidi nodis.* Idem 7. *Non iam certamine agresti Stipitibus agitur duris, sudibusve perustis.*

Ibid. *Nec quidquam praeter unicam tubam deerat, quin acies esset proeliaris*] Ammianus lib. 28. *Cum haec eadem numerantes notarii prope triginta assistant, cum thecis et pugillaribus tabulis, ut deesse solus magister ludi literarii videretur.*

Ibid. *Nequidquam frustra* etc.] Delerunt quidam posteriorem hanc, ut prioris vocis interpretamentum. quin potius copulam interposuerunt? Catullus: *Rufe, mihi frustra ac nequidquam cognite amice.* at nil expungi debet. amat Scriptori hic (ut supra lib. 1. monui) adverbia duo ponere, nullo ligamento adnexa. Glossarium: Μάτην, *frustra, nequicquam, cassum.* videtur *incassum* legendum.

Ibid. *Confertae iuventutis* etc.] Servius ad Aeneid. 2. *Iuventus enunciatione singulare est, intellectu plurale.* Idem ad 4. Aeneid. *Iuventa, Dea illius aetatis est: iuventus, iuvenum multitudo*.

Ibid. *Lupi* etc. *nulli contra nos aditum tulerunt*] Plautus Capt. *Quasi lupus esuriens, metui ne in me faceret impetum.*

Ibid. *Satis agentes* etc. *eximieque trepidi*] Glossarium: Ἀγωνιῶ, *satago, trepido.* Supra lib. 1. *Trepidans, et eximie metuens mihi.*

Ibid. *Villae coloni* etc. *canes rabidos et immanes* etc. *quos ad tutelae praesidia curiose fuerant alumnati* etc.] In l. 44. ff. de acquir. rer. domin. *Cum pastori meo lupi porcos eriperent, hos vicinae villae colonus cum robustis canibus et fortibus, quos pecoris sui gratia pascebat, consectatus, lupis eripuit*, etc. Philo in de Plantat. Noachi: Τοῦ ἀνθρώπου κτήματα φρουροὺς ἔχει καὶ φύλακας ἀγριωτάτους θῆρας, εἰς τὴν τῶν ἐπιόντων καὶ κατατρεχόντων ἄμυναν. *Immanes canes*, ut apud Ennium, *Immane' canes ut. Immanes* hîc ad mensuram corporis, non animi feritatem refer. ita vocem eam et ἀγρίους et μεγίστους Glossarium exponit.

Ibid. *Quibusvis lupis et ursis saeviores*] Solinus cap. 20. *Apud hos populos nati canes, omnibus feris anteponuntur: frangunt tauros, leones perimunt.* vide supra pag. [hui. Ed. 214, a.] notata.

Ibid. *Ursis saeviores*] Iuvenalis: *Saevis inter se convenit ursis.* Ammianus lib. 24. *Ursos ultra omnem rabiem saevientes.*

Ibid. *Iubilationibus solitis*, etc. *nobis inhortantur*] *Notae vocis hortatu cient.* Aristoph. Equit. Ἵνα γινώσκῃς τὸν τιθασευτὴν, καὶ ᾄδ' ὅταν οὗτος γ' ἐπισίζῃ Ἐπὶ τῶν ἐχθρῶν τιν' ἐπιῤῥύξας, ἀγρίως αὐτοῖς ἐπιπηδᾷς. Hesychius: Ἐπιῤῥύξειν· κύνας ἐπαφιέναι, καὶ παρορμᾷν. Infra lib. 9. *Canes pastoricios, villaticos, feros atque immanes* etc. *laxari, atque in eorum exitium inhortatos immitti praecipit.* supra lib. 4. *Conclamant canes, utque ad me laniandum* etc. *ferrent impetum, cohortantur.* In vet. Onomast. *Hortatus*, ἐγκέλευσις. Proprie etiam de rusticis, *iubilari.* Gloss. Κραυγὴ ἀγροίκων, *eiulatio, iubilatio.* vide et Festum Pompeium. In eodem Glossario: Ἐξαλαπίζω, *exclamo.* fortasse ἐξαλαλάζω scribendum. In alio Glossario: Ἀλαλαγμὸς, *iubilatio*, etc.

Ibid. *Undique* etc. *circumfusi*] Virgilianum est: *Undique visendi studio Romana iuventus Circumfusa ruit.* Aeneid. 2.

Pag. 165. *Sine ullo delectu* etc.] Lib. 4. *Sine ullo ciborum delectu.*

Ibid. *Cerneres non tam hercule memorandum quam miserandum spectaculum: canes copiosos ardentibus animis alios fugientes arripere, alios stantibus inhaerere, et per omnem nostrum commeatum morsibus ambulare*] Fortasse ex his Taciti in Agricolae vitâ: *Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum: sequi, vulnerare, capere: atque eosdem oblatis aliis trucidare.*

Ibid. *Alios fugientes arripere*] De aliis canibus infra lib. 9. *Latratibus absonis horribiles, eunt in homines*, etc. *nec fugientibus saltem compescunt.* quo loco plura.

Ibid. *Alios stantibus inhaerere*] Ovidius: *Haesuros cerno per ossa canes.* Infra heic de formicis, *morsiunculis inhaerentes.*

Ibid. *Per omnem nostrum commeatum morsibus ambulare*] Supra lib. 3. *Per totam domum caedes ambulet.*

Ibid. *Ecce tanto periculo malum maius insequitur*] Virgilius: *Ilis alind maius Iuturna adiungit.*

Ibid. *Rusticani illi*] Onomast. vetus: *Rusticanus*, ἀγροῖκος.

Ibid. *Ut discernere prorsus nequiremus quam potissimum caveremus cladem*] In Andria Terent. 2. 6. *Quem (inquam) ad coenam vocabo meorum aequalium Potissimum?* ubi Donatus: *Aequalium aetate, potissimum dignitate.* vel ex isto Appuleii loco quam fallat vides: addemus tamen et alium ex Aemilii Probi Hannibale: *Cum quid potissimum vitarent, non viderent*, etc. *Quam* hîc pro *utram*: vide ad Matthaeum pag. 98. et 185. dicta.

Ibid. *Cominus canum, an eminus lapidum*] Scythae apud Q. Curtium, ad Alexandrum: *Inimicos sagitta eminus, hasta cominus petimus.* vide pag. 4. ad Apologiam notata.

Ibid. *Quae dorsum meum residebat*] Isidorus Orig. 12. 1. *Asinus et asellus a sedendo dictus, quasi assedus: sed hoc nomen (quod equis magis conveniebat) ideo hoc animal sumpsit, quia priusquam equos caperent homines, huic praesidere* (lege *residere*) *coeperunt. Residere* et tertiae et quartae inflexioni Appuleius iungit: priori saepius, posteriori et hîc, et 10. *Consueta loca residentibus.* et ibidem: *Me* etc. *residens*, etc. *comissimis sermonibus affatur.*

Ibid. *Quo dolore commota*] Infra hîc: *Quo dolore* etc. *instincta.*

Ibid. *Fletu cum clamore sublato, maritum suum pastorem illum suppetiatum ciet*] Lib. 9. *Atque ut eius lethalem ululatum cognovere ceteri fratres, adcurrunt moesti suppetias.*

Ibid. *Fletu cum clamore sublato*] Infra lib. 9. *Sublato flebili clamore.* Seneca Troade: *Et vos flebilis clamor movet, Furorque cassus foeminae?*

Ibid. *Fidem Deûm clamitans*] Lib. 9. *Recipit* etc. *fidem Deûm boantem Dominum.* Iuvenalis: *Nos hominum Divûmque fidem clamore ciemus.*

Ibid. *Cruorem uxoris abstergens*] Gellius 5. 14. *Detersi cruorem.* infra hîc lib. 9. *Prolatum capite sanguinem detergens.*

Ibid. *Miseros homines, et laboriosos viatores*] Firmicus 8. 29. *Faciet viatores*, etc. *qui omnis laboris onere praegravati, vitam miseram ducant.*

Ibid. *At non speluncas ferarum, vel cautes incolitis Barbarorum*] Seneca Thyeste: *Tale quis vidit nefas? Quis inhospitalis Caucasi rupem asperam Heniochus habitans?* Pollux 9. 4. Θηρίων μᾶλλον ἢ ἀνθρώπων πόλις.

Ibid. *Ut humano sanguine profuso gaudeatis*] Firmicus 6. 31. *Homicidam, latronem, et humano semper cruore perfusum.*

Ibid. *Lapidum* etc. *imber*] Phocas in Virgilii vita: *Nocturnum furem saxeus imber habet.* De Stephano Prudentius: *Per imbrem saxeum Coelos apertos intuens.* De eodem Gregorius Nyssenus: Ταῖς τῶν λίθων νιφάσι καταχωννύμενος. Χερμάδων ἐπομβρίας apud Licophronem habemus. Lucianus Timone: Πλείστους λίθους ξυμφορήσας, ἐπεγχαλαζῶ etc. αὐτούς.

Ibid. *De summo cupressus cacumine*] Lib. 5. *Involavit proximam cupressum, deque eius alto cacumine sic eam* etc. *affatur.* Florid. 4. *In quadam proxima quercu, in summo eius cacumine* etc. *sedit.*

Ibid. *De vestris protelamus manibus*] Onomast. vetus: *Protelo*, ἀπείργω. Sisenna in Histor. fragm. *Romanos impetu suo protelant.* et quia Sisennam citavimus, aliquantillum de eo boni mereamur. In omnibus libris editis ita apud Gellium 12, 15. loquitur.: *Nos una aestate in Asia et Graecia gesta idcirco literis continentia* (lege *continenter*) *mandavimus, ne velitatim et saltuatim scribendo lectorum animos impediremus.* Ita excusi omnes, dico in ea parte quam nos graviter corruptam restituemus: in nonnullis enim alium verborum ordinem esse, et *vellicatim*, non *velitatim* scribi nequaquam ignoramus. Est autem pars affecta, pars prima, quam hoc modo sanamus: *Nos non una aestate* etc Res (inquit) non una aestate gestas etc. literis continenter (nimirum, quasi continenter gesta fuissent) mandavimus, ne saltuatim scribendo, lectorum animos impediremus. id est: reminiscentias eorum perplexas redderemus. Tacitus Ann. 1. (quem Sisennae imitatum verba negabit nemo): *Haec, quanquam a duobus Ostorio Didioque pro-praetoribus plures per annos gesta, coniunxi, ne divisa haud perinde ad memoriam sui valerent.* Hîc forsan aliquis obstrepuerit, mutandum nil, et hanc mentem Sisennae esse. Est Asia quidem a Graecia divisa, nos tamen in iis aestate una res gestas coniungendas putavimus, ne saltuatim scribendo, etc. Penitius inspicientem putabo tamen idem mecum sensurum, Sisennamque corrigendum e Tacito, quam id acuminis amplectendum.

Ibid. *Iam denique pace tranquilla securi potestis incedere*] Lib. 7. *Discussa sollicitudine iam potestis securi esse.*

Ibid. *Alius lapidis, alius morsus vulnera referentes, universi tamen saucii*] Iuven. *Paucae sine vulnere malae, Vix cuiquam aut nulli toto certamine nasus Integer.* Petronius: *Multi utrinque semimortui labuntur: plures cruenti vulneribus referunt veluti ex proelio pedem.* Videtur imitatus Noster Sallustiana ista: *Paulo diversi alius alibi stantes, omnes tamen* etc. *ceciderunt.*

Pag. 166. *Passim prostrati solo*] Virgilius: *Passimque in littore sicco Corpora curantes.* ubi Servius: *Passim, prout quisque voluit.*

Ibid.

Ibid. *Hic cruorem praeterfluentis aquae rore diluere*] Ovidius: *Crudelia vulnera lymphis Abluere.* Propertius: *Et Dominum lavit moerens captiva cruentum.* Lucianus in Deorum Dialogis; Ἄπειμι, ὕδωρ αὐτῷ πρὸς τὸ τραῦμα οἴσων. vide hic Beroaldum, et a nobis ad Act. 16. 33. notata.

Ibid. *Ille spongiis madidatis tumores comprimere*] Hippocrates in de Medico: Πρὸς μὲν τοὺς ὀφθαλμοὺς ὀθονίοις, πρὸς δὲ τὰ τραύματα σπόγγοις. Vetustissimae editiones hic *macidatis:* MSS. quidam, *inacedatis.* Oxoniensis, *inacetatis.* Aceto vulnera leniri docent haec Petronii: *Vulnusque cruris etc. aceto diluo.* et Sereni Sammonici ista: *Nec non peniculo calidum annectatur acetum, Quo lita sanescunt depulso membra dolore.* Plinius 29. 2. de lana succida: *Vulnera ex vino, vel aceto, vel aqua frigida et oleo expressa sanat.* At, cum isti ad flumen sedeant, ubi *aceti* facultas nulla, *aquae* autem plus satis, libentius Colvii coniecturam *madidatis* probo: nimirum aqua profluenti madefactis. Chrysostomus Homil. 27. ad Antiochenos: Τὰ φλεγμαίνοντα τῶν τραυμάτων οὐδὲ ἐπιβολὴν χειρὸς ἀνέχεται, οὐδὲ ἁφὴν ὑπομεῖναι τραχυτέραν· διὰ τοῦτο οἱ σοφοὶ τῶν ἰατρῶν μαλακῇ τινι σπογγιᾷ τὰ τοιαῦτα καταψήχουσιν ἕλκη· ἐπεὶ οὖν καὶ τούτοις ἕλκος ἐστιν ἐν τῇ ψυχῇ φλεγμαῖνον, ὥσπερ ἁπαλῇ τινι σπογγιᾷ προσηνὲς ὕδωρ καὶ πότιμον σπῶντες, οὕτω τὰ εἰρημένα ἅπαντα καταντλήσαντες, πειρόμεθα καταστέλλειν αὐτῶν τὸ φύσημα, καὶ τὸν ὄγκον καθαίρειν. adde Plinium iam supra adductum. *Madidare* est in vetere Onomastico: et ὑγραίνειν exponitur. At antequam *spongias* dimittamus, emendemus (ubi de cognato spongiae, *peniculo*) Terentium: apud quem sic Thraso: *Peniculo ne pugnare, qui istum huc portes cogitas?* respondet Coquus: *Egone? imperatoriam virtutem noveram, et vim militum: Sine sanguine hoc fieri non posse, qui abstergerem vulnera.* In versu medium occupante mihi iacet sententia: ἀδήλως καὶ ὑποσκοτεινῶς Donatus interpretatur. eam ergo interrogationis notam tollendo, legendoque, *Nae ego imperatoriam* etc. *Qui abstergerem vulnera* autem, ἐλλειπτικῶς pro, ideoque peniculum attuli quo vulnera abstergerem.

Ibid. *Alius fasciolis hiantes vincire plagas*] Luc. 10. 34. Κατέδησε τὰ τραύματα αὐτοῦ. Appianus Alexandrinus: Ἐπιδησάμενοι τὰ σώματα, ὡς τετρωμένοι. *Hiantes*, ut apud Statium, *Vulnus hiat, magnaeque patet via lubrica* [illegible].

Ibid. *Saluti suae quisque consulebat*] Lib. 4. *Tamen quisque magis suae saluti quam Domini opibus consulat.*

Ibid. *Senex de summo colle prospectat, quem circum capellae pascentes opilionem esse profecto clamabant*] Apposite Theocriti Scholiastes ad Eidyll. 1. Αἰπόλοι εἰσὶν, οἱ ἐν τοῖς αἴπεσι, τουτέστιν, ὑψηλοῖς τόποις etc. τὰς αἶγας νέμοντες. sic *Saxi de vertice pastor*, apud Poëtam praecipuum.

Ibid. *Haberet ne venui lac*] Calpurnius Eclog. 4. *Et lac venale per urbem.*

Ibid. *Vel adhuc liquidum, vel in caseum recentem incoactum*] Eodem Polyphemus discrimine apud Ovid. Metam. 13. *Lac mihi semper adest niveum, pars inde bibenda Servatur, partem liquefacta coagula durant.* *In caseum recentem incoactum*, ipsum id quod Nonnus Dionys. 17. τυρὸν νεοπηγέα vocat. Hesychius: Νεόθρεπτον· τὸν νεωστὶ πεπηγότα τυρόν. Idem: Τετυρευμένον, συγκείμενον· ἀπὸ τοῦ πηγνυμένου γάλακτος. Quod his πήγνυσθαι, Empedocli est γομφοῦν καὶ δεσμεύειν. Ὀπὸς γάλα γλευκὸν ἐγόμφωσεν καὶ ἔδησε. qua facie 8. 64. Martialis *lac alligatum* dixit: quod Appuleius noster *incoactum* vocat: τῷ *in* (quod insolens non facit) initio verbi adfixo. Virgil. Georg. 3. *Quod surgente die mulsere, horisque diurnis, Nocte premunt.* Servius: *In caseos cogunt.* sic Eclog. 1. *Et pressi copia lactis.* ubi Servius: *Emulcti, et in caseum coacti.* adeo male hic nonnulli libri *inchoatum* legunt.

Ibid. *An nulli scitis quo loco consederitis?*] Virgil. *An nescis quorum consederis arvis?* Apud Ciceronem Somn. Scip. *Nonne aspicis quae in templa veneris?* Arnobius lib. 1. *Nonne cogitatio vos subit considerare, disquirere in cuia possessione versemini? cuia in re sitis?* talia et Plautina ista: *O stulte, stulte, nescis nunc vaenire te, Atque in eo ipso adstas lapide ubi praeco praedicat.*

Ibid. *Et cum dicto* etc. *conversus, longe recessit*] *Tantum effatus, et in verbo vestigia torsit.* Aeneid. 8. *Nec plura effatus.* Servius: *Sicut festinantem decebat.*

Ibid. *Quae vox eius* etc. *pastoribus nostris non mediocrem pavorem incussit*] Infra heic: *Quae res incutiebat mihi non parvam sollicitudinem.*

Ibid. *Ac dum* etc. *de loci qualitate sciscitari gestiunt*] Glossae: Φιλοπεύστης, *sciscitator.* et, Πολυπραγμονῶ, *sciscitor, percontor.*

Ibid. *Senex alius, magnus ille quidem*, etc.] Aeneid. 3. *Cum subito e sylvis macie confecta suprema, Ignoti nova forma viri, miserandaque cultu Procedit, supplexque manus ad littora tendit.* cum sequentibus: ex quibus totus hic locus expressus est. quod hic *draco*, ibi *Polyphemus.*

Ibid. *Gravatus annis*] Theocritus: Πολλοῖσι βαρύς περ ἐὼν ἐνιαυτοῖς. sic, ὑπὸ τῆς ἡλικίας βαρυνόμενον Polybius: et, *cervos aetate gravatos*, Servius in Virgilium Ecl. 7.

Ibid. *In baculum pronus*] Saxo Gram. *Minus vegetum corpus fulcimine tutans, Flaccida subiectis innixus membra bacillis.* Seneca Herc. fur. *Iners senectus adiuvat baculo gradum.* Idem Oedipo: *Baculo senili triste praetentans iter.* alter 2. 6. de Clementia: *Obnixam baculo senectutem.* Ovid. Metam. 8. *Membra levant baculis.* Cornel. Gallus: *Baculo incumbens ruitura senectus.* *Pronus*, ὑπὸ χρόνου καμφθεὶς· ut Crates de seipso locutus.

Ibid. *Et lassum trahens vestigium*] Ovid. ubi supra: *Tardique senilibus annis, Nituntur longo vestigia ponere clivo.* Claudianus 1. in Ruffinum: *Longaevum mentita senem, rugisque severas Persulcata genas, et ficto languida passu.* adde quae ex Plinio et Plauto Beroaldus. Phaedrus: Lib. 5. *Quin etiam resides, et sequentes otium, Ne defuisse noceat, repetunt ultimi.* repone, *reptant ultimi.* Seneca de sene Oedipo: *Repit incertus viae.* Bene autem, *trahens vestigium.* In Euripidis Phaeniss. Γῆρα τρομερὰν ἕλκω ποδὸς βάσιν.

Ibid. *Cum fletu* etc. *genua contingens*] Ennius: *Lacrymansque ad genua accidit.*

Ibid. *Per fortunas* etc.] Cicero 7. 11. ad Atticum: *Per fortunas, quale tibi consilium Pompeii videtur?* Infra hic lib. 9. hoc sensu, *per spes prosperas quem orare* dixit.

Ibid. *Geniosque vestros*] Glossarium: Τύχη ἑκάστου ἀνθρώπου, *genius.* Seneca Epist. 12. de villico suo: *Iurat per Genium meum* etc. vide Hansenium de *Iureiurando Vett.* pag. 96. Heraldum ad Tertulliani Apologeticum, pag. 125.

Ibid. *Sic ad meae senectutis spatia validi laetique veniatis*] Marcellus Empiricus: *Sic non incuses validam placitamque senectam.*

Ibid. *Ad meae senectutis spatia* etc.] Infra lib. 11. *Cum spatium seculi tui permensus* etc. Terent. 5. 4. Adelph. *Prope iam excurso spatio.* Donatus: *In summa senectute.* Firmicus 5. 1. *Ad extremae senectutis spatia perveniet.*

Ibid. *Validi laetique*] Ita Augustus apud A. Gellium *laetum et benevalentem* dixit.

Ibid. *Decepto seni subsiste*] *Decrepito* maluit Beroaldus. Glossae: *Decrepitus*, ὑπέργερως, τετυμβωμένος γέρων, ταχυθάνατος· et in vetere Onomastico: *Decrepiti*, ἐσχατογέροντες. Est qui *defecto* substituit, et stabilire satagit. *Decepto* (editionum veterum et membranarum Oxoniensium lectio,) scriptura est sincerissima. Est autem *decipi* hoc in loco, *orbari*: nec hoc tantum, sed ab affectu carissimo derelinqui, orbari pignore dilectissimo, et quasi ἀπορφανίζεσθαι. Elegantissimae, minusque cognitae significationis exempla ponemus. Auson. *Torqueo deceptos ego vita coelibe canos.* Anna de sorore moritura apud Silium Italicum, Lib. 8. *Quod vidi decepta nefas! congessit in atram Cuncta tui monumenta pyram.* Calpurnius Siculus: *Saepe etiam leporem decepta matre paventem Misimus.* Ambrosius Hexaëm. 5. 9. *Turtur ubi fuerit iugalis proprii amissione viduata, pertaesum thalamos et nomen habet coniugii, eo quod primus amor fefellerit eam dilecti morte deceptam.* Virgilius (ex quo Ambrosius,) Aeneid. 4. *Postquam primus amor deceptam morte fefellit.* Idem Georg. 4. de Orpheo, Euridice amissa: *Cava solans aegrum testudine amorem.* ubi Servius: *Amorem aegrum: moestum, deceptum.* Iephthe ad filiam sacrificandam Iudic. 11. 35. *Decepisti me, et ipsa decepta es.* Apud Quintilianum Dives liberis privatus: *O miseras cogitationes! ô decepta solatia!* Hegesippus 5. 2. urbem Hierosolymitanam alloquens: *Quomodo decepta es populis tuis!* Cyprianus Epist. 2. *Sed et Catechumeni apprehensi infirmitate, decepti esse non debent, ut eis subveniatur.* Quibus omnibus locis *decepti* sunt μεμονωμένοι, *desolati.* Virgilius de Creusa amissa inter fugam Aeneae: *Defuit, et comites natumque virumque fefellit.* id est, *decepit;* nisi (quod non non aeque arridet) sit Graecum ἔλαθεν. video enim et ipsos Graecos sic ponere τὸ ἀπατᾶσθαι. Dio Cassius de matre Getae, interfecto eo: Καὶ ἡ μὲν οὕτως ἀπατηθεῖσα, τὸν υἱὸν ἐν τοῖς ἑαυτῆς κόλποις ἀνοσιώτατα ἀπολλύμενον ἐπεῖδε. Haec eo libentius attuli, ut Latinam nonnihil linguam ornarem, et quia insignes viros qui hunc obiter Appuleii locum produxerunt, virtutem istius vocis video aliter explicâsse.

Ibid. *Meumque parvulum ab Inferis ereptum canis meis reddite*] Cicero Verrina 5. *Filii nomen implorans, mihi ad pedes misera iacuit, quasi ego excitare filium eius ab Inferis possem.* *Reddite* autem venustate heic non pauca dixit, non minima proprietatis observatione. Horatius: *Medicum roget ut te Suscitet, et reddat natis carisque propinquis.* Apud Tacitum ille Annal. 1. *Sed quis fratri meo vitam? quis fratrem mihi reddet?* apud Hieronymum liberorum ultime periclitantium mater Hilarionem orans: *Per ego te Iesum clementissimum Deum nostrum obtestor, per crucem eius et sanguinem, ut reddas mihi tres filios.* et post: *Hilarion servo Christi, redde mihi filios meos.* Ovidius: *Aut mihi redde meos, aut me quoque conde sepulchro.* Hoc sensu Luc. 9. 42. ἀποδιδόναι. vide et Luc. 7. 15. 1 Reg. 17. 23. 2 Reg. 4. 36.

Ibid. *Nepos namque meus, et itineris huius suavis comes*] Aeneid. 2. *Meus comes, et consanguinitate propinquus.* Philostratus in Heroicis: Ἐθεράπευον ἀεὶ τὸ βάδισμα τῶν πατέρων οἱ τῶν παίδων νεώτεροι.

Pag. 167. *Dum forte passerem* etc. *consectatur arripere*] Id est, *dum consectatur.* ut supra 3. *Telum quaerens invenire.* Glossae: *Consectatur*, ἐξέρχεται εἰς τὸ παρατηρεῖσθαι. Supra

pra lib. I. ille: *Dum voluptatem gladiatorii spectaculi* etc. *consector, in has aerumnas incidi.*

Ibid. *Delapsus in proximam foveam quae fruticibus imis subpatet*] Supra lib. 7. *Campis subpatentibus.* Pro *quae*, malim *qua* etc. *subpatet* repom. Lib. I. *Per vulnus illud qua maxime patebat.* et 4. *Qua clavi immittendae foramen patebat.* eodem lib. *Ad ipsum confinium gulae qua cervix exacta fuerat.* Foveam hanc naturalemne dicemus, an ad feras capiendas factam? vide 5. 12. Iul. Pollucem.

Ibid. *Avum sibi saepicule clamitantis*] Ita bene Fuxensis cum Oxon. MS. et vetere Vicentina editione: *auxilium* (quod nonnullis placet) huic loco minus belle convenit. pueruli in discrimine positi carissimas necessitudines suas nominatim cient. id locorum, id seculorum omnium consuetudo monstrat. *Avum clamare* hîc, ut 2. *saxa conclamare.*

Ibid. *Defectam valetudinem*] Vel, (ut loquitur l. 12. §. 3. de usufructu etc.) *defectam senectutem.*

Ibid. *At vobis, aetatis et roboris beneficio* etc.] *Vobis quibus integer aevi Sanguis adest, solidaeque suo stant robore vires.*

Ibid. *At vobis* etc. *facile est* etc.] Propertius 2. 9. *At vobis facile est verba et componere fraudes.*

Ibid. *Novissimam successionis meae atque unicam stirpem*] Seneca Herc. fur. *Unicum lapsae domus Firmamen, unum lumen afflicto malis.* Bene autem nepotem stirpem suae successionis vocat. Virgilius: *Dii patrii servate domum, servate nepotem.* ubi Servius, *A quo certa erat Romanae prolis propagatio.* Mater Tobiae, de filio 10 4. *Baculum senectutis nostrae*, etc. *spem posteritatis nostrae unicam.* quo nomine senex iste misericordiam movet. sic Luc. 9. 38. ille: Ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν υἱόν μου, ὅτι μονογενής ἐστί μοι. Sub hac imagine autem ἠθικῶς maiorem tristitudinem fingit. Theophylactus ad Luc. 18. Οἱ πατέρες, ὅταν ἕνα παῖδα ἔχωσι, πλείω τὴν σχέσιν πρὸς τοῦτον ἐπιδείκνυνται. Plinius lib. 4. Epist. 21. *Cuius ego pro salute* etc. *hoc sum magis anxius, quod unicus est.* Ovidius: *Parcius e multis mater desiderat unum, Quam quae flens dicit, Tu mihi solus eras.*

Ibid. *Suamque caniciem distrahentis*] Lib. 7. *Ambabus manibus cinerosam caniciem trahens.* et 10. *Trahensque cinere sordentem caniciem.*

Ibid. *Quique solus praeter alios* etc.] Imitatur Plautina Pseud. ista: *Sed cur sedebas in foro, si eras coquus Tu solus praeter alios?* sic I. Florid. *Solus ante alios catus canere.* et 4. *Hoc unum sibi prae caeteris deesse.*

Ibid. *Exurgit alacer*] Vide supra pag. [hui. Ed. 157, b.] notata.

Ibid. *Et percontatus quoniam loci* etc.] Lib. I. *Percontato pretio*, etc. *viginti denariis praestinavi.* melius Vicentina editio, *praecontatus*, et *praecontato* legit: nam non hîc simplex percontatio tantum, at quae actus secuturi praevia.

Ibid. *Sarcinulis quisque sumptis suis, viam capessunt*] Lib. II. *Sumptis rursum quae quisque detulerant, alacres ad fanum reditum capessunt.* Glossae: *Sarcinae*, σκεύη ὁδοιπορικά.

Ibid. *Clamore* etc. *nominatim cientes illum iuvenem frequenter inclamant*] *Tardantem longo socium clamore requirunt.* Lucretius lib. 4. *Palantes comites cum montes inter opacos Quaerimus, et magna dispersos voce ciemus.* Aeneid. 2. *Implevi clamore viam, moestusque Creusam Nequicquam ingeminans, iterumque iterumque vocavi.*

Ibid. *Mox mora diutina commoti, mittunt e suis arcessitorem* etc.] Florid. 3. *Sed ubi diutius aequo sedetur, nec Philemon usquam comparet, missi ex promptioribus qui accirent.* Vicentina editio, Oxoniensis MS. et quo Colvius usus, *hora diutina.*

Ibid. *Mira super conservo suo renunciat*] Initio libri istius: *De eius exitio, et totius domus infortunio, mira ac nefanda* etc. *sic annunciabat.*

Ibid. *Supinato illi* etc. *immanem draconem mandentem insistere*] Superstare. Glossarium: Ἐφίσταμαι, *Immineo, insisto.* Ovidius Metamorph. 3. in Cadmi et draconis fabula: *Ut nemus intravit, lethataque corpora vidit, Victoremque super spatiosi corporis hostem*, etc. Apud Quintilianum ille Declam. 12. *Velut infaustae aves super exspirantes stamus.* Draconis pastores et bubulcos vorare soliti meminit et in Vita Hilarionis D. Hieronymus.

Ibid. *Nec ullum usquam miserrimum senem comparere illum*] Terentius: *Ille autem vir bonus nusquam comparet.* Florid. 3. Noster: *Neque Philemon usquam comparet.*

Ibid. *Qui eum prorsus hunc illum, nec alium locorum inquilinum praeminabantur*] Haec absunt ab Oxon. Cod.

Pag. 168. *Velociore se fuga proripiunt*] Phaedrus: *Veloci saltu fovea se liberat.*

Ibid. *Celerrime denique longo itinere confecto* etc.] Oxon. et Vicent. hoc modo interpungunt: *Nosque pellunt crebris tundentes fustibus celerrime. Denique* etc. celerrime pellunt, intellige: neque clausulam verbo *denique* incipere Appuleio insolitum.

Ibid. *Ubi compertum facinus oppido memorabile* etc.] Id est, *facinus oppido memorabile compertum:* si haec vera lectio. lib. I. *Me vera comperta memorare.* et 9. *Fabulam suavem compertam.* Praefero ego quod in aliis libris: *Ubi coeptum facinus.* Donatus ad 5. 6. Eunuch. *Incipere, magnorum facinorum est.* et ibid. ad

Sc.

Sc. 4. *Facimus mediocria, incipimus ingentia.* Idem ad 1. 3. Phorm. *Incipere, proprie, quasi de re magna dixit.* Colvius *spectum facinus*, ridicule.

Ibid. *Servus quidam, cui cunctam familiae tutelam Dominus permiserat suus*] Dixi ad Matth. 24. 47.

Ibid. *Possessionem maximam* etc. *villicabat*] Glossarium: Οἰκονομῶ, *villico.* Οἰκονόμος, ὁ ἐπὶ τῆς κώμης, *villicus.* et in alio: *Villicus*, ὁ κατ' ἀγρὸν οἰκονομῶν.

Ibid. *Habens ex eodem famulitio conservam coniugem*] Rationem ex his Tertulliani disce: *Domini disciplinae tenacissimi servis suis foras nubere interdicunt: scilicet, ne in lasciviam excedant, officia deserant, dominica extraneis promant.* In plerisque veteribus hoc loco *coniugam.*

Ibid. *Quo dolore pellicatus uxor eius instricta*] Terent. 4. 4. Hecyrae: *Aegrae mulieres sunt, non facile haec ferunt.* ubi Donatus: *Nec facile ferunt pellicatum, neque amorem aliarum in viris.* Seneca Agam. *Ultimum est nupta malum Palam mariti possidens pellex domum.* Glossae: Ζηλοτυπία, *pellicatus.* Onomasticon vetus: *Pellicatus*, παλλακεία. bene autem, *dolore pellicatus.* Cicero apud Priscianum: *Uxorem pellicatus dolore concitatam.* Servius ad Aeneid. 1. de Iunone: *Permota formâ pueri velut pellicatus dolore, eum in avem vertit.* sic *ira pellicatus* apud Valer. Maximum 9. 14. et infra hic lib. 10. *pellicatus indignatio.* In Oxoniensi MS. et Vicentiae edito libro *instructa:* quod ad aliquid Beroaldo probatum. Colvius ex codice suo *instricta* et hic et alibi huius Scripti reponit. Aldina lectio est *instincta:* quam ut veram sine scrupulo admitto. *Instingui*, est percelli, incendi, inflammari. Tacitus in Agricolae vita: *Instinctos ruentesque* (milites suos) *ita disposuit, ut* etc. Idem, vel alius quis, in de Clar. Orator. *Concitatus, et velut instinctus.* Seneca Epist. 108. *His* (praeceptis) *instinctus, abstinere ab animalibus coepi.* Gellius 1. 11. *Impulsu atque instinctu extraneo naturalis illa Gracchi vehementia indiguisse non opinor existimanda est.* Gloss. Ἐρεθισμὸς, *instigatio, instinctio:* (ubi melius *instinctus* scribas.) Ibidem: Οἶστρος, ὁ παροξυσμὸς, *instinctus.* infra heic lib. 9. *His instincta verbis mariti audacissima uxor.* ibidem: *Insigni tutelae nimietate instinctus atque inflammatus.* et in lib. de philosophia: *Mentes Natura duce, instinctae ad ardorem eius.* ita enim in his omnibus Appuleii locis legendum credimus, clareque ex superioribus testimoniis probasse existimamus.

Ibid. *Cunctas mariti rationes*] *His accounts.* rationes villicationis eius, quas Domino exhibendum habuit et approbandum. In Apologia: *Neget eam rationibus villicorum subscripsisse.*

Ibid. *Et quicquid horreo reconditum continebatur, admoto combussit igne*] Senec. Herc. fur. *O quam cruentus faeminas stimulat dolor, Cum patuit una pellici et nuptae domus! Scylla, aut Charybdis Sicula contorquens freta, Minus timenda est: nulla non melior fera est.* Quae fortasse ex Euripidaeis istis: Γυνὴ γάρ ἐστι τ' ἄλλα μὲν φόβου πλέα, Κακὴ δ' ἐς ἀλκὴν καὶ σίδηρον εἰσορᾷν· Ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ, Οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα. Ex quibus forsan desumpta et Ovidii illa: *Sed neque fulvus aper media tam saevus in ira, Fulmineo rapidos dum rotat ore canes: Nec lea cum catulis lactantibus ubera praebet, Nec brevis ignaro vipera laesa pede: Foemina quam socii deprensa pellice lecti Ardet, et in vultu pignora mentis habet.*

Ibid. *Quicquid horreo reconditum* etc.] Supra hic: *Quicquid in casula pretiosum conditum servabat*, etc.

Ibid. *Tori sui contumeliam*] In Apologetico: *Ita ei contumelia lecti sui vectigalis est.* ubi malim *vectigal* legi.

Ibid. *Iam contra sua saeviens viscera* etc.] Adeo vere argumento simili Horatius: *Exigit autem Interdum iste dolor plus quam lex ulla dolori Concedit.* et Seneca 1. 26. de Clementia: *Illa rationis expertia, et a nobis immanitatis crimine damnata, abstinent suis: et tuta est etiam inter feras similitudo; apud homines tantum, nec a necessariis quidem rabies temperat sibi, sed externa suaque in aequo habet. Viscera, filiolum* intellige. Artemidorus lib. 5. Τὰ σπλάγχνα τὸν παῖδα σημαίνουσιν· οὕτω γὰρ καὶ τὸν παῖδα καλεῖν ἔθος ἐστι. Hieronymus ad cap. 17. Proverb. *Nimirum illud contra exteros, hoc contra sua viscera certamen agebant.*

Ibid. *Laqueum sibi nectit*] Infra heic: *Mortem sibi nexu laquei comparabat.* et 5. *Me statim laqueo nexili suspendam.*

Ibid. *Infantulumque, quem de eodem marito iamdudum susceperat*, etc.] Ovidius ubi supra: *Coniugis admissum, violataque iura mariti, Barbara per natos Thracias ulta suos.*

Ibid. *Seque in praealtissimum puteum, appendicem parvulum trahens, praecipitat*] Ovid. *Iacturâ socii sanguinis ulta virum.* De Ino Seneca: *Insiluit freto, Mersura gnatum seque.* Plinius de re non dissimili, sed a causa dissimillima profecta: *Se cum marito ligavit, abiecitque in lacum.* lib. 6. Epist. 24. Oxon. hic, *Seque per altissimum puteum*, etc. quae lectio germanissima. supra lib. 4. *Per altissimum praeceps in vallem proximam* etc. *praecipitant.*

Ibid. *In praealtissimum puteum*] Porphyrius apud Fulgentium: *Puteum quoque te puto Quinte,*

te, Quanto altus magis es, tam mage despiceris.

Ibid. *Qui causam tanti sceleris uxori suae praestiterat*] Vicentina, et MSS. nonnulli, *luxurie sua praestiterat.* quae fortasse sincerior scriptura. sic 6. hoc sensu *luxuria puerilis.* et 7. *luxuria amatoria.*

Ibid. *Nudum, ac totum melle illitum firmiter alligavit arbori ficulneae*] Hieronymus in vita Pauli: *Perseverantem in fide Martyrem* etc. *iussit melle perungi: et sub ardentissimo Sole ligatis manibus post tergum, resupinari: scilicet, ut muscarum* (Appuleius hic *formicarum*) *aculeis cederet, qui ignitas sartagines superasset.* In lege Lyctiorum (is Cretae populus) ne quis Urbem suam Epicureus intraret: Ἐὰν δέ τις ἀφίκηται θρασυνόμενος, etc. δεδέσθω ἐν κύφωνι πρὸς τῷ ἀρχείῳ ἡμερῶν εἴκοσιν, ἐπιῤῥεόμενος μέλιτι γυμνὸς, καὶ γάλακτι, ἵνα ᾖ μελίτταις καὶ μυίαις δεῖπνον. (apud Suidam in Ἐπίκουρος et in κύφων.) confer Plutarchum in vita Artaxerxis, Theodoretum Ἑλλην. παθημ. Serm. 9.

Ibid. *Arbori ficulneae*] Servius ad Georg. I. *Sunt aliquae derivationes ex usu magis quam ex ratione venientes, ut quernus, illignus, ficulnus*, etc.

Ibid. *Cuius in ipsa cariosa stipite inhabitantium formicarum nidificia burriebant*] Oxon. *In ipsa cariosa stipe.* Alii, *in ipso carioso stipite.* Pro *burriebant* Beroaldus *bulliebant:* quae lectio ab aliis improbatur, ut formicarum susurris minus congruens, quos hac fictitia voce Appuleium expressisse putant. Huiusmodi animalculorum susurros ego nunquam audivi: in Codice Oxoniensi est *aberrabant.* unde facile *oberrabant* scribo. *oberrabant*, est, *huc illuc errabant.* Et quis tot aliis coniecturis hanc praeferre gravabitur?

Ibid. *Et ultro citroque commeabant multivaga scaturigine*] Ovidius Metam. 7. de quercu loquens: *Heic nos frugilegas aspeximus ordine longo Grande onus exiguo formicas ore gerentes, Rugosoque suam servantes cortice callem. Multivaga* illud a Wowerio est, ad cuius editionis normam hic contextus formatus: in caeteris omnibus *multiiuga:* quae scriptura reponenda. supra lib. 6. *Ruunt aliae superque aliae sepedum populorum undae.* Theocrit. 15. Μύρμηκες ἀνήριθμοι καὶ ἄρυθμοι. qui loci non *multivagum* sed *multiiugum* exprimunt. sic infra hic *multiiugis ovium talis flagrum tessellatum* dixit: et supra lib. 6. *multiiugas preces.*

Ibid. *Ultro citroque*] Glossarium: *Ultro citroque*, ἔξωθεν καὶ ἔνδοθεν· τουτέστι, πανταχοῦ.

Ibid. *Parvis quidem, sed numerosis et continuis morsiunculis*, etc.] Plautus: *Iam ego te faciam ut hic formicae frustulatim differant.* In vetere Onomastico: *Morsiuncula*, δηγμάτιον.

Ibid. *Per longi temporis cruciatum* etc.] Cyprianus contra Demetrianum: *Saltem contentus esto dolorum nostrorum compendio, et simplici ac veloci brevitate poenarum; admoves laniandis corporibus longa tormenta.* Seneca 2. 5. de Benef. *Acerrima est crudelitas quae trahit poenam.*

Ibid. *Carnibus* etc. *adesis membra nudarunt, ut ossa tamen viduata pulpis* etc.] Hieronymus ad cap. 37. Ezechielis: *Ossa cum aliis ossibus nervorum vinculis colligantur, deinde implentur carnibus: et desuper ob pulchritudinem extenditur cutis, quae nudarum carnium operiat foeditatem.* In Oxon. et Florent. melius, *ut ossa tantum.*

Pag. 169. *Nitore nimio candentia*] Infra lib. 9. *Demonstrat novitate nimia candentes aureos.*

Ibid. *Hac quoque destabili deserta mansione* etc.] Virgil. *Hanc quoque deserimus sedem.*

Ibid. *Paganos in summo luctu relinquentes*] Est qui *in summo lucu* scribendum confidentissime adfirmat. *cum primo lucu* Terentium non ignoro dixisse: ut Matt. 20. I. ἅμα πρωῒ. at interim id non est *in primo lucu:* nec memini Plautum aut alium tali modo locutum. adde quod et supra hoc libro occurrunt ista: *Haec ille* etc. *illacrymans, graviter affectis rusticis annunciabat.* ubi *graviter affecti rustici*, sunt fere quos hoc loco *Paganos in summo luctu* vocat.

Ibid. *Campestres emensi vias*] Onomast. vetus: *Campestria*, πεδινὰ χωρία.

Ibid. *Civitatem quandam* etc. *iam fessi pervenimus*] Lib. 9. *Ad hortulum nostrum iam fesso equo diverterat.* Sallustius Iugurthino: *Diu multumque fatigati tandem in castellum perveniunt.*

Ibid. *Inibi Larem sedesque perpetuas pastores illi statuere decernunt*] Supra lib. 4. *Secum eos animadverteram colloquentes, quod in proximo nobis esset habenda mansio, et totius viae finis quieta: eorumque etiam sedes illa et habitatio.*

Ibid. *Et annonae copiosae beata crebritas*] Glossae: Εὐθηνία, *Copia, ubertas, annona*, etc. In Oxon. et vett. editt. *celebritas.*

Ibid. *Iumentorum refectis corporibus quo venui cariores videremur*] Sic apud Philonem (lib. ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἐλεύθ.) δελφάκια καὶ πρόβατα ὁπότε μέλλοι πιπράσκεσθαι, τρέφεις ἐπιμελεστέραις εἰς εὐσαρκίαν πιαίνειν. Lucianus in *Vit. auct.* Στῆσον ἑξῆς παραγαγὼν τοὺς βίους· ἀλλὰ κοσμήσας πρότερον, ὅπως εὐπρόσωποι φανῶνται, καὶ ὅτι πλείστους ἐπάξωνται. Editio Vicent. *quo vendibiliores videremur.* et sic multi MSS. In vetere Onomast. *Vendibile*, τιμαλφές. Oxon. Fuxens. et alii, ut hic editur. tentabam ego, *quo vendi carius videremur.*

id est, *quo carius venderemur.* sic 9. *Molae, quae maxima videbatur*, etc. *adstituor*, et alibi in his libris.

Ibid. *Ad mercatum producimur*] Infra lib. 9. *Productum me, voce praeconis venui subiiciunt.* Terentius Heautont. *Omnes produxi ac vendidi.* Donatus ad Eiusdem Eunuch. 1. 2. *Produci res venales dicuntur.*

Ibid. *Magnaque voce praeconis*] Vide supra pag. [hui. Ed. 195, a.] dicta. infra hic de eodem: *Voce raucâ saucius.*

Ibid. *At me* etc. *cum fastidio plerique praeteribant*] Abies iactabunda, ad dumum, in Avieni fabulis: *In me suspensos explicat aura sinus: At tibi deformem quod dant spineta figuram, Despectam cuncti praeteriere viri.* Hesychius: Παρειμένος, etc. καταπεφρονημένος. Seneca cur bon. vir. etc. *Fortuna fortissimos sibi pares quaerit, quosdam fastidio transit.* Supra lib. 4. de vetula: *Fastidium Orci.*

Ibid. *Qui de dentibus nostris aetatem computabant*] Xenophon in de re equestri. Suidas in κατηγρτοκότα. Hesychius in λιπογνώμονες, et γνῶμα· sic enim, non γῶμα scribendum.

Ibid. *Manum cuiusdam* etc. *mordicus arreptam* etc.] Aristophanes Pluto: Ὀδάξ ἐλαβόμην. Scholiastes: ἀντί τοῦ, τοῖς ὀδοῦσιν αὐτὴν ἔλαβον.

Ibid. *Circumstantium*] Oxon. *circumadstantium.*

Ibid. *Et raucâ voce saucius*] Ita, *raucam praeconis vocem* 1. 3. Sidonius. Servius ad Aeneid. 11. *Raucum τῶν μέσων· modo enim canoram significat, modo vocem pessimam.*

Ibid. *In meas fortunas ridiculos construebat iocos*] Hinc 1. 85. Martialis, *facetus praeco.*

Ibid. *Extritis ungulis debilem*] Supra lib. 4. *Ungulis extritis claudus et titubans.* Seneca Epist. 51. *Iumenta in molli palustrique pascuo saginata, cito subteruntur.*

Ibid. *Et colore deformem*] Oxon. et tres alii MS. *dolore d.* quod alii quidem probant, ego non intelligo.

Ibid. *Et in hebeti pigritia ferocem*] Pigrum ad portanda onera, et id genus ministeria subeunda: ferocem ad calces elevandas, et mulieres incurrendas. In nonnullis heic, *et inerti p. f.*

Ibid. *Nec quidquam amplius quam ruderarium cribrum*] Vide supra pag. [hui. Ed. 213, a.] notata.

Ibid. *Quare vel donemus eum cuipiam*, etc.] Claudianus de Eutropio: *Omnes poenituit pretii, venumque redibat Dum venâi potuit: postquam deforme cadaver Mansit, et in rugas totus deflexit aniles: Iam specie doni certatim limine pellunt. Et foedum ignaris properant obtrudere munus.*

Ibid. *Si qui tamen foenum suum perdere non gravatur*] Facetus praeco ille apud Martialem, colles venum exponens: *Quis faceret pretium nisi qui sua perdere vellet?*

Ibid. *Cachinnos circumstantibus commovebat*] Infra lib. 9. *Risum toto coetu commoveram.*

Ibid. *Illa fortuna mea saevissima, quam per tot regiones iam aufugiens, effugere* etc. *non potui*, etc.] Apud Virgilium: *Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos Insequitur.*

Ibid. *In me coecos detorsit oculos*] Lib. 7. *Coecam, et prorsus exoculatam esse Fortunam.*

Pag. 170. *Duris meis casibus*] Vide supra pag. [hui. Ed. 211, a.] notata.

Ibid. *Mire repertum*] Colvius, *mi e re repertum.* commento (ut mihi videtur) mire, et ab re reperto. In Apologia Noster de speculo: *Cum in eo visitur imago mire relata.*

Ibid. *Cinaedum, et senem*] Ibidem, de Rufino quodam: *In hac etiam aetate qua nunc est, qui ipsum perdepsuint multi sunt.* ubi plura pag. 164. notata. Sarisberiensis 3. 13. Polycratici: *Pudet dicere, quod seipsos viri aetate provectiores et sensu, turpitudini tantae non subtrahant: et cum eos in nobiliore sexu Natura creavit, ad deteriorem, quantum in ipsis est, ex innata malitia prolabuntur: effaeminati vitio et corruptela morum, cum tamen Naturae beneficio foeminae esse non possunt.*

Ibid. *Calvum*, etc. *cincinnis semicanis et pendulis capillatum*] Erat ἀναφαλαντίας οὖλος, ut in *Navig.* Lucianus loquitur. Martialis ad Labienum 5. 50. *Sunt illinc tibi sed et hinc capilli, Quales nec puerum decere possint: Nudum est in medio caput, nec ullus In longa pilus area notatur.* Idem ad Marinum 10. 83. *Raros colligis hinc et hinc capillos, Et latum nitidae Marine calvae Campum temporibus tegis comatis.* et in fine: *Calvo turpius est nihil comato.*

Ibid. *Unum de triviali popularium fece*] *Natum in triviis.* Scholiastes vetus Horatii ad Serm. 2. *Balathroni, scurrae, et triviali.* vide ad Act. 17. 5. notata.

Ibid. *Qui per plateas et oppida cymbalis et crotalis personantes, Deamque Syriam circumferentes, mendicare compellunt*] Tertullianus in Apologetico: *Circuit caupones mendicans religio.* Ibidem: *Non sufficimus et hominibus et Diis vestris mendicantibus opem ferre.* vide Suidam in Περγαῖα Ἄρτεμις. Infra hic lib. 9. *Divinis exuviis onustus, cum crotalis et cymbalis circumforaneum mendicabulum producor ad viam.* Et nota, *per plateas.* Augustinus *Civ. D.* 7. 26. de hoc genus aeruscatoribus: *Per plateas vicosque Carthaginis, etiam a populis unde turpiter viverent exigebant.*

Ibid. *Ille Cappadocum me et satis forticulum denunciat*] Vegetius 4. 6. *In permutandis equis vel distrahendis maximam fraudem patriae solet af-*

afferre mendacium: volentes enim carius vendere, generosissimos fingunt. Intempestive Lipsius huius loci lectionem immutavit.

Ibid. *Sed ipse scilicet melius istud de sua novit professione*] In Glossis: *De professione*, ἀπὸ τοῦ ἐπιτηδεύματος. at id nil ad istius loci sententiam. *professionem* heic *natalium professionem* intellige, quae praecise in l. non nudis. Cod. de probat. et l. statim. Cod. de fide instrum. *professio*, ut hoc loco, vocatur. cur autem de asino loquens ita iocetur, ex sequentibus apparet.

Ibid. *Quanquam enim prudens* etc.] Fortasse *imprudens* scribendum. Obscuri admodum loci potest haec sententia esse. aetatem eius ex natalium tabulis multo certius quam ex dentibus explorabis. natalium inquam, potest fieri enim ut imprudens legem Corneliam incurram, dum tibi civem Romanum pro servo vendo: quin eme tamen etc. quasi mancipium, quod poterit te foris, poterit et domi iuvare. ἔγκλημα autem, sive *crimen* dixit, non *poenam* legis, quia imprudenter vendens.

Ibid. *Quin emis* etc.] Plautus Persa: *Quin tu hanc emis?*

Ibid. *Bonum et frugi mancipium*] Horatius, etiam ex mancipii persona: *Sum bonus et frugi.* supra lib. 5. *Honesta haec, et natalibus nostris, bonaeque tuae frugi congruentia?* et 4. *Statui* etc. *asinum me bonae frugi Dominis exhibere.*

Ibid. *Quod te et foris et domi poterit iuvare*] Id est, qui foris circumgestanti tibi Deam cornu canens adambulare poterit, domi vero promiscui operis concubitus partiarios agere: ut infra de iuvene corpulento his usibus inserviente loquitur. Ita tractat cinaedum praeco: ita falsum hoc dicterium capiendum.

Ibid. *Odiosus emptor aliud de alio non desinit quaerere*] Glossarium: Περιεργάζομαι, *sciscitor, otiose ago.* videtur *odiose* legendum. *odiosi* dicebantur molesti percontatores: et *odium*, intempestiva ac nimia interpellatio. Plautus: *Enecas iam me odio.* Terent. Hecyra: *Tundendo, atque odio effecit denique*, etc. Ibidem: *Cum isthoc odio.* ubi Donatus: *Instantia ac molestia.*

Ibid. *Percontatur anxie*] Glossae: Πολυπραγμονῶ, *sciscitor, percontor.*

Ibid. *Vervecem, (inquit) non asinum vides*] Lib. 7. *Emasculare, et quovis vervece mitiorem efficere.* Lactant. 3. 26. *Da mihi virum qui sit iracundus, effraenatus: paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam.* Scriptor vitarum illustrium, de Fabio Maximo: *Ovicula a clementia morum dictus.* de Eodem eadem Plutarchus. Cyprianus in de zelo et livore, de Christo loquens: *Gregem suum oves vocat, ut innocentia Christiana ovibus exaequetur. agnos vocat, ut agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur.* Chrysostomus: Ἐὰν ἴδωμεν ἄνθρωπον ἥμερον, λέγομεν, πρόβατον ὁ ἄνθρωπος. Basilius ad illa Esaiae 7. Θρέψει ἄνθρωπος δάμαλιν βοῶν, καὶ δύο πρόβατα. Ἀντὶ τοῦ, ἡμέρου, καὶ ἐπιεικοῦς etc. ἤθους, πρόβατα τροπικῶς προσηγόρευσε. et post: Πρόβατα, οἱ χρηστότεροι τὰ ἤθη. Aristophanes Pace: Ὡς ἐσόμεθ' ἀλλήλοισιν ἀμνοὶ τοὺς τρόπους. ubi Scholia: Εὐήθεις etc. ἢ πρᾳεῖς καὶ μαλακοί. ex quibus (ut saepicule) Suidas: Ἀμνοὶ τρόπους· ἀντὶ τοῦ, πρᾳεῖς, εὐήθεις, ἁπλοῖ. Theodoretus in de Providentia: Ταῖς ἁπλαῖς καὶ ἀκακοήθεσι ψυχαῖς ἐκ τῶν ἐπαινουμένων ζώων τὰς προσηγορίας τεθείκασιν.

Ibid. *Ad usum omnem quietum*] Florus 4. 11. *Habiles in omnia quae usus poscebat.* sic, *habilia ad ministerium mancipia*, in l. 37. ff. de aedilit. edicto. Cicero Nat. Deor. 2. *Ad usum aptus.*

Ibid. *Non mordacem, nec calcitronem*] Glossae: Δηκτικὸς, *mordosus.* Pollux, ubi de equi vitiis: Δάκνων, λακτίζων, etc.

Ibid. *Sed potius in asini corio modestum hominem habitare credas*] Lege, ut in Oxoniensi et aliis, *Sed prorsus ut in asini* etc. supra lib. 6. *Quod si vere Iupiter mugivit in bove, potest in asino meo latere vel vultus hominis, vel facies Deorum.*

Ibid. *Modestum hominem*] Scholiastes vetus Horatii: *Vulgo simplex modestus dicitur.* Glossae: *Modestus*, ἐπιεικής.

Ibid. *Quae res cognitu non ardua*] Absunt ab Oxon. MS.

Ibid. *Si faciem tuam mediis eius feminibus immiseris*] Est iocus παρὰ προσδοκίαν· debebat *manum tuam*, non *faciem*. Oxon. Palat. et alii *femoribus.* melius *feminibus.* sic 10. *Titione inter media femina detruso.* et in Apologetico: *interfeminium tegat.* Columella (qui et belle Appuleium illustrat) 6. 2. *Mox etiam convenit tota terga tractare, et respergere mero, quo familiariores bubulco fiant: ventri quoque et sub femina manum subiicere, ne ad eiusmodi tactum postmodum pavescant.*

Ibid. *Facile periclitaberis, videns quam grandem tibi demonstret patientiam*] *Patientiam* heic Elmenhorstius capit pro *natura*, id est, membro salaci: ego simpliciter accipio. supra 7. idem asinus iste: *Nimia (pueri) insolentia expugnata patientia mea.* Pro *videns*, sunt qui *videbis* legunt. recte autem utrumque abest a MSS. et veteribus editionibus. *Periclitaberis*, inquit, (id est, experieris,) *quam grandem* etc. sic 9. *Patefactis foribus, an iam sim mansuefactus periclitantur.* Terentius Andr. 3. *facere periculum* dixit.

Ibid. *Tractabat dicacule*] Sic supra 5. *ridicule tractare.* lib. 9. *ludicre tractare.* et infra hic, (si vera lectio) *ridicule laudare. Dicacule*, iri-

risorie. Onomast. vetus: *Dicaculus*, σκωπτικὸς. Scholiastes vetus Horatii: *Dicaces sunt*, *qui risum movent maledicendo*, *qui habent ioca mordacia.* hinc supra 1. *probrum dicacule dicere.* apta et *tractandi* vox illudenti. Terent. Heaut. 2. 3. *Haec arte tractabat virum.* Apud Gellium libri 8. cap. 14. lemmate: *Ignominiatus tractusque.* et lemmate 18. libri 7. *Quem in modum Phavorinus tractaverit intempestivum quendam de verborum ambiguitatibus quaerentem.* Neutiquam Phavorinus *tractabat*, at *tractabatur*, ut interpellator intempestivus: quod ex serie totius capitis apparet, et praecipue his verbis eius: *Non tempestive hunc hominem accessimus.* corrigenda itaque vulgata lectio, et hoc modo formanda: *Quem in modum Phavorinum tractaverit quidam* (aut si malueris *Grammaticus quidam*) *intempestive de verborum ambiguitatibus quaerentem.*

Ibid. *Cognito cavillatu*] Gloss. *Cavillatio*, etc. εἰρωνεία.

Ibid. *Sed ille* etc. *similis indignanti*] Hegesippus 2. 2. *At ille indignanti similis*, etc. Virgilius: *Indignanti similem similemque minanti.* supra hic lib. 7. *Dolenti atque indignanti similis.* 2. *Lixae temulento similis.* et 10. *Tristes*, *et iratis similes.* Augustin. Confess. 9. 11. *Quaerenti similis.* Gellius 7. 17. *Oscitans*, *et hallucinanti similis.*

Ibid. *At te* (*inquit*) *cadaver surdum et mutum* etc.] Lib. 9. *At te nequissimum et periurum caput*, etc. Cum iocis velitari iste non posset, se ad diras convertit. Chremylus cum Paupertate disputans apud Aristophanem: Ἀλλὰ σέ γ' ὁ Ζεὺς ἐξολέσειε. ubi Scholia: Ἐπιστομηθεὶς παρὰ τῆς Πενίας etc. εἰς κατάρας τὸν λόγον ἔστρεψε. In haec Appuleii verba sic Beroaldus: *Imprecatur ut irâ Deorum obsurdescat*, *obmutescat*, *excoecetur.* non ita est: imprecatur coecitatem tantum, cetera convicio prolata. sic supra 190. *Etiamne tu busti cadaver?* ubi Claudianum vide. ita Cicero Pisonem *cadaver et carnem putridam* vocavit. simile convicium κωφὸς καὶ τυφλὸς apud Arrianum 4. 8. in Epictetum. Bene autem *surdum ac mutum cadaver.* sic, cadaver κωφὸν καὶ ἄναυδον Moschio Syracusanus dixit.

Ibid. *Sabadius*] Al. *Sabazius.* de hoc alii pluscula.

Ibid. *Cum suo Adone Venus Domina*] Servius ad Aeneid. 5. *Singula Numina habent inferiores potestates*, *quasi ministras: ut Venus Adonim*, *Diana Virbium: Venus Domina* hic, ut 5. ad eandem: *Quid tale Domina deliquit filius tuus?* sic, δέσποινα Ἄρτεμις (ni fallor) apud Sophoclem.

Pag. 171. *Scurrilibus* etc. *velitaris iocis*] Ita Gellii 6. 11. *Maledictis velitari.* apud Titinnium *verbis velitari*, et Nostrum in Apologetico, *calumniis velitari.* V. Festum Pompeium.

Ibid. *Iumento fero posse Deam committere?*] Sic *equo fero imponere.* lib. 37. apud Iustinum. ubi frustra doctissimus vir τὸ *equo* pro glossemate expungit.

Ibid. *Ut turbatum repente divinum deiiciat simulacrum?*] De idoli cultore 13. 15. Sapientiae Scriptor: *In pariete ponens illud*, *et confirmans ferro*, *ne forte cadat prospiciens illi.* Baruch. 6. 26. de Diis fictitiis: Ἐπ' ὤμοις φέρονται, etc. αἰσχύνοντες δὲ καὶ οἱ θεραπεύοντες αὐτὰ, διὰ τὸ μήποτε ἐπὶ τὴν γῆν πέσῃ. Pro *turbatum*, *disturbatum* malo. sic lib. 7. *Disturbato gestamine.* et 9. *Mensas impetu meo* etc. *disturbo.* Onomasticon vetus: *Disturbo*, ἀπορρίπτω.

Ibid. *Et Deae meae humi iacenti aliquem medicum quaerere*] De medico apud Plautum in Menaechm. ille: *Tandem vix ab aegrotis venit: Ait se obligasse crus fractum Aesculapio*, *Apollini autem brachium.* Philippus ad Alexandrum filium apud Lucianum Dial. mort. Ἡ τὶς οὐκ ἂν ἐγέλασεν ὁρῶν τὸν τοῦ Διὸς υἱὸν λειποψυχοῦντα, δεόμενον τῶν ἰατρῶν βοηθεῖν; etc. et nota, *Deae humi iacenti.* infra heic, *Dea vehiculo meo sublata*, *et humi reposita.* et post de Eadem: *Simulacri iacentis contemplatione.*

Ibid. *Cogitabam subito velut lymphaticus exilire*, etc. *sed praevênit cogitatum meum emptor anxius*] Lib. 4. *Cogitabam totum memet pronum abiicere*, etc. *sed tam bellum consilium meum praevênit sors deterrima. Emptor anxius* hic, est qui Horatio *hians emptor.* quo spectat et *calor licitantis* in l. 9. ff. de public. et vectigal.

Ibid. *Ut me ferocitate cernens exasperatum*, *emptionem desineret*] Apud Plautum ille in Menaechm. *Ego me assimulem insanire ut illos a me absterream. Ferocitate exasperatum*, ut supra hic de canibus: *Praeter genuinam ferocitatem tumultu suorum exasperati.*

Ibid. *Pretio depenso statim*] Glossae: *Pretium*, τίμημα ἐπὶ τοῖς ὠνίοις καταβαλλόμενον.

Ibid. *Quod quidem gaudens Dominus*, *scilicet taedio mei*, *facile suscepit*] Psalm. 44. 13. *Vendidisti populum tuum sine pretio.* ubi (apprime ad Appuleii illustrationem) Diodorus: Πέπρακας ἡμᾶς etc. τοῦ μηδενὸς· (id est, pretio vilissimo) τοῦτο γὰρ λέγει, ἄνευ τιμῆς· ὡς ἀχρήστους δούλους, καὶ οὐδενὸς ἀξίους.

Ibid. *Tunicla spartea* etc.] Ita Scaliger emendavit ad Festum verbo *Tomices.*

Ibid. *Tradidit Philebo*] Traditio emptionem sequitur.

Ibid. *Novitium famulum*] Glossae: *Novitius*, νεώνητος.

Ibid. *De primo limine proclamat*] Ostenditur su-

studium eius eloquendi quod praestinaverat. Aeneid. II. *Et moestas alto fundunt de limine voces.* ubi Servius: *Ad preces festinantium mulierum desiderium ostenditur.* supra hîc lib. 5. *Iam inde a foribus boans.* simile hîc infra, *ab ingressu statim primo constrepere.*

Ibid. *Sed illae puellae chorus erat cinaedorum*] Lib. 10. *Sed isti Castores erant scaenici pueri.*

Ibid. *Quae statim exultantes in gaudium, fracta*, etc. *et effoeminata voce clamores* etc. *intollunt*] In Hecyra Terentii: *Postquam adspexere ancillae advenisse, ilico omnes simul Laetae exclamant*, etc. *Voce fracta*, ut apud Gellium 3. 5. *infractam vocem:* apud Senecam Epist. 90. *molles et infractos cantus:* et Xiphilinum in Heliogabalo φωνῇ κεκλασμένῃ. Bene autem *fractam* vocem *effoeminatam* vocat. Isidorus 2. 12. de Offic. Ecclesiast. *Vox lectoris simplex erit*, etc. *plena spiritu virili*, etc. *non fracta*, *nec tenera*, *nihilque foemineum sonans.* Hesychius: Θηλυδριῶδες· κατακεκλασμένον.

Ibid. *Exultantes in gaudium*] Servius ad Aeneid. 10. *Exultare*, *est gaudere.* Minucius Octavio: *Quanto*, *quamque impatienti gaudio exultaverim.*

Ibid. *Non cervam pro virgine*, etc.] Porphyrius περὶ ἀποχ. β. Ἐθύετο (ante tempora Hadriani) καὶ ἐν Λαοδικείᾳ τῇ κατὰ Συρίαν τῇ Ἀθηνᾷ κατ' ἔτος παρθένος, νῦν δὲ ἔλαφος. De Iphigenia (quae hîc innuitur) est fabula pervulgatissima.

Ibid. *Heus aiunt* etc.] Oxon. *Heus civiter*, etc. sub quo fortasse latet quid, quod in transitu non eruo.

Ibid. *Cave ne solus exedas* etc.] Lib. 4. *Ut equus meus tanta copia*, *et quidem solus potitus*, *Saliares se coenasse coenas crederet.* Iuvenal. I. *Poena tamen praesens* etc. ubi vetus Scholiastes: *Quod solus voraverit quod multis sufficere potuisset.* Lucilius apud eundem Scholiasten Sat. 9. *Gustavi crustula solus.* sic, πλακοῦντα αὐτὸς μόνος καταπίνειν, apud Arrianum I. 18. in Epictetum. et, τὰς θύρας ἐπικλεισαμένους, τρυφᾶν μόνους, apud Lucianum. Iulianus in Epistolae fragmento: Πάντας ἀπελάσομεν, ἵνα μόνος τὰ κοινὰ δῶρα etc. ἁρπάσωμεν. quibus adde ex Platone et Euripide iam statim adducenda. Ab ista gulae voluptate ad inguinum hîc translatio facta. sic 9. *Solus ipse cum puero cubans*, *gratissima corruptarum nuptiarum vindicta perfruebatur.* et apud Petronium: *Errantem* (puerum) *sua veste circundedit*, *ac domum abduxit: credo ut tam magna fortuna solus uteretur.* Propert. *Fruar ô solus*, *amore meo.*

Ibid. *Tam bellum scilicet pullulum*] Plautus Cas. *Meus pullus*, *meus passer*, *mea columba*, etc. Festus Pompeius: *Antiqui puerum quem quis amabat*, *eius pullum dicebant.*

Ibid. *Sed nobis quoque tuis palumbulis nonnunquam impertias*] Euripides: Μετάδος φίλοισι σοῖσι σῆς εὐπραξίας, Καὶ μὴ μόνος τὸ χρηστὸν ἀπολαβὼν ἔχε. In Lyside Platonis: Τί; ὑμεῖς αὐτῷ μόνοι ἑστιᾶσθε; ἡμῖν τε οὐ μεταδίδοτε τῶν λόγων. Plenius in Appuleio legas, *indidem nonnunquam impertias.* supra lib. 3. *Et impertire nobis unctulum indidem.*

Ibid. *Collatitia stipe* etc.] Ita non semel vel uno 14 libro (imitatione Appuleii nostri) Ammianus Marcellinus. Appuleius ipse in Apologia: *Collatis sextantibus.*

Ibid. *Circumgestantibus Deam cornu canens adambulabat*] Ovidius in de Ponto: *Ante Deûm matrem tibicen adunco Cum canit*, etc.

Pag. 172. *Appositis largiter cibariis* etc.] Hesychius: Ἐπιδαψιλευόμενος, etc. ἐπιχορηγῶν πλουσίως. ita enim tenore uno in vulgatis male divisa legenda.

Ibid. *Et Dominis placeas*] Symmachus: *Ita me Dii Dominis probabilem praestent.*

Ibid. *Et meis defectis iam lateribus consulas*] Spurcissimi et propudiosissimi laboris nimietate exhaustis. In Priapaeis: *Defecit latus*, *et periculosa Cum tussi miser exspuo salivam.* Martialis: *Rumpis Basse latus*, *sed in comatis.* Iuvenalis: *Nec queritur quod Et lateri parcas*, *nec quantum iussit anheles.* Infra hîc, in eiusdem infamiae scaena: *Rusticanum*, *industria laterum atque imi ventris bene praeparatum.*

Ibid. *Haec audiens*, *iam meas futuras novas cogitabam aerumnas*] Apud Ciceronem ex vetere Tragoedia Tuscul. 3. *Futuras mecum commentabar miserias.* In Hecyra Terentiana: *Lacrymo*, *quae posthac futura'st vita cum in mentem venit.* supra lib. 6. *Quam* (sententiam) *meis tam magnis auribus accipiens*, *quid aliud quam meum crastinum deflebam cadaver?*

Ibid. *Deformiter quisque formati*] Ὀξύμωρον, quale 9. illud, *Farinulento cinere sordide candidati.*

Ibid. *Facie coenoso pigmento delita*] D. Augustinus de hoc genus aeruscatoribus: *Facie dealbata*, *fluentibus membris* etc. *per plateas vicosque Carthaginis*, *a populis unde turpiter viverent*, *exigebant.*

Ibid. *Et oculis obunctis*] Id est, palpebris. vide ad Apologiam pag. 174. dicta.

Ibid. *Mitellis*] Servius ad Aeneid. 4. *Quibus effeminatio crimini dabatur*, *etiam mitra iis adscribebatur.* In vetere Onomastico: *Mitella*, μιτρίον.

Ibid. *Crocotis*] De his iam alii.

Ibid. *Tunicas albas in modum lanciolarum* etc.] Cyprian. *Sacerdotes tunicis muliebribus iidem Interius ritum cultu exteriore fatentur.* *virgatas* heic *tunicas* recte Beroaldus intellexit. Casaub. etiam ad marginem Appuleii sui ῥαβδωτοὺς χιτῶνας alliverat.

Ibid. *Deamque serico contectam amiculo* etc.] Vide Baruchi 6. 12.

Ibid. *Euantes*] Servius ad Aeneid. 6. *Euantes, bacchantes: a Libero, qui Euan dicitur.*

Ibid. *Incitante tibiae cantu lymphaticum tripudium*] Seneca Epist. 108. *Quidam ad magnificas voces excitantur, alacres vultu et animo: nec aliter concitantur quam solent Phrygii tibicinis sono semiviri.* Iuvenal. *Cum tibia lumbos Incitat.* Phaedrus de tibicine: *Cuius flatibus Solebat incitari saltantis vigor.* Lucretius: *Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes.* Horatius: *Pulso Thyas uti concita tympano.* Chrysostomus Homil. de tribus pueris: Τὰ λεγόμενα τῆς Μουσικῆς ὄργανα τοὺς ἄφρονας δεινῶς etc. ἐξεβάκχευε. Iamblichus de commissatore iuvene: Ἐξήπτητο καὶ ἀνεζωπυρεῖτο ὑπὸ τοῦ αὐλήματος.

Ibid. *Nec paucis percursatis casulis*] Melius Oxon. *castellis.* Ex eodem et aliis membranis *pererratis* lege. Virgil. *Pererrato statues quae denique Ponto.* ubi Servius: *Hoc verbo ostendit erroris longinquitatem.*

Ibid. *Ad quandam villam possessoris Britini*] Puto rectius *beati*, quomodo in Fuxensi libro, et alio a Beroaldo laudato. compendium scripturae illius, habet et Oxon. MS.

Ibid. *Crinesque pendulos rotantes*] Statius: *Quatit ille sacras in pectore pinus, Sanguineosque rotat crines.* Servius ad Aeneid. 10. *Mater Deûm dicta Cybele, ἀπὸ τοῦ κυβιστᾷν τὴν κεφαλὴν· quod semper Galli motu capitis per furorem comam rotantes, ululatu futura pronunciabant.* Euripides πλοκάμους ῥίπτειν καὶ προσσείειν dixit. Lucianus de Alexandro pseudomante: Σείων τὴν κόμην ἄνετον, ὥσπερ τῇ μητρὶ ἀγείροντές τε καὶ ἐνθεάζοντες, ἐδημηγόρει. Lucret. ubi supra: *Terrificas capitum quatientes Numine cristas, Dictaeos referunt Curetas.* adde quae heic Colvius, et in Omissis.

Ibid. *Ad postremum* etc.] Florent. *Ac postremum:* habemus quidem in Glossis, Τὸ τελευταῖον, *denique, postremum*, etc. et apud Tacitum Ann. 1. item adverbialiter, nil muto tamen: nam et infra lib. 9. *ad postremum* dixit. Virgil. 6. *Sic demum* etc. ubi Servius: *Ad postremum: h. e. novissime.* Iuvenal. Sat. 3. *Ad summam* etc. ubi Scholiastes: *Ad postremum:* et Gellius 16. 19. *Cantus ad postrema.*

Ibid. *Ancipiti ferro*] Id est, securibus iis de quibus supra locutus. Hesychius: Κρόπιον· ἀξίνη δίστομος. Virgilius 11. *ferrum bipenne* dixit. ubi Servius *bipennem*, *securim* exposuit. et Aeneid. 7. *Ferro ancipiti decernunt.* Servius: *Utrinque noxio: dicit autem aut gladios aut bipennes.*

Ibid. *Sua quisque brachia dissecant*] Statius ubi supra: *Consumptaque brachia ferro Debilitant.* Lucianus de Corybantibus: Ὁ μὲν αὐτῶν τέμνεται ξίφει τὸν πῆχυν, ὁ δὲ etc. Prudentius in Romani passione: *Cultrum in lacertos exerit fanaticus, Sectisque matrem brachiis placat Deûm.* Cyprianus: *Mente fremunt, lacerant corpus, funduntque cruorem.* 1. Reg. 18. 28. de Baali sacerdotibus: *Incidebant se iuxta ritum suum cultris et lanceolis.* vide Senecam apud Augustinum *de Civit. Dei 6.* 10. Martialis: *Alba minus saevis lacerantur brachia cultris, Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.*

Ibid. *Anhelitus crebros referens*] Lib. 11. de sacerdote altero illo: *Fatigatos anhelitus trahens.* Donatus ad 4. 4. Phorm. *Hariolus quasi fariolus, a fatis, et fando: cum f pro h, et item h pro f in multis locutionibus ponatur: aut quod imitatur aspirationem in exhalando: nam halitu solent excludere mortalem animam ut divinam recipiant.* Pollux 1 1. de oraculis et prophetis agens: Τὸ πνεῦμα δὲ εἴποις ἄν, καὶ, ἀτμὸν μαντικὸν, καὶ ἆσθμα δαιμόνιον. Dio Chrysostomus de Regno 1. Ταῦτα δὲ ἔλεγεν, οὐκ ὥσπερ οἱ πολλοὶ τῶν λεγομένων ἐνθέων ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν, ἀσθμαίνουσα, καὶ περιδινοῦσα τὴν κεφαλὴν, etc. ἀλλὰ πάνυ ἐγκρατῶς, καὶ σωφρόνως.

Ibid. *Velut numinis divino spiritu repletus, simulabat*, etc.] Simulabat se θεόληπτον. Iul. Paulus recept. sentent. 5. 21. *Vaticinatores, qui se Deo plenos simulant*, etc. Isidorus Orig. 8. 9. *Divinitate se plenos simulant, et astutia quadam fraudulenta hominibus futura coniectant.* Noster in de Mundo: *Velut Prophetae quidam Deorum maiestate effantur ceteris, quae divino beneficio soli vident.* legendum videtur, *qui Deorum maiestate pleni, effantur* etc. et nescio an iam alibi hunc locum emendaverim Apud Senecam Suasor. 3. Ovidius: *Feror huc et illuc, ut plena Deo.* Servius ad Aeneid. 6. *Nondum Deo plena, sed afflata divinitate Numinis.* Pollux ubi supra: θεοῦ πλήρης· et, θεοῦ πληρωθῆναι Suidas: Κατεβακχεύοντο· τουτέστιν, ἐνεθουσίων, ἐπιπνοίας τινὸς πληρωθέντες.

Ibid. *Simulabat sauciam vecordiam*] Heliodorus 7. Ὡς τινα τῶν ἀγυρτῶν, ἢ καὶ ἄλλως ἐξεστηκότων παρήμειβεν. Lucianus de Alexandro pseudomante: Μεμηνέναι προσποιούμενος ἐνίοτε, καὶ ἀφροῦ ὑποπιμπλάμενος τὸ στόμα.

Ibid. *Quasi Deûm praesentia soleant homines* etc.] Χαριεντισμὸς· qualis apud Ciceronem ille Tuscul. 3. *In luctu capillum sibi vellere, quasi calvitio moeror levaretur.* Est in aliis hic, *Quasi Domini praesentia.* quis vero *Dominus* ille? nimirum neque *Deûm*, nec *Domini*, sed *Divini* legendum. lectionem hanc compendiose exhibet Oxon. cod. in quo *Divini* exaratum: nec tantum in illo MS. sed et in vetere Vicentina editione. pro voce minus cognita autem, notiorem obtru-

serunt nobis. *Divinum*, θεῖον. et hinc in Apologia Noster, *Divini contumaciam.*

Ibid. *Quale providentia coelesti meritum reportaverit*] Apud Suidam in Πυῤῥὸς· Ἡ δὲ δικαία Πρόνοια αὐτῆς δύναμιν ἐπεδείξατο. supra lib. 3. *Providentia Deûm, quae nihil impunitum nocentibus permittit. meritum*, mercedem: nec aliter ad Phorm. 2. 1. Donatus. *mercedem* intellige, plagas a se impositas sibi. tale et 5. illud de sororibus Psyches: *Et perinde ut merebantur, ora lacerantes.*

Ibid. *Et insuper*] Glossae: Καὶ ἐπὶ τούτοις, *insuper etiam.*

Pag. 173. *Poenas noxii facinoris ipse de suis manibus exposcere*] Malebam, *de se suis m. e.* nec ignoro tamen hoc in Scripto τὸ *de* multoties abundare.

Ibid. *Indidem sese multinodis commulcat ictibus*] *Nunc dextra ingeminans ictus, nunc parte sinistra.* Mecoenas ad Deam Cybelen apud Fortunatianum: *Sonante tympano quate flexibile caput, Latus horreat flagello, comitum chorus ululet.* placet porro quod in uno MS. *multimodis.*

Ibid. *Mira contra plagarum dolores praesumptione munitus*] Plagas nobilitate plusquam Spartana concoquens. Infra lib. 10. *Obfirmatus mira praesumptione, nullis verberibus* etc. *succubuit.* Utroque loco Nicol. Faber, vir magnae eruditionis (lenocinante, sed falsa coniectura) malebat *myrrhae.* videantur quae περὶ οἴνου ἐσμυρνισμένου ad cruciatus et tormenta toleranda ministrati, et vir doctissimus ille, et in Annalibus Baronius. at longe a vero abest receptae illa lectionis immutatio: atque hoc certum esse ex heic adductis exemplis liquidissime constabit. lib. 3. *mira celeritate* dixit: et ibidem, *miro visendi studio.* lib. 9. *miro impetu, miro odio, custodela mira*, et, *mira sagacitate.* lib. 10. *mira desperatione:* et, *miris artibus* lib. 11. *picturis miris:* et, *miris simulacris.* fortasse et *miram maciem* lib. 1. quo tamen loco excusi legunt *miseram.*

Ibid. *Prosectu gladiorum*] Sic supra pag. 156. *prosectu dentium.*

Ibid. *Solum spurcitie sanguinis* etc. *madescere*] Homerus: Ἐρυθαίνετο αἵματι γαῖα.

Ibid. *Sic illa sanguinem conspiceret asininum*] Volebam ad emendationem Beroaldi *concupisceret* excusum.

Ibid. *Ubi tandem fatigati* etc. *pausam carnificinae dedere*] *Ut primum cessit furor hic, rabiesque quievit. Pausam carnificinae dare*, ut apud Lucretium: *Concurrere, nec dare pausam.* et infra hîc 11. *saevis casibus pausam tribuere.* Dicitur et *pausam facere.* Apud Varronem Ennius: *Pausam fecere fremendi.* apud Gellium 9. 13. Quadrigarius: *Pugnae facta pausa est.* et infra heic lib. 9. *pausam luctui facere.*

Ibid. *Stipes aereas*] Ovidius: *Ante Deûm matrem cornu tibicen adunco Cum canit, exiguae quis stipis aera neget?*

Ibid. *Imo vero et argenteas multis certatim offerentibus*] Lucretius: *Aere atque argento sternunt iter omne viarum, Largifica stipe ditantes. Certatim*, ut apud Plautum Milite: *Inter se certant donis, Ille miserrimum se retur minimum qui misit mihi.* et Petronium: *Suas opes summo certamine in Eumolpum congesserunt.* supra heic lib. 4. *Amicorum donationibus variis certatim oblatas.* Suetonius *certatim ingerere* in Nerone dixit. Onomast. vetus: *Certatim*, φιλοτίμως.

Ibid. *Vini cadum*] Lib. 2. *Et vini cadum in aetate pretiosi.*

Ibid. *Et lactem, et caseos, et farris et siliginis aliquid* etc.] Tzetzes ex persona unius ex collegio simili: Τὶς οὐκ ἀπαρχὰς ὀσπρίων τε καὶ συκῶν Ἁγνῷ φέρειν δίδωσι τυμπάνῳ Ῥείης. Et hoc μητραγυρτεῖν· id est, (Eustathio exponente) τὸ μετὰ τυμπάνων etc. περιϊέναι, καὶ ἐπὶ τῇ μητρὶ τροφὰς ἀγείρειν. Firmicus 6. 31. *Futura praedicunt, ut sic illis quotidianae vitae alimenta quaerantur.*

Ibid. *Deae gerulo*] Mihi asino: περὶ ὄνου εἴδωλον βαστάζοντος est lemma in Graecorum veteribus fabellis.

Ibid. *Avidis animis corradentes omnia*] Lucilius: *Omnia viscatis manibus legit, omnia sumit.*

Ibid. *Sarcinae pondere gravatus*] Male τὸ *sarcinae* delet Palat. cod. Supra lib. 7. *Nec* etc. *immodico sarcinae pondere contentus.*

Ibid. *Palantes*] In vetere Onomast. *Palor*, περιφέρομαι. affini satis argumento Act. 19. 13. περιέρχεσθαι.

Ibid. *Gaudiales instruunt dapes*] Infra lib. 9. *Dapem nefariam instruit.*

Ibid. *A quodam colono, fictae vaticinationis mendacio, pinguissimum deposcunt arietem*] Ut Dea vel inescata proventum feliciorem promitteret, vel propitiata labes fundorumque pestilentias averteret. Iuvenalis Sat. 6. de huiusmodi errone: *Grande sonat, metuique iubet Septembris et Austri Adventum, nisi se centum lustraverit ovis: Et xerampelinas veteres donaverit ipsi.* Bene et *mendacio vaticinationis.* Phavorinus de hoc genus nebulonibus: *Cibum, quaestumque ex mendaciis captantes.* Et, *quae aut temere aut astute vera dicunt, prae caeteris quae mentiuntur, pars ea non fit millesima.* apud Gellium lib. 14. cap. 1.

Ibid. *Qui Deam* etc. *esurientem suo satiaret sacrificio*] Nil mirum Deam esurire illam quae et medico indigere potuit.

Pag. 174. *Probeque disposita coenula*] *Disposita* proprie. vide supra pag. [hui. Ed. 179, b.] notata.

Ibid.

Ibid. *Industria laterum, atque imi ventris bene praeparatum*] *Pulchre pensilibus peculiatum.* Lampridius in Heliogabalo *bene vasatum* dixit. Petronius: *Habebat inguinum pondus tam grande, ut ipsum hominem laciniam fascini crederes. O iuvenem laboriosum!* id est, (ut hoc loco) lateribus industrium. *Industria* autem perbelle. Iuvenal. *Si pascitur inguine venter.* ubi vetus Scholiastes: *Usque adeo infelix, ut vix industria inguinum ad victum sufficiat.* Vox *praeparatus* accedit ad formam Graecam. Philostratus 5. 12. de athleta: Εὐψυχίᾳ καὶ μήκει κατεσκευασμένος.

Ibid. *Ante ipsam mensam*] Rem sacram habitam Veteribus, eoque detestabilior foeditas. Ovidius: *Ante ipsam, qua mors foret invidiosior, aram.*

Ibid. *Ad illicitae libidinis* etc.] Lib. 7. *Illicitas atque incognitas tentat libidines.*

Ibid. *Nudatum supinatumque iuvenem* etc.] Catullus, simili spurcitia: *O Memmi, bene me ac diu supinum, Tota ista trabe lentus irrumasti.*

Ibid. *Execrandis inguinibus postulabant*] Cato apud Festum: *Intercutibus stupris flagitatus.* habebant MSS. *virginibus.* lege cum Beroaldo, et antiqua Vicentina, *uredinibus:* aut cum Colvio, *uriginibus.* supra hîc lib. 1. *Urigine percita.* et unde scimus (quanquam nil moveo) an vox illa Iuvenali restituenda? In editis est, *Prurigo morae impatiens.* quî scimus (inquam) an *urigo* scribendum?

Ibid. *Nec diu tale facinus oculis meis tolerantibus* etc] Tale illud 9. *At mihi penitus praecordia rumpebantur, praecedens facinus, et praesentem deterrimae foeminae constantiam cogitanti.* De motu animi ad aspectum rerum indignarum oboriente, videantur quae ad Act. 17. 16. commentati sumus.

Ibid. *Porro Quirites, proclamare gestivi*] Iuvenalis: *Non possum ferre Quirites.* Scholiastes: *Exclamatio*, PORRO QUIRITES. Vide Formulas Brissonii.

Ibid. *O* etc. *clarum et validum*] Ω σύντονον Diogeni Laërtio: qui ad hunc modum de Xenocrate: Χαλκῇ προσπταίσας λεκάνῃ ποτὲ, καὶ τὸ μέτωπον Πλήξας, ἴαχεν Ω σύντονον, εἶτ᾽ ἔθανεν.

Ibid. *Et asino proprium*] Cur ita? an quod hoc animal ceteris magis fusti assuetum?

Ibid. *Sed inopportuno plane tempore*] Oxon. *Sed importunum p. t.*

Ibid. *Palamque* etc.] Ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ.

Ibid. *Iam iamque vicinos undique percientes*] Est quod 4. (ubi de suppetiis ferundis,) *Vicinos corrogare*, (ita enim, non *rogare*, legendum monui:) *et unumquemque ciere.* et 7. *viciniam convocare.* nam *per* hoc loco vim adaugentem habet, quod non cogitantes Critici nostri, quantum frustra laboris exhauserunt!

Ibid. *Turpissimam scaenam patefaciunt*] Lib. 10. *Vocatoque uno et altero, ac deinde pluribus conservis, demonstrant infandam hebetis iumenti gulam.*

Ibid. *Turpiss. scaenam patefaciunt*] Lib. 9. *Scaenam propudiosae mulieris patefacit.* et 10. *Incontanter ei libidinis nostrae totam scaenam detegit.*

Ibid. *Ridicule* etc. *laudantes* etc.] Sic supra 5. *ridicule tractare.* ubi dicta pag. [hui. Ed. 257, a.] vide.

Ibid. *Hac infamia consternati*] Cyprianus de istorum mendicabulorum Dea: *Cuius cultores infamia turpis inurit.*

Ibid. *Hac infamia consternati, quae per ora populi facile dilapsa, merito invisos ac detestabiles eos cunctis effecerat*, etc. *collectis omnibus, furtim castello facessunt*] Catullus: *Cur non exilium, malasque in oras Itis? quandoquidem patris rapinae Notae sunt populo.* Apud Terentium 4. 2. Hecyrae: *Hic video me invisum* etc. *tempus est concedere.* Attius in Diomede: *Ego me Argos referam, nam hic sum nobilis. Per ora populi* hîc, ut 1. *Passim per ora populi.* et 5. *Per cunctorum ora populorum. Invisos ac detestabiles.* ut 7. 18. apud Gellium: *Usque adeo intestabiles invisosque fuisse*, etc. *Collectis omnibus:* ut 1. *sarcinulis collectis.*

Ibid. *Bonaque itineris parte ante iubaris ortum transacta*] Lib. 1. *Aliquantulum processeramus, et iam iubaris exortu cuncta collustrantur.*

Ibid. *Verberantes, pene ad extremam confecerant mortem*] Gellius 17. 1. *Verberando necatus est.* Gracchus apud Eundem 10. 3. *Usque adeo verberari iussit, dum animam efflaret. Ad necem usque verberare*, Terentius Phormione 2. 2. dixit. et 1. 2. Adelph. *Ad necem usque loris operiri.* In l. 8. §. 2. ff. de poen. *Nec ea poena damnari quenquam oportet, ut verberibus necetur. Conficere* heic *ad mortem*, et scite, et Latine dixit. Donatus ad 5. 4. Eunuchi: *Proprie hoc verbum convenit gladiatoribus iis qui gravissimis vulneribus occubuerunt: sic Cicero in Catilinam: Gladiatori illi confecto et saucio.* ut illi solebant confici vulneribus, sic se plagis confectum dicit.

Ibid. *Qui poplites meos enervare securi saeva comminaretur*] Supra lib. 4. *Districto gladio, poplites eius* etc. *amputant.* Isidorus Orig. lib. 18. *Cetera membra securibus caeduntur, collum gladio tantum.* In MSS. et editis quibusdam male, *sua securi.* Virgilius, (ex quo Noster,) *Saevasque secures.* Scriptor de Excid. Hierosolymitano 5. 22. *Super colla pignorum saevam librantis securim.* Plinius Panaegyrico: *Instare ferro, saevire securibus.*

Ibid.

Ibid. *Rursum itaque me refertum sarcinis plenis, gladiis minantes*, etc.] MSS. duo, et vetustissimae editiones sic legunt ac distinguunt: *refertum sarcinis, planis gladiis minantes.* Colvius sinistris avibus illam alteram lectionem suggessit. *Minare planis gladiis* Appuleius dixit, ut, πλαγίοις καὶ πλατέσι ξίφεσι παίειν, Dio Cassius L. 40. et, *plana faciem contundere palma* Iuvenalis Sat. 11. sic, *planas manus deducere* etc. 1. 14. apud A. Gellium. Non tali sensu Pontius in Cypriani vita: *Manu expansa et complanata ad spathae modum, ictum* etc. *animadversionis imitatur.* quomodo haec debeant sumi ex his Hesychii disce: Πλάται, τῶν σπαθῶν τὰ πλατέα.

Ibid. *Inibi*] Onomast. vetus: *Inibi*, αὐτόθι.

Ibid. *Vir principalis*] Ἐκ τῶν τῆς πόλεως πρώτων vide ad Act. 13. 50. adnotata. Florid. 3. Noster: *Unum e principalibus viris.*

Ibid. *Religiosus, et eximie Deûm reverens*] Τὰ περὶ θεοὺς πάνυ νοσῶν, ut Rutilianus ille apud Lucianum in Pseudomante. Vicentina, et reliquae veteres, *Domini reverens:* pro quo Beroaldus, *Dominae:* id est, Deae Syriae: modestius et probabilius alius, qui *Deûm*, nullis libris adstipulantibus. fortasse in MS. *divini* erat, ex quo *divini* legendum. vide paulo supra notata, ad ea, *Quasi Deûm praesentia* etc.

Ibid. *Cantusque Phrygii mulcentibus modulis excitus*] *Exercitus* male habent MSS. aliquot, et antiquitus cusi. supra lib. 6. *Quae vocis excitu procurrens.* et 10. *Acerbae mortis exciti nunciis*, etc.

Ibid. *Votivo suscipiens hospitio*] Id est, *optato hospitio.* sic 5. *votivas nuptias.* 7. *votivum conspectum:* et apud Scriptorem de Pudicitiae bono, *votivum negotium.*

Ibid. *Intra conseptum domus*] Infra lib. 11. *Infra conseptum templi.* Onomast. vetus: *Conseptum*, περίφραγμα.

Ibid. *Capitis periclitatum*] Martialis: *Periclitatur capite Sotades noster.*

Ibid. *Quod incuriose pone culinae fores* etc. *suspensum, canis adaeque venaticus latenter invaserat*] Gratius in Cynegetici fragmento: *Sed praeceps virtus ipsa venabitur aula.* id est, in aula domus tuae. subdit enim: *Pasce tamen, quaecunque domi tibi crimina fecit, Excutiet sylva magnus pugnator aperta.* ergo falsus (ni ego) Barthius, qui *aulam*, *nidum* exposuit. Apud Lucianum, inter pauperum contra opulentos malas preces, habemus, τὴν κύνα παρεισπεσοῦσαν τόν τε ἀλλάντα ὅλον καταφαγεῖν, περὶ τ' ἄλλα τῶν ὀψοποιῶν ἐχόντων, καὶ τοῦ πλακοῦντος τὸ ἥμισυ. Et nota, *incuriose suspensum.* Longus in Poimenicis: Εἷς κύων etc. τὴν ἀμέλειαν φυλάξας, τὸ κρέας ἁρπάξας, ἔφυγεν.

Ibid. *Laetusque praeda* etc.] Florid. 4. de Aquila: *Praeda simul et victoria laetus.*

Ibid. *Quo damno cognito* etc.] Lib. 4. *Tanto damno cognito.*

Ibid. *Suaque reprehensa negligentia*] Ita melius quam in Bertin. Cod. *deprehensa.* Cornel. Nepos in Datame: *Seipsum reprehendit.*

Ibid. *Lamentatus lacrymis inefficacibus*] Lib. 4. *Quid lacrymis inefficacibus ora* etc. *foedatis.* et 9. *Lacrymis uberibus, et postremis lamentationibus inefficacem commovet miserationem.*

Ibid. *Moerens, et utcunque metuens*] Lib. 5. *Pavens, et utcunque metuens.* sic 1. *Trepidus, et eximie metuens.*

Ibid. *Arctius filio suo parvulo consalutato, arreptoque funiculo, mortem sibi nexu laquei comparabat*] Ut quae metuebat verbera vel hoc pacto evaderet. Seneca: *Iracundus Dominus quosdam ad fugam coegit, quosdam ad mortem.* Complecti et osculari suos mos frequens perituris. De Myro Plutarchus: Λύσασα τὴν ζώνην, καὶ βρόχον ἐνάψασα, τὴν ἀδελφὴν κατεσπάζετο, etc. Idem de Ancharo Midae filio: Δοὺς περιπλοκὰς τῷ γεννήσαντι, καὶ τῇ γυναικὶ Τιμοθέᾳ, ἔφιππος εἰς τὸν τόπον τοῦ χάσματος ἠνέχθη. Pro *consalutato* Wowerius *consaviato* reposuit. adiuvabo (quod nec ipse fecerat) coniecturam eius. supra hîc lib. 2. *Amplexus osculatur artissime.* nec tamen loci lectionem immutatum ibo. nam et in vetere Onomast. *Consalutare*, est ἀσπάζεσθαι. et Tacitus (quem saepe exprimit Noster) non semel ea voce utitur.

Ibid. *Nec tamen latuit fidam uxorem eius casus extremus mariti*] Lib. 5. *Nec enim vos utique domus meae famosa fabula* etc. *latuerit.* Lib. 6. *Nec Providentiae bonae graves oculos innocentis animae aerumna latuit.* lib. 9. *Ardentem Philosetaeri vigilantiam matronae nobilis pulchritudo latere non potuit.* et 4. *Nec denique nos latuit Chryseros quidam* etc.

Ibid. *Funestum nodum violenter invadens manibus ambabus*] Apud Petronium ille: *Inclusus suspendio vitam finire constitui*, etc. *cervicesque nodo condebam: cum reseratis foribus intrat cum Gytone Eumolpus, meque a fatali iam meta revocavit ad lucem.*

Ibid. *Adeone, inquit, praesenti malo perterritus mente excidisti tua?*] In Eunucho Terentiana: *Quid homo inquam ignavissime, Itan' parâsti te ut spes nulla reliqua in te esset tibi?*

Ibid. *Mente excidisti tua?*] Catullus, si memini: *Sensibus ereptis mens excidit.* hoc voluit Scriptor Sapientiae, qui *metum*, τῶν τοῦ λογισμοῦ βοηθημάτων προδοσίαν, 17. 11. vocat.

Pag. 176. *Fortuitum remedium quod Deûm providentia subministrat*, etc.] Lib. 1. *Cum nullum aliud telum* etc. *Fortuna subministraret.*

 Etiam

Etiam hîc in vet. Vicent. *dni*: unde clarum *divini* legendum.

Ibid. *Si quid in ultimo Fortunae turbine respicis, expergite mi ausculta*] Apud Livium lib. 1. *Si tua re subita consilia torpent, at tu mea sequere.* Helena apud Euripidem: Εἰς ἄπορον ἥκεις, δεῖ δὲ μηχανῆς τινος. Apud Aeschylum chorus ad Prometheum: Κακὸς δ' ἰατρὸς ὅστις ἐς νόσον πεσὼν ἀθυμεῖς, Καὶ σαυτὸν οὐκ ἔχεις εὑρεῖν ὁποίοις φαρμάκοις ἰάσιμος. *Mi ausculta*, consilium suggerentis formula. Apud Plautum Curcul. *Auscultes mihi, Atque istam exturbes ex animo aegritudinem.* supra lib. 5. *Ergo ausculta mihi, nec te praecipitio, vel ullo mortis genere accersito perimas.* et 6. *Meis itaque consiliis auscultantes, vitam puellae, sed quam meretur largimini.* τὰ *respicis* eo remittamus unde Colvius deprompsit, veterumque editionum scripturam *resipiscis* revocemus. *resipiscit*, qui aberrantem spiritum revocat, vel excitat dormientem. vide ad Andr. 4. 2. Donatum. coniecturae autem si novae locus, *resipis*, (id est, *sapis*,) scribamus. sic, pro *narrare*, *renarrare*: pro *dare*, *reddere*: et alia illius notae hoc in Scripto occurrentia.

Ibid. *Expergite mi ausculta*] *Ut te ipsum serves non expergisceris?* Apud Senecam Herc. fur. *Meliora mente concipe, atque animum excita.* id est, *expergiscere*. *expergite* hîc est ἐγρηγορότως.

Ibid. *Remoto quodam loco deductum*] Supra lib. 4. *Remoto et abdito loco positum.*

Ibid. *Protrimentis*] Onomasticon vetus: *Protrimenta*, ἐπιτρίμματα.

Ibid. *Nequissimo verberoni sua placuit salus de mea morte, et multum conservae sagacitate laudata, destinatae etiam lanienae cultros acuebat*] *Conservam*, uxorem intellige. Esther. 5. 14. de Hamane: *Placuit ei* (uxoris) *consilium, iussit excelsam parari* (Mordochaeo) *crucem.*

LIBER NONUS.

Ibid. *Contra me manus* etc. *obarmabat*] Lib. 8. *In speciem praelii manus obarmaverant.*

Ibid. *Praecipitante consilium periculi tanti praesentia*] Lib. 7. *Ustrina talis moram non sustinens, meliora consilia praevertit.* lib. 10. *Perturbatus excussusque toto consilio, et ob angustiam temporis spatio cogitandi privatus.* Infra heic: *Repentino malo perturbatus, et misera trepidatione ad inopiam consilii deductus.* Ovid. 3. 6. de Pont. *Sed pavor attonito rationis ademerat usum, Cesserat omne meis consiliumque malis.* Plutarchus in de Alexandri fortuna: Τὰς κρίσεις ἐκκρούουσιν αἱ φαντασίαι τῶν κινδύνων ἐγγὺς γινομένων. Dio Cassius lib. 42. Ὅταν τε ἀπροσδοκήτως τινὶ, καὶ μετὰ πλείστου παραλόγου προσπέσῃ, τό τε φρόνημα αὐτοῦ ταπεινοῖ, καὶ τὸ λογιζόμενον ἐκπλήσσει, ὥστ' αὐτὸν κάκιστόν τε καὶ ἀσθενέστατον τῶν πρακτέων κριτὴν γενέσθαι.

Ibid. *Nec exspectata diutina cogitatione, lanienam imminentem fuga vitare statui*] Lib. 10. *Nec quidquam diutina deliberatione tam salubre visum, quam fuga celeri fortunae saevientis procellam evadere.*

Ibid. *Vinculo quo fueram deligatus abrupto*, etc.] Ennius: *Sicut equus qui de praesepibus altis Vincla suis magnis animis abrumpit*, etc. ubi Notas Columnae vide. Sinon apud Virgilium: *Eripui fateor letho me, ac vincula rupi.*

Ibid. *Transcursa proxima porticu*] Terent. 4. 6. Eunuch. *Dum ego hinc transcurro ad forum.* ubi Donatus: *Transcurro dixit, non, curro: ut proximitatem fori ostenderet.*

Ibid. *Ad tutelam salutis*] Lib. 8. *salutis praesidium* dixit. *salubrem* (quod heic excusum) non adeo probamus.

Pag. 177. *Mensas etiam impetu meo collido atque disturbo*] In Luciano Gallo, non dispari argumento: Τὰς τραπέζας ἀνέτρεψας. bene et *mensas*, non *mensam* dixit. Virgilius 1. *Mensaeque remotae.* ubi Servius: *Licet sub extranea persona, Romanorum tamen morem exequitur, apud quos duae mensae erant: una epularum, altera poculorum.* quae verba, ut de proximo huc quadrant, ubi et res de *mensis*, ita aliis horum librorum locis aptissime conveniunt. Appuleius enim ad exemplum Virgilii (quem prae omnibus et Poëtis et Historicis sectatur) saepissime sub personis Graecis Romanas consuetudines alludit.

Ibid. *Impetu meo* etc. *disturbo*] Infra lib. 11. *Ne repentino quadrupedis impetu religionis quietus turbaretur ordo.*

Ibid. *Qua rerum deformi strage paterfamilias commotus*, etc.] Thucydides: Πᾶσιν, ἐν τοῖς ὄμμασι, καὶ ἐν τῷ παραυτίκα ὁρᾷν πάσχοντάς τι ἀηθὲς, ὀργῇ προσπίπτει.

Ibid. *Me cuidam famulo curiose traditum*] Lib. 10. *Meque cuidam acceptissimo liberto suo* etc. *magna praefatus diligentia tradidit.* Virg. 3. Eclog. *Nuper mihi tradidit Aegon.* Servius: *Fidei meae commisit et credidit.*

Ibid. *Ne rursum convivium* etc. *dissiparem*] Lucianus ubi supra: Συνετάραξας ἡμῖν τὸ συμπόσιον. Hesychius: Σὺν δ' ἡμῖν δαῖτα ταράξαι· συνταράξαι ἡμῖν τὴν εὐωχίαν.

Ibid. *Commento*] Glossae: *Commento*, τεχνάσματι.

Ibid. *Nihil Fortuna renuente licet homini nato dextrum provenire*] Demosthenes: Μεγάλη ῥοπή,

βοπῇ, μᾶλλον δὲ ὅλον ἡ Τύχη παρὰ πάντ' ἐστι τὰ τῶν ἀνθρώπων. De *homine nato* olim pag. 32. ad Apologiam dixi.

Ibid. *Nec consilio prudenti, vel remedio sagaci divinae providentiae fatalis dispositio subverti vel reformari potest*] Velleius Paterculus: *Praevalebant iam fata consiliis.* Ovidius: *Tantum ne aliquis sibi posse videtur, Fata quoque ut superet?* Virgilius: *Manent immota tuorum Fata tibi.* ubi Servius: *Per transitum Stoicorum dogma ostendit, nulla ratione posse fata mutari.* Idem ad Aeneid. 1. *Fati immobilis ratio est.* ad 2. *Contra fata venire constat neminem.* et ad 11. *Fata superare nemo hominum potest.* Ammianus Marcellinus: *Nulla vis humana unquam aut virtus meruisse potuit, ut quod praescripsit fatalis ordo, non fiat.* Cicero ex Varronis persona: *Quam vim animam esse dicunt mundi, eandemque esse mentem, sapientiamque perfectam, quam Deum appellant: omniumque rerum quae sunt ei subiectae quasi providentiam quandam*, etc *quam interdum Necessitatem appellant, quia nil aliter possit atque ab ea constitutum sit, intervenire: quasi fatalem et immutabilem continuationem ordinis sempiterni.* Theocritus: Οὐκ ἔστιν ἀλύξαι Ἀνθρώποις ὅ, τι Μοῖρα κατὰ κλωστῆρας ἐπείγει. Maximus Tyrius Dissert. 30. Τυραννικὸν ἡ Εἱμαρμένη, καὶ ἀδέσποτον, καὶ ἀμετάτρεπτον. id est, *quae subverti nequeat*, ut loquitur Appuleius noster.

Ibid. *Nec consilio* etc.] Iosephus Antiquit. 2. 5. Κρατήσειε δ' ἂν οὐδεὶς τῆς τοῦ θεοῦ γνώμης, οὐδὲ μυρίας τέχνας ἐπὶ τούτῳ μηχανησάμενος. Proverb. 21. 30. *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Deum.*

Ibid. *Reformari*] Mutari. vide supra [hui. Ed. 280, b.] dicta.

Ibid. *Mihi denique id ipsum commentum quod momentariam salutem reperisse videbatur, periculum grande, imo exitium praesens creavit*] *Quamcunque viam virtute munirem, Successum Dea dira negavit.* Virgil. Georg. 3. *Ea visa salus morientibus una, Mox erat hoc ipsum exitio.* ubi Servius: *Hoc ipsum quod saluti esse putabatur.* Idem ad Eclog. 9. *Plerumque bona in peius* etc. *mutantur.* Artemid. 3. 67. Ἐν τοῖς πράγμασι ποτέ μὲν χρησταὶ ἐλπίδες εἰς κακὸν ἀπέβησαν. Donatus ad 2. 1. Adelph. *Saepe male cedit quod bonum putatur.* et ibid. 4. 7. *Saepe homines ea optaverunt quae aliis aliter* (melius *quae aliter*) *atque expectaverunt contigissent: quam potestatem rerum vertentium se in utramque partem Vertumno Deo superesse Veteres existimaverunt.* Chrysost. Πολλὰ δοκοῦντα λυσιτελεῖν, ἐστὶν ὅτε βλάβην ἤνεγκε πολλήν. Tacit. Ann. 6. *Eaque quae remedio quaesita* etc. *in contrarium mutari.* In versiculis Soloni adscriptis: Πᾶσι δὲ τοῖς κίνδυνος ἐπ' ἔργμασιν, οὐδέ τις οἶδεν Ἧ μέλλει σχήσειν, χρήματος ἀρχομένου· Ἀλλ' ὁ μὲν εὖ ἔρδειν πειρώμενος, ὃν προνοήσας, Εἰς μεγάλην ἄτην καὶ χαλεπὴν ἔπεσεν. Apud Libanium morosus ille: Νομίζων φορὰν ἀγαθῶν ἔσεσθαί μοι τὸ πρᾶγμα, συμφορὰν ᾐσθόμην προσθέμενος.

Ibid. *Mobili ac trepida facie percitus*] Terent. Hecyr. 3. 3. *Incredibili re atque atroci percitus.* τὸ *mobili* quid sit nescio: praeterierunt omnes, nemo explicavit nobis. fortasse *ignobili*, id est, *ignota*, scribendum. sic supra 5. *ignobilis maritus.*

Ibid. *Irrumpit triclinium*] Achilles Tatius lib. 4. Εἰστρέχει τις τεθορυβημένος.

Ibid. *De proximo angiportu canem rabidam* etc.] Supra lib. 4. *Canes de proximo angiportu satis feri*, etc.

Ibid. *Hypatium cubicularium*] Oxoniensis, et quo Colvius usus MS. *Hyspasium.*

Ibid. *Venenatis morsibus*] Supra lib. 6. *Et nonnunquam venenatis morsibus in exitium mortalium saevire.* Isidorus 12. 4. de aspide: *Venenato morsu interimit.* Virgil. *Laesaeque venenum Morsibus inspirant.* Horatius: *Morsuque venenat.*

Ibid. *Contacta nonnulla iumenta* etc.] Ita recte Oxon. et Bertin. MSS. cum edito Vicentiae. male *contracta* alii, alii *contrectata.* Seneca 3. 7. de Ira: *Quaedam in contactos corporis vitia transiliunt.* Sallust. 1. Histor. *rabie contacti.* Isidorus 4. 6. *Contagium a contingendo, quia quem tetigerit polluit.*

Ibid. *Efferari iam simili rabie*] Petronius: *Ex dolore in rabiem efferatus.* Onomast. vetus: *Effero*, ἀγριόω.

Ibid. *Quae res omnium* etc. *percussit animos*] Lib. 8. *Quae res circumstantium* etc. *deterruit animos.*

Ibid. *Ratique me etiam eadem peste infectum ferocire, arreptis cuiuscemodi telis* etc.] Oxoniensis hoc modo: *R. m. e. e. p. infectum, ferociter arreptis* etc.

Pag. 178. *Ipsi potius eodem vesaniae morbo laborantes*] In Menaechmo Plautina, Sc. *ut aetas: Insanire me aiunt, ultro cum ipsi insaniunt.* Cyprianus de Novatiano: *Cum sit a seipso factus immundus, sordidus, sacrilegiis inquinatus: hoc nos esse contendit.*

Ibid. *Lanceis illis et venabulis*] Idem Codex, *vel* (id est, *et*,) *venabulis*: quod rectius esse non dubito: sic saepe enim Appuleius.

Ibid. *Bipennibus*] Glossae: *Bipennis*, δίστομος ἀξίνη. Virgilius 11. *ferrum bipenne* dixit.

Ibid. *Membratim compilassent*] Hesychius: Μελιοῦσι, κατακόπτουσι.

Ibid. *Cubiculum* etc. *irrupissem*] Antea in tri-

triclinium irruperat, nunc in cubiculum dormitorium irrumpit.

Ibid. *Obseratisque super me foribus*] Lib. 8. *Valvis super se diligenter obseratis.* Interpres vetus Esaiae 26. 20. *Claude ostia tua super te.*

Ibid. *Sine ullo concessionis suae periculo*] *Ingressionis*, *et introitus*, exponit Beroaldus: at exempla desidero. Lipsius *congressionis:* quod nec ipsum satisfacit mihi.

Ibid. *Pestilentiae lethalis* etc. *rabie* etc. *peresus*] Lib. 10. *Herbae pestilentis succo noxio peremptus.*

Ibid. *Solitariae fortunae munus amplexus*] Id est, beneficium solitudinis. futili ergo torquetur scrupulo Beroaldus an heic *solitam fortunam* intelligat. supra lib. 4. *Ipsa solitudo mihi bonam fiduciam tribuebat*, *si* etc. *in hominem*, *inspectante nullo*, *resurgerem.*

Ibid. *Post multum equidem temporis* etc.] Diu est quod ad Apologiam pag. 160. monui, videri mihi hoc loco *post aliquam multum* legendum.

Ibid. *Iamque clara die*] Persius: *Iam clarum mane fenestras Intrat.* supra lib. 8. *Luce clara*, *et die iam provecto.*

Ibid. *Illos ausculto* etc. *de meis sic altercare fortunis*] Lib. 6. *Dum secum mitissimi homines altercant de mea nece.*

Ibid. *At hunccine?* etc.] Melius in ceteris, *adhuccine?*

Ibid. *Inquiescente saevitia* etc.] Pro *quiescente*, ut *incognoscere*, *inconcupiscere:* et talia apud Scriptorem istum.

Ibid. *Opinionis variae* etc.] Symmachus lib. 9. *Inter haec opinionum varia*, etc.

Ibid. *De rima quadam prospiciunt* etc.] Vide supra pag. [hui. Ed. 209, a.] notata.

Ibid. *Sanum me atque sobrium otiose consistere*] Καθήμενον καὶ σωφρονοῦντα· ut 5. 15. D. Marci. *consistendi* (id est, *quiescendi*) vocem, *iugi iactationi* opponit.

Ibid. *Iamque ultro foribus patefactis*, *plenius an iam sim mansuefactus periclitantur*] Fuxensis, Oxon. et Colvii MS. *percontantur.* tuentur alteram lectionem vel haec Plautina Mostel. *Nihil pericli est*, *age*, *Tam placida est quam est aqua: vise*, *ire intro audacter licet.*

Ibid. *De coelo missus mihi sospitator*] Aristophanes Avib. Σὺ δὲ μοὶ κατὰ δαίμονα, καὶ Συντυχίαν ἀγαθὴν ἥκεις ἐμοὶ σωτήρ. supra heic lib. 3. *Tandem mihi inopinatam salutem ipse Iupiter tribuit.* Psalm. 57. 4. Ἐξαπέστειλεν ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἔσωσέ με. vide Suidam in ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ δαιμόνιον· et in κατὰ θεῖον. Artemidorus 1. 7. Θεόπεμπτα ἐν τῇ συνηθείᾳ πάντα τὰ ἀπροσδόκητα καλοῦσι. Tibullus: *Sed videar coelo missus adesse tibi.*

Ibid. *Si intrepidus* etc. *aquis adlubescerem*, *sanum me* etc.] Philostratus 6. ult. Φαρμακοποσία λύττης ὕδωρ, ἂν θαρσήσῃ αὐτὸ ὁ λυττῶν.

Ibid. *Atque omni morbo scirent expeditum*] In Apologia: *Sanitas expedita*, *imbecillitas laciniosa est.* vide quae ibidem pag. 81. annotata.

Pag. 179. *Contantes adhuc*] Dubitantes propius consistere eum, quasi adhuc ferocientem. supra lib. 4. *Ut* etc. *nemo quisquam fuerit ausus quamvis iacentem bestiam vel digito contingere*, *nisi tandem pigre ac timide quidam lanius* etc. *utero bestiae resecto magnificum despoliavit latronem.*

Ibid. *Pronus*, *et totum caput invergens*] Omnes MSS. *vergens*, quae lectio firmari potest ex Plinio, qui 4. Epist. ult. *pronum* et *vergens* iunxit: ego, cum de potu heic res, aut *mergens*, aut *immergens* legerim: et, nisi probe fulcivero coniecturam meam, a me, contra membranas tot veteres, stet nemo quisquam. Solinus cap. 47. *Quo quis acrior fuerit*, *speique maioris*, *eo profundius nares mersitat in bibendo.* In veterum Poëtarum reliquiis: *Fontanos latices*, *et lucida pocula vitro*, *Cerne ut demerso torridus ore bibat.* Scholiastes vetus Iuvenalis de Phoenicoptero, Sat. 11. *Huius rostrum tam prolixum est et curvum*, *ut*, *nisi merso capite aqua in os ipsius non possit intrare.* Sic apud Clementem Alexandrinum Paedag. 2. 2. Τὸ πρόσωπον μονονουχὶ ἐμπλύνειν καὶ ἐναποκλύζεσθαι. et Theocritum 7. Αὐταῖσι κυλίκεσσι καὶ ἐς τρύγα χεῖλος ἐρείδειν. et infra hoc ipso libro, ubi de pabulo, etsi non de potu: *Cantherii* etc. *circa praesepia capita demersi.* Bene autem *pronus* argumento isto. supra lib. 1. *Appronat se*, *avidus affectans poculum.* ubi pag. [hui. Ed. 160, a.] adnotata vide.

Ibid. *Plausus manus*] Virgilius: *Et plausae sonitum cervicis amare.* Seneca *blandiente tactu permulcere* dixit. Ulpianus ad 2. Olynth. Εἰώθαμεν τὰ θηρία οὕτως ἐξημεροῦν, διὰ τοῦ τὴν χεῖρα τοῖς σώμασιν αὐτῶν ἐπάγειν, οἱονεὶ κολακεύοντες αὐτὰ διὰ τοῦ χειροτριβεῖν.

Ibid. *Et aurium flexus*] *Aures flectere* heic, fortasse est quod supra 1. *aures remulcere* dixit.

Ibid. *Modestiam meam*] Mansuetudinem 8. de eodem isto: *Prorsus ut in asini corio modestum hominem inhabitare credas.* Glossae: *Modestus* ἐπιεικής. Ἐπιείκεια, *mansuetudo*, etc. *modestia.*

Ibid. *Cum crotalis et cymbalis*] Cicero in L. Pisonem: *Nec collegae tui cymbala et crotala fugi.*

Ibid. *Hospitio proximi stabuli* etc.] Id est, *stabuli quod ingressu primum*, ut supra lib. 1. locutus.

Ibid. *Gracili pauperie laborans*, *fabriles operas praebendo*, etc.] Seneca cap. 23. ad Polybium:

bium: *Alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat*, etc.

Ibid. *Fabriles operas praebendo, parvis illis mercedibus vitam tenebat*] Georgius Nyssenus de Aëtio I. contra Eunomium: Διὰ χειρὸς ἔχοντα σφῦρα βραχέα, καὶ ἀκμόνι μικρῷ προσκαθήμενον ὑπὸ σκηνῇ τριχίνῃ, γλισχρῶς, καὶ μετὰ πόνου τὰ ἀναγκαῖα τοῦ βίου διὰ τῆς ἐργασίας ταύτης συμποριζόμενον· τίς γὰρ ἂν δὴ γένοιτο μισθὸς λόγου ἄξιος (Appuleius *parvas mercedes* dixit) τῷ θεραπεύοντι τὰ σαθρὰ τῶν χαλκωμάτων, καὶ παραβύοντι τὰς τρυμαλιὰς, etc. καὶ μολιβδοχοοῦντι τῶν λεβήτων τὰς βάσεις; quae facile est videre quam bene Appuleium illustrent. Oxoniensis, Palat. et Lipsii MS. *prehendens*: satis commoda vulgata lectio: *praebere operas* passim in Digesto occurrit.

Ibid. *Parvis illis mercedibus vitam tenebat*] Hesychius: Μεμισθαρνηκότα· μισθῷ κάμνοντα. Virgilius; *Tolerare colo vitam, tenuique Minerva*: ubi Servius: *Non, filo tenui: id est, subtili artificio: sed, parvo pretio lanificii exiliter et tenuiter victum praebente. Tenere vitam* hîc, ut I. *Quo quaestu vitam teneam*, et apud Plautum Bacchid. *improbis se artibus tenere*. In Axiocho Platonis dicto, de hominibus χειρωναξικοῖς καὶ βαναύσοις. Πονουμένους ἐκ νυκτὸς εἰς νύκτα, καὶ μόλις τὰ ἐπιτήδεια πορίζομένους.

Ibid. *Postrema lascivia* etc.] Summa. sic infra hoc lib. *postremas lamentationes* dixit.

Ibid. *Dum matutino ille ad opus susceptum proficiscitur*] *Dum bene mane Duris e stratis opera ad fabrilia surgit*. Antoninus 5. I. Ὄρθρου, ὅταν δυσόκνως ἐξεγείρῃ, πρόχειρόν ἔστω, ὅτι ἐπ' ἀνθρώπου ἔργον ἐγείρομαι. Hesiodus: Ὄρθρου ἀνιστάμενος, ἵνα σοὶ βίος ἄρκιος εἴη. Plutarchus Sympos. 3. 6. Τὴν ἑσπέραν τῶν πόνων ἀνάπαυσιν, τὸν δὲ ὄρθρον, ἀρχήν· καὶ τὴν μὲν ὁ Λύσιος ἐπισκοπεῖ Διόνυσος, μετὰ τῆς Τερψιχόρης καὶ Θαλίας· ὁ δὲ πρὸς τὴν ἐργάνην Ἀθηνᾶν, καὶ τὸν ἀγοραῖον Ἑρμῆν ἐπανίστησι. *Susceptum* qui e contextu eiecerit, me neutiquam repugnantem habebit. Florid. I. *Impransus ad opus foras extruditur*. Auctor de Observ vigil. in D. Hieronymi operibus: *Bonus Deus, qui ita prospexit, ut homo exiturus ad opus suum* etc. *usque ad vesperam, haberet vicarium tempus*.

Ibid. *Dum matutino* etc. *proficiscitur*) Commode hoc horae positum: Οὐδὲ γὰρ εὕδειν Ἀνδράσιν ἐργατίναισι κακαὶ παρέχοντι μέριμναι. paupertatis μέριμναι nempe: ut 22. apud Theocritum.

Ibid. *Dum matutino ille ad opus susceptum proficiscitur, statim latenter irrepit eius hospitium temerarius adulter*] Suidas: Μοιχὸς, ὁ πόρνος· ἐκ τοῦ μὴ, καὶ τοῦ οἴχομαι· ὁ ἐπιτηρῶν μὴ οἴχηται ὁ ἀνὴρ τῆς γυναικὸς, ἵνα εἰσέλθῃ.

Ibid. *Veneris colluctationibus* etc.] Lib. 2. *His et huiusmodi colluctationibus ad confinia lucis usque pervigiles egimus*. Aurelius Victor de Domitiano: *Furens libidine, cuius foedum exercitium Graecorum lingua* κλινοπάλην *vocabat*.

Ibid. *Operantur*] Vide supra pag. [hui. Ed. 190, a.] notata.

Ibid. *Maritus* etc. *improvisus hospitium repetit*] Infra hîc in simili nequitiae scaena: *Commodum novis amplexibus Amori rudi litabant: commodum prima stipendia Veneri militabant*, etc. *et contra omnium opinionem* etc. *improvisus maritus adstitit*.

Ibid. *Clausis et obseratis foribus*] Supra hîc: *Clausis obseratisque super me foribus* etc.

Ibid. *Sibilo etiam* etc.] Lib. 8. *Unoque sibilo contentus*, etc. ubi dicta [hui. Ed. 310, a.] vide.

Ibid. *Tunc mulier callida, et ad huiusmodi flagitia perastutula*] Euripides de mulieribus loquens: Εἰς μὲν ἐσθλ' ἀμηχανώταται, Κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται. Bene autem flagitiis astutiam iunxit. Servius ad Aeneid. II. *Astutos proprie malitiosos vocamus*. Pro *perastutula*, fortasse *praeastutula* legendum. sic 4. *praealtissimum puteum*. 6. *praeeminentes silices*. et 7. *praegrandem hircum*.

Pag. 180. *Tenacissimis amplexibus expeditum*] Florid. I. de Elephantis: *Expedire gressum nequientibus, vel omnino abrumpere tenacissimorum serpentium squameas pedicas*, at haec ad locutionem. ad sensum loci istius Claudianus: *Livescant brachia nexu*. vide et 7. 27. Ecclesiasten. supra hîc lib. 5. *Iungens membra cohibentia*.

Ibid. *Dolio* etc. *dissimulanter abscondit*] Infra heic in alia huius notae narratione: *Subitario ducta consilio, eundem contegit viminea cavea*. Horatius: *An turpi clausus in arca*, etc. ubi vetus Scholiastes: *An in adulterio comprehensus, claudaris in arca*, etc. *ne te maritus inveniat*. Iuvenal *Quem toties texit perituri cista Latini*. Scholiastes: *Latinus mimus fuit, qui moechus in cistam devolutus, superveniente aliquo tegebatur*.

Ibid. *Aspero sermone accipit*] Annon melius *excipit*? certe Tacitus (quem ubique imitatur Noster) *sermone infesto excipere quem*, Histor. 3. dixit.

Ibid. *Siccine vacuus et otiosus, insinuatis manibus ambulabis mihi?*] Increpatio similis apud Philonem illa in de Mosis vita: Βραχίονας καὶ πήχεις ἀργοὺς τρέφοντες, οὐκ ἐρυθριᾶτε; *Manibus insinuatis*, est, in sinum conditis. sic Proverb. 19. 24. Εἰς τοὺς κόλπους αὐτοῦ τὰς χεῖρας ἐγκρύπτειν· qui habitus desidiosorum. Imperator Manuel Palaeologus 7. Orat. Οὐκ οὖν

λαμ-

λαμβάνειν ἁρμόττει τοῖς παρὰ σφίσιν αὐτοῖς τὰς χεῖρας κατέχουσιν· τοῦτο γὰρ λελωβημένοις καὶ παρειμένοις ἀνθρώποις προσήκειν ἔοικεν. Tale apud Chrysostomum in Eclogis τὰς αὐτοῦ χεῖρας δήσας καθέζεσθαι. et *manibus compressis sedere* apud Livium. *Vacuus* hîc, est εὔσχολος, εὔκαιρος· ut bene in Glossario vertitur. Glossae aliae: Σχολάζων, *vacuus*. Ulpianus l. 11. §. 1. ff. ad exhibend. *Si forte ipse servus ex operis, vel artificio suo solebat se exercere, nunc vero cogitur vacare*. id est, (ut vertitur in Basilicis) σχολάζειν, *vacuos* autem quid mirum *ambulones* esse? cum nil boni negotii habeant. Apud Terentium 5. 1. Adelph. ille: *Postquam intus sum omnium rerum satur, Prodeambulare huc libitum est.* quae adduco ut haec Donati corrigam: *Procedere segnem*, deambulare *significat: nam* deambulare *etiam intus potuit*. Priore loco videtur *prodeambulare* scribendum.

Ibid. *Nec, obito consueto labore, vitae nostrae prospicies?*] Philo in *de Mundi Opificio*: Ἡ γυνὴ σφοδρὰς ἀνίας ἐνδεξαμένη τὰς ἐν ὠδῖσι, etc. ὁ δ᾽ ἀνὴρ ἐν μέρει πόνους καὶ ταλαιπωρίας καὶ συνεχεῖς ἱδρῶτας, ἕνεκα πορισμοῦ τῶν ἀναγκαίων. Apte heic autem *prospicies*. Terentius 4. 2. Adelph. *Ego iam prospiciam mihi*. ubi Donatus: *Bene* prospiciam, *quasi non pransurus nisi providero mihi*.

Ibid. *Vitae nostrae prospicies?*] Donatus ad 1. 3. Phorm. *Vita mores significat, et animam, et alimentum*, etc.

Ibid. *Et aliquid cibatui parabis?*] Lib. 4. *Sic nobis otiosa domi residens lusitabis? nec nostris tam magnis tamque periculosis laboribus solatium de tam sera refectione tribues?*

Ibid. *At ego misera* etc.] Apud Terentium 1. 4. Phorm. *Quod ego huic* etc. *exitio remedium inveniam miser?* ubi Donatus: *Quum* EGO etc. *dixerit*, ἐμφατικῶς *addidit* MISER. at hic loquendi modus sequiori sexui familiarior. supra hîc lib. 4. captîtia puella: *An ego misera tali domo*, etc. *privata?* etc. Donatus ad 2. 1. Hecyrae: *Misera, muliebris interpositio est*. Idem ad 3. 2. Adelph. *Proprium est mulierum cum loquuntur, aut aliis blandiri*, etc. *aut se commiserari*.

Ibid. *Per noctem et per diem lanificio nervos meos contorqueo*] Hoc est quod κοπιῶν ἐργαζόμενος, Paulus 2. Cor. 4. 12. vocat. Glossarium: Ἐριουργία, *lanificium*. Virgilius: *Ceu femina primum Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva, Impositum cinerem et sopitos suscitat ignes, Noctem addens operi*, etc. quae sumpta ex Apollonii 3. Idem 9 *Nec vulnera lavi Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque Urgebam, et tela curas solabar anili*. Apollonius 4. Ἐννυχίη χλωστῆρα γυνὴ ταλάεργος ἑλίσσει. quod, *lanam lucubrando facere*, Varroni in de Rom. Populo. bene et *contorqueo nervos meos*. Ovidius: *Assiduis exercent brachia telis*. Suidas: Ξανᾷ· πονεῖν τοὺς καρποὺς τὰς γυναῖκας διὰ συνεχῆ τῶν ἐρίων ἐργασίαν. vide et Proverb. 31. 17. 19. similia Hesychiana illa: Καναβισθῆναι, πρὸς τὴν κάνναβιν ἐξιδρῶσαι καὶ πυριασθῆναι. *Per noctem, et per diem* legit et Oxon. MS. nec tamen male illi qui *pernox et perdia*. sic, *perdium et pernoctem*, Gellius 2. 1. et 31. Ammianus (pertinacissimus eius imitator) dixit. In vetere Onomastico: *Perdius*, πανημέριος. *Pernox*, παννύχιος.

Ibid. *Ut intra cellulam nostram saltem lucerna luceat*] Plutarchus in περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζ. Καὶ μὲν Μίκυλλον εἶτεῖδεν (Φησὶν ὁ Κράτης) τῶν ἐρίων ξαίνοντα, γυναῖκά τε συγξαίνουσαν· Τὸν λιμὸν φεύγοντας ἐν αἰνῇ δηϊότητι. Servius ad citata Virgilii ea, *tenuique Minerva*. *Parvo pretio lanificii exiliter et tenuiter victum praebente*. Suidas: Λεπτὰ ξαίνεις· ἐπὶ τῶν πενιχρῶς τὸν βίον διαγόντων. *Lucerna*, (quam *unicam* hîc intellige) paupertatis magnae indicium. In l. 6. §. 3. ff. de offic. Praesid. *Ne tenuis vitae homines sub praetextu adventus officiorum vel militum, lumine unico, vel brevi supellectili ad aliorum usus translatis, iniuriis vexentur, Praeses Provinciae providebit*. ubi male Corasius et alii *limine unico* malebant. Isidorus Pelusiota: Τὴν Ἐλισσαίου εὐτέλειαν ζήλου, ὑπερῴῳ καὶ λύχνῳ ἀρκοῦ, etc. Ovidius Fast. 2. *Lumen ad exiguum famulae data pensa trahebant*. Martialis 12. 32. nescio cuius supellectilem enumerans: *Ibat grabatus tripes, et bipes mensa, Et cum lucerna corneoque cratere, Matella curto rupta latere meiebat*. et alibi: *Pondero, poto, cano; ludo, lavo, coeno, quiesco: Dum parvus lychnus modicum consumit olivi*.

Ibid. *Daphne vicina*] Oxon. *Dasyrie*, sub quo fortasse nomen nondum erutum delitescit.

Ibid. *Mero et prandio matutino satiata*] Editiones Aldina et Vicent. *satia*, ex quo formarunt *satiata*, quod et in Fulvii libro. ego *saucia* (quod, ni fallor, et Oxoniensis exhibet,) veriorem lectionem existimo. non enim Ennius tantum *flore Liberi sauciari*, sed et Noster Lib. 7. (fortasse Ennium secutus) *saucium vinolentia* dixit. *Prandium matutinum* videtur esse quod infra hoc libro *ientaculum* vocat: ibi et *meri* mentio. *Cum qua* (inquit) *protinus ientaculo, dehinc vino mero mutuis vicibus velitata* etc.

Ibid. *Cum suis adulteris voluptatur*] Ita principes editiones Romana et Vicentina: fortasse item (nam nec satis memini) MS. Oxoniensis. acriterque isti lectioni propugnat Colvius, non hoc in loco tantum, sed et in Quintiliano Decl. 3. at minus recte facere eum patebit ex sequentibus exemplis, scripturamque Florentini Codicis

volutatur modis omnibus reponendam. Seneca Epist. 114. *Cum omni exoletorum feminarumque turba convolutatur.* Tertullianus: *Una orant, una volutantur.* Petronius: *Subduxit mihi nocte puerum,* etc. *volutatusque liberius cum fratre non suo,* etc. Cassianus 14. 17. *Aut coenosis libidinum suarum volutabris polluat.* Iustinus 12. de Alexandri Olympiade: *Visa est per quietem cum ingenti serpente volutari.* et in 277. Quintiliani ipsius Declamatione: *Cum adultero volutata est.* quibus addamus e Graecis quaedam. Solomo μιμητικῶς 7. 18. Gnomologici: Ἀπολαύσωμεν φιλίας ἕως ὄρθρου· δεῦρο, καὶ ἐγκυλισθῶμεν ἔρωτι. Lucianus Asino: Ἐπὶ ταύτης κυλιόμενος etc. συμπλεκόμενος, etc. Plutarchus de adhuc puero Themistocle: Ἐν πότοις καὶ γυναιξὶν ἐκυλινδεῖτο. (Apophthegm. Reg. etc.) sic, ἀκρασίᾳ συγκυλινδεῖσθαι, Xenophon in Convivio L. 4. et, *in omni dedecore volutari*, Auctor ad Herennium dixit.

Ibid. *Sic confutatus maritus*] Infra hic: *Nec isto saltem tam nefario scelere* etc. *confutari terrerive potuere.* sic, *dictis confutare*, Phorm. 3. 1. Terentius: et, *increpatione confutare*, Zeno Veronensis.

Ibid. *Et quid isthuc est?*] Melius in aliis, *Ecquid* etc. uxorem stomachantem mulcet compellatione ista. Apud Terentium Phorm. 2. 1. *Quid istuc?* ubi Donatus: *Magnam vim habet contra iram huiusmodi interrogatio.* Florent. et Oxon. Codd. *istic.*

Ibid. *Licet forensi negotio officinator noster attentus* etc.] In Pseudolo Plautina: *At illic nunc negotiosus, res agitur apud Iudicem.*

Ibid. *Ferias nobis fecerit*] Otiandi tempus. hinc in Glossario: *Feriae*, ἀργίαι.

Ibid. *Vides istud dolium?* etc.] Melius *videsne?* sic 1. *Videsne extremas fenestras?* etc. et 6. *Videsne insistentem* etc. *illi rupi montis ardui verticem?*

Ibid. *Quod supervacuum frustra locum detinet tantum*] Donatus ad Hecyram: *In medio stare dicitur supervacuum et molestum.*

Ibid. *Ut dato pretio rem suam secum ferat*] Hinc ioculare illud infra 10. *Miles qui sine pretio me suum fecerat. Rem suam*, ut supra 2. *Non terrae rem suam denegamus.* Matth. 20. 14. Τὸ σὸν ἆρον.

Ibid. *Quin itaque praecingeris?*] Terent. Phorm. 2. 2. *Accingere.* Donatus: *Appara te, atque expedi.* vide ad Luc. 12. 35. H. Grotium.

Ibid. *Mihique manum tantisper accommodas?*] Lib. 6. *Orabunt* etc. *manus tantisper accommodes.* ubi dicta pag. [hui. Ed. 265, b.] vide.

Ibid. *Ut exobrutum* etc.] Ita et Oxon. MS.

Ibid. *E re nata fallacia, mulier temerarium tollens cachinnum*] Lectioni (ut quidem ego existimo) mendosissimae nemo hactenus controversiam fecit. tolle distinctionis notulam, et scribe *fallaciosa mulier.* In re nata (i. subitaria, improvisa) illa animo praesenti usa. Donatus ad 5. 3. Adelph. *Natum, de rebus repentinis dicimus: ut supra: E re nata melius fieri haud potuit, quam factum est hera.* vide supra [hui. Ed. 218, b.] dicta. Vitiosa istius loci scriptura Beroaldum induxit.

Ibid. *Magnum (inquit) istum virum* etc. *nacta sum*] Donatus ad 2. 6. Andr. VIR, *ad vituperationem cum ironia: ad laudem vero sine ironia.*

Ibid. *Ego mulier, et intra hospitium contenta* etc.] Contenta intra hospitium erat, quia mulier. Philo in de legg. special. Ἀγοραὶ καὶ βουλευτήρια etc. καὶ ὁ ἐν ὑπαίθρῳ βίος etc. ἀνδράσιν ἐφαρμόζουσιν· θηλείαις δὲ οἰκουρία, καὶ ἔνδον μονή. hinc, ut de re insueta, Sophocles Oedipo Colon. Ἐκεῖ γὰρ οἱ μὲν ἄρσενες κατὰ στέγας θακοῦσιν ἱστουργοῦντες, αἱ δὲ σύννομοι Τα' ξω βίου τροφεῖα πορσύνουσ' ἀεί.

Ibid. *Additamento pretii laetus maritus*] *Insperato lucro in gaudium diffusus:* ut supra lib. 2. locutus. Glossae: Πρόσθεσις, *additamentum.* Προσθήκη, *Accessio, adiectio, augmentum, additamentum.*

Ibid. *Et, quis est ille, ait, qui tanto pretio praestinavit?*] Lib. 5. *Quis ille quem modici temporis spatium repentina senecta reformavit?* Rom. et Vicent. *qui tanto praestinavit?* nec aliter Bertin. et Oxon. MS. Lectio altera autem (quam debemus Lipsii Manuscripto) multis modis probabilior. supra lib. 4. *Immittimus caveae modico pretio praestinatae.*

Ibid. *Nec ille sermoni mulieris defuit*] Apposite 1. 9. Aristaenetus: Ὁ δὲ μοιχὸς συμπράττων, ὡς ἀπὸ συνθήματος, τῇ τῆς γυναικὸς γνώμῃ, etc.

Ibid. *Exurgens alacriter*] Vide supra pag. [hui. Ed. 175, b.] notata.

Pag. 181. *Et multifariam rimis hiantibus quassum*] Glossae: *Multi ariam*, πολυτρόπως, πολυμερῶς. In Palat. male, *nimiis hiatibus.* Ovidius Trist. 5. 13. *Rimisque dehiscunt.* Virgil. 1. Aen. *Rimisque fatiscunt.* Oxon. *quassatum:* quod eodem cadit. Gloss. *Quassum*, σαθρόν. Glossae aliae: Σαθρός, *quassatus, fragilis.*

Ibid. *Quin tu?* etc.] *Hortantis est.* Servius ad 2. Eclogam.

Ibid. *Ut erasis intrinsecus sordibus diligenter aptum usui possim dignoscere*] Recreabis locum languentem sic legens et interpungens: *Ut e. i. s. diligenter, an aptum u. p. d.* Oxon. *possim discernere, vel dignoscere.* quorum alterum abundat. in eodem, at male, *crassis:* melius, *erasis:* et adhuc melius, ni fallor, *derasis.* Persius argumento simili: *Seriolae veteris metuens de-*

radere limum. Glossarium: Παραξύω, *derado*, *destringo*. Sic supra heic lib. 5. *comas deradere.* Bene autem, *an usui aptum.* Aristophanes Acharn. Πῶς δ' ἂν πεποιθοίη τις ἀγγείῳ τοιούτῳ χρώμενος κατ' οἰκίαν, τοσόν δ' ἀεὶ ψοφοῦντι; ad quae vetus Scholiastes: Οἱ ἄνθρωποι παραιτοῦνται ἐπὶ τοιούτων κεράμων ἀναγκαῖόν τι βαλεῖν, φοβούμενοι τὸ σαθρὸν αὐτῶν.

Ibid. *Nisi nos putas aes de malo habere*] Ac per hoc producturos illud. *De malo habere* graecissans dixit, pro, ex malo, vel, illicito lucro. sic, *acquirere ex malo*, Interpres vetus Sap. 15. 12. pro eo quod in Graeco, ἐκ κακοῦ πορίζειν. Κακὰ κερδαίνειν, Hesiodus ἔργ. α. vocat: ἐξ ἀδικίας κερδαίνειν, Isocrates ad Daemonicum. Seneca cap. 23. de vita beata: *Sapiens nullum denarium intrà limen male intrantem admittet.* imitatus, ni fallor, Euripidem, qui χρήματα κακῶς οἴκους εἰσελθόντα, in Erechtheo dixit. Simile apud Aristophanem, τὸν βίον οὐκ ἐκ δικαίου κτᾶσθαι. *malo iureiurando rem quaerere* apud Plautum Bacch. et, πλούτῳ ἀπὸ κακῆς ἐργασίας περιγίνεσθαι, apud Democritum. Aelianus de nescio quo apud Suidam in ὥρα· Ἀπάταις καὶ ψευδολογίαις συμβιοῦντι, οὐδὲν οὐδέποτε ὑγιὲς λέγοντι, καὶ ἐντεῦθεν πλουτοῦντι.

Ibid. *Nec quidquam moratus* etc. *acer ille*] Ex his, ut videtur, Virgilii Aeneid. 10. *Nec Turnum segnis retinet* mora, *sed rapit* acer, etc. *Acrem* heic intellige, promptum, impigrum, expeditum. Virgil. 1. *Acris Oronti.* Servius: *Fortis*, *alias*, *velocis*, *quidam acrem in unamquamque rem vegetum ac nimium tradunt.*

Ibid. *Accensa lucerna* etc.] Ut solent diligentius quid aggressuri. Luc. 15. 8.

Ibid. *Discede frater*] Fac te e medio. Donatus ad Andr. 4. 2. *Discedere dicitur*, *qui e medio abit.* *Frater* ignoti compellatio, ut apud Italos hodiernos.

Ibid. *Donec probe procuratum istud tibi repraesentem*] In Menaechmo Plautina: *Ego tibi hanc hodie probe Lepideque concinnatam referam.*

Ibid. *Et cum dicto* etc.] Ἦρα, καὶ εἰς ἔργον τράπεθ', ut 1. Apollonii.

Ibid. *Scabiem cariosae testae occipit exsculpere*] An dolium *testam* vocat? vix putem: imo potius cum Elmenhorstio *cariosa testa* legendum. Interpres vetus Iobi 2. 7. *Testâ saniem radens*, *sedebat in sterquilinio.* In Glossis: Ῥερυπωμένος, *cariosus.* Ibid. Εὐρωτιῶν, ὁ ῥυπαρὸς, *cariosus.* Oxon. et Vicent. melius, *exscalpere.*

Ibid. *Inclinatam dolio* etc.] Glossarium: Κύπτω, *vergo*, *cevo*, *inclino.* Iuvenalis 9. *Ipsos etiam inclinare maritos.* Scholiastes ad Eiusdem 1. *Ceventem: ad stuprum inclinatum.* Infra hîc lib. 10. de matrona salacissima illa: *More quo didiceram*, *facile reclinat me.*

Ibid. *Superincurvatus*] Martialis: *Incurvabat Hylam posito Tyrinthius arcu.*

Ibid. *Dedolabat*] Donatus ad Eunuch. 3. 3. *Dolare lignum*, *est ascia caedere.* Ut faber lignum dedolabat, id est, polibat: ita ille uxorem fabri, materiam multo molliorem, complanabat.

Ibid. *Donec utroque opere perfecto* etc.] Disertam nequitiam! bene et *perfecto.* Hesychius in περίνα· Περίνεον, τὸ αἰδοῖον, ἀφ' οὗ καὶ τὸ περαίνεσθαι. Martialis: *Sine* EFFECTU *prurit uterque labor.*

Ibid. *Calamitosus faber collo suo gerens dolium*, *coactus est ad hospitium adulteri perferre*] Pro, *collo suo gerere dolium coactus est ad hospitium adulteri:* vel, *collo suo dolium coactus est ad hospitium adulteri perferre.* loquendi duo genera in unum miscuit: quod nec Latinis nec Graecis res insolita. In Glossis: Δυστυχὴς, *calamitosus*, *infelix.* et ibidem: Κακοδαίμων, *calamitosus.*

Ibid. *Piissimi isti sacerdotes*] In eodem Glossario: Εὐσεβέστατος, *piissimus.* similis ironia illa in Apologetico: *Dicat hic pius filius*, etc. Aeneid. 6. *Quique pii vates.* Servius: *Vaticinantes*, *non mendaces.* Nec male ii libri qui *purissimi.* supra, ubi de hoc ipso collegio, lib. 8. *Ridicule sacerdotum purissimam castimoniam laudantes.*

Ibid. *Sorte unica casibus pluribus enotata*, etc.] Rectam lectionem cum Colvio putem, *pro c. pluribus e.* Pro *enotata* autem *notata* malim: sic, *sortes notis distinctae* apud Tacitum Mor. Germ. Optime illustrando huic loco Quintilianus Decl. 4. *Tota in eo fallendi ratio est*, *non dare consulentibus quod deposcunt*, *sed caligine magnaque promissorum varietate suspensos sic dimittere*, *ut quicquid casus attulerit*, *putent praedictum esse.* Nec mirum a magistro artem monstratam discipulos exercere. Cicero Divinat. 2. *Utrum eorum accidisset*, *verum oraculum fuisset.*

Ibid. *Si qui*, *matrimonium sorte captantes*, *interrogarent*, *rem ipsam responderi aiebant*, etc.] Artemidorus 1. 53. Γεωργεῖν, ἢ σπείρειν, ἢ ἀροτριᾶν, ἢ φυτεύειν, ἀγαθὸν τοῖς γῆμαι προῃρημένοις, etc.

Pag. 182. *Et satis liberûm procreandis*] Isidorus Pelus. 3. 243. Παρ' Ἀθηναίοις συνάφεια κατὰ νόμον, ἐπ' ἀρότρῳ παίδων ἐλέγετο γίνεσθαι. Artemidorus iam dicto loco: Ἄρουρα οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ γυνὴ, σπέρματα δὲ καὶ φυτὰ οἱ παῖδες. Cicero ad Atticum: *Tertullae abortum doleo*, *tam enim Cassii quam Bruti serendi.*

Ibid. *Et arva sementis florentia*] Glossarium: Γῆ σπορίμη, *arvum.*

Ibid. *Si quis de profectione sollicitus* etc.] Lib. 2. de Aegyptio propheta: *Arcana fatorum stipibus emerendis edicit in vulgus: qui dies* etc.

ne-

negotiatori commodus, *quis viatori celebris*, *quis navigiis opportunus*, *mihi denique proventum huius peregrinationis inquirenti*, *multa respondit*, etc. In his, ut in aliis multis, tenebriones isti ad veros verique Dei Prophetas componebant se. vide Iudic. 18. 5. Scriptor Sapient. 13. 19. de Idololatris simulacra consulentibus: Περὶ ὁδοιπορίας ἐπικαλεῖται τὸ μηδὲ βάσει χρῆσθαι δυνάμενον.

Ibid. *Quadrupedum cunctorum mansuetissimos*] Philo in de Decalogo: Ἡμερώτατα etc. βίῳ ἀρωτὴρ ὁ βοῦς, etc. Ovidius: *Boves*, *animal sine fraude, doloque.*

Ibid. *Et lucrum promitti de glebae germine*] Hoc ordine, quod sciam, editi omnes, et omnes MSS. qui vero pressius mecum ista verba perpenderit, ad proxime praecedentia videbit non perpendere: quid enim ad iter accingenti se cum lucro glebae? at empturienti agros quid in votis, quid in oculis magis? post vocem *pronunciari* ergo putem reponenda esse, sensumque hactenus luxatum ita commode coaliturum. *Si possessiones* (inquit) *praestinaturus quaereret: merito boves*, *ut et iugum*, *et arva sementis florentia pronunciari: et lucrum promitti de glebae germine.*

Ibid. *Si praelium capessiturus* etc. *utiles nec ne processus sciscitaretur*, etc.] Et hoc ad veri Dei sacerdotum exemplum. τὸ Urim de expeditionum successibus consuli solitum, apparet ex 1. Samuel. 30. 7. et Numerorum libro. Propertius 2. 27. *Quaeritis et coelo Phoenicum inventa sereno*, *Quae sit stella homini commoda*, *quaeque mala. Seu pedibus Parthos sequimur*, *seu classe Britannos.*

Ibid. *Vel latronum factionem* etc.] Lib. 4. *Latrones remeant*, etc. *factionis suae cunctis viribus.* lib. 7. *Noluit esse Caesar Haemi latronis collegium.* et statim de eodem collegio: *Tota itaque factione* etc. *confecta.* item 8. *Factionibus latronum sociatus.*

Ibid. *Addictam victoriam forti praesagio contendebant*] Arnobius lib. 2. *Bella cum hostibus geritis*, *non victoriam vos credentes praeliorum successibus relaturos? Addictam est promissam.* Onomasticon vetus: *Addico*, ἐπαγγέλλομαι. pro *forti* Colvius *sortis*, non importune.

Ibid. *Divinationis astu captioso contraxerant non parvas pecunias*] Πολλὴν ἐργασίαν, ut Act. 16. 16. in non dissimili argumento. Accius apud A. Gellium 14. 1. *Aures verbis divitant Alienas*, *suas ut auro locupletent domos.* Interpres Nicomachaeorum 4. 9. §. 6. Προσποιοῦνται ἰατροί τινες εἶναι, ἢ μάντεις σοφοὶ, ἵνα δόξαντες ὠφέλιμοι εἶναι τοῖς κεχρημένοις, τὰ ἐκείνων παρακερδαίνωσι. Et bene *astu divinationis.* Gellius ubi supra: *Quae temere aut astute vera dicunt*, *prae ceteris quae mentiuntur pars ea non fit millesima.* Pro *contraxerant*, repone veterum editionum scripturam *corraserant.* lib. 7. *Viaticulum corrasi mihi.* lib. 8. *Avidis animis corradentes omnia.* 10. *Summulas diurnas corradere.* et 11. *Sufficientem corrasi summulam.* Terent. Adelph. *Minas decem corradet alicunde.*

Ibid. *Assiduis interrogationibus argumenti satietate iam defecti*] Id est, assiduarum interrogationum satietate argumento defecti. Defecti, *dry-pump'd*: ut Nostrates loquuntur: at in MS. Bertin. et vetere Vicentina editione, *argenti satietate*, non *argumenti* legitur. unde ego, non magna mutatione, tentabam, *A. i. et argenti s. i. defessi.* tale illud 3. de latronibus: *Opulentiae nimiae nimio ad extremas incitas redacti.* Dixerat supra paulo, pecunias non parvas corrasisse eos: imo publica minificentia saginatos, crebrisque vaticinationum mercedibus suffarcinatos. quid ergo mirum tales *argento defessos* dici? *Fessum* autem, magis proprie de animo quam de corpore dici, ex Servio, ad finem quarti, si memini, demonstratum.

Ibid. *Ad viam prodeunt*, *via tota quam nocte confeceramus*, *longe peiorem*] Horatius Serm. 1. *Postera tempestas melior*, *via peior*, etc. Oxoniensis et Lipsii MS. *viam totam* etc.: quod ni vulgato praetulerim, male me facturum puto.

Ibid. *Lacunosis incilibus* etc.] Vide Beroaldum.

Ibid. *Subluvie coenosa lubricam*] Glossarium ab H. Stephano editum: Ὑπόκλυσις, *subluvies.* Onomast. vetus: *Subluvies*, ῥύπος. Glossarium Isidori dictum: *Alluviis: coenosis locis.* merito autem tales *lubrici.* Claudianus Mamercus: *Ut solemus in iis locis*, *quae vel humoris assidui subterluvionum* (mel. *subterluvionibus*) *cedentia*, *vel levi* (scribe *laevi*) *prono lubrica sunt*, etc. Ita apud Nonnium Lucilius *iter labosum* dixit. Pollux 1. 1. ubi de viarum discriminibus: Ὕφυγρα, διάβροχα, ὑποφέροντα τοὺς πόδας, etc. ὀλισθηρά, τοὺς πόδας ὑποσκελίζοντα.

Ibid. *Stagnanti palude fluidam*] Lib. 4. *Et valles illas agminibus stagnantibus irrigans.*

Ibid. *Vix tandem ad campestres semitas* etc. *evadere potui*] In vetere Onomastico: *Campestria*, πεδινὰ χωρία. Donatus ad 1. 2. Phorm. *Evadere*, *est per obstantia pervenire.* et ad Andriam: *Evadere*, *est per quamcunque difficultatem ad aliquid pervenire.*

Ibid. *Et ecce nobis repente* etc.] Servius ad Aeneid. 2. *Hac particula utimur quoties aliquid repentinum volumus indicare.* et Donat. ad 4. 7. Adelph. ECCE *dicitur*, *cum repente triste aliquid* etc. *intervenit.*

Ibid. *Nobis* etc. *manipulus armati supercurrit equitis*] Qui statim urgente sermone comprimunt, promerent cantharum subreptum. Simillimum Genes. 44. 3. 4. 5. vide: ubi et de scypho

pho ablato. adde et Iudic. 18. 22. 23. 24. Oxon. *armati supercurrunt equites.* quod existimo genuinam scripturam. *supercurrunt* est et in tribus aliis MSS.

Ibid. *Aegreque cohibita equorum curruli rabie*] Lib. 4. *At illi canibus aegre cohibitis*, etc. Hesychius: Δυσκάθεκτοι, δυσκράτητοι, δυσκόλως ἐπεχόμενοι. Oxon. et Colvii MS. *curriculi:* at nec *curruli*, nec *curriculi* videtur, sed *currilium* vel *currulium* scribendum. supra lib. 4. *Ut hercle ipse sentirem non asinum me, sed equum currulem nimia velocitate refectum.* Gloss. Δρομεὺς ἵππος, *equus currulis.* et, Τροχηλάτης ἵππος, *currilis equus.* Gloss. aliae: *Currulis equus*, σὺν ἅρματι ἀγωνιζόμενος.

Ibid. *Colloque constricto* etc.] Plaut. Amphitr. *Manifestum hunc obtorto collo teneo Furem flagitii.* Supra lib. 7. *Collo constricto reducunt eum*, etc. ubi *constringere*, est πνίγειν. Matth. 18. 28. Κρατήσας αὐτὸν, ἔπνιγε. ad quem locum uberius notavi.

Ibid. *Urguenti sermone comprimunt* etc.] Oxon. *urgente:* nec mala tamen altera scriptura. Glossae: *Urguet*, ἐπείγει, κατασπεύδει, ἐπίκειται. In vetere Inscriptione: *Urguente fato sanum ipse necavit se.* *Comprimere*, hic est παραβιάζεσθαι.

Ibid. *Promerent ocyus aureum cantharum, promerent auctoramentum illud sceleris sui*] Ita bene Beroaldus, cum antea *potius* legeretur. Oxon. autem, expunctis mediis hisce, *Promerent auctoramentum illud s. s.* De *auctoramenti* voce eundem Beroaldum vide. Glossae: Μισθὸς εἰς λοῦδον, *auctoramentum.* At hic *auctoramentum sceleris* id videtur esse quod lib. 2. Paterculus *sceleris invitamentum* vocat.

Ibid. *Quod simulatione solennium quae in operto factitaverant*, etc.] Colvius, *quae in aperto f.* quod si rectum, *in aperto* hic, est quod *in propatulo et conspicuo* dixit in Apologia: At si in aperto sacrificabant, quae copia a pulvinaribus Deae cantharum furandi? quin potius solos sacrificasse dicimus in sacello Deae quopiam, et ab eiusmodi secreto furandi opportunitatem captâsse? Oxon. heic: *Quod de simulatione* etc. quae lectio probabilis valde. τὸ *de* saepicule abundat in Appuleio nostro.

Ibid. *Ab ipsis pulvinaribus*] Hoc ad crimen venerandum. Ovidius: *Ante ipsam, qua mors foret invidiosior, aram.*

Pag. 183. *Adhuc luce dubia* etc.] Id est, (ut Marc. 1. 35.) πρωῒ ἔννυχον λίαν. Hesychius: Ἀμφιλύκη· ὄρθρος, τὸ λεγόμενον λυκόφως. Ovidius: *Dubiaeque crepuscula lucis.* Seneca Hippol. *Dum dubia lux est.* Idem Troadibus: *Dum premitur dubius nocte vicina dies.* Isidorus Orig. 5. 31. *Crepusculum est dubia lux, nam creperum dubium dicimus.* Opponitur *lux certa* apud Quintilianum Declam. 10. *Nec iam, nisi cum luce certa, fugatisque sideribus* etc. *vanescebat.*

Ibid. *Mendoso risu cavillantes*] *Mendaci* non dubito legendum, ex libro Fulvii.

Ibid. *Quam plerique insontes* etc.] Oxon. *Qua plerumque i.* et, verbo antecedenti, sed male, *securitatem.*

Ibid. *Noxios religionis antistites ad discrimen vocari capitis*] Infra hic: *Ac ne legis quidem severitate* etc. *ad discrimen vocabo capitis.* *Innoxios* non male monitum a Stewechio legendum. Sensum (etsi a nebulonibus huiusmodi satis importune editum) idem quod supra lib. 7. ubi de Fortunae scaevitate: *Varias opiniones, imo contrarias nobis attribuit: ut malus boni fama glorietur, contra, innocentissimus quisque noxiorum more plectatur.*

Ibid. *His* etc. *affaniis frustra obblateratis*] Ut solent sontes criminis obiecti. infra lib. 10. *Modo hanc, modo illam partem scalpere capitis: et ore semiclauso nescio quas affanias effutire, ut nemo eum prorsus a culpa vacuum merito crederet.* Glossarium: *Blaterat*, ματαιολογεῖ. *Blato*, (fort. *blatero*,) ματαιολόγος. Vicent. *ablatrantes.* et ita Beroaldus legit. vide heic notas Colvii, qui alteram lectionem reposuit.

Ibid. *Statimque vinctos in Tullianum compingunt*] Ob cantharum a Matris Deûm pulvinari subreptum. In Plautina Menechmo ille: *At ego te sacram coronam surripuisse Iovi scio: Et ob eam rem in carcerem ted esse compactum scio.*

Ibid. *Apud fani donarium*] Apparet vel ex his verbis non in aperto ista mendicabula sacrificasse. *Donarium* heic, templum intellige, ut in Floridis: *Ibi donarium Deae opulentum.* sic, *concio*, *civitas*, *senatus*, etc. vide 18. 7. A. Gellium.

Ibid. *Altera die productum me*, etc. *vaenui subiiciunt*] *Produci* heic proprie. supra lib. 8. *Ad mercatum producimur.* ubi dicta [p. hui. Ed. 322.] vide.

Ibid. *Per iter arduum scrupis*] Donatus ad 5. 4. Andr. *Nimis molestae sunt pedibus scrupulosae viae.*

Ibid. *Nec die tantum, verum perpeti etiam nocte lucubrabant pervigilem farinam*] Curtius lib. 5. *Ne nocturna quidem quiete diurnum laborem relaxante.* *Pervigilem* metonymice pro *pervigiles:* ea operis enim pistorii disciplina. Firmicus 3. 10. Mathes. *Eorum artes erunt aut sordidae, aut squalidae, ex quibus vigiliae perpetuae operatoribus exiguntur: quales sunt confectores coriorum, fullones, lanarii, pictores* (scribe, *pistores*) etc.

Ibid. *Verum perpeti etiam nocte* etc.] Vide supra [hui. Ed. 185, a.] dicta.

Ibid. *Sed mihi, ne rudimentum servitii per-*

nor-

horrescerem, novus Dominus loca et lautia prolixe praebuit] Oxon. *Sed dum rudimentum* etc. haud aeque bene: nam et Lucianus τὸν ἐπὶ μισθῷ συνόντα, ne quid servile timeat, ait laute initio tractari. Vide et Suidam in καταχύσματα.

Ibid. *Et cibariis abundanter instruxit praesepium*] Lib. 7. *Praesepium meum passim hordeo repleri iubet.* ad quem locum [Ed. Pric. p. 142.] notata confer.

Pag. 184. *Illa otii saginaeque beatitudo*] Puella supra 6. ad hunc asinum ipsum: *Inter cibos delicatos, et otium profundum, vitaeque totius beatitudinem*, etc.

Ibid. *Molae, quae maxima videbatur, matutinus adstituor*] Fortasse *molam* etc. *adstituor.* sic supra 3. *tribunal adstituor.* ad quem locum confer Servium 136. 5. adductum. *Videbatur*, est, *erat.* vide olim pag. 5. ad Apologiam notata.

Ibid. *Velata facie, propellor ad incurva spatia*, etc.] Velata facie, ne vertigo labori officeret. Ita Sampson, effossis oculis, in pistrinum missus, Iudic. 16. 21.

Ibid. *In orbe termini circumfluentis* etc.] τὸ *termini* (de quo nihil nemo) mendosum est, aut quid velit nescimus.

Ibid. *Vagarer errore certo*] Pacatus Panaegyrico: *Quin ipsos viae implicabat errores: et nunc dexter, nunc laevus, nunc vestigiis suis obvius, incertum iter ancipiti ambage tenebat.* Qui locus facile quem inducat ut *incerto* in Apuleio malit. at *certo errore* ὀξύμωρον est, qualia plura in hoc Scripto. *Errore*, quia in orbem iugiter errabat: *certo*, quia machinae alligatus, in eodem semper orbe versabatur: nec potuit incerta ponere vestigia, et huc illuc ferri. Apposita ad hunc sensum etiam quae de *Planetis* a Beroaldo adducta.

Ibid. *Nec tamen sagacitatis ac prudentiae meae* etc. *oblitus*] Vide supra [hui. Ed. p. 225, a.] adnotata.

Ibid. *Tamen ut expers et ignarus operis, stupore mentito defixus haerebam*] *Stuporis* voce heic utitur Latinissime. In fragmentis vett. Poëtarum: *Domiti modo terga iuvenci Quid premit? et tenerum currere cogit equum, Dum stupet, ac novus est.* Servius ad Aeneid. 6. *Haec autem pertinent ad victimarum explorationem: ut, si non stupuerint, apte probentur.* Pontius μεταφορικῶς de *homine*, in vita Cypriani: *Aiunt Apostoli literae, neophytos praeteriri debere: ne stupore gentilitatis nondum fundatis sensibus adhaerente*, etc. et Florus 2. 12. *Tertius* (dies) *captivos, ipsumque Regem*, (exhibuit) *attonitum adhuc, tanquam* (malim *et tanquam*) *subito malo stupentem.*

Ibid. *Vel otiosum certe cibatum iri*] Lib. 7. *Domi me conclusum et otiosum, hordeo secto fabaque et vicia saginari.*

Ibid. *Circumsteterunt me*, etc. *atque* etc. *plagas ingerentes acervatim* etc.] 2. Maccab. 3. 26. παραστάντες ἐξ ἑκατέρου μέρους, ἐμαστίγουν αὐτὸν ἀδιαλείπτως.

Ibid. *Plagas ingerentes*] Sic *fustes congerere* apud Phaedrum.

Ibid. *Ut cunctis consiliis abiectis, ilico scitissime taeniae sparteae totus innixus* etc.] Lib. 4. *Statui iam dolis* (quos heic *consilia* vocat) *et fraudibus abiectis, asinum me bonae frugi Dominis exhibere.* Terent. 4. 1. Andr. *Quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines.* Virgilius 11. *Consilio versare dolos aggressus, et astu.*

Ibid. *Hac subita sectae commutatione* etc.] E converso in de Deo Socratis: *Nec enim mens illa a sua perpetua secta ad quempiam subitum habitum dimovetur.*

Ibid. *Risum toto coetu commoveram*] Lib. 8. *Cachinnos circumstantibus commovebat.*

Ibid. *Maxima diei parte transacta*] Horatius: *Quarta iam parte diei.* Ennius apud A. Gellium: *Magna cum lapsa diei Pars foret.* Virgilius: *Melior quoniam pars acta diei.*

Ibid. *Eximie fatigatus, et refectione virium vehementer indigus*] Indigus refectione virium, quia eximie fatigatus. De Paulo Act. 9. 19. Λαβὼν τροφὴν, ἐνίσχυσεν. adde quae ad Act. 27. 34. adnotata.

Ibid. *Fame perditus*] Sic *tussi perditus* Lucilius apud Donatum. Eun. 2. 3. vide supra ad L. IV. init. notata.

Ibid. *Inoptabilis officinae disciplinam cum quadam delectatione arbitrabar*] Apud Petronium: *Alternos opponebam foramini oculos, et veluti quodam cibo replebam me. Arbitrabar*, inspiciebam: ut saepius in his libris. *Inoptabilis*, ἀπευκτοῦ: (ut apud Virgilium *inamabilis*) κατὰ voti στέρησιν. vide 2. 6. A. Gellium. Hesychius: Ἀπόθητος· μὴ φιλούμενος.

Pag. 185. *Vibicibus livedinis totam cutem depicti*] Pollux 3. 8. ubi de ergastulariis et mancipiis: Μωλώπων τὸ δέρμα μεστὸν ἔχειν. Huc referas Hesychiana illa: Φοινίκους μάστιγας, διὰ τὸ τὰ νῶτα φοινίσσειν. *Depicti*, venustissime. apud Plautum ille: *Meum futurum corium pulchrum praedicas, Quem Apelles atque Zeuxis duo pingent pigmentis ulmeis.*

Ibid. *Scissili centunculo magis inumbrati quam obtecti*] *Frigida consuti velabant inguina panni.* In vetere Onomastico: *Centunculus*, γναφάλιον. Cyprianus Epist. 77. ad fideles in metallo constitutos: *Panis illic exiguus* etc. *vestis algentibus deest:* confer quae supra in hanc mentem pag. [hui. Ed. 146.] adnotata, et, quod verbum *inumbrati* spectat, vide Suidam in ἐπιλυγάζεσθαι.

Ibid. *Nonnulli exiguo tegili tantummodo pubem iniecti*] Agatharcides de mulieribus in Aegypti aurifodinis versantibus: Οὕτως ἐζωσμέναι δυσπροσόπτως, ὥστε μόνην τὴν τοῦ σώματος αἰσχύνην κρύπτειν ἀλήθουσιν.

Ibid. *Exiguo tegili*] Iuvenal. *Et tegetis pars Dimidia brevior.* Infra hoc lib. *Stramen aliquod, vel exiguum tegimen parare.*

Ibid. *Tunicati*] Onomasticon vetus: *Tunico*, χιτωνίζω.

Ibid. *Frontes literati*] Macrobius Saturnal. 1. 11. *Servus compeditus, inscripta fronte.* Valer. Maximus 6. 8. *Vinculorum poena coercitus, inexpiabilique literarum nota per summam oris contumeliam inustus.* Bion de patre suo apud Diogenem Laërtium: Ἔχων οὐ πρόσωπον, ἀλλὰ συγγραφὴν ἐπὶ τοῦ προσώπου, τῆς τοῦ δεσπότου πικρίας σύμβολον. vide et in Ἰστείανα Hesychium. Martialis: *Et numerosa linunt stellantem splenia frontem: Ignoras quid sit? splenia tolle, legas.*

Ibid. *Capillum semirasi*] Cyprianus ubi supra: *Semitonsi capitis capillus horrescit.* Artemidorus: Ὁπότερον δ' ἂν τῆς κεφαλῆς ψιλὸν ἔχοι τις, οὐκ ἂν εὐσυνείδητος, εἰς ἔργον δημόσιον κατακριθήσεται· τοῦτο γὰρ κἀκεῖ παράσημόν ἐστι τοῖς δικαζομένοις.

Ibid. *Pedes annulati*] *Compede suras Cruraque signati nigro liventia ferro.* Martialis: *Has cum gemina compede dedicat catenas Saturne tibi Zoilus*, annulos *priores*.

Ibid. *Tum lurore deformes*] Supra lib. 1. *Lurore* etc. *deformatus.* Wower. *cutim l. d.* illepide, cum praecesserit, *cutim depicti.*

Ibid. *Atque adeo male luminati*] Fortasse melius *ideo* reponas.

Ibid. *Qui pulvisculo perspersi dimicant*] Vix possum credere non irreptitia esse, sunt tamen et in Oxon. MS.

Ibid. *Farinulento cinere sordide candidati*] Hesychius: Κατηθαλωμένη· τεφρωθεῖσα. Alluditur hîc ad morem Veterum magistratus toga candida petentium: quo et pertinet Onomastici illud: *Candidatus*, λευκοείμων. *Sordide candidati*, ὀξύμωρον, quale 8. *deformiter formati.* Bene autem tribuit *sordes* pistrino. Firmicus 3. 10. *Eorum artes erunt, aut sordidae, aut squalidae*, etc. *quales sunt confectores coriorum*, etc. *pistores* (ita supra pag. [hui. Ed. 332, b.] legendum monui) etc. et ibidem cap. 11. *In talibus artibus positos, quae gravibus oronibus*, (scribe *odoribus*, vel *operationibus*) *aut sordibus squalidae sunt: ut sunt fullones, aut coriorum confectores, aut caligarii, vel pistores*, etc.

Ibid. *Quid, vel ad quem modum* etc.] Sic πῶς ἢ τί Matth. 10. 19.

Ibid. *Muli senes, vel cantherii debiles!*] Non equi et asini tantum, sed et muli pistrinis adhibiti. Isidorus (ex Veterum ut videtur quopiam) Orig. 12. 1. *Mulus* etc. *iugo pistorum subactus, tardas molendo ducit in gyrum molas.* τὸ *vel* est *et*, quod plus semel (ni fallor) monitum.

Ibid. *Circa praesepia capita demersi*] *Demersi*, κύψαντες. qua voce summa ingluvies denotatur. vide supra pag. [Ed. Pric. 151.] notata. In vetere epigrammate: *Cerne ut demerso torridus ore bibat.*

Ibid. *Cervice cariosa vulnerum putredine*] Ni *exulcerati* sequeretur, maluissem *ulcerum.* vulnera sive ulcera huiusmodi video *pantices* dicta. Gloss. *Pantices*, ἕλκη κτηνῶν ἐν τραχήλῳ. Ibidem: *Panceps*, ἕλκος κτήνους ἐπιτραχήλιον, scribe, *Pantices*, ἕλκη κ. ἐπιτραχήλια.

Ibid. *Follicantes nares* etc.] Sic *narium folles*, Prudentius in περιστεφ. dixit. Glossarium: *Follex*, ἀσκὸς, θύλακος καμίνου. Glossae aliae: Φῦσα χαλκέως, *follis.*

Ibid. *Hiulci*] Vide quae olim pag. 113. ad Apologiam allata.

Ibid. *Pectora copulae sparteae tritura continua exulcerati*] Iuvenalis: *Tritoque trahunt epirhedia collo Segnipedes, dignique molam versare nepotis.* Pollux de baiulis tractans, τριβὴν dixit. Τύλη (inquit) ἐκαλεῖτο ἡ ἐπὶ τοῖς τραχήλοις αὐτῶν ὑπὸ τῶν ἀχθέων γινομένη τριβή. 7. 29. Talia et Hesychii illa: Χειριβρώτῳ δεσμῷ· τοῖς πυκτικοῖς ἱμᾶσι· διὰ τὸ τὰς σάρκας διακόπτειν καὶ ἀναλίσκειν. supra lib. 7. *Per diem laboriosae machinae attrito.* adeo male heic *triturae* vox a nonnullis mutata. *Copula* heic, est quam paulo supra *taeniam sparteam* dixit. sic *stuppa tortas copulas*, apud Nonnium Accius: ubi et doctissimis viris qui pro *stuppa*, *sipa* scribunt, non possum assentire: ita enim et *stuppeum tormentum* in Apologia Noster.

Ibid. *Perpetua castigatione ossium tenus renudati*] Vide supra [Ed. Pric. p. 144. sub f.] notata. *Castigat*, νουθετεῖ, δέρει. Ita Latinus τὸ Pauli ὑπωπιάζειν, *castigo* vertit. Passim hoc sensu etiam in Iure occurrit, extenditurque ad fustes et ad flagella.

Ibid. *Multivia circumcisione*] Scribe cum Florent. Cod. et Colvio, *circumcursione.*

Ibid. *Talis familiae funestum mihi etiam metuens exemplum*, etc.] *Talia iam metuens misero mihi parari.* Interpres vetus Tobiae 7. 11. *Expavit, sciens quid evenerit illis septem* etc. *et timere coepit ne forte et huic similiter contingeret.* Lib. 4. hoc eodem sensu: *Tunc ego, miseri commilitonis mei fortunam cogitans*, etc. et 8. *Quae res incutiebat mihi non parvam sollicitudinem, videnti tot vulneribus largiter profusum cruorem: ne quo casu Deae peregrinae stomachus, ut quorundam hominum lactes, sic illa sanguinem concupisceret asininum.* Calpurnius 5. Declam. de carcere publico: *In hunc* cou-

coniecti robur Tullianum prospiciunt, etc. *et alienum supplicium exspectando* (bene Lipsius *aspectando*,) *suum discunt*. Nec forsan aliud heic *exemplum* quam *supplicium*. Tacitus Annal. 15. *Adversus sontes novissima exempla meritos*. Gell. 6. 14. *Veteres nostri* exempla *pro maximis gravissimisque poenis dicebant*. Cicero Philipp. 14. *Crudelissimis exemplis interemit*.

Ibid. *Veterisque Lucii fortunam recordatus*, etc.] Vide supra [hui. Ed. 275, a.] notata.

Ibid. *Et ad ultima salutis iam detrusus*, etc.] Vicent. edit. et Oxon. MS. *E. a. u. s. me tandem trusum*, etc. bene itaque a Stewechio emendatum, *E. a. u. s. metam detrusus*. *Salutis meta ultima* est, quae Petronio, *fatalis meta*. sic supra 4. *ultimas vitae metas* dixit. et lib. 8. exeunte, *Fortunae ultimum turbinem*. Pro *detrusum*, Lipsius, Coelius Rhodig. et alii *detrux* malunt. quae vox ut quid sit nescio, ita alteram rectiorem praesto. Aemilius Probus de Dionysio in vita Timoleontis: *Ut non solum auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur, quem, et ex quanto regno ad quam fortunam detrusisset*. Sic, *de summo felicitatis gradu ad ima detrusus*, apud Horatii veterem Scholiasten: *In luctum et dolorem detrudi*, apud Ciceronem ad Q. Fratrem: et, *Ad mendicitatem detrudere se*, apud Plautum Menaechmo.

Ibid. *Summisso capite moerebam*] Horatius: *Demitto auriculas, ut iniquae sortis asellus*. Glossae: Καθειμένος, ὁ στυγνὸς, *deiectus, submissus*, etc.

Ibid. *Ingenita mihi curiositate* etc.] Quam alibi *familiarem curiositatem* vocat, et infra hoc libro *genuinam curiositatem*.

Ibid. *Gratias asino meo memini*] Tertullianus cap. 42. de Praescript. *Ceterum nec Praesidibus suis reverentiam noverunt*. figura Graeca.

Pag. 186. *Variisque fortunis exercitatum*] Reposuerim, *exercitum*. Virgilius: *Nate Iliacis exercite fatis*. ubi Servius: *Fatigate: nam* exercitatus *peritum significat*. Gell. lib. 20. cap. ult. *Per negotiorum intervalla* etc. *exercitus defessusque sum* Idem 9. 3. de Philippo Macedone: *Negotiis belli victoriisque affectus exercitusque*. Macrob in Saturnal. *Ego Disarium nostrum inexercitum non relinquam*. supra heic lib. 6. *Aerumnis exercita*.

Ibid. *Etsi minus prudentem, multiscium certe reddidit*] Πολυμαθίη enim οὐ νόον διδάσκει: ut olim Heraclitus dixit. Pro *etsi*, malim *si* reponi. nec enim plane imprudentem se vocat, at modeste prudentiae opinionem detrectat.

Ibid. *Suave comptam*] Lege *suavem compertam*: sic supra 1. *Me vera comperta memorare*.

Ibid. *Qui me pretio suum fecerat*] Supra heic, *Adest, ut dato pretio rem suam secum ferat*. E converso lib. 10. *Qui me nullo vendente comparaverat, et sine pretio suum fecerat*.

Ibid. *Bonus alioqui vir, et apprime modestus*] Χρηστὸς, ἐπιεικής. vide ad Matth. 1. 19. notata. Infra hic lib. 11. *Vir alioqui gravis, et sobriae religionis observatione famosus*.

Ibid. *Pessimam* etc. *coniugam*] De eadem infra: *Ad detegenda quoquomodo pessimae foeminae flagitia*. infra lib. 10. *Proprius pessimae foeminae filius*. ibidem: *Nescius fraudum pessimae mulieris*. et 2. *Hi pessimam foeminam pessimae mulieris*. et 2. *Hi pessimam foeminam statim* etc. *vivam sepeliendam* etc. Euripides: Ὦ παγκακίστη, καὶ γυνή· τί γὰρ λέγων Μεῖζον σ' ὄνειδος ἐξείποι τις ἄν.

Ibid. *Ante cunctas* etc. *longe deterrimam*] Virgilius: *Scelere ante alios immanior omnes*. et alibi: *Ipse ante alios pulcherrimus omnes*. Florid. 3. Noster: *Praecipuum beneficium, et longe ante cetera praecellens*.

Ibid. *Ut hercules eius vicem ego quoque* etc. *ingemiscerem*] Glossarium: *Doleo vicem tui, et vicem tuam*, συμπάσχω σοι.

Ibid. *Nec enim vel unum vitium nequissimae illi foeminae deerat*] Q. d. *Hospitium calamitatis: quid verbis opu'st? Quamvis malam rem quaerens, illic reperias*. Plautus: *Vah: quid illa potest peius quidquam muliere memorarier?* Non unum (inquit) vitium deerat illi. Auctor ad Herennium 4. *A quo tandem abit iste vitio?* Theopompus de Philippi R. sodalibus, in Excerptis Polybianis: Τί τῶν αἰσχρῶν ἢ δεινῶν αὐτοῖς οὐ προσῆν; ἢ τί τῶν καλῶν καὶ σπουδαίων οὐκ ἀπῆν.

Ibid. *Sed omnia, prorsus ut in quandam coenosam latrinam, in eius animum flagitia confluxerant*] Cicero in Verrinis, de Apronio: *Immensa aliqua vorago aut gurges vitiorum turpitudinumque omnium*. Arnobius lib. 5. de Iove: *Neque ullum turpitudinis genus est, in quo eius non nomen consociatis libidinibus consecratis: ut videatur miserabilis prorsus ullam non esse causam ob aliam natus, nisi ut esset criminum sedes*, etc. *locus quidam expositus, in quem spurcitiae se omnes scaenarum colluvionibus derivarent*. Philo lib. *quod Deus immutabilis*: Σύστημα καὶ συμφόρημα κακῶν ἀθρόων καὶ ποικίλων εἰς ἓν εἶδος συνυφασμένων. E converso, *sinceram bonarum artium congeriem*, Claudianus suum Mallium vocat. cui simile Ausonii illud: *Quid aliud et quam ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio?* Notemus obiter locutionem, *quasi in sentinam confluere*. Sallustius Catilinario: *Postremo omnes quos aut flagitium aut facinus domo expulerat, hi Romam sicut in sentinam confluxerant*. Scriptor de Excidio Hierosolymitano 4. 6. *Ex diversis regionibus principes flagitiorum quasi in sentinam confluxerant*. Salvianus lib. 3. *Quid est aliud pene*

omnis coetus Christianorum quam vitiorum sentina? et 7. ubi de Carthagine agit: *Foetebant, ut ita dixerim, cuncti illius cives coeno libidinis,* etc. *unam illic putes fuisse libidinum fornicationumque sentinam: coenum, quasi ex omni platearum et cloacarum labe collectum.* Affine Taciti illud Annal. 15. *Per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt.* et illud apud Declamatorem in Sallustium: *Quo, tanquam in imam voraginem, coetus omnium vitiorum excesserat.*

Ibid. *Scaeva, saeva, virosa, ebriosa, pervicax, pertinax,* etc.] Terentius 5. 8. Eunuch. *Fatuus est, insulsus, tardus,* etc. ubi Donatus: *Haec pro acervo vitiorum,* etc. Auctor ad Herennium ubi supra: *A quo tandem abest iste vitio?* etc. *suae pudicitiae proditor est, insidiator alienae: cupidus, intemperans, petulans, impius in parentes, ingratus in amicos, infestus in cognatos, in superiores contumax, in aequos et pares fastidiosus, in inferiores crudelis, in omnes intolerabilis.* In quibusdam hîc MSS. *iniuriosa:* in aliis *iurgiosa:* et in aliis, (ut et Oxoniensi) *viriosa:* id est, viri appetens, salax, libidinosa. Colvius (quod eodem cadit) *virosa.* Servius ad Aeneid. 12. *Virago dicitur mulier quae virile implet officium: id est, mulier quae viri animum habet: has Antiqui viras vocabant:* ubi si (quod dicere non audeo) mutandum quid, *virosas*, vel *viriosas* legendum. Porro in Fuxensibus membranis, *vinosa*, non *ebriosa.* legitur: ut vox unaquaeque praecedens sequentem adsonantem habeat. quod cum non infrequens Scriptori isti, probabile et hoc loco factum.

Ibid. *Pervicax, pertinax*] In de Deo Socratis: *Pervicaci audacia, pertinaci spe.* Donatus ad 4. 1. Hecyr. *Pervicax: perseverans cum quadam vi.* Onomasticon vetus: *Pervicax*, ἐνστατικός. *Pertinax*, διάτονος.

Ibid. *In rapinis turpibus avara, in sumptibus foedis profusa*] Λαμβάνουσα ἀφ' ὧν οὐκ ἔδει, καὶ μὴ εἰς ἃ ἔδει διδοῦσα: ut 3. 23. apud Iul. Pollucem. Cicero in pro Caelio: *Quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior?* Sallustius: *Alieni appetens, sui profusus.* Idem: *Quos pessima ac diversa inter se mala, luxuria atque avaritia vexabat.* quod ante apud Livium Cato, lib. 34. *Diversisque duobus vitiis avaritia et luxuria civitatem laborare.* Seneca pater Octavia: *Avaris manibus ut perdat, rapit.* Seneca filius Epist. 120. *Nemo non quotidie et consilium mutat, et votum,* etc. *nunc pecuniam spargit, nunc rapit.* et Praefat. lib. 1. Nat. quaest. *Non est tibi frons ficta,* etc. *nec avaritia, quae quod omnibus abstulit, sibi negat: nec luxuria pecuniam turpiter amittens, quam turpius* etc. *reparet.* Tacitus Annal. 13. de Narcisso: *Cuius* (Neronis) *vitiis per avaritiam ac prodigentiam mire congruebat.* Ammianus lib. 22. *Nec largiendi, nec rapiendi* etc. *tenuere aliquem modum.* Scriptor de Hierosolymit. excidio 7. 4. *Ubi se flagitiis ingurgitaverunt, dissipando proprias successiones, diripiunt aliena.* Auctor *de cibis Iudaicis* in operibus Tertulliani: *Sequitur* (avaritia) *praecurrentem luxuriam: quicquid haec per vitia consumpserit, illa per scelera restituit, orbe criminum recurso, ut rursum luxuria eximat quicquid avaritia congesserat.* ubi pro *recurso*, *reciproco* malim; et pro *eximat*, *exinaniat* legi. Dio Cassius de Nerone: Πολλὰ χρήματα ἀνηλίσκετο etc. πολλὰ δὲ βιαίως ἡρπάζετο. Idem de M. Antonio: Τὰ ἀλλότρια ἥρπαζε. καὶ τὰ οἰκεῖα προΐετο. Apud Herodianum Pertinax: Τὰ μεγάλα, καὶ ὡς ἔτυχε χαρίζεσθαι, οὐκ ἂν περιγένοιτο, εἰ μὴ ἐκ τοῦ ἁρπάζειν, καὶ βιάζεσθαι. Chrysostomus Homil. 22. ad Antiochenos: Πολυτελῆ φοροῦντας ἱμάτια, πολλὴν περιβεβλημένους τὴν φαντασίαν, etc. τὰ πάντων ἁρπάζοντας, πλεονεκτήσαντας. Plinius, etsi argumento diverso, ad hunc locum concinne: *Momento nihil magis esse vitandum quam istam luxuriae ac sordium novam societatem: quae cum sint turpissima, discreta ac separata, turpius iunguntur.* Lib. 2. Epist. 6.

Ibid. *Inimica fidei, hostis pudicitiae*] Valentinianus Novell. 2. de Manichaeorum secta: *Inimica publicae disciplinae, hostis fidei Christianae.*

Ibid. *Calcatis divinis Numinibus*] Infra lib. 10. *Calcata Numinum religione.*

Ibid. *Mentita praesumptione Dei quem praedicaret unicum,* etc.] Apparet hanc pistoris uxorem Christianam fuisse: magisque id apparet ex *praesumptionis* voce: ita sanam enim ac veram fidem Pagani illudentes appellabant. Tertullianus in Apologetico: *Haec sunt quae in nobis solis praesumptiones vocantur.* In Montani et sociorum Passione: *Condiscipuli eius suadebant ut praesumptione deposita, sacrificaret.* Honorius Ethnicus apud Symmachum *obstinationis praesumptionem* dixit.

Ibid. *Confictis observationibus vacuis* etc. *matutino mero et continuo stupro corpus manciparat*] *Vacuis* pro *vanis* Graecum est. Hesychius: Κενὸν, etc. μάταιον. Infra lib. 10. *Et cum dicto, vacuas fuisse cogitationes meas, ineptumque metum monstrat.* Colv. qui ergo *vanis* corrigebat, vanam operam insumebat. *Observationes* vocat cerimonias cultui religioso congruentes. In Apologia: *Vulgatissima observationum consuetudine.* et 11. Miles. *Vir sobriae religionis observatione famosus.* *Vanas* autem *observationes* vocat hymnos, preces, et ἀγάπας illas quibus horis operabantur matutinis veteres Christiani: et quas identidem diffamabant Idololatrae illi,

li, non tam religiosos ritus quam crapulae libidinisque auctoramenta. Tertullianus ad Uxorem: *Quis coniugem suam ad convivium Dominicum illud quod infamant, sine scaeva suspicione dimittet?* Paganus apud Minucium Foelicem: *De convivio notum est, passim omnes loquuntur: ad epulas* etc. *coeunt cum liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines, et omnis aetatis. Ibi postquam epulas multas* etc. dein sequitur de *concubitibus.* Lucianus de Christianis Peregrinum captivum visitantibus: Καὶ ἕωθεν μὲν εὐθὺς (Appuleius *matutino* etc.) ὁρᾶν ἦν τῷ δεσμωτηρίῳ περιμένοντα, χήρας τινὰς, καὶ παιδία ὀρφανά· οἱ δὲ ἐν τέλει αὐτῶν καὶ συνεκάθευδον ἔνδον, διαφθείροντες τοὺς δεσμοφύλακας· εἶτα δεῖπνα ποικίλα εἰσεκεκομίζετο, καὶ λόγοι ἱεροὶ αὐτῶν ἐλέγοντο.

Ibid. *Et miserum maritum decipiens*] Supra lib. 5. *Reconcinnato mendacio fallens maritum.* maritum autem hoc loco decipiens, quia superstitionis peregrinae particeps. Plutarchus in *coniugal. praeceptis*: Θεοὺς οὓς ὁ ἀνὴρ νομίζει, σέβεσθαι τῇ γαμετῇ καὶ γινώσκειν μόνους προσήκει· περιέργοις δὲ θρησκείαις καὶ ξέναις δεισιδαιμονίαις ἀποκεκλεῖσθαι (malim ἀποκλείεσθαι) τὴν αὔλειον. οὐδενὶ γὰρ θεῶν ἱερὰ κλεπτόμενα καὶ λανθάνοντα ὑπὸ γυναικὸς κεχαρισμένως δρᾶται. Bene autem, quod nec solae hoc nomine Christianae laborarent. Tibullus: *Exibit quam saepe time, seu visere dicet Sacra bonae maribus non adeunda Deae.*

Ibid. *Matutino mero* etc.] Iuvenalis: *Et matutino sudans Crispinus amomo.* Supra heic de quadam alia: *Mero et prandio matutino saucia.*

Ibid. *Subiungi machinae* etc.] Quam supra lib. 7. *molam machinariam* dixit. Hinc in l. quaeritur, ff. de aedilit. edict. *machinarius asinus.*

Ibid. *Insistens*] Id est, instans, urgens.

Ibid. *Iubebat incoram sui plagas mihi quam plurimas irrogari*] Vopiscus in Aureliano: *Servos et ministros peccantes coram se caedi iubebat.* Suetonius de L. Othone: *Ausus est etiam in Illyrico milites quosdam*, etc. *capite punire: et quidem ante principia, se coram.* Idem de Claudio Imp. *Tormenta quaestionum, paenasque parricidarum repraesentabat, exigebatque coram.* Lampridius in Severo: *Pro qualitate loci, aut fustibus subiiciebatur in conspectu eius, aut virgis, aut condemnationi.* Sic Luc. 19. 27. κατασφάξατε ἔμπροσθέν μου. in Graeco Ieremiae 52. 10. κατ' ὀφθαλμοὺς σφάττειν. et Apocal. 14. 10. ἐνώπιον βασανίζειν.

Ibid. *Assidue plane commeantem in eius cubiculum quendam sentiebam iuvenem, cuius et faciem cupiebam videre ex summo studio, si velamentum capitis libertatem tribuisset meis alioqui luminibus*] Seneca Oedip. *Visu carentem magna pars veri latet.* *velamentum* heic asini intellige, non adulteri: quamquam (ut post pauca monstrabimus) et id genus tenebriones tecto capite irreperent. Infra heic: *Caecam scabiosi illius asini faciem.* et supra: *Velata facie propellor ad flexuosi canalis incurva spatia.* quomodo ergo *iuvenem* dicit, quem videre non poterat? at recte importuna vox abest ab Oxon. MS.

Pag. 187. *Ex summo studio videre cupiebam*] Supra lib. 7. *Ex summo studio fugiens immanem ursam.* Donatus ad 2. 1. Hecyrae: *Maioris operis est*, studere *quam* velle. et post: *Studium est voluntas hominis attentior atque impensior.*

Ibid. *Ad detegenda* etc.] Oxon. *In detegenda.*

Ibid. *Anus quaedam stupri sequestra*] Intermedia, internuncia. Firmicus 6. 30. *Aut sequestros, aut turpium libidinum ministros facit.* sic supra fine 6. *asinus fugae sequester.* Bene autem anum stupri sequestram facit. Gregorius Nazianz. Panaegyr. in Cyprianum: Καὶ προαγωγῷ χρῆται, οὐ γυναικιδίῳ τινὶ παλαιῷ τῶν πρὸς ταῦτα ἐπιτηδείων, etc. quod a vetustis deductum temporibus, nunc viget, et in secula transibit.

Ibid. *De die*] Pridem ad Apolog. p. 137. dixi.

Ibid. *Inseparabilis aderat*] Infra heic: *Inseparabilis assidebat.* Glossae: Ἀχώριστος, *Inseparabilis, individuus.*

Ibid. *Cum qua protinus ientaculo ac dehinc vino mero* etc.] Terent. Andr. *Importunitatem spectare aniculae quae compotrix eius est.*

Ibid. *Vino mero mutuis vicibus velitata*] Virgil. *Variantque vices.* Servius: *Ut invicem potent.*

Ibid. *Quanquam graviter succensens* etc.] Donatus ad 2. 6. Andr. *Succensere: in re gravi et iusta irasci.* In Cod. Oxon. rectius *suscensens.* Glossae: *Suscenset*, Καταμαίνεται, αἰτιᾶται, μνησικακεῖ.

Ibid. *Quod auribus grandissimis praeditus* etc.] Supra 3. cum hoc animal indueret: *Sic et aures immodicis horripilant auctibus.* Martialis 6. *Acuto capite, et auribus longis, Quae sic moventur ut solent asellorum.* Scholiastes ad Plutum Aristophanis de Mida: Μυθεύονται αὐτὸν καὶ ὦτα ὄνου ἔχειν, ὅτι τὰ τῆς ἀκοῆς αἰσθητήρια, οἷάπερ ὄνος, μέγιστα εἶχεν.

Ibid. *Cuncta, longule etiam dissita, facillime sentiebam*] Philo in de Abrahamo: Τίς περὶ ἀκοὴν εὐτυχὴς οὕτως ὡς τῶν ζώων τὸ νωθέστατον, ὄνος. Basilius Hexaëm. 8. Τὸ ὀξυνήκοον τοῦ ζώου (asini nempe,) οὐδὲ ἄλλο τι ἔχειν λέγεται τῶν χερσαίων.

Ibid. *Timidae illius aniculae* etc.] Epitheton, cuius nec affertur, nec afferri potest ulla

proba ratio, in *uvidae*, *temulentae*, et id genus alia mutarunt. melius coniecissent *tremulae:* supra lib. 4. enim, *anum trementem* habuimus. Ovidius Metamorph. 8. *Mensam succincta tremensque ponit anus.* Apud Ciceronem Ennius: *Cum tremulis anus attulit artubu' lumen.* Petronius: *Anus* etc. *trementibus labellis.* Idem: *Aetatisque longae moram tremulis vocibus coepit accusare.* Placet prae istis *tinnulae:* i. loquacis. Plautus Pseud. *Molestus ne sis, nimium iam tinnis.* supra lib. 1. *Iam scitum est cavillum, iam dicacitas tinnula.* Infra heic de hac eadem anicula: *Immodica sermocinatrix.* et, *Hactenus ad huc anicula garriente*, etc.

Ibid. *Mi herilis*] Sic 4. etiam ad foeminam, *Parce mi parens.*

Ibid. *Tuos volentes amplexus discruciat*] Melius libri quibus usus Beroaldus, *volentis.* tale illud: *Nostros vidisti flentis ocellos.*

Ibid. *Philesietcrus*] Melius in Oxon. *Philositerus:* id est, φίλος ἑταῖρος. Hesychius: Φιλέταιρος, πεφιλημένος.

Ibid. *Et contra maritorum inefficaces diligentias constantissimus*] Iuven. *Foelicior astro Martis, ut in laqueos nunquam incidat.* Declamationis in Sallustium Auctor: *Noli nobis languorem et soporem nimium exprobrare, sumus diligentes in tuenda pudicitia uxorum nostrarum: sed ita experrecti non sumus ut a te cavere possimus: audacia tua vincit studia nostra.* Ἔχω δὲ τόλμης καὶ θράσους διδάσκαλον Ἐν τοῖς ἀμηχάνοισιν εὐπορώτατον, Ἔρωτα. ait apud Euripidem ille. Quod iste τόλμην καὶ θράσος, ille *audaciam* vocat: *constantiae* voce notat Appuleius noster. Ad superiorem sententiam spectant et Virgilii ista: *Curam Clymene narrabat inanem Vulcani, Martisque dolos, et dulcia furta.* Et haec Apollodori apud Stobaeum: Κλείεσθ' ἡ θύρα μοχλοῖς, ἀλλ' οὐδὲ εἷς Τέκτων ὀχυρὰν οὕτως ἐποίησε θύραν, Δι' ἧς γαλῆ καὶ μοιχὸς οὐκ εἰσέρχεται.

Ibid. *In quendam zelotypum maritum*] Martialis: *Toxica zelotypo dedit uxor moecha marito.*

Ibid. *Nosti quendam Barbarum?* etc. *Quidni?*] Terent. Eunuch. *Patris cognatum atque aequalem Archidemidem Noristin'? Quidni?* ubi et Donatus: (ad sensum aniculae istius haud inapposite,) *Hoc sic pronunciandum est, ut appareat ex ipso nomine statim odiosum nescio quem occurrisse.*

Ibid. *Quem* Scorpionem *prae morum acritudine vulgus appellat*] Ezechiel 2. 6. *Increduli et subversores sunt tecum, et cum Scorpionibus habitas.* Hieronymus in Apocalypsin: *Scorpiones vocantur qui sunt corde indomabili.* In vetere Epigramm. Θᾶττον ποιήσει μέλι κάνθαρος, ἢ γάλα κώνωψ, Ἢ σύ τι ποιήσεις, σκόρπιος ὤν, ἀγαθόν. Pollux Onomast. 6. 29. de moroso et iracundo homine: Ἄγριος, θηριώδης, ἰοῦ γέμων, σκορπιώδης, σκόρπιος. Hesychius: Σκορπιοῦται, ἀγριαίνεται, etc. Philo de Elicone, Imperatoris Caii assentatore: Σκορπιῶδες ἀνδράποδον, τὸν Αἰγυπτιακὸν ἰὸν εἰς Ἰουδαίους ἤφιεν. Stephanus in π. πολ. de Cychreo: Διὰ τὴν τῶν τρόπων τραχύτητα ὌΦΙΣ ἐπεκλήθη. Chrysostomus Homil. in illud: Sufficit tibi gratia mea: Προσέχετε ὅτι τὰ ὀνόματα ἀπὸ τῶν τρόπων τίθενται, καὶ αἱ προσηγορίαι ἀπὸ τῆς γνώμης· καὶ τοῦτο οὐκ ἐν τῇ γραφῇ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ συνηθείᾳ τῇ κοινῇ. ἐὰν ἴδωμεν σήμερον ἄνθρωπον ἥμερον, λέγομεν πρόβατον ὁ ἄνθρωπος· (vide supra [hui. Ed. 323, a.] adnotata.) ἐὰν ἴδωμέν τινα ἀναισχυντοῦντα, λέγομεν· μὴ γὰρ ἄνθρωπος κύων ἐστιν; ἐὰν ἴδωμεν δολερὸν, ὌΦΙΣ ὁ ἄνθρωπος, etc. Tertullianus cap. 32. de Anima: *Quidam homines bestiis adaequantur, pro qualitatibus morum et ingeniorum, et affectuum*, etc. Theodoretus περὶ Προνοίας. 8. Τοῖς πονηροῖς ἤθεσι τὰς τῶν θηρίων προσηγορίας ἐπέθηκαν. Nec tantum ab animalibus sed et rebus cognomenta indita. Guntherus de Marchione Malaspina: *Quem propter mores (ni fallor) acerbos, Spinam fama malam vero satis ore ferebat.* Aelianus Var. 14. 35. de scorto Phryne: Ἀξίνη ἐκαλεῖτο· ἤλεγχε δὲ αὐτῆς τὸ ἐπώνυμον τοῦτο τὴν τοῦ ἤθους ἀγριότητα. Plutarchus in de Iside et Osyride: Τὸν ὠμότατον Περσῶν βασιλέα καὶ φοβερώτατον Ὦχον, ἀποκτείνοντα πολλοὺς, τέλος δὲ τὸν Ἆπιν κατασφάξαντα, καὶ καταδειπνήσαντα μετὰ τῶν φίλων, ἐκάλεσαν Μάχαιραν, etc. οὐ κυρίως δήπου τὴν ὀνομασίαν αὐτοῦ σημαίνοντες, ἀλλὰ τοῦ τρόπου τὴν σκληρότητα καὶ κακίαν ὀργάνῳ φονικῷ παρεικάζοντες. Oxon. *pro morum acritudine:* quod genuinum existimo.

Ibid. *Quem Scorpionem prae morum a. vulgus appellat*] L. 5. Cod. de malef. et mathemat. *Chaldaei, et Magi, ac ceteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat.*

Pag. 188. *Uxorem generosam*] Hoc sensu Glossarium: *Generosus*, εὐγενής, ὁ ἀπὸ γένους. mancum (ut videtur) locum sarcito, τίμιος vel ἔντιμος addendo.

Ibid. *Mira custodela munitam*] Propertius: *Quid faciat nullo munita puella timore?*

Ibid. *Munitam, domi suae* etc.] Cogitabam etiam, *munita domu sua.* supra lib. 4. *Satis munita domuncula contectus.*

Ibid. *Ultima illa pistoris uxor*] τὸ *ultima* male dele: Bertin. MS. Virgilius: *Atque ultima Teucrûm Iussa sequar.* Servius: *Ultima, deterrima.*

Ibid. *Quidni? inquit*] *Quidni*, ad formam Graecam, πῶς γὰρ οὔ. Donatus ad 3. 4. Adelph. *Plus est* quidni, *quam* noveram: *nam quasi corripit dubitantem.*

Ibid. *Ergo nosti totam Philesiteri* etc. *fabulam*] Helena apud Euripidem: Πάνθ' οἶσθ' ἄρ', ὡς ἔοικε.

Ibid. *Minime gentium (inquit,) sed nosse valde cupio: et, oro, mater, ordine mihi singula retexe*] Venus apud Lucianum ad Paridem de Helena loquens: Πάντως δὲ καὶ σὺ ἀκήκοάς τι περὶ αὐτῆς. respondet ille, Οὐδὲν ὦ Ἀφροδίτη· νῦν δὲ ἡδέως ἂν ἀκούσαιμί σου τὰ πάντα διηγουμένης. *Retexere ordine singula*, est, quod Act. 21. 13. ἐξηγεῖσθαι καθ' ἓν ἕκαστον. Supra lib. 8. *Enarratis ordine singulis*, etc. ubi dicta [ad p. 162. Ed. Pric.] vide. Terentius 3. 2. Adelph. *Rem omnem narrato ordine.* Maximianus: *Referens ordine cuncta suo.*

Ibid. *Oro mater*, etc.] Hesychius: Μήτηρ· ἡ πρεσβυτάτη πᾶσα.

Ibid. *profectionem pararet*] Infra hîc: *Ad sexagesimum lapidem profectionem comparat.*

Ibid. *Servulum* etc. *praecipua fidelitate cognitum*] Cicero lib. I. ad Q. Fr. *At, si quis est ex servis egregie fidelis*, etc. Macrob. Sat. I. 11. *Cum et Iovem tetigerit cura de servo, et multos ex his fideles exstitisse constiterit.* Cicero pro Deiotaro: *Servo, ut putabat, fideli*, etc. P. Warnefridus lib. 3. *Cum* etc. *ipse cum uno fidelissimo tantum suo remansisset, gravissimo somno depressus, caput in genubus eiusdem fidelis sui reclinans, obdormivit.* His adde quae olim pag. 186. ad Apologiam notata.

Ibid. *Secretum commonet*] In aliis *secreto.* Orleans ad Taciti Annal. 11. *secretorum* legit.

Ibid. *Suaeque Dominae custodelam omnem permittit*] Ovid. *Quem penes est Dominam servandi cura, Bagoe.* Uxorem autem committit ei, ut fide non vulgari spectato. Philo lib. ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἐλεύθ. de servis loquens: Πολλοὶ δὲ καὶ γυναῖκας etc. δεσποτῶν ἐνετράπησαν, συγγενῶν προκριθέντες εἰς πίστιν. vide quae de Agamemnone ad bellum profecturo Odyss. 3. Homerus.

Ibid. *Carcerem, et perpetua vincula* etc.] Claudianus: *Cruciatus, vincla, tenebras, Dilato mucrone parat.* Ruff. I.

Ibid. *Mortem denique violentam et famem comminatus*] Seneca cap. 8. in sap. non cad. iniur. de Morte loquens: *Maximum illud, ultra quod nihil habent iratae leges, nec saevissimi Domini quod minentur.* Post cetera *famem* comminatur, ut gravissimum, nec immerito. Quintilianus 12. Declam. *Adeo neque apud Inferos quidem ulla poena est fame gravior.* Ibidem: *Felix pestilentia, felix praeliorum strages, denique omnis mors facilis: fames aspera vitalia haurit, praecordia coquit: animi tormentum, corporis tabes*, etc. *durissima necessitatum, malorum deformissima.* Chrysostomus Homil. 46. ad Antiochenos: Λιμὸν ἀκούσας, μὴ παρέλθῃς ἁπλῶς τὸ λεγόμενον· ἁπάντων γὰρ θανάτων οὗτός ἐστι χαλεπώτατος, etc. καθάπερ γὰρ δήμιός τις τοῖς σπλάγχνοις ἔνδον καθήμενος, ἅπαντα καταξαίνει τὰ μέλη, πυρὸς παντὸς καὶ θηρίων σφοδρότερον κατεσθίων πάντοθεν τὸ σῶμα, διηνεχῆ τινα καὶ ἄρρητον παρέχων ὀδύνην. Virgilius 6. *Epulaeque ante ora paratae Regifico luxu: Furiarum maxima iuxta Accubat, et manibus prohibet contingere mensas:* ubi Servius: *Furiarum maxima, id est, saevissima: hoc est, fames: ut — Vobis Furiarum ego maxima pando. unde et famem praenunciat, ut hanc esse Furiarum maximam doceat.* Idem ad 3. *Nihil fame gravius.* deinde haec Sallustii addit: *Sin vis obsistat, ferro quam fame aequius perituros.* ex quo, ut videtur, lib. 25. Ammianus: *Ferro properans quam fame, immanissimo genere mortis, absumi.* adde Terent. Heautont. 5. 2. et ibi Eugraphium. MS. Oxon. *M. d. violentam defamem comminatus.* Florent. *et defamem c.* quae probant homines eruditi (Elmenh. Schopp.), et ad *crucis* infamiam referunt. non possum ego accedere sic sentientibus: nam nec (quod sciam) *defamis* uspiam alibi occurrit, nec Dominis servos *crucifigendi* potestatem concessam lego. *fame* autem afflixisse eos mancipia sua Scriptorum multa testimonia evincunt, quorum pauca ad firmandam alteram lectionem non erit importunum apponere. Pacuvius: *Te in specu tenebrica macerabo fame.* Herus ad servos suos in Vespis Aristophanis: Ἐν πέδαις παχείαις οὐδὲν ἀριστήσετε. Imperator M. Antoninus: *Sed et Dominorum interest, ne auxilium contra saevitiam, vel famem*, etc. *denegatur iis qui iuste deprecantur.* Messenio Sc. *Spectamen*, in Plautina Menaechmo: *Recordent id qui nihili sunt, quid iis pretii Detur ab suis heris: ignavis, improbis Viris, verbera, compedes, molae, magna Lassitudo, fames*, etc. Quae verba calamum meum pergentem demorantur. loquitur non tantum servus, sed et de servis ac mancipiis: quis vero eiusmodi nationem appellari *viros* crediderit? praecipue qui Romanos mores ac Scriptores cognovit? Quid multa? lectione ac distinctione prava infuscatum locum ita luce perfundo. *Quid iis pretii Detur ab suis heris: ignavis, improbis: Sitis, verbera, compedes*, etc. Et, ne quis respuat coniecturam hanc, expendat Cypriani ista: *Nisi tibi pro arbitrio tuo serviatur*, etc. *flagellas, verberas: fame, siti, nuditate*, etc. *affligis.* Epistola ad Demetrianum. Si quid porro in Appuleio mutatum vellem, *de fame* scriberem. *Mortem de fame comminari*, ut 7. lib. *mortem de lupo mentiri.* quod loquendi genus fortasse etiam reponendum 8. libro, ubi vulgo, *mortem sibi nexu laquei comparabat.* Nullum autem recepta lectio, hac parte saltem, mihi scrupulum movet. pro *violentam* vero, *lentam* sub-

substituendum putavi. Plinius 2. 63. *Ne in taedio vitae dirae famis mors* etc. *lenta nos tabe consumeret.* cui simile supra 6. *inediae diutinae lethali fame tabescere. Mortem lentam et famem*, pro, *lentam mortem famis:* figurâ ἓν διὰ δυοῖν dictâ, quae σχέσις frequentissima.

Ibid. *Si quisquam hominum vel in transitu digito tenus eam contigisset*] In Eunucho Terentii 4. 6. *Si illam digito attigerit uno, oculi ilico effodientur.* ubi Donatus: *Moris comminantium est ad exiguum revocare commissa, quae se ulturos praedicant.* Cicero Tuscul. 5. *Laelius, si digito quem attigisset, poenas dedisset.* Addit, *vel in transitu* Barbarus: quibus apposite Plutarchus Artoxerx. vita: Λύσζηλα τὰ βαρβαρικὰ δεινῶς περὶ τὸ ἀκόλαστον, ὥστε μὴ μόνον τὸν προσελθόντα καὶ θίγοντα παλλακῆς βασιλέως, ἀλλὰ καὶ τὸν ἐν πορείᾳ προσελθόντα (παρελθόντα legerim) καὶ διελάσαντα τὰς ἁμάξας ἐφ' ὧν κομίζονται, θανάτῳ κολάζεσθαι. Pro *quisquam hominum*, fuit qui *quisquam omnium* corrigebat (Schopp.): et levi, et minus necessaria mutatione. Iuvenalis: *quisquam hominum est quem tu contentum videris uno Flagitio?* Ad haec, erectae, non sordidae, et iacentis auris lectori, hoc, altero illo gravius quid et concitatius sonabit. Oxon. hîc, *cognovisset:* quod non video cur approbem.

Ibid. *Idque deierans etiam confirmat per omnia divina Numina*] Lib. 2. *Quamque sanctissime poterat, adiurans cuncta Numina.* Alia porro quam quae debuerant agebant, ille (Brant.) qui τὸ *numina*, hic (Elmenh.) qui τὸ *divina* expunctum voluit. retinendum utrumque. supra hîc: *Spretis atque calcatis divinis Numinibus.* et infra hoc ipso libro, *coelestia Numina.*

Ibid. *Summo pavore perculsum Myrmecem*, etc.] Nota *custodis pavorem*, et Propertium emenda 2. 23. *Reiecto quae libera vadit amictu, Custodum et nullo septa tumore placet.* repone *timore.* Idem 3. 12. *Quid faciat nullo munita puella timore?* timore custodientium nempe. et 3. 14. *Nec timor, aut ulla est clausae tutela puellae.* Tibullus 1. 6. *Haec mihi te adducit tenebris, multoque timore Coniungit nostras clam taciturna manus.* ubi pro *mihi te*, legendum *tibi me* videtur.

Ibid. *Acerrimum relinquens uxori secutorem*] Aelianus Var. 2. 14. de Xerxe platani admiratore: Μελεδωνὸν αὐτῇ κατέλιπεν, ὥσπερ ἐρωμένῃ, φρουρὸν καὶ φύλακα.

Ibid. *Obstinato animo*] Lib. 5. de Psyche: *Statuto consilio, et obstinato animo.* Hoc sensu in Glossario: *Obstinatione*, ἐπιμονῇ. et supra lib. 1. *Obstinationi suae me ingratis obedientem.*

Ibid. *Destrictam*] Videtur *destrictae* legendum. Gloss. *Destrictus*, περισπασθεὶς, ἀσχοληθείς.

Ibid. *Ac tantum necessario vespertini lavacri progressu affixus* etc.] Ex moribus temporum illorum necesse erat se lavacro curaret: id quia prohiberi inhumanum, Myrmex, se custode, permittit. sic in l. 7. Cod. Th. de cust. reor. *Quos ad lavacrum sub fida custodia duci oportet.* Libanius in περὶ προσεδρ. τοῖς ἄρχουσι, de odiosis petitoribus agens, habet quaedam quae cum nimia Myrmecis huius diligentia pari passu incedunt. Ἑσπέρα (inquit) καὶ λύχνος, καὶ οὐδὲν μᾶλλον ἀπέρχονται· ἀλλὰ καὶ λουτρὸν τῶν ἀρχόντων αὐτοῖς, ὡς ἐκείνοις μηδὲ πρᾶξαί τι τῶν ἀναγκαίων ἐνεῖναι. quae verba tamen, nisi ex parte, non intelligibilia videntur. qualia enim et cuiusmodi illa? ἀλλὰ καὶ λουτρὸν τῶν ἀρχόντων αὐτοῖς. nimirum mutilus locus ad hanc faciem integrandus: ἀλλὰ καὶ λουτρὸν τῶν ἀρχόντων, αὐτοῖς τὸ βῆμα. vel ipsa lavacra Magistratuum importunis his pro tribunali sunt: adeo sine temporis, sine loci respectu moleste interpellant eos. *Vespertinum progressum* heic, ut 4. *progressum matutinum* dixit: et illa *t. necess.* fortasse, *tam necessario*, intelligenda.

Ibid. *Affixus*] Vox apta custodelae. Iuvenal. *Custos affixus ibidem.* Virgil. de Palinuro: *Clavumque affixus et haerens Nusquam amittebat.* Vide quae plura de voce ista supra pag. [hui. Ed. 307, a.] adnotata. Ovidius: at de *comitis* observantia, non *custodis* observatione: *Quando ego non fixus lateri spatiantis adhaesi?*

Ibid. *Extremas manu prehendens lacinias*] Iulianus ad Iamblichum: Τῷ σῷ χιτωνίσκῳ προσάψαιμι ἂν ἡδέως, ἵνα σοῦ κατὰ μηδὲν ἀπολειποίμην· ἀλλὰ συνείην ἀεὶ, καὶ πανταχοῦ προφεροίμην. puto περιφεροίμην scribendum. Tale apud Themistium Orat. 4. ἕπεσθαι, καὶ συμπαρεῖναι, τοῦ τρίβωνος ἐξημμένος. *laciniam extremam* dixit et Petronius.

Ibid. *Ardentis Philositeri vigilantiam matronae nobilis pulchritudo latere non potuit*] Infra lib. 10. *Haec bene* etc. *disposita, feralem Fortunae nutum latere non poterant.* vide supra pag. [hui. Ed. 329, b.] notata.

Ibid. *Atque hac ipsa potissimum* etc. *tutelae nimietate instrictus atque inflammatus*, etc.] Ovid. *Auget Hoc ipsum flammas.* Theocrit. Ἐρεθίζετε μᾶλλον ἐραστάς. Supra 8. de Thrasyllo: *Cum adulterinae Veneris magis magisque praeclusos aditus copia custodientium cerneret*, etc *tamen ad hoc ipsum quod non potest, contentiosa pernicie, quasi posset, impellitur.* Seneca Epist. 97. *Omnibus crimen suum voluptati est: laetatur ille adulterio, in quod ipsa difficultate irritatus est*, etc. Horatius: *Nam te Hoc facit insanum:* etc. ad quem locum vetus Scholiastes: *Semper ibi plus incendimur quo difficilius pervenimus.* Menander, cum dixisset mulieres magis irritari strictiore custodia, addidit:

Τὸ

Τό τ' ἄρσεν ἀεὶ τοῦ κεκρυμμένου λίχνον. Ovidius Fast. 3. *Quicquid servatur cupimus magis, ipsaque furem Praeda vocat: pauci, quod sinit alter, amant.* Contra apud Eundem Amor. 4. *Cui peccare licet, peccat minus: ipsa potestas Semina nequitiae languidiora facit.* Plinius lib. 8. Epist. 21. *Omnium rerum cupido languescit, cum facilis occasio est.* Quintilianus 1. Declam. *Diliguntur immodice sola quae non licent*, etc. *brevis de concessis, sed* (scribe, *et*) *statim satietati vicinus affectus est: non fovet, non nutrit ardorem concupiscendi* (lege, *concupiscentia*) *ubi frui licet: et quaecunque in mentibus circa permissa coalescunt, non sunt desiderii, sed voluntatis.* Vicent. editio, et MS. Oxon. *instinctus:* haud dubie rectius. vide quae supra pag. [hui. Ed. 320, a.] adnotata.

Ibid. *Tutelae nimietate*] Propertius: *Clausae tutela puellae.*

Ibid. *Instinctus atque inflammatus*] Infra hic de canibus: *Incensi atque inflammati.*

Pag. 189. *Quidvis facere* etc. *paratus ad expugnandam* etc.] Ovid. *Nihil est quod non effraeno captus amore Audeat.* Donatus ad 3. 5. Eunuchi: *Amore cogente nihil est infectum cupientibus.* Interpres optimus Nicomachaeorum 3. 8. Οἱ μοιχοὶ διὰ τὴν ἐπιθυμίαν τολμηρὰ πολλὰ δρῶσιν. Fulgent. Mytholog. 3. *Amor cum periculo saepe concordat.* In vetere Mimo: *Metum respicere non solet quicquid iuvat.* Supra lib. 8. *Uno potiundo studio postponens omnia.* ubi plura hanc in mentem adnotata. *Paratus* monstrat animum vel gravissima subeundi. Supra 2. nec dissimili argumento: *Paratus, vel uno interim suaviolo recreatus, super ignem porrectus assari.* Hoc sensu Luc. 22. 33. ἕτοιμος· et Act. 21. 13. ἑτοίμως ἔχω. adde Heliodori locum continuo subiungendum.

Ibid. *Quidvis facere, quidvis pati paratus*] Horatius: *Possum quidvis perferre patique.* vide et Suidam in ἀντολήκυθοι. Zeno Veronensis (etiam de cupidine inconcessa loquens): *Nil prorsus existimat turpe nec pati nec facere.* et Lucianus Cynico: Τί δὲ δεῖ λέγειν ὅσα τῶν ἀφροδισίων ἕνεκα πράγματα ποιοῦσί τε καὶ πάσχουσιν οἱ ἄνθρωποι. Apud Heliodorum 8. ille: Πάντα ὑπὲρ σοῦ πράττειν καὶ πάσχειν ἕτοιμος. Libanius in Magi accusat: Πᾶν ἦσαν ἕτοιμοι καὶ ποιεῖν καὶ πάσχειν ὑπὲρ αὐτοῦ. Adde quae pag. 165. ad Apologiam notata. Philo in de Mosis vita Lib. 1. Τραχηλιζόμενος ταῖς ἐπιθυμίαις, πάνθ' ὑπομένουσι δρᾶν τε καὶ πάσχειν.

Ibid. *Accingitur*] Lib. 8. *Sceleri* etc. *accingitur.* ubi dicta [ad Pric. Ed. p. 153.] confer.

Ibid. *Et, quod pecuniae cunctae sint difficultates perviae*] Phaedrus: *Obiecto cuncta corrumpit lucro.* Horatius: *Abstinens Ducentis ad se cuncta pecuniae.*

Ibid. *Auroque soleant adamantinae etiam perfringi fores*] Χρυσὸς δ' ἀνοίγει πάντα, κ' Ἅιδου πύλας. Apud Servium Tiberianus: *Aurum, quo pretio reserantur limina Ditis.*

Ibid. *Supplex eum medelam cruciatui deprecatur*] Infra heic: *Deprecatur periclitanti sibi auxilium ferret.*

Ibid. *Nam sibi statutam decretamque mortem proximare, ni cupito maturius potiatur*] In Milete Plautino: *Si non quibo impetrare, Consciscam lethum: vivere sine illo scio me non posse.* Imp. Marcus ad Senatum apud D. Cassium: Ἂν μὴ τούτου τυχῶ, πρὸς τὸν θάνατον σπεύσω. Phaedra ad Hippolitum: *Certa descendi ad preces: Finem hic dolori faciet aut vitae dies.* Parthenius in Eroticis, de Leucippo sororem depereunte: Ἀνακοινοῦται (τὸ πρᾶγμα) τῇ μητρί, καὶ πολλὰ καθικέτευε μὴ περιϊδεῖν αὐτὸν ἀπολλύμενον· εἰ γὰρ αὐτῷ μὴ συνεργήσειν, ἀποσφάξειν αὐτὸν ἠπείλει. Aristaenetus 1. 10. Δυοῖν θάτερον, ἢ γάμον, ἢ θάνατον βληθεὶς διελογίζου. adde supra [Pric. Ed. p. 91 extr.] notata. Pro *cupito*, melius *cupita* (ποθουμένῃ) legas. sic 6. *Ne cum sua cupita conveniret.* et 3. *In avem se plumaturam, et ad suum cupitum sic devolaturam.*

Ibid. *Nec eum tamen quidquam in re facili formidare debere*] Infra 11. *Nec quidquam rerum earum reformides ut arduum.*

Ibid. *Fide tenebrarum contectus*] *Defensus tenebris, et dono noctis opacae.* Supra lib. 8. in non dissimilis nequitiae scaena: *Noctemque, et opertas exoptat tenebras.* ad quem locum notata consule.

Ibid. *Intra momentum temporis*] Petronius: *Momento temporis montem conscendimus.*

Ibid. *His et huiuscemodi suadelis validum addens cuneum*] Virgilius: *His aliud maius Iuturna adiungit.* Aen. 12. *His et huiuscemodi suadelis:* ut 2. *His et huiuscemodi colluctationibus.*

Ibid. *Porrecta enim manu sua* etc.] Hesychius: Προτείνεται, δίδωσιν, ὑπισχνεῖται. fortasse προτείνει scribendum. Suidas: Προτείνειν· δωρεῖσθαι, χαρίζεσθαι. ubi et sequentia vide.

Ibid. *Exhorruit Myrmex inauditum facinus*] Lib. 10. *Quanquam tale facinus protinus exhorruisset.* et 8. *Sed Charite nefandam vocem exhorruit*, (ita Oxon. non, ut vulgo, *et horruit*) *et detestata est.*

Ibid. *Occlusis auribus effugit*] Ignatius ad Ephesios: Βύσαντες τὰ ὦτα (ὑμῶν) εἰς τὸ μὴ παραδέξασθαι τὰ σπειρόμενα ὑπ' αὐτῶν. Philo in de legg. special. Οὐκ ἀποδραμεῖται; τὰ ὦτα ἐπιφράξασα; vide quae ad Act. 7. 57. notata.

Ibid. *Auri splendor flammeus*] Lucretius: *Nec splendorem reverentur ab auro.* Virgil. 6. *Auri aura.* ubi Servius: *Splendor auri.* Horatius Serm. 1. *Hunc capit argenti splendor.* Bene

et *flammeus splendor.* Cassiodorus 7. 32. *Auri flamma* (i. flammeus splendor) *nulla permixtionis iniuria albescat.* Noster in de Mundo: *Flammis ex auro, vel electri claritate.* Lucianus Timone: Ὦ χρυσὲ, etc. αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπεις! quae hausit a Pindaro. sic, *radiantem monetam*, Prudentius dixit, et Clemens Paedag. 3. 5. χρυσίου μαρμαρυγάς.

Ibid. *Videbat tamen decora illa monetae lumina*] Nec quidquam aliud (Diphilus): Πρὸς τὸ λαβεῖν γὰρ ὢν ὁ νοῦς, τ' ἄλλ' οὐχ ὁρᾷ. *Videre lumina monetae*, est quod Basilio, Homil. de Avarit. χρυσὸν βλέπειν, χρυσὸν φαντάζεσθαι. quomodo etiam Dissert. 36. locutus Max. Tyrius. Hesychius: Κατοπτρίζεται· ἐν αἰσθήσει ὁρᾷ, ἢ φαντάζεται. Nec temere hic *decora*: sic, *decorem splendoris auri*, Beda in de Orthographia. et, τοῦ χρυσίου εὔχροιαν, Basilius ubi supra. Lucianus, adductis modo verbis, διαπρέπεις. et Noster statim infra, *formosam pecuniam.*

Ibid. *Opulentam praedam iam tenebat animo*] Ita Cicero, *pecuniae, spe atque animo incubare*, in pro Cluentio. Sallustius Iugurth. *Totum eius regnum iam animo invaserat.* Noster in Apologia: *Totum Pudentillae quadragies praesumptione*, etc. *devorarat.*

Ibid. *Miroque mentis salo* etc. *misellus in diversas sententias carpebatur*] Ammianus lib. 17. *Fluctuantes ambiguitate mentium, in diversa rapiebantur.* Curtius lib. 3. *Quicquid in utramque partem aut spes aut metus subiecerat, secreta aestimatione pensabat.* Festus Pompeius: *Miscelliones appellantur, qui non certae sunt sententiae, sed variorum mixtorumque iudiciorum.* Suidas: Ἐν τριόδῳ εἰμὶ λογισμῶν· ἐπὶ τῶν ἀδήλων καὶ ἀμφιβόλων πραγμάτων. vide et in ἐν τριόδοισιν Hesychium. Ovidius Metam. 10. *Utque securi Saucia trabs ingens, ubi plaga novissima restat, Quo cadat in dubio est, omnique a parte timetur: Sic animus, vario labefactus vulnere, nutat Huc levis atque illuc: momentaque sumit utroque.* De *aestu* vel *salo mentis* supra pag. ad L. IV. init. dixi.

Ibid. *Et cogitationum dissensione*] Servius ad Aen. 10. *Omnis cogitatio in dubitatione est ante sententiam.*

Ibid. *Illic fides, hic lucrum: illic cruciatus, hic voluptas*] Lege, *illinc fides, hinc lucrum*, etc. similis et sententiae et locutionis ista apud Persii veterem Scholiastem Sat. 1. *Hinc pudor, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: isthinc fraudatio, illinc fides.* Nec apposita minus, ultro longe salubria magis haec Seneca 82. Epistola: *Nihil honeste fit, nisi cui totus animus incubuit, atque affuit: cui nulla parte sui repugnavit: ubi autem ad malum acceditur, dissident inter se iudicia facientis. hinc est quod iubeat proposita perficere, illinc quod retrahat: et ab re suspecta ac periculosa fuget; igitur in diversa distrahitur*, etc. Verba gravia et sancta, verba meram sapientiam spirantia: et quae nemo nisi conscientiam inustus, verissima non experitur.

Ibid. *Ad postremum tamen, formidinem mortis vicit aurum*] Cicero pro Cluentio: *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Cum ratio simul et argentum tanquam in trutina ponuntur, argentum (inquit Demosthenes in de Pace) ἐφ' ἑαυτὸ τὸν λογισμὸν καθέλκει. At, cum de *servo* res hic, apposita illa Taciti. *Cum secum servilis animus praemia perfidiae reputaret*, etc. *cessit fas et salus patroni*, Annal. 15. Eiusdem sunt et ista Annal. 11. *Nec fidem integram manere, ubi magnitudo quaestuum spectetur.* Imitatur hic Appuleius Sallustium forsan, qui ad hunc modum de Iugurtha scribit: *Commotus metu atque libidine, diversus agitabatur: timebat iram Senatus ni Legatis paruisset, porro animus cupidine coecus ad inceptum scelus rapiebat: vicit tamen* (ἴσ. *tandem*, quod Appuleio *ad postremum*) *in avido ingenio pravum consilium.*

Ibid. *Ad postremum tamen* etc.] Idem in de Republ. ordin. *Ubi cupido divitiarum invasit*, etc. *nullum ingenium satis pollet: quin animus magis aut minus mature, postremo tamen succumbit.*

Ibid. *Nec saltem spatio cupido formosae pecuniae leniebatur*] Non nego omnes editos hanc scripturam retinere, nec, vel uno MS. iubente, immutandam eam: sum tamen ausus cogitare *diei spatio* legendum: nam et ex verbis *dimota cunctatione*, videtur statim cum lucro victum succubuisse; et curas, quae heic sequuntur, *nocturnas*, *diei spatio* opponi. adde quod et *spatium diei* lib. 8. dixit. — Video autem permitti iam posse receptam lectionem. Lib. 6. *Quoad tantae Deae saeviens ira spatio mitigetur.* et infra hic, *Quoad spatio fervens mariti sedaretur animus.*

Ibid. *Sed nocturnas etiam curas invaserat pestilens avaritia*] Basilius ubi supra: Τοῦτο (χρυσίον) καὶ καθεύδοντι ἐνύπνιον, καὶ ἐγρηγορότι ἐνθύμιον. P. Chrysologus, Serm. 29. *Fidem frangit, turbat quietem.*

Ibid. *Devorato pudore*] *Pudorem devorare*, etiam supra 2. dixit.

Ibid. *Nec a genuina levitate descivit mulier*] Lib. 7. *Nec ab illa tamen paterna*, etc. *virtute descivi.* sic, *ab obsequio descire*, infra lib. 10. et, *a conspecta fide descire*, in Apologia. Glossae: *Desciscit*, ἀφαιρεῖται. nescio an bene coniecerim, ἀπαρνεῖται.

Pag. 190. *Execrando metallo*] Heliodorus 4. Ἀπαραίτητον ἔχει πρὸς γυναῖκα ἴυγγα χρυσὸς

καὶ λίθος Zeno Veronensis: *Execrabili metallo procedis onusta.*

Ibid. *Ad suae fidei praecipitium*] *Auro flexa fides quae nec bene firma manebat Antea, praecipiti cecidit iam prona ruina.*

Ibid. *Fidei praecipitium*] Sic Paulus, *fidei naufragium*, 1. ad Timotheum.

Ibid. *Et magnis suis laboribus perfectum desiderium* etc.] Terentius Prologo Eunuchi: *Perfecit*, etc. Donatus: *Perfecit*, *mire: quasi difficile et illicitum.* Idem ad 1. 2. Hecyrae: *Efficimus*, *quod cum magno conatu et molimine facimus.* Et nota, *magnis laboribus.* Hesychius: Ἐπιμοχθῆσαι· σὺν μόχθῳ ἐπιπονῆσαι.

Ibid. *Nocte-promota*, etc.] Lib. 8. in re simili, *Noctemque*, *et opertas exoptat tenebras.* ubi dicta [Pric. Ed. p. 160, in.] vide.

Ibid. *Probéque capite contectum* etc.] Iuvenalis 6. *Ille iubet iuvenem sumpto properare cucullo.* Idem 8. *Nocturnus adulter*, *Tempora Santonico velans adoperta cucullo.* In Historia Susannae: Καὶ ἦλθε πρὸς αὐτὴν νεανίσκος ὃς ἦν κεκρυμμένος. Horatius: *Odoratum caput obscurante lacerna.* ubi vetus Scholiastes: *Exit de adulterio*, *obtecto capite*, *ne quis illum videat.* Isidorus Orig. 19. 26. *Cum egrediebantur de ludi prostibulo iuvenes*, etc. *velamento tegebant caput et faciem: quia solebant erubescere qui lupanar introiissent.* Seneca (hunc morem alludens) cap. 13. de Vita beata: *Indulget vitiis suis*, *non timide*, *nec obscure: et luxuriatur*, *etiam inoperto capite.*

Ibid. *Veneri militabant*] Vide supra [hui. Ed. p. 182, a.] dicta.

Ibid. *Novi et nudi milites*] Verba *novi et*, absunt ab Oxon. MS. et eo quo Colvius usus.

Ibid. *Contra omnium opinionem*] Infra hîc: *Insperato*, *et longe contra eius opinionem.* et de lapide: *Contra omnium opinionem deciderat innoxius.*

Ibid. *Captata noctis opportunitate*] Virgilius Georg. 3. *Nocturnum furem.* ubi Servius: *Noctis opportunitatem captantem.* Vegetius 4. 6. *Tenebrarum ac noctis occasione captata.* supra heic lib. 4. *Observato noctis illunis tempore.*

Ibid. *Improvisus maritus adsistit*] Apud Quintilianum ille Declam. 18. etiam simili argumento: *Improvisus adstiti*, *dum non timeor adveni.* vide fabellas Phaedri 3. 10.

Ibid. *Suae domus ianuam iam pulsat*, *iam clamitat*] *Clamitare*, *indignantis est.* Donat. ad 1. 1. Andr. Aristaenet. 2. 22. Ὁ ταύτης (adulterae) ἀνὴρ ἐξ ἀλλοδαπῆς ἀφιγμένος, (ita Barbarus noster) τὴν θύραν, ἅμα βοῶν, ἔκοπτε. Horatius: *Nec metuo*, *ne*, *dum futuo*, *vir rure recurrat: Ianua frangatur*, *latret canis*, *undique magno Pulsa domus strepitu resonet: vel pallida lecto Desiliat mulier*, *miseram se conscia clamet.*

Ibid. *Et ipsa tarditate magis magisque suspectus*, *dira comminatur Myrmeci supplicia*] Perapposite ad hunc locum Suidas: Τὸ· ἀπειλῇ βραδυνόντων, καὶ ἀνοιγνύναι κελευόντων. ubi sensu tamen passivo βραδύνειν, quod forsan insolentius. Falsus autem, et multum falsus qui *tarditatem* et *suspectans* volebat. *Suspectum* hîc pro *suspicientem* vel *suspicacem* posuit, ut 2. pro *flens*, *fleta.* Virgilius: *Pictis conspectus in armis.* ubi Servius: *Conspicuus*, *vel conspicabilis.* Sic in Gloss. *Perspectus:* (id est, *perspicax*,) εὐπρόσρατος. Donatus ad 5. 1. Hecyrae: *Suspectas esse*, *ambiguum est: nunc partem eius manifestam videmus.* Ammian. lib. 16. *Suspectior de obscuris*, *nec referre gradum*, *nec ulterius ire tentavit.* Scholiastes vetus Horatii ad Carm. 3. de vita regia: *Quia semper insidiarum metu suspecta sit.* His adde quae ex Glossariis, Euripide, Tertulliano, adnotavit ad Catonis disticha Ios. Scaliger. E converso vox *suspiciosus*, sono activa, non solum activum sensum sed et passivum recepit. id est, non *suspicantem* tantum, sed et *suspectum* significat. vide 9. 12. A. Gellium, qui et 9. 4. *incredulas res* forma non dissimili dixit.

Ibid. *Repentino malo perturbatus*] Lib. 10. *Repentino malo perturbatus adolescens*, etc.

Ibid. *Ad inopiam consilii redactus*] Ob mali improvisum superventum. vide supra ad ipsum libri istius initium adnotata.

Ibid. *Quin clavem* etc.] Id est, *quo minus.* vide 17. 13. A. Gellium.

Ibid. *Pedibus intectis*] Ut solent festinantes. Theocrit. 25. Ἄνστα, μηδὲ πόδεσσι τεοῖς ὑπὸ σάνδαλα θείης. Horatius ubi supra: *Discincta tunica fugiendum est*, *et pede nudo.*

Ibid. *Recipit* etc. *fidem Deûm boantem Dominum*] Aristaenetus 1. 5. de Zelotypo: Ἧκεν εὐθὺς, καὶ εἰσπεπήδηκεν ἔνδον, κεκραγὼς ἅμα, καὶ πνέων θυμοῦ. *Boantem*, vociferantem. Gloss. Βοῶ, *vociferor.* Ennius apud Varronem: *Clamore boantes.* Vetustae editt. *fidem Domini boantem Dominum.* unde Beroaldus, *fidem Dominicam*, etc. id est, *Dominis debitam fidem:* quod non video cur laude prosequar: cum saepius hoc in scripto *Deûm fidei* occurrat.

Ibid. *Pro limine liberato*] Vide 11. 3. A. Gellium.

Ibid. *Soleas* etc. *quibus indutus* etc.] Oxon. *indutus.*

Ibid. *Suspectusque* etc. *quae gesta sunt*] Oxon. *susceptisque:* scribe cum aliis MSS. *suspectisque.*

Ibid. *Non uxori*, *nec ulli familiarium* etc.] Melius Fuxensis Cod. *non ulli famil.*

Ibid. *Forum versus detrahi*] Oxon. *abtrahi.* Bertin. *attrahi.* vide ad Act. Apost. cap. 8. pag. 65. adnotata.

Ibid. *Tacitos secum mugitus iterans*] Servius

ad Aen. 12. *Apparet, mugitus et dolentium et irascentium esse.* Seneca 1. 1. de notis irae: *Spiritus coactus ac stridens*, etc. *gemitus, mugitusque.* et 2. 35. *Talem nobis iram figuremus: flammâ lumina ardentia, sibilo, mugituque*, etc. *perstrepentem.* De dolentium moestorumque mugitibus supra pag. [hui. Ed. 308, a.] notavimus.

Ibid. *Rapidum dirigit gressum*] Lib. 6. *Citatum dirigit gradum.* Suidas: Θολερῶς προβαίνεις· ἐπὶ τεταραγμένως προϊόντων, καὶ μὴ καθισταμένην τὴν πορείαν ἐχόντων.

Ibid. *Per plateam dum Barbarus vultu turgido subductisque superciliis incedit iratus*] *Subductis superciliis incedere* iratorum est, et superbientium. Aristoph. Equit. Τὰ μέτωπ' ἀνέσπασε. ubi Scholia: Τοῦτο ὀργῆς δεῖγμα. In iisdem ad Aves scholiis: Τὰς ὀφρῦς αἴρειν ἔθος τοῖς ὀργιζομένοις, Pollux 2. 4. Τὰς ὀφρῦς αἴρων. ὑπερήφανος. Hieronymus ad Paulinum: *Subducto supercilio grandia verba trutinantes.* Hinc *subducti supercilii carptores*, Naevio apud Gellium. Plinius 11. 37. de *superciliis* agens: *Haec maxime indicant fastus, superbia alibi conceptaculum, heic sedem habet: in corde nascitur, huc subit, heic pendet.* Suetonius de Tiberio: *Incedebat cervice rigida et obstipa, adducto fere vultu.* quo loco notemus etiam *incedebat*, quod de Barbaro nostro non temere prolatum. Claudianus in Eutropium: *Mentitoque ferox incedit Barbara gressu.* Interpres vetus 1. Samuel. 17. 41. *Ibat autem Philistaeus incedens.* Servius ad Aeneid. 1. *Incedere, est cum dignitate ambulare.* adde quae statim ex Tacito apponemus. Et bene heic de homine fastuoso, *per plateas incedit.* Hesychius: Σύβαρις διὰ πλατείας· παροιμιῶδες, ἐπὶ τῶν σοβαρῶς πορευομένων. vide et Suidae Collectanea. Optime autem *subductis superciliis* iste Barbarus insignitus. Cyrillus Alexandrinus (in *de recta fide*) de Rabsace Assyriorum Duce: Ἀπονοίαις βαρβαρικαῖς οὐ μετρίως κατωφρυωμένος. *Vultu turgido* hîc, ut in vetere Onomastico, *Turgidus*, ὑπέρογκος. at Cod. Bertin. *turbido*, quod sincerius puto. supra fine 5. *Visamque eam visu tumido, quaesivere* etc. scribo, *visu turbido.* Aen. 10. de Mezentio: *Turbidus ingreditur campo.* ibidem de Turno: *Spem turbidus hausit inanem.* ubi Servius: *Tumens, elatus arrogantia.* et de Eodem 11. *Venulo se turbidus infert.* Servius: *Terribilis.* De eodem iterum 12. *Ita turbidus infit.* Servius: *Plenus terroris et perturbationis.* sic, *turbidum incessum* Tacitus, de Pisone. *Civitatem Atheniensium turbido incessu exterritam, oratione saeva increpuit.* Annal. 2.

Ibid. *Deprehensus*] *Prehensus* Oxon. MS. et liber Beroaldi.

Ibid. *Conscientia tamen pessima permixtus lacrymis uberibus*] Stewechio non accedo post vocem *permixtus* interpungenti. lacrymabat nequam iste, etsi minime coram deprehensus, ex sola malae conscientiae contemplatione. supra lib. 3. *At ego tunc temporis nil amplius quam flere poteram, non tam mehercule truculentam accusationem metuens, quam meam miseram conscientiam.* multoque minus approbo quod *pervictus* mavult. *Permixtus lacrymis*, ut et infra heic, *moerore permixtus.* et 11. *Favore et gaudio* etc. *permixtus.* id est, *repletus.* sic, *moenia lamentis permiscere*, lib. 25. Ammianus Marcellinus. *conscientiam delicto miscere*, Scriptor de bono Pudicitiae in Cypriani operibus. et, *terram stercore mixtam* 1. 34. Palladius. quo loco (quod nonnulli volunt) nec *iutam*, nec *vestitam* legendum.

Ibid. *Inefficacem commovet miserationem*] Scribo, *commovens m.*

Ibid. *Opportune Philesieterus occurrens*] Fallaciae similem contextum 1. 5. apud Aristaenetum vide.

Ibid. *Pugnisque malas eius clementer obtundens*] Ita et Oxon. Lipsii MS. *inclementer.* ut et nos legendum coniecimus. supra lib. 3. *Arreptam inclementer increpat.*

Ibid. *At ne nequissimum et periurum caput* etc. *cuncti coeli Numina* etc.] Eumenes apud Iustinum lib. 14. *At vos, devota capita, respiciant Dii periuriorum vindices.* Terentius Andr. *Ridiculum caput.* Donatus: *Pro toto homine.* Suidas: Μιαρὰ κεφαλή, ὥσπερ, φίλη κεφαλή· ἐκ τοῦ ἡγεμονικοῦ μέρους τὸν ἄνδρα δηλοῖ.

Ibid. *Coeli Numina, quae deierando temere devotâsti*] Scribe cum Lipsii et Oxon. MS. *devorâsti. Devorare numina*, est quod supra hîc, *Numina spernere et calcare.* sic 2. et iam alibi hoc ipso libro, *pudorem suum devorare.* Beroaldus heic suam operam lusit.

Ibid. *Pessimum pessime perdant*] Κακὸν κακῶς ἀπολ. etc. Matth. 21. 41. Apud Graecos hac forma loquendi nihil tritius.

Ibid. *Dignus qui et ista vincula conteras*] Supra lib. 1. *Dignus es extrema sustinere.* ubi notata p. [hui. Ed. 150, a.] confer. *Conterere vincula*, est, quod *redigere in splendorem compedes*, Plautus Aulularia vocat.

Ibid. *Carceris tenebras*] Sic, *carceris tenebrarumque secretum*, Declam. 6. Quintilianus. et, σκοτιᾶς κρυπτὸν, Euripides Bacchis.

Ibid. *Inductus*] Deceptus. Infra lib. 10. *Inductos servuli mendacio.* Ibid. *Sic inductus, pecuniam signavit.* et in Apologet. *Falsa spe inductus.* Gloss. *Inductus*, δελεασθείς, etc.

Ibid. *Immo sublatus*] Melius MS. Lipsii, *immo vero s.* supra lib. 1. *Inanimis*, etc. *immo vero semimortuus.* Gloss. *Immo vero*, ἀλλὰ μὴν. Stewech. recte faciebat etiam qui heic

ns sublitus reponebat. etiam *sublitus* Oxon. legit.

Pag. 192. *Ignovit ex animo*] Sic supra 3. *Ex animo delictum remittere.* Donatus ad 5. 7. Adelph. *Ex animo: tota mente, non perfunctorie.* Modius, *Ignovit ex animo.* nempe, servo illi timore exanimi: haud recte collineatâ coniectura.

Ibid. *Beatam illam!* etc. *At ego misella* etc.] Supra hîc de alia huius notae foemina: *Ego misera* etc. *lanificio nervos meos contorqueo*, etc. *quanto me felicior Daphne vicina!* etc.

Ibid. *Et coecam illius scabiosi asini faciem*, etc.] Sic in excusis plerisque, quin et vetustioribus. cumque saepius hîc de velato capite suo sit questus, cui facile non haec lectio placeat? complures tamen MSS. (inter quos Oxoniensis) *et ecce illius*, magno consensu legunt. Id si germanum, putârim fastidienter dictum. Lib. 6. ad Psychen Venus: *Et ecce nobis turgidi ventris sui lenocinio miserationem commovet.*

Ibid. *Amatorem illum alacrem vadimonio sistam*] Plaut. *Ubi tu es qui me convadatus Veneris vadimoniis?* etc. *Ecce me sisto*, etc. Infra lib. 10. *Promissae libidinis flagitat vadimonium.* Seneca, vel apud Senecam Cicero, μιμητικῶς Epist. 97. *Illius tibi noctem promitto, nec differo: intra comperendinationem fides promissi mei stabit.* figurâ, ut et hoc loco, a re forensi sumpta.

Ibid. *Cubiculo facessit*] Eodem lib. 10. *Clausis cubiculi foribus, facessunt.*

Ibid. *Pudica uxor statim coenas Saliares comparat*] Iuvenalis: *Moechis foliata parantur, His emitur quicquid graciles huc mittitis Indi.*

Ibid. *Vina pretiosa defecat*] Tertullianus in de Poenitentia: *Conquirito altilium enormem saginam, defoecato vini senectutem.* Onomast. vetus: *Defoeco*, ἀποτρυγίζω. vide Colvium et Beroaldum.

Ibid. *Tucetis*] Vide supra ad pag. [Pric. Ed. 25, in.] dicta.

Ibid. *Mensa largites instructa*] Supra lib. 4. *Mensas dapibus largiter instructas.* Catullus: *Large multiplici constructae sunt dape mensae.*

Ibid. *Ut Dei cuiusdam, sic expectatur adventus adulteri*] *Adventus proprie exspectatorum necessariorumque dicitur.* Donatus ad 2. 2. Eunuch. *Ut Deus exspectari* proverbiale est. Eustathius Ἐρωτ. 1. Δέχομαι παρ' αὐτῆς (πόλεως) οὐκ ὡς κήρυξ, ἀλλ' ὡς θεός. simile apud Paulum ad Galatas, ὡς Χριστὸν ἐδέξασθε. Eunapius de Iuliano Priscum et Chrysanthium accersente: Καθάπερ θεοὺς ἱκετεύων ἐλθεῖν καὶ συνεῖναι.

Ibid. *Maritus foris apud naccam proximum coenitabat*] In Sticho Plautina: *Apud fratrem coeno in proximo.* Membranae Oxon. et Fuxenses *vaccam*: *naccam* scribendum autem apparet ex his Festi: *Naccae, fullones sunt*, etc. *quod nauci sint, et nullius pretii.* apud fullonem autem hoc loco coenatum fuisse ex sequentibus clarum.

Ibid. *Adhaerens lateri*] Ovidius: *Lateri spatiantis adhaesi.* vide supra pag. [hui. Ed. 166, b.] dicta.

Ibid. *Adulter adventat*] Phaedrus: *Ventitare adulterum, Stuproque turpi pollui famam domus.*

Ibid. *Adhuc lubrico genarum splendore conspicuus*] Ἀγένειος ἀκριβῶς, οὐδ' ἐπ' ὀλίγῳ τὴν παρειὰν χνοῶν· ut de Baccho Lucianus. *Genarum splendorem*, ut supra lib. 7. *Cum mihi etiam tunc depiles genae laevi pueritiâ splendicarent.*

Ibid. *Adhuc adulteros ipse delectans*] Petronius: *At ille non indelectatus nequitia mea*, etc.

Ibid. *Ut primum* etc. *inchoatum gustum extremis labiis contingebat*] Lib. 2. *Necdum satis extremis labiis summum aquae rorem attigerat*, etc. Pro *gustum* malim *gustulum* legi. Infra hîc: *Cogitas, ut video, gustulum praeparare nobis.* supra lib. 2. *Dulcem et amarum gustulum carpis.*

Ibid. *Diras devotiones in eum deprecata*] Ita, *compositas et meditatas diras imprecari.* Tacitus Annal. 6. at Noster non *imprecari*, sed *deprecari.* quod quam electe, quam erudite prolatum, disce ex 6. 16. Gellii. E converso heic paulo infra, *salutem imprecari* dixit.

Ibid. *Et crurifragium obominata*] Salvian. 3. de Gubernat. *Quicquid non possumus imbecilli, optamus irati: et in omni animorum indignantium motu votis malis pro armis utimur.* Lipsius *adominata* mavult.

Pag. 193. *Exangui formidine trepidantem* etc.] Servius ad 2. Aeneid. *Ideo timentes pallescunt, quia ante exangues fiunt.*

Ibid. *Quo frumenta confusa purgari consueverant*] Male a quibusdam abest τὸ *confusa.* Supra 6. *Accepto frumento, et hordeo, et papavere*, etc. *confusisque in unum grumulum.* ubi et vide ex Philone adducta.

Ibid. *Contubernalis artissimi*] Lib. 10. *Artissimo, multumque sibi dilecto contubernali.*

Ibid. *Hem! qualis (Dii boni!) matrona! quam fida*, etc. *turpissimo se dedecore foedavit!*] *Hem, interiectio est res novas et inopinatas audientis.* Donatus ad 4. 4. Adelph. *Quam fida!* est, *quam fida habita!* Ovidius: *Matronaque rara pudica est.* Iuvenal. *Auratam Iunoni caede iuvencam, Si tibi contigerit capitis matrona pudici.* *Fida* heic, ut in vetere Epigrammate: *Vulgi nescia, fida viro.*

Ibid. *Nefarium et extremum facinus* etc. *tolerare nequiens, fuga me proripui*] Supra: *Exher-*

horruit Myrmex inauditum facinus, et occlusis auribus, aufugit protinus.

Ibid. *Iuro ego per istam sanctam Cererem* etc.] Glossarium: *Eccer*, κατὰ τῆς Δήμητρος. Meurs. in *Exerc. Crit.* emendavit *Ecer.* melius *eccere* Vulcanius. Festus Pompeius: *Eccere iusiurandum est: ac si dicatur, per Cererem.*

Ibid. *Me nunc etiam meis oculis de tali muliere minus credere*] Plinius in Panaegyr. *Stupeo P. Conscripti, necdum satis aut oculis meis aut auribus credo.* Tibullus I. 2. *Ille nihil poterit de nobis credere quidquam: Non sibi, si in molli viderit esse sinu.* Philo in de Mosis vita: Ὥστε τοὺς ἰδόντας ἀπιστεῖν.

Ibid. *His instincta verbis mariti, audacissima uxor, noscendae rei cupiens, non cessat obtundere*, etc.] Ingenii muliebris specimen. Gellius I. 23. *Mulier fit audiendi cupidior: secretum rei, et silentium pueri, animum eius ad inquirendum everberat: quaerit itaque compressius violentiusque.* Quo loco pro *everberat*, puto *evibrat* scribendum. *Evibrare alicuius animum*, est, acuere, excitare, incendere. Idem Gellius I. 11. *Neque etiam ut excitarentur atque evibrarentur animi.* Ammianus (imitator eius studiosissimus) lib. 14. *Adversando iurgandoque cum parum congrueret, eum ad rabiem potius evibrabat. Everberari* autem, est *aurium.* Ammianus eodem libro: *Cum haec taliaque sollicitas eius aures everberarent.* Sidonius 7. 9. in Concione: *Aures illico meas incondito tumultu circumstrepitas, ignobilium pumilionum murmur everberat.* De voce *instingui*, supra [hui. Ed. p. 320, a.] dixi.

Ibid. *Totam prorsus a principio promeret fabulam*] Terent. I. 1. Andr. *Rem omnem a principio audies.* Virgil. *Imo age, et a prima dic hospes origine nobis.*

Ibid. *Nec destitit, donec* etc.] Haec cum sequentibus usque ad *infortunium* a MS. Lipsii, et Oxon. absunt.

Ibid. *Sic ignarus suorum, domus alienae percenset infortunium*] Tacitus Annal. II. de Claudio salacis Messalinae marito: *Matrimonii sui ignarus, et munia Censoria usurpans.* Apud Achillem Tatium lib. 2. ille: Σὺ μὲν ἐν Βυζαντίῳ πολεμεῖς ὑπὲρ ἀλλοτρίων γάμων, ἐν Τύρῳ δὲ καταπεπολέμησαι· καὶ τῆς θυγατρός σου τὶς τοὺς γάμους ἐσύλησεν. quibus adde quae ex Graeco epigramm. adduxit Sciopp.

Ibid. *Servati pudoris* etc. *foemina*] Contrarius apud Firmicum *nundinatus pudor.* et 6. 30. apud eundem *pudor prostitutus.*

Ibid. *Secundo rumore gloriosa*] Μαρτυρουμένη. vide quae ad Act. Apost. pag. 47. et 93. notata. Hesychius: Εὐφημουμένη· ἐπιφημιζομένη. *A malis rumoribus tuta erat*, ut ad Uxorem I. Tertullianus locutus: *Obscoeni rumoris nullam in se fabulam dedit.* ut 2. contra Iovinianum Hieronymus. Aeneid. 8. *Rumore secundo.* Servius: *Bona fama.* Apud Terentium I. 3. Phorm. *Quod habes* etc. *uxorem sine mala fama.* Scriptor Iudithae 8. 8. Οὐκ ἦν ὃς ἐπήνεγκεν ἐπ' αὐτὴν ῥῆμα πονηρόν. Apud Suidam in διαῤῥεῖν· Οὗ διαῤῥεῖ πολὺ καὶ κλεινὸν ὄνομα· ἀντὶ τοῦ, εὐφημίᾳ γεραίρεται. id est, *secundo rumore gloriosus.* Sic, *honestum, et rumore secundo*, Noster in de Philosophia libro. Sensu contrario apud Horatium, *rumore malo flagrare.* et Ovidium: *Casta quidem, sed non est credita, rumor iniquus Laeserat.* Fast. 4. His adde quae et Brantio notata.

Ibid. *Furtivos amplexus obiret*] Sic supra 8. *Coitus clandestinos obire. Furtivos amplexus*, ut eod. 8. lib. *Furtivos concubitus. Furto gaudet amans* Claudianus dixit. Statius Achill. *Densa noctis gavisus in umbra Tempestiva suis torpere silentia furtis.* Georg. 4. *Martisque dolos et dulcia furta.* Servius: *Adulterium.*

Ibid. *Miscebatur in Venerem*] Hesychius: Μίξις, κοίτη, συνουσία. Gloss. Μίξις ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς, *coitus.* Iuvenal. *Tua nunc Migale.* Scholiastes: *Nomen mulieris, ex ipsa coitione.* Idem ad Sat. 2. de Istro: *Omne patrimonium suum vivus donavit uxori*, etc. *ut simul dormiret is qui et illum corrumperet, et illi misceretur.* Sic, *lascivias amatorias miscere*, lib. 6. Arnobius. In narratione de Susanna, com. 38. *Et vidimus eos pariter commisceri.*

Ibid. *Eundem illum subiectum contegit viminea cavea*] Vide supra notata.

Ibid. *In rectum aggregata cumulum*] Oxon. *aggerata.* vide ad pag. [Pric. Ed. 34.] dicta.

Ibid. *Suffusa*] Ex Plinii a Beroaldo adducto loco *suffitas* legendum. Gloss. Θυμιάω, *suffio*, etc.

Ibid. *Mensam nobiscum* etc. *participabat*] Vide supra pag. [hui. Ed. 144, b.] allata.

Pag. 194. *Interdum acerrimo gravique odore sulphuris iuvenis inescatus atque obnubilatus, intercluso spiritu diffluebat*] Ammianus Marcellinus: *Fumus angustius penetrans, ideoque spissior, quosdam obstructis vitalibus necavit. Intercluso spiritu*, ut apud eundem lib. 26. *Vitam laqueo spiritu intercluso profudit.* Curtius lib. 3. *Interclusus spiritus arcte meabat.* Hegesippus 5. 24. *Interclusis faucium meatibus strangulabantur.* Tacitus Annal. 6. de Tiberio: *Interclusa anima, mortalitatem creditus est explevisse.* Livius lib 22. *Obruentesque ora subiecta, super humo iniecta, interclusisse spiritum apparebat.* quod Quintiliano Declam. 9. et Senecae Controvers. 7. I. *spiritum intercipere.* De *mentis obnubilatione*, vel *nubilo* pag. 124. ad Apologiam dixi. Pro *interdum* autem, male in-

interim reposuit Beroaldus, cum idem valeat *interdum*, et saepe in his libris, et apud Arnobium. E converso, nonnunquam *interim* pro *interdum* occurrit. Quintilianus Declam. 248. *Neque enim continuo homo occisus ad crimen et damnationem pertinet: cum hoc interim legibus facere liceat.* Idem Instit. Orat. 5. 7. *Illud Fortuna interim praestat, ut aliquid quod inter se parum consentiat, a teste dicatur: interim (quod saepe evenit) ut testis testi diversa dicat.* In Tragoediis Senecae: *Interim scelus est fides.*

Ibid. *Quod res erat, tandem suspicatur*] Ammianus lib. 31. *Id quod cogitatum est, suspicatus.* supra heic: *Suspectis e re nata quae gesta sunt.*

Ibid. *Et impulsa mensa, remotaque cavea, producit hominem* etc.] Ita sorex iste indicio est detectus sternutationis suae. Petronius: *Collectione spiritus plenus, ter continuo ita sternutavit, ut grabatum concuteret. ad quem motum Eumolpus conversus, salvere Gytona iubet: remota etiam culcita videt Ulyssem, cui vel esuriens Cyclops potuisset parcere.*

Ibid. *Reflantem*] Ita et Oxon. vulg. *efflantem.*

Ibid. *Inflammatusque indignatione* etc.] Cassiodorus cap. 15. de Anima: *Indignatione nimia flammatus.* fortasse, ex Appuleii hoc loco, *inflammatus* legendum. hoc sensu haec Glossarii accipio: *Inflammatus*, ἐμπεπυρισμένος.

Ibid. *Inflammatusque indignatione contumeliae, gladium flagitans*, etc.] Ovidius: *Nec capiunt inclusas pectora flammas, Iamque moras male fert.* Cyprianus Epist. 62. *Si superveniens maritus sponsam suam iacentem cum altero videat, nonne indignatur, et fremit? et per zeli livorem fortassis et gladium in manum sumit?* Lucilius: *Nec longiu' quidquam Nobis, quam dextra gladium dum accommodet alter: Usque adeo studio atque odio illius efferor ira.*

Ibid. *Ni respecto communi periculo*] Supra heic: *Ni respecto subiti periculi turbine.*

Ibid. *Adseverans, brevi absque noxa nostri, suapte inimicum eius violentia sulphuris periturum*] Petronius: *Genua ego perseverantis amplector, ne morientes vellet occidere.* Salvianus 2. de Avaritia: *Nulli sunt tam feri, tam inhumani, qui non desperatos iam atque morientes adversarios suos persequi desinant.* Phaedrus de panthera in foveam delapsa: *Alii fustes congerunt, Alii onerant saxis: quidam contra miseriti, (Periturae quippe, quamvis nemo laederet,) Misere panem.* Apud Plautum ille: *Eho Pseudole, i, gladium affer. Quid opus gladio? Qui hunc occidam atque me. Quin tu te occidis potius? nam hunc fames iam occiderit.* Dio Cassius lib. 59. de Caligula: Τοῦτον (Senecam) ἀποθανεῖν κελεύσας, ἀφῆκε, γυναικί τινι ὧν ἐχρῆτο πιστεύσας, ὅτι φθόη τε ἔχοιτο, καὶ οὐκ εἰς μακρὰν τελευτήσοι.

Ibid. *Quippe iam semivivum illum*, etc.] Omnino *quippini* legendum videtur. sic infra hîc: *Apponebat ei mulier, quamvis invita: quippini? destinatam alii.* et alibi apud Scriptorem istum.

Ibid. *Suasi ac denique persuasi*] Seneca Epist. 71. *Suadeo mihi adhuc ista quae laudo, nondum persuadeo.* vide Budaeum ad l. 1. ff. *de servo corrupto*, et quae nos olim pag. 197. ad Apologiam.

Ibid. *Secederet paululum, atque ultra limen tabernae ad quampiam tantisper familiarem sibi mulierem, quoad* etc.] Hiantem heic orationem vel myops agnoverit. τὸ *atque* abest ab Oxon. et sic facile sanatur locus. Addendo, non detrahendo, medelam ego certiorem adhibeo. Scribo, *Secederet paululum ultra limen tabernae, atque ad quempiam tantisper familiarem sibi mulierem diverteret, quoad* etc. et hoc non turbidae et ambiguae, sed purae liquentisque fidei. Infra heic: *Ad quampiam sibi divertit familiarem*, etc. Et lib. 4. *Ad notos* (sic enim, non *apud notos*, scribendum monuimus) *et familiares latronibus senes divertimus.* In Oxon. et Colvii libro *succederet:* quod non approbo tamen. vide statim ex Egesippo adducenda. *Tantisper* hîc, ut in Glossis: ἐπὶ τοῦ παρόντος. et ibid. Ἀχρὶ τοσούτου, *tantisper.* nec tam ad vocem sequentem, quam ad τὸ *diverteret* applicandum. Apud Terent. 3. 3. Heautont. *Concedas hinc aliquo ab eorum ore aliquantisper. Iratum breviter vites*, Publius Syrus dixit.

Ibid. *Quoad spatio fervens mariti sedaretur animus*] Seneca 3. 39. de Ira: *Primam iram non audebimus oratione mulcere, surda est et amens: dabimus illi spatium.* Supra heic lib. 6. *Inter istam spicarum congeriem patere* etc. *delitescam, quoad tantae Deae saeviens ira spatio mitigetur.* Ita enim ille locus legendus. Hegesipp. de Excid. Hierosol. 1. 43. *Nullum sibi aliud remedium, nisi ut longius aliquo secederet, quo tantae bestiae furori vel fuga eximerentur.* Esaiae 26. 20. *Abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.* Rebecca ad Iacobum Genes. 27. 43. Ἀναστὰς ἀπόδραθι εἰς τὴν Μεσοποταμίαν πρὸς Λάβαν τὸν ἀδελφόν σου εἰς Χαῤῥὰν, καὶ οἴκησον μετ' αὐτοῦ ἡμέρας τινὰς, ἕως τοῦ ἀποστρέψαι τὸν θυμὸν καὶ τὴν ὀργὴν τοῦ ἀδελφοῦ σου ἀπὸ σοῦ. Achilles Tatius lib. 6. Ἔδοξεν οὖν τῇ Μελίττῃ τὸ νῦν ἀναχωρεῖν: ὅταν δὲ ἐν καλῷ θῇ τὰ πρὸς τὸν ἄνδρα, καὶ γένεται τὰ τῆς ὀργῆς ἐν γαλήνῃ, τότε μετιέναι. vide l. 27. §. 4. ff. de aedilit. edict. Apud Petronium est, *iram prudenti absentia exstinguere.* Apud Theophylactum ad Ioh. 10. ὑποχωρεῖν, τῷ θυμῷ ἐνδιδόναι, καὶ διὰ

τῆς ἀπουσίας τὸ τοῦ θυμοῦ πάθος λῆξαι παρασκευάζειν. De *Tempore* Ovidius loquens: *Hoc etiam saevas paulatim mitigat iras.* De eodem Philo in de Iosepho: Ἱκανὸς καὶ πένθος ἀνελεῖν, καὶ θυμὸν σβέσαι. Augustinus Confess. 4. 8. *Non vacant tempora, nec otiose volvuntur per sensus nostros: faciunt in animo mira opera.*

Ibid. *Qui tanto calore tantaque rabie perculsus, non eram dubius alioquin etiam de se sua que coniuge tristius profecto cogitaret aliud*] Iosephus Antiquit. 18. 10. de Caio Imper. Περιοργὴς ὢν, φανερὸς ἦν ἐργασόμενός τι δεινὸν αὐτοὺς. MSS. Florent. et Bertin. *Non erat dubius.* Oxon. *Non erat dubium.* Casaub. ad oram libri sui: *Non eram dubius*, et post, *quin aliud* etc. *Tristius aliquid*, εὐφημισμὸς, pro, *morte violenta.* τὸ *aliud* nulli usui est nisi ad sensum implicandum.

Ibid. *Contubernalis epularum taedio fatigatus* etc.] Glossarium: *Taedet me huius hominis*, σικχαίνομαι τοῦτον ἄνθρωπον. *Fatigatus*, metaphora ab iis sumpta qui onere laborant. Sirachides 21. 19. Ἐξήγησις μωροῦ ὡς ἐν ὁδῷ φορτίον. Petronius: *Itaque taedio fatigatus, rogo inquam*, etc. Gellius 1. 2. *Iamque omnes finem cuperent, verbisque eius fatigati pertaeduissent.*

Ibid. *Quae suo pudore postposito, torique genialis calcato foedere*] Oxon. *Quae s. pudore torique* etc. Ita, *calcare pudorem* heic, erit quod supra 2. *pudorem devorâre.* at non facile vulgatum reiicio. Arnobius lib. 5. *Postpositis pudoris et verecundiae fraenis.*

Pag. 195. *Larem mariti lupanari maculasset infamia*] Sic, *commaculare torum*, Isidorus Orig. 5. 26. dixit. item Plinius iam statim adducendus. Contra Hebr. 13. 4. ἀμίαντος κοίτη. ubi Latinus, *immaculatus torus.*

Ibid. *Iamque perdita nuptae dignitate, prostitutae sibi notam adsciverat*] Lege *nomen*, ex MSS. Florent. et Bert. et edito Vicentiae libro. Sic Rom. 7. 3. μοιχαλὶς χρηματίζειν. Luc. 15. 19. prodigus ille, nequitiae suae et luxuriae conscius: Οὐκ ἔτι ἄξιός εἰμι κληθῆναι υἱός σου, ποίησόν με ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου. Et nota heic, *dignitatem nuptae.* Plinius lib. 6. Epist. 30. de Gallita adulterii rea: *Et suam, et mariti dignitatem Centurionis amore maculaverat.* hinc 19. 25. apud Isidorum, *maritalis dignitas.* Scriptor ad Hebraeos, ubi supra: Ὁ γάμος τίμιος.

Ibid. *Prostitutae* etc.] Glossae: Ἑταίρα, *prostituta, meretrix.* Ibidem: Προστᾶσα ἐπὶ πορνείᾳ, *prostituta.* et, Προΐσταμαι, ἐπὶ πόρνης, *prosto.* Firmicus 5. 26. *Prostituto pudore publicas meretrices.* et cap. 25. *Passivis libidinum cupiditatibus prostituta.* Iterum 6. 30. *In publicis meritoriis prostituta.*

Ibid. *Exuri*] Oxon. *aduri.*

Ibid. *Temporius quieti decederet*] Sic, *temporius discumbere*, Donatus in Terentii vita. Glossae: Ἐνωρότερον, *temporius.* vide quae in *de Vitiis sermonis* pag. 168, vir summus I. G. Vossius, communi eruditorum damno dum haec scriberem mortalitati ereptus.

Ibid. *Utpote intercepta coena* etc.] Scripserim, *Utpote qui* etc.

Ibid. *Profugerat prorsus ieiunus*] Horatius: *Quem nos sic fugimus ulti, Ut nihil omnino gustaremus.*

Ibid. *Mensam poni comiter postulabat*] Haec lectio (quam et probat Colvius) est Beroaldi. sane infra heic lib. 10. et in Floridis Noster *mensam ponere* dixit. Graeci etiam eadem facie τράπεζαν παραθεῖναι. vide quae ad Act. 16. 34. adnotavimus, et quae ad eundem locum vir maximus H. Grotius. MSS. autem et veteres editiones legunt, *mensam potius*, etc. quod, sensum adeo commodum efficiens, cur de suo depellendum?

Ibid. *Mihi penitus carpebantur praecordia* etc.] Vide quae ad Act. 17. 16. allata. Hegesippus 1. 17. *Coquebantur aegra praecordia.* Persius, ad hunc asinum nostrum perapposite: *Findor, ut Arcadiae pecuaria rudere credas.*

Ibid. *Mecumque sedulo deliberabam, si quo modo possem, detectis ac revelatis fraudibus* etc.] *Omnia narrasset, sed et os, et lingua volenti Dicere, non aderat: nec quo loqueretur habebat. Si quomodo*, ut supra 7. *Quod si quo modo caeteri latrones persenserint*, etc. ubi otiose reponebat Stewechius, *quoquomodo:* est enim utrumque in usu, at illud rarius. Glossae: Εἴτινι τρόπῳ, *si quomodo.* Item: Εἴ πως, *si quomodo*, etc. Virgilius 6. Eclog. *Si qua* etc. ubi Servius: *Pro, si: vel, si quomodo.* Sic Philipp. 3. 11. εἴ πως· ubi Latinus, *si quomodo.*

Ibid. *Illumque qui ad instar testudinis alveum succubabat*, etc.] Qui *Abditus interea latuit sub tegmine cavo, Impatiensque morae siluit, praeputia ducens.*

Ibid. *Senex claudus, cui nostra tutela permissa fuerat*, etc.] Lib. 4. *Anum senio curvatam, cui* etc. *tutela tot numero iuvenum commissa videbatur.* De *claudis agasonibus* supra [hui. Ed. p. 265, a.] dixi.

Ibid. *Universa nos iumenta, id hora iam postulante, ad lacum proximum bibendi causa gregatim prominabat*] Suetonius Galba: *Cum de proprietate iumenti quaereretur, levibus utrinque argumentis et testibus, ideoque difficili coniectura veritatis: ita decrevit, ut ad lacum ubi adaquari solebat, duceretur capite obvoluto*, etc. Varro lib. 4. de Ling. Lat. *Lacus, lacuna magna, ubi aqua contineri potest.* ubi forsan, *lacuna non magna* legendum. Glossarium: Τόπος ἐν ᾧ ὀλίγον ὕδωρ συνίσταται, *lacus, stagnum. Lacum proximum*, intellige, por-

portae oppidi illius contiguum lacum. Terentius 4. 2. Adelph. *Priusquam ad portam venias, apud ipsum lacum Est pistrilla.* Donatus: *Credibiliter lacum addidit, nam Varro docet semper lacum portis additum: scilicet ob usum iumentorum exeuntium et introeuntium.* Et nota, *hora postulante.* Artemidorus 3. 67. Πάντα πρὸς τὰς ὥρας ἀποβλέποντες ἄνθρωποι, ποιοῦσι. *Gregatim prominare* heic, ut supra lib. 7. *Gregatim pecua comminantes.*

Ibid. *Opportunissimam mihi vindictae subministravit occasionem*] Apud Petronium ille: *Ego autem nactus occasionem vindictae*, etc. Rom. et Vicent. editt. rectius *optatissimam.* vide supra [hui. Ed. p. 171, a.] dicta.

Ibid. *Observatos extremos digitos adulteri, qui per angustias cavi tegminis prominebant*] Suetonius de Claudio post aulaea latente: *Iacentem, discurrens forte gregarius miles, animadversis pedibus* etc. *agnovit.*

Ibid. *Ad summam minutiem contero*] Seneca de granis Epist. 90. *Saepius reteruntur, donec ad minutiem* etc. *redigantur.*

Ibid. *Sublato flebili clamore*] Lib. 8. *Fletis cum clamore sublato.* Phaedrus. *Flebiles gemitus ciens.* Scriptor ad Hebraeos 11. Κράξας μετὰ δακρύων.

Ibid. *Repulsoque et abiecto alveo*] Oxon. *Repulsoque obiecto alveo.*

Ibid. *Exangui pallore trepidantem puerum*] Metam. 6. *Pallentem, trepidumque, et dira timentem.* Metam. 13. *Trementem, Pallentemque metu, ac trepidantem morte futura. Exangui pallore*, ut apud. Euripid. αἷμα δ' οὐκ ἐνῆν χροΐ. Supra lib. 1. *buxeum pallorem* dixit.

Pag. 196. *Nihil triste de me tibi fili metuas: non sum Barbarus*] Heliodorus lib. 1. ubi de Chariclea, et ceteris captivis: Ἐπεὶ ἤγοντο, τίς ἄρα τύχη διαδέξεται ἡμᾶς, ἐβόων; καὶ πολλὰ τὸν Κνήμονα ἱκέτευον εἴ τι δύναιτο, συμπράττειν. ὁ δὲ ἐπηγγέλλετο, καὶ θυμὸν ἔχειν ἀγαθὸν προὔτρεπεν· οὐ παντάπασι Βάρβαρον εἶναι τὰ ἤθη τὸν λήσταρχον ἐγγυώμενος.

Ibid. *Non sum Barbarus*] In Euripidis Heraclidis ille: Οὐ γὰρ τυραννίδ' ὥστε βαρβάρων ἔχω.

Ibid. *Nec agresti morum squalore praeditus*] Metam. 1. *Non incola montis, Nec ego sum pastor.* Catullus: *Pleni ruris et inficetiarum.* Hesychius: Ἀγροῦ πλέων· ἀγροικίας πλήρης. Gellius 1. 5. *Subagresti ingenio homo.* ex eo (ut semper) Ammian. 31. *In crudelitatem proclivior, ingenii subagrestis.* et 14. *Velamento subagrestis ingenii persuasionis opifex.* Horatius: *Asperitas agrestis, et inconcinna, gravisque.*

Ibid. *Nec ad exemplum machinae truculentae sulphuris te lethali fumo necabo*] Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio: *Supplicii genus invenit, ut stipitem grandem poneret pedum* 180. *et a summo usque ad imum damnatos ligaret: et ab imo focum apponeret, incensisque aliis, alios fumi cruciatu* etc. *necaret.* ubi vide quae ex Martyrologio notavit eximius ille Casaubonus. Philo de Alexandrinis in Iudaeos saevientibus: Καπνῷ τὸ πλέον ἢ πυρὶ διέφθειραν, οἰκτρότερον καὶ ἐπιμηκέστερον ὄλεθρον τοῖς δειλαίοις τεχνάζοντες. Macrobius Saturn. 4. 4. *Ut, dum queritur Cicero, flammam ex lignis viridibus factam, atque ibi inclusum fumo necatum. hoc enim a materia pathos est: quoniam hic usus est fumo materia ad occidendum, ut alius gladio, alius veneno.* Iulianus in Caesaribus: Τυφούμεθα ὑπὸ τοῦ καπνοῦ. Hesychius: Τυφῶσαι, πνίξαι, ἀπολέσαι. Pro *machinae*, lege cum Scaligero *mocchae.* intelligit uxorem fullonis, quae adulterum suum caveâ sulphurea contexit. Rem totam paulo supra narratam habemus.

Ibid. *Nec* etc. *ad discrimen vocabo capitis tam venustum atque pulchellum puellum*] Tale illud 7. *Nefas tam bellum asinum sic enecare.*

Ibid. *Cum uxore mea partiario tractabo*] Supra lib. 4. *Partiario maiestatis honore tractor.* supra lib. 8. *Promiscui operis partiarios concubitus agebat.*

Ibid *Erciscundae familiae*] Glossarium: Οὐσίας διαιρετέας, *familiae erciscundae.*

Ibid. *Sine ulla controversia vel dissensione*] Gloss. Ἄνευ ἀντιλογίας, *sine controversia, sine contradictione.* et statim: Ἄνευ μέμψεως, *sine querela.* quod heic, *dissensione.*

Ibid. *Tribus nobis in uno conveniat lectulo*] Ausonius: *Tres uno in lecto: stuprum duo perpetiuntur, Et duo committunt.* Scholiastes Iuvenalis de Istro quodam, ad 2. Sat. *Omne patrimonium suum vivus donavit uxori, ut simul dormiret is qui et illum corrumperet, et illi misceretur.*

Ibid. *Cum mea coniuge tam concorditer vixi*, etc.] Suetonius de Tiberio: *Cum Iulia primo concorditer, et mutuo amore vixit.* quae sic imitatus est Noster in Apologetico suo: *Omnem supellectilem, cunctasque divitias, in concordia coniugii, et mutuo amore ponentem.* Servius ad Virgilii ea: *Connubio iungam stabili. Dicendo, connubio, ostendit legitimum: dicendo, stabile: longam promittit concordiam.*

Ibid. *Ut, ex secta prudentium, eadem nobis ambobus placerent*] Nec incommode hoc modo legas: *Ut et secta prudentium eadem nobis ambobus placeret. Prudentes* heic non *consultos*, sed *philosophos* intelligo. quo et spectat *placendi* vox. Glossae: *Secta*, αἵρεσις, φιλοσόφου δόγμα. etc. Glossae aliae: Φιλοσοφία, *philosophia, secta.* Servius ad Aeneid. 10. *Sectas dicimus habitus animorum, et instituta philosophorum circa disciplinam.*

Ibid. *Eadem nobis ambobus placerent*] Ovidius, si non labitur memoria, de Baucide et Philemone: *Velle ac nolle ambobus idem.*

Ibid. *Sed nec aequitas ipsa patitur habere plus auctoritatis uxorem quam maritum*] Paulus ad Timoth. I. 2. 12. Γυναικὶ αὐθεντεῖν ἀνδρὸς οὐκ ἐπιτρέπω, ἀλλ' εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ.

Ibid. *Deducebat ad torum nolentem puerum, sequentem tamen*] Horatius: *Ego, ut contendere durum est Cum victore, sequor.* Supra lib. I. *Obstinationi suae me ingratiis obedientem, perducit ad illum suum grabatulum.*

Ibid. *Nolentem*, etc. *sequentem tamen*] Martialis 5. *Secuit nolente capillos Encolpus Domino, nec prohibente tamen.*

Ibid. *Et pudicissima illa uxore altrorsus disclusa, solus ipse cum puero cubans, gratissima corruptarum nuptiarum vindicta perfruebatur*] Apud Petronium ille: *Ego nactus occasionem vindictae, Eumolpum excludo: redditaque scordalo vice, sine aemulo scilicet, et cella utor, et nocte.* Maritos autem ita molliores uxorem moechos tractasse testantur multi Poëtarum loci. vel vide Epigr. 57. Catull. et 2. 47. Martialem.

Ibid. *Solus ipse cum puero cubans*] Vide supra [hui. Ed. p. 325, a.] notata.

Ibid. *Cum primum rota Solis lucida diem pepererit*] Oxon. fortasse melius, *lucidam d. p.*

Ibid. *Quam altissime sublato puero, et ferula nates eius obverberans*] Prudentius in Romano: *Praecipit Sublime tollant, et manu pulsent nates.* Ferula autem obiurgatur moechulus iste, ut tenellae aetatis. vide Suetonium in Caligula. Ulpianum l. I. ff. ad SC. Silan. et quae heic Elmenhorstio adnotata.

Ibid. *Tu autem (inquit) tam mollis ac tener?* etc.] Gloss. Τρυφερὸς, *tener*, *mollis*, etc. Hesychius: Ἁπαλὸς, μικρὸς, τρυφερός. Philostratus de Como: Ἁπαλὸς, καὶ οὔπω ἔφηβος. De *pueris tenellis* vide supra [hui. Ed. p. 291, b.] dicta.

Ibid. *Et admodum puer*] Suetonius Nerone: *Puer adhuc, necdum maturâ pueritiâ.*

Ibid. *Defraudatis amatoribus*, etc.] Q. d. *Tute lepus es, et pulpamentum quaeris?* Suidas: Δασύπους κρεῶν ἐπιθυμεῖ· λέγεται δὲ ἐπὶ τοῦ ἐπιθυμοῦντος παρ' ἄλλῳ γενέσθαι, τὰ ὄντα παρ' ἑαυτῷ. Supra heic de alio iuniore moecho: *Adhuc lubrico genarum splendore conspicuus, adhuc adulteros ipse delectans.*

Ibid. *Et connubia lege sociatas corrumpis?*] Haec absunt (sed, ut puto, male) ab Oxon. MS. Sirachides 9. 12. Μετ' ὑπάνδρου γυναικὸς μὴ κάθου. ad quae Clemens Alexandrinus: Ἐπεὶ μείζων ὁ κίνδυνος τῷ τῆς συμβιώσεως δέσιν λῦσαι πειρωμένῳ. vide et 19. 20. Levitic. Apud Plutarchum in de liber. educ. inter alia iuniorum ἀδικήματα, numerantur et γαμετῶν γυναικῶν οἰκοφθορίαι. Illud *corrumpis* Graecum est. sic supra 4. *matrimonia corrumpens.* vide [hui. Ed. p. 268, a.] adnotata.

Ibid. *Ille adulterorum omnium fortissimus*] Beroaldus, *formossimus.* Verum est appellari eum superius *formosum et liberalem.* sed additur *strenuum*, et contra maritorum diligentias *constantissimum* (id est, audacissimum) fuisse. Quem ergo alibi *audacem* dixit, quid heic mirum *fortem* vocari? Iuvenalis Sat. 4. *Solaque libidine fortes.* Scholiastes: *Ut quem nullus posset a consuetis vitiis deterrere.* Possumus et alio sensu eam vocem capere. Horatius: *Fortique marito Destinet uxorem.* quod, *validum in officio noctis*, Donatus ad Hecyram 4. I. exponit.

Ibid. *Insperata potius salute*] Ex his Virgilii: *Insperata tandem tellure potiti.* Apud Suidam in συνυφαίνουσα· Ὁ δὲ Χαγᾶνος παράδοξόν τι ἕρμαιον σωτηρίαν εὑδύχησε.

Pag 197. *Eamque protinus de sua perturbavit domo*] Mira lectioni isti obstinatione propugnat Schoppius: cum et supra tamen lib. 2. Noster, *domo proturbari* dixit.

Ibid. *At illa, praeter genuinam nequitiam, contumelia etiam*, etc. *commota*] Vide supra [hui. Ed. 235, a.] dicta.

Ibid. *Contumelia etiam, quamvis iusta, tamen altius commota atque exasperata*] Macrobius Saturn. 7. 2. *Dolor semper reprehensionem vel iustam sequitur.* In Apologia Noster: *Etiam hi, qui sibi delicti alicuius conscii sunt, tamen cum male audiunt, impendio commoventur.* Quanto fortius commovetur ergo haec pistoris uxor, quae male non audiit tantum, sed et malum divortii subivit!

Ibid. *Ad familiares foeminarum artes accenditur*] Ovidius Metamorphos. 9. *Inferior virtute, meas divertor ad artes.* Bene et *artes foeminarum.* Clytemnestra apud Senecam Tragicum: Agam. *Tecum ipsa nunc evolve foemineos dolos.* Euripides: Πολλὰς ἂν εὕροις μηχανὰς, γυνὴ γὰρ εἶ. In Eiusdem Medaea: Φείδω μηδὲν ὧν ἐπίστασαι Μήδεια, βουλεύουσα καὶ τεχνωμένη. Scholiastes ad Eiusdem Hippolytum: Ὥσπερ τὸ νοῦν ἔχειν τοῖς ἀνδράσι δέδοται, οὕτως τὸ κακουργεῖν καὶ μηχανὰς ἐξευρίσκειν, ταῖς γυναιξί. Et (quod proxime ad argumentum nostrum) apud Eundem senex ad Creusam: Ἐκ τῶν δὲ δεῖ σε δὴ γυναικεῖον τι δρᾶν. Ἢ γὰρ ξίφος λαβοῦσαν, ἢ δόλῳ τινὶ, Ἢ φαρμάκοισι σὸν κατακτεῖναι πόσιν. Pro *accenditur*, melius cum Colvio *accingitur* legas. Vide quae supra [hui. Ed. 298, b.] dicta.

Ibid. *Magnaque cura requisitam veratricem quandam* etc.] Melius in aliis *veteratricem.* In veteri Onomast. *Veteratrix*, πανοῦργος. Glossarium Isidori dictum: *Veteratricem: callidam, incircumscribendam.* Idem 10. Orig. *Inveteratus,*

tus, *eo quod sit multi veterisque in malitia usus.* adde Donatum et Eugraphium ad 2. 6. Andr. Glossae aliae: Πέπειρος πανουργίας, *inveteratus.* Appuleius Floridis: *Tanti veteratoris perfectissimus discipulus.*

Ibid. *Quae* etc. *maleficiis quidvis efficere posse credebatur*] *Carminibus quae posset solvere mentes Vinctas, atque aliis duras immittere curas: Sistere aquam fluviis, ac vertere sidera retro, Infernasque ciere animas, mugire iubere Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.* Dio Cass. Φαρμακίδα περιβόητον· ut in Claudium suum Agrippina. Tacitus in eodem argumento: *Deligitur artifex talium, vocabulo Locusta.*

Ibid. *Multisque suffarcinat muneribus*] Sic, *auro suffarcinari*, Hieronymus ad Paulinum. Proprie *suffarcinari* autem de *avibus*. ut ad Andriam Donatus notat.

Ibid. *Conciliari marito*] Τῷ ἀνδρὶ καταλλαγῆναι, 1. Cor. 7. 11. Interpres vetus Iudic. 19. 3. *Secutusque est eam vir suus, volens reconciliari ei.* Glossae: Εἰς φιλίαν διαλάσσω, [illegible].

Ibid. *Si id nequierit, certe larva* etc.] Sallustius de Iugurtha: *Bomilcari* etc. *imperat, pretio* etc. *insidiatores Massivae paret*, etc. *sin id parum procedat, quovis modo interficiat. Si id nequierit*, hoc loco, ut in Apologetico: *Ipsum vivum: si id nequierint, vel mortuum ostendant.*

Ibid. *Certe larva, vel aliquos diro numine immisso, violenter eius expugnari spiritum*] Firmicus 3. 14. *In nono ab horoscopo loco Mercurius cum Venere partiliter constituti, fascinantes mulieres dabunt, et uxores quae etiam ipsos artus* (lege *maritos*) *larvari* etc. *faciant.* Glossae: *Larva*, δαιμόνιον, εἴδωλον. *Dirum numen*, est, *Deorum ira immissum.* vide Servium ad Aeneid. 2. et Nonnum Marcellum. Gloss. *Dirus*, δεινὸς, θεοχόλωτος.

Ibid. *Divinipotens*] Onomasticon vetus: *Divinipotens*, θεοκρατὴς.

Ibid. *Primis adhuc armis facinorosae disciplinae* etc.] Servius ad Aeneid. 10. *Arma, sunt uniuscuiusque rei possibilitas.* et ad Aeneid. 2. *Arma, sunt instrumenta cuiuslibet rei: unde insidiantis fraudes arma nominavit. Prima arma* heic, sunt, qualia supra 1. *folia artis* vocavit.

Ibid. *Quae res, cum ei secius ac rata fuerat, proveniret*] Sallustius Catil. *Sed ea res longe aliter ac ratus erat evenit.* Ammianus lib. 28. *Sed longe secus accidit quam sperabatur.*

Ibid. *Umbramque violenter peremptae mulieris* etc.] Infra lib. 10. *Sic elisus violenter spectatissimus medicus.* supra heic: *Violenter eius expugnari spiritum.*

Ibid. *Sed forsitan lector scrupulosus reprehendens narratum meum, sic argumentaberis: Unde autem tu stultule asine intra terminos pistrini contentus, quid secreto, ut affirmas, mulieres gesserint, scire potuisti?*] Vopiscus in Aureliano: *Imperator qui domi clausus est, vera non novit.* Catullus (ex quo fortasse asinus noster): *Dixerit hic aliquis, qui tu isthaec ianua nosti, Cui nunquam Domini limine abesse licet? Non populum auscultare, sed huic suffixa tigillo, Tantum operire soles, aut aperire domum.*

Ibid. *Quemadmodum homo curiosus* etc. *cuncta* etc. *cognovi*] Supra lib. 1. *Non quidem curiosum, sed qui velim scire vel cuncta, vel certe plurima.*

Ibid. *Nudis et intectis pedibus*] Lib. 10. *Nudo et intecto corpore.* Infra hîc: *Sub dio, et intecto conclusus stabulo.* et supra: *Detectus, et revelatis fraudibus.* et in Apologia: *Ieiunus et irrefectus.*

Ibid. *Flebili centunculo semiamicta*] Supra hîc: *Scissili centunculo inumbrati.* Et fortasse sic hoc loco scribendum. vide supra pag. [hui. Ed. 145, b.] notata.

Ibid. *Comae semicanae sordentes inspersu cineris*] Lucianus in *de Luctu*: Καί που καὶ ἐσθὴς καταῤῥήγνυται, καὶ κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πάσσεται. Apud Quintilianum Declam. 10. *Confusi cinere vultus, et infectum favilla caput.* Euripid. Κόνει φύρουσα δυστηνὸν κάρα.

Ibid. *Pleramque eius anteventulae contegebant faciem*] *Solutas In vultus effusa comas.* ut de Cornelia Lucanus, Pompeio occiso.

Ibid. *Manu pistori clementer iniecta, quasi quidpiam secreto collocutura, in suum cubiculum deducit eum*] Infra lib. 11. *Me* etc. *arrepta manu, sacerdos deducit ad ipsius sacrarii penetralia.* Act. 23, 19. Ἐπιλαβόμενος τῆς χειρὸς αὐτοῦ ὁ χιλίαρχος, καὶ ἀναχωρήσας κατ' ἰδίαν, ἐπυνθάνετο· τί ἐστιν ὃ ἔχεις ἀπαγγεῖλαί μοι; ubi, si placet, notata vide. Deductio autem in secretum locum hoc loco per insidias facta: ut Genes. 4. 8. Iudic. 3. 19. 2. Samuel. 3. 27. qua in historia Iosephus: Ἀποσπᾷ μὲν οἰκείων, ὡς ἐν ἀποῤῥήτῳ διαλεξόμενος. pro quibus Appuleius, *quasi quidpiam secreto collocutura.* In quibusdam heic *seducit eum*: quod melius argumento quadrat. *Seducit*: seorsim ducit. *seducit* etiam, est, εἰς τὸ κατ' ἰδίαν ἀποσπᾷ, in vetere Glossario.

Ibid. *Adducta fore* etc.] *Fore* ἑνικῶς posuit et Plautus, nec non Petronius.

Ibid. *Confectum omne frumentum*] Id est, molitum, elaboratum. Glossae: Συντελεσθὲν, *confectum.* Glossae aliae: *Confectum esse*, κεκοπᾶσθαι, συντετελῆσθαι.

Ibid. *Opperique supplementum postulabant*] Glossae: *Supplementum*, ἀναπλήρωμα.

 Ibid.

Ibid. *Atque ut illis saepicule et intervocaliter clamantibus nullus respondit Dominus, iam forem pulsare validius*, etc.] Libanius in de Invido: Κεκλεισμένας ἰδὼν τὰς etc. θύρας, οὐκ εἰωθὸς ὄν, προσελθὼν κρούσας ἐκάλουν· ὡς δὲ οὐδεὶς ὑπήκουε, πάνυ σφόδρα κόπτων καὶ βοῶν, etc.

Ibid. *Intervocaliter clamantibus*] Lib. 1. *Ianuam* etc. *pulsare vocaliter incipio.* ubi dicta [hui. Ed. p. 161, b.] vide.

Ibid. *Diligentissime f. oppessulata*] Supra lib. 3. *Patere fores cubiculi diligenter occludam.* et 8. *Valvis super se diligenter obseratis.* Interpres vetus citato Iudicum loco. com. 23. *Clausis diligentissime coenaculi ostiis.*

Ibid. *Maius peiusque aliquid opinantes, nisu valido reducto vel diffracto cardine, tandem patefaciunt aditum: nec uspiam reperta illa muliere, vident e quodam tigillo constrictum iamque exanimem pendere Dominum*] Ibidem com. 25. de Egloni servis: *Exspectantesque diu donec erubescerent, et videntes quod nullus aperiret, tulerunt clavem: et aperientes, invenerunt Dominum suum in terra iacentem mortuum.*

Ibid. *Summis plangoribus*] Glossae: *Plangoribus*, κοπετοῖς, θρήνοις.

Ibid. *Ultimo lavacro procurant*] Vide ad Act. Apost. pag. 85. dicta.

Ibid. *Frequente prosequente comitatu, tradunt sepulturae*] Artemidorus 2. 54. Τὰ αὐτὰ ἀμφοτέροις συμβαίνει, τῷ γαμοῦντι καὶ τῷ ἀποθνήσκοντι· οἷον, παραπομπὴ φίλων, ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν. vide supra pag. [hui. Ed. 237, a. et 304, b.] notata.

Ibid. *Crines pendulos quatiens*] Lib. 8. *Crinesque pendulos rotantes.*

Ibid. *Crines p. q. et interdum pugnis obtundens ubera*] Virgilius: *Unguibus ora soror foedans, et pectora pugnis.* Hieronymus ad Paulam: *More lymphatico sparsis crinibus*, etc. *lacerum pectus invadere.*

Ibid. *Sed ei per quietem obtulit sese flebilis patris sui facies, adhuc nodo revincta cervice*] Quintilianus Declam. 315. *Stabat ante oculos laceratus, et adhuc cruentus pater, ostendebatque effusa vitalia.*

Ibid. *Eique totum novercae scelus aperuit*] Virgilius: *Coecumque domus scelus omne retexit.*

Ibid. *Et quemadmodum larvatus ad Inferos demeasset*] Quemadmodum sibi spiritus larva expugnatus fuerat. In vetere Inscriptione: *Nec luctu, nec lacrymis misera ac larvata nostra defleatis funera.* Gloss. Δαιμονισμὸς, *larvatus.* ubi *larvatio*, aut (quod malim) δαιμονιζόμενος legendum.

Ibid. *Accursu familiarium* etc.] Infra heic: *Ut accurrentium familiarium manu liberaret se.*

Ibid. *Pausam* etc. *fecit*] Vide supra [hui. Ed. p. 327, a.] notata.

Pag. 199. *Iamque nono die, completis apud tumulum solennibus* etc.] Glossae: *Novendialia*, ἔννατα ἐπὶ νεκροῦ ἀγόμενα. Donatus ad Phorm. 1. 1. *In nuptiis etiam septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus dies, quo parentalia concluduntur. Solennia complere* heic, est quod in l. 44. ff. de manum. testam. *mortis solennia peragere.* Servius ad Aeneid. 6. *solennia tumuli peragere.* vide supra [hui. Ed. p. 306, a.] adnotata.

Ibid *Pauperculus quidam hortulanus*] Iuven. *Exigui laetus plantaribus horti.* Virgil. *Custos et pauperis horti.* Except. vet. Gloss. *Pauperculus*, πτωχότατος. Firmicus 4. 6. *Aut erunt hortulani, sed miseri pauperesque.*

Ibid. *Magno*] Id est, magno pretio. Virgil. *Magno cum optaverit emptum.* Servius: *Magno pretio. ut alibi, Et magno mercentur Atridae.* Idem 1. Georg. *Milesia magno Vellera mutentur.* Servius: *Ingenti pretio comparentur.* vide Beroaldum.

Ibid. *Ut communi labore victum sibi quaereret*] Et meo, et suo labore. Virgilius Georg. 2. de agricola: *Sustinet hinc armenta boum, meritosque iuvencos.* ubi Servius: *Sui consortes laboris.* Lactantius 4. 17. de suillo genere: *Ventri et pabulo servit, nec alium ullum dum vivit praestare usum potest, sicut coeterae animantes, quae vel sedendi vehiculum praebent, vel in cultibus agrorum vivunt,* (lege *iuvant:*) *vel plaustra collo trahunt*, etc. Columella praefat. lib. 6. *Iumenta nomen a re traxere: quod nostrum laborem, vel onera subvectando, vel arando iuvarent.* quae 12. 1. Orig. Isidorus transcripsit. Lactantius idem in de Ira Dei, cap. 13. *Intelligimus et ipsa animalia eodem modo ad usum hominis a Deo facta: partim ad cibos, partim ad vestium, partim ad operis auxilia.* Ita iuvencum σύνεργον ἡμῖν ζῶον, Basilius in cap. 7. Esaiae dixit.

Ibid. *Me multis oleribus onustum proximam civitatem deducere consueverat*] Virgilius Moreto: *Venales olerum fasces portabat in Urbem.* Horat. *Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.*

Ibid. *Venditoribus tradita merce*] Lucianus hîc, Τοῖς ταῦτα πιπράσκουσιν. intelligit παλιγκαπήλους.

Ibid. *Sic hortum redire*] Id est, *sic demum.* et nota est rei factae. vide quae ad Act. 20. 21. adnotata.

Ibid. *Dum fodiens, dum irrigans, caeteroque incurvus labore deservit*] Poenalem vitam olitoris ἠθικῶς ob oculos ponit. Ad Menedemum Chremes apud Terent. 1. 1. Heautont. *Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi Domum re-*

revertor, quin te in fundo conspicer Fodere, aut arare, aut aliquid ferre: denique Nullum remittis tempus, neque te respicis. Hesiodus de agricolis: Οὐδὲ ποτ' ἦμαρ Παύσονται καμάτου καὶ οἰζύος, οὐδ' ἔτι νυκτὸς Γινομένης, χαλεπὰς δὲ θεοὶ δώσουσι μερίμνας. *Curvare corpus*, est terram subigentium. Sidonius Carm. 5. *Sic quondam Consule curvo Vertebas terram.* Virgilius 3. Ecloga: *Tempora quae messor, quae curvus arator haberet.* Plinius senior: *Arator, nisi semper incurvus, praevaricatur.* Lucianus Timone: Ἐπικεκυφὼς ἔσκαπτεν. et ibidem: νενευκὼς εἰς τὸ ἔργον. Eustathius ἐρωτικ. 4. Γήπονος, περὶ μέσους κεκυφὼς τοὺς ἀστάχυας. Sic aquilegem, κατέχοντα δίκελλαν, καὶ κεκυφότα, Achilles Tatius lib. 1. depingit: et, figulum *se curvantem*, 38. 33. Sirachides.

Ibid. *Tacita quiete recreabar*] Contra lib. 7. *Nec tamen tantillum* etc. *meae quieti spatium datum.* In Lipsii et Fuxensi MS. *placita.* unde recte vir summus P. Faber, *placidâ.* Virgilius: *Omnia noctis erant placida composta quiete.* Idem: *Placidam per membra quietem Irrigat.* et alibi: *Placida laxarunt membra quiete.*

Ibid. *Remeans annus*] In se recurrens. Annus itaque secundum Aegyptios indicabatur ante inventas literas, picto dracone, caudam suam mordente, quia in se recurrit. Servius ad Aen. 5.

Ibid. *Post mustulentas Autumni delicias ad hibernas Capricorni pruinas deflexerat*] Iuvenalis: *Iam lethifero cedente pruinis Autumno.*

Ibid. *Assiduis pluviis, nocturnisque rorationibus, sub dio*, etc.] Propertius 2. 7. *Sub Iove duravit multis immota diebus, et Lunae patiens, et pluvialis aquae. Nocturnis rorationibus* etc. ut 4. 22. Danielis, ὑπὸ τῆς δρόσου αὐλίζεσθαι. *Sub dio*, quia Domini adeo pauperis iumentum. Horatius: *Pauper, et infima De gente, sub dio moreris*, etc. ubi vetus Scholiastes: *Sub dio posuit pauperis mansionem.* Theophylactus ad 1. Tim. 5. Κ'ἂν ἄλλα ἄπορος ἔιη τις, οἰκίαν πάντως ἔχει, οὐ γὰρ δὴ αἴθριος μένει. ubi forsan, δεῖ α. μένειν legendum. Xenophon apud Suidam: Ὑπὸ τῆς αἰθρίας κακῶς σκηνοῦντες.

Ibid. *Continuo discruciabar frigore*] Plinius 8. 43. de Asinis: *Animal frigoris maxime impatiens.*

Ibid. *Quippe cum meus Dominus* etc. *ne sibi quidem, nedum mihi, posset* etc.] Ὁ δοῦλος οὐχ' ὑπὲρ τοῦ Κυρίου αὐτοῦ. Matth. 10. 24. ubi dicta vide.

Ibid. *Vel exiguum tegimen*] Glossae: *Tegimentum*, Στέγασμα, κάλυμμα, σκέπασμα.

Ibid. *Frondoso casulae contentus umbraculo*] Seneca Epist. 90. *Furcae utrinque suspensae fulciebant casam, spissatis ramalibus ac fronde congestam.* et post, ead. Epist. *Adversus saevitiam hiemis aut imbris, vili receptaculo tuti, sub fronde vivebant.* Hieronymus ad Heliodorum: *Frondoso arboris tectus umbraculo.*

Ibid. *Geluque praeacuta frusta*] Interpres vetus Sirachidis 43. 21. *Gelu sicut saltem effundet super terram: et, dum gelaverit, fiet tanquam cacumina tribuli.* Imo *tanquam acumina tribuli* acutius et vividius legas. Ammianus Marcellinus lib. 30. *Per nives, et acumina crudelium pruinarum.* Onomast. vetus laudabilissimum: *Acumen*, ὀξύτης. Glossae: *Acumen*, ἄκρον ξίφους. et Seneca Epist. 82. de re, tribulo non aliena valde. *Quid acutius Arista?* at Ammiani locus rem extra controversiam ponit. *Frusta* Appuleius vocat, quae alii *crustas*. Sidonius 4. 6. *Cumulis nivium, crustisque glacierum.* Gloss. Παγετοῦ κλάσματα, *crusta*, lege *crustae.* In vetere Onomastico: *Crusta*, πλὰξ ὄστρακον. Servius ad Georg 3. *Cum crusta feminino genere dicimus, lapidis, aut ligni, aut gelu partem significamus.* Et ad 7. Aeneid. *Crusta neutraliter dicimus de his quae comedi possunt: feminino genere, fragmenta quae comesse non possumus. ut Concrescunt subitae currenti in flumine crustae.* hinc *frigore humum crustatam*, lib. 25. idem Ammianus dixit.

Ibid. *Nudis invadens pedibus*] Sic 7. *Saxeas sudes incursare.* quod hîc *invadere. Nudis* intellige, ferro non munitis. Hesychius: Γυμνὸς, ἀνυπόδητος.

Ibid. *Enitebar*] Donatus ad Andr. 3. 4. *Enitere, labora: quasi difficile sit, et conatu opus.*

Ibid. *Ac ne suetis saltem cibariis ventrem meum replere poteram*] Supra lib. 7. *Nec mihi misero statuta saltem cibaria* etc. *praestabantur.* ubi fusius p. [hui. Ed. 287, b.] dixi.

Ibid. *Mihi et ipsi Domino coena par et similis*] Horatius: *Servorum ventres modico castigat iniquo, Ipse quoque esuriens.* Tacitus de Germanis loquens: *Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas.* Apud Quintilianum 6. Declam. *Habitamus in fluctibus, hiberni nos feriunt venti: non statio, non sedes, non quies: sed, quod malorum meorum maxima portio est, tam miseri sunt etiam Domini mei.*

Ibid. *Lactucae veteres et insuaves illae*] Iuven. *Tales ergo cibi qualis domus.* Apud Aristophanem in Pluto: Σιτεῖσθαι δ' ἀντὶ μὲν ἄρτων, Μαλάχης πτόρθους· ἀντὶ δὲ μάζης, φύλλ' ἰσχνῶν ῥαφανίδων.

Ibid. *Tenebris illunae caliginis impeditus, et imbre nimio madescens*, etc. *ad hortum nostrum*, etc. *divertit*] Anacreon de Cupidine: Ἄνοιγε φησι, Βρέφος εἶμι, μὴ φόβησαι. Βρέχομαι δὲ, κ' ἀσέληνον Κατὰ νύκτα πεπλάνημαι. In Solomonis Cantico. 5. 5. Ἄνοιξόν μοι, ὅτι ἡ κεφαλή μου ἐπλήσθη δρόσου, καὶ οἱ βόστρυχοί μου ψεκάδων νυκτός. Seneca 6. 15. de Benef. *Quanti aestimas in solitudine hospitium, in imbre tectum?*

tum! In vetustis editt. et MSS. *madefactus.* Orientius Illiberitanus: *Nemo Conspersus pluvia, nec madefactus erit.* Hesychius: Διαχεῖται· ὑπὸ ὄμβρου βρέχεται.

Pag. 200. *Tenebris illunae caliginis* etc.] Latinus Proverb. 7. 9. Interpres: *In noctis tenebris, et caligine.* Virgilius: *Et nocte tegentur opaca.* Servius: *Opaca nubium caligine.*

Ibid. *Atque ob id ab itinere directo cohibitus, ad hortum nostrum* etc. *divertit*] Valde hic locus illustrat Euangelii illum Luc. 11. 6. Χρῆσον μοι τρεῖς ἄρτους, ἐπειδὴ φίλος μου παρεγένετο ἐξ ὁδοῦ πρός με. Impulsus nempe aut nocte, aut imbre, aut utroque. noctu autem supervenisse cum monstrant illa, πορεύσεται πρὸς αὐτὸν μεσονυκτίου. iam et illud ἐξ ὁδοῦ παραγίνεσθαι, est quod hîc, *ab itinere directo divertere*, vel *cohiberi.* quae vis locutionis Graecae haud scio an Interpretibus animadversa. *Iter directum* hîc, ut 6. *canale directum.* Glossae: Εὐθεῖα ὁδὸς, *itiner.* (id est, *rectum iter.*) ex illo qui deflectunt, *divertere* dicuntur. In vetere Onomastico: *Diversito*, τρέπομαι. videtur ἐκτρέπομαι legendum. Glossae: *Devertit*, ἐκνεύει, ἐκτρέπεται. et hinc ad Eunuch. 4. 2. Donati illa: *Diverticula dicuntur* etc. *domicilia, ad quae de itinere divertendum sit.* In eodem Glossario: *Diverticulum*, etc. καταγώγιον.

Ibid. *Ad hortulum nostrum iam fesso equo divertit*] Lib. 8. *Ad civitatem quandam populosam*, etc. *iam fessi pervenimus.*

Ibid. *Receptusque comiter pro tempore, licet non delicato, necessario tamen quietis subsidio*] Basilius Conc. de Ingluvie et Ebriet. de se et coenobiotis suis: Ἐπεδήμησεν τίς τῶν ξένων; etc. κέκμηκεν ἐκ τῆς ὁδοιπορίας; τοσοῦτον αὐτῷ προστίθεμεν ὅσον τὸν κόπον παραμυθήσασθαι. Tale Antiquit. 4. 8. apud Iosephum illud: Ἀφιγμένους ἀλλαχόθεν ἀνθρώπους ξενίων τυχεῖν ἀξιοῦν καθ' ὧν ἂν παρέχει. ubi pro καθ' ὧν ἂν, quis non videt καθ' ὥραν scribendum? *Quietis non delicatum subsidium*, est, non delicatum lectum. In Epistola Myiae Pythagoricae: Ἐν τούτοις (lecti stragulis) τὸ οἰκεῖον ἡ φύσις ἐπιποθεῖ, οὐ τὸ πολυτελές. Chrysostomus Homil. 13. in Epist. ad Ephes. Κέχρησο κλίνῃ καὶ στρώμασι, μὴ πρὸς ἐπίδειξιν πεποιημένοις, ἀλλὰ πρὸς ἀνάπαυσιν. E converso hîc lib. 10. *Pulvillis pluma delicata ventose tumentibus terrestrem nobis cubitum praesternunt.* Bene autem *delicato* opponit *necessarium.* Plinius lib. 8. Epist. 4. *Cur tibi similis audientia, praesertim non delicata sed necessaria denegetur?* Seneca sensu Appuleianum proximante): *Id actum est ab illo mundi conditore qui nobis vivendi iura descripsit, ut salvi essemus, non delicati.* epist. 119. De locutione *pro tempore*, supra pag. [hui. Ed. 160, a.] dixi. Commode et post ea verba, *necessarium* subiunxit. Virgilius: *Nunc te marmoreum pro tempore fecimus.* ubi Servius: *Pro necessitate.*

Ibid. *Nec moratus meus Dominus*] Supra hoc lib. *Nec quidquam moratus* etc. *ille egregius maritus.*

Ibid. *Sacculo et utribus vacuis secum apportatis*] Ad vinum et frumentum asportandum. Lib. 8. *Avidis animis corradentes omnia, et in sacculos de industria* etc. *praeparatos farcientes.*

Ibid. *Prandio participat*] Vide supra pag. [hui. Ed. 144, b.] notata.

Ibid. *In poculis mutuis altercantibus*] Ita Sirachidis 9. 13. Latinus, *in vino altercari:* quod supra heic, *vino mutuis vicibus velitari.* et 6. 2. apud Pollucem, ἐν πότῳ διαμιλλᾶσθαι.

Ibid. *Mirabile prorsus evenit ostentum*] Aen. 2. *Subitum, dictuque oritur mirabile monstrum. Mirabile* heic, παράδοξον· ut bene in Glossario. Sic Luc. 5. 26. παράδοξον Latinus peritissime vertit.

Ibid. *O bona ancilla*] Ita editio Vicentina pervetus, et Cod. Oxon. Sunt tamen qui contendunt *aucilla* legendum. Supra lib. 6. *ancillam nequissimam* dixit. cur non hoc loco e converso, *ancillam bonam?* certe et *partubus saginare* (ut inquit) *Dominum*, quoddam genus famulationis videtur. Qui adeo fastidiosi sunt ut huiusmodi non queant ferre, non est cur ingrata lectione se ipsos et Appuleium inquietent.

Ibid. *Calathum foetui gallinaceo destinatum angulo solito collocato*] Varro 3. de R. R. *Acus* (id Festo, *palea*) *parturientibus substruendum.*

Ibid. *Ita ut iussum fuerat, procurante puero*] Luc. 14. 22. Καὶ εἶπεν ὁ δοῦλος, Κύριε, γέγονεν ὡς ἐπέταξας.

Ibid. *Ante ipsos pedes Domini*] Infra lib. 10. *Ante ipsos pedes Praesidis.* Supra lib. 2. *Ante ipsa vestigia mea.*

Ibid. *Quod scimus illud*] Vide supra pag. [hui. Ed. 183, a.] notata. Palatinus autem, Codex Lipsii, et Oxon. MS. hoc non agnoscunt.

Ibid. *Non enim ovum*, etc. *sed pinnis, et unguibus, et oculis, et voce etiam perfectum edidit pullum*] Merito prodigiosum hoc visum, cum et Epicharmus de hac avium specie agens: Οὐ τίκτει τέκνα Ζῶντ', ἀλλ' ἐπώζει, καὶ ποιεῖ ψυχὴν ἔχειν. Et Macrobius 7. 16. generalius: *Natura fabricans avem, ab informi rudimento incipit: et ovum, in quo necdum est species animalis efficit. Ex hoc, perfectae avis specie existit, procedente paulatim maturitatis effectu.*

Ibid. *Nec eo secius longe maius ostentum* etc. *exoritur*] *Aliud ex alio malum*, ut Terentius locutus. Supra lib. 8. *Ecce tanto periculo malum maius insequitur.* Expressit autem hunc locum Appuleius ex Virgilii isto: *Heic aliud ma-*

maius miseris, multoque tremendum Obiicitur magis, atque improvida pectora turbat.

Pag. 201. *Sub ipsa mensa quae reliquias prandii gerebat*] Lib. 2. *Et adsistit mensula, totius coenae* etc. *reliquias tolerans.*

Ibid. *Largissimus emicuit fons sanguinis*] Iuvenalis 13. *Tanquam in mare fluxerit amnis Gurgitibus miris, et lactis vertice torrens.* Scholiastes: *Aut lacteis, aut sanguineis.* Et ita in Iuvenale legendum. dico, *aut lactis vert. t.* In Oxon. *emanavit:* quo nil opus. Glossae: *Emicat*, ἐξάλλεται, προπηδᾷ.

Ibid. *Ipsoque illo momento quo stupore defixi, mirantur* etc.] Seneca Natur. quaest. 3. 27. *Transierat in stuporem metus, non vacabat timere vacantibus.* Sic Luc. 9. 43. post ἐκπλήττεσθαι θαυμάζειν.

Ibid. *Ipsoque i. m. q. s. d. mirantur*, etc.] Supra hic: *Ipso illo denique momento quo nos lauti coenam petebamus*, etc.

Ibid. *E cella vinaria*] Glossae: *Cella vinaria*, οἰνών. nec aliter in Onomastico legendum, ubi vulgo *cellaria.* Interpres vetus Cantic. 2. 4. *Introduxit me in cellam vinariam.* Virgilius: *Nec ideo cellis contende Falernis.* ubi Servius: *Cellis, apothecis: nam cellas vinarias dicimus.*

Ibid. *Quod olim diffusum fuerat*] *Diffusum* proprie. vide Beroaldum.

Ibid. *Visae etiam interea mustelae mortuum serpentem forinsecus mordicus attrahentes*] De Xenocrate Suidas: Συνεγράψατο τὸ οἰωνοσκοπικὸν οἰώνισμα· οἷον, εἰ ἐν τῇ στέγῃ ἐφάνη γαλῆ ἢ ὄφις, τὸ δὲ τί σημαίνει. quae eadem et in Telegono habet.

Ibid. *Pastoricii canis*] Glossae: *Pastoricius canis*, ποιμενικὸς κύων. Pollux 7. 33. Ποιμνῖται κύνες· αἰπόλοι κύνες.

Ibid. *Haec tot ac talia* etc. *ad extremum stuporem deiecerunt animos, quid prius, quidve posterius*, etc.] *Obstupuere animi, gelidusque per ima cucurrit Ossa tremor, quid fata parent.* Virgilius de Turno: *Obstupuit varia confusus imagine rerum.* ubi Servius: *Multiplici nuncio: quod Regina periit, quod urbs oppugnatur*, etc. Curtius lib. 4. de Diario: *Multiplicis doloris exspectatione commotus, et quid potissimum timeret incertus. Quid prius, quid posterius* proverbiale est, ubi in pluribus difficilis delectus. Virgilius 11. *Quem telo primum, quem postremum aspera virgo Deiicis?* Idem 4. *Quae quibus anteferam?* ubi Servius: *Quid prius? quid posterius dicam?* Et alibi ad eundem librum: *Quid prius, quid posterius dicimus, ubi omnia et paria et magna sunt.* Seneca Herc. Oet. *Quae prima querar? Quae summa gemam? pariter cuncta Deflere iuvat.* Claudian. Consul. Honor. *Quae prima miser, quae funera dictis Posteriora querar?* Ammianus lib. 29. *Inter ambigentes Iudices quid prius quaeri debeat, quid posterius.* Libanius Basilico: Ἐνταῦθα δὴ τί πρῶτον ἢ τί τελευταῖον χρὴ λέγειν. Apud Achillem Tatium lib. 8. ille: Οὐκ οἶδα τίνος ἄρξωμαι λόγου, καὶ πόθεν· οὐδὲ τίνων κατηγορήσω πρῶτον καὶ τίνων δεύτερον.

Ibid. *Numinum coelestium leniendis minis*] Adeo vere Lucretius: *Homines in rebus acerbis Acrius advertunt animos ad religionem.* Et nota, *minis leniendis.* Virgilius de Anchise: *Numina magna vocat, meritosque indicit honores: Dii prohibete minas: Dii talem avertite casum.*

Ibid. *Adhuc omnibus exspectatione teterrimae formidinis torpidis, accurrit quidam servulus, magnas et postremas Domino illi fundorum clades annuncians*] Ovid. Metamorph. 11. *Cursu festinus anhelo Advolat armento custos Phoceus Anetor: Et, Peleu, Peleu, magnae tibi nuncius adsum Cladis, ait.* Iobi cap. 1. Ἔτι τούτου λαλοῦντος, ἦλθεν ἕτερος ἄγγελος, etc. et post: Ἔτι τούτου λαλοῦντος, ἦλθεν ἕτερος, etc.

Ibid. *Exspectatione teterrimae formidinis torpidis*] Ita *stupore ac miraculo torpidos*, Lib. 22. T. Livius.

Ibid. *Tribus liberis doctrina instructis, et verecundia praeditis, vivebat gloriosus*] De alio lib. 10. *Habebat iuvenem filium probe literatum, atque ob id, pietate et modestia praecipuum. Gloriosus vivebat*, est ipsum id quod apud Terentium. Uno ore omnes omnia bona dicebant, et laudabant fortunas eius, qui gnatos haberet tali ingenio praeditos. Glossarium: *Gloriosus*, δεδοξασμένος. Est et hoc sensu Graecum μακαριζόμενος.

Ibid. *Potens et dives*] Phaedrus: *Venit ecce dives et potens.* Lib. 3.

Ibid. *Et prosapiae maiorum gloria male utens*] Apud Quintilianum ille 9. Declam. *Non ego aes alienum luxuria contraxi, nec profusus in vitia, fortuna nostra male usus sum.* Πολλοὶ γὰρ ὄντες εὐγενεῖς, εἰσιν κακοὶ, fuit veteris Graeci dictum. Exemplum vel e Thrasyllo pete initio 8. libri.

Ibid. *Pollensque factionibus*] Talis Crotoniata ille, de quo sic Porphyrius: Κατὰ μὲν τὸ γένος καὶ δόξαν προγονικὴν, καὶ βίου περιουσίαν πάντας τοὺς πολίτας ὑπερβάλλων· χαλεπὸς δὲ ἄλλως, καὶ τυραννικὸς, τῇ τε τῶν φίλων περιβολῇ, καὶ τῇ τοῦ πλούτου δυνάμει πρὸς ἰσχὺν ἀδικημάτων χρώμενος. *Pollere factionibus*, divitum est. Plautus Aulul. *Te esse hominem divitem, Factiosum.* In eiusdem Cistellaria: *Neque nos factione tanta quanta tu sumus: Neque opes nostrae tam sunt validae quam tuae.* Idem in Trinummo *opulentiam* et *factiones* iunxit. Caecilius Comicus apud Gellium 2. 23. *Opulento famam Facile occultat factio.* Vide et Nonnium in *factio.*

[Z z] Ibid.

Ibid. *Et cuncta facile faciens in civitate*] Τὴν πόλιν διὰ χειρὸς ἔχων· ut 2. 4. apud Iul. Pollucem. Theseus ad Creontem apud Sophoclem, magno Grotio vertente: *Ingressus urbem quae colit fas ac pium, Quae cuncta rite legis ex norma facit: Nostris omissis moribus, quicquid lubet Moliris, et vi cuncta te acturum putas.* Idem Pollux 6. 32. potentem ac factiosum describens: Τὶς δ' ἂν ἀντίσχοι πρὸς τὴν ῥύμην αὐτοῦ, etc. πάντολμος ἄνθρωπος, πᾶν ἂν πράξας. Iosephus Antiquit. 19. 1. de Aruntio quodam: Χρήματα περιβεβλημένος ὅμοια τοῖς Ῥωμαίων πλουσιωτάτοις· δύναμίς τε ἦν ἐφ' οἷς ἐθελήσεις πράσσειν κατὰ τὴν πόλιν. Plato Alcibiade 1. Ὃς οὐ μόνον ἐν τῇ δὲ τῇ πόλει δύναται πράττειν ὅ βούληται, ἀλλ' ἐν πάσῃ τῇ Ἑλλάδι.

Ibid. *Hostili modo vicini tenuis incursabat pauperiem*] Varro: *Quid pote plus, urget: pisces ut saepe minutos Magnu' comest, ut aves enecat accipiter.* Et nota hîc τὸ *vicini*. Martialis de liberto Caesaris: *Vexat saepe meum Patrobas vicinus agellum.* Sirachides 13. 23. *Pascua divitum sunt pauperes.* Salvianus 4. *Quotusquisque iuxta divitem pauper aut intactus aut tutus?*

Ibid. *Pecua trucidando*] Ut suas iis mensas instrueret. vide 2. Reg. 12. 4.

Ibid. *Boves abigendo*] Claudianus bello Get. *Si bos abductus aratro.* Simile quod Basilius de Divite, Homil. εἰς τοὺς πλουτοῦντ. Ἐπάγει τὰ ζεύγη τῶν βοῶν, ἀροτριᾷ, κατασπείρει, θερίζει τὰ μὴ προσήκοντα.

Ibid. *Fruges adhuc immaturas obterendo*] Ibidem Claudianus: *Si libata seges.* Quanto laudabilior Belisarius, etiam hostis personam sustinens: Ἡνίκα ἀκμάζοι τὰ λήϊα, εἰς τὸ ἀκριβὲς διεφύλασσε μή τινι παριοῦσα ἡ ἵππος λυμήνηται. vide Suidam.

Pag. 202. *Frugalitate spoliatum*] Sic *frugalitatis* vocem Declam. 298. Quintilianus posuit. et *venalitatem* pro *venalibus* 7. 32. Cassiodorus.

Ibid. *Ipsis etiam glebulis exterminare gestiebat*] Claudianus: *Proturbat avita Quemque domo, veteres detrudit rure colonos.*

Ibid. *Finiumque inani commota quaestione* etc.] Seneca 7. 4. de Benef. *Fines, Atheniensium aut Campanorum vocamus: quos deinde inter se vicini privata terminatione distinguunt.* Et nota, *finium quaestionem.* Ulpian. l. 8. ff. fin. regund. *Ad officium de finibus cognoscentis pertinet mensores mittere, et per eos dirimere ipsam finium quaestionem.* Servius ad Eclog. 9. de Virgilio: *Lis exorta est de finibus inter eum, et eos qui in proximo agros acceperant.*

Ibid. *Terram totam sibi vindicabat*] Isocrates ad Nicoclem. Τινὲς, ἣν καὶ μικρῶν μείζω τῶν ὁμόρων δύναμιν ἔχωσιν, ἀποτέμνονται τῆς γῆς, καὶ πλεονεκτεῖν ζητοῦσι.

Ibid. *Ut suo saltem sepulchro paternum retineret solum*, etc.] Non iam tam ut aleret se vivum agens, quam ut mortuum tegeret. Servius ad Eclog. 3. de Caelio quodam, quamvis prodigo et ganeone: *Venditis omnibus rebus, et consumptis, tantummodo spatium sibi reservavit quod sepulchro sufficeret.*

Ibid. *Amicos plurimos ad demonstrationem finium* etc. *corrogarat*] Sic in l. 13. ff. fin. reg. *fundi terminos demonstrare. Amicos corrogare*, ut 4. *vicinos corrogare.* vide supra pag. [hui. Ed. 218, b.] dicta.

Ibid. *Trepidans eximie*] Lib. 8. *Satis agentes rerum suarum, eximiéque trepidi.*

Ibid. *Quantulum ferentes auxilium*] Sic Oxon. MS. etiam, et vetus Vicent. editio. Gloss. *Quantulum*, ποσόν τι. Florent. *Quantulum quantulum:* id foret quod Hebr 10. 37. μικρὸν ὅσον ὅσον. adhaereo autem priori lectioni.

Ibid. *Confusus*] Δυσωπούμενος, αἰσχυνόμενος.

Ibid. *Clementer expostulantibus, fervidosque eius mores blanditiis permulcentibus*] *Iratum blanditiis lenientibus:* ut supra lib. 6. locutus. Rich. Victorinus 2. 13. *Dum Saulem spiritus malus vexat, cithara David eius insaniam temperavit. quia cum sensus potentium per elationem in furorem vertitur, dignum est ut elocutionis nostrae tranquillitate, quasi citharae dulcedine ad salutem revocetur. Durus adamas incisionem ferri non recipit, sed leni hircorum sanguine madescit.* Et nota hîc *mores fervidos.* sic *homo ferventis naturae*, apud Ammianum Marcellinum. Bene et *expostulantibus.* Donatus ad 1. 2. Hecyr. *Expostulatio, est apud illum ipsum qui peccaverit: postulatio, de illo apud alterum.* quae et repetit ad 4. 1. Andr.

Ibid. *Suam suorumque carorum salutem* etc. *adiurans*] Servius ad Aeneid. 2. *Naturale est iurare per id, quod quis carum habet.* Significat *carus* nonnunquam in interiorem amicitiae gradum receptum. sic supra 8. *En carus mariti.* hîc malim *liberos* restrictius denotari. hinc etiam 3. illud, *per pignorum caritatem.* horum autem per salutem iurare, haud insolitum. Hieronymus contra Iovinianum: *Celebrandus natalis eius*, (filiolae nempe,) *iurandum per salutem eius.* Ita, non iurat tantum per salutem filii, sed et peierat Regulus apud Plinium, lib. 2. Epist. ult. *Per suam salutem* iurandi vestigia habemus in l. 5. et 33. ff. de iureiur.

Ibid. *Adseverans parvi se pendere tot mediatorum praesentiam*] Emendant, unus *metatorum, meritorum* alius. Si quid mutandum crederem, *mendicorum* reponerem. Pollux 7. 6. de hoc genus impotente: Διαπτύων τοὺς πολλοὺς· καθάρματα, καὶ πτωχοὺς καλῶν. non dubito au-

autem lectionem positam rectissime se habere. Suidas: Μεσίτης· εἰρηνοποιός. Glossae: Μεσίτης, *Sequester*, *mediator*. nec aliter vocem eam 1. Tim. 2. Latinus vertit. Imo quam aliam lectionem permittunt praecedentia illa? *Clementer expostulantibus, fervidosque eius mores blanditiis permulcentibus.* Firmatur etiam (quod pene me fugerat) a Codice Oxoniensi.

Ibid. *Denique vicinum illum amiculis per suos servulos sublatum, de casula longissime statimque proiectum iri*] Illud *amiculis* formavit Wowerius ex nescio cuius MS. vestigiis. alius *maniculis* voluit, i. e. *parvis manicis*. At veteres editiones, etiam Oxon. MS. multo melius *auriculis* legunt. Nostrates, eodem loquendi genere, *to pull out by the eares*. cui simile apud Phaedrum, *capite foras protrudi.* quod etiam nostrâ linguâ, *to thrust out by head and shoulders.* Post, pro *statimque* aeque infeliciter *stratumque* reponebant. Qui graviter commoventur, solent addere, quod minantur, *statim* impleturos. Supra lib. 1. *Faxo eum sero, imo statim*, etc.

Ibid. *Longissime*] Gloss. Ὡς ποῤῥωτάτω, *quam longissime.*

Ibid. *Proiectum iri*] Ibidem: *Proiectus*, ἐκβεβλημένος, ἐξεῤῥιμένος.

Ibid. *Quo dicto insignis indignatio totos audientium pertentavit animos*] Act. 7. 54. Ἀκούοντες ταῦτα, διεπρίοντο ταῖς καρδίαις.

Ibid. *Paulo liberius respondit*, etc.] Quintilianus 9. Declam. *Paupertatis est proprium, quando alia deficiunt, exercere libertatem.*

Ibid. *Frustra eum suis opibus confisum*] Apud Menandrum ille: Μηδ' αὐτὸς, εἰ σφόδρ' εὐπορεῖς, Πίστευε τούτῳ· μήτε τῶν πτωχῶν πάλιν Ἡμῶν καταφρόνει. De fiducia autem in opibus collocata, ad 1. Tim. 6. 17. haud pauca diximus, quae integra ei loco servamus.

Ibid. *Cum alioquin pauperes etiam, liberali legum praesidio, de insolentia locupletium consueverint vindicari*] Ovidius Fast. 3. *Inde datae leges, ne fortior omnia posset.* Philo in de Princip. creat. Ὅταν ἰδιῶται καὶ ἄποροι καὶ ἄδοξοι πρὸς δυνατωτέρους διαφέρωσι, πρὸς τὸ μηδὲν ἀνήκεστον παθεῖν μία ἐλπὶς ὁ νόμος. Apud Ciceronem vetus Tragic. de Orat. 3. *Erras, erras: nam exultantem te et praefidentem tibi Reprimunt validae legum habenae.* Theophylactus ad Rom. 13. de Magistratibus: Δι' αὐτῶν ὁ βίος ἡμῶν συνίσταται, καὶ εἴγε μὴ ἦσαν, πάντα ἂν ᾤχετο, τῶν δυνατωτέρων τοὺς ἀσθενεστέρους καταπινόντων. Euripides Supplicibus: Οὐκ ἔστιν οὐδὲν κρεῖττον ἢ νόμοι πόλει Καλῶς τεθέντες· ὅ τε γὰρ ἀσθενέστερος, Ὁ πλούσιός τε τὴν δίκην ἴσην φέρει. Νικᾷ δ' ὁ μείων τὸν μέγαν, δίκαι' ἔχων. Theodoreti est Epist. 10. Τοὺς νόμους εἰς ἐπικουρίαν τῶν ἀδικουμένων [οἱ νομοθέται γεγράφασι. Idem 7. περὶ Προνοίας, de legum beneficio agens: Ὁ ἀδικούμενος ἀδεῶς πρόσεισι τοῖς δικάζουσι, καὶ τὴν τῆς ἀδικίας εἰσάγει γραφὴν, καὶ τὴν τοῦ ἠδικηκότος οὐ δέδοικε δυναστείαν, οὐδὲ φρίττει πλούτου τὴν περιφάνειαν. Apud Suidam in ἔθος· Ὁ νόμος τοσαύτης δικαιοσύνης καὶ φιλανθρωπίας μεστὸς, ὥστε τοῖς ἀτυχοῦσι χρησιμότερος καθέστηκε τῶν γένει προσηκόντων· καὶ τοῖς ἀδικουμένοις ἰσχυρότερος τῆς αὐτῆς ἐκείνων ῥώμης. Apud Livium ille lib. 28. *Neminem unum civem tantum eminere debere, ut legibus interrogari non possit: nihil tam aequandae libertati, quam potentissimum quemque posse causam dicere.* Impp. Valentinianus et Marcianus Novell. *Neminem exhiberi*, etc. et in Theodos. Cod. *Illi* (Provinciarum rectores) *noxiae potentiae, vim legum benignam: illi divitiis, integram mentem opponant.* Bractonus de legg. et consuetud. Angliae. 3. 10. *Coram iis* (de Iudicibus agit) *nullum deprimat adversariorum potentia, sed agat quilibet quod causa sua desiderat.*

Ibid. *Quod oleum flammae, quod sulphur incendio, hoc et iste sermo truculentiae hominis nutrimento fuit*] Eurip. Οἱ γὰρ πνέοντες μεγάλα, τοὺς κρείσσους λόγους Πικρῶς φέρουσι τῶν ἐλασσόνων ὕπο. Sirachides 28. 12. Κατὰ τὴν ὕλην τὸ πῦρ ἐκκαυθήσεται, οὕτως κατὰ τὴν ἰσχὺν τοῦ ἀνθρώπου ὁ θυμὸς αὐτοῦ ἔσται· καὶ κατὰ τὸν πλοῦτον ἀνθρώπου, ἀνυψεῖ τὴν ὀργὴν αὐτοῦ. Eundem sapientem Hebraeum etiam 8. 4. vide.

Ibid. *Quod sulphur incendio*, etc.] Terent. Phorm. *Loquar ne? incendam.* Donatus: *Quia iracundia ignis est.*

Ibid. *Suspendium sese* etc. *ipsis legibus mandare proclamans*] *Iura negans sibi nata.* Salvianus Massiliensis: *Mavult quilibet improbus execrari legem, quam emendare mentem.* De Caio Philo: Νόμον ἡγούμενος ἑαυτὸν, τοὺς τῶν ἑκασταχοῦ νομοθετῶν ὡς κενὰς ῥήσεις ἔλυσεν. Philostratus 7. 11. Τὸ φρόνημα (ὁ πλοῦτος) ἐγείρει, νόμοις τε οὐκ ἐᾷ πείθεσθαι. Aristoteles Politic. 4. 11. Οἱ ἐν ὑπεροχαῖς εὐτυχημάτων ὄντες ἰσχύος, καὶ πλούτου, etc. ἄρχεσθαι οὔτε βούλονται, οὔτε ἐπίστανται. Praecipue autem, si (ut heic) ira accesserit, nulla legum reverentia. In vett. Mimis: *Legem solet obliviscier iracundia.* Ibidem: *Lex videt iratum, iratus legem non videt.* *Suspendium legibus mandare* heic, ut, *iratus leges minitari*, apud Horatium: et, *laqueum Fortunae mandare*, apud Iuvenalem.

Ibid. *Canes* etc. *villaticos, feros atque immanes* etc.] De huiusmodi vide supra pag. [hui. Ed. 214, a.] notata.

Ibid. *Feros atque immanes*] Gellius 16. ult. *Feros atque immanes nautas.* Idem 15. 21. *Immanes et ferocissimos.*

Ibid.

Ibid. *Esitare cadavera*] Ita et Oxon. MS. at Colvius aliam heic lectionem tuetur.

Ibid. *Transeuntium viatorum passim morsibus alumnatos*] *Transeuntes viatores* dixit et De clam. 6. Quintilianus. In MSS. erat *passibus:* unde Roaldus *assiduis*. Beroaldus, *passim*. Colvius, *passivis*. quod satis belle firmat ex aliis Scriptoribus. Accedat illis et Firmicus, qui *libidinum passivas cupiditates* dixit. Cur non et Nostrum 8. sic scripsisse putemus? quo loco omnes editi hunc in modum habent: *Lupos passim rapinis adsuetos cunctam regionem infestare*. Male pro *alumnatos* autem idem *annulatos* reposuit. Supra lib. 8. *Canes rabidos et immanes*, etc. *quos ad tutelae praesidia curiose fuerant alumnati*. et 6. *Adolescentem istum quod meis manibus alumnatus sit, scitis* etc. *omnes*. *Alumnati* (i. e. nutriti) erant hi canes viatorum morsibus. In Epistolis Simocattae: Ἡ θήλεια κύων etc. περιφρουρεῖ τὸ γήδιον, ἀνθρωπίνης ὀργῶσα πιμελῆς ἐφάψασθαι. Φυλακτικοὺς θῆρας, οἷς τὸ αἷμα ἡ τροφὴ, apud Clementem Paedag. 3. 3. habemus. Seneca cap. 22. ad Marciam de Seiano: *Et acerrimi canes, quos ille ut sibi uni mansuetos, omnibus feros haberet, sanguine humano pascebat*. vide quae de Alyattis canibus Polyaenus 7. 2. Philo in de Mosis vita: Ἐπιφοιτῶσιν (οἱ κύνες) καὶ ἐπιτρέχουσιν ἀδεῶς, κ' ἂν ἀπείργῃ τὶς, εἰς τὸ ἀήττητον ἀντιφιλονεικοῦσιν, ἄχρις ἂν αἵματος καὶ σαρκῶν κορεσθῶσιν. Imo Colvii lectione admissa, nec vel sensus constabit. quid enim est, *morsibus annulatos?* i. e. *vinctos*, ipso exponente. Quin et alteram lectionem flagitant prolati e libb. 6. et 8. loci.

Pag. 203. *Laxari*] Seneca Hippol. *Laxas Canibus tacitis mittite habenas*.

Ibid. *Atque in eorum exitium inhortatos* etc.] Supra lib. 8. *Canes rabidos* etc. *nobis inhortantur*. ubi notata pag. [hui Ed. 315, b.] vide. *Inhortari* hic, est, quod Petronio *canem instigare*. Quo sensu et Glossarium: *Instigant*, ἐφιστῶσιν, ἀπελαύνουσιν. scribe, ἐπελαύνουσιν. Hesychius: Ἐπελαύνειν· ἐπιπέμπειν. Iterum in Glossario: *Instigatio*, διδασκαλία, ἀπελασία. lege. *Instigatio*, ἐπελασία. *Instillatio*, (quae vox perierat) διδασκαλία.

Ibid. *In eorum exitium inhortatos* etc.] Lib. 2. *Parvulos etiam ad exitium mulieris hortantur*. et 10. *Quaecunque ad exitium mulieris bestia fuisset immissa*.

Ibid. *Qui simul signo solito pastorum incensi atque inflammati sunt, latratibus absonis* etc.] Lib. 8. *Signo sibi repentino reddito, latratibus fervidis dissonisque miscens omnia*.

Ibid. *Eunt in homines*] Virgilius: *Simul ense recluso Ibat in Euryalum*. Aen. 9.

Ibid. *Nec fugientibus saltem compescant*] Iustinus lib. 24. *Sed nec fugientibus fortuna commodior fuit*. *Compescunt* habet et Oxon. Divinavi (quod et alios fecisse video) *compercunt*. Ammianus lib. 14. *Ne cedentium quidem ulli parcendo*. Senec. Controv. 8. 4. *Quis miretur cum mori voluisse, quem fugientem quoque Fortuna persequitur?*

Ibid. *Sed eo magis irritatiores sequuntur*] Seneca Epist. 78. *Perniciosior est hostis fugientibus*. Solinus cap. 35. de Crocodilis: *Formidant resistentes, fugientes insequuntur*. malim et *insequuntur* in Appuleio scribi. Sallustius Iugurthino: *Ac primo mulieres et pueri* etc. *fugere, postremo cuncti, armati, inermesque: quod ubi accidit, eo acrius Romani instare, fundere*, etc. Iudic. 20. 39. vetus Interpres: *Putaverunt filii Beniamin eos fugere, et instantius persequebantur*.

Ibid. *Eo magis irritatiores sequuntur*] Aeneid. 12. *Haudquaquam dictis violentia Turni Flectitur, exuperat magis aegrescitque medendo*.

Ibid. *Inter confertam trepidae multitudinis stragem*] Onomasticon vetus: *Strages*, ὄλεθρος. Glossae: *Strages*, ἀναίρεσις πολλὴ, ὡς τὴν γῆν σώμασι κατεστρῶσθαι.

Ibid. *Offensa lapide*] Offenso ad lapidem pede. Locutio insolentior paulo.

Ibid. *Et obtunsis terrae digitis*] Vide supra pag. [hui. Ed. 193, a.] dicta.

Ibid. *Canibus instruit nefariam dapem*] Lib. 4. *Suis epulis bestiarum saginam instruentes*. In fabellis Phaedri: *Inedia sunt consumpti cum suis, Felisque catulis largam praebuerunt dapem*. Ad Achillem Hector apud Homerum: Μή μ' ἔα νῦν παρὰ νηυσὶ κύνας καταδάψαι Ἀχαιῶν. Iacobus apud Philonem de Iosepho: Ἀτιθάσσοις καὶ σαρκοβόροις θηρσὶν εὐωχία καὶ θοίνη γέγονας· γευσαμένοις καὶ ἑστιαθεῖσι τῶν ἐμῶν σπλάγχνων. Sic, τοῖς θηρίοις ἑστίασις, apud Suidam in λωποδότης. Sic, gulones δαψιλὴν ἐξ οἰκείων σαρκῶν τράπεζαν τῷ σκώληκι παρασκευάζειν. Chrysostomus Homil. 6. de Fato et Provident. adde his quae supra [hui. Ed. p. 270, a.] adnotata.

Ibid. *Nacti praedam iacentem, miserum illum adolescentem sic frustatim discerpunt*] Supra lib. 8. de Tlepolemo ad terram devoluto: *Nec diu, et furens aper eum invadit iacentem, ac primo lacinias eius, mox ipsum resurgentem multo dente laniavit*. Ait, *frustatim discerpunt*. Iuvenalis, nec absimili casu: *Labitur heic quidam, nimia formidine cursum Praecipitans, capiturque: ast illum in plurima sectum Frusta ac particulas, ut multis mortuus unus Sufficeret, totum corrosis ossibus edit Victrix turba*, etc. Infra heic: *Concisurum eum machaera sua frustatim*.

Ibid.

Ibid. *Agnovere*] Repone (quod in aliis) *cognovere.* sic semper Appuleius.

Ibid. *Obvolutisque lacinia laevis manibus*] Habitus se ad pugnam componentis. Pollux 5. 3. de venatore: Ἣν (χλαμύδα) δεῖ τῇ λαιᾷ χειρὶ περιελίττειν, ὁπότε μεταθέοι ἢ προσμάχειτο τοῖς θηρίοις. vide Commentatores Petronii, et hoc loco Beroaldum.

Ibid. *Conterrere*] Scribe cum Vicentina et aliis, *conterere.*

Ibid. *Quippe cum miserrimus adolescens voce ultima prolata, vindicarent de pollutissimo divite mortem fratris*, etc.] Lucretia ad patrem et matrem (si memini) apud D. Halicarnass. Ὑμεῖς, εἴπερ ἄνδρες ἐστε, etc. ἐμοὶ τιμωρήσατε. et I. Livii: *Date dextras fidemque haud impune adultero fore.* Servius ad Virgilii Aeneid. 8. de Eadem: *Petiit, ne violatus pudor, neve inultus eius interitus esset.* Germanicus apud Tacitum moribundus Annal. 2. *Non hoc praecipuum amicorum munus est prosequi defunctum ignavo quaestu: sed, quae voluerit, meminisse: quae mandaverit, exequi.* Iosephus Antiquit. 14. 15. de Phasaëla: Ἀκούσας etc. τὸν ἀδελφὸν Ἡρώδην τοὺς πολεμίους διαπεφευγότα, σφόδρα τὴν τελευτὴν εὐθύμως ὑπέμεινε, καταλιπὼν τὸν θάνατον αὐτοῦ.

Ibid. *De pollutissimo divite*] Infra lib. 10. *Scelerosae pollutaeque foeminae.* Gloss. Μεμολυσμένος, *pollutus, maculatus.* Affini Gellius significatu *homines inquinatissimos* dixit. Philo in de legg. special. Ἀκάθαρτος, κυρίως ὁ ἄδικος καὶ ἀσεβής, ὁ τῷ μήτε τῶν ἀνθρωπίνων μήτε τῶν θείων αἰδώς τις ἔρχεται. Talis hic noster dives, qui et hominibus et ipsis legibus suspendium mandavit. In Oxon. male, *opulentissimo d.*

Ibid. *Non tam hercule desperata quam ultro neglecta sua salute, contendunt ad divitem, atque ardentibus animis* etc.] *Gladiatorio animo ad eum viam affectant:* ut Terentius Phormione locutus. id est, (ut ibi Donatus): *Animo ad periculum parato: animo ita perdito ac temerario, ut non sibi caveant, dummodo vulnerent.* Seneca Controvers. 6. *Concitatissima est rabies in desperatione.* Polybius 2. Περικακοῦντες, καὶ δυσχρηστούμενοι τοῖς παροῦσιν, οἱ μὲν ἀπὸ θυμοῦ καὶ τῆς ἀλογιστίας εἰς τοὺς πολεμίους προσπίπτοντες, ἑκουσίως ἀπέθνησκον. *Ardentibus animis*, ut infra lib. 10. Iuvenalis: *Sed iurgia prima sonare Incipiunt animis ardentibus*, etc.

Ibid. *Lapidibus crebris in eum velitantur*] Scholiastes vetus Iuvenalis ad Sat. 15. *Nulla sic sunt domestica rixantibus tela, ut saxa.* Ad rem ipsam Seneca: *Si exigua contentio est de modo finium, ad lapides et arma discurrunt.* de brevit. vitae cap. 3. et Gregoras lib. 10. Οἱ περὶ γῆς ὅρων πρὸς ἀλλήλους μαχόμενοι πρῶτα μὲν ταῖς ἀπὸ γλώττης λοιδορίαις περὶ τῆς νίκης διαγωνίζονται· εἶτα βραχίονι καὶ παλάμῃ τὴν ἀπαλλαγὴν ἐπιτρέπουσιν, ὃς ἂν ἐπικρατέστερος καταστὰς, ἢ λίθῳ πατάξῃ τὴν κεφαλὴν, ἢ κονδύλῳ καιρίαν τρώσῃ, ἢ τυχὼν οὑτωσί πως ξίφους, παρὰ πλευρὰν ἐλάσας, ἐναρίθμιον τοῖς ἐν Ἅδου κειμένοις τὸν ἀνταγωνιστὴν τάχιστα ἀποδείξῃ.

Ibid. *Multis ante flagitiis similibus exercitatus percussor*] Quintilianus I. Declam. *Et manus homicidium* etc. *velut quoddam genus artis exerceat.* Sic, *a caedibus exercitatum*, Seneca I. 26. de Clementia. Heliodor. de Piloro latrone lib. 5. Γενναίῳ, καὶ φόνοις πολλοῖς γεγυμνασμένῳ.

Ibid. *Flagitiis similibus exercitatus*] Tacitus de Agrippina Claudii: *Ad omne flagitium exercita.* ubi malim *exercitata* legi. ita, *ad audaciam exercitatos*, Sallust. Catilina. Petrus 2. 2. 14. καρδίαν πλεονεξίαις γεγυμνασμένην. Aristophanes Vespis: Ὦ πονωπόνηρε. ubi Scholia: Ἐν ἀσκήσει καὶ μελέτῃ πεπονημένε, scribendum puto, πονηρίας πεπονημένε.

Ibid. *Per pectus medium transadegit*] Aeneid. 9. *Viribus ensis adactus Transadigit costas, et candida pectora rupit.* Supra lib. 4. *Gladium suum* etc. *per medium pectus ictu fortissimo transadigit.*

Ibid. *Telum transiectum*] Aeneid. 9. *Hunc illa exceptum* etc. *Traiicit.* ubi Servius: *Vis iactus ostenditur.*

Ibid. *Telum transiectum, atque ex maxima parte pone tergum elapsum, soloque nisus violentia defixum rigore librato suspenderat corpus*] Suidas de Cotta quodam: Οὕτω βίαιαν ἠφίει πληγὴν, ὥστε τὸν βληθέντα διά τε τοῦ θώρακος καὶ τῶν πλευρῶν διαπεῖραι, καὶ τῇ γῇ προσηλῶσαι. Hesychius: Προσήλωσαν· προσέπηξαν, ἔτρωσαν. Iudic. 4. 21. de Iaële: Ἐνέκρουσε τὸν πάσσαλον ἐν τῷ γνάθῳ αὐτοῦ, καὶ διήλασεν ἐν τῇ γῇ. Sic I. Reg. 18. 11. *cum pariete configere.* De Cadmo Ovidius: *Coniectum in guttura ferrum Usque sequens pressit, dum retro quercus eunti Obstitit, et fixa est pariter cum robore cervix. Rigorem libratum* vocat, qui inter terram, erectamque ac naturalem posituram, aequali quasi libramento iuvenis corpus suspendebat. Sic, *animam in confinio mortis ac vitae librato dolore suspendere*, Declam. 8. Quintilianus. et, *caput sub gladio libratum*, Tertullianus. Pro *transiectum*, Florent. et vetustiss. editt. *transvectum.* id est, (ut bene in Glossario vertitur) διακομιζόμενον.

Pag. 204. *Sicario illi*] Quintilianus 10. I. *Per abusionem sicarios etiam omnes vocamus, qui caedem telo quocunque commiserint.*

Ibid. *Lapide contorto*] Iuvenalis 15. *Saxa inclinatis per humum quaesita lacertis Incipiunt* ter-

torquere. Glossae: *Contorquet, immittit, iaculatur*, ἐμβάλλει. Latinus 1. Sam. 17. 49. *Lapidem circumducere* vocat.

Ibid. *Longo iactu petierat: sed impetu casso per extremos digitos transcurrens lapis*, etc.] Non aliena Virgilii ista: *Tum lapis ipse viri vacuum per inane volutus, Nec spatium evasit, totum nec pertulit ictum.* ubi Servius: *Evacuatus est impetus ipsius spatio longiore.* Oxon. *Longo ictu p.*

Ibid. *Impetu casso* etc.] *Excepere aurae.* Virgil.

Ibid. *Nonnullam tamen* etc.] Glossae: *Nonnullum*, τὸ τυχὸν.

Ibid. *Sagacissimo iuveni*] Ibidem: *Sagacissimus*: ἀγχίνους, φρονιμώτατος.

Ibid. *Sic crudelissimum iuvenem compellat*] Malo discriminandi causa scribi, *divitem compellat.* praecessit enim ante versiculum unum vox *iuvenis*, de fratre tertio.

Ibid *Fruere exitio* etc.] Lib. 1. ille: *Fruatur trophaeo suo Fortuna*, etc.

Ibid. *Et sanguine trium fratrum insatiabilem tuam crudelitatem pasce*] Niobe apud Ovidium Met. 6. *Pascere crudelis nostra Latona dolore: Pascere, ait: satiaque meo tua pectora luctu.* Apud Iustinum lib. 1. *Satia te sanguine quem sitisti, cuiusque insatiabilis semper fuisti.* In excerptis Euripidaeis: Πίμπρα, κάταιθε σάρκας, ἐμπλήσθη τί μου Πίνων κελαινὸν αἷμα. Iubelius Taurea Campanus ad Fulvium Flaccum: *Quoniam cupiditate tanta sanguinis nostri teneris, quid cessas in me cruentam securim distringere?*

Ibid. *Et de prostratis civibus tuis gloriose triumpha*] Ibidem: *Ut gloriari possis aliquanto virum fortiorem quam ipse es, tuo iussu interemptum.* Niobe ubi supra: *Corque ferum satia, victrixque inimica triumpha.*

Ibid. *Dum scias, licet privato suis possessionibus paupere, fines usque et usque proterminaveris, habiturum te tamen aliquem vicinum*] Cyprianus ad Donatum: *Continuantes saltubus saltus, et de confinio pauperibus exclusis, infinita, ac sine terminis rura latius porrigentes.* Zeno Veronensis Serm. de Avarit. *Iungunt saltubus saltus, fines oderunt: illicitum putant habere vicinum.* Basilius eiusdem tituli Concione: Εἰ ἐπιθυμεῖς τῆς τοῦ γείτονος οἰκίας, γείτων δέ σοι πάντως οὐ λείψει. Esaias 5. 8. *Vae qui coniungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis: num quid habitabitis vos soli in medio terrae?* Q. d. putatis nullos vicinos vos habituros. Seneca Epist. 89. *Quam vultis late possidete, sit fundus quod aliquando imperium vocabatur: facite vestrum quicquid potestis, dum plus sit alieni.* Antoninus 8. 27. de Pompeia et Augusto Caesare: Πόσα ἐσπάσθησαν οἱ πρόγονοι αὐτῶν ἵνα διάδοχόν τινα καταλίπωσιν! εἶτα ἀνάγκη ἔσχατόν τινα γενέσθαι. Vox *possessionibus* pauperibus minus congrua videtur. Festus Pompeius: *Possessiones appellantur agri late patentes*, etc. sic supra hic 8. *Possessionem maximam villicare.* Repono, etsi nullis libris auctoribus, *possessiunculis.* Salvianus lib. 5. *Exturbas possessiunculis suis vicinos tuos.*

Ibid. *Fines usque et usque proterminaveris*] Horatius: *Vocat usque suum qua populus adsita certis Limitibus vicina refugit iurgia.* Iuvenalis: *Ergo paratur Altera villa tibi, cum rus non sufficit unum: Et proferre libet fines*, etc. Bene (in de beneficiis) Seneca 7. 7. *Multi* etc. *fines aliis abstulerunt, sibi nemo constituit.*

Ibid. *Nam haec etiam dextra, quae tuum prorsus amputasset caput, iniquitate Fati contusa, decidit*] De Scaevola Valer. Maximus: *Pertaesus dextram suam, quod eius ministerio in caede Regis uti nequisset*, etc. Apud Euripidem ille in Herc. fur. Ὦ δεξιὰ χεὶρ ὡς ποθεῖς λαβεῖν δόρυ! Ἐν δ' ἀσθενείᾳ τὸν πότμον διώλεσας. Ἐπεί σ' ἔπαυσ' ἄν. *Alioqui compescuissem te.* quem locum non dubito respexisse Appuleium nostrum.

Ibid. *Iniquitate Fati*] Servius ad Aeneid. 2. *Fatis iniquis: voluntate Numinum.* videtur *iniqua voluntate Numinum* scribendum.

Ibid. *Sua miserrimum iuvenem manu perempturus invadit*] Livius lib. 32. *Iuratus se eum sua manu interempturum* etc. Frontinus 4. 39. de Scipione: *Pronunciavit manu se sua interfecturum, nisi* etc. Seneca de Alexandro: *Qui Clytum* etc. *inter epulas transfodit, et manu quidem sua.* Suetonius Caligula: *Spirantique adhuc* etc. *pulvinum iussit iniici, atque etiam fauces manu sua oppressit.* Adde quae pag. 177. ad Apologiam adnotata.

Ibid. *Invadit*] Glossae: *Invadit*, ἐφορμᾷ. Supra lib. 8. *Invadit ac supersistit sicarium.* et 7. *Invadimus, ac diripuimus omnia.*

Ibid. *Nec tamen sui molliorem provocaverat*] Non sunt in Lipsii MS. nec cod. Oxon. In vetere apud Suidam tamen Epigrammate: Ἐσθλὸς ἐὼν, ἄλλου κρείττονος ἀντέτυχεν.

Ibid. *Insperato*] Hesychius: Ἐξ ἀελπτέης· (forte ἐξ ἀέλπτου) ἐξ ἀνελπίστου.

Ibid. *Arripuit eius dextram*] Supra lib. 3. *Arrepta manu Fotidis.* Gloss. *Arripit*, etc. χειρὸς ἐπιλαμβάνεται.

Ibid. *Ferro vibrato*] Lege cum Fuxensi et aliis, *librato.* sic *telum librare*, Virgilius.

Ibid. *Multis et crebris ictibus impuram elidit divitis animam*] *Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.* Infra hic, de patre ipso istius iuvenis: *Iugulum sibi multis ictibus contrucidat.* Apud Quintilianum declam. 345. *Nefarium corpus repetitis ictibus trucidavi.* Sueton. Calig. *Nec*

Nec temere in quenquam, nisi crebris et minutis ictibus animadverti passus est. Idem de Vitellio: *Apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus.* Lactant. 6. 20. *Percussos iacentesque, repeti iubent, et cadavera ictibus dissipari.* Ammianus lib. 15. *Densis gladiorum ictibus trucidant.*

Ibid. *Impuram elidit divitis animam*] Lucilius: *Fauces invasse, animamque Elisisse illi.* Infra hic lib. 10. *Sic elisus* etc. *spectatissimus medicus.* Commode autem adeo improbi divitis animam *impuram* dixit. Seneca Epist. 81. *Quid ergo? utrum illum pecunia purum effecit, an ipse pecuniam conspurcavit? quae sic in quosdam homines quomodo denarius in cloacam cadit.*

Ibid. *Gulam sibi prorsus execuit*] Non video quid hic faciat illud *prorsus.* Fortasse pro *prorsus execuit*, *praesecuit* legendum. Supra lib. 1. *Impetu teli praesecata gula.* Scholiastes Iuvenalis de Seneca: *Sibi venas praesecans.* Et in vetere Epigrammate: *Praesecuit tenerum lubrica texta caput.* Scribendum videtur *lubrica testa.* i. e. glacies, in qua puer ludebat. Bene etiam (quod in idem cadit) *prosecuit* legas. Tertullianus Apologetico: *Et alia vis pronuncietur in eo qui genitalia vel lacertos, alia qui gulam sibi prosecat.* Glossae: Ἀπότμησις, *prosectio.* Ἀποτομή, *abscissio*, *prosecatio.* Sic supra hic 8. *Prosectum dentium.* et ibidem, *prosectum gladiorum* dixit. Servius ad Aeneid. 8. *Quae non prosecantur.*

Ibid. *Nec ullum verbum*, etc.] Apud Petronium ille: *Frigidior hieme Gallica factus, nullum potui verbum emittere.* Alius Declam. 2. apud Quintilianum: *Auferunt nobis vocem quae fieri non posse credimus: et silentium est admiratio subita miserorum.* Philo de Iacobo: Συγχυθεὶς ὑπὸ τῆς περιπαθήσεως, ἀχανὴς ἐπὶ πλεῖστον χρόνον ἔκειτο, μηδ᾽ ὅσον τὴν κεφαλὴν ἐπάραι δυνάμενος, θλιβούσης καὶ ἐκτραχηλιζούσης τῆς συμφορᾶς,

Ibid. *Ac ne tacitum quidem fletum tot malis circumventus senex quivit emittere*] Nimirum: *Obstupuit varia confusus imagine rerum.* Ovid. *Fine carent lacrymae, nisi cum stupor obstitit illis.* Idem: *Et pariter vocem lacrymasque introrsus obortas Devorat ipse dolor.* Vide [hui. Ed. p. 263, b.] dicta.

Ibid. *Ferro, quo commodum inter epulones suos* etc.] In fragmentis Varronianis: *Cultro se coquinario traiecit.* Onomasticon vetus: *Epulones*, δαιτυμόνες.

Pag. 205. *Iugulum sibi multis ictibus contrucidat*] Lib. 8. *Multimodis sese commulcat ictibus.* Ovidius de Amphione, ut hic noster, liberis orbato: *Ferro per pectus adacto, Finivit pariter moriens cum luce dolorem.*

Ibid. *Quoad super mensam cernuus corruens, portentosi cruoris maculas novi sanguinis fluvio proluit*] Apud Curtium lib. 8. *Alius mensam suam sanguine suo aspersit.* Apud Senecam Agamemnone: *Sanguinem extremae dapes Domini videbunt, et cruor Baccho incidet.* Illud *cernuus* (quod et nos rectum putamus) Scaligeri coniectura est: fortasse ex Florentino, in quo scriptum *cernulus.* eo pertinet Lucretii istud: *Namque omnes plerique cadunt in vulnus*, etc. Oxon. et vett. editt. *tremulus corruens*, quod non male ex Iuvenalis loco firmavit Beroaldus. In MS. Lipsii *coeruleus:* quod utinam inepte approbare satis Colvius habuisset, at, dum illud, et id genus plura, ex libro eo in contextum recepit, egisse quid aliud videri potest, quam ut iuvenilem temeritatem proderet, et alianias ab Auctoris instituto ac mente alienissimas obtruderet. Glossae: Τερατώδης, *monstruosus*, *portentuosus.*

Ibid. *Puncto brevissimo*] Lib. 10. *Momento modico, imo puncto exiguo.*

Ibid. *Dilapsae domus fortunam*] Malebam *collapsae:* non quod id minus Latinum, sed quod hoc Appuleianum magis. Supra lib. 5. *Tam beatam fortunam collapsam indigne.* Infra 11. *Tu fortunam collapsam adfirma.*

Ibid. *Suosque casus graviter ingemiscens*] Quinam sunt isti *casus sui* quos hortulanus ingemiscit? spesne deceptas illas quas de vino, oleo, frumento conceperat? quanto melius suspicari mecum esse locum depravatum, proque futili lectione *suos*, scribendum *scaevos?* nimirum scaevos collapsae domus casus: vel, infaelicis patrisfamilias illius. Tale Virgilianum illud, *Multa gemens, casuque animum concussus amici.* et illud supra hic lib. 4. *Sic affectae domus triste fatum cuncta civitas congemebat.* Scribendum *scaevos* autem, patebit ex sequentibus locis. Lib. 11. *Tu scaevis exantlatis casibus pausam pacemque tribue.* et 4. *His omnibus* etc. *rite dispositis occurrit scaevus eventus.* Item 3. *Quod tuum factum scaevitas consecuta est.* id est, *quis scaevus casus, vel eventus.*

Ibid. *Vacuasque manus complodens*] Frumento, et reliquis quae superaverat, vacuis. *Complodere manus* dolentium est, aspectuque vel auditione rei gravioris commotorum. Heliodorus: Βαρύ τι ἀνοιμώξας, etc. καὶ τὼ χεῖρε διατρίψας. In Phaedone Platonis: Στεναγμοῖς καὶ δακρύοις, καὶ τῶν χειρῶν κροτήσει. Synesius in Epistolis: Ἐπὶ πᾶσιν, ὦ τοῦ δαίμονος! εἰπὼν ἕκαστος, καὶ τὼ χεῖρε πατάξας, ἀπηλλάττετο.

Ibid. *Nec innoxius ei saltem regressus evenit*] Lib. 7. *Nec tamen levi periculo tentati discessimus.* *Innoxius* ancipitis significationis est: ut *formidolosus*, *suspiciosus*, *infestus*, et id genus plura: de quibus 9. 12. A. Gellius videndus.

Ibid.

Ibid. *Ut indicabat habitus et habitudo*] Vide supra pag. [hui. Ed. 160, b.] adnotata.

Ibid. *Miles e legione factus nobis obvius* etc. *percontatur quorsum vacuum duceret asinum*] Servius ad Eclog. 9. Virgilii: *Hoc dicit, augurio se esse admonitum, ut abstineret ab occursu ligitiosi militis.* Miles e legione. i. e. legionarius m. ita capio Glossarii illa, Ταγματικὸς, *legionarius.* at ibidem pro Τάγμα, τὸ στρατιωτικὸν σημεῖον, *vexillum.* videtur mihi legendum, Τάγματος στρατιωτικὸν σημεῖον, etc.

Ibid. *Moerore permixtus*] Supra hîc: *Permixtus lacrymis uberibus.* ubi dicta [hui. Ed. p. 350, b.] vide.

Ibid. *Latini sermonis ignarus*] Oxon. *Latino sermone i.* cuius locutionis exempla desidero.

Ibid. *Tacitus praeteribat*] Lib. 6. *Sed tu, nulla voce deprompta, tacita praeterito.*

Ibid. *Nec miles ille familiarem cohibere quivit insolentiam*] Terent. 1. 2. Hecyrae: *Cum milite inhumanissimo.* ubi Donatus: *Omnis miles inhumanus.*

Ibid. *Indignatus silentio eius, ut convicio: vite quam tenebat, obtundens eum* etc.] Apud Iuvenalem Sat. 3. *Nil mihi respondes? aut dic, aut accipe calcem. Dicere si tentes aliquid, tacitusve recedas, Tantundem est, feriunt pariter.* Petronius: *Arundinem rapuit ab ostio, iterumque nihil respondentem mulcavit.* Tacitus Annal. 6. *Silentium ipsius non civile, ut crediderat, sed in superbiam accipiebatur.*

Ibid. *Vite quam tenebat, obtundens eum*] Lib. 7. *Baculo, quem gerebat, obverberans*, etc. Compositum *obtundens* pro simplici, ut saepissime in his libris.

Ibid. *Respondit, sermonis ignorantia, se quid ille diceret, scire non posse*] Id est, *nescire.* ad quem modum loquendi advertendum. Lucretius lib. 4. *Nunc aliis alius cur sit cibus, ut videamus Expediam: quare ut aliis quod triste et amarum est, Hoc tamen esse aliis possit praedulce videri.* id est, *praedulce videtur.* Apud Cassiodorum Rex ille: *Alteri subdi non possumus, quia Iudices non habemus.* Cyprianus 61. Epist. *Non potest videri cessasse, qui vicarios substituit.* Sarisberiensis 3. 13. Polycratici: *Effoeminati vitio et corruptela morum, cum tamen Naturae beneficio feminae esse non possunt.* Lactantius 2. 9. *Quomodo Deus* etc. *ignem et aquam vel accenderit, vel eliquaverit, solus scire potest qui fecit.* De eodem Minucius Foelix: *Qui cum possit praescire materiam, pro meritis et qualitatibus singulorum etiam fata determinat.* Nec de alio ad 2. Cor. 16. Sedulius loquens: *Qui potest in vos vindicare, nisi poenitentiam agatis.* Servius ad Aeneid. 2. *His rebus terret eum qui non potest mortem timere.* i. e. *non timet mortem.* Sic quod Ioannis 20. 2. Οὐκ οἴδαμεν ποῦ ἔθηκαν αὐτὸν· illius paraphrastes Nonnus sic extulit: Ἡμέας δ' οὐ σθένος ἐστὶ νοῆσαι ὅπη μιν ἔθηκαν. Augustinus Confess. 6. 14. *Id otium sic moliti, ut si quid habere possemus, conferremus in medium.* Et post: *Cum videremus nobis esse posse decem ferme homines in eadem societate*, etc. Quibus adde quae supra pag. [hui. Ed. 192.] haud maligne adnotata.

Ibid. *Ubi ducis?* etc.] Id est, *quo ducis?* sic ποῦ pro ποῖ, Hebr. 11. 8. et ὅπου non *ubi* tantum, sed et *quo* in Glossario vertitur.

Ibid. *Sed mihi (inquit) operae eius opus est, nam de proximo castello* etc.] Militaris διασεισμοῦ species. vide Luc. 3. 13. Sic, τὸ ἑτέρου ὑποζύγιον εἰς ἑαυτοῦ χρείαν ἀποσπᾶν, Antiquit. 6. 6. apud Iosephum. Et nescio quid simile apud Synesium 6. Epist.

Ibid. *Et iniecta statim manu, loro me quo ducebar arreptum, incipit trahere*] Supra lib. 6. *Et verbum manu iniecta secutus, prenso loro retrorsum me circumtorquet.* Oxon. et Palat. *Loro quo me ducebat, arreptum*, etc.

Ibid. *Precatur civilius* etc. *versari commilitonem*] Servius ad Aen. 12. *Animo, aut corpore, aut precibus et voce possumus quicquid possumus.*

Ibid. *Nam et hic ipse* etc.] Scribe, *hic iste.* sic supra 2. *Hic iste Chaldaeus.* Virgilius: *Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit Teucrorum.*

Ibid. *Iners asellus*] Lib. 7. *Non modo asinos inertes, sed et equos ferocissimos.*

Ibid. *Morbo detestabili caducus*] Ait asinum istum subinde vel titubare, vel in terram cadere: alludens morbum epilepsiae, quo homines caduci fiunt. Supra hîc de eodem: *Crebris offensaculis et assiduis lapsibus contusis cruribus meis*, etc. Quae Barthius Advers. 7. 19. et Beroaldus attulerunt, haud ad mentem Appuleii putem.

Pag. 206. *Vix etiam paucos olerum manipulos solet anhelitu languido fatigatus subvehere, nedum ut rebus amplioribus idoneus videatur gerulus*] In Plautina Amphitr. *Vix incedo inanis, ne ire posse cum onere existimes.* Tacitus Imperator iam senior apud Vopiscum Senatum alloquens: *En membra quae iaculari valeant, quae hastile torquere, quae clypeis intonare*, etc. *vix munia Senatus implemus, vix sententias ad quas nos locus arctat, edicimus.* Calvisius Sabinus (homo aeger, gracilis,) ad Quadratum se ut luctaretur hortantem: *Et quomodo possum? vix vivo.* apud Senecam Epist. 27.

Ibid. *Olerum manipulos*] Glossae: Δεσμὴ λαχάνων, *fascis olerarìs.*

Ibid. *Sed ubi nullis precibus mitigari militem*, etc.] Claudianus: *Postquam precibus mitescere nullis, Non auro cessisse videt*, etc. Terent.

rent. Phorm. 3. 2. *Adeón' ingenio te esse duro atque inexorabili, Ut neque misericordia neque precibus molliri queas?* Virgilius 4. *Sed nullis ille movetur Fletibus, aut ullas voces tractabilis audit.*

Ibid. *Ubi nullis precibus* etc.] Sallustius apud Nonnium: *At Oppius, postquam orans nihil proficiebat*, etc.

Ibid. *De vastiore nodulo, cerebrum suum diffindere*] Iuvenalis: *Nodosam posthaec frangebat vertice vitem.* vide supra pag. [hui. Ed. 273, a.] dicta. Male in quibusdam coniunctim, *devastiore*: τὸ *de* abundat, ut saepe in his libris.

Ibid. *Currit ad extrema subsidia, simulansque* etc.] Virgil. *Ubi se nullo iam cursu evadere pugna Posse, neque instantem reginam avertere cernit: Consilio versare dolos ingressus, et astu, Incipit haec*, etc.

Ibid. *Simulansque ad commovendam miserationem genua eius velle contingere*, etc.] Ex more vitae periclitantium. Homerus Iliad. Φ. Ὁ δὲ οἱ σχεδὸν ἦλθε τεθηπὼς, Γούνων ἅψασθαι μεμαὼς· περὶ δ' ἤθελε θυμῷ Ἐκφεύγειν θάνατόν τε κακὸν, καὶ κῆρα μέλαιναν. De genubus ad commovendam misericordiam tactis, ad Matth. 17. 14. adnotavimus. Oxon. et Lipsii MS. *velle tangere*, minus bene. Supra lib. 2. *Cuius manus et ipsa genua contingens.* Lectionem vulgarem *simulansque*, Beroaldus excogitavit. at in Oxon. caeterisque omnibus MSS. vetustisque editionibus, legitur, *simulans quaerere*, etc. quod etsi minus satisfaciat mihi, sequentibus praesertim aliis infinitivis, male intelligere malo quam peius immutare. *Multa* (inquit Quintilianus lib. 2. cap. ult.) *in veteribus libris reperta, mutare imperiti solent, et dum librariorum inscitiam insectari volunt, suam confitentur.* Quae meditans, manum saepius cohibeo, aliosque has literas tractantes, idem faciant admoneo.

Ibid. *Submissus atque incurvatus, arreptis eius pedibus utrisque, sublimem elatum terrae graviter applodit*] *Consumptis precibus violentam transit in iram.* Iustinus 14. *Cum non obtineret, preces in iram vertit.* Notanda illa, *submissus et incurvatus.* Sirachides 19. 24. *Est qui se nimium submittit a multa humilitate, et* etc. *si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet.* Huic similem, anilem astutiam supra lib. 4. vide. Tacitus Annal. 12. *Decidisse simulans, genua Mithridatis invadit, ipsumque prosternit.* et Annal. 15. *Lateranus, quasi subsidium rei familiaris oraret, deprecabundus, et genubus Principis accidens, incautum prosterneret, premeretque. Applodere terrae* hîc, ut 6. *Incussis in eam* etc. *calcibus, protinus terrae applodo.* Glossae: Προσκρούω, *offendo, applodo.* Virgilius *terrae applicare* dixit. *Impressoque genu nitens, terrae applicat ipsum.* In Adelphis Terentii: *Sublimen medium primum arriperem, et capite in terram statuerem, Ut cerebro dispergat viam.*

Ibid. *Sublimen elatum*] Hieronymus in Hilarionis vita: *Amplexus eum post tergum, in sublime levavit.*

Ibid. *Terrae graviter applodit: et statim qua pugnis, qua cubitis, qua morsibus*, etc. *totam faciem manusque eius, et latera converberat*] In Excerptis Diodori Siculi, de Pleminio: Οἱ χιλίαρχοι τοῦτον δόντες ἐπὶ γῆν, τὰ ὦτα περιέτρωγον αὐτοῦ, καὶ τὴν ῥῖνα· πρὸς δὲ τούτοις, καὶ τὰ χείλη διέσχεσαν. Sic, *prostratos verberibus mulcare*, apud Tacitum Ann. 1. Oxon. *Tum faciem eius, manus eius, et l. c.*

Ibid. *Qua cubitis*] Hesychius: Κυβιτίζω· τοῖς ἀγκῶσι πλήττω. vide supra pag. [hui. Ed. 188, a.] notata.

Ibid. *Sese concisurum eum machaera sua frustatim*] Ita Noster, ἠθικωτέρως Luciano, qui simpliciter, ἀποκτείνειν. Eunapius in Aedesio: Κρεουργηδὸν, ὥσπερ τι τῶν ἐν ταῖς ἐνωχίαις ζῶον, κατακόψαντες. Apud Philonem lib. ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἐλεύθ. Μαγείρων τρόπον κατὰ μέλη καὶ μέλη κρεουργεῖν. emenda, κατὰ μέρη καὶ μέλη κρεουργεῖν. Hesych. Μεληδὸν, ἐπίῤῥημα· εἰς μικρὰ μέρη καὶ μέλη κοπτόμενον. Sic Iudic. 19. 29. at de cadavere: *In partes ac frusta concidere.* In Menechmo Plautina: *Dedolabo assulatim viscera.*

Ibid. *Prostratus*] Glossae: *Prostratus*, κατεστρωμένος.

Ibid. *Ac praeventus vulneribus*] Expositorum unus, *cruentus vulneribus.* duo alii, *pene moriens vulneribus.* Pontanus Analect. 2. 15. *Praemoriens vuln.* Priores licentiose satis, iste tertius illepide. Qui Appuleium sincerum vult, receptam lectionem tueatur. *Praeventum*, *occupatum* vocat, vel *impeditum.* Infra lib. 10. *Insita matribus pietate praeventa, descivit ab obsequio mariti.* et eodem libro: *Si vere peremptus, si vere morte praeventus est*, etc. Firmicus Mathes. 8. 26. *Multarum mulierum amore praeventos.* Tam parum noti Appuleio qui apud ipsum tamdiu diversati: id est, qui manibus eum triverunt, Notisque illustrarunt.

Ibid. *Quod solum restabat, simulat se mortuum*] Lactantius 6. 20. *Quin etiam percussos iacentesque repeti iubent, et cadavera ictibus dissipari, ne quis illos simulata morte deludat.* Consule quae benigne ad Act. 14. 20. adnotavimus.

Ibid. *Deprecatur periclitanti sibi ferret auxilium, seque cum suo sibi asino tantisper occultaret*] Apud Plautum Rudente: *Nunc tibi amplectimur genua, egentes opum*, etc. *Ut tuo recipias tecto, servesque nos.* Supra hîc lib. 6. *Miserandae Psyches animae* etc. *subsiste: inter*

istam spicarum congeriem patere vel pauculos dies delitescam.

Ibid. *Nec oblitus ille* etc.] De hac loquendi formula vide supra pag. [hui. Ed. 225, a.] notata.

Ibid. *Meque per scalas* etc. *in superius coenaculum attracto, hortulanus deorsus in ipsa tabernula direpit in quandam cistulam*] *Superius coenaculum*, est ὑπερῷον, ἀνώγειον. Iupiter apud Plautum: *In superiore qui habito coenaculo.* Vide ad Act. 1. 13. notata. Gentilis in Commentario ad Apologiam pag. 290. *detorsus* heic, pro *deorsus* scribit: quod nempe in cistas et talia correpentes, comprimere se soleant, et contorquere. adducitque in eam mentem Horatium, at loco importuno. Nil ego mutandum contendo. *Deorsus derepere*, ut 8. *Deorsus delabi:* taberna etiam, (quae deorsus posita) coenaculo superiori disertim manifestéque opponitur. quod cum satis cuivis candido, non cavillatori, posse facere videatur, apponam tamen et Donati in Adelph. 3. 3. locum, quo minor sit dubitandi occasio: *Veteres* (inquit) *ganeum meritoriam tabernam dixerunt*, ἀπὸ τῆς γᾶς, τουτέστι, τῆς γῆς· *quod ipsa sit in terrâ*, (Appuleius *deorsus* dixisset,) *non, ut coenacula, superius.* Pro *direpit* scribendum *derepit.* vide supra pag. [hui. Ed. 216, a.] dicta. Plinius 8. 36. de Ursis: *In arbores aversi derepunt.*

Pag. 207. *Et supergesto delitescit orificio*] Lectionem istam MSS. nullis iubentibus, non equidem immutabo. Proponere tamen liceat an *superiecto* legendum. Ammianus lib. 25. *Obrutus est saxorum multitudine superiecta.* Onomasticon vetus: *Superiacio*, ἐπιβάλλω. *Orificium cistae* hîc, ut 10. *Orificium urnae.* In eodem vet. Onomastico: *Orificium*, στόμα.

Ibid. *Velut emersus gravi crapula, nutabundus*, etc.] Titubans et vacillans, ut solent crapula laborantes. Glossarium: *Vacillantes*, κραιπαλῶντες.

Ibid. *Nutabundus*] Salvianus lib. 6. *Ad gressum nutabundi.* Supra hîc lib. 6. *Nutanti capite claudicare.*

Ibid. *Confususque de impotentia deque inertia sua quidquam ad quenquam referre* etc.] Supra hîc: *Non uxori, non ulli familiarium cordolio patefacto.* Longus de Methymnaeis iuvenibus, ut miles iste, strenue plagis multatis: Ἐκκλησίαν συνήγαγον τῶν πολιτῶν, καὶ ἱκετηρίας θέντες, ἱκέτευον τιμωρίας ἀξιωθῆναι· τῶν μὲν ἀληθῶν λέγοντες οὐδὲ ἕν, μὴ καὶ προσκαταγέλαστοι γένοιντο, τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα ὑπὸ ποιμένων παθόντες. Ubi et consonam fere disparitatem videmus discrimini, quod hoc loco inter hortulanum et militem.

Ibid. *Sed tacitus iniuriam devorans*] *Multa gemens ignominiam, plagasque superbi Victoris.* Seneca 4. 37. de benef. *Iniuriam tacitus tulit.*

Ibid. *Istas tunc clades enarrat suas*] Melior vett. editt. et MSS. lectio: *Istam t. cladem e. suam.* Lib. 4. *Miseri parentes tanta clade defessi*, etc. Lib. 8. *Nequiens idoneum exitium tantae cladi reddere.* et 10. *Magnam domus cladem* etc.

Ibid. *Contubernio*] Glossae: *Contubernium*, συνοικέσιον, συσκήνιον, σύσσιτον στρατιωτῶν.

Ibid. *Militaris sacramenti*] Ibidem: *Sacramentum*, ὅρκος στρατιωτικός.

Ibid *Ob amissam spatham*] Vide Lipsium de *Milit. Rom.* lib. 5.

Ibid. *Signis nostris enotatis, investigationi* etc. *darent operam*] Apposite Clemens Alexandrinus Stromat. 6. Ἔστιν ἡ μὲν ζήτησις, ὁρμὴ ἐπὶ τοῦ καταλαβεῖν, διά τινων σημείων ἀνευρίσκουσα τὸ ὑποκείμενον. Heic *signa* malim restrictius *vestigia* significare, quo spectant Hesychii illa: Ἰχνηλατῆσαι· ἐκ τῶν ἰχνῶν ζητῆσαι τινά. vide l. 3. ff. *de fugit.* Ut ex vestigiis feras hominesque, ita ex signis res ac veritatem deprehendimus. Hinc fit, ut *signa* pro *vestigiis*, et e converso *vestigia* pro *signis* ponantur. Quintilianus 5. 9. *Signum vocant* σημεῖον, *quanquam id quidam* indicium, *quidam* vestigium *nominaverunt.* Et vide heic totum militum contubernium, unius, etsi debitas plagas, ulcisci aggressum. Apud Iuvenalem, sive de commodis militiae Scriptorem, post Pagani illa: *Nec mihi deerit Ultio, si iustae defertur causa querelae.* sequitur, *Tota cohors tamen est inimica, omnesque manipli Consensu magno efficient curabilis ut sit Vindicta, et gravior quam iniuria: dignum erit ergo Declamatoris Mutinensis corde Vagelli, Cum duo crura habens offendere tot caligatos? Millia clavorum?* Ubi ad oram libri sui qui penes me, (ex ingenio, an ex MS.?) vir eximius Iosias Mercerus: *tot caligas? tot Millia clavorum?* quae lectio quantum praestet vulgatae quid opus demonstrare?

Ibid. *Nec defuit vicinus perfidus*] Hesiodus: Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ. Iulianus Epist. 20. Γείτονα μὲν ἔνεστιν ἐχθρὸν ἔχειν. supra lib. 1. *Cauponem vicinum, et ob id aemulum*, etc.

Ibid. *Tum commilitones, accersitis Magistratibus*, etc.] En aliam διασεισμοῦ speciem, ipsorum magistratuum aditionem, ut publica auctoritate freti commodius grassarentur. Hanc, inter alias, speciem respicit l. 6. §. *de offic. Praesid.* Τὸν ἄρχοντα ἐπ' οἰκίαν οὗ τις ἀποκρύπτεται ἐπάγειν, habemus 8. 6. apud Iul. Pollucem.

Ibid. *Vasculum argenteum*] Iuvenalis: *Argenti vascula puri.*

Ibid. *Tunc Magistratus, et damno Praesidis nomine cognito*, etc.] Lectio nihili, quae tamen li-

libros omnes impune pervagatur. Scribe, *et damno, et Praesidis nomine cognito.*

Ibid. *Veniunt ad diversorii nostri fores, claraque voce denunciant hospiti nostro, nos quos occultaret apud se*, etc. *dedere*] Similia, at in re dissimili, Iudic. 19. 22. Περικύκλωσαν τὴν οἰκίαν, etc. καὶ εἶπον πρὸς τὸν ἄνδρα τὸν κύριον τῆς οἰκίας, ἐξάγαγε τὸν ἄνδρα τὸν εἰσελθόντα εἰς τὴν οἰκίαν σου, etc. *Dedere* (sic ubique enim, non *dederet* scriptum) ex usu Graeco est.

Ibid. *Salutique studens eius quem in suam receperat fidem*] Id est, *in suam opem et auxilium.* ita ad Andr. 4. 3. Donato exponente. Cornelius Nepos de Eumene: *Amicum* (Perdiccam) *non deseruit, neque salutis quam fidei cupidior fuit.* Et proprie hoc loco *receperat.* Ulpianus l. 1. §. 2. de serv. corrupt. *Recipere, est refugium abscondendi causa alicui praestare, vel in agro suo, vel in alio loco, aedificiove.*

Ibid. *Nec vidisse quidem illum hortulanum contendit*] Plautus apud Aristophanem: Ἢν μὲν γὰρ εἰς Φειδωλὸν εἰσελθὼν τύχω, Εὐθὺς κατώρυξέ με κατὰ τῆς γῆς κάτω. Κἂν τὶς προσέλθῃ χρηστὸς ἄνθρωπος φίλος, Αἰτῶν λαβεῖν τι μικρὸν ἀργυρίδιον, Ἐξαρνός ἐστι μή μ' ἰδεῖν πώποτε. Supra heic lib. 7. *Infit deierans, nullum semet vidisse rectorem*, etc.

Ibid. *Contra, commilitones, ibi nec uspiam illum delitescere*, etc. *contendebant*] Apud Plautum ille in Milite glorioso: *Me homo nemo deterruerit, quin ea sit in his aedibus.*

Pag. 208. *Scrutinio detegere*] In l. 3. ff. de fugit. *Scrutari cubilia et vestigia occultantium.*

Ibid. *Tunc gliscit violentior* etc.] Silius Italicus: *Gliscit Eliseo violentior ira tyranno.* Glossae: Αὐξάνεται, *augescit, gliscit, crescit.*

Ibid. *Pro comperto* etc. *asseverantium*] *Pro comperto asseverare*, est quod 1. Timoth. 1. 7. et Tit. 3. 8. διαβεβαιοῦσθαι.

Ibid. *Quidnam sibi vellet tumultus ille*] Et hoc ex Graeco usu. Act. 2. 12. Τί ἂν θέλοι τοῦτο εἶναι; vide et Act. 17. 20. *Quid iste fert tumultus?* apud Horatium legas.

Ibid. *Per quandam fenestrulam* etc. *prospicere gestio*] Lucianus: Διακύπτω etc. διὰ τῆς θυρίδος. sic Proverb. 7. 6. in Graeco, ἀπὸ θυρίδος παρακύπτειν.

Ibid. *Collimatis oculis*] *Collineatis* excusum volui. In vetere Onomastico: *Collineo*, κατα. στοχῶ. vide Schoppii Notas.

Ibid. *Magnus continuo clamor exortus est*] Lib. 10. *Clamor exurgit consona voce cunctorum.*

Ibid. *Iniecta manu, me velut captivum detrahunt*] Vide supra [hui. Ed. p. 194, a.] notata.

Ibid. *Oblatum magistratibus*] In Cypriani passione, ex caenobii S. Victoris MS. *Cyprianum Galerius Maximus Proconsul, alia die* etc. *offerri sibi praecipit.* Vide supra [hui. Ed. p. 206, b.] dicta.

Ibid. *In publicum deducunt carcerem*] Sic et infra 10. loquitur. supra 7. *publicam custodelam* dixit. vide ad Act. 15. 18. adnotata.

LIBER DECIMUS.

Pag. 209. *Propter eximiam impotentiam eximie vapulaverat*] Servius ad Aeneid. 1. *Sunt quaedam quae pro locis intelliguntur, ut impotens: quod et satis, et minus, et nihil potens significat.* Glossarium: *Impotens*, etc. ὠμός. Beroaldus nodum hic in scirpo quaesivit.

Ibid. *Longius relucens*] Suidas: Τηλαυγές· λίαν λαμπρὸν, πόῤῥωθεν φαῖνον.

Ibid. *Sarcinis propriis onustum*] Apposite in Glossario: Σκευὴ στρατιωτικά, *sarcinae.* Seneca cap. 12. Consol. ad Helviam: *Militantes quotam partem rerum suarum secum habent! cum omnem apparatum castrensis disciplina submoveat.* At hic extra expeditionem agebat.

Ibid. *Quam scilicet* etc.] Melius Oxon. *Quae s.*

Ibid. *Propter torrendos* etc.] Sic etiam Oxon. MS. cogitabam *ad proterrendos.* Lib. 4. *Nam et ursae facies* etc. *ad proterrendos, si qui de familia forte vigilassent, videbatur opportuna.* Virgilius: *Adverso proterret equo.* supra hic lib. 8. *Facibus feras proterrebant.*

Ibid. *Miseros viatores*] Lib. 8. *Miseros homines, et laboriosos viatores.*

Ibid. *Confecta campestri*, etc. *via, ad quandam civitatulam pervenimus*] Lib. 8. *Campestres emensi vias, civitatem quandam populosam, et nobilem* etc. *pervenimus.*

Ibid. *Cuiusdam decurionis*] Gloss. Δεκάρχης, *decurio.*

Ibid. *Ad praepositum suum qui mille armatorum ducatum sustinebat*] Firmicus 3. 5. *Faciet nihilominus armatos, praepositos, tribunos, vel minoris loci duces*, etc. Glossae: *Ducatus*, ἡγεμονία. In loco Firmici legendum videtur *armatorum praepositos.* Onomast. vetus: *Armati*, ἔνοπλοι. De *mille armatorum ducatus* vide l. 1. ff. *de testam. milit.*

Pag. 210. *Ad librum profero*] Infra heic: *Quae comperi, ad istas literas proferam.*

Ibid. *Iuvenem filium probe literatum, atque ob id consequenter pietate ac modestia praecipuum*] In Tabula Cebetis: Γράμματα καὶ μαθήματα, ἃ καὶ Πλάτων φησὶ ὡσανεὶ χαλινοῦ τινος δύναμιν ἔχειν τοῖς νέοις. Philo in περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδ. συνοδ. Ὥσπερ ἐν οἰκίαις αὔλειοι πρόκεινται κλισιάδων, ἐν δὲ πόλεσι τὰ

προάστεια, δι' ὧν εἴσω βαδίζειν ἔνεστιν· οὕτως καὶ τῆς ἀρετῆς πρόκεινται ἐγκύκλια, ταῦτα γὰρ ὁδός ἐστιν ἐπ' ἐκείνην φέρουσα. Scholiastes ad Equit. Aristoph. Ἡ παιδεία τοὺς ἀτόπους λογισμοὺς ἐκτρέπει. et post: Ὡς τῆς παιδείας ἱκανῶς καθιστώσης, ἀποδιῶξαι καὶ ἀπελάσαι τοὺς πονηροὺς λογισμούς. In versu Graeco: Ἅπαντας ἡ παίδευσις ἡμέρους ποιεῖ. Demosthenes in Amatorio: Ὅλως μὲν ἅπασα φύσις βελτίων γίγνεται παιδείαν προσλαβοῦσα. Ammianus Marcellinus lib. 29. *O praeclara informatio doctrinarum*, etc. *quae vel vitiosas naturas saepe excoluisti.* Cominaeus lib. 10. *Multos novi quos a pravis et illaudatis consiliis eruditio sola retraxit.* Ab his non multum discedit quod de Theramene 3. 2. Valer. Maximus: *A literis ac doctrina virilitatem traxit.* ita enim legendum putem, non, *ad doctrinam*, ut in excusis. τὸ *consequenter* post *ob id* fortasse abundare videatur. Q. Curtius lib. 4. *Non recto itinere, sed maiore, et ob id tutiore, circuitu.* Ibidem: *Avidum certaminis, atque ob id incautius in se ruentem.* Appuleius ipse lib. 1. *Cauponem vicinum, atque ob id aemulum.* et post, *Civitatem* etc. *in summo montis exasperati vertice sitam, et ob id aquis sterilem.* lib. 8. *Diurnis potationibus exercitatus, atque ob id factionibus latronum male sociatus.* et 9. *Imbre nimio madefactus, atque ob id ab itinere directo cohibitus.* At merito locum heic implet, nimirum διακριτικῶς positum. Exculti studiis *consequenter* boni sunt, non autem *necessario*. Apud Cebetem ubi supra: Πότερον δὲ ἀνάγκη ταῦτα (μαθήματα) λαβεῖν, εἰ μέλλοι τις ἥξειν πρὸς τὴν ἀληθινὴν παιδείαν, ἢ οὔ; Ἀνάγκη μὲν οὐδεμία, ἔφη, χρήσιμα μέντοι ἐστι. Multi enim nullis literis adiuti, vivendi normam optimam sequuntur. alii eruditionis nomine conspicui, haud unquam ad meliorem frugem evadunt. at haec est virtus literarum, ut bonas indoles citius ad perfectionem ducant: certe pessimas, saltem ad aliquid, refraenent ac cohibeant.

Ibid. *Pietate ac modestia praecipuum*] Oxon. *Pietate modesta praecipuum.* quo accedit et Lipsianus MS.

Ibid. *Quem tibi quoque provenisse cuperes, vel talem*] De liberis et parentibus Plautus in Mostellaria: *Expoliunt, docent literas, iura et leges, Sumptu suo et labore nituntur, ut Alii sibi esse illorum similes expetant.* C. Marius apud Sallustium: *Si iam ex patribus Albini et Bestiae quaeri posset, mene an illos ex se gigni maluerint: quid responsuros creditis, nisi se liberos quam optimos voluisse?* Hadrianus inter laudes Commodi apud Dionem Cassium: Οἷον οὐδ' ἂν εὔξασθαι παῖδα ἐδυνήθην. Imp. Claudius apud Suetonium de L. Othone: *Vir, quo meliores liberos habere ne opto quidem.* Contra apud Plutarchum in Cimone: Τοιοῦτος εἶναι ἀπεύξαιτ' ἄν τις μὴ γενέσθαι ἑαυτῷ παιδίον. Idem in περὶ δεισιδαιμ. Τοῦ Τιμοθέου τὴν Ἄρτεμιν ᾄδοντος ἐν Ἀθήναις, καὶ λέγοντος, θυάδα, φοιβάδα, μαινάδα, λυσσάδα· Κινησίας ὁ μελοποιὸς ἐκ τῶν θεατῶν ἀναστὰς, τοιαύτη (ἔφη) θυγάτηρ γένοιτο. Suetonius de Augusto: *Deprecanti populo*, (relegationem Iuliae) *et pertinacius instanti, tales filias* etc. *pro concione imprecatus.* Declamationis in Sallustium Auctor: *Nunc, ut ad te revertar, patremque tuum praeteream: qui si nunquam in vita sua peccavit, tamen maiorem iniuriam facere Reipublicae non potuit, quam quod te talem filium genuit.* Proprie autem in hoc argumento *provenire*. Apud Plautum Trucul. *Cum tu recte provenisti, cumque es aucta liberis Gratulor.* Iustinus lib. 2. *Artemenem primum quidem Dario, sed privato provenisse.* Idem 36. *Israëlem felix decem liberorum proventus maioribus suis clariorem fecit.*

Ibid. *Adaeque* etc.] Abest a Bertino, agnoscit Oxon. quin et supra 8. *Canem adaeque venaticum* dixit. Onomasticon vetus: *Adaeque*, ἐπίσης.

Ibid. *Ductaque alia, filium procreaverat alium*] Ergo alter, ut loquuntur Graeci, erat πρόγονος.

Ibid. *Forma magis quam moribus in domo mariti praepollens*] Theocritus 24. Τὰν μορφὰν ἀγαθῷ, τὸν δὲ τρόπον οὐκ ἔθ' ὁμοίῳ. Spartianus de Aelio Vero: *Hadriano* etc. *acceptior forma quam moribus.* E converso, de Susanna, Scriptor de bono Pudicitiae: *Uxor* etc. *pulcherrima, pulchrior moribus.*

Ibid. *Sed naturaliter impudica, seu fato* etc. *impulsa*] Donatus ad ea 1. 1. Andr. *Mala mens, malus animus. Argumentum a Natura, et an aliquis sine causa malus, an ab impulsione.* Servius ad Aeneid. 9. *Apud Plotinum Philosophum et alios, quaeritur utrum mentis nostrae acies per se ad cupiditates et consilia moveatur, an impulsu alicuius Numinis. Et primo dixerunt mentes humanas moveri sua sponte, deprehenderunt tamen* (melius *tandem*) *ad omnia honesta impelli nos Genio et Numine quodam familiari, quod nobis nascentibus datur: prava vero nostra mente nos cupere ac desiderare. nec enim fieri posse ut prava Numinum voluntate cupiamus, quibus nihil malum constat placere.* vide quae olim ad Apologiam pag. 182. et nuper ad Iacobi 1. 13. 14. notata.

Ibid. *Seu fato* etc.] Ovidius: *Sive fuit fatum, seu fuit ipse Deus.*

Ibid. *Oculos ad privignum adiecit*] Servius ad Aeneid. 6. *Amare privignum crimen est, virtus maritum. Oculos adiicere* heic, est quod Matth. 5. 28. πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι βλέπειν. ubi notata vide. Pollux 2. 4. Ἐποφθαλμεῖν, ἐπιθυ-

θυμεῖν τινος. Suidas: Ὀφθαλμὸν ἐπιβάλλειν· περιέργως θεάσασθαι. Plautus hoc sensu in Milite, *adiicere animum.* Narrationem isti persimilem 5. 7. habet Valerius Maximus.

Ibid. *Quamdiu primis elementis Cupido parvulus nutriebatur*] Ex his, ut puto, Virgilii lib. 7. *Ac dum prima lues udo sublapsa veneno Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem: Nec dum animus toto percepit pectore flammam, Mollius, et solito matrum de more locuta est.* Casaubonus ad oram libri sui alleverat *alimentis*, quae etiam Colvii coniectura fuit probata Elmenhorstio. At rectum illud *elementis*, si quid uspiam his in libris sincerum. Quintilianus Declam. 14. *Ut adolescentis ardoris impetus in parvis exstinguatur elementis.* Sic infra hoc ipso libro, *indignationis parva elementa*, Noster.

Ibid. *Facile ruborem tenuem deprimens silentio, resistebat*] Lucianus in de Dea Syria, in re non dissimili: Ἡ δὲ τὰ μὲν πρῶτα ἐσωφρόνει, καὶ τὴν νοῦσον ἔκρυπτε.

Ibid. *At ubi completis igne vesano totis praecordiis*, etc.] Maximian. *At postquam teneram rupit verecundia frontem, Nec valuit penitus flamma recepta tegi.* Lucianus ubi supra: Ὡς δὲ οἱ τὸ κακὸν μεῖζον ἡσυχίης ἐγένετο, κλαίεσκέ τε δι' ἡμέρης, καὶ Κόμβαβον ἀνεκαλέετο, καὶ οἱ πάντα Κόμβαβος ἦν.

Ibid. *Completis igne v. totis praecordiis*] De Phaedra, itidem noverca, Seneca in Hippolito: *Labitur totas furor in medullas Igne furtivo populante venas.* Virgilius: *Vulnus alit venis, et coeco carpitur igni.*

Ibid. *Bacchatus amor* etc.] Lib. 2. *Bacchamur in Venerem.*

Ibid. *Saevienti Deo iam succubuit*] Servius ad Eclog. 10. *Cuivis facilius quam amori repugnatur*, praecipue in concesso (qualis hic,) amori. Idem ad 4. Aeneid. *Contra dignitatem amor susceptus gravior esse solet.*

Ibid. *Saevienti Deo iam s.*] Concinnius forsan, *S. iam Deo succubuit.*

Ibid. *Ac languore simulato* etc.] Apud Petronium: *Quod solum igitur salvo pudore poteram confingere, languorem simulare coepi.* Vide 2. Samuel. 15. 3. Contra apud Philonem, Νοσῶν ὑγιαίνοντα καθυποκρίνεται.

Ibid. *Vulnus animi mentitur in corporis valetudine*] Quid est in usu Latinitatis *mentiri quid*, quam *simulare?* cuiuslibet rei speciem prae se ferre? at hoc non agit mulier ista ut mentis suae vulnus appareat, quin e diverso, utitur quanta potest solertia, ut corporis, non animi aegritudine decumbere videatur. Ergo loci mutanda lectio videtur, et ad hanc formam concinnanda: *Vulnus animi mentitur corporis invalitudinem.* Mutatio quidem levicula, quae e tenebris tamen sensum obrutum extraxit. Iuvenalis, non ista quidem sententia, at verbis isti argumento concinnis: *Corpore sano Advocat Archigenen, onerosaque pallia iactat.*

Ibid. *Iam caetera salutis vultusque detrimenta*, etc.] Virgilius simili argumento: *Horrida vultum Deformat macies.* Ovidius in fabula Biblidis: *Esse quidem laesi poterat tibi pectoris index, et color, et macies, et vultus.* Metam. 8. Nazarius, at in re alia, in Panaegyrico: *Male clausi signa moeroris per vultus indices exierunt.* Maximianus: *Prodere non ausus, carpebar vulnere coeco: Sed stupor et macies vocis habebat opus.*

Ibid. *Pallor deformis*] Supra lib. 5. *Si rite coniecto*, etc. *de nimio pallore corporis*, etc. *amore nimio laboras.* Pollux 4. 19. Ὠχριᾷ, ὡς νοσοῦντα ἢ ἐρῶντα δηλοῦν. Catullus Argonaut. *Quantos illa tulit languenti corde dolores! Quantum saepe magis fulgere expalluit auri!* De Scylla amore perculsa Virgilius Ceiri: *Nullus in ore rubor, ubi enim rubor, obstat amori.* Vide quae plura Beroaldus et Elmenhorstius. Male heic ex MS. Schoppius *pallor deforis.* supra lib. 8. *Pallore deformem faciem.*

Ibid. *Marcentes oculi*] Appuleius eodem libri 5. loco: *De istis marcentibus oculis tuis* etc. (sic scribendum monuimus,) *amore laboras.*

Ibid. *Lassa genua*] Sic, *genubus succiduis lassum*, Germanicus in Arataeis. Oxon. *Lapsa g.* quod et Colvius coniecit. De Phaedra amatrice et noverca Seneca Hippolito: *Soluto labitur moriens gradu.* Ibidem de Eadem: *Populatur artus cura, iam gressus tremunt.* Appuleius ubi supra: *Ab ista titubante et saepius vacillante vestigio*, etc. *amore laboras.* Virgilius 5. Ecloga: *Incumbens* etc. *oliva.* ubi Servius: *Propter amorem se non sustinens.* Apud Plautum in amoris, etsi simulati, argumento: *Tene me obsecro. Cur? Ne cadam. Quid ita? Quia hic adstare Nequeo: ita animus per oculos meos defit.* Sic Hebr. 12. 12. (at sensu alio) παραλελυμένα γόνατα. et supra heic lib. 8. *Lurore pene collapsa membra.* Cum autem de vultus detrimentis res heic, et haec mulier lecto decumbat, (quo loci *genuum lapsorum* videtur minus tempestiva mentio) fortasse rectius praedictis, *lapsae genae* scripserimus. *Lapsas* intelligo insuccas, arescentes. Claudianus: *Interius fugere genae.* Quintilianus 12. Declam. *Genas destitutas* dixit. Iuvenalis, *pendentes genas.*

Ibid. *Quis turbida*] Philostratus 1. 23. Πηδήσεται ἡ καρδία θαμὰ ἐκθρώσκοντος τοῦ ὕπνου, ὃ δὲ μάλιστα περὶ τοὺς ἐρῶντας φασὶ γενέσθαι.

Ibid. *Et suspiritus cruciatus tarditate vehementior*] *Attractus ab imo Spiritus, interdum gemitu gravis.* Ovidius, ubi de Biblide: *Nec causâ suspiria mota patenti.* Scholiastes vetus Horatii, in amoris argumento: *Ex tristitia lan-*

 guor,

guor, *ex languore pallor*, *silentium*, *et suspiria.* et Anacreon, simili materia, ὑπὸ καύματος ἀναστενάζειν.

Ibid. *Vapore febrium*] Melius Florent. et Oxon. MSS. *Vaporibus.*

Ibid. *Nisi quod et flebat*] Ovidius ubi supra: *Et humida saepe Lumina.* Horatius: *Humor et in genas Furtim labitur*, *arguens Quam lentis penitus macerer ignibus.*

Ibid. *Fatigatus anhelitus*] Infra 11. *Fatigatos anhelitus trahens.* et 9. *Anhelitu languido fatigatus.* Ad sententiam loci Declam. 8. Quintilianus: *Abditos profundosque morbos*, *aut citatior* etc. *sanguinis cursus*, *aut crebrior anhelitus laborantis animae indicat.* Iulianus Misopogone: Ὡς ἦλθεν, (ἡ ποθουμένη) ἐδίδου τὰ συνθήματα τοῦ πάθους ὁ νεανίας, ἆσθμα τῶν θλιβομένων ἠφίει· ἐπέχειν γὰρ αὐτὸ κινούμενον, καίπερ σφόδρα ἐθέλων, οὐχ οἷός τε ἦν, καὶ ταραχὴ ἦν τοῦ πνεύματος. De Daphnide amore Chloës vulnerato Longus Sophista: Τὸ πνεῦμα, ποτέ μὲν λαβρὸν ἐξέπνει, καθάπερ τινὸς διώκοντος αὐτόν· ποτὲ δὲ ἐπέλιπε, καθάπερ ἐκδαπανηθὲν ἐν ταῖς προτέραις ἐπιδρομαῖς.

Ibid. *Et utrinque secus iactatae crebriter laterum mutuae vicissitudines*] Heliodorus lib. 7. Παννύχιος ἔκειτο, πυκνὰ πρὸς ἑκατέραν πλευρὰν τὸ σῶμα διαστρέφουσα, etc. Seneca, ubi de Phaedra: *Semper impatiens sui Mutatur habitus.* Ibidem: *Artusque varie iactat incertus dolor.*

Ibid. *Quam facilis*, *licet non artifici medico*, etc. *Venerae cupidinis comprehensio!*] *Quis enim celaverit ignem*, *Lumine qui semper proditur ipse suo?* Quintilianus ubi supra: *Medicus qui per haec non potest invenire languorem*, *non invenit nec remedium.* Iuvenalis Sat. 9. *Deprendas animi tormenta latentis in aegro Corpore*, *deprendas et gaudia: sumit utrumque Inde habitum facies.* Anacreon: Ἐγὼ δὲ τοὺς ἐρῶντας ἰδὼν, ἐπίσταμ' εὐθὺς· Ἔχουσι γάρ λεπτὸν ψυχῆς ἔξω χάραγμα.

Pag. 211. *Impatientia furoris altius agitata*] Ita bene Beroaldus, sic supra 9. *Commota et exasperata altius.* Firmatur etiam emendatio eius ab Oxon. et Fuxensi MS.

Ibid. *Dirupit silentium*] Sic et idem Oxon. codex.

Ibid. *Et ad se vocari praecipit filium*] Apud Achillem Tatium illa lib. 4. Νενίκημαι, πεπλήρωμαι βελῶν· κάλεσον ταχὺ τὸν ἰώμενον, ἐπείγει τὸ τραῦμα.

Ibid. *Quod nomen in eo ipso*, *scilicet ne ruboris admonetur*, *libenter eraderet*] Ovidius de Biblide fratrem inconcesse amante: *Iam nomina sanguinis odit: Biblida iam mavult*, *quam se vocet ille sororem.* Oxon. et Florent. *in eos ipsos.* latet aliquid quod haud properans produco.

Ibid. *Senili tristitie striatam gerens frontem*] *Ante annos*, *animumque gerens frontemque severam.* Statius de Melioris puero: *Et castigatae collecta modestia frontis.* Phaedra de Hippolito: *Quam grata est facies torva viriliter! Et pondus veteris triste supercilii!* Plinius lib. 2. Epist. 7. de Coctio Spurinae filio: *Tanta ei gravitas* etc. *ut posset senes provocare virtute*, *quibus nunc honore adaequatus est.* et 5. 16. de filia Fundani: *Nondum annos quatuordecim expleverat*, *et iam illi senilis prudentia*, *matronalis gravitas erat.* Ex quo, ut videtur, Noster Florid. 2. *Senilis in iuvene prudentia.* Menander: Οὐχ' αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν, Ἀλλ' ὁ τρόπος ἔνεστι τῇ φύσει γέρων.

Ibid. *Senili tristitia striatam gerens frontem*] Euripides Bacchis: Ὡς δύσκολον τὸ γῆρας ἀνθρώποις ἔφυ, Ἔν τ' ὄμμασι σκυθρωπόν! Seneca Hippol. *Frons decet tristis senem.*

Ibid. *Ut in quodam vado dubitationis haerens*] Servius ad Aeneid. 9. *Omnis cogitatio in dubitatione est ante sententiam.*

Ibid. *Omne verbum quod praesenti sermoni putabat aptissimum*, *rursum improbans*] Idem ad Aeneid. 11. *Naturale est*, *ut quoties simul multa cogitamus*, *vix aliquod comprobemus.*

Ibid. *Nutante etiam tunc pudore*] Theophylactus Simocatta in Epistolis: Ἐρωτικὸν διηγήσασθαι πάθος τὸ γυναικεῖον φῦλον αἰσχύνεται. Ovidius Metamorphos. 10. *Virgo Cinyreia carpitur igne Pervigil indomito*, *furiosaque vota retractat. Et modo desperat*, *modo vult tentare: pudetque*, *Et cupit*, *et quod agat non invenit: utque securi Saucia trabs ingens*, *ubi plaga novissima restat*, *Quo cadat in dubio est*, *omnique a parte timetur: Sic animus vario labefactus vulnere*, *nutat Huc levis atque illuc*, *momentaque sumit utroque.*

Ibid. *Unde potissimum caperet exordium decontatur*] *Nescit quae prima exordia sumat.* Ovid. Metamorph. 10. de Myrrha: *Conataque saepe fateri*, *Saepe tenet vocem.* Aedituus vetus Poëta apud Gellium 19. 9. *Dicere cum conor curam tibi Pamphile cordis*, *Quid mi abs te quaeram*, *verba labris abeunt.* Phaedra ad Hippolitum: *Sed ora coeptis transitum verbis negant*, *Vis magna vocem emittit*, *at maior tenet.*

Ibid. *Rogat* etc. *causas praesentis aegritudinis*] Supra lib. 4. *Aniculae instantissime causas* etc. *moeroris requirenti.*

Ibid. *Nacta solitudinis* etc. *occasionem*] Vide supra [hui. Ed. p. 298, b.] dicta *Solitudinis occasionem.* dixit et Tacitus Annal. 15.

Ibid. *Prorumpit in audaciam*] Lib. 9. *Occulta libidine prorupit in adulterum quendam.*

Ibid. *Ubertim allacrymans*] Hieronymus in Epitaphio Nepotiani: *Ubertim fluentes lacrymas.* Sic, *ubertim manantes lacrymas*, 4. 23. Sidonius.

nius. Supra heic lib. 6. *Uberi fletu rigans Deae vestigia.* et 5. *Flens ubertim, decessit ad somnum.*

Ibid. *Laciniaque contegens faciem*] Apud Gellium ille 19. 9. *Permittite mihi quaeso operire pallio caput, quod in parum pudica oratione Socratem fecisse aiunt.* Propertius 1. 4. *Et quae Gaudia sub tacita dicere veste libet.* De Myrrha patrem cupiente Ovidius Metam. 10. *Pudibundaque vestibus ora Texit, et ô dixit felicem coniuge matrem.*

bIid. *Voce trepida sic eum breviter affatur*] Servius ad Aeneid. 4. de Didone: *Suspense et pedetentim, amore resistente incipit.*

Ibid. *Causa omnis et origo* etc.] Iuvenalis 14. *Mentis causa malae tamen est, et origo penes te.* In Apologia Noster: *Causa, et ratio, et origo initialis.*

Ibid. *Etiam medela ipsa* etc. *tute ipse es*] Vide supra pag. [Ed. Pric. 26.] notata.

Ibid. *Isti enim tui oculi per meos oculos* etc.] Philostratus 1. 21. Τὸ ἐπιθυμητικὸν διὰ τῶν ὀφθαλμῶν εἰσάγεται. Achilles Tatius lib. 6. Εἰς τὰ ὄμματα τῶν καλῶν τὸ κάλλος κάθηται, ῥέον δὲ ἐκεῖθεν ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς τῶν ὁρώντων ἵσταται. Aristaenetus 2. 18. Δεξάμενος τοῦ κάλλους τὴν ἀποῤῥοὴν διὰ τῶν ὀμμάτων, ἐρωτικῶς διεθερμάνθη. Anacreon: Οὐχ ἵππος ὤλεσεν με, Οὐ πεζὸς, οὐχὶ νῆες· Στρατὸς δὲ καινὸς ἄλλος Ἀπ' ὀμμάτων βαλών με. Hinc illud quasi insolitum in Simocattae Epistolis: Βέβλημαι τὴν ψυχὴν, μηδὲν ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν ἀδικούμενος. vide in ὀμμάτειος πόθος Hesychium. Plutarchum Sympos. 3. 6. Philostrati epistolam, Πόθεν μου etc. Ovid. Amor. 3. *Perque tuos oculos qui rapuere meos.*

Ibid. *Ad intima delapsi praecordia*] Supra lib. 2. *Ubi primam sagittam saevi Cupidinis, in ima praecordia mea delapsam, excepi.* Virgilius: *Inque sinum praecordia ad ultima subdit.* ubi Servius: *In loca cordi vicina, ubi sensus percipitur.* In Epistolis Ovidii: *Non mea sunt summâ leviter districta sagitta Pectora, descendit vulnus ad ossa meum.* Orientius Illiberitanus: *Amor, ut lacrymae, quas fundi iniuria cogit, Ex oculis surgit, pectoris ima petit.* Musaeus: Ἀπ' ὀφθάλμοιο βολάων Ἕλκος ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει. Paulus Silentiarius: Οἶστρος ὀλισθήεσσαν ἔχει φύσιν, ἥν τις ὀϊστοῦ Ἄκρον ἕλῃ φλογέου, δύεται ἐντὸς ὅλος. Maximus Tyrius Dissert. 9. Ἀρχὴ αὐτοῦ (amoris) ἄνθος σώματος, ἐρχόμενον εἰς ὀφθαλμοὺς, καὶ δι' αὐτῶν ἐπὶ τὴν ψυχὴν ῥέον. Moschus de Cupidine: Ἐπὶ σπλάγχνοις δὲ κάθηται.

Ibid. *Meis medullis acerrimum commovent incendium*] Scriptor de bono Pudicitiae, in Cypriani operibus: *In medullis versata caeca incendia*, etc. Zeno Veronensis: *Cum medullitus amoris insani flagraret incendio.* Statius Achilleidos 1. *Fax vibrata medullis.* Infra heic, at in re alia: *Perniciem* etc. *medullae penitus adtraxerant.* Sirachides 9. 9. Ἐκ ταύτης (formositate) φιλία ὡς πῦρ ἀνακαίεται. Adde quae supra pag. [Ed. Pric. 26.] adnotata.

Ibid. *Miserere tuae carae parentis*] Supra 2. argumento non dissimili: *Miserere, et subveni maturius.* Lectionem positam debemus Lipsii MS. aut potius Colvii incogitantiae: qua sine, in latebris iacuisset suis, nec secutas quasdam editiones deformasset. inter eas, quam adornavit Wowerius, ad quam nostrae magnam partem contextus formatus. Complures alii MSS. (quos et veteres omnes editiones secutae) legunt, *M. tua causa pereuntis.* quam iterum suis sedibus scripturam reponamus. Supra ad Fotidem suam Noster 2. Miles. *Pereo, imo iamdudum perii, nisi tu propitiaris.* Virgilius Eclog. 8. *Ut vidi! ut perii!* In reliquiis veterum Poëtarum: *Saeva non cernis quod ego langueo?* scribe, *Saeva ah, non cernis quantum ego langueo? Sic me destituis iam semimortuum?* id est, (ut hîc noverca) *iam tui causa pereuntem.*

Ibid. *Nec te religio patris omnino deterreat*] *Religionem* heic *verecundiam* vocat, sive, *religiosum respectum.* Glossae: Εὐλάβεια, *Reverentia, verecundia, religio.* Glossae aliae: *Religio*, θρησκεία, etc. διάθεσις, καὶ αἰδώ. *Patris*, est *erga patrem:* ut Sirachidis 3. 15. *Eleemosyna patris:* pro, *patri eleemosyna praestita.* et, *iuramenta patrum*, id est, patribus facta: Sapient. 18. 22. apud Latinum Interpretem.

Ibid. *Cui morituram prorsus servabis uxorem*] Confer quae supra pag. [Ed. Pric. 49.] adnotata.

Ibid. *Illius recognoscens imaginem in tua facie, merito te diligo*] Virgilius de Didone: *Gremio Ascanium, genitoris imagine capta Detinet.* Apud Senecam Phaedra ad privignum: *Genitor in te totus.* Andromache apud eundem: *Testor immites Deos, Non aliud Hector in meo nato mihi Placere quam te: vivat, ut possit tuos Referre vultus.*

Ibid. *Illius recognoscens imaginem in tua facie*] Lib. 5. Psyche ad Cupidinem: *Sic in hoc saltem parvulo recognoscam faciem tuam.* Cicero de filio suo: *Imago corporis et animi mei.*

Ibid. *Habes solitudinis plenam fiduciam*] De Potipharis uxore Zeno Veronensis: *Captat solitudinem*, etc. *a quali etiam non irritata adolescentia invitis feminis saepe violenta esse consuevit.* vide 23. 25. et 26. Sirachidem. In eodem argumento Cyprianus, sive de bono Pudicitiae Scriptor: *Latebrarum tuta quibusdam videtur occasio*, etc. Apud Achillem Tatium lib. 2. ille: Πολλὰ ἦν τὰ ὁπλίζοντά με θαῤῥεῖν· οἶνος, ἔρως, ἐλπὶς, ἐρημία. et illa apud Petronium: *Sume ergo amplexus, si placet, neque est quod*

curiosum aliquem extimescas: longe ab hoc loco frater est. In narratione de Susanna senes libidinosi: Ἰδοὺ, αἱ θύραι κέκλεινται τοῦ παραδείσου, καὶ οὐδεὶς θεωρεῖ ἡμᾶς. Iuven. *Tam facile et pronum est Superos contemnere testes, Si mortalis idem nemo sciat.* Plin. Epist. *Tantumque licentiae pravis ingeniis adiicit illa fiducia, Quis enim sciet?*

Ibid. *Necessarii facinoris*] Rationem epitheti istius non assequor, fortasse locus corruptus. quae Beroaldus attulit, non satisfaciunt.

Ibid. *Quod nemo novit, pene non fit*] Seneca 1. 13. de Ira: *Innocentem quisque se dicit, respiciens testem, non conscientiam.* Solomo Proverb. 30. 19. 20. *Viam aquilae in coelo, viam colubri super petram* etc. *talis est via mulieris adulterae, quae comedit, et tergens os suum, dicit, Non sum operata malum.* Ovidius 3. Amor. *Non peccat quaecunque potest peccasse negare, Solaque deformem culpa professa facit.* Simplicius in cap. 47. Epicteti: Ἕως ἂν ἐλεγχθῶμεν, οἰόμεθα λανθάνειν, καὶ διὰ τοῦτο μηδὲ ἡμαρτηκέναι δοκεῖν. Salvianus lib. 7. *Solet flagitiosa res quando agitur occulte, fidem facinoris non mereri.* Oxoniensis, et duo alii MSS. non male, *penitus non fit.* communem lectionem retineo tamen, ob haec Zenonis Veronensis: *Pene pro infecto habetur, quod non diffamatur.* (Serm. 4. de Esaia.) et ista Senecae 2. 29. de Ira: *Qui dicere tibi nisi clam non vult, pene non dicit.*

Ibid. *Quanquam tale facinus protinus exhorruisset*, etc.] Lib. 9. *Exhorruit Myrmex inauditum facinus.*

Ibid. *Non tamen negationis intempestiva severitate putavit exasperandam*] Provide hoc, praecipue eam erga, quae parentis locum implebat. Gellius 2. 7, ubi de liberorum officio in parentum imperia: *Sententia media optima et tutissima est, quaedam parendum esse, quaedam non obsequendum: sed ea tamen quae obsequi non oportet, leniter, at verecunde, ac sine detestatione nimia, sine opprobratione acerba reprehensionis declinanda sensim, et relinquenda, non respuenda esse.* Vide quae Acrotatus in Plutarchi apophthegm. Pro *intempestiva*, melius *intempestivae* scribas, ut respondeat sequenti membro. *Intempestivae severitatis negationem* opponit *cautae promissionis dilationi.*

Ibid. *Negationis intempestiva severitate*] Id est, (ut infra argumento alio,) *intempestiva repulsa.*

Pag. 212. *Sed cautae promissionis dilatione leniendam*] Impudici et importuni petitores non raro tali astu elusi. vel vide Nostrum 8. de Charite et Thrasyllo. Chariclia lib. 5. apud Heliodorum: Ὁρῶν τὸν Φοίνικα μὴ ἀνιέντα, ἀλλ' εἰς ὑπερβολήν τε πρὸς τὸ βούλημα θερμαινόμενον, καὶ ἡμέραν οὐδεμίαν τοῦ διοχλεῖν περὶ τῶν αὐτῶν ἀπολειπόμενον, ἔγνων τὸ παρὸν ὑπερθέσθαι χρησταῖς ἐπαγγελίαις. Eadem 7. ad Theagenem suum, quem ardenter Arsace appetebat: Εἰ ἄτοπον δοκιμάζεις τὸ αἰτούμενον, ἀλλὰ σύ γε πλάττου τὸ συγκατατίθεσθαι, καὶ τρέφων ἐπαγγελίαις τῆς βαρβάρου τὴν ὄρεξιν, ὑπερθέσει ὑπότεμνε τὸ πρὸς ὀξύ τι καθ' ἡμῶν βουλεύσασθαι, ἐφηδύνων ἐλπίδι, καὶ καταμαλάττων ὑποσχέσει τοῦ θυμοῦ τὸ φλεγμαῖνον.

Ibid. *Ergo prolixe pollicetur*] *Aegram Multa bonum simulans vana spe ludit amantem.* Infra hîc lib. 11. *Meam differens instantiam, spei melioris solatiis alioquin anxium mihi permulcebat animum.*

Ibid. *Bonum caperet animum* etc. *suadet*] Lib. 3. *Bono animo es, quod ad huius rei curam pertinet.* Lib. 7. *Bono animo et Charite dulcissima.* et in Floridis: *Aegrum iubet uti sit bono animo.* Apud Heliodorum lib. 1. Ἐπηγγέλλετο, καὶ θυμὸν ἔχειν ἀγαθὸν προὔτρεπε.

Ibid. *Refectionique se ac saluti redderet*] Bene hoc, ex *refectione* enim *salus.* Act. 27. 34. Παρακαλῶ ὑμᾶς προσλαβεῖν τροφῆς, τοῦτο γὰρ πρὸς τῆς ὑμετέρας σωτηρίας.

Ibid. *Donec patris aliqua profectione liberum voluptati concederetur spatium*] Simulatio, ad eorum morem composita, qui amores furtivos sectantur. Proverb. 7. 19. *Fruamur cupitis amplexibus*, etc. *non est enim vir in domo: abiit viâ longissimâ.* Achilles Tatius lib. 8. Τοῦ ἀνδρὸς σεσταλμένου τινὰ μακρὰν ἀποδημίαν, καιρὸν τοῦτον νενόμικεν εὔκαιρον μοιχείας. Sic uxor Barbari hîc lib. 9. marito peregre profecto.

Ibid. *A noxio conspectu novercae*] Lib. 2. *Perinde in eius* (Pamphilae magae) *faciem oculos meos, ac si in Avernum lacum* etc. *deieceram.*

Ibid. *Et magnam domus cladem ratus indigere consilio pleniore, ad quendam compertae gravitatis educatorem senem protinus refert*] Apud Senecam: *Secede mecum potius, ut rerum statum Dubium ac minacem iuncta consilia explicent.* In Florent. *Etiam magnam domus cladem*, etc. unde facile germanam scripturam eruo, *Et tam m. d. c.*

Ibid. *Sed impatiens vel exiguae dilationis mulier*] Augustinus Confess. 6. 15. *At ego* etc. *dilationis impatiens* etc. Merito autem huiusmodi mulierem *impatientem* vocat. Seneca Hippol. *Sed Phaedra praeceps graditur, impatiens morae.* Iul. Firmicus in de errore prof. relig. *Nullo genere* etc. *muliebris impatientiae tormenta curantur.* Idem 6. 30. Mathes. *Eritque* etc. *ista mulier circa omnem libidinem vitio prostituti pudoris impatiens.* Virgilius 6. *His Phaedram Procrinque locis*, etc. ubi Servius: *Foeminarum tantum ponit exempla, non quod desint viri,*

viri, *sed elegit sexum impatientem ad amandum.* Confer et quae supra [pag. [hui. Ed. 180, b.] notata.

Ibid. *Exiguae dilationis*] Scriptor de *excid. Hierosolym.* 4. 4. *Dilationem tam exiguam nequaquam impedimento futuram.*

Ibid. *Modo istud*, *modo illud causae faciens*] Hoc 7. Heliodori in re simili, ἄλλοτε ἄλλαις προφάσεσιν ὑπερτίθεσθαι. et 8. ποικίλας, καὶ ἄλλοτε ἄλλας προφάσεις ἀναπλάττειν. Virgilius Eclog. 9. *Causando nostros in longum ducis amores.* ubi Servius: *Causas nectendo differs desideria nostra.* Sic, *trahere omnia*, *et alias*, *deinde alias morae causas facere*, apud Sallustium in Iugurthino.

Ibid. *Quoad illa* etc. *pollicitationem sibi denegatam manifesto perspiciens*, *mobilitate lubrica nefarium amorem ad longe deterius odium transtulit*] In vetere Mimo: *Aut amat aut odit mulier*, *nihil est tertium.* Iuvenalis: *Mulier saevissima tunc est*, *Cum stimulos odio pudor admovet.* quod ipsum hac in facti specie impletum. Heliodorus lib. 7. Φιλόνεικοι γυναῖκες, ἀμείλικτοι γίνονται καὶ βαρυμήνιδες ἀποτυγχάνουσαι, καὶ τοὺς ὑπερόπτας ὡς ὑβριστὰς ἀμύνονται. Idem 8. Ἀπελπισθεὶς ὁ ἔρως οὐδεμίαν ἔχει φειδὼ τοῦ ἐρωμένου, τρέπειν καὶ φιλεῖ τὴν ἀποτυχίαν εἰς τιμωρίαν. Quintilianus 6. Declam. *Est quaedam ultima amorum rabies*, *et novissime in furorem vota ipsa vertuntur.*

Ibid. *Nunciorum varietate*] Contra in Glossario: *Sine ulla varietate*, ἄνευ ποικιλίας τινος, ἢ ἀμφισβητήσεως. Lipsius, *mendaciorum varietate:* infeliciter.

Ibid. *Mobilitate lubrica* etc.] Lib. 2. *Lubricis gestibus mobilem spinam quatiens.*

Ibid. *Mobilitate lubrica nefarium amorem ad longe deterius odium transtulit*] Ad odium, vitae iuvenis perniciosum. Servius ad Aeneid. 1. *Amantibus nec levius aliquid*, *nec mutabilius invenitur*. *ut in ipsa probatur Didone: nam de eius interitu cogitat*, *cuius paulo ante amore deperibat.* Theophrastus apud Plutarchum in Catonis M. vita: Κινδυνεύει τὸ λίαν φιλεῖν, αἴτιον τοῦ μισεῖν πολλάκις γίνεσθαι.

Ibid. *Adsumpto statim nequissimo*, etc.] Sic Act. 17. 5. in malo, προσλαμβάνεσθαι. Tacitus Annal. 3. *Secretis colloquiis ferocissimo quoque adsumpto.*

Ibid. *Et ad omne facinus emancipato* etc. *servulo*] Talis apud eundem Annal. 15. *libertus cuicunque flagitio promptus.* tales et Annal. 11. *pecunia* etc. *in omne flagitium obstricti.* Seneca Herc. fur. *Ad omne clarum facinus audaces manus.*

Ibid. *Venenum praesentaneum comparat*] Apud Quintilianum ille 17. Declam. *Virus praesentaneum paro*, *quod statim*, *quod subito corripiat.* Sic Gellii 6. 4. *venenum praesentaneum.* Oxon. *peremptorium*, ut infra heic hac in narratione vocatur. Onomasticon vetus: *Peremptorius*, ἀναιρετικὸς. scripserim, *Peremptorium*, ἀναιρετικὸν. intelligens *venenum.*

Ibid. *Idque vino diligenter dilutum*, *insontis privigni praeparat exitio*] *Decet haec dare dona novercam. Coctumque venenum*, *Privignoque datum.* Iuvenal. 6.

Ibid. *Dum de oblationis opportunitate secum noxii homines deliberant*] Lib. 6. *Dum secum mitissimi homines altercant de mea nece*, etc.

Ibid. *Post matutinum laborem studiorum* etc.] Ita in l. 1. Cod. de adsess. et domest. etc. *studiorum labor.* apud Nostrum in de Platonis dogm. *studendi labor.* in Apologia, *labor literatus:* et Capellam lib. 1. *Philologiae laborata* (i. e. *laboriosa*) *pervigilia.* Bene et *matutinum laborem.* Seneca de patribus loquens: *Excitari iubent liberos ad studia maturo obeunda.*

Ibid. *Studiorum*] Glossae: *Studiorum*, ἀσκήσεων.

Pag. 213. *Nescius fraudis occultae*] *Ignarus*, *et iuveniliter hauriens:* ut in re tali, de Druso Tacitus. Casum similem apud Lucianum habemus in Zenophantis et Callidemidae Dialogo.

Ibid. *Exanimis terrae procumbit*] Seneca Hippol. *Repente terrae corpus exanimum cadit.*

Ibid. *Malitiae novercalis exemplar unicum*] Virgilius: *Miscueruntque herbas*, *et non innoxia verba.* ubi Servius: *Exprimit augmenta malitiae novercarum*, etc. Lactantius in de opific. Dei, de Cicerone: *Eloquentiae ipsius exemplar unicum.* De *novercalibus odiis* vide Marcellum Donatum ad initium Taciti Annalium.

Ibid. *Misitque protinus cursorem*, *qui vianti marito domus expugnationem nunciaret*] Cyprianus 55. Epist. *Semper scelera festinant*, *quasi contra innocentiam festinatione praevaleant.* De *cursoribus* vide Pignorium in *de Servis* pag. 147. et seqq. Suetonius de Nerone: *Perlatos a cursore* etc. *codicillos praeripuit.* Plinius lib. 7. epist. 12. *Cursore dimisso.* Onomasticon vetus: *Cursor*, δρομεὺς. Glossae: Ταχυδρόμος, *cursor.* Glossae aliae: *Exercipes*, ταχυδρόμος, δρομεὺς, καὶ κούρσωρ.

Ibid. *Personata nimia temeritate*] Colvius *mima t.* satis inficete. Si quid mutandum, (quod non praesto) scriberem *mira t.* supra lib. 8. *Astu miro personata.* Vide quae ad eundem librum [hui. Ed. p. 327, a.] adnotata.

Ibid. *Insimulat privigni veneno* etc.] Ex amatrice accusatrix facta. Scriptor de bono Pudicitiae in Cypriani operibus, de Aegyptii uxore: *Ad crimen impudicitiae adiicere non dubitavit calumniam.* Seneca de noverca Phaedra: *Quid sinat inausum foeminae praeceps furor? Nefanda iuveni crimina insonti apparat.* Donatus ad

2. 3. Phorm. *Insimulare*, *est*, *crimen ingerere*. Festus Pompeius: *Insimulare*, *crimen in aliquem confingere*.

Ibid. *Et hic quidem* etc.] Locutionem Appuleianam Beroaldus vocat, nulla tamen exempla adducit. Lipsii MS. *et haec*. Florent. et Oxon. *et hoc q*.

Ibid. *Qua se comprimere tentaverat*] Id est, iuniorem fratrem, non novercam. ita exponendum ex sequentibus, *sibi* (h. e. novercae) *quoque ob detectum flagitium* etc. quod non considerans Beroaldus, verbosius heic quam oportebat, egit.

Ibid. *Nec tam immanibus contenta mendaciis*] Vide supra p. [hui. Ed. 142, b.] notata.

Ibid. *Eundem illum gladium comminari*] Ita recte (ex Lipsii ut videtur MS.) editio Wowcriana: in caeteris minus sincere, *gladio*. Supra lib. 3. *Soli tenebras et caliginem comminari*. lib. 9. *Dira Myrmeci comminatur supplicia*. Ibidem: *Mortem denique violentam et famem comminatus*. et infra heic, *Quod recusanti mortem sit comminatus*.

Ibid. *Duplici filiorum morte percussus*] Lib. 4. *Orbitatis duplici plaga petiti*.

Ibid. *Magnis aerumnarum procellis aestuat*] Videntur ex Poëta quopiam adumbrata, qui fortasse sic scripsit: *Magnis aerumnarumque procellis Aestuat*. Glossae: *Aestuat*, ἐκζαλοῦται, ἐκλύεται, ῥιπτάζεται, κυματίζεται. Virgilius: *Magno curarum fluctuat aestu*. Prudentius: *Mens aestuans procellis*. Arnobius μιμητικῶς lib. 2. *Cur non immunis agitis tot discriminibus et procellis, quibus quotidie vos agunt exitiabiles multiplicesque fortunae*.

Ibid. *Ad hoc*] Melius, *ad haec* scribas. Glossae: *Ad haec*, etc. πρὸς τούτοις. Glossae aliae: Ἐπὶ τούτοις, *adhaec*, *insuper*, etc.

Ibid. *Uxoris dilectae nimium mentitis lamentationibus ad extremum sobolis impellebatur odium*] Citatus modo Scriptor de bono Pudicitiae: *Maritalis* (Putipharis) *ardor rerum inscius, et uxoris accusatione graviter inflammatus incenditur*. Ambrosius Hexaëm. 6. *Mutato concubitu patres depravantur*, etc. Apud Sulymannum Roxana in Mustapham quid valuerit, probe omnes noverunt.

Ibid. *Pompae funebres*] Vide supra [hui. Ed. pag. 188, b.] dicta.

Pag. 214. *Foro se festinus immittit*] Hoc sensu in Apologia: *Turbabat in medio foro bacchabundus*.

Ibid. *Trahensque cinere sordentem caniciem*] Vide supra [hui. Ed. p. 295, b.] dicta.

Ibid. *Tum fletu, tum precibus, genua etiam Decurionum contingens*] Lib. 8. *Cum fletu* etc. *singulorum genua contingens*.

Ibid. *Nescius fraudium*] Oxon. *Fraudum*.

Ibid. *In exitium reliqui filii plenis operabatur affectibus*] *Funesta pater Peior noverca*. In voce *plenis* metaphora est a velificatione desumpta. Ammianus Marcellinus lib. 18. *Non contis, et remulco, ut aiunt*, etc. *sed tota velificatione in Rempublicam ferebatur*.

Ibid. *Et incomminata novercae nece sicarium*] Imo et parricidam. nam etsi in *lege Pompeia de parricidiis* novercae sit omissa persona, sententiâ tamen legis continetur. l. 3. ff. eod. *Incomminari* heic, ut in Floridis, *inconcupiscere*, et alia in Appuleio nostro.

Ibid. *Tanta denique miseratione, tantaque indignatione Curiam, sed et plebem moerens inflammaverat, ut* etc. *cuncti conclamaverint, lapidibus* etc.] Credentes nempe non ita patrem eius facturum, nisi penitus rei veritate perspecta. Non male his conveniunt quae in historia Susannae: *Credidit eis multitudo, quasi senibus*, etc. *et condemnaverunt eam ad mortem*. Quintilianus Declam. 11. *Fallitur, quisquis ullum facinus in rebus humanis publicum putat: persuadentium vires sunt quicquid civitas facit, et secundum quod exasperatur irascitur*. Valerius Maximus de Zenone, a Phalari tormentis vexato: *Increpitans Agrigentinis ignaviam ac timiditatem, effecit ut subito mentis impulsu concitati Phalarim lapidibus prosternerent*. Vide supra pag. [hui. Ed. 151, a. et 189, a.] adnotata.

Ibid. *Magistratus interim, metu periculi proprii, ne de parvis indignationis elementis ad exitium disciplinae civitatisque seditio procederet*, etc.] Tacitus Histor. 2. *In civitate discordi* etc. *parvae quoque res magnis motibus agebantur*. Trebellius Pollio in 30. Tyrannis: *Hoc familiare est populo Aegyptiorum, ut velut furiosi ac dementes, de levibus quibusque ad summa Reipublicae pericula perducantur*. In voce *elementis* translatio est ab incendiis sumpta, ad quam, ut et ad sensum loci istius, Plutarchus perapposite: Ὥσπερ ἐμπρησμὸς οὐ πολλάκις ἐκ τόπων ἱερῶν ἄρχεται, καὶ δημοσίων, ἀλλὰ λύχνος τις ἐν οἰκίᾳ παραμεληθεὶς, ἢ συρφετὸς διακαεὶς, ἀνῆκε φλόγα πολλὴν, καὶ δημοσίαν φθορὰν ἀπεργάζεται· οὕτως καὶ οὐκ ἀεὶ στάσιν πόλεως αἱ περὶ τὰ κοινὰ φιλονεικίαι διακαίουσιν, ἀλλὰ πολλάκις ἐκ πραγμάτων, καὶ προσκρουσμάτων ἰδίων εἰς δημόσιον αἱ διαφοραὶ προελθοῦσαι, τὴν πόλιν ἅπασαν συνετάραξαν. οὐδενὸς ἧττον τῷ πολιτικῷ προσῆκε ταῦτα ἰᾶσθαι, καὶ προκαταλαμβάνειν ὅπως τὰ μὲν οὐδὲ ὅλως ἔσται, τὰ δὲ παύσηται ταχέως, τὰ δὲ οὐ λήψηται μέγεθος, οὐδὲ ἅψηται τῶν δημοσίων, ἀλλ' ἐν αὐτοῖς μένῃ τοῖς διαφερομένοις· αὐτόν τε προσέχοντα καὶ φράζοντά τε ἄλλοις, ὡς ἴδια μικρὰ κοινῶν μεγάλων αἴτια καθίσταται παροφθέντα, καὶ μὴ τυχόντα θεραπείας ἐν ἀρχῇ, μηδὲ παρηγορίας. Quae extant in praeceptis eius

di;

de Republ. administranda. *Disciplina* heic, est quam supra 3. *publicam disciplinam* vocat.

Ibid. *Metu periculi* etc.] Lib. 8. *Metu praedicti periculi*, etc.

Ibid. *Partim Decuriones deprecari, partim populares compescere, ut* etc.] Bonum factum Act. 19. comm. 36. 38. 39. et 40. cum hoc loco conferre. quod hîc *compescere*, ibi καταστέλλειν: quod hîc, *metu periculi proprii*, ibi ἐγκαλεῖσθαι κινδυνεύομεν.

Ibid. *Ut rite* etc. *iudicio reddito* etc.] Hesiodus: Διακρινόμεθα νεῖκος Ἰθείῃσι δίκαις. Confer narrationis de Susanna com. 48. In vetere Onomastico: *Rite*, κατὰ κόσμον.

Ibid. *Et utrinque secus allegationibus examinatis* etc.] Vide ad Act. 23. 35. et 25. 16. annotata.

Ibid. *Civiliter sententia promeretur*] Donatus ad 4. 6. Eunuchi: *Violento civiliter resisti solet.* Glossae: *Civiliter*, εὐτάκτως, χρηματικῶς, (an σχηματικῶς, i. e. *decenter* scribendum?) πολιτικῶς.

Ibid. *Nec ad instar barbaricae feritatis, vel tyrannicae impotentiae damnaretur aliquis inauditus*] Maximus Tyrius 6. Dissert. Ἀλλ' εἰ μὲν δίκην ἐφεύγομεν, ἠχθόμεθα ἂν τῷ δικαστῇ μὴ παρέχοντι ἑκατέρῳ ἐκ τῆς ἴσης τὴν ἀπολογίαν, ἀλλ' ἐοικότι τυράννῳ μᾶλλον ἢ δικαστῇ. Philo de Flacco: Μηδὲ λόγου μεταδοὺς, ἀλλ' ἀκρίτως καταδικάζων· οὗ τί εἴη τυραννίδος μεῖζον ἐπάγγελμα. Bene autem barbaricam feritatem tyrannicae impotentiae iunxit. Apud Euripidem in Heraclidis: Οὐ γάρ τυραννίδ' ὥστε βαρβάρων ἔχω. Nota et *tyrannicum* hîc *civili* oppositum. Tertullianus Apologetico: *Civilis, non tyrannica dominatio est.*

Ibid. *Barbaricae feritatis*] Scriptor de excid. Hierosolymit. 5. 24. *Et feritas barbaricae propior immanitati.*

Ibid. *Nec in pace placida* etc.] *Re placida atque otiosa:* ut Plautus Truculento locutus. In eiusdem Menechmo: *O facinus indignum et malum Epidamnii cives, herum Meum heic in pacato oppido Luci deripier!* etc.

Ibid. *Tam dirum seculo proderetur exemplum*] Paterculus lib. 2. *Volumnius* etc. *diri auctor exempli.*

Ibid. *Placuit salubre consilium*] Supra lib. 3. *His dictis applauditur.* et 7. *Talibus dictis universi omnes adsensere.* Πᾶσιν εὖ λέγειν ἔδοξεν, Heliodorus dixit. Adde quae ad Act. 5. 40. adnotata.

Ibid. *Praeconis vocatu*] Ita editi, et Cod. Oxon. In antiquioribus MSS. puto *vocatu* (i. e. *boatu*) scriptum, et inde in recentiores τὸ *vocatu* manasse. Supra lib. 3. *Praeconis amplo boatu.* quo sensu lib. 8. *Praeco diruptis faucibus, et rauca voce saucius.* Florid. 1. *Praeco cum Proconsule, et ipse tribunal ascendit*, etc. *et quidem perdiu* (lege *perdius*) *stat, aut ambulat, aut plerumque contentissime clamitat.* Ibidem 3. de Tragoedis: *Boando ravim purgant.*

Ibid. *Primus accusator incedit*] Merito notatur Colvius, qui *intendit* reponebat. Infra heic: *Incedit puella vultu honesta.*

Ibid. *Exemplo legis Atticae Martiique iudicii causae patronis denunciat praeco, neque principia dicere, neque miserationem commovere*] Quintilianus 6. 1. *Athenis affectus movere per praeconem etiam prohibetur Orator.* et 2. 17. *Athenis quoque, ubi actor movere commiserationem vetabatur.* Themistius 16. Orat. Τάχα οὖν οὐδέ μοι ἐπιτρέψεσθε ἐπὶ πλέον προοιμιάζεσθαι· οὐδὲ γὰρ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ ὁ νόμος ἐδίδου. ubi προοιμιάζεσθαι, est quod hîc *principia dicere.* Hesychius: Ἀναβάλλεται· προοιμιάζεται. sic enim legendum videtur. Virgilius: *Per ambages et longa exorsa tenebo.* ubi Servius: *Prooemia longe repetita.* Gellius 9. 15. *Incipit mira celeritate in eandem hanc controversiam principia nescio quae dicere*, etc. Huiusmodi quaedam extant hodieque sub Demosthenis nomine. Pomponius l. 1. ff. de Orig. iur. *praefationes* dixit. Habebant et *principia* sua citharoedi, ut ex Suetonio ad Taciti Annal. 16. I. Lipsius notavit. adde in v. οἴμη Hesychium: *Miserationem commovere*, est παθαίνεσθαι. Plutarchus in de mor. virt. Τοὺς ῥήτορας ἐν ταῖς ἀριστοκρατίαις οὐχ ἐῶσι παθαίνεσθαι. vide Lucianum *de Gymnasiis.*

Pag. 215. *Compluribus mutuo sermocinantibus cognovi*] Sic edi debuit, nescio an operarum incuriâ duae voces omissae.

Ibid. *Quibus autem verbis accusator egerit, quibus rebus diluerit reus*, etc.] Seneca Controvers. 6. 5. *Omnia legitime peracta sunt: accusator suo loco dixit, reus suo respondit.* In vetustiss. editt. *accusator venerit*, unde *invenerit*, non male Beroaldus. Noster in de Mundo: *Reus purgandi se necessitate, insectandi* (i. e. *invehendi*) *studio accusator venit.* Praefero autem Florentini Cod. lectionem, *urserit.* Glossae: *Urguet*, ἐπείγει, etc. ἐπίκειται. hoc Luc. 11. 53. δεινῶς ἐνέχειν. Lectionem illam tantum non exhibent duo alii MSS. in quibus *orserit* exaratum.

Ibid. *Ac prorsus orationes altercationesque*] Tertullianus Apologetico: *Respondendi altercandique facultas patet.* Glossarium: *Altercatur*, ἀνταποκρίνεται. *Altercatio*, etc. ἀντίῤῥησις, ἀμοιβαῖοι λόγοι. Iure autem post orationes *altercationes* posuit: post *orationes* enim habitas utrinque secus, solebant *altercationes* in iudiciis sequi. vide 6. 5. Quintilianum.

Ibid. *Neque absens ipse apud praesepium scire potui*, etc.] In Terentii Phormione: *Sed me censen' potuisse omnia Intelligere extra ostium*, in-

intus quae inter sese ipsi egerint? Apud Suidam Quis in ἐπαγγέλλει, de Iustino: Οὔτε τοῖς πραττομένοις ξυνεπίστασθαι οἷός τε ἦν τῷ σπηλαίῳ καθειργμένος. Seneca Controvers. 1. 1. *Quid inclusa feceris, nec quaerere debemus, nec scire possumus.*

Ibid. *Veritatem criminum*] Sic, τὴν τῶν ἁμαρτημάτων ἀλήθειαν, lib. 3. Herodianus. Supra hîc lib. 3. *Quod plane verum crimen non diffitebor.*

Ibid. *Fortuna t. m. iudicii*] *Fortunam iudicii* dixit et Instit. 10. 1. et Declam. 371. Quintilianus.

Ibid. *Confertae conspectu curiae*] Glossae: *Conferti*, μεμεστωμένοι. Glossae aliae: Μεμεστωμένος, *fartus*, *confertus*. Florid. 3. *Inter confertos homines.* et supra hîc lib. 9. *Inter confertae multitudinis stragem.* Bene et *curiae conspectu.* sic, Ὄψις πόλεως, in Glossis *conciliabulum* redditur.

Ibid. *Vel certe noxiâ conscientia sua deterritus*] Lib. 3. *At ego tunc temporis nihil amplius quam flere poteram, non tam mehercules truculentam accusationem intuens, quam meam miseram conscientiam.*

Ibid. *Quae ipse finxerat*, etc.] Phaedra apud Senecam: *Quaeque ipsa demens pectore insano hauseram*, *Mentita finxi.* Apud Nostrum in Apologetico: *Non insimulet Crassus servum suum, ipse haec potius* etc. *mentitus est.* Hieronymus ad Furiam: *Rumores turpissimos serunt: et quod ab ipsis egressum est, id ab aliis audisse se simulant.*

Ibid. *Quod promisisset grande silentii pretium, quod recusanti mortem sit comminatus*] Vide supra pag. [hui. Ed. 278, a.] adnotata.

Ibid. *Haec* etc. *ad veritatis imaginem verberone illo simulata trepidatione perferente, finitum est iudicium*] Valer. Maximus 6. 8. *Quia verisimile videbatur, habita est voci fides.* *Ad imaginem veritatis perferre*, est, Ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα. *Fictiones sub imagine veritatis expromere*, Arnobius 5. dixit. Firmicus 5. 12. Mathes. *Faciet effractores, fures: et qui mendacia sua umbra quadam veritatis soleant ornare.* Additur, *simulata trepidatione*: quo nil potuit moralius dici. Virgilius de Sinone: *Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur.* ubi Servius: *Quasi pavitans.* Idem ad Aeneid. 11. *Sceleratorum est formidinem simulare.* Dio Cassius de Narcisso Claudii liberto: Ἔπλασσεν ὡς σφαττόμενον τὸν Κλαύδιον ὑπὸ τοῦ Σιλανοῦ αὐτοχειρίᾳ ἰδὼν, (in somno nimirum) καὶ αὐτός τε εὐθὺς ὑπὸ τὴν ἕω ἐν τῇ εὐνῇ οἱ ἔτι ὄντι, ὑπότρομος διηγήσατο.

Ibid. *Ad imaginem veritatis*] Cyprianus Epist. 75. *Ubi omnia, quamvis ad imaginem veritatis, tamen per Daemonem gesta sunt.* et alibi: *Expressa ad imaginem veritatis actione.*

Ibid. *Insui culleo* etc.] Solennis poena parricidii, quod crimen huic insonti iuveni obiectum. Iuvenalis: *Et deducendum corio bovis in mare.* ubi vetus Scholiastes: *Culleo enim inseri* (*i. insui*) *consueverant, qui haec scelera tentarent.* Idem ad ea, *Cuius supplicio non debuit una parari Simia, nec serpens unus, nec culleus unus.* *Hoc ideo, quia parricidis in culleo clausis, ad poenam simia et serpentes iungi solebant.* In sententiis Hadriani Imperatoris cum Glossariis a Vulcanio editis: Ἐγένετο νόμος τίς etc. col. 305. locus longior enim quam ut exscribi necesse. Glossae: *Colleus*, ὁ ταύρειος ἀσκὸς. Glossae aliae: Ἀσκὸς ταύρειος, *culleum.* Vide et l. 9. ff. ad leg. Pomp. de parricid.

Ibid. *Cum iam sententiae pares* etc.] Nimirum, damnatoriae omnes. Ovidius Metam. 15. *Lata est sententia tristis, et omnis Calculus immitem dimittitur ater in urnam.* Pollux 8. 4. ubi de Iudicibus consentientibus: Ἴσας τὰς ψήφους ἔθεντο, ἴσαι αἱ ψῆφοι ἠνέχθησαν.

Ibid. *Quo semel conditis calculis, iam cum rei fortuna transacto, nihil postea commutari licebat* etc.] Vide Florid. 1. sub ipsum finem. Iosephus humanum hunc morem alludens, Antiquit. lib. 9. Τὸ θεῖον κατ' αὐτῶν ψῆφον ἤνεγκεν, ἣν οὐκ ἱκεσίαις ἄν τις ἄκυρον ποιήσειεν.

Pag. 216. *Mancipabatur potestas capitis in manum carnificis*] Tacitus Annal. 3. *Servos quoque Silani, ut tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat.* Onomast. vetus: *Mancipo*, ἐξανδραποδίζω. Hesychius: Ἐξανδραποδίζεται, αἰχμαλωτίζεται.

Ibid. *Unus e curia senior, prae caeteris compertae fidei, atque auctoritatis praecipuae medicus*] Gellius 10. 17. de Democrito: *Praeter alios venerandum, auctoritateque antiqua praeditum.* Sallustius apud Servium Aen. 9. de Philippo: *Aetate et consilio caeteros anteibat.* De *fidis*, vel *compertae fidei medicis*, vide supra p. [hui. Ed. 158, b.] notata.

Ibid. *Atque auctoritatis praecipuae*]. Merito ei *auctoritatem* tribuit, quem *seniorem* vocaverat. Cicero in Catone M. *Apex senectutis est auctoritas.* Ibidem: *Habet senectus, honorata praesertim, tantam auctoritatem, ut* etc. Zeno Veronensis Serm. de Pudicitia: *Creditur aetati, creditur auctoritati.* Virgilius 11. *Tum senior* etc. ubi Servius: *Cui ab aetate praestabatur auctoritas.* Hinc *auctoritatem longaevam* lib. 28. Ammianus Marcellinus.

Ibid. *Orificium urnae*] Id est, ut infra hîc in re alia, *coopercalum.* sic supra lib. 9. *cistulae orificium.* Graecis hoc *urnae orificium* κημὸς dictum. vide Hesychium, Scholiastem ad Vespas Aristophanis, et 8. 5. Pollucem.

Ibid. *Haec ad ordinem pertulit.*] Nunciavit. Virgilius: *Gnato manes perferre sub imos.* ubi Servius: *Ut filii Turno nuncietur interitus.* Supra

prà heic, *Haec ad veritatis imaginem verberone illo perferente.* Male ergo *protulit* in Fulvii MS. *Ad ordinem:* ad concilium. Glossae: Βουλευτήριον, *curia*, *ordo*.

Ibid. *Quod aetatis sum vobis approbatus* etc.] Chilo apud A. Gellium 1. 3. *Dicta factaque mea in aetate longa pleraque omnia non fuisse poenitenda, forsitan vos sciatis etiam.* Glossae: Εὐδόκιμος πάνυ, *probatus.* Pro *quod aetatis*, malim, *quod adhuc aetatis* scribi. vide elegantissimum Hadriani Cardinalis de Sermone Latino libellum. Apud Suetonium Domitianus ad Senatum: *Usque adhuc certe animum meum probástis, et vultum.*

Ibid. *Nec patiar falsis criminibus petito reo* etc.] Infra hic: *Non patiar* etc. *non patiar contra fas de innocente isto vos iuvene supplicium sumere.* Auctor Dialogi de Oratoribus: *Non inauditum et indefensum seculum nostrum patiar hac vestra conspiratione damnare.* Apud Senecam Controvers. 7. 1. *Ignosce si diligentior sum, cum videam hominem tam facile damnari.*

Ibid. *Nec vos, qui iureiurando adstricti iudicatis*, etc.] De hoc more iam alii. Apud Lucianum in Stoae defensione Iudices alloquentis: Ὑμεῖς γε τοῦ ὅρκου μνημονεύσαντες, ψηφίσασθε τὰ εὔορκα.

Ibid. *Inductos servuli mendacio*] Oxon. *servili.*

Ibid. *Ipse non possum, calcata Numinum religione* etc.] Sacerdos apud Quintilianum Declam. 323. *Nec religionis meae dissimulare quae acciderunt, me sinit ratio.*

Ibid. *Ut res est, de me cognoscite*] Terent. 2. 1. Adelph. *Id quod res est.* ubi Donatus: *Id quod verum est.* Supra lib. 4. *Res denique ipsa sermoni meo fidem dabit.*

Ibid. *Mecum olim convenerat*] In MSS. et editis nonnullis male, *Me non olim c.* supra lib. 2. *Mecum iamdudum grandi praemio pepigit* etc.

Ibid. *Quod aegroto cuidam dicebat necessarium, qui morbi inextricabilis veterno vehementer implicitus*, etc.] Plinius 2. 63. de veneno loquens: *Ita miserita* (Natura) *genuit id, cuius facillimo haustu, illibato corpore, et cum toto sanguine exstingueremur, nullo labore, sitientibus similes.* Proprie autem *morbo implicitus.* vide pag. 81. ad Apologiam notata.

Ibid. *Vitae se cruciatui subtrahere gestiret*] Hippocrates in *Praeceptionibus* etc. Οἱ νοσέοντες διὰ τὴν ἀλγεινὴν διάθεσιν ἀπαυδέοντες, ἑαυτοὺς τῆς ζωῆς μεταλλάσσουσι. Supra lib. 8. *Aerumnabili se vitae subtrahere* etc. *decrevit.* Et unde scimus an et ita isto loco scribendum? *aerumnabilis* (inquam) *vitae* etc. dilutior certe vulgata lectio quam pro Appuleii consuetudine.

Ibid. *At ego perspiciens malum istum verberonem blaterantem*] Scriptor vetus apud Fulgentium: *Ni ego te blaterantem aspicerem*, etc. Hesychius: Ἀλληλίζειν· ἄλλως καὶ ἄλλως λέγειν. Themist. Orat. 3. de *Calumnia* loquens: Ὄψει ἰλιγγιῶσαν καὶ λυγιζομένην, καὶ βατταρίζουσαν.

Ibid. *Causificantem, certusque aliquod moliri flagitium*] Servius ad Aeneid. 4. de Didone: *An perplexe locuta est, ut solent mali aliquid molientes?* Onomasticon vetus: *Causificor*, αἰτιολογοῦμαι.

Ibid. *Certusque aliquod moliri flagitium*] Lib. 8. *Procul dubio nescio quod scelus gestiens.*

Ibid. *Ne forte aliquis istorum* etc. *aureorum nequam vel adulter reperiatur* etc.] Tertullianus in de Poenitentia: *Qui venditant, prius nummum quo paciscuntur examinant, ne scalptus, ne rusus, neve adulter*, etc. Hinc *minae perperae*, Plauto in Trucul. vide 1. 20. Arriani in Epictetum.

Ibid. *In hoc ipso sacculo conditos eos annulo tuo praenota*] Sic in l. 1. §. 3. ff. de usur. et fruct. *Pecuniam obsignatam deponere.* et, ἐν ταῖς σφραγῖσι φυλάκια 9. 5. apud Tobiae Scriptorem. Glossae: Βαλλάντιον, *sacculum*, *sacculus.* Asconius in Verr. 2. *Pro censu privato, loculos, et aream, et saccellum dicimus.* Hesychius: Σάκελλα, ὅπου τὸ χρυσίον τίθεται. Aristophanes Thesmophor. Σακκίον ἐν ᾧ ἀργύριον ταμιεύεται.

Ibid. *Donec nummulario praesente comprobentur*] Glossarium: Τραπεζίτης, *nummularius.* Donatus ad 1. 2. Phorm. *Prius qualitas, deinde numerus pecuniae spectari solet.* Basilius Homil. in Avarit. Τοῦ νομίσματος ἐπιγινώσκεις τὸ χάραγμα, καὶ τοῦ δοκίμου διακρίνεις τὸ κίβδηλον. In Colloquiis Graecis veteribus: Δοκίμασον. Ἐδοκίμασα. Καλῶς ἔλαβες, δόκιμον ἀπόδος.

Ibid. *Iussi de meis aliquem curriculo taberna promtum adferre*] In Apologia: *Iussi curriculo iret aliquis, et ex hospitio meo Mercuriolum afferret.* ad quem locum vide olim notata. Servo apud Plautum Mostel. herus: *Curriculo abi.* Onomasticon vetus: *Curriculo*, δρομαίως. Hesychius: Ἐπιδρομάδην· παρέργως, (lege, aut περιέργως, aut μὴ παρέργως) κατὰ σπουδήν. Helladius apud Photium de servis loquens: Ἐκάλουν (αὐτοὺς) καὶ ἀπὸ τρόπου, Παρμένωνα, καὶ Πιστὸν, καὶ Δρόμωνα.

Ibid. *Videat, et suum sigillum recognoscat*] Ulpianus l. 4. quemadm. testam. aper. *Praetoris id officium est, ut cogat signatores convenire, et sigilla sua recognoscere.* adde l. 1. §. 2. eod. l. 3. §. 9. de tabul. exhib. et quae olim ad Apologiam pag. 192. adnotata.

Pag. 217. *Ingens exinde verberonem corripit trepidatio, et in vicem humani coloris succedit pallor*, etc.] Apud Quintilianum ille Declam. 17. etiam in veneni argumento: *Facinus, me ta-*

cente, *non pallor*, *non est confessa trepidatio*, etc. Seneca 97. Epist. *Proprium est nocentium*, *trepidare*. Prudentius: *Et deprensa tremit languens manus*, *et color albus*.

Ibid. *Et in vicem humani coloris succedit pallor infernus*] *Heu*, *quam difficile est crimen non prodere vultu!* *Infernus* pallor, ut in illis, *Totosque per artus It Stygius color*. Maximianus: *Inficit ora Pallor*, *et exanguis funereusque color*. quo et spectat apud Sidonium, *facies veluti umbris moestificata larvalibus*.

Ibid. *In vicem humani coloris succedit pallor*] Apud Quintilianum in Declamationibus: *Et in vicem legis ira succedit*.

Ibid. *Perque universa membra frigidus sudor emanabat*] Vide supra [hui. Ed. p. 153, b.] notata.

Ibid. *Tunc pedes incertis alternationibus commovere*] Seneca Epist. 95. *Incerti labantium pedes*. Pollux 3. 13. Περιβάδην, ἐστι, τὸ ὑπαλλάξαι τοὺς πόδας. ubi malim ἐπαλλάξαι scribi. sic, μηρῶν ἀπρεπὴς ἐπάλλαξις, apud Plutarchum in *de audiendo*.

Ibid. *Modo hanc*, *modo illam partem scalpere capitis*] Sisenna apud Sosipatrum: *Quid nunc os tuum scalpis? quid tergiversaris?* etc.

Ibid. *Et ore semiclauso balbutiens*, *nescio quas affanias effutire*] Sidonius 4. 12. *Quanquam esset trepidus et sternax*, *et prae reatu balbutiret*. In l. 10. §. 5. de quaestion. *Ex sermone et ex eo qua quis constantia*, *qua trepidatione quid dicat*, etc. *quaedam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt*. Petronius: *Obstupuerat supplicii metu*, *nec quid in re manifestissima diceret*, *inveniebat*. Tacitus Annal. 15. *Non vox adversum ea Fenio*, *non silentium: sed verba sua praepediens*, *et pavoris manifestus*, etc. Huc spectant ea Glossarii: *Trepidat*, *titubat*, σφάλλεται, πταίει, βαμβαίνει. et Hesychii: Ἑλίσσων, πλέκων, ψευδόμενος. οὐκ ἐπ' εὐθείας λέγων, etc. Sic, *varia prae timore loqui*. lib. 18. apud Ammianum Marcellinum: et Herodotum L. 2. πλανᾶσθαι ἐν λόγῳ, καὶ μὴ τὴν ἀληθηίην λέγειν. Ait, *ore semiclauso* etc. sic, *ore semiclauso loqui*, Interpres Ecclesiae Smyrnensis Epistolae ad Polycarpum. et, *semiclausam huc et illuc voluntatem iactare*, Confess. 8. 8. D. Augustinus.

Ibid. *Ut eum nemo prorsus a culpa vacuum merito existimaret*] Prudentius: *Pallor in ore Conscius audacis facti*, *dat signa reatus*. Horatius: *Ora pallor albus inficit*. ubi Scholiastes: *Velut qui conscientiam peccati monstraret*. Infra hic: *Antequam trepidatione aliqua* etc. *daret malae conscientiae suspicionem*, etc. Cicero in Partit. Orat. *Est etiam genus argumentorum aliud*, *quod ex facti vestigiis sumitur: ut*, *telum*, *clamor editus*, *titubatio*, *permutatio coloris*, *oratio inconstans*, *tremor*, etc. Idem 3. Catilinaria: *Ac mihi quidem*, *cum illa certissima visa sunt argumenta atque indicia sceleris*, *tabellae*, *signa*, *manus*, *denique uniuscuiusque confessio: tum multo certiora illa*, *color*, *oculi*, *vultus*, *taciturnitas*, etc. et in pro Cluentio: *Timor eius*, *perturbatio*, *suspensus incertusque vultus*, *crebra coloris mutatio*, *quae erant antea suspiciosa*, *haec aperta ac manifesta faciebant*. Themistius de civitate turbata et suspensa: Ἔπαλλε μὲν αὐτῆς ἡ καρδία, ἐβάμβαινε δὲ ἡ φωνή· κρύπτειν δὲ ἐπιχειροῦσα τὸ δέος, ἐξελέγχετο ὅμως ὑπὸ τοῦ πάθους, ἀλλοχροοῦσά τε, καὶ ἀδημονοῦσα, καὶ ἀπορίᾳ συνεχομένη. *A culpa vacuum* heic, ut apud Gellium 2. 23. *a dignitate et gratia vacuum*; Accium in Chrysippo, *A telis vacuus*; Ciceronem ipsum Verr. 6. *Ab his rebus* etc. *vacua atque nuda*.

Ibid. *Sed revalescente rursus astutia* etc.] *Ad mores natura recurrit Damnatos*, *fixa*, *et mutari nescia*. Auctor ad Herennium 4. *Conturbatur sane*, *sed tamen a vitio naturae non recedit*.

Ibid. *Constantissime negare*] Iuvenalis: *Quin aspice quanta Voce neget*, *quae sit ficti constantia vultus*. Tertullianus in Apologetico: *Malefici deprehensi trepidant*, *accusati negant*. Quintilianus Declam. 321. *Faciendi scelera consilium non unam viam intuetur*, *ut ad summam cogitati inchoatique perveniat: sed illam alteram*, *vel magis necessariam*, *ut quod commisit neget*. et Declam. 328. *Cauta sunt scelera*, *et circumspecta: nec enim quisquam est* etc. *tam inutilis sibi*, *ut non ista committat proposito negandi*. Apposite ad verberonem istum Donatus ad Terentium: *Primus metus adimit consilium*, *sed recognitio reddit confidentiam*. Eun. 5. 2.

Ibid. *Ministeria publica*] Sic vocantur etiam in l. 1. ff. de serv. fugit. Noster lib. 9. *publicos ministros* dixit, et lib. 3. *magistratuum ministros*.

Ibid. *Nec rota vel eculeus*, *more Graecorum tormentis eius apparata*, *iam deerant*] Non tempero mihi, quin, quod alibi, et heic faciam, id est, linguae proprietates illustrem: quas inter, ad vocem *apparari*, ubi de suppliciis agitur, adverti velim. Ovidius Met. 3. *Instrumenta necis*, *ferrumque ignesque parantur*. Ammianus Marcellinus lib. 14. *Intendebantur equulei*, *uncosque parabat carnifex et tormenta*. Quintilianus 9. Declam. *Fremebant omnia apparatu mortis*. Cyprianus in de duplici martyrio: *Candentes laminas*, *ferrum et ignem*, *reliquumque carnificinae apparatum*. Sic, *mortis apparatum* Scriptor de excidio Hierosolym. 5. 53. quem vulgo Hegesippum vocant. Seneca Controvers. 2. 5. *Explicantur tyrannicae crudelitatis adversus infelicem feminam apparatus*. Habet et emphasim suam,

suam, *tormentis apparata eius.* Donatus ad Andr. 4. 1. *Apparari cum dativo casu, semper cladem et perniciem significat.* et ibidem ad 4. 2. *Apparari, ad horrorem et timorem refertur: et casui dativo subiunctum, cladem ac perniciem significat.* Virgilius: *Cui fata parent.* ubi Servius: *Cui mortem praeparent.*

Ibid. *Sed obfirmatus mira praesumptione*, etc.] Stabilivimus iam supra pag. [hui. Ed. 327, a.] lectionem istam, contra summae eruditionis Virum Nicolaum Fabrum, qui, et heic, et lib. 8. contendebat *myrrhae* legendum. *Praesumptione obfirmari* heic, est quod Ulpianus in l. 27. §. 5. ff. ad leg. Iul. de adult. *obdurari* vocat. Plutarchus in Apophthegm. ἐμμόνως βασάνους ὑπομένειν. Aelianus Var. 2. 4. ἐγκαρτερεῖν καὶ ἐναθλεῖν ταῖς βασάνοις. sic, *patientiam*, sive *duritiam tormentorum*, in l. 1. ff. de quaestion. idem Ulpianus dixit. Apud Quintilianum ille Declam. 11. *Levat omnes cruciatus, omnem dolorem, praeparata mentem composuisse patientia: fallitur quisquis humana tormenta sola nominum atrocitate metitur, nulla poena est, nisi invito, non habemus ullum nisi ab impatientia dolorem.*

Ibid. *Nullis verberibus* etc. *succubuit*] Glossarium: Καρτερικὸς ἐν πληγαῖς, *triverbero.*

Ibid. *Nullis verberibus, ac ne ipso quidem succubuit igni*] Tacitus Annal. 15. de Epichari quadam: *Illam non verbera, non ignes* etc. *pervicere, quin obiecta denegaret.* Calanus de Gymnosophistis suis, apud Philonem, lib. ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἐλεύθ. Πῦρ, μεγίστους τοῖς ζῶσι σώμασι πόνους καὶ φθορὰν ἐργάζεται, τούτου ὑπεράνω ἡμεῖς γινόμεθα. Idem apud Clementem Alexandrinum Stromat. 4. Πῦρ ἀνθρώποις μέγιστον κολαστήριον, τούτου ἡμεῖς καταφρονοῦμεν. Lactant. 5. 12. de Christianis: *Pueri et mulierculae tortores suos taciti vincunt: et exprimere illis gemitum nec ignis potest.*

Ibid. *Poenam noxii facinoris evadere*] Supra lib. 9. *Quasi possent tanti facinoris supplicium evadere.*

Ibid. *Dabo enim rei praesentis evidens* etc.] Lib. 2. *Dabo vobis intemeratae veritatis documenta perlucida.*

Ibid. *Nec meae sectae crederem convenire* etc.] Lib. 6. *Nec sectae collegii*, etc. *ac ne meae quidem modestiae congruit*, etc.

Ibid. *Nec exitio, sed saluti hominum medicinam quaesitam esse*] Tale Plautinum illud, *Iusiurandum rei servandae, non perdundae conditum est.*

Ibid. *Sed saluti hominum medicinam quaesitam esse*] Iulianus 26. Epist. Τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην σωτηριώδη τοῖς ἀνθρώποις τυγχάνειν, τὸ ἐναργὲς τῆς χρείας μαρτυρεῖ. Hippocrates de Medico loquens, in *Praeceptionibus*: Σώζων, οὐκ ἀλλοιῶν φύσιν. ubi putem ἀπολλύων scribendum. Lex 1. ff. de extraord. cognit. *Medicorum quoque eadem causa est quae professorum, nisi quod iustior: cum hi salutis hominum, illi studiorum curam gerant.* Marcellus, ubi de medicamentorum compositione: *Ne fallare vide, ne quae sunt parta saluti, Vertat in exitium non solers cura medentis.* Cicero in de *Aruspic. respons.* de P. Clodio: *Quales hunc carnifices habere putamus, qui etiam medicis non ad salutem, sed necem utatur?*

Ibid. *Verens ne* etc.] Ita *veteres* corruptam lectionem, recte Beroaldus emendavit. Iustinus 12. *Verens ne haec opinio* etc. supra hic lib. 7. *Verentes cibariis suis.*

Pag. 218. *Dedi, non venenum, sed somniferum mandragorae illud*] Cuius inter venenum ac soporem vis media est. Frontinus 2. 5. Seneca in *de Benef.* 3. 24. de Domitii servo: *Promisit*, (venenum Domino) *et medicamentum innoxium ei dedit: quo cum sopitus esset*, etc. Onomast. vetus: *Somnifer*, ὑπνοφόρος. Oxoniensis codex, vulgatis elegantius multo, particulam negativam expungit. Q. d. medicus iste: dedi *venenum* quidem, at *soporiferum*, non *mortiferum*: quale hic furcifer exspectavit. sic supra 7. et 8. *venenum soporiferum* habuimus. *Venenum* esse ἐκ τῶν μέσων quid opus indicare? τὸ *illud* abundat, ut infra statim, et centies in Appuleio.

Ibid. *Gravedinis compertae famosum*] Hesychius: Ὑπνωτικὸν· ὁ μανδραγόρας. Pollux 2. 4. ubi de capitis affectibus: Καρηβαρία, καὶ καρηβαρικὸν ποτὸν, ἢ βρῶμα.

Ibid. *Et morti simillimi soporis efficax*] Philostratus 2. 14. Ἔστι δὲ καὶ φάρμακα ὕπνου μεμηχανευμένα τοῖς ἀνθρώποις, ὧν πίοντές τε καὶ ἀλειψάμενοι (melius ἢ καὶ ἀλειψάμενοι) καθεύδουσιν, ἐκτείνοντες ἑαυτοὺς ὥσπερ ἀποθνήσκοντες.

Ibid. *Certum extremae poenae, quae more maiorum in eum competit*, etc.] Suetonius de Nerone: *Perlatos a cursore Phaonti* (sic legendum, non *Phaontis*) *codicillos praeripuit, legitque se hostem a Senatu iudicatum: et quaeri, ut puniretur more maiorum: interrogavitque quale esset id genus poenae: et cum comperisset nudi hominis cervicem inseri furcae, corpus virgis ad necem caedi, conterritus, duos pugiones quos secum tulerat, arripuit*, etc. Apud Nostrum autem eventus rei satis evidenter monstrat, *extremae poenae* nomine *poenam crucis* intelligi: cui tamen, ex moribus Romanorum, fortasse *flagellatio* praevia.

Ibid. *Si vere morte praeventus est*] Mutavit qui non intellexit, in *praeversus est.* supra lib. 9. *Praeventus vulneribus.* ad quem locum p. [Ed. Pric. 206.] notata vide.

Ibid. *Ad istum modum seniore aderante placuit*,

cuit, et itur confestim etc. *ad illud sepulchrum* etc.] Heliodorus 2. Ἐπῃνήθη ταῦτα, καὶ ἐδόκει γίγνεσθαι, καὶ ὁρμήσαντες ἐπὶ τὸ στομίον τοῦ σπηλαίου, etc.

Ibid. *Sepulchrum in quo corpus pueri depositum iacebat*] Florid. 4. *Iacenti homini, ac prope deposito vitam attulit.* Artemidorus 2. 24. Ὁ ἀποθανὼν, εἰς τὴν γῆν κατατίθεται. Hinc explica Hesychium: Κειμήλια, τὰ ἀπόθετα χρήματα, ἀπὸ τοῦ κεῖσθαι· καὶ τὰ ἐν παραθέσει. (i. e. deposita.) μεταφορικῶς δέ ἐπὶ σώματι τίθεται. ubi σῶμα intellige πτῶμα, quod in capulo, vel in terra deponitur.

Ibid. *Nemo de curia*] Eorum qui curiales erant, qui et decuriones dicti: quia scilicet civilia munera procurabant et exsequebantur. Isidorus Orig. 9. 4.

Ibid. *De optimatibus nemo*] Glossarium: *Optimates*, πρωτοπολῖται.

Ibid. *Cooperculo capuli*] *Capulus, quod corpus capiat:* inquit Servius ad Aeneid. 11. Eundem verbis praecedentibus emenda: *Pheretrum locus ubi mortui feruntur, et est Graecum nomen*, etc. *nam Latine capulus dicitur.* scribe, *Pheretrum, loculus est ubi mortui feruntur.*

Ibid. *Eumque complexus artissime*] Supra lib. 2. *Et conversum amplexus osculatur artissime.*

Ibid. *Verbis impar praesenti gaudio*] Pacatus Panaegyrico: *Animos nostros subitis affectibus impares, perinde laetitia ac dolor, si deprehendat, externat.* Putabam *viribus* in Appuleio scribendum, ob haec Alcimi Aviti: *Par est decrescat facultas virium, crescente materia gaudiorum.* maturius re perpensa, nil muto. In fragmentis Floridorum: *Laetitia facundiae obstrepit.* Philo lib. *Quis rerum divin. haeres.* Ἐπιστομίζουσιν ὡς αἱ σφόδραι λῦπαι, καὶ ὑπερβάλλουσαι χαραί. Infra heic 11. *Haerebam tacitus, animo meo tam repentinum tamque magnum non capiente gaudium.*

Ibid. *Feralibus amiculis obstrictus*] De Lazaro Nonnus: Ἐκ ποδὸς ἄχρι καρηνοῦ Σφιγγόμενον πληκτῆσιν ὅλον δέμας εἶχε κερίαις. ubi σφίγγεσθαι, est quod heic *obstringi.* De infante in matris utero (apud Photium) Nilus: Τοῖς παρὰ τῆς φύσεως σπαργάνοις ἐνειλημένος, προσέοικε νεκρῷ δεδεμένῳ. Pro *obstrictus* (quod inter tot alia debemus Colvii incogitantiae) legendum cum MSS. et vett. editt. *instrictus.* sic, *corpus strictum linteis*, (feralibus nempe), Auctor de *cardinal. Christi operibus*, cum Cypriano excusus. *Instringi* autem, ut *incogi, incognoscere, inconcupiscere*, et similia in Appuleio plura. *Amicula feralia* heic, quae Luc. 24. 12. Ioh. 20. 6. ὀθόνια.

Ibid. *Procedit in medium nuda veritas*] In Apologia: *Detectum mendacium est*, etc. *veritas olim interversa, nunc se effert*, etc. ad quem locum confer olim notata.

Ibid. *Servus vero patibulo suffigitur*] Servius ad Aeneid. 3. *Servos patibulis suffixerunt.* hinc Philip. 2. 7. post, μορφὴν δούλου λαβὼν, sequitur, ὑπήκοος μεχρὶ θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ. Appianus Alexandrinus Civil. 2. Ὅσοι θεράποντες ἦσαν, ἐκρεμάσθησαν.

Ibid. *Et omnium consensu*, etc.] In Apologia: *Ut omnium adsensus declaravit.* Ibidem: *De omnium consensu rus diu ablegatus.* Gellius 18. 3. *Consensu petituque omnium.*

Ibid. *Illius quidem senis famosa atque fabulosa fortuna*] In Oxon. et Lipsii MS. *famosa atque favosa fortuna.* unde miro acumine quidam, *favosa et fellosa fortuna.* Vulgatum bene retinet et explicat Beroaldus. Παρήχησις isti non aliena illa Gellii 15. 16. *Milo* etc. *exitum vitae habuit miserandum et mirandum.*

Pag. 219. *Momento modico, imo puncto exiguo*] Plinius Panaegyrico: *Quod momentum, imo quod temporis punctum*, etc.?

Ibid. *Post orbitatis periculum*] In Notis Valer. Probi: ORB. PAR. *orbati parentes.*

Ibid. *Talibus fatorum fluctibus volutabar*] Catullus: *Accipe queis merser Fortunae fluctibus ipse.* Nicetas Choniates in Alexio Comneno: Κακὸν ἐπὶ κακῷ προσβάλλει, καὶ κῦμα (ὅ φασιν) ἐπὶ κύματι ἐπικυλίνδεται. Sic, βίου τρικυμίας, Libanius in *de Vita sua*: εἱμαρμένης ῥεύματα, Synesius in Epistolis: et τύχης κύμασι χειμάζεσθαι, lib. 6. Nicephoras Gregoras.

Ibid. *Tribuni sui praecepto debitum sustinens obsequium*] Apud Quintilianum 3. Declam. *Aequum est Tribuno militem parere.* Ibidem: *Tribunus fuit, et hic miles fuit. hoc dicit: cui parere caligatum lex iubet*, etc. Pollux 1. 10. Onomastici: Στρατιώτου δὲ ἔπαινος, εὐπειθής, πειθαρχικὸς, πειθήνιος, κατήκοος, ὑπήκοος. Pro *sustinens*, (inepta lectione) ad Matth. 8. 9. monui *sistens* scribendum. Supra hoc ipso libro: *Utcunque debitum sistens obsequium.*

Ibid *Literas ad magnum scriptas Principem Romam versus perlaturus*, etc.] Ovidius: *Militis officium longa est via.* Amor. 1. *Magnum Principem* etiam Ammianus 22. Imperatorem Romanum vocat, fortasse Appuleium imitatus. Iulianus Misopogone: Κέκτημαι οὐδὲν, καὶ ταῦτα, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ἀκούων ΜΕΓΑΣ.

Ibid. *Duobus servis fratribus*] Et fratribus et sociis, ut ex sequentibus et Luciano apparet. Duplici ergo ratione fratres: cum et societas in se ius quodammodo fraternitatis habeat. l. 63. ff. *pro socio.*

Ibid. *Pistor dulciarius*] Firmicus Mathes. 8. 11. *Pistores dulciarios.* vide Colvium et Beroaldum.

Ibid. *Qui panes et mellita concinnabat edulia*] De

De tali Martialis: *Mille tibi dulces operum manus ista figuras Exstruit: huic uni parca laborat apis.* Celsus lib. 2. de opere pistoris: *Ex frumento, adipe, melle, caseo constat.*

Ibid. *Qui sapidissimis intrimentis succuum pulmenta condita, vapore mollibat*] De Sophista quodam Dissert. 7. Maximus Tyrius: Τὰ ὄψα καὶ τὰ σιτία ἡδυσμάτων συμμετρίαις, καὶ κράσεσι, καὶ ποικιλίαις, καὶ τῇ διὰ πυρὸς ὁμιλίᾳ, αὐτὰ ἑαυτῶν προσφορώτατα (melius προσφορώτερα) εἶναι παρεσκεύαζε.

Ibid. *Vitam sustinebant*] Terentius 3. 4. Adelph. *Familiam sustentat.* ubi Donatus: *Hoc verbo tenuis victus ostenditur.*

Ibid. *Meque ad vasa illa compluria gestanda* etc.] Sallustius Iugurth. *Conquirit ex agris quam plurimum potest domiti pecoris, eoque imponit vasa cuiusquemodi.*

Ibid. *Quae Dominis regiones plusculas pererrantibus* etc.] Ut solet illa hominum natio. Lib. 1. negotiator ille: *Rhegiensis sum*, etc. *melle, vel caseo, et huiuscemodi cauponarum mercibus Thessaliam, Aetoliam, Baeotiam ultro citro discurrens.* ad quae verba vide pag. [hui. Ed. 145, a.] notata. Hesychius: συνέμποροι· σύνοδοι.

Ibid. *Post opiparas coenas, earumque splendidissimos apparatus*] Ἐν διὰ δυοῖν

Ibid. *Largissimas reliquias*] Cuiusmodi lib. 2. *honestas reliquias* vocat. Supra lib. 7. *Largissimae coenae reliquiis rapinisque.*

Ibid. *Crustula*] Horatius: *Ut pueris olim dant crustula blandi Doctores.* Scholiastes Iuvenalis: *Crustula, species operis pistorii.* Ψωμοπώλας, talium venditores vocat Balsamo ad Canon 7. 6. Syn. in Trullo. Oxon. male, *crustulas.* vide quae ex Servio supra [hui. Ed. p. 395, b.] notata.

Ibid. *Lucunculos*] Ita Scaliger et Turnebus, quos ad Festum et Advers. 18. 20. consule. nec non ad Nonnium Marcellum Dionys. Gothofredum. In vett. editt. *iucunculos.* vide Beroaldum.

Ibid. *Nec enim tam stultus eram, tamque vere asinus*, etc.] Supra lib. 4. *Apud mea non usquequaque ferina praecordia.*

Ibid. *Ut dulcissimis illis relictis cibis coenarem asperrimum foenum*] Aut, cum mure Horatiano, *Essem ut ador, loliumque dapis meliora relinquens.* In Milite Plautino: *Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico.* In paroemiis Graecis: Οὐδεὶς κρέως παρόντος ἐσθίει θύμον. Plutarchus in περὶ Εὐθυμίας· Οἰκέτης τὶς ἐρωτηθεὶς ὑφ' ἑτέρου τί ποιοῦντα τὸν δεσπότην καταλέλοιπεν, ἀγαθῶν (ἔφη) παρόντων, κακὸν ζητοῦντα, καὶ γὰρ οἱ πολλοὶ τὰ χρηστὰ καὶ πότιμα τῶν ἡδέων ὑπερβαίνοντες, ἐπὶ τὰ δυσχερῆ καὶ μοχθηρὰ τρέχουσιν.

Ibid. *Asperrimum foenum*] Apud Plautum Capt. 1. *Asper meus victus sane est.* et ibidem 3. *Ad coenam asperam.*

Pag. 220. *Partes opimas q. devorabam*] Arnobius 7. *Pinguibusque se dapibus, atque opimis interficiunt cibis.* ubi forsan *infercíunt* scribendum.

Ibid. *Et rancidiora seligens, abligurribam dulcia*] Apud Terentium ille 4. 2. Adelph. *Unumquodque quod quidem erit bellissimum, Carpam.* Donatus ad Eiusdem Eunuchum: *Ligurrire dicitur, qui* etc. *multo fastidio suaviora quaeque degustat.* De *ape* Homil. 22. ad Antiochenos Chrysostomus: Οὐ πάντα ἐκλέγει, ἀλλὰ τὰ χρήσιμα λαβοῦσα, τὰ λοιπὰ ἀφίησι. Oxon. MS. et vett. editt. omnes, *iucundiora eligens.* quae, si τὸ *dulcia* permiserimus, parum commoda lectio. Iam nec altera illa, non nisi unius Lipsiani codicis (quod sciam) auctoritate fulcitur.

Ibid. *Tandem denique rupta verecundia* etc.] Lib. 4. *Tandem denique asinali verecundia ductus*, etc. et 2. *Tandem denique devorato pudore.* i. e. ut hoc loco, *verecundia rupta.*

Ibid. *At istud iam neque aequum, ac ne humanum* etc.] Arnobius lib. 7. *Humanum est istud et rectum? aut aequitatis alicuius in aestimatione ponendum?* etc. Noster in Apologia: *Hoccine verum* (i. e. iustum) *fuit? hoc, non dico, pium, sed saltem humanum?* etc.

Ibid. *Fidem minuere*] Delenda censeo, quae nec Oxon. nec duo alii MSS. agnoscunt. Incidi autem iam locum Ciceronis qui retinenda clamat: *Aeque perfidiosum et nefarium est fidem frangere, quae continet vitam: et pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit: et socium fallere qui se in negotio coniunxit.*

Ibid. *Partes electiores*] Petronius, ubi et convivium describit: *Et res electibiles* etc. *aggredimur.*

Ibid. *De reliquis aequam vindicare divisionem*] In Adelph. Terentii: *Curemus aequam uterque partem.* ubi Donatus: *Aequam quasi fratris particeps.*

Ibid. *Possumus, omnia quidem caetera, fratres manere*] Suidas: Τ' ἄλλα καὶ φιλώμεθα, λεγόμενον τὶ, οἷον· Τ' ἄλλα καὶ φίλοι ὦμεν.

Ibid. *Ab isto tamen nexu communionis discedere*] Glossarium: Κοινωνίαν διαλύω, *dissocio.* In alio Glossario: *Sociis*, κοινωνὸς, ἐμπορίας. lege, κοινωνὸς ἐμπορίας.

Ibid. *Nam video in immensum damni procedentem querelam*] Apud Petronium ille: *Ascylte, intelligo convenire nobis non posse: itaque communes sarcinulas partiamur, ac paupertatem nostram privatis quaestibus tentemus expellere.*

Ibid. *Subiicit alius, laudo istam tuam mehercules* etc. *constantiam*] *Alium* pro *altero*, et con-

constantiam pro *audacia* vel *impudentia*. ut multoties hoc in Scripto, ponit.

Ibid. *Querimoniam, quam diutissime sustinens, tacitus ingemiscebam*] Hoc est quod Iacobi 5. 9. στενάζειν κατά τίνος. ubi notata qui voluerit videat.

Ibid. *Sed bene, quod utrinque secus sermone prolato* etc.] Ita aliud par fratrum in Quintiliani 321. Declam. *Hoc primum velut mentium animique tentati veneno sumus, sed Dii melius: neque longum istud fuit, neque quidquam ex eo secutum quod emendari non possit.* Sirachides 20. 1. Ὡς καλὸν ἐλέγξαι, ἢ θυμοῦσθαι κρυπτῶν! vide et 9. 17. Levitici. In Hecyra Terentiana ille: *Haud ita decet, si perpetuam vis esse affinitatem hanc, Celare te iras, si quid peccatum a nobis, profer: Aut ea refellendo aut purgando vobis corrigemus.* Alexander apud Q. Curtium L. 7. *Nisi quae delata essent excussissem, valde dissimulatio mea suspecta esse potuisset: sed satius est purgatos esse quam suspectos. cogitate neminem absolvi posse, nisi qui causam dixerit.*

Ibid. *Ne silentio procedens simultas* etc.] Ovid. *Sed nunquam dederis spatiosum tempus in ira, Saepe simultates ira morata facit.* Tacitus Histor. 3. *Inde graves simultates, quas Antonius simplicius, Mucianus callide, eoque implacabilius nutriebat.* Cicero Verr. 7. *Tacitae magis et occultae inimicitiae timendae sunt, quam indictae et apertae.* Chrysostomus Homil. 15. in Epist. ad Ephes. Εἰ δὲ καὶ χωρὶς κραυγῆς αὐτὰ (ἀμυνομένου ἔργα nempe) ποιεῖς, καὶ ἔνδον τρέφεις τὴν πυρὰν καὶ τοὺς ἄνθρακας, τί τὸ ὄφελος τῆς σιγῆς, ἢ οὐκ οἶδας ὅτι αἱ πυρκαϊαὶ μάλιστα εἰσι χαλεπώταται, ἅιπερ ἂν ἔνδον τρεφόμεναι, μὴ φαίνωνται τοῖς περιεστηκόσιν ἑκάστοις; καὶ τραύματα, ἅπερ ἂν μὴ εἰς τὴν ἐπιφάνειαν ἐξανθήσῃ; καὶ πυρετοὶ ὅσοι τὰ ἐντόσθια καίοντες; etc. Philo de Iosephi fratribus: Τὸ μῖσος οὐκ ἐξελάλουν, ἀλλ' ἐν αὐτοῖς ἐταμιεύον· ὅθεν εἰκότως ἀργαλεώτερον ἐφύετο.

Ibid. *Deierant uterque* etc.] *Deierare, valde iurare.* Donat. ad 2. 3. Eunuchi et 5. 1. Hecyrae. Schoppius ex MS. *uterque*, male. supra 1. de duobus: *Utrique comites.*

Ibid. *Debere cunctis artibus communis dispendii latronem inquiri*] Claudianus: *Animosque ligant commercia damni.* In Oxon. melius, *inquirere.* In verbis *communis disp. latronem*, loquendi duo genera (ut et alibi) permiscuit.

Pag. 221. *Liberalibus coenis inescatus*, etc. *corpus obesa pinguitie compleveram*] Vide 23. 20. Ezechielis. Apud Petronium ille: *Quotidie magis magisque superfluentibus bonis saginatum corpus impleveram.*

Ibid. *Arvina succulenta*] Cyprianus: *Impletur in succum cibis fortioribus corpus, et arvinae toris membrorum moles robusta pinguescit.* Prudentius: *Luxus vorandi carnis arvinam foret.* Glossae: *Arvina*, λίπος ἄνευ σαρκός. In Glossis Isidori dictis: *Arvinulis: adipibus.* vide et Beroaldum.

Ibid. *Sed iste corporis mei decor pudori meo peperit grande dedecus*] Hieronymus Epist. ad Salvinam: *Quos suspectos faciebat aut cultus immoderatior, aut crassi corporis nitor.*

Ibid. *Tergoris vastitate*] Lib. 8. de lupis: *Vastis corporibus sarcinosos.* vide pag. [hui. Ed. 193, a.] adnotata.

Ibid. *Dirigunt animos*] Seneca 6. 16. de Benef. *Si nunquam in me direxit animum.*

Ibid. *Expositis epulis inhaerentem*] Vide supra [hui. Ed. 315, b.] dicta.

Ibid. *Infandam memoratu* etc.] Virgilius: *Infandum Regina iubes memorare dolorem.*

Ibid. *Ac tam liber cachinnus cunctos invaserat*, etc.] *Cachinnus liber*, est qualem supra lib. 2. *cachinnum licentiosum* dixit. In quibusdam hîc *liberalis c.* Oxon. *ioci cachinnus.* ex quo sive *iocundus*, sive *iocularis* legeris, satisfaciet neutrum. *Invaserat*, κατειλήφει, ut apposite in Glossario vertitur.

Ibid. *Sciscitatus denique*, etc.] Idem Codex, *sciscitans.*

Ibid. *Per idem prospiciens foramen, delectatur*] Lib. 9. *Inoptabilis officina disciplinam cum quadam delectatione arbitrabar.*

Ibid. *Ac dein risu ipse quoque latissimo adusque intestinorum dolorem redactus*] Lucianus in Eunucho: Πάντας ὁ γέλως κατεῖχε, καὶ οὐδεὶς ὅστις οὐ τὴν γαστέρα ἤλγει, βρασσόμενος ὑπ' αὐτοῦ. *Latissimus risus* Graecanicum est. vide in πλατὺν γέλωτα, Suidam et Phrynichum. supra hîc lib. 6. *Latissimum cachinnum extollit.*

Ibid. *Coram arbitratur*] Oxon. *Arbitrabatur.*

Ibid. *Securus esitabam*] Lib. 7. *Praesepio securus incumbens.* ubi dicta pag. [hui. Ed. 295, b.] vide.

Pag. 222. *Quicquid potissimum abhorreret asinus excogitantes, etc. id offerunt mihi*] E converso in Hermagora Noster, apud Priscianum lib. 10. *Cibatum quem iucundum esse nobis animadverterant, eum apposiverunt.*

Ibid. *Carnes lasere infectas*] Vide Beroaldum.

Ibid. *Altilia*] Glossarium Isidori: *Altilis, pasta, ab alendo.* vide ad Apologiam pag. 83. notata. Excerpta veteris Glossarii: *Altiliarius*, ὀρνιοτρόφος.

Ibid. *Exotico iure perfusos*] Sic, *iure perfundi*, Seneca 95. Epistola.

Ibid. *Interim convivium summo risu personabat*] Supra lib. 2. *Inter haec, per convivium totum licentiosus cachinnus effunditur.* i. e. per totum

tum locum in quo convivium. vide 18. 7. A. Gellium. Hesychius: Συμπόσιον. τόπος εὐωχίας καὶ πόσεως. Tertullianus cap. 14. de Idololatria: *Convivia constrepunt.*

Ibid. *Summo risu personabat*] Petronius: *Omnia nimio risu exsonuerant.*

Ibid. *Sarrula*] Vide Vulcanium col. 62. ad veteres Glossographos.

Ibid. *Poculum quoque mulsi* etc.] MS. Oxon. *paulum.* tres alii, *paululum.*

Ibid. *Date (inquit) huic quidpiam meri*] De Philemone Valer. Maximus: *Paratas ei ficus* etc. *asello consumente, puerum ut illum abigeret, inclamavit: qui cum iam comestis omnibus supervenisset, quoniam (inquit) tam tardus fuisti, da nunc merum asello.* Eandem rem narrat et Lucianus Macrobiis.

Ibid. *Sodali huic*] Festus Pompeius: *Sodales quidam dictos putant, quod una sedeant, edantque.* Onomasticon vetus: *Sodalis, σύσσιτος.*

Ibid. *Quod dictum Dominus secutus*] I. e. adsensu secutus.

Ibid. *Illum aureum cantharum mulso et multo contempera*] Redeant ad sedes suas illa *et multo*, a Colvio ex Lipsii MS. importunissime inferta, nec aliorum codicum, aut caeterarum editionum assensu munita. Oxon. *aereum crateram.* Virgil. 2. *Crateresque auro solidi.* quod etsi in idem ferme recidat, malim *cantharum* tamen. nam et supra 9. *aureum cantharum* habuimus, et 7. *vinum cantharis immistum.* Pontanus ad Macrobii 7. 12. haec citans, legit, *mulso et musto contempera.* Quid voluit vir doctissimus cum id scriberet? si *mulsi* ex melle et vino confectio est, quid *musti* additamento opus.

Ibid. *Epulonum*] Onomast. vetus: *Epulones, δαιτυμόνες.*

Ibid. *Otiose*] Ἠρέμα. secure.

Ibid. *Uno haustu perhausi*] *Impiger hausit Spumantem pateram, et pleno se proluit auro.* Suidas: Σπασάμενος ἀκράτου οἴνου ἐκπιών. Eundem vide et in ἀμυστὶ πίνειν. Pollux 6. 3. Ἀμυστὶ πίνειν, ἀμυστίζειν, χανδὸν πίνειν.

Ibid. *Clamor exurgit* etc. *cunctorum*] Hieronymus in Hilarionis vita: *Clamor ortus ab omnibus.* Gellius 15. 22. *Clamor factus, et orta admiratio est.*

Ibid. *Salute me prosequentium*] Haec absunt ab Oxon. Palat. et Lipsii MS.

Ibid. *Magno denique delibutus gaudio Dominus*] Vicent. edit. et Oxon. cod. *Magnoque delibutus g. D.*

Ibid. *Vocatis servis emptoribus meis*] Iidem, *V. servis suis, e. meis.*

Ibid. *Quadruplum restitui pretium*] Τετράπλουν ἀποδέδοσθαι Luc. 19. 8.

Ibid. *Cuidam acceptissimo liberto suo*] Gloss. *Acceptus*, προσφιλής, etc. Sic, *acceptissimus servus*, in Plautinis Capteivis. et Luc. 7. 2. δοῦλος ἔντιμος, ad quem locum σὺν θεῷ plura annotabimus.

Ibid. *Et satis peculiato*] Glossae: Πεκούλιον· οὐσία ὑπεξούσιου, ἢ δούλου, *peculium.* Glossae aliae: *Peculiatus*, κτήσιος, πολυούσιος. In vetere Onomastico: *Peculio, as*, ἀργυρίου τιμῶ. ita enim, non τιμῶν scribendum.

Ibid. *Magna praefatus diligentia tradidit*] *Praefatus* servandum vel curandum intellige: oratio enim est elleiptica. Supra lib. 7. *Evocato armentario equisone, magna cum praefatione deducendus assignor.*

Ibid. *Voluptates eius* etc. *instruebat*] Supra lib. 4. *Voluptates publicas instruebat.*

Pag. 223. *Suffixo cubito*] Lib. 2. *Suffultus in cubitum.* ubi pag. [hui. Ed. 184, b.] adnotata consule.

Ibid. *Dein adluctari, et insultare* etc. *perdocuit*] Plutarchus in περὶ Τύχης, de elephanto: Ὀρχήσεις μανθάνει, καὶ χωρείας, καὶ προσκυνήσεις.

Ibid. *Verbis nutum commodare*] Quintilianus 11. 3. *Non manus solum, sed nutus etiam declarant voluntatem nostram, et in mutis pro sermone sunt.*

Ibid. *Ut, quod vellem, relato: quod nollem, reiecto capite monstrarem*] Gellius 10. 4. *Cum adnuimus vel abnuimus, motus ille capitis a natura rei non abhorret*, etc. Hesychius: Ἀνανετεῖ, (fortasse ἀνανεύει legendum) ἀρνεῖται· ἀπὸ τοῦ ἄνω νεύειν, ἢ ἀπαρνεῖται. Homerus: Τὸν δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσεν. Quae citans 1. Epist. 7. Plinius iunior, subiungit, *Ego quoque simili nutu ac renutu respondere tuo voto possum.* vide Artemidorum 5. §. 72. 73. De *manibus* Quintilianus. *Annuendi quoque et renuendi ratione demittuntur aut allevantur.* Ἀνανεύει autem in Hesychio legendum probabile est ex eiusdem hisce, Ἀνανεύων· παραιτούμενος.

Ibid. *Reiecto capite*] Supra lib. 2. *In rubore suffusus, reiecto capite restiti.* Oxon. et alius MS. *deiecto c.*

Ibid. *Sitiensque pocillatore respecto* etc.] Iuvenalis: *Tu Getulum Ganymedem Respice, cum sitias.*

Ibid. *Ciliis alterna connivens* etc.] Ὀφρύσι νεύειν Homero Iliad. 10. Hesychius: Ὀφρυάζει· ταῖς ὀφρύσι νεύει.. quod Nonnus ad Ioannis 13. λάλον σιωπὴν vocat. Simile in Plautino Milite, *oculis signum dare.*

Ibid. *Bibere flagitarem*] Cicero Verr. 3. *Poscunt maioribus poculis.* ubi Asconius, *A pincerna: id est, petunt, ut subaudiatur, bibere.*

Ibid. *Atque haec omnia perfacile obaudiebam*] Wowerius, *obibam.*

Ibid. *Me obtruncatum, vulturibus opimum pabu-*

bulum redderent] Lib. 7. *Heus tu puer, obtruncato protinus isto, intestina quidem canibus nostris iacta*, etc.

Ibid. *Iamque rumor publice crebuerat* etc.] Supra lib. 1. *Publicitus indignatio percrebuit.*

Ibid. *Quo conspectum* etc. *effeceram Dominum*] Id est, *conspicuum*, περίβλεπτον. sic, *in armis conspectum*, Virgilius et Avienus dixere.

Ibid. *Hoc enim nomine meus nuncupabatur Dominus*] Lib. 8. *Hoc enim nomine censebatur iam meus Dominus.*

Ibid. *Gradatim permensis honoribus*] L. 4. §. 5. de Muner. et honor. *Neque prius maiorem magistratum quisquam, nisi minorem susceperit, gerere potest.* Hinc, *gradatim honores deferre*, in l. 11. §. 1. d. tit. et, *honores ordinatim petere*, apud Marcum Sulpicium (in Epist. Cicer. famil. 4. 5.) Vide quaest. politic. Part. 1. qu. 10. Melch. Iunium. Glossae: *Gradatim*, βαθμηδὸν, κατὰ βαθμόν.

Ibid. *Latius munificentiam suam porrigebat*] Hoc sensu capienda Glossarii ea, *Munificentia*, δωρεὰ, φιλοτιμία. item, φιλοτιμία, *munificentia*, etc. *munus.* Extenditur vox haec et ad opera publica. Glossarium, Isidori dictum: *Munificentia, opus publicum.*

Ibid. *Nobilissimas feras*] Quales *primae formae feras* lib. cur bon. viris etc. Seneca vocavit.

Ibid. *Et famosos gladiatores*] Vide supra pag. [hui. Ed. 221, b.] notata.

Ibid. *Ex arbitrio coemptis*, etc.] E converso, *ex sententia* (quod hic *ex arbitrio*) *vendere*, in Plautina Mercatore.

Pag. 224. *Spretis luculentis illis vehiculis suis*] Basilius homil. εἰς τ. πλουτοῦντας, de luxu divitum: Ὀχήματά ἐστι μύρια, τὰ μὲν σκευαγωγοῦντα, τὰ δὲ αὐτοὺς περιφέροντα, etc. Oxon. *Enim spretis* etc.

Ibid. *Quae partim contecta* etc.] Pollux 10. 12. Καὶ τὰ μὲν τῶν ὀχημάτων σκευοφόρα ἂν εἴη, etc. τὰ δὲ κατάστεγα, καὶ στεγαστά. Curtius lib. 9. de Alexandro: *Vehicula deinde constrata, ut plures capere milites possent: tabernaculum in modum ornari* (praecepit) *alia candidis velis, alia veste pretiosa.*

Ibid. *Equis etiam* etc. *quibus generosa soboles pretiosam perhibet dignitatem*] Basilius ubi supra: Ἵπποι παμπληθεῖς, καὶ οὗτοι γενεαλογούμενοι ἀπὸ εὐγενείας πατέρων, ὥσπερ οἱ ἄνθρωποι.

Ibid. *Me phaleris aureis, et fucatis ephippiis, et purpureis tapetis, et frenis argenteis, et pictilibus balteis* etc. *exornatum*] In de Deo Socratis: *Neque enim in emendis equis phaleras consideramus, et baltei polimina inspicimus, et ornatissimae cervicis divitias contemplamur: si ex argento et auro monilia variae gazae dependent, si plena artis ornamenta capiti et collo circumiacent: si fraena coelata, si ephippia fucata, cingula aurata sint: sed* etc. Gellius 5. 5. de Antiocho R. *Inducebat etiam* etc. *equitatum, fraenis, ephippiis, monilibus, phaleris praefulgentem.* Philostratus 1. 20. Φαλάροις (ἵππον) κοσμήσας, ὥσπερ εἰς πομπήν. Apud Achillem Tatium ille lib. 1. Ἐκαλλώπιζον τὸ πονηρὸν θηρίον (πονηρὸν, quia Dominum suum occiderat) προστερνιδίοις, προμετωπιδίοις, φαλάροις ἀργυροῖς, χρυσαῖς ἡνίαις, etc. Vide Chrysostomi Homil. 10. ad cap. 3. Philipp. Male Modius autem, *purpureis capistris:* peius Scoppius *capitiis* reponebat. Virgilius: *Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis.* Basilius ubi supra: Χαλινοὶ, καὶ ζῶναι, καὶ περιδέῤῥαια πάντα ἀργυρᾶ, πάντα χρυσόπαστα, ΤΑΠΗΤΕΣ ἁλουργοὶ, κοσμοῦντες ἵππους ὥσπερ νυμφίους. sic, 2. Maccab. 3. 25. ἵππος καλλίστῃ σάγῃ κεκοσμημένος.

Ibid. *Exornatum*] Ita, *iumentum itineris causa ornatum ducere*, in l. 38. §. 11. de aedil. edicto.

Ibid. *Quod haberet in me simul et convivam et vectorem*] Lib. 8. *Ut duplici scilicet pondere gravatus, et horreum simul, et templum incederem.*

Ibid. *Partim terrestri, partim maritimo itinere*] Plinius 10. Ep. 15. *Destino partim orariis navibus, partim vehiculis Provinciam petere.* Sic, κατὰ θάλασσαν καὶ πεζῇ in Platonis *Politico.* vide et Act. 20. 13. Supra lib. 2. *Maris et viae iter.* ubi dicta pag. [hui. Ed. 178, a.] vide.

Ibid. *Ut non mediocri quaestui praeposito meo fuerim*] Ἐργασίαν αὐτῷ πολλὴν παρεῖχον, ut Act. 16. 16. illa.

Ibid. *Matrona quaedam pollens et opulens*] Oxon. et Lipsii MS. *Matrona q. opulens.* Palat. *M. q. pollens*, sequentibus deletis. *Pollens* intellige *splendens*, honore ac dignitate lucens. Glossae: *Pollens*, φανεὶς, λάμψας.

Ibid. *Per admirationem assiduam paulatim in admirabilem mei cupidinem incidit*] Heliodorus lib. 7. Τὸ θαῦμα λανθάνον εἰς ἐρωτικὸν πάθος κατέφερε. Nec mirum hoc accidisse mulieri opulentia diffluenti. Ovidius: *Divitiis alitur luxuriosus amor.*

Ibid. *Ad instar asinariae Pasiphaës complexus meos ardenter appetebat*] *Sapiunt videntque magnam Matronae quoque mentulam libenter.* Iuvenalis de huiusmodi matrona: *Iubet sumpto iuvenem properare cucullo: Si nihil est, servis incurritur: abstuleris spem Servorum, veniet conductus aquarius: hic si Quaeritur, et desunt homines, mora nulla per ipsam Quo minus imposito clunem submittat asello.* Ita equi coitum a Semiramide expetitum ex Iuba 8. 42. Plinius nar-

narrat. Τὸ *expetebat* Beroaldinum est, non Apuleianum. MSS. vetustaeque editiones, uno agmine *exspectabat* legunt: quae vox alterius illius virtutem et efficaciam possidet, plerumque enim quae exspectamus, ea expetimus desideramusque. Sic saepius in novo foedere, ἐκδέχεσθαι et προσδέχεσθαι. ut Ioh. 5. 3. Iacob. 5. 7. Marc. 15. 43. Tit. 2. 13. et alibi.

Ibid. *Grandi praemio* etc. *depacta est unius noctis concubitum*] In Apologetico: *Cum ipso de uxoris noctibus paciscuntur.* Onomasticon vetus: *Depeciscor*, συντίθεμαι. et nota, *grandi praemio depacta.* Supra lib. 2. *Qui mecum iamdudum grandi praemio pepigit*, etc.

Pag. 225. *Lucro suo tandem contentus annuit*] Pausanias Messeniacis: Ἐν τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει καὶ ἄλλων ἐνόντων ἐφ' οἷς βιαζόμεθα ἄδικοι γίνεσθαι, τὰ κέρδη μεγίστην ἀνάγκην ἔχουσι. Supra 7. de latronibus: *Nihil lucro suo anteferre debere.* Τὸ *tandem* a Wowerio est, cum antea *tantum* legeretur. τὸ *contentus* a Colvio, pro quo malim *intentus* scribi. sic supra 4. *aerugini intentus*, Oxoniensis autem, et duo alii MSS. *L. s. tantum consensum annuit.*

Ibid. *Dii boni! qualis ille, quamque praeclarus apparatus!*] Petronius: *Qualis nox fuit illa, Dii Deaeque! Quam mollis torus!*

Ibid. *Quatuor Eunuchi confestim pulvillis compluribus ventose tumentibus pluma delicata* etc.] Zeno Veronensis Serm. de spiritu et corpore; *Delicate tumentis ac reflabilis tori plumeo sepulchro superba.* Plutarchus in περὶ ἀοργησίας· Στρωμνὴ ὥσπερ θάλασσα οἰδοῦσα. Chrysostomus Homil. in saltat. Herodiadis: Μαλακὰ χηνοπλεύματα, ἐκλύοντα καὶ χαυνοῦντα τῶν ἀνδρογύνων τὰ σώματα. Philo in de Somniis: Μαλακῶς σφόδρα κατακλίνονται, τῶν γυναικῶν τρυφὴν ἐκμιμούμενοι. Eunuchorum autem, ut qui cubicularii essent, officium fuit lectum sternere. Glossae: *Cubicularius*, εὐνοῦχος. sic, θαλαμηπόλοι Eunuchi apud Nicetam Choniatem in Alexio Duca. De Eunuchorum apud primates foeminas ministerio, ad Act. 8. 27. diximus.

Ibid. *Terrestre nobis cubitum praesternunt*] Nec enim lectus asino inscensu facilis. Oxon. et Vicent. editio, *terrestrem*, et, *praestruunt.*

Ibid. *Sed et stragula veste, auro ac murice Tyrio depicta probe consternunt*] Eubulus Comicus apud Pollucem 6. 1. Ταῖς ξυστίσι ταῖς χρυσοπλάσταις στρώννυται. In Gnomologico Solomonis cap. 7. 16. ex meretricis persona: Κειρίαις τέτακα τὴν κλίνην μου, ἀμφιτάποις διέστρωσα τοῖς ἀπ' Αἰγύπτου. Ovidius de Pygmalione suae manus fabricam adamante: *Collocat hanc stratis concha Sidonide tinctis, Appellatque tori sociam, inclinataque colla Mollibus in plumis tanquam sensura reponit.*

Ibid. *Probe consternunt*] Infra hic, argum. non dissimili: *Dum magister meus lectulo probe coaptando* etc. *inservit.*

Ibid. *Brevibus admodum, sed satis copiosis pulvillis, aliis nimis modicis, queis maxillas et cervices delicatae mulieres suffulcire consueverunt*] Pollux ubi supra: Καὶ πτερωτὰ καὶ πιλωτὰ προσκεφάλαια ὀνομάζουσι. De talibus (in de adulat. et amici discrimine) Plutarchus: Προσκεφάλαια, ἃ δοκοῦντα ταῖς κεφαλαῖς ἀντερείδειν καὶ ἀντέχειν, ἐνδίδωσι καὶ ὑπείκει μᾶλλον. In verbis Auctoris nostri (quae, ut eduntur, nullam sententiam continent) post vocem distinctionem tolle, et, pro *aliis*, lege *illis.* Sic 5. *Mirisque illis et beatis eduliis* etc. et saepissime in his libris. Tentârunt alii locum hunc, sed infoeliciter. Ad vocem *suffulcire* pertinent Hesychii ista: Ἐπηρέσιον· τὸ προκεφάλαιον.

Ibid. *Nec Dominae voluptates diutina sua praesentia morari*] In Declamatione Porcii Latronis dicta: *Cur voluptates nostras diutius remoraris?* Supra heic lib. 2. *Nec voluptas nostra ulterius differetur.*

Ibid. *Diutina sua praesentia morati*] In Terentiana Hecyra 4. 2. *Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre, Ne mea praesentia obstet.*

Ibid. *Cerei praeclara micantes luce, nocturnas nobis tenebras inalbabant*] Lib. 4. *Taedis, lucernis, cereis*, etc. *nocturni luminis instrumentis, clarescunt tenebrae.* Pro, *praeclara micantes luce*, malim *clara praemicantes luce* reponi. supra lib. 5. *Lucernam claro lumine praemicantem.* et 11. *Candore nimio Lunae praemicantem orbem.* sic ibidem: *veste nivea praenitere.* Lucianus hoc ipso loco, Λύχνοι μέγα τῷ πυρὶ λαμπόμενοι. quod quid aliud quam *praemicare* innuit?

Ibid. *Nocturnas nobis tenebras inalbabant*] Melius in Oxon. *inalbebant.* Supra lib. 7. *Tenebris abiectis dies inalbebat.* id est, τῷ *in* (ut alibi monuimus) solenni eius consuetudine adiecto.

Ibid. *Cuncto prorsus spoliata tegmine*] Lib. 2. non dissimili scaena: *Laciniis cunctis suis renudata.*

Ibid. *Taenia quoque qua decoras papillas devinxerat*] Scholiastes ad Aristophanis Plutum: Ταινία, στενόν τι καὶ ἐπίμηκες ὕφασμα· κοινότερον δὲ εἰπεῖν, φασκία. Martialis: *Fascia crescentes Dominae compesce papillas.* Pollux 7. 14. Τὸ τῶν μαστῶν τῶν γυναικείων ζῶσμα ταινίαν ὠνόμαζον, καὶ ταινίδιον. adde quae supra [hui. Ed. p. 172, a.] adnotata.

Ibid. *De stanneo vasculo*] Lucianus hic, ἔκ τινος ἀλαβάστρου. vide ad Matth. 26. 7. dicta.

Ibid. *Sed multo tanta impensius cura etiam nares perfundit meas*] Colvius: *S. m. tanto impensius cura, etiam nates p. m.* Nates habet

et Oxon. et Fulvii MS. lectionem priorem autem poscunt Luciani ista: Ἔνθα μάλιστα τὴν ῥῖνά μου μύρῳ ἐνέπλησε.

Ibid. *Non qualia in lupanari solent basiola iactari*] Ovid. Amor. 2. 5. *Qualia non fratri tulerit germana severo, Sed tulerit cupido mollis amica viro. Qualia credendum est non Phoebum ferre Dianae, Sed Venerem Marti saepe tulisse suo.*

Ibid. *Meretricum poscinummia, vel adventorum negotinummia*] *Poscinummia*, negotio nullo: *negotinummia*, nullo studio intelligimus. quae enim Beroaldus, difflatu perfacilia. Florentinus Codex, *regatinummia*, corrupte quidem, non longe autem ab incorrupta lectione, *negantinummia*, quam servavit nobis Oxon. MS. Poscunt meretrices nummos, adventores negant. d'Orleans ad Tacitum Ann. 11, et hîc Schoppius, *advocatorum* reponunt. rectior vulgata lectio, ut ex 1. lib. Beroaldus indicavit. *Poscere* vox propria meretricibus. Gellius 1. 8. de Laide: *Neque admittebatur, nisi qui dabat quod poposcerat: poscebat autem nimiam quantitatem.* Apud Plautum Asinar. illa: *Lingua poscit, corpus quaerit.* Catullus: *An illa puella defututa, Tota millia me decem poposcit?*

Ibid. *Sed puta atque sincera*] Sic, γνήσια καὶ ἀψευδῆ φιλήματα, Aristaenetus: et, χείλεσι γνησίοις ἀσπάζεσθαι (at sensu alio) Basilius Seleuciensis. Nota et lupanarium basiis *sincera* opponi. Donatus ad 1. 2. Eunuchi: *Sincerum, purum*, etc. *ut mel sine cera. et bene, ut mel blandimentum meretricis dulce fatetur, negat autem sincerum esse.* Non multum hinc abeunt Sidonii 9. 6. illa: *Plurimum differt ille honestissimus et uxorius amor a figmentis illecebrisque concubinalibus.*

Ibid. *Blandissimos adfatus instruit*] Asconius ad Verr. 2. *Foeminis, ac maxime meretricibus* (talis matrona ista) *blanditiae conveniunt.* Donatus ad 5. 4. Hecyrae: *Blandimentum, meretricium est.*

Ibid. *Blandissimos affatus*] Sic supra hoc ipso libro, *sermones comissimi.* Spartianus in Didio Iuliano: *Affatus blandissime est.*

Ibid. *Sine te iam vivere nequeo*] Illustremus loquendi formulam adhuc aliis intactam. Seneca Controvers. 2. 2. *Assiduae certationes erant: ego magis amo, imo ego. Sine te vivere non possum: imo, ego sine te.* et in Themate 6. 4. *Rogavit illa* (uxor) *ut partem* (veneni) *sibi daret: et dixit se nolle sine illo vivere.* Zeno Veronensis Serm. de Pudicitia: *Tu (inquam) non es quae nunc caelum ipsum ululatibus rumpens, post talem maritum puncto temporis vivere te non posse clamabat?* Apud Quintilianum 6. Declam. *Quae misera desiderio tui dies noctesque fletibus iungit: quae vivere sine te non potest.* Terentius 3. 2. Adelph. *Qui sine hac iurabat se unum nunquam victurum diem.* Apud eundem 1. 4. Phorm. *Si eo meae fortunae redeunt* etc. *abs te ut distrahar, Nulla'st mihi vita expetenda.* Plinius 21. 3. ex Cleopatrae persona: *Adeo mihi, si possim sine te vivere, occasio aut ratio deest.* Apud Petronium ille: *Quid? donas mihi cum sine quo vivere non potes?* Plautus Milite: *Vivere sine illo scio me non posse.* Ovidius: *Qua sine non posse est vivere, posse mori est.* Clitophon apud Achillem Tatium L. 3. Οὐδὲ γὰρ ζῆν ἔτι δύναμαι etc. Λευκίππης οὕτως ἀνῃρημένης. Apud Heliodorum lib. 5. Οὐκ ἔστιν ὅπως βιώσωμαι, τούτων χωριζομένων. Longus ποιμεν. β. Δάφνις τὸν Πᾶνα ὤμοσεν μὴ ζήσεσθαι μόνος ἄνευ Χλόης μηδεμιᾶς χρόνον ἡμέρας· ἡ δὲ Χλόη Δάφνιδι τὰς Νύμφας, τὸν αὐτὸν ἕξειν θάνατον καὶ βίον. Augustinus Confess. 4. 5. de Pylade et Oreste: *Qui vellent pro invicem, vel simul* (lege, *vel potius, simul*) *mori: quia morte peius erat eis non simul vivere.* Seneca (hunc morem respiciens) 91. Epist. *Illius* (de *Virtute* loquitur) *quadam superstitione teneantur: hanc amant, cum hac vivere velint, sine hac nolint.*

Ibid. *Et caetera queis mulieres* etc.] Illa *caetera*, sunt quae Amor. 3. Ovidius vocat *publica verba: Et mihi blanditias dixit, Dominamque vocavit: Et quae praeterea publica verba iuvant.* et 2. 20. Aristaenetus, τὰ συνήθη· Ὁ ἱκετεύων ἔφασκε ταῦτα δὴ τὰ μυριόλεκτα καὶ συνήθη etc. τοῖς ἐρῶσιν.

Ibid. *Capistroque me prehensum* etc. *reclinat*] Apud Petronium ille: *Implicitumque me brachiis pluma mollioribus, in terram deduxit. Reclinare* heic vox commoda. supra lib. 9. *Inclinatam dolio uxorem fabri* etc. *dolabat.* ad quem locum p. [hui. Ed. 336, a.] adnotata vide.

Ibid. *Vino pulcherrimo memet madefeceram*] Viaticum itineri secuturo non incommodum. vide supra [hui. Ed. p. 175, b.] adnotata.

Ibid. *Et unguento fragrantissimo* etc.] Unguento, quale illud de quo Catullus: *Quod tu cum olfacies, Deos rogabis Totum ut te faciant Fabulle nasum.* Notemus autem *vini* et *unguenti* coniunctionem. Seneca Thyeste: *Nitet fluente madidus unguenti comam, Gravisque vino.* Seneca alter 122. Epist. *Licet in vino unguentoque tenebras suas exigant.* et Epist. 109. *Inde in omnem vitam unguento abstinemus:* etc. *inde vino caret stomachus:* etc. Scriptor Sapientiae μιμητικῶς 2. 7. *Vino pretioso et unguentis impleamus nos.* Quintilianus Declam. 298. *Flagrantem mero vidi, redolentem unguenta.*

Pag. 226. *Proluvium libidinis suscitâram*] Onomasticon vetus: *Proluvium*, πρόεσις. vide hîc Beroaldum. In Oxon. male, *perfluvium.*

Ibid. *Angebar plane non exili metu*] In Apolo-

logia: *Ea sollicitudo non mediocriter animum augebat.*

Ibid. *Quemadmodum tantis tamque magnis cruribus possem delicatam matronam inscendere*] Thomas Morus: *Ergo puella, viri quis te neget esse capacem, Cum tua tam magnum circundent crura caballum? Inscendere* proprie dixit. Pollux 5. 15. Τὸ μίγνυσθαι, ἐπὶ τῶν ἀλόγων, βαίνειν, ἐπιβαίνειν, etc. Suidas: Ἐπιβάτευον, συνουσίαζον, etc. ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ζώων, ἃ ἐπιβαίνοντα συνουσιάζει. *Matrona delicata*, ut apud Cyprianum in de Moralitate. Interpres vetus de Susanna: *Erat delicata, ac pulchra specie.* Supra heic lib. 9. *delicias matronarum* habuimus.

Ibid. *Lacte ac melle confecta membra*] In fragmentis Petronii: *Mellea purpureum depromunt ora ruborem, Lacteaque admixtus sublimat pectora sanguis.* adde supra p. [hui. Ed. 205, a.] notata.

Ibid. *Duris ungulis complecti*] Infra heic: *Privatus humana manu, privatus digitis, ungula rotunda atque mutila gladium stringere nequaquam poteram.*

Ibid. *Labiasque modicas* etc.] Charisius tamen, *Labra modica, labia immodica: et inde Labeones.*

Ibid. *Amplo ore*] Vide supra [hui. Ed. 265, b.] notata.

Ibid. *Saxeis dentibus*] Infra lib. 11. *Dentes saxei redeunt ad humanam minutiem.*

Ibid. *Quanquam ex unguiculis perpruriscens*] *Quanquam voluntate cupienti praeditus:* ut eod. lib. 11. locutus. Virgilius: *Neque tendere contra Ille quidem hoc cupiens, potis est.* Aen. 9. In Pseudolo Plautina: *Hoc febrim tibi esse, quia non licet* etc. *iniicere ungulas.*

Ibid. *Tam vastum genitale*] De asino signatissime. Lampridius de Commodo: *Habuit et hominem pene prominente ultra modum animalium, quem ὄνον appellabat.* Et Graecis ὄνος *virilitas*, si Phavorino fides.

Ibid. *Dirupta* etc.] Vide supra p. [hui. Ed. 292, a.] dicta.

Ibid. *Molles interdum voculas* etc.] Iuvenalis: *Cuius non excitat inguen Vox blanda et nequam?*

Ibid. *Commorsicantibus oculis*] Si vera lectio ista, *morsicantes oculos* vocat, quales *udos ac tremulos, et libidine marcidos* supra lib. 2. appellavit. etsi de vocis ratione mihi parum satisfacio. Putabam, nec ab re fortasse, *osculis* scribendum. mordentium osculorum mentio haud rara apud veteres Poëtas.

Ibid. *In summa*] Onomasticon vetus: *In summa*, ὅλως.

Ibid. *Teneo te, inquit*] Nota vocis proprietatem. Lib. 5. Psyche cum Cupidine volutans: *Teneo te meum lumen.* Apud Petronium ille: *Teneo te inquit*, etc. *tu desiderium meum.* In Epistolis Ovidianis: *Lumina demitto, cum te tenet arctius ille.* Ibidem: *Totis indignus noctibus ille Te tenet, amplexu perfruiturque tuo.*

Ibid. *Meum palumbulum*] Lib. 8. cinaedi illi: *Sed nobis quoque tuis palumbulis nonnunquam impertias.* Servius ad Aen. 1. *Blandimentum gaudet diminutione.* In vetere Onomastico: *Palumbula*, φαττίον.

Ibid. *Vanas fuisse cogitationes meas, ineptumque monstrat metum*] Ovidius: *Crede mihi, vanos res habet ista metus.*

Ibid. *Complexa me prorsus, sed totum recipit*] Catullus: *O Memmi, bene me ac diu supinum, Tota ista trabe lentus irrumasti.* In fragmentis Petronii: *Totamque hanc sine fraude, quantacunque est, Tormento citharave tensiorem, Ad costam tibi septimam recondam.* Translatio est a lethaliter vulneratis, h. e. totum inimici ferrum recipientibus. Virgilius 10. *Exigit ensem Per medium Aeneas iuvenem, totumque recondit.* et 12. *Pectore in adverso totum cui cominus ensem Condidit.* quo alludens Claudianus: *Altius haud unquam toto descendimus ense In iugulum Scythiae.* Pacatus Panaegyrico: *Ferro incumbere, et corpore vulnus onerare: et recipere statim totum, quam supplicium dividere.* Oxon. heic, et alii MSS. *Complexa totum me prorsus, sed totum recipit.* unde quidam, *complexatum me prorsus*, etc.

Ibid. *Appliciore nexu*] Vide Colvium. coniicio ego tamen, ut et Beroaldus, *applicatiore* scribendum.

Ibid. *Ut hercules etiam deesse mihi aliquid ad supplendam eius libidinem crederem*] Scholiastes ad Sat. 6. Iuvenalis: *Una uncia libidinis est in masculis, et undecim in foeminis.*

Ibid. *Operosa et pervigili nocte transacta*] Venus de milite Poeno apud Silium Italicum: *Aut nostro vigiles ducat sub Numine noctes.* Longus ποιμεν. δ. Περιέβαλλον ἀλλήλους, καὶ κατεφίλουν, ἀγρυπνήσαντες τῆς νυκτὸς, ὅσον οὐδὲ γλαῦκες. Vide quae supra [hui. Ed. pag. 181, b.] notata. *Operosa*, ut supra 9. *Colluctationibus Venereis operari.*

Ibid. *Vitata lucis conscientia facessit mulier*] Ioh. 3. 20. Πᾶς ὁ φαῦλα πράττων, μισεῖ τὸ φῶς. Supra 5. de Cupidine: *Torum inscenderat, et uxorem sibi Psychen fecerat, et ante lucis exortum propere discesserat.* ubi dicta p. [hui. Ed. 241, a.] vide.

Ibid. *Condicto pari noctis futurae pretio*] In vett. Poëtarum reliquiis, quae Catalecta vocant: *Dum noctis pretium tuae requiro.* Macrobius 2. 2. in eodem, ut videtur, argumento: *Ubi dimidium talentum unius pretium noctis audivit*, etc. Sic, *pretia noctium*, apud Nostrum in Apologia.

Be-

Bene et *condicto*. Minucius in Octavio: *Condicuntur stupra, tractantur lenocinia.*

Pag. 227. *Vilis quaeritur aliqua*] Id est, *quaedam*. Ammianus (imitatus fortasse Nostrum) lib. 14. *Aliqua mulier vilis*, etc. Tertullianus Apologetico: *Aliqua Carthaginis conditrix rogo se secundum matrimonium dedit.*

Ibid. *Bestiis addicta*] Glossae: *Addicere*, etc. προσκρίνειν.

Ibid. *Quae mecum incoram publicam populi caveam frequentaret*] Servius ad Aen. 5. *Cavea consessus est populi.* Roaldus: *Q. m. incoram populi publicam c. frequentaret. Incoram*, haud semel in his libris confiteor genitivo iungi. sed nec hoc tantum loco absolute ponitur, nam et infra heic, dixit, *coram detento calice:* i. e. in praesentium conspectu. itaque sana vulgata lectio. *Frequentaret*, frequentem redderet. i. e. plenam spectatoribus. ita, *sobolis* etc. *gignendae copia civitatem frequentare* 16. 10. A. Gellius. et 2. 15. *prolem populi frequentare.* Idem 1. 6. *Salvam civitatem sine matrimoniorum frequentia* (i. e. frequentatione) *esse non pssse.*

Ibid. *Sarcina praegnationis oneratam*] Vide supra p. [hui. Ed. 150, b.] dicta.

Ibid. *Per absentiam mariti*] Editt. vett. *prae abstinentia m.* Oxon. *in absentia m.*

Ibid. *Pietate praeventa*] Sic 9. *Vulneribus praeventus*, ad quem locum p. [hui. Ed. 369, b.] adnotata vide.

Ibid. *Ab obsequio mariti*] Ab obsequio marito debito. ut infra statim, *Obsequium matris, et sororis officium.* Saepius haec forma loquendi in his libris occurrit.

Ibid. *Prodidit*] Ἐξέδοτο.

Ibid. *Natam necatamque puellam nunciabat*] Non videtur procedere constructio, nisi *nata p.* scribamus. τὸ *puellam* (quod inutili Colvii diligentiae debemus) recte delent editt. vett. cum Florent. et Oxon. MSS.

Ibid. *Ubi flos aetatis nuptialem virgini diem flagitabat*] Hesychius: Ἔφηβοι, οἱ ἡβῶντες· ἐλέγετο δὲ καὶ ἐπὶ παρθένων. vide supra [hui. Ed. 298, b.] allata. *Flagitare* heic, est quod 1. Cor. 7. 36. argumento simili, ὀφείλειν γίνεσθαι.

Ibid. *Tacitum secretum*] Tacendum, Servio ad Aeneid. 4. annotante. vide supra [hui. Ed. p. 205, b.] dicta.

Ibid. *Caloris iuvenilis impetu*] Vide [hui. Ed. q. 268, a.] notata.

Ibid. *Sororem incurreret*] Vide [hui. Ed. p. 291, b.] dicta.

Ibid. *Spectatae pietatis iuvenis, et matris obsequium, et sororis officium religiose dispensat*] Glossator vetus in vita Persii Poëtae: *Verecundiae virginalis*, etc. *pietatis erga matrem et sororem exemplo sufficientis.*

Ibid. *Et arcana domus venerabilis silentii custodiae tradidit*] Editt. vett. *Et arcanis domus venerabilis silentii custodiam tradidit.* hypallagetice, et ob id Appuleiane magis.

Ibid. *Plebeiam* etc. *humanitatem*] Petronius *tralaticiam humanitatem* dixit.

Ibid. *Sanguinis sui*] Sororis. vide supra [hui. Ed. p. 228, a.] notata.

Ibid. *Desolatam v. puellam, parentumque praesidio viduatam*] Lib. 4. captitia puella: *An ego misera, tali domo*, etc. *tam sanctis parentibus desolata*, etc.? *Desolatam*, μεμονωμένην. ut 1. Tim. 5. 5. ubi et Vetus *desolata*. sic, *desolatam mulierem* in Apologia. Terent. Andr. *Haec sola'st mulier.* ubi Donatus: *Sine auxilio: sine defensoribus.*

Ibid. *Parentumque praesidio viduatam*] Ita, *parentum praesidio destitutam*, 10. 2. Cassianus dixit. *Praesidio viduata* heic, ut apud Plautum, *praesidii viduitas.*

Ibid. *Multumque sibi dilecto contubernali*] Supra hoc lib. *Uxoris nimium dilectae mentitis lamentationibus.*

Ibid. *Largitus de proprio dotem*] Vide olim p. 72. ad Apologiam notata.

Ibid. *Sed haec bene* etc. *disposita feralem Fortunae nutum latere non poterant*] Supra lib. 4. *Enimvero Alcimus solertibus coeptis tamen scaevum Fortunae nutum non potuit abducere.* Paterculus lib. 2. *Rumpit, interdum moratur proposita hominum Fortuna.* Symmachus 7. 37. *Plerumque fors disposita conturbat.* Plautus Pseud. *Centum doctûm hominum consilia sola haec evincit Dea.* Suidas in ἐσθλά· Ἔστιν ὅτε καὶ ταὐτόματον ἀντέπραξε ταῖς τῶν ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἐπιβουλαῖς. Curtius lib. 3. *Destinata salubriter, omni ratione potentior Fortuna discussit.* Herodianus lib. 6. Ἀλέξανδρος μὲν, ὡς ᾤετο, ἄριστα βεβούλευτο· ἔσφηλε δὲ αὐτοῦ τὴν γνώμην ἡ Τύχη. Sallustius de Republ. ordin. *De futuro nemo satis callidus, satisque prudens: quinetiam saepe prava magis quam bona consilia prospere eveniunt: quia plerasque res Fortuna ex lubidine sua agitat.* Menander apud Stobaeum: Ἀσυλλόγιστον ἡ Τύχη ποιεῖ. Τὸ συμφέρον, τί ποτ' ἐστιν, ἀνθρώπου βίῳ. quibus adde quae in eandem sententiam sub initium lib. 9. notata.

Ibid. *Domum iuvenis p. se direxit scaeva rivalitas*] Videtur vocula excidisse, et legendum, *Ad domum* etc. *direxit.* Lib. 6. *Se protinus ad regias Iovis arces dirigit.* et supra heic: *Iam totos ad me dirigunt animos.* In vetere Onomastico: *Rivalitas*, ἀντιζηλία.

Ibid. *Coepit puellam, velut aemulam tori* etc.] Fulgentius Mytholog. 3. *Quamvis apud muliebres animos libido regnum obtineat, tamen etiam in invicta libidine zelus dominatum* ob-

obtinet. Vide supra lib. [hui. Ed. p. 320, a.] adnotata.

Pag. 228. *Detestari*] Καταρᾶσθαι. *Devotiones in eum diras deprecari:* ut supra 9. locutus. Sic Matth. 26. 74. καταναθεματίζειν, doctissimus optimusque Interpres vetus *detestari* vertit. Horatius: *Diris agam vos, dira detestatio Nulla expiatur victima.*

Ibid. *Crudelissimis laqueis mortis insidiari*] Oxon. *crudelissimae.*

Ibid. *Quendam servulum sibi quidem fidelem, sed de ipsa fide pessime merentem*] De servo suo ille in Plautina Trinummo: *Scelestus est, At mihi infidelis non est.*

Ibid. *Sola, et sine ullo comite*] Lib. 8. *Veste contectus, omnique comite viduatus.*

Ibid. *Fraudis extremae lapsa decipula*] Lege cum vett. editt. Oxon. et aliis MSS. *decipulo.* i. e. σκανδαλήθρῳ. Supra lib. 8. *Nactus fraudium opportunum decipulum.* Pro *lapsa*, Barthius Advers. 59. 16. *illapsa.*

Ibid. *Flagris uberrime verberat*] Claud. *Nec celeri mittit letho, crudelibus ante Suppliciis fruitur.* In vett. editt. *ultime verberat.* ut apud Zosimum, ἐσχάτως μαστιγῶσαι. et supra hîc lib. 1. *ultime affici.* quem modum loquendi Graecum non advertens Colvius, maiore confidentia quam iudicio τὸ *uberrime* oggessit. Supra lib. 8. *Flagro* (me) *illo* etc. *verberantes, pene ad extremam confecerant mortem.* ad quem locum p. [hui. Ed. 328, b.] annotata vide.

Ibid. *Pellicatus indignatione* etc.] Vide [hui. Ed. p. 320, a.] dicta.

Ibid *Titione candenti inter media femina detruso* etc.] Suetonius Domitiano: *Plerosque partis adversae, investigoto novo quaestionis genere, distorsit: immisso per obscaena igne.* Vide supra [hui. Ed. p. 297, a.] dicta.

Ibid. *Acerbae mortis exciti nunciis frater ac maritus accurrunt*] Lib. 8. *Ad hunc modum defuncto iuvene* (*finito* pag. [hui. Ed. 303, b.] legendum monui) *exciti* etc. *concurrimus.*

Ibid. *Variisque lamentationibus defletam puellam tradunt sepulturae*] *Sine fletu sepultura non est*, inquit Servius ad Virgilium. Supra lib. 1. *Defletum misellum comitem* etc. *in amnis vicinia sempiterna contexi.* Aeneid. 11. *Nos alias hinc ad lacrymas eadem horrida belli Fata vocant.* ubi Servius: *Ad alias lacrymas, ad aliam sepulturam: id est, ad caeteros sepeliendos.*

Ibid. *Sororis suae mortem tam miseram*] Sororis *Indignae quam mors tam saeva maneret.*

Ibid. *Et, minime ut par erat, illatam*] Hesychius: Παρὰ τὸ εἰκὸς· παρὰ τὸ δέον. Magna est sub hac forma μειώσεως, aggravatio. sic Tit. 1. 11. ἃ μὴ δεῖ. et Rom. 1. 28. Τὰ μὴ καθήκοντα. Licet, nec male, exponere, a qua minime par erat, illatam. Tale Terentianum illud: *Etsi ego hac dignus contumelia, Indignus pol tu qui faceres tamen.* Aristides Leuctrica: Ὅλως μὲν οὐκ ἔστι φέρειν ἀδικουμένους, τὸ δὲ ὑφ᾽ ὧν ἥκιστα ἐχρῆν, ἀπαραίτητον τὴν ὀργὴν παρίστησι.

Ibid. *Medullitus dolore commotus*] Vide supra [hui. Ed. p. 276, a.] notata.

Pag. 229. *Acerrimaeque bilis noxio furore perfusus, exin flagrantissimis febribus ardebat*] Maximus Tyrius Dissert. 18. Ἀποπέμπουσι τῷ σώματι ὀδύνας θυμοὶ καὶ ὀργαί. Sophocles: Τίκτουσι γάρ τοι καὶ νόσους δυσθυμίαι. Philemon: Διὰ λύπην καὶ μανία γὰρ γίνεται Πολλοῖσι, καὶ νοσήματ᾽ οὐκ ἰάσιμα. Ex quo fortasse Seneca 2. 36. de Ira: *In morbos* (irascendo) *aegri recidêre: nulla celerior ad insaniam via est.*

Ibid. *Quae* etc. *nomen uxoris cum fide perdiderat*] Supra lib. 9. *Iamque perdita nuptae dignitate, prostitutae sibi nomen adsciverat.*

Ibid. *Quae nomen uxoris cum fide perdiderat*] Lib. 5. *Quas tibi, post calcata sanguinis foedera, et internecina odia, sorores appellare non licet.* Luc. 15. 19. ille: Οὐκέτι ἄξιος εἰμὶ κληθῆναι υἱός σου. quia nempe cum bonis moribus perdidisse se nomen filii existimavit.

Ibid. *Medicum* etc. *notae perfidiae*] Sic Declam. 13. Quintiliani: *Dives notae impotentiae.* Martialis 6. 72. *Fur notae rapacitatis.* vide olim ad initium Apologiae dicta. Contrarius supra hoc libro, *compertae* (i. e. *notae*) *fidei medicus.* Confer quae supra [hui. Ed. p. 158, b.] notata.

Ibid. *Qui iam multarum palmarum spectatus praeliis, magna dextrae suae trophaea numerabat*] I. e. qui multa Orco funera demiserat. Aeneid. 11. *Multa virum meritis sustentat fama trophaeis.* ubi Servius: *Vel, quia multos occiderat*, etc. *vel* etc. Philostratus 4. 15. de Apollonio: Παρεσκεύαστο δὲ κατήγορος ἐπ᾽ αὐτὸν, πολλοὺς ἤδη ἀνῃρηκὼς, καὶ τοιούτων Ὀλυμπιάδων μεστός. Eunapius de medico imperito, quod fere hîc de perfido: Πολλοὺς ἀνῃρηκὼς, οὐχ ὅσους ἐπηγγέλλετο θεραπεύειν, ἀλλὰ καὶ ὅσους εἶδε μόνον.

Ibid. *Multarum palmarum* etc.] Martialis: *Dum numerat palmas, credidit esse senem.*

Ibid. *Praesente familia, et nonnullis amicis et affinibus* etc.] Signum antiqui moris non indignum notatu: ut nec alia, si quae occurrerint, eodem pertinentia.

Ibid. *Poculum probe temperatum manu sua porrigit*] Quintilianus Declam. 321. *Nulli venenum facilius dare potest quam qui accipit utique tanquam medicamentum. Probe temperare*, ut apud Macrobium 7. 12. Gloss. *Temperatum*, εὔκρατον, συγκεκερασμένον.

Ibid. *Ut conscium sceleris amoliretur*] Apud Lysiam Euphiletus monstrans sibi nil causae fuisse

se Eratosthenem occidendi: Οὔτε γὰρ συκοφαντῶν γραφάς με ἐγράψατο, etc. οὔτε συνῄδει κακὸν οὐδὲν, ὃ ἐγὼ δεδιὼς μή τις πύθηται, ἐπιθύμουν ἀπολέσαι αὐτόν.

Ibid. *Et quam desponderat pecuniam lucraretur*] Laudatum nunquam satis Onomasticon, *Despondere*, ὁμολογεῖν. *Lucrari*, sensu quo supra [hui. Ed. p. 311, b.] ubi dicta vide.

Ibid. *Meo carissimo marito*] Lib. 8. *Tui fratris, meique carissimi mariti.*

Ibid. *Medicorum optime*] Κράτιστε. de qua voce consulantur quae ad Act. 23. 26. adnotavimus.

Ibid. *Unde enim scio?* etc.] Vide supra [hui. Ed. p. 257, b.] dicta.

Ibid. *An noxium in ea lateat venenum*] Supra hoc lib. *Repertum vini poculum, in quo venenum latebat inclusum.* Gloss. *Venenum*, θανάσιμον, φάρμακον. *Noxium venenum* hîc, ut 6. *Veneno noxio colla sanguinantem.* vide [hui. Ed. p. 191, a.] notata.

Ibid. *Uxor circa mariti salutem sollicita*] In Apologia, de uxore sua: *Facit omnia circa honorem meum observanter, circa salutem sollicite.* Sic, *mulier circa maritum nimia*, in l. 23. §. eo autem, ff. sol. matrim. etc. Supra hîc lib. 7. *Mulier pro mariti salute pervigilem curam sustinens.* et 5. *Sororibus pro tua cara salute sollicitis.* Alexander ad medicum suum apud Curtium, potione hausta: *Nunc credo te non minus pro tua fide, quam pro mea salute esse sollicitum.*

Ibid. *Qua mira desperatione truculentae foeminae* etc.] *Desperationem* hîc audaciam perditam ac profligatam expono. Glossarium: *Desperatione*, τολμήσεως. Supra de hac eadem venefica, *Illa audax mulier.*

Ibid. *Perturbatus, excussusque toto consilio*] Virgil. *Excussaque pectore Iuno est.* Sil. Ital. *Excussus Consul fatorum turbine mentem.* Supra lib. 9. *Perturbatus, et misera trepidatione ad inopiam consilii deductus.*

Ibid. *Et ob angustiam temporis spatio cogitandi privatus*] Vide ad initium ipsum libri 9. notata. Apud Suidam in συνεωσμένοι· Ἠπόρουν τὸ τί χρὴ πράττειν, εἰς ὀξὺν οὕτω καιρὸν συνεωσμένοι.

Ibid. *Antequam trepidatione aliqua* etc. *daret malae conscientiae suspicionem*] Supra hoc lib. *Trepidatio succedit*, etc. *ut nemo eum a culpa vacuum existimaret.* ubi plura [hui. Ed. pag. 381, b.] dixi.

Ibid. *Indidem de potione gustavit*] Pleonasmus, cui similis apud Gellium 6. 10. ille: *Euclides Socraticus, qui indidem Megaris erat.* Marc. 1. 13. Ἐκεῖ, ἐν τῇ ἐρήμῳ.

Ibid. *Quam fidem secutus adolescens, etiam sumpto calice, quod offerebatur hausit*] Zeno Veronensis Serm. de Avaritia: *Amicae sub fallacia manus innoxias animas secure conficit ebibita veneni tempestas.* Quam proprie hîc *fidem* dixerit, vide in p. [hui. Ed. 158, b.] annotatis.

Pag. 230. *Ad istum modum praesenti transacto negotio*, etc.] Lib. 8. *Ad istum modum finito iuvene*, etc.

Ibid. *Nec eum* etc. *a se discedere passa est*] Supra lib. 3. *Nec me digredi patitur.*

Ibid. *Obstinatione sacrilega*] Sic supra 9. *Sacrilega praesumptione.* In nonnullis (male) codicibus, *obtestatione*, et *ostentatione*. Eod. lib. 9. *Obstinato animo* etc. *anxius.* ubi dicta [Ed. Pric. 188.] vide.

Ibid. *Priusquam* etc. *medicinae eventus probatus appareat*] Oxon. MS. *P. m. proventus appareat.* abest et a Lipsii Cod. τὸ *probatus.*

Ibid. *Precibus* etc. *eius multum ac diu fatigata, tandem abire permisit*] De Boccho Sallustius: *Saepius fatigatus lenitur, et ex voluntate Syllae omnia facturum pollicetur.*

Ibid. *Interdum perniciem coecam totis visceribus furentem medullae penitus adtraxerant*] *Virus edax superârat opem, penitusque recepta Ossibus, et toto corpore pestis erat.* Bene autem de mortifero poculo, *perniciem.* Cyprianus allusorie, epist. ad Donatum: *Ubi epotaveris, pernicies hausta grassatur.* Ita venenum, *pestem multa fraude grassantem*, Declam. 13. Quintilianus vocat. *Pernicies coeca* hîc, ut in Apologia, *coeca et inevitabilis pernicies*, et, *coeca et occulta pernicies* (Serm. de zelo et livore) apud eundem Cyprianum.

Ibid. *Vixque enarratis cunctis*, etc.] Vide supra [hui. Ed. 221, a.] notata.

Ibid. *Mentitasque lacrymas uxoris*] In mimo vetere: *Didicere flere foeminae in mendacium.* Supra hoc libro: *Uxoris nimium dilectae mentitis lamentationibus.*

Ibid. *Pari casu mortis fuerat exstinctus*] Lib. 6. *Inque simile mortis exitium cecidit.*

Ibid. *Paucis interiectis diebus, queis feralia mortuis litantur obsequia*] Heliodorus lib. 1. Ὀλίγων διελθουσῶν ἡμερῶν, ἐν ὅσαις περὶ τὴν κηδείαν τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν ἀπησχόλουν, etc. Oxon. et Lipsii MS. *mortis.*

Ibid. *Usquequaque suae simulatae fidei*, etc.] Lege, ut in aliis, *Usquequaque sui similis, fidei* etc.

Ibid. *Prolixe accumulateque pollicetur*] Supra hoc lib. *Ergo prolixe pollicetur.* et 8. *Prolixe consentit.*

Ibid. *Et statutum praemium sine mora se redditurum constituit*] Lib. 2. *Praecipit, bono custodi sine mora redderet praemium.*

Ibid *Persecutionem*] Bertin. et Oxon. *prosecutionem.*

Ibid.

Ibid. *Quod pluribus* etc.] Lege, ut in aliis editt. *Quid pluribus?* etc.

Ibid. *Fraudium*] Oxon. *fraudum.*

Ibid. *Inducta*] Decepta. Vide supra [hui. Ed. p. 350, b.] notata. In uno hîc MS. *viduata.*

Ibid. *Quo se gratiorem locupleti foeminae faceret*] Supra hîc: *Quo se patrono commendatiorem faceret.* Sic in l. 4. ff. de re milit. *sub obtentu militiae pretiosiorem se adversario facere.* Quo loco, (graviter, et a viris gravibus vexato) nil me iudice mutandum.

Ibid. *Veneni pyxidem*] I. e. veneno repletam. sic Matth. 26. ἀλάβαστρον μύρου.

Ibid. *Quae grandem scelerum nacta materiam*] Virg. *At saeva e speculis tempus Dea nacta nocendi. Nancisci*, vox fraudibus ac malitiae accommoda. vide supra [hui. Ed. p. 298, b.] dicta.

Pag. 231. *Longe lateque cruentas suas manus porrigit*] Ammianus lib. 28. *Accepta nocendi materia Maximinus, ferociam genuinam effudit.*

Ibid. *Filiam suam parvulam*] Lib. 8. *Arctius filio parvulo suo consaviato.* hîc tamen recte τὸ *suam*, editt. veteres, Oxon. et duo alii MSS. inducunt.

Ibid. *Talem parentem praebuit, qualem exhibuerat uxorem*] De Catilina 9. 1. Valer. Maximus: *Eodem animo civem gerens, quo patrem egerat.* Iustinus lib. 8. de Philippo Macedone: *Sed pactio eius fidei fuit, cuius antea fuerat deprecati belli promissio.*

Ibid. *Prandioque commento pro tempore, uxorem medici, simul et suam filiam veneno eodem percutit*] *Tune duas unâ saevissima vipera coena? Tune duas?* De locutione *pro tempore* supra p. [hui. Ed. 160, a.] dixi.

Ibid. *Dum noxiis ambagibus pulmones eius pererrat* etc.] Met. 2. *Dum medio currit pulmone venenum.* Met. 9. *Dum pulmonibus errat Ignis edax imis, perque omnes pascitur artus.* Quintilian. 15. Declam. *Profer corporis notas, per quas se noxiae potionis vagus fervor effuderit.*

Ibid. *Tempestas detestabilis potionis*] Zeno iam supra adductus, *Ebibita veneni tempestas.*

Ibid. *Contendit ad ipsius Praesidis domum, magnoque fidem eius protestata clamore*, etc.] Seneca Medaea: *Petiique supplex Praesidis dextrae fidem.*

Ibid. *Et populi concitato tumultu, utpote tam immania detectura flagitia*, etc.] Ovidius Fast. 2. de Bruto: *Clamore Quirites Concitat, et Regis facta nefanda refert Tumultu populi concitato*, ut in l. 38. §. 2. ff. de poen. (at sententia diversa) *Auctores tumultus, populo concitato*, etc.

Ibid. *Utpote tam immania detectura flagitia, efficit statim sibi simul et domus, et aures Praesidis patefierent*] Salvianus de Gubern. 3. *Intra ianuas non modo illustrium Potestatum, sed etiam Praesidum aut Praepositorum, non omnes passim intrare praesumunt, nisi quos aut Iudex vocaverit, aut negotium traxerit.*

Ibid. *Simul et domus et aures Praesidis patefierent*] Cicero ad Q. Fratrem Bithyniae Proconsulem: *Facillimos esse aditus ad te, patere aures tuas querelis omnium: nullius inopiam ac solitudinem non modo nullo populari accessu, ac tribunali, sed ne domo quidem tua et cubiculo esse exclusam.*

Ibid. *Ab ipso exordio* etc. *cunctis atrocitatibui diligenter expositis*, etc. *exanimis corruit*] Vide supra [hui. Ed. p. 221, a.] notata.

Ibid. *Mentis nubilo turbine correpta*] Vide quae olim p. 124. ad Apologiam allata.

Ibid. *Semihiantes adhuc compressit labias*] Oxon. *semianimis a. c. l.* quae lectio non spernenda.

Ibid. *Longo stridore reddito*] Ut solent moribundi. vide supra [hui. Ed. p. 154, a.] dicta. Pro *reddito* an *edito* legendum? supra certe lib. 3. *stridore edito* dixit. at *reddere* saepius in hoc Scripto pro *dare* ponitur.

Ibid. *Ante ipsos Praesidis pedes exanimis corruit*] Metam. 10. *Poplite deciduo genua intremuere, fugitque Et color, et sanguis, animusque reliquit euntem.* Petronius: *Semel iterumque cervice percussa, ante pedes collabitur nostros.* Adde Act. 5. 10. et quae supra [hui. Ed. p. 193, b.] notata.

Ibid. *Nec ille, vir alioquin exercitus, multiformo facinus execratae veneficae dilatione languida passus marcescere*] Ne gratia, pecuniae vi, aut quo alio modo impuratissima illa leges eluderet. Quintilianus 319. Declam. *Naturalis improbis hominibus dilationis est cupiditas:* etc. *occurrunt illae cogitationes, quaeretur, et, quaeretur diu: extrahetur iudicium, ut sequatur alia subscriptio, alii Iudices, alia sortitionis fortuna. interim, ut nihil artes valeant, multum Fata possunt*, etc. Simili porro ac Praesidem istum laude, Proconsulem in Apologia ornat. *Tuum* (inquit) *hoc Maxime, tuaeque providentiae beneficium, quod a principio intellectas calumnias, ne corroborarentur tempore, praecipitâsti: et, nulla impertita mora, subnervâsti.* Praesidem autem dum *virum exercitum* vocat, haud improprie loquitur. Gellius 12. 7. *Dolabella rem ad Areopagitas, ut ad Iudices graviores exercitatioresque reiecit.* Idem 14. 2. *Amici quos in consilium rogaveram, viri exercitati, et in operis fori celebres.* Plinius nepos 2. 9. *Vir sanctus, disertus, antiquus, et in agendis causis exercitatus. Execrata venefica*, est, *execranda:* ut *fleta*, pro *flens*, vel *flebilis:* et alia similis formae in his libris. nec aliud praefert ve-

tustissima Vicentina editio. Oxon. et Lipsii Codex *execrata venenatae:* cui simile nescio quid est et in aliis MSS. ex quibus et cuiusmodi vestigiis Elmenhorstius *excetrae venenatae* legit.

Ibid. *Vi tormentorum veritatem eruit*] Supra lib. 3. *Tormentis veritas exprimenda* est. ad quem locum p. [hui. Ed. 201, b.] notata consule.

Ibid. *Atque illam*, etc. *quod dignus cruciatus alius cogitari non poterat, certe bestiis obiiciendam pronunciavit*] Claudianus 2. in Ruffinum: *Quo tanta piacula quisquam Supplicio conferre valet? quid denique dignum Omnibus inveniam, vincant cum singula poenas?* Supra hîc 8. de Thrasyllo: *Nequiens idoneum exitium praesenti cladi reddere, certusque tanto facinori nec gladium sufficere, sponte delatus ibidem ad sepulchrum,* (Charites et Tlepolemi,) *Ultronea vobis (inquit) infesti Manes en adest victima,* etc. Caesar apud Sallustium Catil. *Si digna poena pro factis eorum reperitur, novum consilium approbo: sin magnitudo sceleris omnium ingenia superat, iis utendum censeo quae legibus comparatae sunt.* Lysias in pro Eratosthenis caede: Καί τοι δῆλον, ὅτι εἴ τινα εἶχε ταύτης μείζω τιμωρίαν ἐπὶ ταῖς γαμεταῖς, ἐποίησεν ἄν· νῦν δὲ, οὐχ' οἷός τε ὢν ταύτης ἰσχυροτέραν ἐπ' ἐκείναις ἐξευρεῖν, τὴν αὐτὴν etc. ἠξίωσε γίνεσθαι.

Ibid. *Matrimonium confarreaturus*] De hoc ritu sat iam aliis dictum.

Pag. 232. *Mortem mihi mea volens manu consciscere*] Hesychius: Αὐτοχειρὶ· ὁ ἑαυτὸν φονεύων. Quomodo autem *sua manu*, qui *ungulam* tantum, eamque mutilam habebat? nimirum et hanc depravationem debemus Colvio: qui (quod de Graecis Gellius) *sine discriminis cura, solam copiam* (ut videtur) *sectans*, quae in Codice quodam I. Lipsii reperit, plerumque in contextum assumpsit. Lege cum vett. editt. et MSS. caeteris, *Mortem mihi metu volens consciscere.*

Ibid. *Scelerosae mulieris*] Servius ad Aen. 1. *Velut a genere, generosus: et a scelere, scelerosus.*

Ibid. *Depudescerem*] Pudorem perderem. Ovidius: *Depudui, profugusque pudor sua signa reliquit.* Glossae: Ἀπαναισχυντῶ, *depudo. Depudeo*, vel *depudesco* lege. Ibidem: Ἀπερυθριῶ, *depudesco, derubesco.* Glossae aliae: *Depuduit*, ἀπηναισχύντησεν.

Ibid. *Sed privatus humana manu, privatus digitis*, etc. *gladium stringere nequaquam poteram*] Supra lib. 6. *Nec suis saltem liberis manibus mortem sibi fabricari poterit.*

Ibid. *Plane, ut potui, tenui specula solabar clades ultimas* etc.] Aristoph. Equit. Λεπτή τις ἐλπὶς ἔστ' ἐφ' ἧς ὀχούμεθα. Cicero Famil. 15. 2. *In communibus miseriis hac tamen specula oblectabar*, etc. *Clades ultimas* hîc, ut supra 9. *magnas et postremas clades.* De locutione *Ut potui* vide [hui. Ed. p. 210, b.] dicta.

Ibid. *Quod ver* etc. *gemmulis floridis cuncta dipingeret*] Avienus Periegesi: *Flore frequenti Pinxit terra sinus.* Sidonius Carm. 2. *Flore perenni Picta, peregrinos ignorant arva rigores.*

Ibid. *Et iam purpureo nitore prata vestiret*] Videntur ex Veterum aliquo desumpta, qui fortasse sic pedibus vinxerat: *Et iam purpureo vestiret prata nitore.*

Ibid. *Et commodum* etc. *spirantes cinnameos odores, promicarent rosae*] Cyprianus in Epistolis: *Successit hiemi verna temperies, rosis laeta, et floribus coronata.* De *odore cinnameo* vide [hui. Ed. p. 309, a.] dicta.

Ibid. *Quae me priori meo Lucio redderent*] Infra lib. 11. *Redde me conspectui meorum, redde me meo Lucio.*

Ibid. *Dies ecce muneri destinatus aderat*] Eod. 11. *Iam dies aderat divino destinatus vadimonio.* Apud Quintilianum ille 9. Declam. *Et iam dies aderat, iamque ad spectaculum* etc. *populus convenerat.*

Ibid. *Ad conseptum caveae prosequente populo, pompatico favore deducor*] Infra hîc de Venere: *Cum magno favore caveae*, etc. *circumfuso populo laetissimorum parvulorum.* Virgilius: *Quos omnis euntes Trinacriae mirata fremit Troiaeque iuventus.* ubi Servius: *Fremit: cum favore persequitur.* Seneca 59. Epist. *Acclamationis secundae favorem.* Valerianus Cimeliensis: *Non favorem vocis exspectat, odit choros acclamantium.* Glossae: Εὐφημία, *favor.* Glossae aliae: *Favor*, ἡ συγκρότησις. Ait, *prosequente populo.* vide supra p. [hui. Ed. 237, a.] notata. Bene et *favore deducor:* sic, *deduci favoribus*, lib. 25. Ammianus Marcellinus.

Ibid. *Pabulum* etc. *affectabam*] Vide supra [hui. Ed. p. 142, b.] dicta.

Ibid. *Curiosos oculos* etc.] Petronius: *Per rimam* etc. *applicaverat curiosum oculum.*

Ibid. *Florentes aetatula*] Virgilius: *Ambo florentes aetatibus.* Ecl. 7.

Ibid. *Pueri puellaeque* etc.] Lucianus in περὶ ὀρχήσεως· Ὅρμος ὄρχησίς ἐστι κοινὴ ἐφήβων τε καὶ παρθένων παρ' ἕνα χορευόντων, καὶ ὡς ἀληθῶς ὅρμῳ ἐοικότων, καὶ ἡγεῖται μὲν ὁ ἔφηβος τὰ νεανικὰ ὀρχούμενος, καὶ ὅσοις ὕστερον ἐν πολέμοις χρήσεται· ἡ παρθένος δὲ ἕπεται κοσμίως, τὸ θῆλυ χορεύειν διδάσκουσα, ὡς εἶναι τὸν ὅρμον ἐκ σωφροσύνης καὶ ἀνδρείας πλεκόμενον.

Ibid. *Incessu gestuosi*] Infra 11. *Proferebat unus e ministerio beato, gressu gestuoso.* Servius ad Aeneid. 4. *Ferebatur, quasi cum quodam gestu.* supra hîc lib. 7. *Gradu molli gestiens.*

Ibid. *Dispositis ordinationibus decoros ambitus inerrabant* [*Dispositis*, τακτικαῖς. Glossae: Τακτικὸς, etc. *dispositus.* hoc sensu capio He-

sy-

sychii illa, Τάξις, etc. ἀκολουθία, καὶ εἱρμός· ut similem huic speciem saltationis intelligat. Nec temere *ambitus decoros* Noster. Idem Hesychius: Εὐσχήμονες· εὐσχημόνως, καὶ εὖ σχήματα ἐν ὀρχήσει ποιοῦντες. ubi ineptam et mancam lectionem sic integrandam existimavi: εὐσχημόνως καὶ εὐρύθμως σχήματα ε. ο. π. et postea coniecturam vidi munitam a Polluce 4. 13. qui εὐσχημοσύνην et εὐρυθμίαν iungit, de re saltatoria tractans. Contrarium, ἀγροικικῶς ὀρχεῖσθαι apud Hesychium, v. ἄιρειν μασχάλην. et *motus incompositi* apud Virgilium. Alludunt saltatoriam et Pauli illa, εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. ut monstravit (quo Opere autem non memini) Vir maximus, Salmasius.

Ibid. *In orbe rotatim flexuosi*] Virgil. de apibus: *Magnum mistae glomerantur in orbem.* ubi Servius, *More bellantium.* Hesychius: Περιφορά· ἡ κατὰ κύκλον κίνησις.

Ibid. *Nunc in obliquam seriem connexi, et in quadratum patorem cuneati*] Seneca cap. 4. de Vita beata: *Quemadmodum idem exercitus modo latius panditur, modo in angustum coarctatur: et, aut in cornua sinuata media parte curvatur, aut recta fronte explicatur:* etc. Lucianus iam dicto loco, de Spartanis iuvenibus: Κατὰ στοῖχον ἀλλήλοις ἑπόμενοι σχήματα παντοῖα ἐπεδείκνυνται, πρὸς ῥυθμὸν ἐμβαίνοντες· ἄρτι μὲν πολεμικὰ, καὶ μετ᾽ ὀλίγον δὲ χορευτικὰ, ἃ Διονύσῳ καὶ Ἀφροδίτῃ φίλα.

Ibid. *Aulaeo subducto, et complicitis sipariis*] Supra lib. 1. *Aulaeum tragicum dimoveto, et siparium scaenicum complicato.*

Pag. 233. *Consitus viretis, et vivis arboribus summo cacumine, de manibus fabri fonte manante, fluviales aquas eliquans*] Perplexum corruptumque (ut videtur) locum pro tempore sic interpungo emendoque: *Consitus viretis et vivis arboribus: de summo cacumine manibus fabri fons fluviales aquas eliquans.* Supra lib. 4. descriptione huic multum accedente: *Mons horridus sylvestribusque frondibus umbrosus.* et post: *De summo vertice fons affluens bullis ingentibus scaturibat:* etc. *Manibus fabri*, sensu fere simili quo lib. 2. *Et in quo summum specimen operae fabrilis egregius ille signifex prodidit*, etc. *Aquas eliquare* dixit et 2. 10. Lactantius. τὸ *manante* ex auctoritate MS. Oxon. delevimus.

Ibid. *Capellae pauculae tondebant herbulas*] Virgil. *Dum tenera attondent simae virgulta capellae.* Supra lib. 5. *Comam fluvii tondentes capellae.*

Ibid. *Pulchre indusiatus*] Lib. 2. *Puelli calamistrati, pulchre indusiati.*

Ibid. *Luculentus puer*] Lib. 5. de Cupidine: *Corpus glabellum atque luculentum.*

Ibid. *Nudus, nisi quod ephebica chlamyda* etc.] Ut infra de Venere: *Nudo et intecto corpore*, etc. *nisi quod tenui pallio*, etc. De Hercule Dion. Chrysostomus: Γυμνὸς ἦει, (περιῄει puto scribendum) μόνον λεοντῆν ἔχων. et Ioannes Chrysostomus Homil. ad baptizandos: Γυμνοὺς μὲν, τοῦ χιτωνίσκου μόνον. Sic Ioh. 21. 7. Iacobi 2. 15. Matth. 25. 36. γυμνὸν intellige, et 1. Cor. 4. 11. γυμνητεύειν. Hinc et *nudi* dicti, adeo male tunicati, ut per pannulos manifesti sint. Seneca in de Beneficiis: *Quaedam, etiamsi vera non sunt, propter similitudinem, eodem vocabulo comprehensa sunt, sic pyxidem, et argenteam dicimus, et auream: sic illiteratum, non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perductum: sic qui male vestitum et pannosum vidit, nudum se vidisse dicit.*

Ibid. *Flavis crinibus usquequaque conspicuus*] Vide quae supra [hui. Ed. p. 168, a.] notata. Ovidius: *Laeda fuit nigra conspicienda coma.*

Ibid. *Protinus gradus scitule referens*] Ita et Oxon. et Lipsii MS. Rectius editt. Ald. et Vicent. *citule.* Lib. 6. de Psyche: *Acceptum cum gaudio urnulam Veneri citata retulit.*

Ibid. *Vultu honesta*] Florid. 4. *Ad speciem honestus.*

Ibid. *In Deae Iunonis speciem similis*] Lib. 1. *Puer in mollicieм decorus.* Ibidem: *Fluvius in speciem placidae paludis* etc. *ibat.* et infra hîc: *Ipse color Deae diversus in speciem.*

Ibid. *Diadema candida*] Ita, non *candidum.* vide Colvii notas.

Ibid. *Fulgenti galea*] *Nitore galea praemicante:* ut initio huius libri locutus.

Ibid. *Gratia coloris ambrosei designans Venerem*] Dixi supra pag. [hui. Ed. 269, a.] videri mihi legendum, *coloris rosei.* sic, *roseum cutis ruborem* lib. 2. dixit. *Ambrosias* quidem *comas* illi maximus Poëtarum tribuit, at et Idem eodem loco etiam *roseam cervicem.* et alibi: *Roseoque haec insuper addidit ore.* ubi Servius: *Roseo, pulchro: perpetuum Veneris epitheton.* sic supra heic 4. de Eadem: *Plantis roseis* etc. De *rosis* Maximianus: *Hunc Venus ante alios sibi vindicat ipsa colorem, Diliget et florem Cypris ubique suum.*

Ibid. *Nudo et intecto corpore perfectam formositatem professa*] Confer quae supra [hui. Ed. p. 172, b.] adnotata. *Nudo et intecto corpore*, ut apud Arnobium, *Intectis corporibus atque nudis.* Supra hîc lib. 9. *Nudis et intectis pedibus.* et 4. *Nudis et exertis mucronibus.*

Ibid. *Tenui pallio bombycino inumbrabat spectabilem pubem*] Martialis 8. 67. *Faemineum lucet sic per bombycina corpus.* Seneca (ex persona Demetrii sui) 7. 9. de Benef. *Video sericas vestes, si vestes vocandae sunt, in quibus nihil est quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit: quibus sumptis, mulier parum liquido nu-*

dam se non esse iurabit. Tenui pallio, ut in Floridis, *Interulam textu tenuissimo.* et Miles. 11. *Bysso tenui pertexta.* Pacatus Panaegyrico: *Illos tenui perlucentes amictu, et vix leve carbasum vitando Soli tolerantes.*

Ibid. *Quam quidem laciniam curiosulus ventus* etc. *reflabat*] Vide supra [hui. Ed. pag. 169, a.] dicta.

Ibid. *Ut adhaerens pressule membrorum voluptatem graphice laciniaret*] Suidas: Διαφανῆ χιτῶνα· οὐ τὰ λαμπρὰ, ἀλλὰ τὰ ἰσχνὰ, δι' ὧν διαφαίνεται τὰ τῶν γυναικῶν σώματα. Clemens apposite Paedag. 2. 10. Οὐκ ἔτι σκέπη ἡ ἀβροδίαιτος ἐσθής ἐστι, τὸ σχῆμα τῆς γυμνότητος κρύπτειν μὴ δυναμένη. προσπίπτουσα γὰρ ἡ τοιαύτη τῷ σώματι προστυποῦται αὐτῷ ὑγρότερον, καὶ προσαναπλάττεται, σαρκικῶς ἐμφῦσα τῷ σχήματι, καὶ τὸν τύπον ἐκμάττεται τῆς γυναικὸς, ὥστ' οὐχ ὁρῶντι τὴν ὅλην τοῦ σώματος εἶναι φανερὰν διάθεσιν. Pro *voluptatem membrorum*, non male *venustatem* legas. sic supra 5. *oculorum venustatem* dixit. τὸ *laciniaret* formaverunt ex scriptura vett. codd. in quibus *liciniaret* scriptum. fortasse *linearet* (i. e. *exprimeret*) scribendum. Tacitus de Germanis: *Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante*, etc. *sed stricta, et singulos artus exprimente. Linearet* autem pro *delinearet:* cuiusmodi ἀποκοπαὶ in Glossis frequentissime occurrunt.

Pag. 234. *Corpus candidum, quod coelo demeat: coerulum, quod mari remeat*] Oxon. et tres alii MSS. *amictus coerulus*, etc. quod primus omnium Colvius audacter e suo textu eiecit.

Ibid. *Quae Deae putabantur*] I. e. *erant.* In de Mundo: *Pars domibus et muneribus praefecti putabantur.* et in de Philosophia: *Et alii rempublicarum status ab eo definiti putantur.* Graecismus, de quo alibi uberius dicemus.

Ibid. *Sui obibant*] Non sunt in Oxon. nec in aliis pluribus MSS.

Ibid. *Cassides aeratae*] Et hoc e Lipsii Cod. in contextum Colvius recepit. Habemus *galeas* quidem *aeratas* 1. Maccab. 6. 35. apud Latinum Interpretem. Appuleii autem vetustissimae editt. *orbatae*, unde alii *obbatae.* Oxon. *obactae.*

Ibid. *Nutibus honestis pastori pollicetur, si sibi praemium decoris addixisset, sese regnum totius Asiae tributuram*] Paris ipse de his Deabus apud Ovidium: *Tantaque vincendi cura est, ingentibus ardent Iudicium donis sollicitare meum. Regna Iovis coniunx, virtutem filia iactat.* cum sequentibus, quae paulo post suo loco adducemus.

Ibid. *Praeliaris Deae comites armigeri, Terror, et Metus*] Artemidorus 2. 35. Φόβος καὶ Δεῖμος, οὓς ἔνιοι Ἄρεως υἱοὺς λέγουσι. et ibid. cap. 44. Δεῖμος καὶ Φόβος, Ἄρεως υἱοί. Homer. Iliad. δ. Ὦρσε δὲ τοὺς μὲν Ἄρης, τοὺς δὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη, Δεῖμός τ' ἠδὲ Φόβος, καὶ Ἔρις ἄμοτον μεμαυῖα. De Marte 1. in Ruffin. *Surgit et hortatur celeres clamore ministros: Fer galeam Bellona mihi, nexusque rotarum Tende Pavor, fraenet rapidos Formido iugales.*

Ibid. *Terror et Metus*] Servius ad Aen. 11. *Terror est proprie qui alii infertur:* etc. *metus autem, quem habent timentes.*

Ibid. *Insultantes*] Bertin. et Oxon. *insaltantes:* i. e. (Appuleiano more) *saltantes.* sic supra hoc libro: *Me* etc. *adluctari et insultare, sublatis primoribus pedibus, perdocuit.*

Ibid. *Hormum canebat bellicosum*] Oxon. *Tritonum.* Vide Colvium et Beroaldum. Elmenhorstius *Dorium bellicosum.*

Ibid. *Saltationis agilis vigorem*] Macrobius Sat. 2. 1. *lubricum saltationis* dixit. Pro *agilis, agilem* scripserim. Manilius lib. 5. *In luxus agiles agilemque vigorem Desudant.* vide supra hic [hui. Ed. p. 175, b.] notata.

Ibid. *Oculis in aspectu minacibus*] Vide [hui. Ed. p. 168, a.] dicta.

Ibid. *Citato et intorto genere*] Wower. *femore.* Colvius *intorto gradu.* Virgilius: *Tortos legit obvius orbes.* Servius: *Obliquas, et implicitas vias.*

Ibid. *Favore caveae*] Vide supra hic [hui. Ed. p. 396, b.] notata.

Ibid. *Circumfuso populo laetissimorum parvulorum*] Lib. 2. de Eadem: *Licet omni Cupidinum populo comitata.* Casaubonus hic ad oram libri sui, *circumfusa.*

Ibid. *Dulce subridens*] Lib. 6. de Eadem, *subridens amarum.*

Ibid. *Constitit amoene. Illos teretes ac lacteos puellos* etc.] Oxon. *Constituta pone illos* etc. quomodo et ex Florentino Cod. Elmenhorstius coniecit. Praefert eandem scripturam etiam Lipsii MS.

Ibid. *Et Cupidines veros*] Oxon. *E. C. vero.*

Ibid. *Velut nuptiales epulas obiturae Dominae coruscis facibus praelucebant*] Vide quae ad Matth. 25. 1.

Ibid. *Floris serti et soluti*] Vide supra [hui. Ed. p. 179, b.] notata.

Pag. 235. *Veneris coma blandientes*] Hoc etiam putide infersit Colvius ex Lipsii corruptissimo MS. Repone editt. vett. scripturam, *veris coma b.* quam lectionem recte munivit Beroaldus. *Comam veris*, flores vocat, ut 5. *comam fluvii*, gramen. Wower. et Elmenhorstius *veris dono:* minus recte. *Coma* est et in Oxon. Cod. quo prope accedit Bertin. ubi *corno*, et duo alii Codd. ubi *comas* scriptum.

Ibid. *Contantique lente vestigio*] Infra lib. 11. *Contabundo clementer incedebat vestigio.*

Ibid. *Et sensim annutante capite coepit incedere*] Lib. 6. *Occipio nutante capite claudicare.* Pol-

Pollux inter gestus saltatorios 4. 13. *νεῦσαι καὶ συγκατανεῦσαι* numerat.

Ibid. *Placide commoveri*, etc. *et leviter fluctuante spinula* etc.] Supra lib. 2. *Membra leviter illubricans, lumbis sensim vibrantibus, spinam mobilem quatiens placide* etc.

Ibid. *Mollique tibiarum sono delicatis respondere gestibus*] Horat. *Iunctaque Nymphis Gratiae decentes Alterno terram quatiunt pede.* Ad quae vetus Scholiastes: *Pro sono cantilenae ad rythmum feriente pede.* Supra hîc lib. 6. de eadem Venere ista: *Suppari gressu suavi musica* etc. *saltavit.* et forsan hoc loco etiam *gressibus* scribendum. Seneca Quaest. nat. lib. 7. *Tenero ac molli gressu suspendimus gradum.*

Ibid. *Mite conniventibus* etc. *pupillis*] Silius Ital. 7. *Pacemque serenis Connivens oculis ibat.* Oxon. cod. et vett. editt. *pupulis* legunt.

Ibid. *Et nonnunquam saltare solis oculis*] *Saltare oculis* heic est, quod apud Ambrosium lib. de Virgin. 3 *oculis ludere.* Hinc *oculi ludibundi, et illecebrae pleni* 3. 5. A. Gellii. Appuleius Ennium imitatur, qui apud eundem Gellium 18. 5. *His equitat curritque, oculis equitare videmus.* et ibidem: *Ergo oculis equitat.* Lucianus ex persona Cynici, ad peritum saltatorem: *Δοκεῖς μοι ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν.* De se Caius apud Philonem: *Οὐ τῇ φωνῇ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ὄμμασι φθέγγομαι.*

Ibid. *Ante Iudicis conspectum facta*] Glossae: *Ἐναντίον, ἄντικρυ, ante conspectum. Fieri* hîc Graecissans dixit.

Ibid. *Nisu brachiorum*] Infra 11. *Gestum brachiorum* vocat.

Ibid. *Polliceri videbatur, si fuisset Deabus caeteris antelata, daturam se nuptam Paridi forma praecipuam*] Ovidius ubi supra: *Dulce Venus risit, nec te Pari munera tangant, Utraque suspensi plena timoris ait. Nos dabimus quod ames, et pulchrae filia Laedae, Ibit in amplexus pulchrior illa tuos.* Apud Virgilium ad Aeolum Iuno, si Aeneae naves vexaret: *Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae, Quarum, quae forma est pulcherrima, Deiopeiam Connubio iungam stabili, propriamque dicabo.*

Ibid. *Suique consimilem*] Lib. 5. *Per teretes, et teneras, et mei similes genas.*

Ibid. *Togati vulturii*] Seneca 2. 7. de Ira: *Inter istos togatos nulla pax est.* Idem lib. In sap. non cad. iniur. *Accusatore submisso, aut irritatis in nos potentiorum motibus: quaeque alia inter togatos latrocinia sunt.* Bene itaque *togatos vulturios.* In Trinummo Plautina: *Tum autem sunt alii qui te vulturium vocant: Hostes ne an cives comedas, parvipendere.* Imitatur autem Appuleius Ciceronem, qui *paludatos vulturios* in Orat. pro Sextio dixit.

Ibid. *Si toti nunc Iudices sententias suas pretio nundinantur*] Cyprianus in Epistolis: *Quis inter haec subveniat? patronus? sed praevaricator est: Iudex? sed sententiam vendit.* Seneca 97. Epist. *Credat aliquis pecuniam esse versatam in eo iudicio, in quo reus erat Clodius?* etc. *atqui dati Iudicibus nummi sunt.* Petronius: *Ergo iudicium nihil est nisi publica merces.*

Ibid. *Rusticanus et opilio*] Supra lib. 5. *Sum quidem rusticanus et opilio.*

Ibid. *Sententiam* etc. *lucro libidinis vendiderit, cum totius etiam suae stirpis exitio*] Ut Adamus consensum lucro gustus vendidit, cum totius etiam suae stirpis exitio. Supra hîc lib. 9. ille: *Fruere exitio totius nostrae familiae.*

Ibid. *Sic hercule et aliud sequens iudicium inter inclytos Achivorum Duces celebratum, cum falsis insimulationibus* etc.] Ammianus Marcellinus lib. 17. *Ut solet amplissima gloria obiecta esse invidiae, legimus in veteres quoque magnificos Duces vitia criminaque, etiamsi inveniri non poterant, finxisse malignitatem, eorum spectatissimis artibus offensam.* Vide quae supra [hui. Ed. p. 279, b.] notata. Lipsius hîc, *sequius iudicium*, nonnulla veritatis specie. sic *false factum iudicium*, in fragmentis Sisennae legimus.

Ibid. *Inter inclytos Archivorum Duces*] Lib. 4. *Inter inclytos Reges ac Duces praeliorum.*

Ibid. *Cum vel falsis insimulationibus* etc. *Palamedes proditionis damnatur*, etc.] De eodem Philostratus: *Προδότης εἶναι κατεψεύσθη, περιαχθεὶς δὲ τὼ χεῖρε, κατελιθώθη.* Apollonius apud eundem Philostratum 4. 4. Veneremur optimi viri tumulum, *καὶ γὰρ ἂν καὶ τῶν γε Ἀχαιῶν βελτίους γενοίμεθα· τιμῶντες δι' ἀρετὴν, ὃν ἐκεῖνοι δίκῃ οὐδεμίᾳ ἀπέκτειναν.*

Ibid. *Athenienses catos illos*] Olim ad Apologiam p. 76. dixi. Donatus ad 5. 2. Andr. *Catus, callidus, doctus, ardens: παρὰ τὸ καίειν*, etc. *ingeniorum enim igneus vigor esse videtur.* vide Beroaldum.

Ibid. *Catos, et omnis scientiae magistros*] Interpres vetus Daniel. 1. 4. *Cautos scientia, doctos disciplina.* Mamertinus Panaegyrico: *Ipsae illae bonarum artium magistrae atque inventrices Athenae* etc. Adde quae fuse Meursius cap. 8. de *Attica fortuna.*

Pag. 236. *Quem sapientia praetulit cunctis mortalibus Deus Delphicus*] Vide quae pridem pag. 36. ad Apologiam dicta.

Ibid. *Fraude et invidia nequissimae factionis circumventus*] De eodem 1. 3. Firmicus: *Acerbae delationis oneratus invidia*, etc. *severae animadvertentium potestati succubuit.* Bene autem argumento tali, *circumventus.* Idem 3. 13. *Aut enim appetuntur, aut deferuntur, aut fal-*

sis

sis criminum obligantur circumventionibus. Seneca 6. 8. de benef. *Et rerum velut factione circumventum, miserabilem reddidit.*

Ibid. *Velut corruptor adolescentiae, quam fraenis coërcebat*, etc.] Hieronymus Praefat. in lib. Iobi: *Corrector vitiorum, falsarius dicor: et errores non auferre, sed serere.* Scriptor Maccabaicorum 2. 4. 2. de Simone: *Oniam provisorem civitatis, ac defensorem gentis suae* etc. *audebat insidiatorem regni dicere.* *Adolescentiae*, ut *Iuventutis* vox, enunciatione singularis, intellectu pluralis est. *Coërcere adolescentiam* heic, ut Tit. 2. 4. τὰς νέας σωφρονίζειν.

Ibid. *Succo noxio*] Vide supra [hui. Ed. p. 191, a.] notata. Virgil. *Felle veneni Armatum.* ubi Servius: *Amaritudine veneni, succo noxio.*

Ibid. *Peremptus est*] Philostratus 6. 11. de eodem, et Palamede: Ἀδικώτατα ἔπαθον, ὄντες δικαιότατοι.

Ibid. *Relinquens civibus ignominiae perpetuae maculam*] Vere id fecisti mi Socrates, atque utinam solus. fecerunt alii etiam, non vulgares, nec longinquae memoriae: et locus laxior commentandi est, at me contineo.

Ibid. *Iurent in ipsius nomen*] Horatius: *Nullius addictus iurare in verba magistri.*

Ibid. *Sed, ne quis indignationis meae reprehendat impetum, sic secum reputans, Ecce nunc patiemur philosophantem nobis asinum?* etc.] Lib. 9. *Sed forsitan lector scrupulosus reprehendens narratum meum, sic argumentaberis: Unde autem tu stultule asine intra terminos pistrini contentus, quid secreto, ut affirmas, mulieres gesserint, scire potuisti?*

Ibid. *Indignationis meae reprehendat impetum*] Minucius Octavio: *Sustinebitis me, impetum orationis liberius exerentem.*

Ibid. *Rursus, unde discessi, revertar ad fabulam*] Iuvenalis: *A diverticulo repetatur fabula.* Hesychius: Ἀναβήσομαι· ἐπανελεύσομαι ἐπὶ τὰ ἐξ ἀρχῆς. In Menechmo Plautina: *Illuc redeo unde abii.* quo ex loco Horatius: *Illuc unde abii redeo.* Iulianus 7. Orat. Ἐπανάξω ὅθεν ἐξέβην. Idem 2. Orat. Ἐπανιτέον δὲ ὅθεν ἐξῆλθον. et in reliquiis Epistolae de Sacerdotio: Ὅθεν ἐξέβην, εἰς τοῦτο ἐπανήξω.

Ibid. *Unde discessi*] Quintilianus 8. 3. *Vitanda μακρολογία, ut apud Livium. Legati, non impetrata pace, retro domum unde venerant, abierunt.*

Ibid. *Postquam finitum est illud Paridis iudicium*] Supra hîc: *Iudicium finitum est.*

Ibid. *Tristes, et iratis similis e scaena redeunt*] Ἀπῆλθον (ut Matth. 9. 22.) λυπούμενοι. Oxon. *cedunt.* fortasse *recedunt.* Lucretius, non absimili sensu: *Victus tristisque recedit.*

Ibid. *Venus vero gaudens et hilaris laetitiam suam saltando* etc. *professa est*] Ovidius ubi supra: *Donis formaque probata, Victorem coelo rettulit illa pedem.* Lucianus de Charicle et Callicratida, (quorum hic masculis, ille faemineis amoribus propugnabat) sententiâ pronunciatâ: Εὐρων ὑπερκατηΦὴς τὸν Χαρικλέα, etc. ὁ δὲ Ἀθηναῖος ἱλαρῷ τῷ τρόπῳ Φαιδρὸς ἀναπηδήσας, προῄει σΦόδρα σοβαρῶς. Πηδᾷν καὶ χορεύειν solere gaudio delibutos, ait et ad Psalm. 113. Chrysostomus. vide quae ad Act. 3. 8. adnotavimus.

Ibid. *Vino crocus diluta, sparsimque defluens* etc.] Glossarium: *Sparsio*, κρόκος ὁ ῥαινόμενος. vide Lipsium de Amphitheatro, Scaligerum ad Propertium. Marcilium ad Martialem.

Ibid. *Tota suave fragrante cavea*] Hegesippus 1. 46. *Ut suavi odore tota cavea fragraret.*

Ibid. *Montem illum ligneum terrae vorago decepit*] Hieronymus, etiam in re ludicra, at non lusorie: *Repentino terrae hiatu pompa omnis absorpta est.* Seneca Epist. 88. ubi de artibus ludicris: *His adnumeres licet machinatores, qui pegmata per se surgentia excogitant, et tabulata tacite in sublime crescentia, et alias ex inopinato voluptates: aut dehiscentibus quae cohaerebant, aut his quae distabant sua sponte coëuntibus, aut his quae eminebant, paulatim in se residentibus.* Oxon. *recepit*, non *decepit* legit.

Ibid. *Miles per mediam plateam dirigit cursum*] Senec. Agam. *Vasto concitus miles gradu.*

Ibid. *Per mediam plateam d. cursum*] Plaut. Trinum. *Quis hic est qui huc in plateam cursuram incipit?* Idem Cistellaria: *Quis hic est qui recta platea cursum huc tendit suum?*

Ibid. *Et iam, torus genialis scilicet noster futurus, accuratissime disternebatur*] Servius ad Aen. 6. *Geniales tori proprie sunt qui puellis nubentibus sternuntur, a liberis generandis dicti.* quae (tacito Auctoris nomine) habet et 20. 1. Originum Isidorus. Glossae: Γαμήλιος, *genialis.*

Pag. 237. *In amplexu Venereo nobis coëuntibus*] Ita Colvius e Lipsii MS. scribe cum vett. editt. *cohaerentibus.* Lucretius: *Usque adeo cupide Veneris compagibus haerent.* sic 1. Cor. 6. 16. apud Latinum, *meretrici adhaerere.*

Ibid. *Vel artificio docta, vel abstinentia frugi posset provenire*] Desunt haec tota in Oxon. et Lipsii MS.

Ibid. *Ergo igitur* etc.] Casaub. hîc in margine, *Ego igitur.* at nil mutandum. Infra lib. 11. *Ergo igitur imperiis istis meis animum intende sollicitum.*

Ibid. *Non de pudore iam, sed de ipsa salute sollicitus*] Curtius lib. 4. *Iam non de gloria, sed de salute* etc. *pugnandum est.*

Ibid. *Districtus inseruit*] Instanter, sollicite. Glossae: *Districtus*, περισπασθεὶς, ἀσχοληθείς.

Ibid.

Ibid. *Voluptario spectaculo attenta*] Et hoc debemus Colvio, ex eodem codice. Oxon. MS. et vett. editt. *attonita:* atque ita reponendum putamus. sic 2. *Desiderio attonitus.* Ibidem: *Attonitus repentinae visionis stupore.* et 11. *In humano meo aspectu attonitus.*

Ibid. *Porta quae proxima est potitus, iam cursu me celerrimo proripio*] Apud Suidam Anonymus e Veteribus v. ὤθει· Ὁ δὲ ἐξελθὼν ἐκ τῆς πόλεως, ἔθει δρόμῳ.

Ibid. *Quod oppidum adeunt quidem* etc.] Bertin. Cod. et Vicent. editus, *Q. o. audit* etc. quam probant viri docti scripturam. Fuxens. et Oxon. *Q. o. est quidem* etc.

Ibid. *Alluitur autem Aegaeo et Saronico mari*] Vide 9. 4. Iul. Pollucem.

Ibid. *Ubi portus etiam* etc.] Stephanus π. πόλ. Κεγχρέαι, πόλις καὶ ἐπίνεον Κορίνθου. Philo de Flacco: Καταβὰς εἰς Κεγχρέας τῶν Κορινθίων ἐπίνειον. Pro *ubi*, videtur *ibi* legendum, ut ad Act. 18. monuimus.

Ibid. *Tutissimum navium receptaculum*] Falsi qui cum Cod. Bertin. *munitissimum* legunt. Seneca cap. 17. ad Marciam, de portu Syracusarum: *Quietissimum omnium quos aut Natura posuit in tutelam classium, aut manus adiuvit.* et post: *sic tutus, ut ne maximarum quidem tempestatum furori locus sit.* Pollux 1. 9. in portus laudibus, ἀσφαλὴς, ἀκίνδυνος. adde quod *tutissimum receptaculum* etiam alii dixerunt. Curtius lib. 5. *Si Bactra, quod tutissimum est receptaculum, petimus,* etc. Donatus ad 5. 2. Phorm. *Ne praetereas casam tuam, quae sit tibi tutissimum receptaculum.*

Ibid. *Vitatis* etc. *turbulis*] Lib. 7. *Tabernulam quandam* etc. *vitatis maris fluctibus incubabat.*

Ibid. *Electo secreto littore*] Prudentius: *Invenit expositam secreti in littoris acta.*

LIBER UNDECIMUS.

Pag. 238. *Experrectus pavore subito*] Supra lib. 2. *Expergitus, et pavore nimio perterritus.* infra hoc lib. *Pavore et gaudio* etc. *permixtus, exsurgo.*

Ibid. *Summatem Deam*] Ut 2. *primatem foeminam.* Onomast. vetus: *Summates,* Μεγιστᾶνες.

Ibid. *Resque prorsus humanas ipsius regi providentia*] De Venere, quae et Luna, supra lib. 4. *Rerum naturae* etc. *parens.* et Lucretius: *Rerum naturam sola gubernas.* Scholiastes vetus Horatii, ad Carmen seculare: *Penes ipsam et corporum omnium ratio esse dicitur, et potestas.* Firmicus Praefat. lib. 4. *Omnis substantia terreni corporis istius Numinis providentia gubernatur.*

Ibid. *Nec tantum pecuina et ferina* etc.] De eadem in Apologia: *Non modo humanis animis, verum etiam pecuinis et ferinis* etc. *imperitare.*

Ibid. *Numinisque nutu*] Varro de L. Lat. lib. 6. *Numen dicunt esse imperium, a nutu,* etc.

Ibid. *Ipsa etiam corpora coelo, terrâ, marique nunc incrementis consequenter augeri, nunc decrementis obsequenter imminui,* etc.] Macrobius Somn. Scip. 1. 11. *Nec dubium est, quin ipsa sit mortalium corporum et auctor et conditrix: adeo ut nonnulla corpora sub luminis eius accessu patiantur augmenta, et hac decrescente minuantur.* Firmicus ubi supra: *Crescentis Lunae augmenta in corporibus nostris, et deficientis luminis damna sentimus.* Fulgentius Mytholog. lib. 2. *Detrimenta eius et augmenta non solum terra, sed et lapides,* etc. *et (quod magis incredibile est) etiam letamina sentiunt.* Et nota heic coniunctionem *coeli, terrae, marisque.* Ovid. Metam. 2. *Deque tot ac tantis coeli terraeque marisque Posce bonis aliquid.* In excerptis Floridorum Noster: *Remedia terra, coeloque, et mari conquisita.*

Ibid. *Fato scilicet iam meis tot tantisque cladibus satiato*] Lassat et Fati saevitiam constantia ferendi: Κάμνουσι γάρ τοι καὶ βροτῶν αἱ ξυμφοραί. Euripidaeum est in Hercule fur.

Ibid. *Augustum specimen Deae praesentis* etc.] Glossae: Ἀπεικόνισμα, *specimen, instar, effigies. Praesentis,* non tam quam videbat, quam propitiae.

Ibid. *Discussa pigra quiete, alacer exsurgo*] Supra lib. 8. *Exsurgit alacer.* vide pag. [hui. Ed. 157, b.] dicta. Bene et *discussa quiete.* Virgil. *Corripio e stratis corpus.* ubi Servius: *Ne satietate videatur somnum reliquisse.*

Ibid. *Meque protinus purificandi studio marino lavacro trado*] Virgilius de Aenea expergito: *Cavis undam de flumine palmis Sustulit.* ubi Servius: *Quia dicitur nox etiam solo somno polluere.* De marino lavacro Plutarchus in περὶ δεισιδαιμ. Βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν. Hesychius: Θαλασσωθεὶς, ἁγνισάμενος. Fuse de hoc more iam hîc alii dixerunt.

Ibid. *Submerso capite* etc. *Deam praepotentem* etc. *apprecabar*] Lavatio precum praevia. Persius: *Haec sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis Mane caput.* Propertius: *Surge, et poscentes iusta precare Deos. Ad primum pura somnum tibi discute lympha.* Ovid. *Ubi libatos irroravere liquores Vestibus et capiti, flectunt vestigia sacra Ad delubra Deae.* Virgil. ubi supra: *Undam de flumine palmis Sustulit, et tales effudit ad aethera voces.*

Ibid. *Praecipue* etc. *aptissimum*] Sic supra lib. 1. *Summe praecipuum* dixit.

Ibid. *Divinus ille Pythagoras*] De eodem in Floridis: *Vir ingenio ingenti, ac profecto supra captum hominis animi augustior.*

Ibid. *Regina coeli, sive tu Ceres alma*, etc. *seu tu coelestis Venus* etc.] Servius ad Aen. 1. *Notandum est, unum Deum habere plura nomina, id est, possibilitates.* ita enim, non *numina*, et *possibilitatem* legendum. Iunonem supra 6. non dissimilem isti habuimus invocandi modum. et fortasse uterque locus ex Aristoph. Nub. 1. 3. effictus.

Pag. 239. *Vetustae glandis ferino remoto pabulo*, etc.] Sic cum Oxoniensi MS. et vetustis editionibus: non *vesculae*, cum Schoppio et Bertin. cod. scribendum: *Vetustae*, μετωνυμικῶς, vetustis seculis esitatae. Virgilius de Agricola: *Det motus incompositos.* ubi Servius: *Habens in memoria victum priorem, a quo Cereris revocatus est benignitate: nam olim homines glande vescebantur.* Eundem et ad initium 1. Georg. vide. et 1. 12. §. 9. Iul. Pollucem. Ovidius de Tellure et Cerere: *Per quas correcta vetustas, Quernaque glans victa est utiliore cibo.* qui locus altum clamat vetustam heic lectionem sequendam.

Ibid. *Miti commonstrato cibo*] Idem: *Alimentaque mitia fruges.* et de Cerere: *Prima dedit fruges alimentaque mitia terris.* Apud Quintilianum ille Declam. 12. *Concutere quercum, legere fraga, et quaecunque primi mortales ante traditos divinitus mitiores cibos, contra famem obiecerunt.* Iustinus de Habyde: *Frumenta sulco quaerere docuit, et ex agresti cibo mitiora vesci.* Supra 6. de nucleis, *Edulia mitiora.*

Ibid. *Primis rerum exordiis*] Virgilius, (quem ubique exprimit,) *Quae prima exordia sumat.*

Ibid. *Sexuum diversitatem generato amore sociasti*] *Sociare* hîc, est δύο εἰς σάρκα μίαν ποιεῖν. cum nempe τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ προσκολλᾶται. Matth. 19. 5.

Ibid. *Et aeterna sobole humano genere propagato*] Id est, aeterno, sobolis iugi propagatione, facto. In de Deo Socratis: *Homines singillatim mortales, cuncti tamen universo genere perpetui.* Seneca Hippol. *Providit ille maximus mundi parens, Cum tam rapaces cerneret Fati minas, Ut damna semper sobole repararet nova.* Lucianus in Amoribus: Ἐπισταμένη (ἡ τῶν ὅλων Φύσις) ὅτι θνητῆς ἐσμὲν ὕλης δημιούργημα. καὶ βραχὺς χρόνος ὁ τοῦ ζῆν ἑκάστῳ καθείμαρται, τὴν ἑτέρου Φθορὰν ἄλλου γένεσιν ἐμηχανήσατο, καὶ τὸ θνήσκοντι τὸ τικτόμενον ἀντεμέτρησεν, ἵνα ταῖς παρ' ἀλλήλων διαδοχαῖς εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον ζῶμεν. De Deo, vel de Eadem, Augustus apud D. Cassium L. 56. Τὴν ὁμιλίαν (ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς) γόνιμον ἐποίησεν, ὅπως ἐκ τῶν ἀεὶ γεννωμένων, ἀΐδιον τρόπον τινὰ καὶ τὸ θνητὸν ἀπεργάσηται. Ibidem, exemplo Maiorum populo coniugia suadens: Ὧν χρὴ μεμνημένους, τὸ θνητὸν τῆς Φύσεως ἡμῶν ἀϊδίῳ διαδοχῇ γενῶν, ὥσπερ τινων λαμπάδων παραμυθεῖσθαι· ἵν' ἐν ᾧ μόνῳ τῆς θείας εὐδαιμονίας ἡττώμεθα, τοῦτο ἐξ ἀλλήλων ἀθάνατον καθιστώμεθα. Philo lib. *Quod mundus incorruptib.* Ἐξ ἀϊδίου κατὰ διαδοχὰς ἐξ ἀνθρώπων οἱ ἄνθρωποι βλαστάνουσιν, etc. τῆς Φύσεως etc. ὅπερ οὐκ ἰσχὺς λαβεῖν ἡμῶν ἕκαστος, τοῦθ' ἅπαντι τῷ γένει δωρησαμένης, τὸ ἀθάνατον. Aristides 1. Orat. Ἡ ἐξ ἀρχῆς γένεσις ἐκ Διὸς ἡμῖν, etc. καὶ τὸ θνητὸν ὂν ἡμῶν γένος κατὰ μέρος, ἀθάνατον τῇ διαδοχῇ εἶναι. Lucianus ubi supra: Αἱ σὺν γυναιξὶν ἀνδρῶν ὁμιλίαι μεχρὶ δεῦρο τὸν ἀνθρώπινον βίον ἀθανάτοις διαδοχαῖς Φυλάττουσιν. Athenagoras de homine loquens, in *de Resurrect.* Τῇ τῶν παίδων καὶ τῶν ἐκγόνων διαδοχῇ τὴν ἑαυτοῦ τελευτὴν παραμυθούμενος, καὶ ταύτῃ τὸ θνητὸν ἀπαθανατίζειν οἰόμενος. Iustinianus Praefat. Novell. 22. de matrimonio: *Humano generi videtur immortalitatem artificiose introducere: et ex filiorum procreatione genera renovata manent.* Sirachides 14. 19. de foliis: *Alia generantur, et alia deiiciuntur, sic generatio carnis et sanguinis: alia finitur, et alia nascitur. Sorte nascentium*, nempe *loco obitorum pullulante, et occidentium numero locum nascentibus pandente:* ut ipse Auctor noster in de Mundo loquitur. Hinc, γένος τὸ ἀεὶ ἐπιγιγνόμενον, humanum dixit Xenophon παιδ. 8. et Iulianus, τῷ καθ' ἕκαστον θνητὸν, τῷ παντὶ δὲ, ἀθάνατον. In loco Senecae Orat. 6. pro *minas* forsan *manus* scribendum.

Ibid. *Quae partu foetarum medelis lenientibus recreato* etc.] Horatius: *Rite maturos aperire partus Lenis Eilithya.* Ovidius (Amor. 2. 13.) parturienti Corinnae huius Deae auxilium implorat.

Ibid. *Triformi facie* etc.] Aeneid. 4. *Tria virginis ora Dianae.* ad quem locum Servius videndus.

Ibid. *Lucos diversos inerrans*] De eadem Seneca Hippo. *O magna lucos inter et sylvas Dea.* *Diversos*, varios. supra hîc, *Color Deae diversus in speciem.* Infra: *Iam gestamina longe diversa.* et 1. *Per diversas* etc. *solitudines aufugi.*

Ibid. *Vario cultu propitiaris*] Themistius 12. Orat. Ὁ θεὸς τὸ μὲν ἔχειν πρὸς εὐσέβειαν ἐπιτηδείως τῆς Φύσεως κοινὸν ἐποίησε τῆς ἀνθρωπίνης, τὸν τρόπον δὲ τῆς θεραπείας ἐξῆψε τῆς ἐν ἑκάστῳ βουλήσεως. et post: Ταύτῃ τῇ ποικιλίᾳ (θρησκείας) νόμιζε καὶ τὸν τοῦ παντὸς ἀρχηγέτην γάνυσθαι. ἄλλως Σύρους ἐθέλει πολιτεύεσθαι, ἄλλως Ἕλληνας, ἄλλως Αἰγυπτίους.

Ibid. *Ista luce foeminea* etc.] Paulus 1. ad Corinth. 15. Ἡλίου ἄλλη δόξα, καὶ ἄλλη σε-

λη-

λήνης. *Foeminea*, tenui, imbecilla. ut, σκεῦος γυναικεῖον ἀσθενὲς apud D. Petrum. Seneca de eâdem loquens, *lene ac remissum lumen* dixit. (cap. 18. Consol. ad Marc.) Macrobius Saturnal. 1. 17. *Et Solem quidem maxima vi caloris in superna raptum, Lunam vero humidiore, et quasi foemineo sexu, naturali quodam pressam tepore inferiora tenuisse.*

Ibid. *Udis ignibus nutriens laeta semina*] Maximus Tyrius Dissert. 23. Τί σελήνης εὐτροφώτερον. Virg. Georg. 1. *Diique Deaeque omnes studium quibus arva tueri, Quique novas alitis nonnullo semine fruges.* ubi Servius: *Qui a nobis iacta semina vestris seminibus alitis: semina autem Deorum dicit coeli temperiem, pluvias, teporem,* etc. τὸ *udis* recte pro *nudis* et posuit et exposuit Beroaldus. Vide et Scaligerum ad Vett. Catalecta.

Ibid. *Dispensans incerta lumina*] Firmicus 1. 4. *Quae* etc. *menstruis semper incerta luminibus, Solis angusta radiatione fulgescis.* vide Beroaldum.

Ibid. *Quoquo nomine* etc. *te fas est invocare*] In vetere formula apud Macrobium Saturnal. 3. 9. *Dis Pater, Veiovis, Manes: sive vos quo alio nomine fas est nominare:* etc. Aeneid. 4. *Sequimur te sancte Deorum, Quisquis es.* ad quae Servius: *Secundum morem Pontificum, qui sic precantur: Iupiter omnipotens, vel quo alio nomine appellari volueris.* Idem alibi: *Stoici dicunt non esse nisi unum Deum, et unam eandemque esse potestatem: quae pro ratione officiorum nostrorum variis nominibus appellatur.*

Ibid. *Tu meis iam nunc extremis aerumnis subsiste*] Senec. *Iam statue tandem gravibus aerumnis modum.*

Ibid. *Iam nunc extremis aerumnis subsiste*] Tibullus: *Nunc Dea, nunc succurre mihi.* Nisus ad eandem hanc Deam apud Virgilium: *Tu Dea, tu praesens nostro succurre labori.* Supra hîc lib. 5. *Iam nunc subsistite.*

Ibid. *Sit satis laborum*] Silius Italicus: *Tormentis finem, metamque laboribus orat.* Aen. 1. *Quem das finem Rex magne laborum?* De Iò adhuc vacca Ovidius: *Cum Iove visa queri est, finemque orare laborum.* De eâdem Iuvenalis Scholiastes ad Sat. 6. *Cum venisset, errans in partibus Aegypti, in Nilum fluvium, lassata coepit orare prout potuit, requiem malorum.* Cicero ad Q. Fr. *Precor* (Deos) *ut his infinitis malis nostris contenti sint.* Nec vero hîc τοῦ *satis* proprietas negligenda. supra lib. 6. *Et tu Fortuna durior, iam saevire desiste: sat tibi miseris istis cruciatibus meis litatum est.* Virgilius Ceiri: *Sit satis hoc tantum solam vidisse malorum.* et Aen. 9. *Poenarum exhaustum satis est.* ubi forsan *exactum* reponendum. Seneca Troad. *Exactum satis Poenarum, et ultra est.* pro quo Horatius: *Dedi satis superque poenarum tibi.* Helena apud Euripidem: Ἅλις δὲ μόχθων οὓς ἐμοχθοῦμεν πάρος.

Ibid. *Sit satis periculorum*] Χρὴ δ' εἰ σοφὸς πέφυκας, οὐκ ἐᾶν βροτὸν Τὸν αὐτὸν ἀεὶ δυστυχῆ καθεστάναι· ait ad Iovem Iocasta in Euripidis Phoenissis.

Ibid. *Redde me conspectui meorum*] Ita Symmachus (Appuleium imitatus nostrum) 3. 63.

Ibid. *Redde me meo Lucio*] Claud. *Me, precor, heu, me redde mihi, gravibusque medere Vulneribus.* Horat. *Obsecro et obtestor, vitae me redde priori.* *Meo Lucio*, ut supra 3. *Quo dicto factove* etc. *ad meum Lucium redibo.*

Ibid. *Ac, si quod offensum Numen inexorabili me saevitia premit,* etc.] Virgilius: *Si sceleris tanta est iniuria nostri.* ubi Servius: *Ut non possit praesentis fortunae qualitate molliri.*

Ibid. *Mori saltem liceat, si non licet vivere*] Ovid. Epist. *Vel fer opem, vel dede neci.* Menander: Ἡδὺ δ' ἀποθνήσκειν ὅτῳ Ζῆν μὴ πάρεσθ' ὡς βούλεται. Seneca Oedip. *Prostrata iacet turba per aras, Oratque mori.* Moses ad Deum Numer. 11. 15. *Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me: et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis malis afficiar.* in Graeco est, ἔλεος, *misericordiam.* Virgilius: *Tu magne pater Divûm miserere, tuoque Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo.* ad quae Servius: *Misericordiae genus est, si me etiam iratus interimas.* Apud Senecam ille Controvers. 2. 3. *Si tibi tam pertinax adversum me odium est, audacter quid sis facturus pronuncia,* etc. *si non impetro ut vivam, hoc certe impetrem ne diu moriar.* Ibidem 8. 4. *Summam infaelicitatum suarum in hoc removit, quod existimabat licere misero mori.* Hinc illa, quasi de poena extrema, supra hîc 8. *Nec mortis quiete recreaberis, nec vitae voluptate recreaberis.* Adherbalis apud Sallustium: *Neque vivere lubet, neque mori sine dedecore licet.* et quae de Corah et sociis Optatus Milevitanus: *Ne beneficium de mortis compendio consequi viderentur, dum non essent digni vivere, iis nec mori concessum est.* vide Suidam in πέρασις. Plinius 2. Epist. 20. ex persona Reguli ad medicos Velleii Blaesi: *Quid invidetis bona mortis, cui dare vitam non potestis?* Maximianus: *Vivere cum nequeam, sit mihi posse mori.*

Ibid. *Et adstructis miseris lamentationibus*] Τὸ *miseris* primus Colvius bene e MS. addidit. supra lib. 5. *Quid miseris lamentationibus vos nequicquam affligitis?*

Ibid. *Marcentem animum* etc. *sopor circumfusus oppressit*] *Marcentem* moerore intellige, inde sopor circumfusus. Luc. 22. 45. Εὗρεν αὐτοὺς κοιμωμένους ἀπὸ τῆς λύπης. cui loco quae illustrando congesseramus libet hîc in medium

dium afferre. occasio commode se offert, nec conspectus forsan iniucundus erit. De Iona Theodoretus: Τῇ ἀθυμίᾳ βαλλόμενος, etc. ἐμηχανήσατο ἀπὸ τοῦ ὕπνου παραψυχήν. De eodem Chrysostomus ad Antioch. 51. Ἐκάθευδε καὶ ἔρεγχε· βαρὺς ὁ ὕπνος, ἀλλ' οὐκ ἦν ἡδονῆς, ἀλλὰ λύπης. Longus Sophista: Ἐκ τῶν δακρύων καὶ τῆς λύπης ὕπνος βαθὺς καταλαμβάνει. Heliodorus 1. Φροντίδι συνεχόμενος πρὸς ὕπνον ἐτράπετο. Idem 2. Πρὸς ἡδὺ κῶμα διὰ τὸ ὑπερβάλλον τῆς λύπης ὠλίσθησαν. et 5. Ἐμοὶ τήν τε ἐκ τῆς ὁδοιπορίας καὶ τῶν ἄλλων φροντίδων κάκωσιν ὕπνῳ βραχεῖ γοῦν ἐστι παραμυθητέον. Ibidem: Λύπης προσβολῇ πρὸς βαθὺν ὕπνον ὀλισθήσασα· huc refer et Hesychii illa, Μέρμηρα· ἡ εἰς ὕπνον καταφορικὴ φροντίς. Ἐκ σάλου πολλοῦ εὕδειν Sophocles in Philoctete dixit. Ponamus iam e Latinis nonnulla. Claudianus: *Ille diu curis animum stimulantibus aeger, Labitur in somnum.* Petronius: *Cum Ascyltus tot malis gravatus, in somnum laberetur.* Q. Curtius 4. de Alexandro: *Gravatum animi anxietate corpus altior somnus oppressit.* Idem de eodem lib. 9. *Praelio et sollicitudine fatigatus, cum Ptolemaeo assideret, lectum in quo ipse acquiesceret, iussit inferri: in quem ut se recepit, protinus altior somnus insecutus est.* Ennius: *Vix aegro tum corde meo me somnu' reliquit.* Quintilianus in Declamationibus: *Gravior est quies, quibus ex lassitudine calamitatum venit.* Apud Silium Italicum: *Somno dirus me impleverat horror.* Seneca Octav. *Et fessa fletu lumina oppressit sopor.* Sallustius de Nabdalsa: *Primo cura, dein, uti aegrum animum solet, somnus coepit.* Virgilius: *Aeneas tristi turbatus pectora bello Procubuit, seramque dedit per membra quietem.* et alibi: *Confectum curis, somnoque gravatum.* unde 11. Iustinus: *Confectum curis* etc. *somnus arripuit.* Est in Amphitryone Plautina locus, qui fortasse hunc in sensum exponendus: *Credo misericors est: nunc propterea quod me meus herus Fecit ut vigilem, hic pugnis faciet hodie ut dormiam.* Id est, pugni eius incutient moerorem mihi, moeror somnum. Ibidem 1. 1. vers. 147. ille, suos pugnos alloquens: *Iampridem videtur factum heri quod homines quatuor In soporem collocastis.* cui simile vers. 201. eiusd. Senecae: *Faciam ego te hodie superbum nisi hinc abis.* Ita plagis nempe te conteram, ut, ambulare nequiens, aliorum (quod superbi solent) humeris auferaris. Ad puerum suum apud Aristophanem ille: Δεῦρ', ἔλθ' ἵνα κλάῃς. id est, ut bene vapules, et proinde plores.

Ibid. *Venerandos* etc. *vultus*] Horatius, de eadem loquens, *os decorum* dixit. Pro *Diis* MS. Lipsii *Deae.* Oxon. *Dei.*

Ibid. *Toto corpore* etc. *ante me constitisse visum est*] *Oculis se plena videndam Obtulit, et pura per noctem luce refulsit Alma parens, confessa Deam, qualisque videri Coelicolis, et quanta solet.* *Toto corpore*, est, Πρόσωπα καλλύνουσα καὶ πληρουμένη· ut de eadem Sophocles locutus. Statius: *Toto stetit obvia vultu.* Supra hîc lib. 6. *Supplicanti, se Iuno cum totius sui Numinis augusta dignitate praesentat.* Seneca cap. 18. ad Marc. ibidem de Luna: *Nunc toto ore terris imminentem*, etc.

Ibid. *Eius mirandam speciem* etc.] Oxon. et Lipsii liber, *Qui eius* etc. et post, *enitar.*

Pag. 240. *Si tamen mihi disserendi tribuerit facultatem paupertas oris humani*] Lib. 4. *Sermonis humani penuria.* Pro *disserendi* malim *edisserendi* scribi. ut supra commonui. Gloss. *Edissere*, ἔκθου, φράσον.

Ibid. *Dapsilem copiam*] Hesychius: Δαψιλῆ, πολλῇ. vide Beroaldum. sic *dapsiles dotes* Plautus: *dapsiles sumptus* Terentius.

Ibid. *Eloquutilis facundiae*] Lipsii et Oxon. lib. *Loquutilis f.*

Ibid. *Iamque primum crines uberrimi prolixique* etc.] Lege, *Imprimum.* Florid. 1. *Iamprimum crines eius* etc. *anteventuli et propenduli.* Ad vocem *prolixi* pertinent Glossarii ista, *Prolixus*, τετανόθριξ.

Ibid. *Per divina colla passive dispersi*] Supra lib. 2. *Uberes crines* etc. *cervice dependulos, ac deinde per colla dispositos passive*, i. e. temere dispersi. Terent. Phorm. *Capillus passus.* ubi Donatus: *Temere dispersus.*

Ibid. *Cuius media* etc.] Videtur *medio* legendum.

Ibid. *Distrinxerat*] Al. *distinxerat.*

Ibid. *In modum speculi, vel imo argumentum Lunae candidum lumen emicabat*] Ita et Oxon. MS. Ursinus, *vel in modum semestris Lunae*, ubi primum ad illepidam geminationem adverte, tum, ad immodicam coniecturae licentiam, quae a communi lectione toto coelo recedit. nec tamen desunt qui probent, qui ingeniosam appellent. nobis rectius, certe modestius, pro *vel imo*, videtur *vel enim* reponendum. saepius ita Appuleium locutum docet Mercerus ad libellum de D. Socratis. Pro *argumentum*, antiquo more scribendi *augumentum* emendaverim. Glossarium Isidori: *Augumentum: profectus.* sic, *Lunae crescentis augumenta* Firmicus in Matheseos Praefatione. et passim in principe editione eius, *augumenta honoris, foelicitatis*, etc. Vox *candidum* ad τὸ *lumen* pertinet.

Ibid. *Dextra laevaque sulcis insurgentium viperarum cohibita*] Lib. 6. *Dextra laevaque* etc. *proserpunt et colla longa porrecti saevi dracones.* Minucius in Octavio: *Ceres facibus accensis, et serpente circundata.*

Ibid. *Nunc albo candore lucida, nunc croceo flore*

flore lutea, nunc roseo rubore flammida] De eadem in de Deo Socratis: *Seu corniculata, seu dividua, seu protumida, seu plena: varia ignium face*, etc. Seneca cap. 18. ad Marciam: *Accessionibus damnisque notabilem, semper proximae dissimilem.*

Ibid. *Quae longe longeque etiam meum confutabat obtutum, palla nigerrima splendescens atro nitore*] Basilius: Τὸ ἄγαν λαμπρὸν ἀμαυροῖ τὰς ὄψεις. Iulianus de Saturni lecto in Caesaribus: Ἐβένου μὲν ἦν στιλβούσης, καὶ πολλὴν ἐν τῷ μέλανι καὶ θείαν αὐγὴν κρυπτούσης, ὥστε οὐδεὶς οἷός τε ἦν ἀντιβλέπειν, ἔπασχε δὲ τοῦτο πρὸς τὴν ἔβενον ἐκείνην τὰ ὄμματα δι' ὑπερβολὴν τοῦ λαμπηδόνος, ὅπερ οἶμαι πρὸς ἥλιον, ὅταν αὐτοῦ τῷ δίσκῳ τις ἀντενέστερον προσβλέπει.

Ibid. *Palla nigerrima*] Horatius: *Nigra succinctum vadere palla.*

Ibid. *Et sub dextrum latus ad laevum humerum recurrens*] Isidorus Orig. 19. 25. *Stola matronale operimentum, quod cooperto capite et scapula, a dextro latere in laevum humerum mittitur.* Scholiastes vetus Persii ad Sat. 5. *Gabino habitu cinctuque Dii Penates formabantur, obvoluti togâ super humerum sinistrum, dextro nudo.*

Ibid. *Ad ultimas oras*] Onomast. vett. *Ora*, ἐσχατία.

Ibid. *Earumque media*] Lege, ut supra, *me...*.

Ibid. *Aereum crepitaculum, cuius per angustam laminam* etc.] Descriptio *sistri*, de quo olim ad Apologiam dixi.

Pag. 241. *Constructa pomis*] *Constricta* Oxon. et alius MS.

Ibid. *Caput extollens arduum*] Legendum *attollens*: vide supra [hui. Ed. p. 293, b.] notata.

Ibid. *Palmae victricis foliis*] Oxon. et duo alii MSS. *victricibus.*

Ibid. *Spirans Arabiae faelicis germina*] Liber Lipsii: *Spirans foelicia germina.* Oxon. *Spirans germina.* vide supra [hui. Ed. p. 309, a.] notata.

Ibid. *Tuis commota precibus*] Lib. 6. *Tuis* etc. *precibus commoveor, et opitulari cupio.*

Ibid. *Rerum naturae parens*] Lucretius de eâdem: *Rerum naturam sola gubernat.*

Ibid. *Elementorum omnium Domina, seculorum progenies initialis*] Oxon. *Elementorum, et omnium seculorum p. i.* munitur altera lectio ab illis *Tibi* etc. *serviunt elementa*, quae infra occurrunt.

Ibid. *Maris salubria flamina*] Meursius in Exercit. Crit. legebat *aëris.*

Ibid. *Inferorum* etc. *silentia*] Virgil. *Umbraeque silentes.* Servius: *Secreta Inferorum semper silentia.*

Ibid. *Nutibus meis dispenso*] Al. *motibus.*

Ibid. *Ritu vario*] Vide Themistium supra adductum.

Ibid. *Totus veneratur orbis*] De eadem Act. 19. 27. Ἣν ὅλη ἡ Ἀσία καὶ ἡ οἰκουμένη σέβεται.

Ibid. *Me primigenii Phryges Pessinunticam nominant Deûm Matrem: hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam*, etc.] Marcianus Capella: *Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osyrim, Dissona sacra Mithram.* De Iove (in de Mundo) Noster: *Et cum sit unus, pluribus nominibus cietur, propter specierum multitudinem, quarum diversitate fit multiformis.*

Ibid. *Autochthones Attici*] Vide Suidam in Αὐτόχθονες. Scholiastes ad Equit. Aristoph. Πρῶτοι τε καὶ αὐτόχθονες οἱ Ἀθηναῖοι. Euripides Ione: Ἐλθὼν λαὸν εἰς αὐτόχθονα Κλεινῶν Ἀθηνῶν. Idem ad Plutarchum, de Athenis (de exi.) Ἡ πρῶτα μὲν λεὼς οὐκ ἐπακτὸς ἄλλοθεν, Αὐτόχθονες δ' ἔφημεν. Iustinus lib. 2. *Non advenae, neque passim collecta populi colluvies originem Urbi dedit, sed in eodem nati solo quod incedunt: et quae illis sedes, eadem origo esto.* Cicero in pro Flacco: *Ex sese suos cives genuisse dicuntur.* Servius ad Aen. 3. *Terrigenas esse Athenienses nemo dubitat.* Prae aliis autem insigniter Aristides, qui sic in Panathaenaica: Ξένοι καὶ πολῖται μόνῃ τῇ γῇ ταύτῃ διῃρῆσθαι πρέπουσιν· οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι καθάπερ θέαν καταλαβόντες, οὕτω ταῦτα κρίνουσιν, οὐ τῷ μᾶλλον ἑαυτοῖς προσήκειν τῶν χωρίων τοὺς ἄλλους ἀφορίζοντες, ἀλλὰ τῷ φθῆναι κατασχόντες· καὶ ξένους ὀνομάζουσι τοὺς δευτέρους ἐλθόντας, ἀγνοοῦντες, ὅτι πάντες ὁμοίως εἰσὶ ξένοι, μᾶλλον δὲ αὐτοὶ πρῶτον ξένοι, καὶ τοσοῦτον τῶν δημοποιητῶν οὓς αὐτοὶ ποιοῦνται διαφέρουσιν, ὅσον οὐ κριθέντες ἄξιοι τῆς πολιτείας, ἀλλ' εἰσβιασάμενοι, προυβάλλοντο τὴν πατρίδα, ὥσπερ ὅπλων ἀπορίᾳ τῷ φανέντι χρησάμενοι· μόνοις δ' ὑμῖν (Atheniensibus) ὑπάρχει καθαρὰν εὐγένειάν τε καὶ πολιτείαν αὐχῆσαι· καὶ δυοῖν ὄντοιν ὀνομάτοιν, ἑκάτερον κύριόν ἐστι τῇ χώρᾳ διὰ τὸ ἕτερον, εἰκότως, οἵ τε γὰρ ξένοι διὰ τοὺς ἄλλους πολίτας γνησίους ὄντας ἐνέχονται τῷ προσρήματι, οἵ τε πολῖται βεβαιοῦσι τὴν ἐπωνυμίαν τῷ καθαροὶ ξένων τὸ ἐξ ἀρχῆς εἶναι.

Ibid. *Et qui nascentis Dei Solis inchoantibus radiis illustrantur Aethiopes*] Non haec offendit me necdum dubitata lectio, magis placeret tamen *nascentis diei*, voce *Solis* expuncta. Lib. 5. *Nascentis diei lumen praevertit.* et in Floridis, de Indis loquens, quos hic Aethiopas vocat:

cat: *Iisdem ad nascentem diem sitis, in corpore tamen color noctis est.*

Ibid. *Priscaque doctrina pollentes Aegyptii*] Act. 7. 22. Αἰγυπτίων σοφίᾳ. ad quem locum adnotata vide.

Ibid. *Mitte iam fletus, et lamentationes omitte*] Lib. 3. *Omnem de tuo pectore tristitudinem mitte, et angorem animi depelle.* et 5. *Lugubres voces desinite, et diutinis lacrymis madentes genas siccate.*

Ibid. *Iam tibi providentia mea illucescet dies salutaris*] Senec. *Optatus ille portus aerumnis adest.* Propert. *Iam tibi vexatae post multa pericula vitae Extremo veniet mollior hora die.* *Vexari* naves dicuntur quibus procellae incumbunt. (vide 2. 6. A. Gellium.) cogitemus ergo an *mollior aura* legi concinnius possit. sic *mollis Zephyrus* Senecae in Tragoediis. Hesychius etiam, Ὑγρὸν ἀέντων· μαλακῶς πνεόντων.

Ibid. *Animum intende sollicitum*] Lib. 8. *Sollicitis animis intendite.*

Ibid. *Navigabili iam pelago*, etc.] Vide Meurs. pag. 7. ad Constant. Porphyrogenn. Turnebum Advers. 8. 24.

Pag. 242. *In ipso procinctu pompae*] Thomas Magister: Πομπὴ, ἡ ἐν ταῖς τῶν θεῶν πανηγύρεσι πρόοδος. Schopp. et Bertin. cod. *protractu pompae:* non male: nam et *longa pomparum varietate agmina* Noster in de Deo Socratis dixit. et multa coronam istam praecessisse docet sequentium series. Pro *ipso* autem (quod sensui isti male convenit) malim *illo* scribi: *In illo protractu pompae*, pro, *in pompae protractu.* Abundare in his libris vocem eam non semel neque bis monuimus.

Ibid. *Alacer continuare pompam*] Infra hîc: *Comitare pompam* etc. *Deae inovanti gradu.* qui locus hunc illustrat.

Ibid. *Mea volentia fretus*] I. e. benevolentia.

Ibid. *Constricti comitatus*] Constipati.

Ibid. *Hoc eodem momento quo tibi venio*, etc. *quae sunt consequentia sacerdoti meo per quietem facienda praecipio*] Operae pretium fuerit Act. 9. 10. conferre.

Ibid. *Meo iussu tibi constricti comitatus decedent populi*] *Ipsa omnem longae decedere pompae Infusum populum, et campum faciam esse patentem.*

Ibid. *Neque* etc. *figuram tuam repente mutatam sequius aliquis interpretatus, maligne criminabitur*] Quasi nempe vi Magica effectum. Supra lib. 3. *Dumque iam labiis undantibus* (rosas) *affecto, consilium me subiit longe salubrius: ne, si rursum asino remoto prodirem in Lucium, evidens exitium* etc. *offenderem, vel artis magicae suspicione, vel indicii futuri criminatione.*

Ibid. *Et penita mente* etc.] Tacitus Ann. 2. *Penitus noscendas mentes.* scribe, *penitas.* vide supra heic [hui. Ed. p. 153, b.] et quae olim p. 89. ad Apologiam dicta.

Ibid. *Nec iniurum cuius beneficio ad homines redieris, ei totum debere quod vives*] Anna Samuelis mater 1. Sam. 1. 27. Ὑπὲρ τοῦ παιδίου τούτου προσηυχόμην, καὶ ἔδωκέ μοι Κύριος τὸ αἴτημά μου, etc. κ' ἀγὼ κιχρῶ αὐτὸν τῷ Κυρίῳ πάσας τὰς ἡμέρας ἃς ζῇ αὐτός. ibi de nato res, hîc de renato. Sedulius ad 1. Cor. 6. *Qui non est suus, non debet sibi vivere.* vide et 2. Tim. 2. 26.

Ibid. *Totum* etc. *quod vives*] Ammianus Marcellinus lib. 28. *Hi omne quod vivunt, vino et tesseris impendunt.*

Ibid. *Vives* etc. *gloriosus*] *Secundo rumore gloriosus*, ut lib. 9. locutus. Ita *vivere gloriose*, Cato in Distich. Praefatione.

Ibid. *Scias ultra statuta fato tuo spatia vitam quoque tibi prorogare mihi tantum licere*] Q. d. *Ego inexorabile fatum Subieci pedibus.* Sideribus fata gubernantur: (Serv. ad ea 4. Aen. *Vertere sidera retro.* Item, *Conscia sidera fati*) illa autem siderum Domina ac Regina, stellarum noxios meatus cohibens. (ut infra de eadem dictum) Virgilius: *Ille, ut depositi proferret fata parentis*, etc. Eiusdem 9. *Quo fata vocas?* ubi Servius: *Ostendit fata posse aliquatenus trahi*, et ad Aen. 6. *Posse aliqua ratione fata disrumpi per transitum docet.* Infra hîc ad eandem istam: *Fatorum inextricabiliter contorta licia retrectas* qui locus hunc illustrat. His adde a Beroaldo dicta.

Pag. 243. *Sic oraculi venerabilis fine prolato, Numen invictum in se recessit*] Ovidius de Tellure: *Dixerat haec*, etc. *suumque Retulit os in se.* Metam. 2. hic autem *in se recedere*, intelligam, *se in nubem condere.* Virgilius de Venere (quae et Luna) Aen. 6. *Dixerat, et spissis noctis se condidit umbris.* Stewechius, *numen invisum*, Elmenhorstio accedente, at qui *Solem invictum, invictum Herculem*, et similia in Lapidibus animadvertit, fortasse eiusmodi coniecturam haud aegre repudiaverit.

Ibid. *Pavore et gaudio* etc. *permixtus*] Videantur quae ad Matth. 28. 8. adnotavimus.

Ibid. *Noctis atrae fugato nubilo, Sol exsurgit aureus*] Supra lib. 2. *Nocte discussa, Sol novus diem fecerat.* *Fugato*, ut apud Virgilium: *Revoluta ruebat Matura iam luce dies, noctemque fugarat.*

Ibid. *Noctis atrae nubilo*] Florid. 4. *Duo colores praestabiles sunt, piceus, et niveus, quibus inter se nox cum die differunt.*

Ibid *Sol exsurgit aureus*] *Iubar aureus extulerat Sol.* Prudentius: *Sol ecce surgit aureus.*

Ibid. *Et ecce* etc. *turbulae complent totas plateas*] Ammianus lib. 28. *Exoptato die equestrium*

trium ludorum, *elucescente nondum Solis puro iubare*, *effusius omnes festinant praecipites*, etc. quibus similia apud Corippum Africanum. Statius in nuptiali argum. *Vixdum emissa dies*, *etiam socialia praesto Omina*, *iam festa fervet domus utraque pompa. Fronde virent postes*, *et fervent compita flammis*, *Et pars immensae gaudet celeberrima Romae.*

Ibid. *Turbulae complent totas plateas*] Lib. 3. *Turbae miscellaneae cuncta completa.*

Ibid. *Praeter peculiarem meam*] Ita excudi debuit. *meam*, hilaritudinem intellige.

Ibid. *Et ipsum diem serena facie gaudere sentirem*] *Ipse mihi visus pulchrior ire dies.* Avienus in Perieg. *Undique fulsit Coelicolum sedes*, *convexaque pura tetendit Festa dies.* Petronius: *Ipse nitor Phoebi vulgato laetior orbe Crevit*, *et aurato praecinxit fulgure vultus.* Florus 4. 12. *Ea denique in Germania pax erat*, *ut mutati homines*, *alia terra*: *coelum ipsum mitius molliusque solito videretur.* Apte autem secuturis ludis serenum facit diem praeludere. Aeneas ludos funebres Anchisae instituturus: *Si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit.* ubi Servius: *Almum*, *serenum. id est*, *si dederit diem serenum*, *et talem qualis ludis aptus est.*

Ibid. *Et ipsum diem serena facie gaudere sentirem.* Ovid. *Numine coelesti Solem fulgere serenum*, *Cum populi vultu conveniente die.* Chrysologus Serm. 41. *Gratus dies est*, *et gratior serenus.*

Ibid. *Pruinam pridianam dies apricus ac placidus repente fuerat insecutus*] Claudianus 6. Consul. Honorii: *Ipse favens votis*, *solitoque decentior aër*, *Quamvis assiduo noctem foedaverat imbre*, *Principis et Solis radiis detersa removit Nubila*: *nam pluviis ideo turbaverat omnes Ante dies*, *Lunamque rudem madefecerat Auster*, *Ut tibi servatum ferrent convexa serenum.* Sidonius Car. 11. *Proxima quinetiam festorum afflata calore Iam minus alget hiems*, *speciemque tenentia vernam*, *Hoc dant vota loco*, *quod non dant tempora mundo.*

Ibid. *Ut canorae etiam aviculae prolectante verno vapore*, *concentus suaves adsonarent*: *matrem siderum* etc. *blando mulcentes affamine*] Lucretius: *Nam simul ac species patefacta est verna diei*, *Et reserata viget genitabilis aura Favoni*: *Aëriae primum volucres te Diva*, *tuumque Significant initum*, *perculsae corda tua vi. Vaporem vernum* Noster pro *tepore* ponit, ut in illis 10. *Succuum pulmenta* etc. *vapore mollibat.* et 4. *Flammae vapore recreati.* Curtius lib. 4. *Coeli quoque temperies mira*, *verno tempori maxime similis.* videtur *tepori* legendum.

Ibid. *Canorae aviculae*] Manilius lib. 3. *Tum voce canora Omne nemus loquitur.* Virgil. *Omnia tunc resonant avibus virgulta sonoris.* Gellius 1. 2. *Totius villae venustate* etc. *canoris avibus personante.*

Ibid. *Concentus suaves adsonarent*] Virgilius: *Avium concentus.* Servius; *Commistus cantus*, *symphonia.* Seneca cap. 18. ad Marciam: *Aviumque concentu dissono.*

Ibid. *Blando mulcentes affamine*] Supra lib. 10. *Affatus blandissimos.* Virgilius 1. *Blandisque morantur Vocibus.* Idem 7. *Assuetae ripis volucres*, *et fluminis alveo*, *Aethera mulcebant cantu.*

Ibid. *Pomifera sobole*] I. e. fructifera. Glossae: *Pomiferat*, Ὀπωροτροφεῖ. Glossae aliae: Ὀπώρα, *pomum.*

Ibid. *Quaeque earum umbra contentae et steriles*] Δένδρα τῶν καρπῶν ἄγονα, τὴν δὲ εὐμορφίαν καρπὸν ἔχονται, ut Lucianus in Amoribus locutus. Tales *platani*, *umbras* (ut de Mundo Auctor noster) *potantibus ministrantes.* vide 1. 12. §. 9. Iul. Pollucem.

Ibid. *Austrinis laxatae flatibus*, *germine foliorum renidentes*] Claudianus in Eutrop 2. *Mitior alternum Zephyri iam bruma teporem Senserat*, *et primi laxabant germina flores.* Hesychius: Φύλλα, τὰ τῶν δένδρων. scribe, τὰ τῶν δένδρων πέταλα. Pollux 1. 12. §. 10. Τὰ δὲ φύλλα καὶ πέταλα καλεῖται. Hesychius ipse, Πέταλα· οὐδετέρως τὰ φύλλα. Servius ad 5. Eclog. φύλλα *dicta sunt a Phyllide*, *quae antea* πέταλα *dicebantur.*

Ibid. *Clementi motu brachiorum dulces strepitus obsibilabant*] Petronius: *Non verno persona cantu Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur.* Supra 6. de fluviali Arundine: *Musicae suavis nutricula*, *leni crepitu dulcis aurae* etc. *inspirata.* Scholiastes Theocriti ad Eidyll. 1. Ψιθυρίζουσιν αἱ πίτυς ὅταν ῥιπισθῶσι, τῇ στενότητι τῶν φύλλων σχιζομένης τῆς πνοῆς. Constantinus Manasses: Προσέβαλε τῆς πίτυος ἄνεμος τοῖς πετάλοις, καὶ γλυκίον ψιθύρισμα τοῖς φύλλοις ἐνεποίει. Clemens Stromat. 6. Πολλάκις δὲ καὶ ἀνὰ τὰς ὕλας κινουμένων τῶν φύλλων ἀθρόᾳ πνεύματος προσβολῇ, ὀρνίθων ᾠδῇ παραπλήσιος ἠχὴ προσπίπτει. Lucianus Insulas fortunatas describens: Καὶ αὖραι δέ τινες ἡδεῖαι διαπνέουσαι ἠρέμα τὴν ὕλην διεσάλευον, ὥστε καὶ ἀπὸ τῶν κλάδων κινουμένων τερπνὰ καὶ συνεχῆ μέλη ἀπεσυρίζετο, ἐοικότα τοῖς ἐπ' ἐρημίαις αὐλήμασι τῶν πλαγίων αὐλῶν. His adde ab Elmenhorstio annotata.

Ibid. *Ac turbido fluctuum tumore posito mare quietas alluvies temperabat*] Theophylactus Simocatta de coma palaestritae cuiusdam: Κυανίζουσαν ὥρα γαλήνης τὴν θάλασσαν εἰκονίζετο, ὅτε καὶ τὸν γείτονα χερσὸν ἁπαλῷ περιπτύσσεται ῥείθρῳ, τὸ μανιῶδες τοῦ κλύδωνος καὶ βάρβαρον παρεάσασα.

Ibid. *Luminis proprii splendore candebat*]

Su-

Supra lib. 5. *Parietes solidati massis aureis, splendore proprio coruscant.*

Ibid. *Hic incinctus balteo militem gerebat*] Basilius reg. fus. disput. §. 22. Ἐστι τὸ στρατιώτου ἴδιον ἐν τῷ ἐνδύματι, καὶ ἄλλο τοῦ συγκλητικοῦ, etc. Servius ad Aen. 5. *Balteus dicitur, non tantum quo cingimur, sed etiam a quo arma dependent.* In Glossis: Ζωστὴρ, *balteum, cingulum.* Paulus in θεοῦ πανοπλίᾳ. Ephes. 6. 14. Στῆτε περιζωσάμενοι τὴν ὀσφῦν ὑμῶν, etc. i. e. *incincti.* Bene et *militem gerebat.* Virgilius: *Virginis os habitumque gerens.* ubi Servius: *Gerens, non, habens: quod geri aliena putantur.*

Ibid. *Illum succinctum chlamyde copides et venabula venatorem fecerant*] Curtius lib. 8. *Copides vocant gladios leviter armatos, falcibus similes, quibus appetebant belluarum manus.* i. e. elephantorum promuscides. Pollux ubique numerat in coquinario instrumento. *Venatorem fecerant*, ut 10. *Illam, quam cultus armorum Minervam fecerat.* Nota et *succinctam chlamyde.* Pollux 5. 3. Σκεύη κυνηγέτου χιτὼν εὐσταλὴς, πρὸς τὴν ἰγνίαν καθήκων. et post: Καὶ χλαμὺς, ἣν δεῖ τῇ λαιᾷ χειρὶ περιελίττειν, ὁπότε μεταθέοι, ἢ προμάχοιτο τοῖς θηρίοις.

Ibid. *Indutus serica veste*] Florent. et Oxon. MSS. *inductus.*

Pag. 244. *Et attextis capite crinibus* etc. *foeminam mentiebatur*] Ovidius: *Foemina procedit densissima crinibus emptis, Proque suis, alios efficit aere suos.* Hieronymus ad Demetriadem: *Cerussa ora dipingere, ornare crinem, et alienis capillis turritum verticem struere.* Scholiastes Iuvenalis, *Galero: crine supposititio.* Scholiastes vetus Horatii ad Serm. 1. *Caliendrum dicitur ornatus capitis mulierum, quo ad exornandos crines utuntur: vel, suppositus crinis, quem pro naturalibus capillis accipiebant.* ubi legendum *attexebant* videtur. Appuleius heic, *adtextis capite crinibus.* Tertullianus *affigere* dixit. *Affigitis* inquit, (sequiorem sexum alloquens) *nescio quas enormitates sutilium capillamentorum.* Firmicus, *apponere. Qui alienis crinibus appositis, fictam et compositam pulchritudinem mentiantur.* et Manilius: *Appositis caput immutare capillis.*

Ibid. *Incessu perfluo foeminam mentiebatur*] Columella lib. 1. *Attonitique miramur gestus effoeminatorum, quod a Natura sexum viris denegatum muliebri motu mentiuntur.* Maximus Tauriensis, vel (ut alii) Ambrosius, Homil. de Ianuarii Calendis, (quo die etiam Christiani vanitatis Ethnicae simulachra retinebant): *An non omnia quae a ministris daemonum illis aguntur diebus, falsa sunt et insana? cum vir, virium suarum vigore mollito, totum se frangit in foeminam?* etc. Iulius Firmicus: *Vestigia sua cum delicata quadam moderatione* (scribe *modulatione*) *suspendent, et poenitebit eos quod viri nati sunt.* Male hîc Wowerius et Pontanus Annal. 3. 10. *superfluo* corrigebant. Seneca cap. 15. de animi tranquill. *Ut nunc mos est, etiam incessu ipso ultra muliebrem molliciem fluentibus*, etc. Sic, βάδισμα ὥσπερ κυπάριττος καὶ φοίνιξ ἡσυχῇ σειόμενον, apud Aristaenetum. Augustinus 7. 26. de Civit. Dei: *Fluentibus membris, incessu foemineo. Incessum mollem* vocant alii, et, *molliter incedere.* Manilius: *Fictique placent ad mollia gressus.* Apud Senecam Nat. quaest. 7. 31. post, *muliebres mundicias antecessimus:* sequitur, *tenero et molli gressu gradum suspendimus.* Iulianus de Galieno Imper. Κινήσει μαλακωτέρᾳ χρώμενος, ὥσπερ αἱ γυναῖκες. Opponitur *serius incessus* 9. 9. apud A. Gellium.

Ibid. *Nec ille deerat, qui magistratum fascibus purpuraque luderet*] Herodianus, ubi de anteludiis pompae Deûm matris, [i. e. Deae istius: Ἀνετὸς πᾶσι δέδοται ἐξουσία παντοδαπῆς παιδιᾶς, ἕκαστός τε ὁ βούλεται σχῆμα ὑποκρίνεται· οὐδ' ἔστιν οὕτω μέγα ἢ ἐξαίρετον ἀξίωμα, ὃ μὴ παντὶ τῷ βουλομένῳ ἀμφιεσθέντι ὑπάρχει παῖξαί τε, καὶ κρύψαι τὴν ἀλήθειαν, ὡς μὴ ῥαδίως διαγνῶναι τόν τε ὄντα, καὶ τὸν μιμούμενον. Bene autem *purpuram* tribuit Magistratibus. Cyprianus ad Donatum: *Quos honores putas esse? quos fasces?* etc. *in magistratu purpurae speciem?* Cato pro mulieribus apud Livium agens: *Purpura* etc. *utemur in magistratibus? in sacerdotiis?* etc.

Ibid. *Et hircino barbitio Philosophum fingeret*] Strabo de Philosophiam mentientibus, lib. 3. Μετὰ ῥάβδων περιπατοῦντες, ὅμοιοι τοῖς τράγοις ταῖς ὑπήναις. De seipso Iulianus: Ὥσπερ οἱ τράγοι τὸ γένειον ἔχων. vide Beroaldum. In vetere Onomastico: *Hircipili*, δασύτριχες.

Ibid. *Piscatorem cum hamo induceret*] *Induceret* recte Colvius legendum monuit. Supra 2. de magis versipellibus illis: *Muscas, et canes, et aves induunt.*

Ibid. *Vidi et ursam mansuem*] Ursam hîc veram intellige: nonnunquam tamen in huiusmodi ludicris apparet homines etiam speciem bestiarum subiisse. Maximus Taurinensis, ubi supra: *Et cum se a Deo formati homines, aut in pecudes, aut in feras* etc. *transformant.*

Ibid. *Et simiam* etc.] Iosephus 7. 24. in Vespasiani triumpho: Ζώων δὲ πολλοὶ φύσεις παρήγοντο, κόσμον οἰκεῖον ἁπάντων περικειμένων.

Ibid. *Asinum* etc. *adambulantem cuidam seni debili*] *Debili*, i. e. *claudo.* vide supra [Ed. Pric. 312.] dicta.

Ibid. *Rideres autem utrumque*] Virgilius Georg. 2. *Versibus incomptis ludant, risuque soluto.* ubi Servius: *Quia necesse erat pro ratione* sa-

sacrorum aliqua ludicra etc. *fieri*, *quibus posset populo risus moveri.*

Ibid. *Quae passim vagabantur*] Cicero de Invent. 1. *Passim bestiarum more vagabantur.* Plinius 7. 2. *Passim cum feris vagantes.* Catullus: *Ad se quisque vago passim pede discedebant.* Sallustius Iugurth. *Cum turma sua quam* etc. *collegerat*, *vagari passim.* Seneca de Benef. 4. 6. *Gregibus passim vagantibus.* et 2. 48. Natur. quaest. *Passim ac vage dicunt.* adde quae supra [hui. Ed. p. 244, b.] notata.

Ibid. *Quae de gremio*, *per viam qua sacer incedebat comitatus*, *solum flosculis sternebant*] Per viam, quam Dii alienis incedentes pedibus, iam statim calcaturi erant. hinc illud 4. de Psyche, tanquam Numen culta: *Per plateas commeantem*, *populi floribus sertis et solutis adprecantur.* Ovidius: *Undique iactato flore tegente vias.*

Ibid. *Quae gestu brachiorum*, *flexuque digitorum*, *ornatum atque oppexum crinium regalium fingerent*] Seneca: *Digitos movent ornantium modo.* Glossae: Ἐμπλέκτρια, *implicatrix*, *ornatrix.* Glossae aliae: Κοσμήτης, *ornamentarius*, *ornator.* Κοσμητρίας, *ornatrices.* Ovidius de capillitio loquens, *Nec genus ornatus unus est*, etc. vide supra [hui. Ed. pag. 174, a.]

Ibid. *Illae etiam quae ceteris unguentis et geniali balsamo* etc. *conspergebant plateas*] Hegesippus in funere Herodis M. 1. 46. *Quingenti etiam servorum regiae domus aspergebant aromata*, *ut suavi odore tota fragraret via. Geniali*, luto, splendido, voluptario. Glossae: *Genialis*, εὐφραντική. Virgil. Georg. 1. *Genialis hyems.* ubi Servius: *Convivalis*, *voluptuosa.* sic supra hoc libro: *vultus genialis.* Nota et loquendi modum, *caeteris unguentis et balsamo.* Tacitus Annal. 15. de Timarcho Cretensi: *Caeteris criminibus*, etc. *et opibus nimiis ad iniurias minorum elatus.*

Ibid. *Guttatim excusso*] Supra lib. 3. *Guttatim defluo.*

Ibid. *Lucernis*, *taedis*, *cereis*, etc.] Lib. 4. *Taedis*, *lucernis*, *cereis*, *sebaceis*, etc.

Ibid. *Et alio genere facium*, *lumine siderum coelestium stirpem propitiantes*] Τὸ *lumine* loci sententiam implicatam reddit, est in nonnullis, *E. a. g. ficti luminis* etc. Fortasse isto modo scribendum, *E. a. g. facium luminoso* etc. *Coelestium siderum stirpem.* ut 4. *coelestium stellarum germen.*

Ibid. *Fistulae tibiaeque modulis dulcissimis personabant*] Chrysostomus Homil. 15. in Epist. ad Ephes. Τῶν ὀργάνων τῶν μουσικῶν ὅσα μὲν ἂν κράζῃ, ἀηδέστερά ἐστι πρὸς τὸν φθόγγον· οἷον, τύμπανα, σάλπιγγες· τὰ δὲ μὴ οὕτως, ἀλλὰ μαλάττοντα, ταῦτα ἡδέα· αὐλὸς, καὶ κιθάρα, καὶ σύριγγες. Supra lib. 10. *Mollique tibiarum sono delicatis gressibus respondere.*

Pag. 245. *Iuventutis* etc. *chorus*] Servius ad Georg. 1. *Chorus proprie est coaevorum cantus atque saltatio.*

Ibid. *Dicati magno Serapi tibicines*] Idem ad Aen. 1. *In usu dicimus*, *dicatus est Numini*, *hoc est*, *ad obsequium datus.* Glossarium: *Dicatus*, Καθωσιωμένος.

Ibid. *Tibicines*, *qui per obliquum calamum* etc.] Ovidius: *Cornu tibicen adunco.* Glossarium perapposite: *Cornicines*, καμπυλοσαλπισταί.

Ibid. *Familiarem Dei modulum frequentabant*] Pollux ubi supra: Ἔστι δέ τι καὶ πομπικὸν, (ἦχος vel μέλος) ἐπὶ πομπαῖς, etc. Αἰγυπτίοις τε καὶ Ἀργείοις, καὶ Τυῤῥηνοῖς, καὶ Ῥωμαίοις. Et vide quanta proprietatis observatione *modulum frequentare* dixerit. Gellius 1. 11. *Si*, *ut planipedi saltanti*, etc. *et modos et frequentamenta quaedam tibicen incineret.* Idem 5. 1. *Si modulis verborum*, *et quibusdam qaasi frequentamentis orationis* (Auditores) *moventur.* Onomast. vetus: *Modulus*, μεδώλημα.

Ibid. *Tunc influunt turbae sacris divinis initiatae*, *viri foeminaeque* etc.] De quibus Meursius cap. 16. *Eleusiniae* videndus.

Ibid. *Viri foeminaeque omnis aetatis*, etc.] Supra lib. 7. *Pompam cerneres omnis sexus*, *et omnis aetatis.*

Ibid. *Capillum derasi funditus*] *Adusque derasi*, ut 2. lib. ubi [hui. Ed. p. 189, b.] dixi. Onomast. vet. *Funditus*, ἐκ βάθρων. Phaedrus: *Calvus repente factus est*, *nam funditus Canos puella*, *nigros anus evellerat.*

Ibid. *Vertice praenitentes*] *Nitentes*, quia glabri. In Apologis Avieni: *Deiecto nituit frons nuda galero.* Valer. Maximus, ubi de Aeschylo Poëta: *Elusa* (aquila) *splendore capitis*, (*erat enim capillis vacuum*,) *perinde atque lapidi* (testam) *illisit.*

Ibid. *Sistris argutum tinnitum constrepentes*] Supra hîc, in sistri descriptione: *Traiectae mediae pauculae virgulae*, etc. *reddebant argutum sonorem.*

Ibid. *Sed antistites*, *sacrorum proceres illi*, etc.] Ex prava, sed et communi hac interpunctione, videtur locus iste sequioris expositionis periclitari. Post *sacrorum*, non *antistites* ὑποστιγμή ponenda. Sensus est: antistites sacrorum, fuisse *proceres*, non vulgares, et e plebe homines. Macrobius Saturnalium 1. 23. *Vehitur Dei Heliopolitani simulacrum ferculo*, etc. *et subeunt plerumque Provinciae Proceres*, *raso capite*, *longi temporis castimonia puri.*

Ibid. *Cinctum pectorale*] Onomasticon vetus: *Cinctus. us.* (lege, *Cinctum. us.* vel e converso) διάζωμα. Glossarium: Ζῶμα, *cinctum.* sic

sic in alio Glossario: *Succinctum*, ὑπέζωμα.

Ibid. *Strictim iniecti*] Palat. et Oxon. MSS. *intecti*.

Ibid. *Potentissimorum Deûm proferebant insignes exuvias*] Oxon. male, *potissimorum*. In quibusdam hîc *praeferebant*: putarim *progerebant* legendum. sic 4. *speculum progerere*. et 6. *sinu nucleos progestare*.

Ibid. *Lucernam praemicantem claro porrigebat lumine*] Oxon. et Lipsii MS. *praenitentem*. minus recte. Initio libri istius, *Candore nimio praemicantem*. et 10. *cerei clara praemicantes luce*. sic enim legendum monuimus.

Ibid. *Aequitatis* etc. *indicium*, *deformatam manum sinistram porrecta palmula*] *Porrecta* (i. e. extensa,) quia non, nisi contracta aliquatenus manu, dolosa contrectatio fit.

Ibid. *Quae genuina pigritia*] Ateius Capito apud Macrobium Saturnal. 7. 13. *Hinc factum ut usus annulorum exemptus dextra* (*quae multum negotiorum gerit*) *in laevam relegaretur*, *quae otiosior est*. Sic, *sinistram* διὰ τὸ ἀνέδιστον, ἀργὸν 12. §. 6. Antoninus dixit: et *dextrae partis habiliorem motum esse*, cap. 5. Solinus. Hinc et maiorem *sinistrae* agilitatem, Suetonius quasi rem insuetam in Tiberio memoravit.

Pag. 246. *Videbatur aequitati magis apta*, *quam dextra*] Macrobius Saturnal. 1. *Apollinis simulacra manu dextra gratias gestant*, *arcum cum sagittis sinistra*: *quod ad noxam sit pigrior*, etc. Aristophanes Equit. Ὦ δεξιώτατον κρέας! Scholiastes: Διὰ τὸ κεκλοφέναι, καὶ ὥσπερ δεξιᾷ ὑφηρῆσθαι. Hinc furem balnearium Catullus *dextra inquinatum* vocat. Idem alibi tamen, *Inter coenam Asini manu sinistra Non belle uteris*, *in ioco atque vino Tollis lintea negligentiorum*. Quae fortasse pro negotio praesenti intelligenda, quasi dextra id temporis in oris ministerio occuparetur.

Ibid. *Dii dignati pedibus humanis incedere* etc.] Supra lib. 6. *Quid meis pedibus facere contendis?*

Ibid. *Ille Superûm commeator et Inferûm*] De eodem in Apologia: *Iste Superûm et Inferûm commeator*. ad quem locum adnotata vide.

Ibid. *Dextra palmam virentem quatiens*] Oxon. *D. p. v. levatam q.*

Ibid. *Cuius vestigium continuum sequebatur bos in erectum levata statum*] Absunt, ut male, metuo, a iam dicto MS.

Ibid. *Quod residens humeris suis proferebat unus* etc.] In Epistola Ieremiae dicta: Θεοὺς ἀργυροῦς, καὶ χρυσοῦς, καὶ ξυλίνους, ἐπ' ὤμων αἰρουμένους. Ibidem: Ἐπ' ὤμων φέρονται· ἐνδεικνύμενοι τὴν ἑαυτῶν ἀτιμίαν τοῖς ἀνθρώποις.

Ibid. *Tegendae religionis argumentum ineffabile*] Flor. et Palat. *tegente*. Oxon. melius, *tegentem*: effigiem nempe, de qua supra.

Ibid. *Urnula faberrime cavata*, etc. *miris extrinsecus simulacris Aegyptiorum effigiata*] Infra hîc: *Navem faberrime factam*, *picturis miris Aegyptiorum circumsecus variegatam*.

Ibid. *Aspis*, *squamae cervicis striato tumore sublimis*] Servius ad Georg. 2. *Quaedam serpentium genera toto corpore repunt*: *alia*, *parte corporis eriguntur*.

Ibid. *Praesentissimi Numinis*] Lib. 3. *Per hodierni diei praesentissimum numen*.

Pag. 247. *Mihi coronam*, *et coronam hercle consequenter*, *quod tot ac tantis exantlatis laboribus*, etc.] Apte ab isto loco illustratur Pauli ille: Τὸν ἀγῶνα καλὸν ἠγώνισμαι, etc. λοιπὸν ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος.

Ibid. *Placido* etc. *gradu* etc. *sensim irrepo*] Sic, *sensim ac placide accedere*, 5. 14. A. Gellius.

Ibid. *Divinitus decedente populo*] Divino Deae nutu. supra hîc: *Meo iussu tibi* etc. *decedent populi*.

Ibid. *Sacerdos*, etc. *nocturni commonefactus oraculi*, etc.] Macrobius Somn. Scip. 1. 3. *Est oraculum*, *cum in somnis parens*, *vel alia sancta gravisque persona*, *seu sacerdos*, *vel etiam Deus*, (ut hîc Isis Dea) *aperte eventurum quid*, *vel non eventurum* etc. *denunciat*. et paulo ante, de viso nocturno: *Est* ὄνειρος, etc. *aut* ὅραμα, etc. *aut* χρηματισμός, *quod oraculum nuncupatur*.

Ibid. *Ut reapse cognoscere potui*] I. e. *ut reapse cognovi*. vide p. [hui. Ed. 192, a. et 368, a.] notata.

Ibid. *Ob os ipsum meum coronam exhibuit*] Lib. 6. de aquila: *Ob os puellae praevolans*.

Ibid. *Assiduo pulsu micante corde*] Virgilius: *Exultantiaque haurit Corda pavor*. Paterculus 2. *Sinistrae papillae*, *ad cum ipsum locum qua cor emicat*. vide hîc Elmenhorstium.

Ibid. *Quae rosis amoenis* etc.] Lib. 4. *Illas rosas teneras et amoenas*.

Ibid. *Nec me fefellit coeleste promissum*] Infra hîc: *Nec me fefellit* etc. *potentis Deae benignitas salutaris*.

Ibid. *Squalens pilus defluit*] Lib. 8. *Pilis inhorrentibus* etc. *squalidus*. Ulyssis socii apud Ovidium ad humanam iam figuram redeuntes: *Erigimur*, *setaeque cadunt*. De Iô vaccam exuente idem Ovidius: *Fugiunt de corpore setae*.

Ibid. *Pedum plantae per ungulas in digitos exeunt*] Ibidem: *Bifidosque relinquit Rima pedes*. Lucianum statim adducendum adde.

Ibid. *Manus* etc. *in erecta porriguntur officia*] I. e. *ministeria*: de quibus Act. 20. 34. copiose adnotavi.

Ibid. *Os et caput rotundatur*] Lactantius (cap.

(cap. 8. de opif. Dei.) de humano capite loquens: *Non obductum porrectumque* (Deus) *formavit, ut in mutis animalibus, sed orbi ac globo similem: quod orbis rotunditas perfectae rationis est ac figurae.*

Ibid. *Et* (*quae me potissimum cruciabat ante*) *cauda nusquam comparuit*] Lactantius dicti iam libri 2. capite: *Si homini ferinos dentes, aut cornua*, etc. *aut caudam* (Natura) *addidisset, quis non sentit quam turpe animal esset futurum?* Lucianus de Iô faciem humanam resumente: Οὐκέτι τὰ κέρατα, οὐδὲ οὐρὰ, καὶ διχηλὰ τὰ σκέλη. τὸ *comparuit* a duobus abest MSS. et abesse debere ait Schoppius, at male, ut ex p. [hui. Ed. 319, b.] notatis clarum. quibus adde et hunc locum e lib. 10. *Et tamen partes electibiles comparere nusquam.*

Ibid. *Populi mirantur, religiosi venerantur tam evidentem maximi Numinis potentiam*] Matth. 9. 8. Ἰδόντες δὲ οἱ ὄχλοι, ἐθαύμασαν, καὶ ἐδόξασαν τὸν θεόν.

Pag. 248. *Consona voce*] Lib. 10. *Clamor exurgit consona voce cunctorum.*

Ibid. *Coelo manus attendentes*] Non, cum precibus, sed admiratione tam novae tamque insolitae faciei. Virgilius 5. *Palmas ad sidera tollunt.* ubi Servius: *Aut mirantes, aut increpantes Deos.*

Ibid. *Stupore nimio defixus*] Lib. 9. *Stupore defixi.*

Ibid. *Animo meo* etc. *tam magnum non capiente gaudium*] Hinc *stupor* de quo supra proxime. Iustinus lib. 6. *His ex dolore metus, illis ex gaudio stupor iniicitur.* Donatus ad 5. 4. Andr. *Unusquisque gaudens ita perturbatur, ut apud seipsum iam non sit.* vide supra p. [hui. Ed. 384, a.] notata.

Ibid. *Non capiente gaudium*] In supplemento lib. 43. T. Livii: *Maius gaudium fuit quam quod universum homines caperent.* Idem alibi: *Cum vix gaudium animis caperent.*

Ibid. *Tacitus haerebam*] *Verbis praesenti gaudio impar:* ut ille, de quo 10. libro.

Ibid. *Quid potissimum praefarer primarium*] Menelaus, recepta Helena sua, apud Euripidem: Πολλοὺς δ' ἐν μέσῳ λόγους ἔχων, Οὐκ οἶδ' ὁποίου πρῶτον ἄρξωμαι τὰ νῦν.

Ibid. *Unde novae vocis exordium caperem*] Lib. 10. *Unde potissimum caperet exordium, decontatur.*

Ibid. *Quo sermonem nunc renata lingua faelicius auspicarer: quibus quantisque verbis tantae Deae gratias agerem*] Ulyssis comites, ubi supra, suam iterum in speciem reformati: *Nec verba locuti Ulla priora sumus, quam nos testantia gratos.*

Ibid. *Nutu significato prius praecepit* etc.] Id est, signo per nutum facto. Quintilianus 11. 3. *Non manus solum, sed nutus etiam declarant voluntatem nostram.*

Ibid. *Nefando tegmine despoliaverat asinus*] Oxon. et tres alii MSS. *nefasto:* quod eodem cadit. Glossae: *Nefastum, inauditum.* Ibidem: *Inauditum, nefastum*, ἄῤῥητον.

Ibid. *Compressis in arctum feminibus, et superstrictis accurate manibus*, etc. *velamento me naturali probe muniveram*] In Apologia: *Interfeminium tegat et femoris obiectu, et palmae velamento.* τὸ *arctum* primus intulit Beroaldus. Oxon. tresque alii MSS. *in altum* legunt, quod nescio an permittendum, an *multum* eius loco reponendum. non absunt ductus literarum, si quis mentem advertat. fortasse et pro *superstrictis, superstructus* legendum.

Ibid. *Superiorem exutus tunicam*] Sic, *summa amicula exuere*, apud Q. Curtium. *Superior tunica*, ἐπενδύτης. Ioh. 21. 7. Florid. 1. *Habebat amictui pallium candidum, quod superne circumiecerat.* Glossarium Isidori: *Superaria: vestis quae superinduitur.*

Ibid. *Supertexit me celerrime*] Vide supra [hui. Ed. p. 148, a.] adnotata.

Ibid. *Vultu geniali, et hercules perhumano in aspectum meum attonitus*, etc.] Bert. MS. *in humano aspectu meo attonitus:* quod et recte Schoppio probatum. supra lib. 4. *Et in aspectu alioquin attonitum.*

Ibid. *Maximis actus procellis, ad portum* etc. *Luci tandem venisti*] *Optatus ille portus aerumnis adest. Per varios casus, post tot discrimina rerum, Venisti in portum.*

Ibid. *Misericordiae*] Deest in Oxon. libro.

Ibid. *Nec tibi natales, ac ne dignitas* etc.] Supra 3. ad eundem: *Neque tuae dignitatis, vel etiam prosapiae tuorum ignari sumus.*

Ibid. *Lubrico virentis aetatulae*] Sic, *lubricum adolescentiae*, si memini, apud Valer. Maximum. *Virentis aetatulae*, ut supra lib. 10. *Pueri* etc. *virenti florentes aetatula.*

Ibid. *Ad serviles delapsus voluptates*] *Serviles* ne, quod ancillae amore irretitus fuerat? (cui contrarium apud Horatium, *ingenuo amore peccare, aduri non erubescendis ignibus:*) an quia addictum eum *voluptates* tanquam *servum* tenuerant? ᾧ γάρ τις ἥττηται, τούτῳ καὶ δεδούλωται. (vide quae olim p. 27. ad Apologiam notata.) an vero, libero homine indignas? sic, ἀνδραποδώδεις ἐπιθυμίας Theodoretus π. προν.

Ibid. *Fortunae caecitas, dum te pessimis periculis discruciat, ad religiosam istam beatitudinem improvida perduxit malitia*] Chrysostomus in Iosephi ad fratres illa, ὁ θεὸς ἀπέστειλέ με ἐνταῦθα· Τουτέστι, τῇ κακουργίᾳ ὑμῶν εἰς δέον ἐχρήσατο. Seneca: *Saepe maiori fortunae locum iniuria fecit.* Heliodorus 2. Δυσπραξία εὐπραξίας αἰτία.

 Ibid.

Ibid. *Eat nunc*, etc. *et crudelitati suae materiam quaerat aliam*] Gellius 20. ult. *Abeant* etc. *a Noctibus his procul, et alia sibi oblectamenta quaerant.* Apud Petronium ille: *Alium locum quem polluas quaere.*

Pag. 249. *Deae nostrae maiestas*] Μεγαλειότης, ut Act. 19. 27. de eàdem ista. Supra hîc: *Summatem Deam praecipua maiestate pollere.*

Ibid. *Casus infestus*] I. e. quamvis infestus: ut recte Beroaldus.

Ibid. *Quid latrones? quid ferae? quid servitium?* etc. *nefariae Fortunae profuit? in tutelam iam receptus es Fortunae, sed videntis*] Ex his Iunonis apud Virgilium Aen. 7. *Quid Syrtes aut Scylla mihi? quid vasta Charybdis Profuit? optato conduntur Tybridis alveo.*

Ibid. *In tutelam* etc.] Glossae: *In tutela*, ἐν τῇ προστασίᾳ.

Ibid. *Isto habitu congruentem*] I. e. *habitui*, ut saepe alibi locutus. vide 4. 16. A. Gellium.

Ibid. *Comitare pompam Deae* etc. *inovanti gradu*] Ἀλλόμενος, ut Act. 3. 8. ille, validus de claudo factus. Quas varias, ineptasque hîc lectiones depromunt, non est operae numerare.

Ibid. *Videant, et errorem suum recognoscant*] Lib. 10. *Videat, et sigillum suum recognoscat.*

Ibid. *Da nomen huic sanctae militiae*] I. e. initiare. In Glossis Isidori nomen praeferentibus: *Initiabunt:* (melius *initiabuntur*) *nomen dabunt. Sanctae militiae*, translatitie, ut 2. Tim. 2. 2. ubi et vox στρατεύεσθαι. *Dare nomen* hîc, proprietas sermonis est. Seneca cap. 30. de Vita beata: *Nomen in militiam non daret debilis*, etc. sic, *nomen militiae dare*, in l. 16. de re milit.

Ibid. *Ministerii iugum subi voluntarium*] I. e. voluntarius subi. Supra 4. *Ut unus e numero nostro* etc. *atque is inprimis voluntarius, ursae effigiem subiret.* *Acerbissimam* (inquit Seneca) *partem servitutis effugit, qui imperia libens excipit. Ministerii iugum*, ut infra hîc, *castimoniae iugum.* et 1. Tim. 6. 1. ζυγὸς δουλείας.

Ibid. *Cum coeperis Deae servire, tunc magis senties fructum tuae libertatis*] Guntherus lib. 3. *Quae tibi libertas poterit contingere maior, Quam Regi servire tuo?* et 8. *Libertas maxima nobis Tam placido parere viro.* Cassiodorus 5. 16. *Libertatis genus est servire rectori.* Deus Paralipom. 12. 8. de Israëlitis: *Servient ei*, (Regi Sisac,) *ut sciant distantiam servitutis meae, et servitutis regni terrarum.* Moses ad Eundem apud Philonem in de Noachi plantat. Ἡ ἀδιάστατος παρά σοι δουλεία, τῆς μεγίστης ἀρχῆς, οὐκ ἐλευθερίας μόνον ἄμεινον. Idem libro de Cherubin. Τὸ δουλεύειν θεῷ μέγιστον αὔχημα, καὶ πάντων ὅσα τὸ θνητὸν ἀσπάζεται, τιμιώτερον. Et in de rerum divin. haerede: Πλείονι χαρᾷ χρώμενος ἐπὶ τὸ θεράπων θεοῦ γινέσθαι, ἢ εἰ τοῦ παντὸς ἀνθρώπων γένους ἐβασίλευσε.

Ibid. *Ad istum modum vaticinatus sacerdos*] Tibullus: *Sic magna sacerdos Est mihi divino vaticinata sono.* Glossae: *Vaticinatur*, Φοιβάζεται. Onomast. vetus: *Vaticinor*, χρησμῳδέω. Hoc sensu ut capiam Appuleum faciunt proxime sequentia.

Ibid. *Fatigatos anhelitus trahens*] Lib. 8. *Crebros anhelitus referens, simulabat sauciam vecordiam.* ubi dicta [hui. Ed. p. 326, b.] vide. Tertullianus de huiusmodi impostoribus in Apologetico: *Ructando conantur, anhelando profantur.* ubi *conari*, (quod non omnes intelligunt) est, *conari loqui.* Persius de pica: *verba nostra conari.* Noster in Florid. 2. *Semihiantibus in conatu labellis.* Poëta vetus apud Gellium, plenarie: *Dicere cum conor curam tibi Pamphile cordis.*

Ibid. *Fatigatos anhelitus trahens*] Quintilianus Declam. 13. de Apibus: *Aliae longum permensae iter fatigatae* (lege *fatigatum*) *anhelitum traherent.*

Ibid. *Totae civitati notus et conspicuus*] Idem 8. Declam. *Mater tota civitate conspicua.* Augustinus Confess. 9. 7. *Civitati notissimus.*

Ibid. *Digitis omnium nutibusque notabilis*] Onomasticon vetus: *Notabilis*, γνωστὸς. vide supra [hui. Ed. p. 192, a.] dicta.

Ibid. *Omnes in me populi fabulantur: Hunc omnipotentis hodie Deae numen augustum reformavit ad homines*] Supra lib. 10. *Iam rumor publice crebuerat, quo conspectum atque famigerabilem meis artibus effeceram Dominum. Hic est qui sodalem convivamque possidet asinum*, etc. Gellius 5. 14. ex Appione: *Postea videbamus Androdum et leonem tenui loco revinctum, urbe tota circum tabernas ire*, etc. *omnesque fere ubique obvios dicere, Hic est leo hospes, homines, hic est homo medicus leonis.*

Ibid. *Numen augustum*] Infra hîc: *Quem propitia voluntate Numen augustum tantopere dignatur.* et 6. *Cum tota Numinis sui augusta dignitate.*

Ibid. *Quodammodo renatus*] Infra hîc: *Et sua providentia quodammodo renatos*, etc. Firmicus 5. 3. *Sic ante oculos suos mortis pericula habebunt, ut tunc se putent iterum renatos, cum ad conspectum magnorum* etc. *virorum venientes, eorum fuerunt protectione liberati. Renatus* hîc, a bestiis redditus hominibus. sic, reditum ad honores ac patriam suam, Cicero παλιγγενεσίαν vocat, lib. 6. ad Atticum.

Ibid. *Sacrorum desponderetur obsequio*] *Redderetur* Oxon. male. infra hîc: *Ad istum modum desponsus sacris. Obsequium* proprie. Arnobius lib. 1. *Obsequio venerabili invocare in rebus fessis.* Noster in de Socratis Deo: *Sacerdo-*

dotum officia, sacrificantium obsequia. Infra hic: *Velut debitum obsequium flagitare.*

Ibid. *Ripam maris proximamus*] Fortasse *ripae* scribendum. vide supra [hui. Ed. p. 214, a.] notata.

Pag. 250. *Solennissimas preces* etc.] Seneca c. 13. ad Marc. de Pulvillo Pontifice: *Solennia carminis verba concepit.*

Ibid. *Taeda* etc. *et sulphure* etc.] Servius ad Aen. 6. *Lustratio a circumlatione dicta est vel taedae vel sulphuris.* vide Beroaldum.

Ibid. *Huius alvei felicis nitens carbasus litore votum ingestans progerebat. Ecce literae* etc.] Attente haec verba perpendenti mihi sic videtur scribendum, *literis votum ingentibus progerebat. Eae literae*, etc. sic *literis ingentibus implere* apud Petronium. Grande malum isti loco dederunt Expositores, tam diversa tendentes.

Ibid. *Votum* etc. *progerebat*] Glossae: *Votum*, εὐχή.

Ibid. *Insigni carchesio conspicua*] Florid. 4. *Firmis rudentibus, procero malo, insigni carchesio.* Carchesium, mali summitas, per quam funes traiiciunt. Servius ad Aen. 5.

Ibid. *Puppis intorta chenisco*] Vide Elmenhorstium. Oxon. *cerusco.*

Ibid. *Citro limpido perpolita*] Oxon. male, *atro l. p.* vide Beroaldum.

Ibid. *Certatim congerunt*] Lib. 4. *Certatim gladios* etc. *congerunt.* vide supra [hui. Ed. p. 327, b.] dicta.

Ibid. *Et huiusmodi suppliciis*] Onomast. vetus: *Supplicium*, πρόσοδος. *Cuiuscemodi* legendum autem bene Brantio monitum. Supra hic, *cuiuscemodi pecua.* et 9. *Canes cuiuscemodi vocibus inhortantur nobis.*

Ibid. *Donec muneribus largis et devotionibus faustis completa navis, absoluta strophiis anchoralibus*, etc. *pelago redderetur*] Virgil. *Tempestatibus agnum Cadere deinde iubet, solvique ex ordine funes.* Quintilianus Proëmio operis: *Permittamus vela ventis, et oram solventibus bene precemur.* In Heroicis Philostrati: Ἐῤῥώσθω ἡ ναῦς, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ. *Faustae devotiones*, sunt quae Suetonius *fausta omina* vocat. Tacitus Annal. 4. *precationes faustas.* opponuntur *dirae devotiones* supra lib. 9. Pro *strophiis* est qui *stroppis* corrigit, quod non intelligo. Potest vulgatum ferri, (Beroaldum vide,) ni *stuppis* (i. e. funibus) malueris. Noster de hirta coma sua, in Apologia: *Stuppeo tormento adsimilis.* Gracchus apud A. Gellium 10. 3. *Lecticam deponi iussit, stuppis quibus deligata erat, usque adeo verberari iussit, dum animam efflavit.*

Ibid. *Similis ritu pompae*] Oxon. *simili structu p.* quomodo et in Colvii editione.

Ibid. *Simulacra spirantia*] Simulacra adeo fabre effecta, ut spirare viderentur. Arnobius lib. 6. *Spirantia haec signa, quorum plantas et genua contingitis.* Ammianus lib. 22. *Spirantibus signorum figmentis.* Quae heic Beroaldus posuit, videtur inter vigiliam et soporem scripsisse.

Ibid. *Velut in concionem vocato*] Lib. 6. *Deos omnes ad concionem protinus advocare.*

Pag. 251. ΛΑΟΙΣ ΑΦΕΣΙΣ] Vide Parerg. 7. 10. Alciatum.

Ibid. *Graeciensi*] Sic Gellius 19. 10. *Scimpodium Graeciense* dixit.

Ibid. *Gaudio delibuti*] Phrasis Terentiana. vide supra [hui. Ed. p. 286, a.] dicta.

Ibid. *Thallos, verbenas*, etc.] *Verbenas* (inquit Servius ad Aen. 12.) *abusive vocamus omnes frondes sacratas: ut est laurus, oliva, vel myrtus. Thallos* proprie esse *olivae* aut *palmae* docent Pollux et Hesychius. at cum omnia ista sacris inserviant, ex usu confunduntur. hinc in Glossario, Θαλλὸς, *verbena.* et ibidem, Δάφνης κλάδος, *verbena.*

Ibid. *Exosculatis vestigiis Deae quae gradibus haerebant* etc.] Aelianus 11. 31. de Animal. Πρὸς τοῖς ἀναβαθμοῖς καλινδούμενος ἑωρᾶτο, τῷ θεῷ etc. χαριστήρια ἐκτίνων.

Ibid. *Ad suos discedunt Lares*] *Ad se quisque vago passim pede discedebant.*

Ibid. *Nec tamen sinebat me animus ungue latius indidem digredi*] Lib. 10. *Nec eum* etc. *ungue latius a se discedere passa est.*

Ibid. *Intentus in Deae specimen*] Colvius *intuitans.* Wowerius *in Deae speciem.* cum tamen *Deae specimen* et supra sub initium dixerit. Accedo neutri istorum, at pro *specimen specimini* repono. *Intentus Deae specimini*, ut apud Tacitum Histor. 4. *Ingressus* (Serapidis templum) *intentusque Numini*, etc. et supra hic, *Magnisque imperiis eius intentus.* In vetere Onomastico: *Intentus*, προσεχής.

Ibid. *Nec tamen Fama volucris* etc. *cessaverat*] Q. Curtius: *Fama, ut solet, strenue totas urbes discurrit.* vide supra [hui. Ed. p. 233, a.] notata.

Ibid. *Familiares ac vernulae, quique mihi proximo nexu sanguinis cohaerebant* etc. *repentino laetati gaudio*, etc.] Supra lib. 7. ubi de puella e latronum manibus servata: *Procurrunt parentes, affines, clientes, alumni, famuli, laeti, faciem gaudio delibuti.* confer et 4. 33. Danielis. *Nexu sanguinis* hic, ut 2. *germanitatis nexus.* ubi [hui. Ed. p. 168, b.] dixi. Bene et *proximo* additum. Donatus ad ea Adelph. 5. 8. *Hegio est his cognatus proximus. Bene proximus: nam multi gradus, et veluti rami sunt propinquitatis in affinitate et cognatione dispositi.* In Glossario: *Proximitas*, ἀγχιστεία.

Ibid. *Laetati gaudio, varie quisque munerabus*-

bundi] *Dona ferunt, prae se testantur gaudia vultu.*

Ibid. *Divinum* etc. *conspectum*] *Diurnum* legit Oxon. et caeteri MSS.

Ibid. *Oblationes honestas aequi bonique facio*] I. e. excipio gratis verbis, ipsas autem reiicio. vide supra pag. [hui. Ed. 144, b.] notata.

Ibid. *Perspicue*] *Prospicue* legendum.

Ibid. *Affatis itaque ex officio singulis*] Affatis secundum statum cuiusque. Plinius lib. 5. Epist. 16. de Fundanii filia: *Ut nutrices, ut paedagogos, ut praeceptores, pro suo quemque officio diligebat! According to their qualitie and condition.* Sidonius 7. 2. *Agere cum singulis prout aetatis ratio permitteret: grandaevos obsequiis, aequaevos officiis obligare.* Spartianus in Didio Iuliano: *Senatum et equestrem ordinem in Palatium venientem admisit, atque unumquemque ut erat aetas, vel patrem,* (Heraldus *fratrem*) *vel filium, vel parentem, affatus blandissime est.*

Ibid. *Narratisque meis pristinis aerumnis, et praesentibus gaudiis*] Oxon. *et p. ae. e. p. g.*

Ibid. *Me* etc. *ad Deae gratissimum mihi conspectum refero*] E converso lib. 10, *Statimque se refert a noxio novercae conspectu.*

Ibid. *Intra conseptum templi*] Εἴσω τῶν ἱερῶν περιβόλων, ut apud Amphilochium in Basilii vita. Glossae: Περίφραγμα, *conseptum.* [V. ad Solim Salm. p. 8.]

Pag. 252. *Nec fuit nox una, vel quies aliqua* etc.] Infra hic: *Nec dies, nec quies aliqua,* etc.

Ibid. *Quanquam cupienti voluntate praeditus*] *Quanquam ex unguiculis perpruriscens,* ut supra lib. 10. locutus.

Ibid. *Tamen religiosa formidine retinebar*] Apud Achillem Tatium lib. 4. Ἐγὼ τὴν μὲν ἀναβολὴν ἠχθόμην, ταῖς δὲ τοῦ μέλλοντος ἐλπίσιν ἡδόμην. In quibusdam hic, *retardabar.* Oxon. *retrahebar.*

Ibid. *Et castimoniorum abstinentiam satis arduam*] Supplendum *inaudiveram*, vel *didiceram.*

Ibid. *Cautoque circumspectu vitam quae variis casibus subiacet, esse muniendam*] Seneca Epist. 71. *Necesse est multum in vita nostra Casus possit, quia vivimus casu.* et ad Marciam cap. 16. *Plena et infesta variis casibus vita est, a quibus nulli longa pax, vix induciae sunt.* Virgilius: *Casus apibus quoque nostris Vita tulit.* et Aen. 11. *Miseris mortalibus.* ubi Servius: *Qui sunt subiecti tot casibus.* Idem 10. *Humanis quae sit fiducia rebus Admonet.* Ad quae idem Commentatorum utilissimus: *Latenter hoc dicit, Nolite putare fixam esse et stabilem faelicitatem, magna est enim rerum varietas.* Donatus ad 3. 5. Andr. *Audacter se incolumem in futurum promittit fore, cum vita hominis tam variis multisque sit periculis conferta.* et ad 3. 5. Eunuchi: *Mirum vitae crimen ostendit, velut ipsa sit campus passessioque fortunae instabilis variorum.* Scholiastes vetus Horatii ad Carm. 3. 29. *Per allegoriam describit varietates et vices humanae vitae, quae dum quieta et laeta est, subito adversis casibus inquietatur.* De eadem Dissert. 38. Maximus Tyrius: Ἐστι χρῆμα πολύμορφον καὶ παντοδαπὸν, πολλαῖς μὲν τύχαις, πολλοῖς δὲ πράγμασι, πολλοῖς δὲ καιροῖς ἀλλοιούμενον. Andronicus Rhodius Nicomach. 1. 16. §. 4. Πολλαὶ μεταβολαὶ γίνονται, καὶ παντοῖαι τύχαι κατὰ τὸν βίον. Diodorus Siculus lib. 13. Πολλὰ ὁ βίος ἔχει παράδοξα, στάσεις πολιτικὰς, λῃστείας, πολέμους, ἐν οἷς οὐ ῥᾴδιον διαφεύγειν τὸν κίνδυνον, ἄνθρωπον ὄντα. Dum autem de *Casus* potestate agimus, expendamus iocum Servii Sulpitii, qui de morte Marcelli ad Ciceronem (Famil. 4. 12.) scribens, sic Epistolam orditur: *Etsi scio non iucundissimum me vobis nuncium allaturum, tamen quia Casus et Natura in bonis dominantur, visum est faciundum quoquomodo res se haberet, vos certiores facere.* Soline autem *boni* vim *Casus*, nullum impetum eius *mali* experiuntur? imo potentiam eius, si recte calculum ponimus et singuli et universi sentimus. Quid igitur (inquies) reponendum? respondebo sine verborum ambitu. Compendium verae scripturae erat *oibus:* ex eo, voce inversa, illud *bonis* irrepsit. *In omnibus* (inquit) *Casus et Natura dominantur.* i. e. omnibus rebus. Servius ad Aen. 4. *Tribus humana vita continetur, Natura,* etc. *Fato,* etc. *Fortuna: i. e. Casu: qui ad omnia pertinet quae extrinsecus eveniunt.* Demosthenes: Μεγάλη ῥοπὴ, μᾶλλον δὲ ὅλον ἡ Τύχη παρὰ πάντ᾽ ἐστι τὰ τῶν ἀνθρώπων. Virgilius: *Sors omnia versat.* quibus accedant Sallustii illa: *Humanarum rerum pleraque Fortuna regit. Muniendam* autem in Appuleio certa lectio est, quicquid libri, quicquid coniectores oggerant. Locutio est a re gymnastica desumpta. Gellius 13. 26. ex Panaetio: *Vita hominum* etc. *negotia periculaque ex improviso assidua quotidianaque fert. Ad ea cavenda atque declinanda perinde esse oportet animo semper prompto atque intento, ut sunt athletarum qui pancratiastae vocantur. Nam sicut illi ad certandum vocati proiectis alte brachiis consistunt, caputque et os suum manibus oppositis quasi vallo praemuniunt: membraque eorum omnia, priusquam pugna mota est, aut ad vitandos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata: ita animus atque mens viri prudentis* etc. *omni in loco atque in tempore prospiciens debet esse, erecta, ardua, septa, solida, expedita, nunquam connivens, nusquam aciem suam flectens: consilia cogitationesque contra Fortunae verbera, contraque insidias iniquorum, quasi bra-*

brachia et manus praetendens, ne qua in re adversa repentina incursio imparatis improtectisque nobis oboriatur. Quo loco praeter optime Appuleii illustratum sensum, habes, *cauta*, et *praemuniunt*, et *prospiciens:* priores quarum duas Appuleius posuit. Falsi porro qui ex Cod. MS. *tantoque circumspectu* legunt. *cautum circumspectum* dixit et lib. 14. Ammianus Marcellinus, qui mutando vel adfirmando Appuleiano textui imprimis conducibilis Scriptor.

Ibid. *Haec identidem mecum reputans*, etc.] Lib. 1. *Haec identidem mecum replicabam.*

Ibid. *Quanquam festinans differebam*] Claudianus: *Manifestaque gaudia differt.* Florid. 4. Noster: *Quanquam oppido festinant*, etc. *cursum cohibent.* et Miles. 6. *Quanquam festinans obsequium terminare, mente capitur temeraria curiositate.*

Ibid. *Hanc experrectus imaginem diu diuque apud cogitationes meas revolvebam, quid rei portenderet*] Conferantur hîc quae ad Act. 10. 17. adnotavimus. *Revolvere apud cogitationes suas*, ut apud Lucianum, πρὸς ἑαυτὸν ἀνακυκλοῦν. et, συνεγείρειν, καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἀνατυλίττειν, in Nigrino. et, τοὺς λογισμοὺς ἑλίττειν, in Synesii Epistolis.

Ibid. *Ut tamen sese praesagium somni porrigeret*, etc.] Videtur *ut ut*, et *somni* legendum.

Ibid. *In proventum prosperiorem attonitus*] Schopp. et Brant. *attentus.* odiose. idem valet enim *attonitus.* sic 2. *In aureos refulgentes* etc. *attonitus.* Scriptor de bono Pudicitiae in Cypriani operibus: *Animus propensus ad fidem, et mens attonita ad sacram religionem.* Iuvenalis: *Magnae mentis opus, nec de lodice paranda Attonitae.* Supra hîc: *In humano aspectu meo attonitus.* et 4. *Nutantem, ac pendulum, et in prospectu attonitum.*

Ibid. *Deae venerabilem conspectum apprecamur*] Supra hîc: *Augustum specimen Deae praesentis statui deprecari.*

Ibid. *Spondeo libat*] Glossarium: *Libat*, σπένδει. *Libae*, σπεῖσον, etc. σπονδαὶ. lege, *Liba*, σπεῖσον, etc. *Libamina*, σπονδαὶ. Glossae aliae: Σπονδὴ, *libamentum*, *libamen*, etc. *Spondaeum* hic ad Graecam formam. Donatus ad 3. 5. Andr. *Graeci πλατεῖαν dixerunt, quam nos plateam: secundum eiusmodi formam* Μηδεῖαν, *et Medaeam*, σπονδεῖον, *et Spondaeum dicimus.* Hesychius: Σπονδεῖον, ἀγγεῖον, ἐν ᾧ τοῖς εἰδώλοις ἐπέσπενδον. adde Suidam. et 6. 6. Pollucem.

Pag. 253. *Cum me Fotis malis incapistrasset erroribus*] Sic 1. 18. Aristaeneti, τοὺς νέους κατατεχνεῖν. Virgilius: *Ut me malus abstulit error.* ubi Servius: *Amor errare plerumque compellit. Incapistrare* hîc, ut apud Iuvenalem *maritale capistrum.* simili figura supra 2. *amoris pedicis illigare.* et 7. *amoribus animum irretire.*

Ibid. *Quem* etc. *notae dorsualis agnitione recuperaverant*] *Factitiam* istam *notam*, an *naturalem* dicemus? ut *naturalem* putemus, facit hic Suetonii locus: *Qua statura, quo colore esset, quibus corporis notis vel cicatricibus.* ut *factitiam*, (quod et facimus libentius) faciunt subsequentes loci. Isidorus Orig. 20. 16. *Character est ferrum coloratum, quo notae pecudibus inuruntur.* Virgilius: *Continuoque notas, et nomina gentis inurunt.* ubi Servius: *Notas, characteres.* Anacreon: Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι. In Excerptis Theodoti, excusis cum Clementis Alexandrini Operibus: Καὶ τὰ ἄλογα ζῶα διὰ σφραγῖδος δείκνυσι τίνος ἐστιν ἕκαστον, καὶ ἐκ τῆς σφραγῖδος ἐκδικεῖται. ubi et ἐκδικεῖν, est fere idem quod heic *recuperare.* Vide Hesychium in Νώματα. Lorinum ad Deuteron. 22. 3. Cerdam ad 1. Georg. vers. 263.

Ibid. *Sollicitus sedulum colendi frequentabam ministerium*] Supra hîc: *Si sedulis obsequiis, et religiosis ministeriis*, etc. *Numen promerueris nostrum.* vide [hui. Ed. p. 262, a.] dicta. Pro *sollicitus*, puto *sollicitius* scribendum. sic *sollicitius cavere*, in Apologetico.

Ibid. *Accipiendorum sacrorum cupido gliscebat*] Haec explicant hunc Glossarii locum, *Desiderata*, λειτουργία, τελετή.

Ibid. *Et sobriae religionis observatione famosus*] Laus sacerdoti apta. Gellius 15. 18. de Cornelio quodam: *Sacerdotii religionibus venerandus, et castitate vitae sanctus.* De Sacerdote Eugenio lib. 2. Victor Uticensis: *Per conversationem bonorum operum venerabilis et reverendus.* *Famosus* est ἐκ τῶν μέσων, hîc in partem meliorem ponitur. sic infra 9. *famosa castitate matrona.* et Iudith. 8. 8. apud Latinum Interpretem, *Erat in omnibus famosissima.* In vetere Onomastico: *Famosus*, εὔφημος. Ita Graeci utroque sensu περιβόητον. Hesychius: Περιβόητος, ὁ ἐπὶ κακοῦ ἢ ἀγαθοῦ φήμην ἔχων.

Ibid. *Ut solent parentes immaturis liberorum desideriis modificari, meam differens instantiam*] Macrob. Somn. Scip. 1. 13. *Sed hoc ipso, quo tibi celerem finem spem fruendae beatitatis arcessit, irretitur laqueo passionis*, etc. *Et hoc est, quod Paulus filium spe vitae verioris ad se venire properantem, prohibet ac repellit.* Ibidem 2. 12. *Cumque eum ultro spes ista traxisset ad moriendi desiderium, succedit Pauli patris opportuna dissuasio, accensam filii festinationem ab appetitu spontaneae mortis excludens.*

Ibid *Nam et diem, qua quisque possit initiari Deae nutu demonstrari, et sacerdotem qui sacra debeat ministrare, eiusdem providentia deligi*] Clemens ad Corinthios: Πάντα τάξει ποιεῖν ὀφείλομεν, ὅσα ὁ δεσπότης ἐπιτελεῖν ἐκέλευσεν κατὰ καιροὺς τεταγμένους, τάς τε προσφο-

φορᾶς καὶ λειτουργίας ἐπιτελεῖσθαι, καὶ οὐκ εἰκῇ καὶ ἀτάκτως, etc. ἀλλ' ὡρισμένοις καιροῖς καὶ ὥραις, ποῦ τε, καὶ διὰ τίνων ἐπιτελεῖσθαι θέλει αὐτὸς ὥρισεν, τῇ ὑπερτάτῃ αὐτοῦ βουλήσει, ἵν' ὁσίως πάντα γινόμενα εὐπρόσδεκτα εἴη τῷ αὐτοῦ θελήματι. Quid aptius (etsi in cultu tam dispari) ad Appuleium illustrandum? Accedant his quae (nec apposite minus) Theophylactus ad Rom. 12. 2. Πολλὰ ἀγαθὰ ὄντα οὐκ εὐάρεστά εἰσιν, ἢ παρὰ τὸν καιρὸν, ἢ παρὰ τὸ πρόσωπον. οἷον, τὸ θυμιᾶν τῷ θεῷ, ἀγαθόν ἐστιν, ἀλλ' ὁ Ὀζίας ποιήσας, οὐκ εὐηρέστησε. Καὶ καλὸν ἦν τὸ τοῖς μαθηταῖς τὰ ΜΥΣΤΗΡΙΑ πιστευθῆναι, ἀλλὰ πρὸ καιροῦ, οὐκ εὐάρεστον.

Ibid. *Ac neque vocatus morari, nec non iussus festinare deberem*] Horatius: *Cautus adito, Neu desis operae, neve immoderatus abundes.*

Ibid. *Tam perditae mentis*] Gloss. *Tam perditus*, οὕτως πανώλης.

Pag. 254. *Inferûm claustra*] Πύλας Ἅδου.

Ibid. *Ipsamque traditionem ad instar voluntariae mortis et precariae salutis celebrari*] Quae Paulus Rom. 6. 11. et 2. Tim. 2. 26. scribit, haec commode illustrabunt. Supra heic: *Memineris* etc. *cuius beneficio ad homines redieris, id ei totum debere te quod vives. Traditionem* hîc, sacrorum intellige.

Ibid. *In ipso finitae lucis limine constitutos*] *In ultimo spiritu constitutos*, ut apud Latinum 2. Maccab. 7. 9. Interpretem. Seneca 4. 11. de Benef. *Cum in ipso fine vitae constituti sumus.* τὸ *limine* Beroaldus supposuit, ex Virgilii illis: *Infantumque animae flentes in limine primo.* quibus adde Claudiani ista: *Vitaeque et lucis in ipso Limine contentus.* et quae ad Isidor. Pelus. 5. 251. A. Schottus. At in Oxon. et aliis non paucis codd. *lumine.* quod rectius esse constabit ex sequentibus testimoniis. In vetere Epigram. *Finito lumine vitae.* Apud Ciceronem 1. de Divinat. *Vitai lumina linquens.* et 15. 6. A. Gellii: *Vitae iampridem lumina linquens.* Firmicus 8. 6. *In ipso nascenti lumine constituti.* Virgilius ipse: *Si lumina vitae Attigerint.* ad quem locum vide Cerdae *Collectanea.* Potest et *limite* scribi, nec incommode. Sedulius ad 2. Tim. 2. 4. *In extremo vitae limite constitutus.* praecedens autem lectio recipienda.

Ibid. *Quodammodo renatos*] Ab extremo vitae lumine revocatos, neque enim de *mysteriis* accipiendum, ut in illis, *Taurobolio*, *criobolioque* etc. *renatus.*

Ibid. *Ad novae reponere rursus salutis curricula*] Hoc est quod supra: *Ultra statuta fato tuo spatia, vitam mihi quoque prorogare licere. Transactis vitae* nempe *temporibus*, ut iam proxime dictum.

Ibid. *Coeleste sustinere praeceptum*] Quiete et tranquille exspectare. quo sensu Iacobus 5. 7. 8. μακροθυμεῖν dixit.

Ibid. *Cibis profanis ac nefariis*] Κοινοῖς καὶ ἀκαθάρτοις. Act. 10. 14.

Ibid. *Nec impatientia corrumpebatur obsequium meum*] Symmachus 1. 6. *Solent impatientes dilationis esse, qui sperant in se aliquid muneris conferendum.* vide supra [hui Ed. p. 376, b.] adnotata. Drepanius Panaegyristes: *Est omne desiderium post spem impatientius.* Ex quibus videas quam inconsulte unus *impatientia* substituit, quam imperite alius eiusmodi coniecturam approbavit. *Impatientia* habet et Oxon. MS.

Ibid. *Nec me longi temporis prolatione cruciavit*] Infra heic: *Nec te tamen desiderio forsan religioso suspensum, angore diutino cruciabo.* vide supra [hui. Ed. p. 283, b.] notata.

Ibid. *Voti compotiret*] Glossae: *Compuso*, (lege *Compotior.*) εὐχῆς ἐπιτυγχάνω.

Pag. 255. *Cubiculo suo commodum prodeuntem*] Supra lib. 4. *Qui commodum domo* etc. *processerat.*

Ibid. *Saluto, solito constantius* etc.] Haec absunt in Oxon. MS.

Ibid. *O mi quidem Luci*, etc.] Idem Codex, *O Luci*, etc.

Ibid. *Quem propitia voluntate Numen augustum tantopere dignatur*] Hoc est quod Ephes. 1. 6. et Luc. 1. 28. χαριτοῦν, et χαριτοῦσθαι. *Propitiam voluntatem* etiam in Excerptis Floridorum dixit.

Ibid. *Quid* etc. *stas otiosus, teque ipsum demoraris?*] *Quae te tam sera moratur Segnities? Quid tibi nunc obstas, aut cur tua vota moraris?* Horatius: *Eripe te morae.* Accius: *Sed memet calvor.* (i. e. *moror.*) Plautus Mercat. *Me moror cum hic adsto.* Idem Epid. *Tibi moram facis.*

Ibid. *Adest tibi dies votis assiduis exoptatus*] Ammianus lib. 16. *En* (inquit) *diu speratus praesto abest dies.* Terent. Hecyr. *Hunc videre saepe optabamus diem.* Supra hîc: *Iam tibi providentia mea dies salutaris illucescet.* Ferrandus in Epist. ad Fulgentium: *Iam hora exoptata cunctis advenerat.* quae et nota de baptizandis dici.

Ibid. *Votis assiduis exoptatus*] Seneca Oedipo: *Adest petitus votis omnibus Creo.* Sallustius Catilinario: *En illa, quam saepe optâstis, libertas.*

Ibid. *Deae multinominis* etc.] Ipsa supra hîc: *Me primigenii Phryges Pessinunticam nominant Deûm matrem*, etc. *hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam*, etc. cum seqq. Eidem πολυωνυμίαν tribuit et Callimachus Hym. 1.

Ibid. *De opertis adyti profert quosdam libros literis ignorabilibus praenotatos*] Achilles Tatius lib.

lib. 3. Ἔρχεται δέ τις ἱερεὺς Αἰγύπτιος βιβλίον ἐξ ἀδύτων φέρων, etc. Huiusmodi non pauca librorum millia etiamnum Cairi superesse, magnaque ab ignaris Turcis superstitione adservari, narrat Kirckerus p. 512. de Lingua Coptica.

Ibid. *A curiosa profanorum lectione munita*] Ammianus lib. 22. de Aegyptiis: *Initia prima sacrorum caute tuentur, condita scriptis arcanis.*

Ibid. *Indidem mihi praedicat quae forent ad usum teletae necessario praeparanda*] Tertullianus Apologetico: *Volentibus initiari moris est, prius patrem illum sacrorum adire, quae praeparanda sint describere.*

Ibid. *Partim ipse, partim per meos socios coëmenda procuro*] Lib. 8. de Thrasyllo: *Partim per semetipsum, partim per caeteros familiares ac necessarios*, etc.

Ibid. *Tempore* etc. *id postulante, stipatum me religiosa cohorte, deducit ad proximas balneas*] Supra lib. 9. *Universa nos iumenta, id hora iam postulante, ad lacum proximum* etc. *prominabat.*

Ibid. *Stipatum me* etc.] Vide supra [hui. Ed. p. 166, a.] dicta.

Ibid. *Praefatus Deûm veniam, purissime circumrorans abluit*] Supra hîc: *Solennissimas preces* etc. *praefatus, quam purissime purificatum, Deae nuncupavit.* Fiebat autem, tanquam a prioris vitae sordibus sacrandorum ablutio ista. Vide Grotium ad Matth. 28. 19.

Ibid. *Circumrorans abluit*] Aquae rore circumlauans. vide supra [hui. Ed. p. 160, a.] notata. In Glossario: Περιπλύνω, *circumlavo.*

Ibid. *Quibusdam quae voce meliora sunt*] Graecismus, ut supra 7. *virum morte meliorem.* Decepti et decipientes ergo qui *maiora* reponebant.

Ibid. *Praecipit, decem continuis illis diebus cibariam voluptatem coërcerem*] Cheraemon apud Porphyr. π. ἀποχ. de Aegyptiis: Ὁ δὲ χρόνος οὗτος ὁπότε συντελεῖν τι περὶ τὴν ἱερὰν μέλλοιεν θρησκείαν προλαμβάνων ἡμερῶν ἀριθμὸν, οἱ μὲν δυοῖν καὶ τετταράκοντα, οἱ δὲ τούτων πλείους, οἱ δὲ ἐλάσσους· οὐδέποτε μέν τις τῶν ἑπτὰ λειπομένας. vide Beroaldum. τὸ *illis* περισσεύειν otiose moneam, adeo passim hoc in Opere abundat.

Pag. 256. *Invinius*] Onomast. vetus: *Invinius*, ἄοινος. Sic, ἄϊχθυς, ὁ μὴ ἰχθὺν ἐσθίων, apud Hesychium.

Ibid. *Et Sol curvatus intrahebat vesperam*] Senarius, quales multi alii latenter his in libris sparsi.

Ibid. *Variis quisque me muneribus honorantes*] Notabis κυριολογίαν istam. Aristoteles Rhetor. 1. 5. Δῶρα παρ' ἑκάστοις τίμια, καὶ γὰρ τὸ δῶρόν ἐστι etc. τιμῆς σημεῖον. Sirachid. 38. 1. Τίμα ἰατρὸν. et statim, δόμα λήψεται. Matth. 15. 6. Καὶ οὐ μὴ τιμήσει τὸν πατέρα. pro quo apud Marcum, καὶ οὐκ ἔτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲν τῷ πατρὶ ποιῆσαι. Sic Act. 28. 10. post πολλαῖς τιμαῖς ἐτίμησαν ἡμᾶς, sequitur, ἀναγομένοις ἐπέθεντο τὰ πρὸς τὴν χρείαν. De legatorum *honore* ad Apologiam diximus.

Ibid. *Sacerdos deducit ad ipsius sacrarii penetralia*] Aen. 3. *Meque ad tua limina Phoebe, Ipse manu, multo suspensum Numine ducit.* quae etiam de Sacerdote dicta.

Ibid. *Dicerem, si dicere liceret*] Paulus 2. Cor. 14. 4. Ἡρπάγη εἰς τὸν παράδεισον, καὶ ἤκουσεν ἄῤῥητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. Pausanias in Atticis, ubi de Eleusine: Τὰ δὲ ἐντὸς τοῦ τείχους τοῦ ἱεροῦ, τό τε ὄνειρον, ἀπεῖπε γράφειν, καὶ τοῖς οὐ τελεσθεῖσιν, ὅπως ὧν θέας εἴργονται, δῆλα δήπου μηδὲ μυθέσθαι μετεῖναι σφισὶν. In Apologia: *Nullo unquam pacto adducar, quae reticenda accepi, haec ad profanos enunciare.*

Ibid. *Parem noxam contraherent aures et lingua temerariae curiositatis*] Lysis Pythagorica apud Iamblichum cap. 17. Meursio corrigente: Οὐ θέμις ὀρέγειν τοῖς ἀπαντῶσι τὰ μετὰ τοσούτων ἀγώνων πορισθέντα, οὐδὲ γὰρ βεβάλοις τὰ ταῖν Ἐλευσινίαιν Θεαῖν μυστήρια διηγεῖσθαι, κατ' ἰσότητα δὲ ἄδικοι καὶ ἀσεβεῖς ἀμφότεροι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες. Apud Synesium in περὶ προνοίας, de silentio mysteriis debito: Ὅ τε ἐκφήνας, ὅ τε ἰδὼν νεμεσᾶται παρὰ τοῦ θεοῦ. Lucianus in Deorum Dialogis: Σιώπα, εὐφήμει· οὐ γὰρ ἀσφαλὲς σοὶ λέγειν, οὔτ' ἐμοὶ ἀκούειν τὰ τοιαῦτα. cui simile illud Senecae de Tranq. *Auscultatio, et publicorum secretorumque inquisitio: et multarum rerum scientia, quae nec tuto narrantur, nec tuto audiuntur.* et istud Salviani: *Spectaculorum impuritates unum admodum faciunt et agentium et aspicientium crimen.* de Gubern. lib. 6.

Ibid. *Audi igitur, sed crede quae vera sunt*] Isocrates in de Permutat. Ὡς ἀκουσόμενοι τὴν ἀλήθειαν, οὕτω τὸν νοῦν προσέχετε. *Credite me vobis folium recitare Sibyllae.* Ovid. *Accipe cum vera facta relata fide.*

Ibid. *Accessi confinium mortis, et calcato Proserpinae limine*, etc.] Pindarus: Ὄλβιος ὅστις ἰδὼν ἐκεῖνα Κοινὰ εἶσ' ὑπὸ χθόνα. Οἶδε μὲν βίου τελευτὰν, Οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν.

Ibid. *Nocte media vidi Solem* etc.] *Candidior media nox erat illa die.* Dio Chrysostomus Orat. 12. ubi de mysteriis initiato: Πολλὰ ὁρῶντα μυστικὰ θεάματα, πολλῶν δὲ ἀκούοντα τοιούτων φωνῶν· σκότους τε καὶ φωτὸς ἐναλλὰξ αὐτῷ φαινομένων, ἄλλων τε μυρίων γινομένων. Vide quae plura Meursius cap. 11. Eleusiniae.

Ibid. *Accessi coram*] Id est, ut 1. Cor. 13. 12.

12. πρὸς πρόσωπον. Infra hic de Osiride: *Non in alienam quampiam personam reformatus, sed coram suo venerando me dignatus affamine.* adde Arnobium iam statim adducendum. Ovidius 2. 8. de Ponto: *Faelices illi qui non simulacra, sed ipsos, Quique Deûm coram corpora vera vident.*

Ibid. *Accessi coram, et adoravi de proximo*] Arnobius μιμητικῶς lib. 6. *Ut eos* (Deos) *possimus coram et cominus intueri, affari de proximo.* ubi et *affari* est quod hic *adorare*. Ovidius: *Hac prece adoravi Superos ego.* Supra hic lib. 3. *Sic populum adorat.*

Ibid. *Quae quamvis audita, ignores tamen necesse est*] Oxon. et tres alii MSS. plenius, et (ut putamus) sincerius: *Q. q. audita ignores, tamen credere necesse est.*

Ibid. *Quod solum potest sine piaculo ad profanorum intelligentias enunciari*, etc.] Iulianus 7. Orat. Περὶ ἀῤῥήτων οὐ χρὴ λέγειν, etc. ὑπὲρ δὲ ὧν εἰπεῖν τε καὶ ἀκοῦσαι θέμις, καὶ ἀνεμέσητον ἀμφοτέροις ἐστιν, etc.

Ibid. *Mane factum est*] Sic Iudith. 13. 1. apud Latinum, *Ut sero factum est.*

Ibid. *Duodecim sacratus stolis*] Vide Beroaldum.

Ibid. *Constitutum*] Oxon. *astitutum.*

Ibid. *In ipso aedis sacrae meditullio, ante Deae simulacrum* etc.] Vide supra [hui. Ed. p. 211, b.] dicta.

Ibid. *Floride depicta veste conspicuus*] Plinius 21. 8. *In odoratis floribus unguento vicisse Naturam gaudens luxuria, vestibus quoque provocavit eos flores, qui colore commendantur.* Ad rem Clemens autem Paedag. 2. 10. Αἱ τοῖς ἄνθεσιν ἐοικυῖαι ἐσθῆτες Βακχικοῖς καὶ τελεστικοῖς καταλειπτέαι λήροις.

Ibid. *Floride d. v. conspicuus*] Lib. 10. *Flavis crinibus usquequaque conspicuus.*

Pag. 257. *Circumnotatis insignibar animalibus*] Vide in π. ἀποχ. 4. Porphyrium. Ammianus lib. 14. *Tunicae effigiatae in species animalium multiformes.*

Ibid. *Gryphes Hyperborei*] Servius ad Eclog. 3. *Gryphes, genus ferarum, in Hyperboreis nascitur montibus*, etc. Vide 3 14. Philostratum.

Ibid. *Ad instar Solis*] Servius ad Aen. 6. ex Probo, ait *instar* praepositionem non recipere.

Ibid. *In aspectum populi errabam*] In Codd. quibusdam, *populus errabat.* in aspectum Appuleii nempe. tale illud 10. *Multae civium turbae confluebant, non tam Thyasi divitiis dantes honorem, quam mei conspectus cupientes.* Mihi neutra istarum lectio probatur: utraque veriorem puto, *aspectum populi inerrabam.* eodem lib. 10. *Decoros ambitus inerrabant.* et supra hic, *Diversos lucos inerrans.*

Ibid. *Natalem sacrorum*] Vide Casaub. ad Spartianum, Lindenbrogium ad Censorinum. Servius ad 3. Eclog. *Natalis, apud Maiores, plenum nomen: posteritas natalis dies dicere coepit.* Glossae: *Natalis*, γενέθλιος. i. e. ἡμέρα γ.

Ibid. *Suaves epulae, et faceta convivia*] In quibus ioci liberales, ut supra lib. 2. locutus.

Ibid. *Irremunerabili q. beneficio pignoratus*] Lib. 3. *Tuumque mancipium irremunerabili beneficio sic tibi pignora.*

Ibid. *Singultu crebro sermonem interficiens*] Lib. 2. *Voce* etc. *assiduis singultibus impedita.* Statius Theb. 2. *Tandem haec singultu verba incidente profatur.* Calpurnius Ecl. 6. *Expellis male singultantia verba.* Quintilianus 10. 7. *Intersistunt, offensant, et singultantium more verba eiiciunt.* Adde quae plura supra [hui. Ed. p. 247, a.] dicta, et quae de voce *interficere* [p. 241, b.] notata.

Ibid. *Nec dies, nec quies ulla, ac ne momentum quidem tenue tuis transcurrit beneficiis otiosum*] Plinius Traianum celebrans, *Quod momentum, quod immo temporis punctum, aut beneficio sterile, aut vacuum laude?* Ovidius de Sexto suo: *Tempora nam nostrae complectar ut omnia vitae, A meritis eius pars mihi nulla vacat.* Plinius alter 22. 12. de divino Numine: *Ut non sit satis mirari ingenium eius, disponentis auxilia in causas, in tempora: ut aliis prosit atque aliis horis, diesque nullus prope sine praesidiis reperiatur.* De eodem Philo, lib. περὶ ζώων εἰς θυσ. Τὰς εὐεργεσίας ἀπαύστως καὶ ἀδιαστάτως τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει χορηγεῖ. et Ieremias 3. 23. Οἱ οἰκτιρμοὶ αὐτοῦ καινοὶ εἰς τὰς πρωΐας. Et certe ita concepta est oratio ista, ut nec sanctissimo ipsi Augustino dedecori esset, ac proinde qua verissimum et potentissimum Numen oretur, sit dignissima. Videtur autem hoc κείμενον effictum ex Virgilii illis: *Nec requies, quin aut pomis exuberet annus, Aut foetu pecorum, aut Cerealis mergite culmi.* *Quietem* hic *noctem* dixit. Servius ad Georg. 1. *Somni, noctis: nam ab officio temporis ipsum tempus ostendit.* Seneca Epist. 125. lucifugas describens: *Lucet? somni tempus. Quies est? nunc exerceamur, nunc gestemur.*

Ibid. *Depulsis vitae procellis*] Gloss. Ἀλεξίκακος, *depulsor.*

Ibid. *Salutarem porrigas dextram*] Sic, τὴν χεῖρα σωτήριαν ὀρέγειν, Philo, de Deo loquens, lib. *quod D. immutabilis.* Aeneid. 6. *Da dextram.* ubi Servius: *Praesta auxilium.*

Ibid. *Quo Fatorum etiam inextricabiliter contorta retractas licia*] Supra hic: *Ultra statuta fato tuo spatia vitam mihi prorogare licere.* *Retractas*, retrahis, differs. Glossae: *Retractas*, διαλογίζου, ἀναβάλλῃ.

Pag. 258. *Tibi* etc. *redeunt tempora, serviunt elementa*] Lucretius ad Eandem: *Tibi suaves daedala tellus Summittit flores, tibi rident aequora*

aequora Ponti, *Pacatumque nitet diffuso lumine coelum.* Virgil. *Tibi pampineo gravidus autumno Floret ager.* Serv. *In honorem tuum exultat*, etc.

Ibid. *Tuo nutu* etc. *germinant semina*, *crescunt germina*] Supra initio libri: *Nec tantum pecuina et ferina*, *verum inanima etiam divino eius luminis numinisque nutu vegetari.*

Ibid. *Tuam maiestatem perhorrescunt* etc.] Φρίττουσι, eam vocem enim Iacob. 2. 19. ita verterim, *maiestatem eius perhorrescunt.* Glossarium: Φρίττω, *horreo*, *horresco.* supra hîc lib. 8. *Praedo famosus ille*, *cuius totae Provinciae nomen horrescunt.* et 4. de Cupidine: *Quem tremit ipse Iovis*, etc. *Fluminaque horrescunt*, *et Stygiae tenebrae.*

Ibid. *Aves coelo meantes*, *ferae montibus errantes*, *serpentes solo latentes*, *belluae Ponto natantes*] In Graeco 4. 17. Deuteronomii: Ὁμοίωμα κτήνους, etc. ὁμοίωμα ὀρνέου πτερωτοῦ, etc. ὁμοίωμα ἑρπετοῦ, etc. ὁμοίωμα ἰχθύος, etc. Iacob. 3. 7. Φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν, ἑρπετῶν τε καὶ ἐναλίων.

Ibid. *Nec mihi vocis ubertas*, *ad dicenda quae de tua maiestate sentio sufficit*] De Deo, et ad Deum Arnobius lib. 1. *De quo nil dici et exprimi mortalium potest significatione verborum: qui*, *ut intelligaris*, *tacendum est: atque ut per umbram te possit errans investigare suspicio*, *nihil est omnino mutiendum.*

Ibid. *Vel indefessi sermonis* etc.] Scribendum potius dixerim, *indefecti.* sic in libro de Deo Socratis: *Vivacitas aeterna*, *et indefecta.*

Ibid. *Numenque sanctissimum*, *intra pectoris mei secreta conditum* etc.] Ἐν πνεύματι etc. προσκυνήσω, ut Ioh. 4. 24.

Ibid. *Complexus Mithram sacerdotem*, *et meum iam parentem*] *Parentem*, quia secundo eum genuerat, i. e. mysteriis initiaverat. ita Paulus de Onesimo, ὃν ἐγέννησα etc. Nota et loquendi genus, *meum iam parentem.* In Minucii Octavio: *De providentiae fateor*, *et Deo cedo*, *et de sectae iam nostrae sinceritate consentio.* ita et Servius capit haec Virgilii de Orpheo loquentis, *Restitit*, *Eurydicenque suam iam luce sub ipsa Immemor heu*, *victusque animi*, *respexit*, etc. at rectius illi qui τὸ *iam* non ad *suam*, sed ad sequentia retulerunt.

Ibid. *Gratiarum gerendarum* etc.] Loquendi modus insolentior, nec solo tamen hoc in Scripto repertus: nam et *gratias Deo gerere*, in oratione sub martyrii horam B. Cyprianus dixit. et, *desideria coniugalia sibi gerere*, (i. e. *reddere*) Scriptor de cleric. singular. cum eodem Cypriano excusus.

Ibid. *Colloque eius multis osculis inhaerens*] Luc. 15. 20. Ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ αὐτὸν κατεφίλησεν. *Inhaerens*, ut in illis Heliodori, περιφῦσα τοῦ αὐχένος (αὐτοῦ) ἀπρὶξ εἴχετο, καὶ ἐξήρτητο.

Ibid. *Deae potentis instinctu* etc. *Romam versus profectionem dirigo*] Paulus Act. 20. 22. Δεδεμένος τῷ πνεύματι πορεύομαι εἰς Ἱερουσαλήμ. ubi hunc locum Appuleii produximus.

Ibid. *Raptim constrictis sarcinulis*] Supra lib. 4. *Raptimque constrictis sarcinis*, etc.

Ibid. *Tutusque prosperitate ventorum ferentium*, *Augusti portum celerrime*] Ovidius: *Ventisque ferentibus usus*, *Applicer in terras Oebali Nympha tuas.* Plura hîc de *ventis ferentibus* Elmenhorstius. Schopp. ad Miles. 5. et nos ad illum ipsum locum p. [hui. Ed. 247, a.] adnotavimus. Pro *tutusque* videndum, an qui Codices *adiutusque* legant, quod nec tamen obtrudo. *Augusti portum* (quod e Lipsii Codice primus Colvius edidit) habet et Oxon. MS. at neque hîc ullam syntaxin ea scriptura constituit, nec video cur *hausi portum*, antiquissimarum editt. lectio, non optime satisfaciat nobis. *Portum* κατ᾽ ἐξοχὴν vocat Ostiae portum. Sic in Actis Ignatii Martyris a Reverendiss. doctissimoque Praesule Armachano editis: *Navigantes in portum* etc. *milites quidem pro tarditate offendebantur.* ita enim, extrito τῷ *Romanorum*, legendum forsan, cum et sequatur statim, *Expulsi a vocato Portu*, et hîc in Appuleio etiam eminenter *Portus* vocetur. *Haurire portum* nil aliud est quam *penetrare.* Quadrigarius Gellii 9. 13. de Manlio Torquato: *Hispanico* (gladio Galli) *pectus hausit.* Virgilius: *Exultantiaque haurit Corda pavor.* Idem: *Per tunicam squalentem auro latus haurit apertum.* quae tamen aliter scio a Scaligero Poët. 4. 16. exponi.

Ibid. *Prosperitate ventorum*] Gloss. Οὖρος, ὁ αἴσιος ἄνεμος, *prosper ventus.* et, Οὐρία ἐπὶ πλοίου, *prosperitas venti.*

Ibid. *Hausi portum celerrime*, *ac dehinc carpento pervolavi*] Plinius 10. Epist. 16. *Sicut saluberrimam navigationem usque Ephesum expertus*, *ita inde postquam vehiculis iter facere coepi*, etc. Achilles Tatius 2. Πάριμεν ἐπὶ τὴν πόλιν, καὶ εὐθὺς ἐπὶ τὸν δρόμον ἐποιούμεθα.

Ibid. *Sacrosanctam istam civitatem*] Romam. Sic in Floridis de Carthagine. *Sanctissimam istam Civitatem ingresso*, etc. Non ergo apud Hebraeos solos iste mos loquendi. Merito autem *sacrosanctam*, de civitate quae Deorum sedes existimata, et cuius verum nomen nec in sacris eloqui licitum. Vide Servium ad Eclog. 1. et Aeneid. 1.

Pag. 259. *Supplicare summo Numini Reginae Isidis*, *quae de templi situ sumpto nomine*, *Campensis*, etc.] Idem ad 3. Aeneid. *A locis Numina frequenter nomen accipiunt.* vide hîc Beroaldum.

Ibid. *Cultor assiduus*] Contrarius apud Horatium: *Parcus Deorum cultor et infrequens.*

Ibid. *Fani quidem advena, religionis autem indigena*] *Advena* quoad locum, *indigena* quoad sacrorum participationem. Notanda autem oppositio ista. sic supra 1. *Advena studiorum, Quiritium indigenam sermonem* etc. *excolui.* Interpres vetus Iosvae 8. 33. *Ut advena, ita indigena.* Saluianus lib. 5. *Suscipiuntur advenae, fiunt praeiudicio habitationis indigenae.*

Ibid. *Signifero circulo*] Gloss. *Signifer*, ζωδιακὸς. et in alio, Ζωδιοφόρος, *signifer.*

Ibid. *Et quietem meam rursus interpellat*, etc. *rursus teletae, rursus sacrorum commonet*] Seneca Natur. quaest. 7. 31. *Non semel quaedam sacra traduntur.* Aristides ἱερ. λόγ. δ. Τριῶν ἢ τεττάρων ἡμερῶν διαγινομένων, φωνὴ δι᾽ ὀνείρατος γίνεται, ὅτι πέρας τε ἔχοι, καὶ ἐπανήκειν δεῖ, ἣν σὺν οὐ μόνον τελετῇ τινι ἐοικὸς, etc.

Ibid. *Mirabar quid rei tentaret*] Oxon. *reptaret*, unde forsan *restaret* legendum.

Ibid. *Novum mirumque*] Gellius 16. ult. *Novum et mirum facinus.* Tacitus Annal. 13. *Vallum fossamque quasi nova et mira viserent.* et 5. *Prompti Graecorum animi ad nova et mira.*

Ibid. *Sublata est ergo* etc.] Glossae: Ἀνηρέθη, *sublata est.*

Ibid. *Sublata est ergo post tam manifestam Deûm voluntatem ambiguitatis tota caligo*] Claudianus: *Quis iam post talia segnis Ambigat, aut coelo dubitet parere vocanti?*

Ibid. *Summo studio* etc.] Melius, *ex summo studio.* lib. 7. *Ex summo studio fugiens immanem ursam.* et 9. *Cuius faciem ex summo studio videre cupiebam.*

Pag. 260. *Nec is defuit*] Vetustiss. editt. Rom. et Vicent. *nec fide abfuit.* unde *n. fides a.* Beroaldus. Tacitus Annal. 13. *Nec defuit fides.* melior tamen posterior coniectura eius, *nec is defuit.* lib. 9. *Nec defuit qui manu super dorsum meum iniecta*, etc. et supra hîc: *Nec deerat ille qui magistratum fascibus purpuraque luderet.*

Ibid. *De pastophoris unum conspexi statim, praeter indicium pedis, caetero etiam statu atque habitu nocturnae imagini congruentem*] Apud Ovid. Metam. 7. *Qualesque in imagine somni Visus eram vidisse viros, ex ordine tales Aspicio, agnoscoque.* Confer in Basilii vita Amphilochium cap. 5. Act. Apost. 9. 12. et quae inibi notata. *Statum* hîc pro *statura*, ut supra lib. 1.

Ibid. *Asinium Marcellum*] Asinii Marcelli, Pollionis pronepotis, meminit et Tacitus Annal. 14. in rebus Neronis.

Ibid. *Deformationis meae* etc.]. Ita et Oxon. melius alii *reformationis.* sic lib. 8. *in lemures reformari.*

Ibid. *Viriculas patrimonii peregrinationis attriverant impensae*] Supra lib. 4. *Totis patrimonii viribus* etc. Seneca 1. 7. Controvers. *Petitur unde tantas patrimonii vires habeas.* In l. 22. §. ult. Cod. de administr. tutor. *robur patrimonii* dicuntur. Plinius Panaegyrico: *An tantas vires habeat frugalitas Principis, ut tot impendiis, tot erogationibus sola sufficiat.* Sic et *vires*, in l. 21. Cod. Theod. de Praet. et Quaest. *Vires haereditatis*, in l. 42. ff. mandati, etc. *Vires opum* apud Nostrum, libello de Philosophia. et, *Viribus* (i. e. opibus) *Principis illudere*, apud Tacitum 15. Annalium. Τὸ *attriverant* a Suetonio est. In Galba ille, *Attritis facultatibus.* et in Augusto, *Attrito bellis civilibus patrimonio.*

Ibid. *Et erogationes urbicae pristinis illis provincialibus antestabant*] *Urbicae*, est, Romanae civitatis. Seneca μιμητικῶς Epist. 50. *Non ego sumptuosus, sed urbs ipsa magnas impensas exigit.* Gloss. Ἔξοδος, ἀνάλωμα. *erogatio, expensa.* In vetere Onomast. *Urbanus, urbicus*, ἀστυκὸς.

Ibid. *Duritia paupertatis* etc.] *Duris urgens in rebus egestas.*

Ibid. *Veste ipsa mea* etc. *distracta*, etc.] Ad impensas teletae solvendas. Apud Aristophanem in Nubibus ille, Τὸ θοιμάτιον ἀπώλεσας. Respondet alter, Οὐκ ἀπολώλεκ᾽, ἀλλὰ κατὰ πεφρόντικα. Ad quae Suidas, Εἰς τοὺς φροντιστὰς ἀνάλωσα, εἰς τὴν παίδευσιν καταδεδαπάνηκα.

Ibid. *Sufficientem corrasi summulam*] Bene *corrasi*, ut rei difficultatem notaret. sic supra 10. *summulas corradere.* Donatus ad 1. 1. Phorm. *Apta in verbo difficultas, ut in Adelph. Minas decem corradet alicunde.*

Ibid. *Et id ipsum praeceptum fuerat specialiter*] Sic *rescriptum ab Imper. specialiter emissum*, in Cypriani Passione. quae tamen Vir insignis expungenda censet. *Id ipsum*, ut apud Gellium 20. 1. *Sed enim id ipsum vide.* ubi male in editis, *S. e. ipsum vide.* Idem 1. 19. *Atque id ipsum denuo placide rogavit.*

Ibid. *An tu (inquit) si quam rem voluptati struendae molireris, laciniis tuis nequaquam parceres? nunc tantas cerimonias aditurus?* etc.] A minori ad maius argumentatio. Ovidius, si memini: *Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes, Arida nec sitiens ora levabis aqua. Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?* E converso a maiori ad minus 4. Reg. 5. 13. *Pater, et si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras: quanto magis, quia nunc dixit tibi, lavare, et mundaberis? Cerimoniae*, τελετή, ut optime in Onomastico.

Ibid. *Nunc tantas cerimonias aditurus, impoenitendae te pauperiei cunctaris committere?*] Basilius Homil. de Avarit. Καὶ σὺ μικροπρεπὴς εἶ περὶ τὰς δαπάνας, τηλικαύτης μέλλων δόξης ἐπιβήσεσθαι. Tertullianus Apologetico: *Quantis*

tiscunque sumptibus constet, *lucrum est*, *quicquid pietatis nomine fit*. *Paupertas impoenitenda*, ut 2. Cor. 7. 10. σωτηρία ἀμεταμέλητος. Infra hîc argum. simili: *Nec hercules laborum me sumptuumque quidquam poenituit.*

Pag. 261. *Quae res summum peregrinationi meae tribuebat solatium*] Lib. 9. *Quae res optatissimam mihi vindictae occasionem subministravit.*

Ibid. *Spiritu* etc.] Benignâ aspiratione.

Ibid. *Tertiam quoque teletam suscitare*] Placet Wowerii coniectura, *susceptare.* Supra lib. 2. *Vicariam pro me lanienam susceptavit.*

Ibid. *Oppido suspensus animi*] Lib. 10. *Ingenti angore oppido suspensus.*

Ibid. *Mecum ipse cogitationes exercitius cogitabam*] Nullus librorum editorum non hanc praefert scripturam, mihi tamen videtur legendum *consulebam.* supra lib. 6. *Sic ipsa suas cogitationes consuluit.*

Ibid. *Traditioni*] Sacrorum traditioni scilicet.

Ibid. *Sacerdotes utrique*] Oxon. et Fuxens. MSS. *Sacerdos uterque.*

Ibid. *Cogitationis aestu fluctuantem*] Vide supra [hui. Ed. p 213, b. et 378, a.] notata.

Ibid. *Ad instar insaniae percitum*] Fortasse melius hoc modo, *Et ad instar insani p.*

Ibid. *Nihil est quod numerosa serie religionis, quasi quidquam sit prius omissum, terreare*] In de Deo Socratis: *Ut plerumque in somniis et vaticinationibus, et oraculis comperimus saepe indignata Numina, si quid in sacris socordia vel superbia negligatur.* Plutarchus in Coriolani vita, de Romanis: Μίαν θυσίαν τριακοντάκις ἐποίησαν, ἀεί τινος ἐλλείμματος ἢ προσκρούματος γίνεσθαι δοκοῦντος. In Oxon. (et solo, quod sciam) *numerosa scientia.*

Ibid. *Laetum capesse gaudium*] *Capesse*, sume. Gloss. *Capessit*, λαμβάνει. Nec *gaudium*, sed *laetum gaudium.* i. e. Stoicorum ἡδονήν. sive *laetitiam*, quam Cicero in Bruto *quasi gestientis animi voluptariam elationem* interpretatur. sic Gell. 3. 15. *laetissime gaudere.*

Ibid. *Teque de isto numero merito praesume beatum*] Alludit notam formulam, τρὶς μάκαρες.

Ibid. *Exuvias Deae, quas in Provincia sumpsisti, in eodem fano depositas perseverare*] *Exuvias* stolam vocat, qua indutus teletam susceperat. haec (inquit) *in eodem solo* (ita rectius enim Oxon. Palat. et Fuxenses membranae legunt) deposita remanere debet. Illustrant hunc ritum Aristophanis ista in Plut.

ΚΑΡ. Τὸ τριβώνιον δὲ τί δύναται πρὸς τῶν θεῶν,
Ὃ φέρει μετὰ σοῦ τὸ παιδάριον τουτί; φράσον.
ΔΙΚ. Καὶ τοῦτ᾽ ἀναθήσων ἔρχομαι πρὸς τὸν θεόν.
ΚΑΡ. Μῶν οὖν ἐμυήθης ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα.

ubi vetus Scholiastes: Ἔθος ἦν ἐν οἷς τις ἱματίοις μυηθείη, εἰς θεοῦ τινος ταῦτα ἀνατιθέναι, ὥσπερ δηλοῖ καὶ Μελάνθιος ἐν τῷ περὶ Μυστηρίων. Πάτριόν ἐστι ταῖς θεαῖς ἀνιεροῦν καὶ τὰς στολὰς τοῖς μύσταις ἐν αἷς τύχοιεν μυηθέντες.

Pag. 262. *Initiare*] Onomast. vetus: *Invio* (lege *initio*) τελέω, μυῶ.

Ibid. *Nec deinceps postposito, vel in supinam procrastinationem reiecto negotio*, etc.] Paulus Act. 26. 19. Οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς τῇ οὐρανίῳ ὀπτασίᾳ: In Glossario: Εἰς αὔριον ἀναβάλλομαι, *recrastino.* Ibidem: Ἄνευ ἀναβολῆς, *sine dilatione*, *sine procrastinatione.*

Ibid. *Deus Deûm magnorum potior, et maiorum summus, et summorum maximus, et maximorum regnator Osiris*] Diodorus Siculus lib. I. Βασιλεὺς βασιλέων, καὶ δεσπότης δεσποτῶν Σεσόωσις. Paulus 1. 6. 15. ad Timotheum: Ὁ μόνος δυνάστης, ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ Κύριος τῶν κυριευόντων.

Ibid. *Per quietem praecipere visus est, quam nunc incontanter* etc.] Non male, fortasse tamen melius, *iam nunc incontanter.* lib. 1. *Faxo eum* etc. *statim*, *imo iam nunc*, etc. Supra hîc, *Cibis profanis ac nefariis iam nunc temperare.* et 5. *Iam nunc subsistite.*

Ibid. *Malorum disseminationes*] Oblocutiones. *Pusillorum ac malevolorum obtrectationes*, Cicero 5. 9. Famil. dixit. In quibusdam, (etiam MSS.) male hîc, *dissensiones.* Spartianus: *Etiam hi qui Iulianum odisse coeperant, disseminârunt prima statim die*, etc. Glossarium: *Disseminat*, διασπείρει, διαδίδωσι. Cyprianus ad Demetrianum: *Adversum nos odia tuis maledicis vocibus seminando.* Hoc Ioanni Epist. 3. com. 10. πονηροῖς λόγοις φλυαρεῖν. Sic, *seminarium malorum*, Noster in Apologia. ὑποσπείρειν διαβολὰς, Plutarchus in de amici et adulat. discrim. et ἀροτριῶν Ψεῦδος, 7. 13. Sirachides.

Ibid. *Studiorum meorum laboriosa doctrina*] De seipso in Apologetico: *Unis studiis literarum ex summis viribus deditus*, etc. *impenso labore*, etc. De studiorum *labore* vide supra [hui. Ed. p. 377, b.] dicta.

Ibid. *Quam raro capillo*] Martialis: *Raros colligis hinc et hinc capillos.* Beroaldus *raso* tamen, quod non improbo. *Raripilum* non fuisse Appuleium prolixe vel ex Apologetico constat.

Haec habuimus quae post tot alios possemus hos in libros annotare: maiore forsan conatu quam successu. erat aliquid agendum autem, si quod alios iuvaret minus, certe moerorem meum de infelicissima conceptum patria levaret falleretque. Moestitiam (inquam) de patria obortam, non quod causae peculiares desint, sed quod publicis attonito malis domestica non intueri vacat. Quae in reliqua Appuleii Opera, in Apologiam autem vulgatis triplo auctius congessimus, quaeque in Gellium ultra mensuram Commentarii istius

tius collecta in scriniis adservantur nostris, aeternis tota ea tenebris (quod sciam) obruentur; nam et oculi praecario serviunt, unde pristinus noster vigor elanguit, fertque animus, quod vitae superest, impendere Libro N. T. alii illustrando; meminens ea parte tentata nobis nec olim magno *Grotio* improbata, nec nunc omnimodis displicere *Hieronymo Bignonio*; cuius immensam doctrinam ut stupeo, honoremque amicitiae veneror, ita faxit Deus, ad sanctissimae vitae eius exemplum (quod semper, quod ubique imaginor) me formem componamque.

ADDENDA.

Pag. 192, a. l. 20. λεληθότως. — add. — Idem ἐξανεχώρει, λεληθότως ὑπέφευγεν.

Pag. 212: a. l. 59. *reponunt.* — add. — Hesychius: Ὄρια etc. ἔνιοι ἀποθήκας, καὶ Ῥωμαῖοι ὄῤῥεα καλοῦσι.

Pag. 214, b. l. 56. solent. — add. — Martialis de vetula nupturiente: *Quid surire si velit saxum?*

Pag. 223, a. l. 14. δερματομαλάκται. — add. — et illa alterius Glossarii Μαλάσσω, *subigo, mollio.* In eodem Glossario εὐψηλάφητος etc.

Pag. 224, b. l. 31. viris etc. — add. — Idem cap. 12. in sap. non cad. iniur. de senibus nil rerum usu proficientibus: *A pueris tantum magnitudine ac forma corporum differunt.*

Pag. 254, b. l. 47. *Nec loquax illa conticuit avis*] De qua supra Venus, *quae sola mihi amanter servis.* Donatus ad 1. 2. Hecyrae: *Servile vitium est tacere non posse.*

Reliqua Addenda ipsi commentario inserenda curavimus: pauca haec omissa erant.



EX-

EXCERPTA

EX

IANI GRUTERI

SUSPICIONUM

LIBRIS INEDITIS (*).

LIB. X.

CAPUT V.

Scribitur, in Lycia locus esse, qui perforato solo flammas evomat, quae tamen innoxiae porro serpant, nec herbis floribusve ullum inferant damnum. Ad eam faciem et haec mea est scriptio. licet enim viridaria bonorum auctorum Critico igne ustulare videantur, non tamen ustulant; vi tantum remissa et languida refulgent: ipsis suus manet color, suus vigor. Scribitur Appuleio, lib. 6. Metam. [hui. Ed. p. 420]:

„ *Sic turris illa vel propitia, vaticinatio-*
„ *nis munus explevit.*"

nescio an probe, probabiliter hercle emendare videbar: *turris illa belle propitia.* Deinde [p. 421.]

ante pedes ejus residens humilis, et cibario pane contenta Veneream pertulit legationem statimque secreto repletam conclusamque pixidem suscipit.

miratur alibi Veneris istius filius tantum inferre doloris aculeo suo pusillam apem. licet et nos miremur leve punctum turbandae Appuleianae sententiae. Sane illud *secreto*, apice suo privabitur, fietque nomen, si mihi quidem obaudiet; hoc modo: *statimque secreto repletam.* Vocat *secretum* divinae illum pulcritudinis thesaurum, quem a Psyche conspici Venus nolebat. haud secus Petronius: *Uterque nostrum religiosissimis juravit verbis inter duos perituram tam horribile secretum.* Post aliquam multa [p. 425]:

Jupiter sic enunciat: Dei conscripti Musarum albo, adolescentem istum, quem manibus meis alumnatus sum, profecto scitis omnes.

scilicet Jupiter non solum cupidinis hujus nutricius, sed mortalium omnium. docet satis cognomen, quo vocatur Alumnus, erutum mihi ex Augustini libro 7. cap. I. de Civit. Dei: *dixerunt Iovem Victorem, Invictum, Opitulum, Impulsorem, Statorem, Centupedam, Supinalem, Tigillum, Alumnum, Ruminum et alia, quae perscribere longum est.* ita enim ibidem lego cum plerisque manuscriptorum, non *Almum*, nec *Alimum.* removerunt vocem germanam homines, qui *alumnum* de eo solum dici sciebant, quem alimus. perperam: nam et eum comprehendit, qui nutrit. Isidorus lib. 10. Origin. *Alumnus ab alendo vocatus: licet et qui alit, et qui alitur, alumnus dici potest; id est, et qui nutrit, et qui nutritur.* prorsus clare. unde et Martianus Capella lib. I. de Nuptiis Philologiae: *Cum his grata Ceres, admodum gravis femina, alumnaque terrarum ac nutrix mortalium videbatur.* Quare ne dubitemus corrigere illud Nonii Marcelli:

Alumnos, consuetudo quos alas, vel educes, vel eos qui aluntur, dici vult.

inepte. legatur meo periculo, *qui alunt, dici vult.*

(*) Jani Gruteri Suspicionum libri, praeter jam editos, exstant aliquot in Bibliotheca Remonstrantium Amstelodamensi; quibus utendi copiam mihi fecit Humanissimus M. Stuartius, Vir Venerandus: ex his descripsi quae ad Appuleium pertinerent, quatenus temporis et vermium vestigiis non prorsus erant deleta. Non ingratum autem me facturum putavi Appuleii studiosis, ea integra huic Editioni adjicere.

vult. Nam plane hunc locum tangit Nestor quidam, non ille triseclus, sed vocabulista dictus, cum scribit Marcellum utraque significatione *Alumnum* interpretari. Et hanc Nonii maculam non eluisse nuperum correctorem miror.

CAPUT VII.

Ea est antiquitatis apud me reverentia, ut nihil in libris mutem, etiam vitii manifesti, nisi et idem totius Musicae cohortis communi improbetur calculo. Quare cum sequentia haec vix a quoquam ullius accusentur criminis absit ut quid de eis statuam durius. Loquitur Appul. lib. 6. [p. 429]:

> *Ecce confecto nescio quo gravi praelio latrones reveniunt onusti: nonnulli tamen, imo promptiores vulneratis domi relictis et plagas recurantibus ipsi ad reliquas* etc.

Cum quidvis suspicari liceat, graviter suspicor omnia multo belliore sensu et distingui et rescribi posse: *reveniunt onusti: nonnulli tamen imo promptiores, vulnerati; iis domi relictis* etc. illis enim maximum in praeliis periculum qui promptissime ideoque et proxime adversarios adgrediuntur. quod et Lucius noster fatetur libro proximo: *Cognito quosdam, imo vero fortissimum quemque variis quidem sed inpigris casibus adoppetisse* etc. Habemus consequenter [p. 432.]

> *et ipse mecum: Quid stas Luci; vel quid novissimum exspectas?*

sic edendum curavit Beroaldus. Veteres habebant. *Quid istas Luci.* Ex eo prompte fecerimus; *quid hic stas*, vel *quid restat Luci.* Sed jam nimius fui intra lineas.

CAPUT IX.

Miseris me cruciant modis verba lib. 6. Appulei [p. 433]:

> *Nam et illa ipsa praeclara magia tua, non vultum laboresque tibi tantum asini verum corium non asini crassum, sed hirundinis tenue membranulum circumdedit.*

nec enim in animum induco hirundinibus tenuiorem cutim quam caeteris avibus: id certe nusquam memini legere. Ne itaque diutius tamquam in eculeo torquear, libet locum hunc tamquam conclamatione depositum, nigra insignire theca: fors fuat ut praesentior aliquis aesculapius artis suae faciat periculum, corpusculumque istud, postliminio mortis animet. Ego tantum tentabo magna disciplinae vi, num momentaneum aliquem flatum inspirare valeam rescribendo:

> *Verum corium non asini crassum, sed hirudinis stimulo membranulum pervium, dedit.*

Si sic longius disceditur ab literarum apicibus, concinnare quis queat: *sed et hirudini tenue membranulum circumdedit*, h. e. membranam circum dedit, quae vel ipsius hirudinis confessione tenuior: divisim scripsi *circum dedi* quia minus eleganter dici putabam *circumdare vultum*, *circumdare labores alicui.* Sed absistam melius est; ne etiamsi quid praestem operae pretium, alterius tamen incurram fidiculas, tamquam reus, videlicet vetitae artis. Per me igitur locus iste maneat potius funus, quam ut ego deinde fiam: eo quoque magis, quod leviter nimis sperem, ut medicorum aliquis jam cadaver fartum ad momentanea vitae reducat officia.

LIB. XI.

CAPUT II.

Res mira: etsi longo mihi situ obsoletus atque hebetatus animus; spero nihilominus fore, ut hi mei diurnent libelli. Discit enim citius, meminitque libentius illud, quod quis deridet, quam quod probat et veneratur: sane alterius generis ista non sunt. Sed quid ni et ego chartas perdam, cum tot sint quos sequar?

Illud Appulei Metamorph. lib. 7. non est sollicitandum [p. 453]:

> *Cognitoque quosdam imo vero fortissimum quemque Variis quidem sed impigris casibus, adoppetisse, suadet tantisper pacatis itineribus, omniumque praeliorum servatis induciis* etc.

Nam vult pacata itinera haec, cum a viatorum expugnatione ac spoliis abstinetur. Subjicit quippe quasi horum verborum interpretamentum, *omniumque quoque praeliorum servatis induciis.* Statim in oratione illa, minus quam, si Diis placet, honesta:

> *Eique suasisse, ac denique persuasisse, ut manus hebetatas diuturna pigritia tandem referret ad frugem meliorem; bonoque secundae dum posset frueretur valetudinis. nec manum erogandae stipi porrigeret.*

erogare stipem, idem quod exorare, videor odorari ex alio loco libri 5: *Supplicis anxiae piis precibus erogatur, germani complexus indulge fructum.*

In subsequis [p. 455]:

> *Sed plane centunculis disparibus, et male consarcinatis semiamictum: inter quos pectus et venter crustata crassitie relucrabant.*

ingenue fateor, me nescire, quid postrema vox sibi velit, veniebat mihi in mentem *relucebant*, sive quod minus remotum a publicato *relucitabant.*

bant. frequentativum scilicet a *reluceo;* tamquam pectus et venter prae sordium continua illuvie, quasi tectorium aliquod splendicaverint. Sententiae facit Agellius lib. 2. cap. 6. *Quicquid nimis incultum obsitumque aliqua re erat et incuteret visentibus facie nova horrorem, id squallere dicebatur. Sic in corporibus incultis squamosisque alta congerie sordium, squallor appellabatur.* Sequitur aliquot interiectis:

> *Cum praesertim vobis, si sententia haec mea displicuerit, liceat rursus ad asinum redire.*

aut hoc, *redire ad asinum*, speciem praefert proverbii, significatque redire ad priorem sententiam, (de quo, quantum memini, nihil legi), aut commode restituamus; *ad armillum redire*, quod jam bis usurpatum nostro.

Suspicor autem deformatum in *asinum* ab iis, quibus in memoria erat illud hujus libri infra: *quid si quodammodo caeteri latrones persenserint, non rursum recurras ad asinum et rursum exitium mihi parabis?* Sed forsan proprie minus, quam ibidem Asinus secum loquitur ex rei veritate, quae narrata superiore libro, hic, ut idem locum habeat, dubito.

CAPUT IV.

Si non solum militat, qui in acie stat, et hosti congreditur, sed etiam qui vigilias obit et armamentario praeest, aliaque munia minus periculosa fungitur: quidni et ego quoque intra militantes pro decore Scriptorum Veterum stipendio dignus, quamvis tantum de iis unus qui impedimentis relictis custos? quibus ne quid pereat deinceps curiose prospiciam. Illud tamen Appulei lib. 7. [hui. Ed. p. 465.]

> *Ut mihi merito subiret vituperatio totius sexus; cum viderem puellam probi juvenis amore nuptiarumque castarum desiderio simulato lupanaris spurci sordidique subito delectari nomine.*

illud, inquam, Appuleii in statione sua remanere jusserim, licet non ignorem Marcelli et Servii distinctiones inter *simulare* et *dissimulare.* Nam auctor hic noster amat aliquando peculiariter loqui, quamquam et alios est reperire qui sic loquantur; etiam Ciceronem lib. 1. de Officiis: *De Graecis autem dulcem, et facetum, festivique sermonis, atque omni oratione simulatorem, quem εἴρωνα Graeci nominaverunt, Socratem accepimus.* Sic in vulgg. legitur et consentiunt quotquot sint descripti manu; at εἴρων omnino dissimulator, quomodo et hic se accipere vel ipse fatetur Tullius, cujus de hoc ipso Africano ista sunt verba lib. 2. de Oratore: *Urbana etiam dissimulatio est cum aliter sentias ac loquaris. in hoc genere Fannius in Annalibus suis, hunc Aemilianum fuisse, et eum Graeco verbo appellat εἴρωνα; sed uti ferunt qui melius haec norunt Socratem opinor in hac εἰρωνείᾳ dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus praestitisse.* haec iterat idem, lib. 4. Tuscul. Quaest. quae habeo monstratore Aldo Manutio nepote, viro doctrina hac utiliore ac delectabili, cura memoriaque multa. Sequuntur in Madaurensi [p. 466.]

> *Et ingressus insigni facunditate gnaviter cuncta praeministrat.*

Suspectum hoc mihi, tanquam si proditorum quid sub eis latitaret. nec enim video, quid opus, ad coquitandum, ad secandum, *facunditate.* ariolabar, *insigni secunditate*, quasi scilicet illi omnia feliciter sub manu succederent. nec adhuc poenitet coniecturae. haud tamen diffiteor, non minus efficaciter legi posse: *insigni famulitate*, quae vox apud Nonium. Accius Andromeda: *Nam postquam parvos vos oppressit famulitas.* Pacuvius Atalanta: *Quas famulitas, vis, egestas, fama, formido, pudor.* Non procul inde [p. 469.]

> *Et servulus suspicionem mihi fecit, quasi soporiferum quoddam venenum cantharis immisceret illis. Cuncti denique sed prorsus omnes vino sepulti jacebant, omnes partim parati morti.*

non reprehendo aliorum correctiones. tantum velimus doctiores quoque judicare habeant tolerarine posset: *vino sepulti jacebant omni ex parte jam parati morti.* hoc est, nullis non obnoxii quorumlibet injuriis. Sic libro 8: *Conspicatum se quippe, supinato illi, et jam ex maxima parte consumpto, immanem draconem.* Quod vero post multa sequitur [p. 472.]

> *Placuerat uni, domi me conclusum et otiosum, ordeo lecto fabaque et vicia saginari.*

Minime sollicitandum arbitror: nam non putaverim secari hordeum, fricari et quassari scio. unde statim postea: nam *ordeum meum frictum et sub eadem mola meis quassatum ambagibus, colonis proximis venditabat.* Id ipsum vocat tunsum lib. 4. *Ego vero, quamquam alias ordeum tunsum minutatim et diuturna resectione, virulentum semper eserim.* nec tamen istud pro ipso fecerit, quod hic resectionis mentio. bene enim Lipsius ita dictum ait, quia vetus, et diu a stipula recisum. An eadem ratio molendi olim, quae hodie, alias latius. nunc adducatur tantum Isidorus lib. 15. cap. 6. Origin. *Pistrinum quasi pilistrinum: quia pilo antea tundebant granum; unde et apud Veteres non molitores sed pistores dicti sunt quasi finsores,* (melius *pinsores*) *a findendis* (forte *a pinsendis*) *granis frumenti: molae enim non usus erat, sed granum pilo tundebant, unde Virgilius:*

> *Nunc torrete igni fruges nunc frangite saxis.*

CAPUT VII.

Totus inibi eram, ut curate evolverem Appulei scripta. Jamque adeo volitabant literae, quae mihi a Lipsio Giselium illud impetrarent manuscriptum exemplar. Enim ecce ex Dousae mei scriptione intelligo, id jam pridem ablatum a Nobiliss. Hieronymo Groslotio, eumdemque insuper sedulam huic nostro dare operam. Equidem destiti libens merito: quandoquidem, ut mea fert opinio, stultitia atque insipientia insulsa atque maxima haec sit, me ire in opus alienum. Tu ita, mi Grosloti, perge bonis avibus et istaec interim vide, num aliqua proposito tuo serviant: in iis si quidem haerebam, ut tu vel cunctationem regeres, vel ignorantiam instrueres, quorum alterum ut facias, unice te quaeso; maximum enim quid de te fama sibi praescripsit, tu ne fallas vide.

Habemus apud Madaurensem illum lib. 7. [p. 478.]

> *Sic apud historiam de Rege Thracio legerant, qui miseros hospites equis suis lacerandos devorandosque porrigebat adeo praepotens ille tyrannus, sic parcus ordei fuit, ut edacium jumentorum famem corporum humanorum largitione sedaret.*

De mendo suspectum mihi; *sic parcus ordei:* quoniam minus respondere praecedenti membro videtur. Nam vix est, ut *adeo*, et *sic*, ejusdem hic sunt notionis et juris. Constituebam Plautina voce, *adeo pr. i. tyrannus triparcus ordei fuit;* quae si cui minus placet, is, me volente, particulam *sic*, foras eiiciat. Post plura orditur oratione falsa pessimus puerorum probissimi asini accusationem [p. 486.]

> *Videtis istum pigrum tardissimumque et nimis asinum me prae caeteris flagitiis, nunc periculis etiam angit.*

Et quidem non satisfaciunt mihi; *prae caeteris flagitiis:* quam magis considero sententiae compositionem, tam fidentius arbitror reponi posse: *me praeteritis flagitiis.* et hanc conjecturam docto alicui approbaturum me, non levis est animo meo suspicio. Jam eadem oratione quod narrat [p. 488.]

> *Et festivus hic amasio, humo sordida prostratam mulierem, ibidem incoram omnium, gestiebat inscendere, quod nisi ploratu femineo conclamatum viatorem praesidium accurrisset, etc.*

Scio quid pro recepta lectione dici posset. Sed enim cum non satis arrideat gestus iste femineus, non erit mihi fraudi, spero, suspicari legendum: *lessuque femineo*, quod sane nihil aliud, quam ejulatus et lamentatio, non sine planctu, licentiosior. de eo sic Cicero Tuscul. Quaest. *Ingemiscere nonnumquam viro concedendum est; idque raro: ejulari ne mulieri quidem. et hic nimirum est fletus quem XII. tab. in funeribus adscribi vetuerunt.* quo loco, vidi qui vice *fletus*, substituerent, *lessus:* quoniam fletus illae tabulae nusquam meminissent; quarum haec verba, ut quidem citat idem Tullius lib. 2. de Legibus MULIERES GENAS NEC RADUNTO NEVE LESSUM FUNERIS ERGO HABENTO. quin imo magna praeterea quaestio, num fletus ullus illa lege inscriberetur, cum sint, qui vestimenti genus aliquod excludi asseverarent: quod subsequa Ciceronis satis probant, narrantis: *Hoc veteres interpretes Sextus Aelius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt: sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris. L. Acilius lessum quasi lugubrem ejulationem, uti vox ipsa significat; quod eo magis judico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat.* in quibus tamen verbis sic obiter adiuvo sententiam: *dixerunt: Sext. suspicari vest. al. g. funebris: L. Acilius lessum quasi* etc. ut prior interpretatio sit Sexti Aelii; quod pronomen, quia non integre perscriptum erat, depravatum in *sed.* Verum ad Appuleium redeo, et stabiliendae suspicioni haec ceperim ejusdem lib. 7. infra *interim dum puerum illum Parentes sui plangoribus fletibusque quaerebant.* Sed quid, si aliquis affirmaret Lucium nostrum per gestum femineum subindicare nobis voluisse ipsum lessum? equidem tacerem, et desultorie ad scriptorem Noctium Atticarum transirem, similemque ei vocem redonarem. nam quod habetur lib. 10. cap. 18. *Is Mausolus, ubi fato perfunctus est, et inter lamenta et manus uxoris funere magnifico sepultus est; Artemisia luctu atque desiderio mariti flagrans, ossa cineremque ejus, mista odoribus, contusaque in pulveris faciem, aquae indidit, ebibitque.* prorsus non intelligo, quomodo dici possit Mausolus inter uxoris suae sepultus manus. itaque libens ea mutaverim in *lausus;* quod hoc consignasse capite jus atque fas, opinor, permittit. nec enim quidquam decerno.

CAPUT IX.

Equidem, me tyrunculum erroris atque inscitiae crassis admodum circumvolvi tenebris necesse est, dum a viris, criticarum artium peritis, nulla mihi fax longius ab ipsis posito. Sed nec muti magistri, libros dico, ullo clarore adminiculantur: adeo non minor hisce locis eorum quam vivae vocis inopia. Ergo fiat quod solet; hoc est magis ac magis nugarum intricer nebulis. fors erit, ut aliquando aliquis Castor aut Pollux splendidam desuper producat lampadem. Quod dum exspecto, ingenue fateor me non percipere, quid sibi velint homines verbis illis, quae apud Appuleium lib. 7. Metamorph. [p. 489.]

> *Nam corium affirmatum cineris inspersu dominis referemus, ejusque mortem de lupo facile mentiemur.*

Vi-

Video quidem velle eos, carne asini consumpta, cineribus corium ipsius deturpare, ut videretur vexatum a lupo. Sed an ei rei vox *affirmatum* faciat, adhuc quaero. Interea substituerim; *corium informatum* hoc est, omnino deforme redditum. Glossarium vetus: *Informe*, *maleforme*: Ἄμορφον, δύσμορφον. Statim, ubi rusticus declamat:

> *Nefas tam bellum asinum sic enecare et propter luxuriam lasciviamque amatoriam criminatum, opera servitioque tam necessario carere.*

postrema dictio forsan spuria est: nec enim congruit praecedentium verborum connexioni, nisi accipiatur pro privari, de quo disputent alii. legitima, meo saltem animo, efficeretur, si transpositis literis talem assumat figuram, *tam necessario arcere.* Plane vult homo iste indignum esse facinus, si asinum tam bellum ipsa morte necessariis subducant ministeriis, cum castratione vitiis ejus mederi aliquis queat, atque ut de hoc nimis non contenderim, ita affirmaverim prorsus idoneam et aptam sententiam contineri hisce

> *Possum spatio modico interposito, ad vos actutum redire, trucemque amatorem istum atque insuavem, dissitis femoribus emasculare.*

disseruntur enim femora, cum in diversas distinentur partes, qui facilius inguinum auferatur pondus: est metaphorica locutio, cujus proprietas requirenda est a Varrone lib. 5. de ling. Lat. at ut femora dissecentur, omnino videtur ineptum: quamquam tamen nec de eo nimis pugnaverim; cum ei rei numquam interfuerim spectator. Non longe [p. 492.]

> *Jamque de cujusdam vastissimae ilicis ramo pendulo destinato, paululum viae supergressus ipse.*

fuerit forsan planius; *jamque me cujusdam:* hoc est, ut me ilicis ramo allegarat. Sic lib. 4. *me ante ipsas foras loro valido destinato.*

CAPUT XI.

Exili impellor suspiciuncula ut verba Appulei lib. 7. Metam. leviter depravata arbitrer [p. hui. Ed. 494.]

> *Pastores enim mei perditam sibi requirentes vacculam, variasque regiones peragrantes, occurrunt nobis fortuito statimque, me cognito capistro, prehensum attrahere gestiunt.*

Quid enim? ut capistrum magis indicium fuerit asini quam ipse? non fit verisimile, et posset quidem translata distinctione hic emergere sensus, postquam me cognovissent, capistro prehensum attrahere gestiunt, ut, *me cognito* sit ablativus absolutus, sed tamen inclino magis legere. *Statimque me cognitum, capistro prehenso attrahere*, etc. Deinde quod sequitur:

> *Et illico detractus ad terram, pugnisque pulsatus et calcibus contusus, infit deierans. nullum semet vidisse ductorem, sed plane concinnatum, solutum et solitarium, ob indicinae pretium occupasse, domino tamen suo restituturum.*

prope dixerim scire me excidisse voculam scribendumque: *Et ille illico detractus.* Nihil profecto usitatius, quam ut similitudine literarum sic altera alteri noceat. Mox quod conspicitur: *Sed plane concinnatum* minus etiam videtur opportunum: in codice manu exarato est; *concinatum:* nihil facilius quam reponere nativam lectionem *plane concitatum.* Cursu, inquit, vehementer insistebat asinus cum eum apprehendi. Denique *tamen* hic secretae est notionis, idemque signat. quod *tandem*, de quo plura prioribus libellis. At quod deinde habetur:

> *Atque utinam ipse asinus, quem numquam profecto vidissem, vocem quiret humanam dare meaeque testimonium innocentiae perscribere posset* etc.

audacter dico; aut *quiret* hic abundat, aut *posset.* quare qui mihi auscultabit alterum ablegabit in pessimam rem: nisi si quis scrupulosior putarit prius *quiret* transformandum in novam faciem, hoc pacto, *mi e re humana.* Sic locutus praeter alios Terentius: — *nam mi e re quemdam offendi ibi militem ejus noctem orantem.* Iterum sectorem ago in iis quae sequuntur:

> *Meum vero Bellerophontem, abactorem indubitatum cruentumque percussorem criminales ad casas interim suas vinctum perducunt. quoad re nascenti die sequenti deductus ad magistratum poena redderetur.*

supervacua plane videtur vox *sequenti*, et merum glossema, superpictum voci priori, quod faxo magis appareat, si literas binas ei addidero quae dissiluerant: *quoad renascenti die deductus.* Quid enim aliud *dies renascens*, quam ille, qui proxime sequitur.

CAPUT XIV.

Non proletariae est significationis illud *caeterum* Appulei lib. Milesiar. fabular. 7. in ipsa calce [p. hui. Ed. 502.]

> *Donec solo quod restabat praesidio nisus, liquida fimo strictim egesta, faciem atque oculos ejus confaedassem; qua caecitate atque foetore tandem fugata est a me pernicies; caeterum titione delirantis Altheae Meleager asinus interisset.*

idem enim notare debet quod *caeteroquin*, id est, alioquin, si modo tolerabilem aliquam amamus extricare sententiam. Exemplum simile non

est jam ad manum, nisi si eo trahamus illud Proculi lib. 2. Epistolarum: *Vinum cum vasis legavit. negat Trebatius quod in doliis sit deberi: et sensum testatoris alium putat esse, verborum alium. Caeterum dolia in vasis vinariis non essent.* Verum de eo loco nihil contenderim, cum sciam, quam sit litigiosus: sufficit, saltem non promiscuum adverbii hujus adnotasse usum.

LIB. XII.

CAPUT II.

Debebam quidem imitari ursam: utque illa foetum informem atque ineffigiatum lambendo sensim figurat; sic et ego libellos hos; qui cum prae festina immaturitate tantum abest, ut vivant, ut ne palpitent quidem, sed adhuc nil nisi rudis sint sanies: sic et hos inquam debebam assiduo in cubatu calefacere et fovere, donec tandem in formam aliquam reducerentur. Verum enim vero qui id agam? aliorum est cogitationum ista mens. trudantur potius foras et suscipiat, qui non novit. Ego ad quaedam Appuleii lib. 8. Metam. persananda, si quid sit operis, Dii dabunt, festino; ait [p. hui. Ed. 509]:

> *Nonnumquam etiam coena poculoque communi carior cariorque factus in profundam roinam cupidinis sese paulatim nescius praecipitaverat.*

Verba haec varias peperere conjecturas. Invidia mihi aberit, opinor, si et ego cum aliis collineem ad scopum, quidque mihi quoque videatur, aperiam. nempe levi apicum divisione rescribi posse: *in profundam roinam*, prisce pro *ruinam*; idque fuit loco contaminando. nec quicquam vetat, quin sic Latine dicatur, cum reperiamus apud Tacitum in vita Agricolae: *Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum, in ipsam gloriam praeceps agebatur.* item planius apud Mamertinum Panegyrico dicto Imperatori Juliano: *in miserandam ruinam coinciderat Eleusina.* Videamus sequentia [p. 516.]

> *Tunc etiam inermes atque immuniti tegumentis frondis et arboribus latenter abscondimus.*

Nemo non videt substituendum, *tegumentis frondeis et arb. lat. abscondimur.* adhuc statim:

> *Quin equos inscendimus? quin ocyus indipiscimur? et cape venabulum et ego sumo lanceam.*

interpunxerim: *et*, *Cape venabulum*, *et Ego sumo lanceam* etc. Hoc etiam quod ipso statim libri quasi limine de Thrasyllo dicitur:

> *Sed luxuriae popinalis, scortisque et diurnis potationibus exercitatus, atque ob id factionibus latronum male sociatus, nec non etiam manus infectus humano cruore.*

aliquanto magis placeret, transposita una atque altera litera et mutato *e* in *c*, legere: *latronum clam sociatus.* Scilicet hisce sumptibus superesse non poterat, quin clam quoque latrocinaretur, nam verisimile non est eum vulgo talem palam habitum, sed famam id tantum mussare solitam.

CAPUT IV.

Quotiescunque haec meae chartae illino, toties fere subit animum, neminem umquam futurum tam jejuni oris, qui genuinum in me destringat; cum et aetas et tirocinium in multis patrocinari possint erratis. et quidni insuper causae meae serviat philosophicum hoc: quod quemadmodum ad poenam sufficit meditari punienda, sic etiam satis sit ad laudem conari praedicanda. Verum de eo viderit Sors et Eventus. Nam haec qualiacunque sint, nemo, me suasore, nedum impulsore, alienis inseret scriptis: quandoquidem vix sit felicissimi ingenii, nulla manuscriptorum allucente facultate, veram et genuinam indagare scriptorum mentem; utique in tantis et talibus antiquitatum tenebris. Interea hic persequamur Appuleium Lib. 8. Metam. exstat [p. 528]:

> *Thrasyllus praeceps et temerarius, priusquam dolorem lacrymae sedarent, et pertitae mentis resideret furor et in sese nimietatis senio facesseret luctus* etc.

probatur satis, *in sese senio nimietatis facessere.* at quid tamen vetat divinare: *et inde se senii nimietate facesseret*; ut *senii nimietas* sit, idem quod nimium senium, quomodo pari forma dixit lib. 3. *Hi gaudii nimietate gratulari*, hoc est, prae nimio gaudio. Sed hoc leviter defenditur, paucis interjectis [p. 530.]

> *Tunc inter moras, umbra illa misere trucidati Lepolemi sane cruenta, et pallore deformem attollens faciem, quietem pudicam interpellat uxoris.*

nec quis negare ausit germanius videri quod scribam: *Lepolemi sanie cruentam et pallore deformem* etc. Nam vult faciem notabilem partim fame, partim recenti caede, partim pallore. Quae proxime sequuntur, plane intricata nobis apparent:

> *Mi conjux, quod tibi prorsus ab alio dici non licebit, et si pectori tuo jam permanet nostri memoria, vel acerbae mortis meae casus foedus caritatis intercidit vel quovis alio felicius maritare* etc.

ego nihil expedio. Videtur tantum post *licebit* excidisse vocula aliqua, puta, *audi*, vel *accipe*, vel simile quid. vix tamen ambigam quin con-

sequenter reponendum: *memoria, nec acerbae mortis meae casu, foedus* etc. quod si admittimus, non erit necesse confugere ad minus aptas *intercidendi* interpretiones, aut etiam id aliud antiquius transformare. Non ita longe [p. 536.]

Nec isto sermone Thrasyllus sobriefactus, vel saltem tempestiva pollicitatione recreatus, identidem pergit linguae saucianti susurros improbos invergere.

invergere susurros, probe dictum: forte ita etiam reponendum Propertii lib. I. Elegia 16.

ô Utinam trajecta cava mea vocula rima
Percussas Dominae vertat in auriculas.

Unius literae mutatu fieret *vergat:* ut scriptum fuerat primum *vertat*, more prisco, quod detortum postea a librariis in *vertat*. De quo arbitrentur docti. Statim:

Tunc anus de jussu dominae blandiens ei furtim depromtis calicibus et Oenophoro, quod immixtum vino soporiferum gerebat venenum, crebris potionibus avide et secure haurientem, facile sepelivit ad somnum.

Saperet meo magis palato: *ubertim depromptis calicibus ex Oenophoro quod* etc. nec enim opus erat secreto aut furtim implere calices; quandoque dein nulla illi de soporifero veneno suspicio.

CAPUT VI.

Post gravem, me Hercule, et acerbam orationem, qua insectata est mariti interfectorem Charite, subiicit Appulejus, lib. 8. [p. 543.]

Acu crinali capite deprompta, Thrasylli convulnerat tota lumina: eumque prorsus exoculatum relinquens, dum dolore nescio crapula, dum somno discutit.

Scopae prorsus dissolutae. Habent olim vulgati: *crapulam cum somno*, quod non floccifecerim, sed cum reliquis ad istum concinnaverim modum: *dum dolore nescius, crapulam cum somno discutis. nescius dolore*, pro *doloris*: nec enim video quomodo hic *nescius dolor* consistat, nisi si dolere possimus nec id tamen persentire. quod si proprie loqui amamus, vix est, ut contingat. Properemus ad exultationem bacchantis feminae:

Vindicavi mei mariti cruentum peremptorem punita sum funestum mearum nuptiarum praedonem.

absunt quidem verba quinque postrema manu descriptis membranis; sed de iis tamen nihil temere statuerim: nam rei oppido serviunt, redolentque praeterea merum antiquitatis thymum. Phrasis *punita sum*, non quotidiani odoris pro *punii*; de qua venuste admodum Quintilianus lib. 9. c. 1. Orat. instit. — Sequitur statim:

Valvis super sese diligenter obseratis, inedia statuit elidere sua sententia damnatum spiritum.

Mira haec forsan iis, quibus ignota sepulcrorum apud veteres ratio, atque eam, ut spero graphice nobis brevi depictam dabit meus ille Lipsius. Ego nunc tantum producam Arbitri aliquot verba, quae huc spectant: *Jacuerunt ergo una non tantum illa nocte, qua nuptias fecerunt, sed postero etiam ac tertio die, praeclusis videlicet conditorii foribus.* Quod hic *conditorium* vocat Petronius, id aliquoties *conditivum* est Senecae Epis. 61. *Vivit, qui sentitur, qui vero latitent et torpent, sic in domo sunt, quomodo in conditivo.* item Epist. 83. *Delicati timent mortem cui vitam suam fecere similem. multum interest inter otium et conditivum.* Statim Appulejus:

Hic ille longo trahens spiritu et nonnunquam illacrimans, graviter affectis rusticis annuntiabat.

Calamo exaratus Codex: *Hoc ille longos trahens spiritus.* et sane bene nisi si forsan prima vox formanda ad vulgatam. *trahere* enim *spiritus* idem prorsus quod suspirare, cujus sententiae auctorem dabo poëtarum verissimum Propertium Eleg. 22. Lib. II.

Adspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat
Spiritus.

nec longe dissimiliter lib. I. Eleg. 16.

Non tamen illa suos poterit compescere ocellos.
Surget et invitis spiritus in lacrimis.

Deinde:

Lupos enim numerosos et vastis corporibus sarcinosos, ac nimia ferocitate saevientes.

equidem videtur hic tolerari posse: *sarcinosos:* ut veluti a *farcio*, *farcino* et *farcinatum* formatur; unde Terent. Andr. art. 4. sc. 5. *suffarcinata illa anus:* sic et a *sarcio*, *sarcino*, *sarcinatus* et *sarcinosus* commode deriventur. Si sic, *lupi sarcinosi* hic erunt crassi et pingues. tanta scilicet corporis obesitate, ut videantur sub onere aliquo incedere.

CAPUT VIII.

Improbum facinus narratur Appuleio lib. 8. Metam. De Lupis [p. 549]:

Jamque ipsas vias obsidere, et in modum latronum praetereuntes aggredi: imo vero vesana fame finitimas expugnare villas: exitiumque inertissimorum pecudum ipsis jam humanis capitibus imminere.

Novi quibus postrema ista, nec sana, nec constituta: ab iis ego dissentio. Hic enim sensus iis subest; eo rem devenisse, ut jam ipsis hominibus metuendum veniat ovium timidissimorumque animalium fatum. Non ita dissite:

Sed nequicquam frustra timorem illum satis ina-

inanem perfuncti, longe pejores inhaesimus laqueos.

Nescio an suspicari debeam, vocem *frustra* supervacaneam et a mala librariorum manu tamquam prioris interpretamentum. Ut ut sit, suspicor eam sine sententia noxia de alta aliqua suspendi posse cruce.

CAPUT X.

Nescio iterum qua animi propensione suspectum habeam sequentia Appuleii lib. 8. Metam. [p. 566.]

> *Servulum nudum, ac totum melle illitum firmiter alligavit arbori ficulinae; cujus in ipso carioso stipite, inhabitantium formicarum nidificia burriebant et ultro citroque commeabant multijuga scaturigine, quae simul dulcem ac mellitum corporis nitorem persentiscunt.*

et licet in istis sensus talis, ut eum nemo sanus cum irrisu explodere aut ausit aut debeat; tamen nec Appulejo indignum erit, quod cogitabam: *mellitum corporis nidorem. nidor* persentiscitur ut puto, non etiam *nitor*, qui in oculos incurrit citius quam nares. Ita stercoris odorem appellat lib. 4. *alios putore nidoris foetidi a meis jam quassis scapulis abegissem.*

Aliquot interjectis:

> *Sed illa fortuna mea saevissima, qua per tot regiones jam aufugiens effugere vel praecedentibus malis placare non potui rursus in me caecos detorsit oculos.*

Scio equidem exoculatam fingi fortunam ac pingi; verum hic ei attributos velim oculos ut legeretur: *in me scaevos detorsit oc.* quamvis praeterea non me lateat, quae habentur lib. 4. *Enim vero Alcimus solertibus coeptis tamen scaevum fortunae nutum non potuit abducere.* item lib. 7. *Sed in rebus saevis adfulsit fortunae nutus hilarior.* item lib. 11. *Sed utrumque fortunae caecitas, dum se pessimis periculis discruciat, ad religiosam istam habitudinem improvida produxit malitia.* quibus locis data quasi opera refugisse videtur loqui de eius impotentis Deae oculis, scilicet ea figura, qua rebus etiam inanimatis visus attribuitur, eadem et huic, quamvis coecae, attribui posse nemo negabit. Verum inquiet aliquis, cui bono tanto molimine dicere nugas? Equidem nulli; itaque retineo vulgatum et sileo.

CAPUT XII.

Flagitioso sensu usurpatur a praecone Appuleji lib. 8. [p. 573.]

> *Nam si faciem tuam mediis eius feminibus immiseris, facile periclitaberis videns, quam grandem tibi demonstret patientiam.*

ad quam fere faciem accepit etiam cavillator ille Trinum. Sc. *minus quindecim:*

> *Tum autem Syrorum genus quod patientissimum et Hominum, nemo extat, qui ibi sex menses vixerit, ita certi solstitiali morbo decidunt.*
> PH. *Credo ego istud Stasime ita esse: sed campas genus Multo Syrorum jam anteit patientia.*

Nec aliter Seneca lib. 1. cap. 16. Natural. quaest. *Est aliqua etiam prostitutis modestia et illa corpora publico objecta ludibrio, aliquid quo infelix patientia lateat ostendit.* Atque inde est, quod idem in Epistolis deteriorem hominem sexum, peti natum graviter exprobret. Iam quod continuo sequitur:

> *At te, inquit cadaver surdum et mutum delirumque praeconem omnipotens et omniparens Dea Syria et Sanctus Sabadius et Bellona et mater Idaea, cum suo Adone Venus Domina caecum reddant.*

Non ita accipiendum, mea quidem sententia, tamquam si optet, ut praeco iste cadaver fiat surdum et mutum; non; collocetur post vocem *cadaver*, distinctio hoc modo, *at te, inquit, cadaver, surdum* etc. nam *cadaver* improprium in deformem aut senem. De sene Appulejus lib. 4. *Etiam ne tu busti cadaver extremum et vitae dedecus primum.* item Portius Latro apud Senecam lib. 1. controvers. 8. *Abdicato non permittam exire, injiciam manus, tenebo; novissime ante limen exeuntis cadaver hoc sternam, ut ad hostem pervenias patrem calca.* Unde eleganter senis corpus, jam morti proximum, vocat *pollinctum*, tamquam jam funus et unctori tradendum. Valer. Maximus lib. 7. cap. 7. *Spernis*, inquit, *quos genuisti; nobis effoeta: testamenti ordinem violento animo confundis; neque erubescis ei totum patrimonium addicere, cujus pollincto jam corpori marcidam senectutem tuam substravisti.* Sic circumspecte restituit auctoritate vett. exempl. exactae diligentiae, et absolutae eruditionis Stephanus Pigius. Nec aliunde senes iidem dicti *capulares*, quam quod mox capulo, hoc est, Sarcophago includendi. Plautus Mil. Glor. *Cohibete: Quid es tu? Itane tibi ego videor oppido, Acheruntiicus capularis?* Sed de ea voce latius cum Nonio Fulgentius. *Acheruntico* interpretando, unice faciunt ista Val. Maximi lib. 6. cap. 2. *Helvius Mancia Formianus libertini filius ultimae senectutis L. Libonem apud censores accusabat, in quo certamine cum Pompejus Magnus humilitatem ei aetatemque exprobrans, ab inferis illum ad accusandum remissum dixisset. At cadaver, pro deformi hic, puto, locum habet. vero enim simile hunc praeconem non ita fuisse decrepitum, quod omnia alio quin vitia, quae sacerdos ipsi imprecatur, senium plerumque ultro asseclari solent;* sed et Terent. Hecyra sc. 4. act. 3. — *at faciem ut noveris: mag-*

magnus, rubicundus, crispus, crassus. Pa. *cadaverosa facies. Dii illum perduint.* sic *cadaverosam faciem* turpem esse et foedam jure merito assentior acutissimo Turnebo, qui de hac ipsa consignate lib. 11. cap. 12. Adversar. Qua re repetatur Appulejus, apud quem quod legitur *Sanctus Sabadius*, non opus id mutare in *Sabazius*, nam quocunque eum ciemus modo hilum non interest. — eumdem quippe Sabadium nominat Macrob. lib. 1. cap. 18. Saturn. *item in Thracia eumdem haberi Solem, atque Liberum accepimus; quem Sebadium nuncupantes, magnifica religione celebrat* etc. quin et Arnobius lib. 5. advers. gent. *Ipsa novissime sacra, et ritus initiationis ipsius, quibus Sebadius nomen est; testimonio esse possunt veritati.* itaque nihil temere vel isthic mutaverim, quamvis Graeci alioquin *sabazium* praeferant; nam ζ in δ familiaris omnino plurium gentium transmutatio. Non ita longe praecedit:

> *Tunc praeco diruptis faucibus et rauca voce saucius, in meas fortunas ridiculos construebat jocos.*

cum hic auctor dicat, *saucium rauca voce* jam certe elevaverim fidem, si qua modo fuit conjecturae meae lib. 1. cap. 5. quae injuste suspecta habebat ista lib. 5. Metam. *fauces diutina fame saucias, et araneantes vehementer exerceo.* etsi enim *fame fatuas*, quod ego volebam, oppido hic conveniebat, quid tamen praescribamus Appulejo loquendi formam? praescribat ille potius, quam sequamur, nobis.

CAPUT XV.

Etsi his observationibus nihil est ejusmodi obsoniorum aut condimentorum, quod palato magis sit irritando, quam saburrando ventri: imitor tamen Apicios et varietate, licet viliorum, gratiam aliquam assector, quam si modo consequor, satis est. Scribitur lib. 8. Metam. [p. 584.]

> *Quae res incutiebat mihi non parvam sollicitudinem, videnti et vulneribus largiter profusum cruorem; ne quo casu Deae peregrinae stomachus ut quorumdam hominum lactem sic illa sanguinem conspiceret asininum.*

Sensum auctoris assequitur Beroaldus, rescribendo, *concupisceret asininum;* nescio an etiam germanum Appuleji verbum. Cum intentius apicum considero ductus, libido fit exsculpere: *concupiret asininum*, quod ejusdem cum verbo Beroaldi notionis. usus eo Ennius apud Ciceronem lib. 1. de divinat. ubi de Romulo et Remo: *Curantes magna cum cura concupientes Regni, dant operam simul auspicio, augurioque.*

Non longe abiero:

> *Probeque disposita coenula, balneas obeunt, ac dein lauti, quemdam fortissimum rusticum, industria laterum atque imis ventris bene praeparatum, comitem coenae secum abducunt.*

Dii Deaeque foedissima illa propudia! Scilicet draucos istos in balneis legebant, quod multis firmavit testimoniis meus ille Douza ad Petronium, quibus accedant et ista Juvenalis Satyra 6.

> *Conspicuus longe cunctisque notabilis intrat*
> *Balnea, nec dubia custodem vitis et horti*
> *Provocat, a Domina factus Spado.*

Martialis lib. 1. Epigram. 64.

> *Rogabat unde suspicor virum mollem.*
> *Una lavamur; aspicit nihil sursum*
> *Sed spectat oculis devorantibus draucos,*
> *Nec otiosis mentulas videt labris.*

iterum ejusdem libri Epigr.

> *Invitas nullum nisi cum quo Cotta lavaris*
> *Et dant convivam balnea sola tibi,*
> *Mirabar quare numquam me Cotta vocasses,*
> *Jam scio me nudum displicuisse tibi.*

praeterea lib. 6. Epigram. 80.

> *Iratus tamquam populo Charideme lavaris*
> *Inguine sic toto subluis in solio.*
> *Nec caput hic vellem, sic te Charideme lavare,*
> *Et caput ecce lavas; inguina malo laves.*

duo quippe facete ejus tangit vitia, quae non nomino.

CAPUT XVI.

Maledicos invidosque hujus non facio. Novi enim ipsos crocodilis similes, fugaces scilicet audaci, timido audacissimi. Itaque resto fortiter, sciens praeterea, in praedam eosdem saepius cedere Delphinis, placidis illis et morsu innoxiis animantibus. Habetur Appul. lib. 8. Metam. [p. 587.]

> *Nec diu tale facinus meis oculis tolerantibus porro quirites proclamare gestivi; sed viduatum caeteris syllabis ac literis praecessit o tantum sane clarum ac validum.*

reperi ista citata in Brissonii formulis ad hanc faciem: *o tantum sive clarum;* quoniam novi eum secutum Codicis alicujus auctoritatem, suspicabar, sic rescribendum: *praecessit o tantum fine clarum* etc. ut dicat, sese *o* finale vocis *porro* vehementi proclamasse sonitu. — Non longe:

> *Deaque vehiculo meo sublata et humi reposita, cunctis strumentis me renudatum* etc. *pene ad extremam confecerat necem.*

strumentum hic capi pro eo, quod injectum asino certum est. itaque libet suspicari *strumentum* et *stramentum* usurpatum priscis pro eodem: quasi tamen hoc a *sternendo*, illud vero a *struendo* factum videatur. Agam exemplis Tertull. lib. de resurrect. Carnis. *Ne somno quidem libera; quippe ipsis etiam cubilibus vincta ipsisque stru-*

men-

mentis lancinata. Sane ipsa strata aut certe eorum farcturam instrumentorum insignit nomine Plinius lib. 10. cap. 22. ubi de plumis anserum: *Eoque delitiae processere, ut sine hoc instrumento durare jam ne veterum quidem cervices possint.* quomodo et ante ipsum Seneca cap. 25. lib. de vita beata: *Pone in instrumentis splendentibus et delicato apparatu, nihilo me feliciorem credam, quod mihi molle erit amiculum; quod purpura convivis meis substernetur.* nam sic *instrumenta splendentia* nihil aliud quam stragulae pretiosiores, quae culcitis superinjectae vel etiam pulvinis. Sed et *strumentum* invenio pro quovis apparatu. Seneca Epist. 61. *Quamdiu unius mensae frumentum multa navigia, et quidem non ex uno mari subvehunt.* ita in vulgatis; nulla sententiae elegantia, aut veritate. nam quid *frumenta*, longius advecta, ad luxum? Italica certe exteris quibusque aequiparata aut etiam meliora, Plinio non temere credimus, affirmanti lib. 18. c. 7. Italicum frumentum a Sophocle in Triptolemo fabula, ante cuncta laudatum, eamdemque laudem etiam tunc peculiarem Italiae. At videtur sententiae nostrae turbandae, quod alibi scribit idem Seneca Epist. 115: *Unum putas videri ventrem, cui et in Sicilia et in Africa seritur?* At non est: ibi quippe haud agit de conviviorum luxuria, sed de immodica hominum cupidine, quae tam late et longe sereret, tamquam eis non unus sed innumeri pascendi ventres, nec ad breve tempus, sed perpetuo. Et cur tanto commeatu illis splendidioribus opus, satis liquet ex eadem Epist. 17. *Si navigandum est, non perstrepunt portus, nec unius comitatu inquieta sunt littora, non circumstat illa turba servorum ad quos pascendos transmarinarum regionum est optanda felicitas.* Denique quid faciat iterum frumenti mentionem cum proxime praecedat: *Quamdiu sationibus implebimus magnarum urbium campos? quamdiu nobis populus metet?* His ita constitutis, facile inducor, ut loco *mensae frumentum* restituatur membranarum lectio *mensae strumentum*; ut eo comprehendantur longinqui littoris pisces peregrinaeque regionis aves. De quibus hic ipse ad Elbiam matrem: *Non est necesse omne perscrutari profundum, nec strage animalium ventrem onerare, nec conchylia ultimi maris ex ignoto littore eruere. Dii Deaeque perdant, quorum luxuria tam invidiosi imperii fines transscendit. ultra Phasin capere volunt, quod ambitiose popinam instruat, nec piget a Parthis, a quibus nondum poenas repetimus, aves petere. Undique convehunt omnia vota fastidienti gulae, quod dissolutus deliciis Stomachus vix admittat, ab ultimo portatur Oceano.* Similia hic habet Epist. 90. etiam cap. 3. de Providentia; cap. 11. de vita beata etc. Verum ad *strumentum* quod attinet: cum sumitur pro eo, quod corpori nostro substruitur vel instruitur, vulgatius venit *stramenti* appellatione. Seneca Epist. 68. *Ita est, mi Lucili! jam aetas mea contenta est suo frigore. Vix media regelatur aestate. itaque major pars in stramentis degitur.* nec enim verisimile *stramentum* hic esse Senecae, quod Plauto Trucul. Sc. *quis, illic est:* — et tamen eo loci repraesentat *noctem instrumentis* Camerarii editio, ut dubium vix sit, quin et ibi divisim legendum sit: *in strumentis;* ita tamen ut sumantur *strumenta* haec pro *stramentis*, super quibus dormire se malle affirmet strabax, quam in meretricis convenire lectum: quomodo forte etiam accipitur Horatio lib. 2. Sat. 3.

Age, si et stramentis incubet, unde
Octoginta annos natus, cui stragula vestis
Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca.

Si quis quaerat, quomodo *stramenta* vocari possint stragulae quaeque vestes; respondebo eodem plane modo, quo etiamnum *torus* dicitur qualiscunque incubitus materies, cum tamen antiquis *torus* non nisi e stramentis vel tortis herbis, ut dixit Varro lib. 1. de vita Populi Romani, Plin. lib. 8. cap. 48. aliusque. Scilicet, ut innumeris prisci aevi, ita et hic, re sublata, mutatave, nomen tamen prius mansit.

LIB. XIII.

CAPUT II.

Sunt in Appuleio plura, quorum sanitas corrupta mihi videtur. Verum quandoquidem eam tuto satis curaturum me polliceri non audeam, utinam aliquis accedat melioris fortunae Machaon, nam ego nunc solum visendi causa adsum. Et quidem de se ait, lib. 9. Metam. [p. 596.]

> *Solitariae fortunae munus amplexus, super constratum lectum abjectus, post multum equidem temporis somnum quievi humanum.*

lepide dictum. Scias sani et sobrii asini sententiam; at arrogantius paulo Neronis hoc, quod Suetonius refert in vita ejus cap. 31. *Auream domum cum dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret quasi hominem tandem habitare coepisse.* Paulo post:

> *Quanto me felicior Daphne vicina, quae mero et prandio matutino saucia, cum suis adulteris voluptatur.*

ita restituit ex auctoritate scripti libri Colvius: antea visebatur, *volutatur;* verbum non vilis alioquin pretii. Et saepius mecum et cum animo meo cogi-

gitavi, num idem hic retineri posset: praecipue enim sunt huic stabiliendo illa Ciceronis lib. 3. de Legibus: *Cupido autem et expetenti et libidinoso et volutabundo in voluptatibus.* item Fulvii Sparsi apud Senecam lib. 1. controvers. 4. *portant in spolia viri fortis volutantes adulteros.* praeterea Senecae filii Epist. 115. *Nec illi tam gratum est abundare jucundis quam acerbis, quod non omnem illum apparatum per gulam ventremque transmittit; non cum omni exoletorum foeminarumque turba convolutatur.* denique Petronii: *Subduxit mihi nocte puerum, et in lectum transtulit suum, volutatusque liberius cum fratre non suo, sive non sentiente injuriam sive dissimulante.* et mox: *contemplatusque foedissimam volutationem jacentium* etc. Sed tamen, quam magis attendo rei, de qua agitur, tanto inclinatior sum reddendo, et hic Appuleio, et forsan quoque Fulvio ac Senecae *voluptantis* verbum. Petronii certe priori loco id omnino dandum, arguunt haec: *sive non sentiente*; sensisset quippe sine controversia volutationem; quin etiam similem vocem libenter affinxerim Propertio lib. 2. Eleg. 29.

Apparent non ulla toro vestigia presso.
Signa, voluptatis *non jacuisse duos.*

scripserim, inquam, *signa voluptantis.*

CAPUT IV.

Si fortissimorum quoque corporum eduratio a lacte et a cunis duxit initium; quidni et sua concedatur studiis infantia, in qua sit jus ac fas incerta loqui voce et nutabundo incedere per auctorum hortos gressu? Abite igitur Lividi, abite. nam ego me oppido puerum in literis fateor, imo profiteor: quique ideo magis opus habeam manuductore quam eversore, doctore quam carptore. Sane doceri velim num ista Appulei lib. 9. Metam. integri sint vigoris [p. 608]:

> *Si praeliam capessiturus, vel latronum factionem persecuturus, utiles necne processus sciscitaretur; additam victoriam forti praesagio contendebant.*

Sermo est de Isidis nequam sacerdotibus: itaque fere est, ut suspicer, emendandum: *victoriam sortis praesagio contend.* nisi si scriptum fuit *Fortis praesagio*, quod verius puto. nam *Fors Fortis* ejusdem fere cum *sorte* significatus, unde et ejusdem cognominis fortuna, quo incertos casus Quirites significarunt, ut explicat Cicero lib. 2. de legib. Aliquot interjectis;

> *Nec isto saltem tam nefario scribere impuratissima illa capita confutari, terrerive potuere, sed mendoso risu cavillantes* etc.

aliud quid reponendum videri in locum *mendoso risu*, docti censent. etiam ego. nisi fortassis *mendosus risus* hic idem denotet, quod simulatus et mendax. nam plane reperi in Glossis antiquis: Ψεύστης, *mendax*, *medosus*, forte an *mendosus.* Sed nihil hic certum dicere ausim, quod non meminerim apud alium scriptorem exemplum simile. quaeramus tamen. Post multa:

> *Dii boni, quales illi homunculi; vibicibus livedinis totam cutem depicti.*

Nihil suspicor verius, quam reponendam vocem veterem; *vibicibus livedineis.* vult enim eis totum corium maculosum a plagis. *Livedineus* nihil aliud quam lividus, de qua voce aliqua multa lib. 1. cap. 12. Deinde

> *Cum qua protinus jentaculo et dehinc vino mero mutuis vicibus velitatas coenas fraudulentas in exitium miserrimi mariti subdolis ambagibus construebat.*

quid alii hic videant, ignoro. ego, una litera minus conabar aptam reducere sententiam *Vicibus velitata coenas fraudulentas.* nam vult uxorem pistoris cum anu illa etiam post jentaculum largiter se invitasse poculis, ac demum coenas comparasse plane saliares in juvenculi amatoris gratiam. *velitare mutuis vicibus mero* idem signat quod illud lib. 2. *Sequens et tertium inter nos vicissim et frequens alternat poculum.* quod idem non absimili metaphora profert hoc eodem libro: *Jam his in poculis mutuis altercantibus, mirabile prorsus evenit ostentum*; si quidem ut hic petita est figura a pugnantibus, sic illic a velitantibus. Nonius: *Velitatio dicitur levis contentio, dicta ex congressione velitum, Turpilius Lividia, verbis velitari: ad rem redi.*

CAPUT VII.

Nescio an commoda satis subsit sententia his Appulei lib. 9. [p. 627.]

> *Ei amorem suum aperit et supplex eum medelam cruciatui deprecatur, nam sibi statutam decretamque mortem proximare, ni maturius cupito potiatur.*

Ut verba sonant, hoc vult, non procul abesse quod mortis accersito genere se perimat: at interim suspicabar, scribi posse: *sibi statutum, decretumque mortem proximare.* ut *proximare mortem* dictum sit, eam accelerare seu potius ad eam accedere, et ut id verbi accusandi jungatur casui; nihil novum nostro. Sic enunciat lib. 6. *Jamque fores ejus dominae proximanti occurrit una de famulatione Veneris.* item lib. 11. *inter haec et festorum votorum tumultum, paulatim progressus, jam ripam maris proximamus.* atque haec dicta sint, ut nihil tamen injuriae adferant vulgatae scripturae. Nam et *proximare* dandi casui saepius iunctum inveniri non nego. Apud eundem lib. 3. *et verentes scilicet cibariis*

suis ut me praesepio videre proximantem etc. nec non lib. 6. *Nec ullam vel dubiam spei melioris viam volens omittere, sed adire cujusque Dei veniam, sacratis foribus proximat.* Habemus consequenter:

> *Commodum novis amplexibus Amori rudi litabant, commodum prima stipendia veneri militabant novi et nudi milites, et contra omnium opinionem improvidus maritus assistit.*

Si mei sit arbitrii legerem: *milites; en, contra.* Non longe:

> *Hac opportuna fallacia vigorati juvenis inductus, imo sublatus, et ad crudelitatem delapsus Barbarus, postliminio domum regressus* etc.

Correxeram olim de conjectura: *imo os oblitus, et a crudelitate delapsus* etc. Verum ut animadverti multae diligentiae et lectionis Stewechium haec omnia sic legere: *imo os sublitus et ad credulitatem delapsus:* vix est, ut id non impense placeat prae meo, utique cum in Lipsii MS. diserte extet *credulitatem.* Statim:

> *At ego misella, molae etiam sonum, et coecae illius scabiosi asini faciem timentem familiarem incidi adhaec anus.*

ita me Charis, ita me Venus non despuat, ut hic non magis video quam Luscus ille, cui exsculpserat oculum Ulysses. Videbar tamen exuere tolerabilem sensum, et huic aptum locum, refingendo; *faciem timeo ceu familiarium insidias. ad haec anus.* hoc est, asinum illum adaeque metuo, atque si sub ejus corio, nescio quis tegeretur familiarium, a quo observarer. Deinde:

> *At pudica uxor, statim coenas saliares comparat. Vina pretiosa defaecat, pulmenta recentia tucetis temperat, mensa largiter instructa. Denique ut Dei cujusdam, sic adventus expectatur adulteri.*

turbidum hic quiddam, quod eliquabit distinctio mea, *mensa largiter instructa denique, ut Dei.* ut *mensa instructa* auferendi sint casus.

CAPUT IX.

Plurium admisit conjecturas locus Appulei, lib. 9. [p. 637.]

> *Sed ut primum occursoriam potionem et inchoatum gustum extremis labiis contingebat adolescens* etc.

ita conceperunt manuscripti: quare, cum aliis non fuit, nec mihi etiam fraudi erit, spero, recentem, si non probandam, certe examinandam oggerere suspicionem; quae haec: non inepte hic scribi posse *accensoriam potionem.* ut eam videlicet intelligat, quae esset Veneri incendendae: quam rem sic extulit, lib. 10. *Nam et vino pulcerrimo atque copioso memet madefeceram et unguento fragrantissimo proluvium lubidinis suscitaram.* idem sibi volunt illa lib. 2. *et grabatulum meum assistit mensula, coenae totius honestas reliquias tolerans, et calices bini, jam infuso latice semipleni, solam temperiem, sustinentes; et lagena juxta orificio sensim dehiscente patescens, facilis hauritu prorsus gladiatoriae Veneris antecoenia.* Sed ne meam dissimulem sententiam, si Grammaticis *occursoriae potionis* nomine ea venire potest, quae pruriginem et hinc et illic suscitet, membranarum sane lectio retineri potest. Nam non absimile illi videatur istud Sutrii Comoediarum scriptoris introducentis scortum, ita loquens: *Myrrhinum mihi adfer, quo virilibus armis occursem fortiuscula.* Verum hoc leviter mihi arridet: discutiant tamen docti. ego dixi quod scivi. Mox etiam quod habetur:

> *Tunc uxor egregia, diras devotiones in eum deprecata, et crurum ejus fragium abominata exangui formidine trepidantem adulterum* etc.

Non ignoro saepius maledicta bonis omnino in speciem iaci verbis. Sed vereor tamen, ut hic ambiguitas vocis *deprecata*, ansam dederit sententiae corrumpendae. Itaque, si licet aliquantulum insanire, rescripserim unius literulae minima reformatione: *in eum deprecata et crurum ejus fragium adominata.* nam *deprecata* ceperim pro valde precata, ut praepositio *ad* augeat cumuletque, quod etiam non nevult Gellius lib. 6. cap. 16. Noct. Att. caeterique passim. De *crurifragio*, nemo quod sciam aliquid certius dixit, et putent forsan alii pertinere fractionem hanc crurum ad suspendiosos; sed eis an assentiri debeam, dubito. Suspicor potius peculiare genus fuisse supplicii, idque alias, cum Deo, probabo. Nunc tantum dispiciant doctiores haec Senecae lib. 3. cap. 32. de Ira: *Magnam rem sine dubio fecerimus, si servulum infelicem in ergastulum miserimus. quid properamus verberare statim, crura protinus frangere?* etc. atqui mortem hinc consequi solitam innuunt ejusdem mox sequentia: *Ad ferrum venimus, ad capitalia supplicia, et vinculis, carcere, fame vindicamus rem castigandam flagris levioribus:* quibus confirmandis fecerunt haec Ammiani lib. 14. *Post multorum clades, Apollinares ambo, pater et filius in exilium acti, cum ad locum Crateras nomine pervenissent, villam scilicet suam; ut mandatum est, fractis cruribus occiduntur.* nec minus ista Polybii lib. 1. *Singulorum manus praecidunt membra dilacerata et ad extremum fractis cruribus adhuc vivos in scrobem quamdam conjiciunt.* ita habet versio Perotti, nam Graecus textus non mihi ad manum; loquiturque auctor de Carthageniensibus septingen-

gentis qui cum Gescone perierunt: hocque tantum ceu inusitatum arguit quod, antequam expirassent, terra conderentur. Meminit et Suetonius Octavii cap. 67. *Thallo a manu quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effregit.* Sed et de hoc viderint doctiores, nam nunc, lector, hic nisi de opinione certum nihil dico. Quid opinione? suspicione dictum volebam: nam summae edepol fuerit temeritatis fidentius paulo de iis eloqui, de quibus literarum senatus nihil dum determinavit.

CAPUT XI.

Juris legumque pertaesus amoeniore lectione ingenii recreo vires, more eorum, qui patrium aërem extraneo mutant, animi oblectandi. Utque haec percurrebam Appulei lib. 9. [p. 638.]

Adulterum alveo ligneo quo frumenta purgari consueverant, temere propter jacenti suppositum abscondit.

recordabar illius Ovidii lib. 1. Amorum Eleg. 14.

Tunc quoque erat neglecta decens, ut Thracia Bacche,
Cum tenere in viridi gramine lassa jacet.

sic quoque in emendatissimis legitur libris, et quamvis meum non esset, summis auctoribus loquendi formam praescribere, at arbitrabor tamen hic melius lectum iri: *cum temere.* quo pacto et ante Horatius lib. 2. Od. 11.

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes sic temere etc.

Quod vero attinet ad angustias latebrarum, non tam arcte forsan concludebatur ille qui a matrona, morbum simulante, jam ante arcessitus erat, de quo Juvenalis Sat. 6.

Advocat Archigenem onerosaque pallia jactat:
Abditus interea latet et secretus adulter
Impatiensque morae pavet et praeputia ducit.

quod edepol fieri solitum satis docet Ovidius 3. de arte amandi:

Cum quoties opus est fallax aegrotat amica,
Et celet lecto quemlibet aegra suo.

illud tamen *et secretus* semper mihi suspectum fuit. hariolabar: *latet arcessitus adulter.* nam cum praecedat, *Abditus*, non video quod hic omnino *secretus* faciat. Sequitur aliquot interjectis in Appuleio:

Nihil triste de me tibi fili metuas. non sum barbarus nec agresti morum squallore praeditus: nec ad exemplum machinae truculentae, sulphuris te lethali fumo necabo.

de mendo fatentur docti. Aliter tamen festinant ad reformationem quam ego velim. Nam si consideres modo intentius sententiae nexum, vix est, ut non assentiaris mihi fingenti: *ad exemplum naccae truculenti.* Ut dicat pistor, non esse quod metuat, quod eum maneat exemplum juvenis illius, quem fullonis superventus acerrimo sulphuris putore excruciarat; et sane hoc non absurde ei dicat, cum potuerit deprehensus iste totam fabulam de uxore fullonis exaudire. *Nacca* idem qui fullo; quo nomine eum quoque insignivit noster antea: *nam et opportune maritus foris apud naccam proximum coenitabat.* Postea in descriptione maleficae:

Lurore buxeo macieque foedato et discerptae comae semicanae, sordentes inspersu cineris pleramque ejus anteventulae contegebant faciem.

vulgatum *discerptae comae*, non facit meo palato. Praeoptem *et dispretae comae semicanae.* hoc est, disjunctae et inordinatae, nam si *discerptae*, non jam in capite esse poterant, quod tamen postulant verba sequentia. Infra etiam quod est:

Ad hoc matutino lutum nimis frigidum geluque praeacuta frusta nudis invadens pedibus enitebar.

Non paulo malim: *lutum nimis rigidum*, nisi si praestet: *lutum hyemis vi rigidum geluque.* Sane lutum, si induretur, amittit nomen suum, et alterius cujusvis potius appellatione venit quam luti. Sed haec talia leviter mihi videntur; nec enim pudentis est, quicquam in suspicionem trahere tam levibus de argumentis.

CAPUT XIII.

An et ea ipsa aliis negotium facessant, quae mihi, haud equidem scio. Hoc scio, diu fuisse quod me tamquam in eculeo torserat Appulei lib. 9. [p. 656.]

Una de cetera cohorte gallina, per mediam cursitans aream clamore genuino velut ovum parere gestiens personabat: eam suus dominus intuens; o bona inquit ancilla et sane foecunda, quae multo jam tempore quotidianis me partubus saginasti.

semper enim suspectum habui dictionem *ancilla*, nec videbam, quomodo recte ita appellaretur gallina, quo circa mira fingebam verborum monstra, quae priori edecuriatae succenturiarentur. Nunc pudet me suspicionis; nam a Plauto haec vox. quippe ovem similiter *ancillae* ornat cognomine. Locus est Mercatoris Sc. *Amice amico*, quem sicuti emendandum putem, proponam:

Ovem etiam tibi ancillam dabo natam annos sexaginta peculiarem.

perperam hactenus legitur in vulgatis: *Quum etiam tibi ancill.* nam de ove eum loqui arguunt, quae subjiciuntur. Pa. *mi senex, tam vetulam?* Ly. *generis Graeci est. Eam si curabis, perbona est; tondetur nimium scite.* quod si quis quaerat causam, cur animalibus istis tale communicetur nomen, ingenue fateor, me ignorare;

rare, nisi quod hominibus qualicunque sint usui; nam de eo certe nihil scio, nisi hoc Festi apud Paulum: *Ancillae dicuntur ab Anco Martio: quod is bello magnum feminarum numerum ceperit; sive ideo sic appellantur, quod antiqui anculare dicebant, pro ministrare; ex quo Dii quoque ac Deae feruntur coli, quibus nomina sunt Anculi et Anculae.* item istud Isidori lib. 9. cap. 4. *Ancillae a sustentaculo vocatae.* ἄγκων *enim Graece cubitus dicitur unde et anconem dicimus.* Porro, quod de sexaginta annis dicit senex; vult ei, puto, ab aetate conciliare dignitatem. Interim numerum hic certum pro incerto poni, fidem abunde fecerit illud quod extat Mostellar. Sce. *Habeo Neptune:*

> *Tu somnis?* Tr. *mirum quin vigilanti diceret*
> *Qui abhinc sexaginta annis occisus foret.*

Nam profecto absit, ut ego ibidem aliquid mutem, vel etiam tot annos tribuerim, sive Theuropidis extremae senectuti, sive adeo Tranionis perturbationi. Suspicor potius voluisse servum augere rei absurditatem tam grandi numero. Atque de hac re sic est sententia, in quam si quis alius animo iverit, nae illo multum laetabor socio, quisquis tandem erit.

CAPUT XIV.

Haeres in uno verbo Appuleii lib. 9. tamquam si laqueus esset. nam, ubi inquit [p. 661.]

> *Canes pastoricios villaticos, feros atque immanes, adsuetos, abjecta per agros exicare cadavera* etc.

Non satis percipio, quid sibi velit *exicare*; hoc praesertim loco: probabili ducar forsan suspiciuncula, si rescripsero; *per agros esitare cadavera.* Post aliqua multa;

> *Fruere exitio totius nostrae familiae, et sanguine trium fratrum insatiabilis tuam crudelitatem pasce, et de prostratis tuis civibus gloriose triumphandum scias. licet privato suis possessionibus paupere fines usque et usque proterminaveris, habiturum se tamen vicinum aliquem.*

Seri potest, ut haec lectio recte se habeat, nec alia sit admittenda; nequeo tamen, quin proponam meum somnium. id amplectetur qui velit; invito non obtrudam. legebam: *de prostratis tuis civibus gloriose triumpha; dum scias (licet privato s. p. p. f. u. et u. proterminaveris) habiturum te* etc. eum sane sensum pleniorem planioremque longe imaginabar, quam qui e vulgata scriptura elicitur. Paulo post:

> *Nec tamen sui molliorem provocaverat, quippe insperato, et longe contra eius opinionem resistens juvenis* etc.

sui mollior elegantis est locutionis, quae et in usu aliis. Periclitatur capitis apud Tacitum lib. 5. histor. ubi agit de Tito, postea Imperatore:

> *Majore tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum et exercituum studiis atque ipse, ut superior sui jam crederetur, decorum se promptumque in armis ostendebat.*

Videtur enim Cornelius idem hic dicere, quod alibi sic effert lib. 3. Annal. *Brutidium festinatio extimulabat, dum aequales deinde superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat.* Non longe:

> *Currit ad extrema subsidia; simulansque ad commovendam miserationem genua ejus velle contingere.*

in MSS. et aliquot editis restat: *simulans quaerere ad* etc. Cui in mente erit cognatio literarum *R* et *S*; adstipulabitur mihi legenti: *simulansque sese ad.* Statim:

> *Nec defuit vicinus perfidus, qui nos illico occultari nuntiaret.*

abscindatur litera, nata ex alterius verbi initio, fiatque: *qui nos illic occultari.*

LIB. XIV.

CAPUT I.

Dicitur esse alicubi in Hispaniis mons ex mero sale; ei quantum palam demas, tantum occulte accrescit. Mirum ni similis etiam ingenii Appulejus; cui licet assidua eruditorum manus ingentes deruat mendarum cumulos, at nihil apparet nitidior: vel illud lib. 10. Metam., quam non est defaecatum [p. 679]:

> *filium procreaverat alium, qui jam adaeque duodecimum aetatis annum supergresserat.*

Nec enim assentior eis, qui ultimam vocem positam putent pro *supergressus erat*; nam etsi veteres activo usi sint in passivi locum, at sane non etiam dixere *supergressi*; sed vel. *supergredivi*, vel *supergradivi*; quare forsan volente magis auctore legerimus: *annum supercreverat.* hoc est, jam annum excesserat XII; nec verbum facile exuatur, quod proprius absit a literarum vestigiis. Supra quoque quod extat:

> *Post dies plusculos ibidem designatum scelestum facinus memini, sed ut vos etiam legatis, ad librum profero.*

nihil fere causae est, cur non reponatur mea suspicio, *ad librum profero.* Non ita longe:

> *Sed juvenis modo istud, modo illud causae faciens execrabilem frustratur ejus aspectum, quoad illa nunciorum varietate,*

pol-

pollicitationem sibi denegatam manifesto perspiciens etc.

vix est, ut non emendandum sit: *execrabilem ejus affectum, quoad illa mendaciorum varietate;* nam praesentem fuisse adolescentem, ex circumstantiis facile est haurire. Sententiam similem sic exprimit Apolog. 2. *Verum enim vero, variis frustrationibus nuptiis eluait* etc. *Affectum* hic vocat amorem, quomodo fortassis quoque accipit Solinus Polyhist. cap. 30. *Monstra haec si bibant, clementius feriunt; habent affectus: non temere, nisi conjuges evagantur, capto altero vel occiso uter superfuerit, efferatur.* id ipsum noster *affectionis* nomine plerumque exprimit lib. 7. *nec te conscientia stimulat, sed affectione calcata inter lanceas et gladios istos scortari libet.* iterum lib. 8. *novaeque atque gliscentis affectionis firmissimum vinculum non posse dissociari perspiceret.* atque ita quoque plus millies in Epistolis Symmachus. Sequitur:

> *ac mox eodem ocius ab itinere regresso, personata nimia temeritate insimulat, privigni veneno filium suum interemptum.*

conabar: *personata nimis temeritate.* Vulgatum minus hic convenire videtur. Mox

> *nec ad instar barbaricae feritatis vel tyrannicae impotentiae, damnaretur aliquis inauditus, et in pace placida tam dirum seculo proderetur exemplum.*

ultimum hoc a Plauto videri queat, apud quem Sc. *Ita me Dii* Poenulo — *servile esse duco, festinaverim currere. Praesertim in re populi placida, atque interfectis hostibus.*

CAPUT V.

De Hernicii saltus avibus fabulantur, pennas earum emicare et interlucere, quamvis intensis tenebris. Atque unam equidem illarum velim et mihi, ut ejus saltem indicio per Appuleianam noctem, vespertinus erro, tutius progrederer: nam valde profecto opacum illud, quod libro 10, ubi asinus publico destinatur spectaculo [p. 721]:

> *Et quoniam neque egregia illa uxor mea propter dignitatem, neque prorsus ulla alia inveniri poterat; grandi pretio vilis quaeritur aliqua sententia praesidis bestiis addicta.*

Nec enim perspicio quid hic opus fuerit pretio et quidem grandi; nam, si mulier ista feris destinata erat, ad quidvis cogi poterat: ad haec cui bono praemium illud morituro? an forte ad heredes transferrent? nugae magnae. nam, etsi id largiar, non est tamen, quod ideo patientius et modestius asinum admitteret, utique cui nihilominus semper ante oculos praesens exitium. Quid ergo? conabar medicinam afferre huic loco dispunctiunculae hac mutatione: *poterat grandi pretio; vilis quaeritur* etc. quia, inquit, matrona illa, quae mecum antea consueverat, nulla pecunia sollicitari potuisset, quod a se satis esset dives, aliam, quamvis grandi pretio quaesiverunt, quae sui faceret copiam: ea nusquam inventa, ad id adigitur vilis ista. Praecesserat modo:

> *At ille nequam ut posset de me suave provenire, lucro suo tantum contentus annuit.*

prope est, ut fecerit: *lucro summo tandem contentus.* nam deinde de eadem re dicitur: *nec gravatim magister meus voluptates ex ejus arbitrio largiebatur: partim mercedes amplissimas acceptando, partim novum spectaculum praeparando.* Cur ita gravatim tale aliquid concesserit asini altor, elicere est ex hac ipsius Asini ejulatione: *heu me qui dirupta nobili femina bestiis objectus, munus instructurus sum mei domini.* quod propemodum innuitur a Luciano; ait enim: *haec a liberto unicam noctem impenso paciscitur pretio, qui parum curans mei jacturam nummis acceptis* etc.

CAPUT VII.

Aut vitiosum est, aut certe obscurum quod habetur lib. 10. Appuleji Metam. [p. 728]:

> *qua mira desperatione truculentae feminae repente perturbatus medicus, excussusque toto consilio, et ob angustiam temporis spatio cogitandi privatus.*

desperationis vox jam plures fecit de loci hujus desperare salute, etiam me: veniebat quidem in mentem *mira dissertatione*, item *mira disputatione*, quorum utrumque videbatur sic satis convenire sententiae. Sed quis in hisce ambiguis aliquid affirmet? at enim cum in MSS. extet *depperatione*, fere dederim talentum meum in alterius nummum aereum, fuisse prius *depropetatione.* et mira medius fidius erat deproperatio; quod et esse nimis quam sentiebat, medicus; ut verba quae descripsi denotant. Deinde

> *confestim cubiculariis mulieris attractis vi tormentorum veritatem eruit.*

assentior amico, non tortos in caput Domini servos. Haud tamen putarim locum ipsum egere correctiuncula, nam non tam hic cubicularii contra dominum, quam pro ipso torquentur domino, quem veneno extinxerat uxor; huicque unice accommodaverim, quae recitat Papinianus lib. XVI. responsionum: *de quaestione suppositi partus vel si petat hereditatem quem caeteri filii*

non esse fratrem suum contendunt; quaestio de servis hereditariis habebitur, quia non contra dominos caeteros filios, sed pro successione domini defuncti quaeritur. quod congruum ei, quod D. Hadrianus rescripsit. Cum enim in socium caedis socius postularetur, de communi servo habendam quaestionem rescripsit, quod pro Domino fore videretur. Postea:

> *Adest luculentus puer nudus, nisi quod ephebica chlamyda sinistrum tegebat humerum.*

recte his chlamis personae regiae tribuitur. Sic Seneca Epist. 77. *Nemo ex istis, quos purpuratos video, felix est, non magis quam ex illis, qui sceptrum et chlamydem in scena fabulae assignant* etc. Porro quod addit, *ephebicam* et *chlamydem* noster innuit etiam fuisse puerilem, qualem fortasse Andromache dabat Ascanio 3. Aeneid. Nec alterius putarim notae eam, de qua, sic Suetonius Tiberii cap. 3: *Munera quibus a Pompeja, Sexti Pompeji sorore, in Sicilia donatus est, chlamys et fibula, item bullae aureae aurant, ostenduntur que adhuc Baiis.* Meminit et puerilis chlamydis Ulpianus noster lib. 44. ad Sabinum.

CAPUT X.

Aut Hypsaea caecior sum, aut non modo vehementior inquinatus est, sed etiam infectum unum de hisce mellitis verbis Appulèii lib. 10. [p. 739.]

> *Quam quidem laciniam, curiosulus ventus satis amanter nunc lasciviens reflabat, ut dimota pateret flos aetatulae, nunc luxurians aspirabat, ut adhaerens pressule membrorum voluptatem graphice laciniaret.*

vox enim postrema nescio quid habet maculae, quod nec toto eluerim oceano. Bene fors, ad sensum, non item ad verba, *graphice linearetur*, quod esset, delinearet et exprimeret. nam vult idem, quod Horatius lib. 1. Sat. 2. *Altera nil obstat: Cois tibi pene videre est. Ut nudam, ne crure malo ne sit pede turpi, metiri possis oculo latus.* Scilicet per ventum ita astringebatur vestis corpori, ut singulos exhiberet artus, etiam eos, circa quos Amor excubat. Aliquis de amatorum iuvenantium cohorte suspicari possit, me sane applaudente, fuisse prius: *graphice lacunaret*, ut velit Appuleius: dum ventus vesti incumbit, lacunam quamdam quasi vallem factam, et leviter impressam ei parti, quae inter crura; non quidem divisionem sed sinum. Planius id explicare possem, nisi iam quid velim cogitatione satis assequatur lector; de voce *lacunare* dicemus ad hunc auctorem infra. Et de pellucidis quidem istis vestibus, nimia pulcra habeo conlectanea, sed quam alii reservo commoditati.

CAPUT XII.

Ita est: hisce periculum facio, famae et quasi calumniae tento vadum. Si aliqua spes se ostentat veniae, optime, agitur mecum: si non: at ne sic quidem a professione discedam, sed quibusdam olim succidaneis impetrare conabor quod opto. Longe enim ab eis absum annis, quos pugiles observant, et intra quos nisi palmam adipiscuntur, eam postea despexerant, quare instemus Appuleii lib. 10. [p. 743.]

> *Et influunt innuptarum puellarum decorae soboles. hinc Gratiae gratissimae, inde Horae pulcerrimae, quae jaculis floris serti et soluti Deam suam propitiantes, tristissimum construxerunt chorum dominae voluptatum Veneris coma blandientes.*

numquam aeque temerarius aliquid feci, atque nunc: suspicor enim ultima vitii damnanda et sic rescribenda: *chorum omni voluptatum genere come blandientes.* atque ut hanc coniecturam asseverare ausim; sic correctiunculam leviter vendito. quod tamen prioribus aliam litem intentaverint; nollem factum. Itaque quod unum queo ex summis viribus contra ibo: perquam enim religiosa sermonis lautitia flores, qui gratulabunde undique a Gratiis et Horis in Venerem mittebantur, jacula floris appellat ab eo scilicet, quod jaciebantur. Excerpta ex veteri Lexico Latino Graeco: *Iacula missilia*, πεμπόμενα βέλη; atque hinc *rete jaculum* Plauto dicitur, quod dicitur ad discrimen verriculi, quod trahitur. uti prodidit acutissimus Turnebus lib. 18. cap. 26. sed et ab eadem significatione dicimus *jacere* et *jaculari verba*; Virgilius *voces in vulgum jacere ambiguas*; Lucretius *aut, quod in ambiguo verbum jaculata reliquit.* Quin imo *jaculari*, simpliciter invenio pro praecipitare aut immittere. Solinus cap. 13. Polyhist. *Ex istis rupibus Ino se cum Palaemone filio in profunda praecipitem jaculata auxit maris numina.* nec aliter ubi de Arione agit Gellius lib. 16. cap. ult. *Sed inter haec eorum verba Arionem cum fidibus et indumentis, cum quibus se in salum ejaculaverat exsilisse.* quod ipsum ita prius reddiderat: *Ad postrema cantus, cum fidibus ornatuque omni, sicut stabat canebatque, jecit sese procul in profundum.* non longe secus Florus lib. 1. cap. 14. *Alter quasi monitum Deorum capite velato primum ante aciem Diis manibus se devoverit, ut in confertissima se hostium tela* ju-

jaculatus, novum ad victoriam iter sanguinis semita aperiret. Hinc quod apud abbreviatorem Festi legitur: *Inicessere, immittere ac jactu vel verbis petere.* non damnaverim prorsus, quod in aliis Codicibus, *immittere jaculo vel verbis.* De floribus sertis et solutis satis enucleate dictum est ante me: locus tamen adhuc ille lib. 2. Metam. suspectus mihi de mendo

> *Commodum cubueram et ecce Fotis mea jam domina cubitum reddita, jacta proximat rosa serta, rosa soluta in sinu tuberanti.*

liquet sensus, qui vult adventasse Fotidem sinu repleto rosis textis ac solutis. at verba laborant; conabar: *Fotis mea, jam domina cubitum reddita, lecto proximat rosa serta.*

INCERTI LIBRI

CAPUT XII.

Integer mihi videtur locus lib. 6. Metam. Apuleianae [p. 434.]

> *At illa, quamvis humi prostrata, tamen tenaciter loro inhaerebat; ut me procurrente, aliquantisper tractu sui sequeretur.*

itaque nihil in eo cum aliis mutaverim. Non enim longe aliter Gellius lib. 16. cap. 16. *Quamobrem postea cum praelio Populi Romani victus, in ultima regni confugissetis et mori* etc.



IO-

IOANNIS PRICAEI

NOTAE (*)

IN

APOLOGIAM.

Pag. 400. Ed. Flor. *Maxime Claudi, quique in Consilio estis*] Infra: *Ut medius fidius verear Maxime, quique in Consilio estis.* Iterum: *Testor igitur te Claudi Maxime, vosque qui in Consilio estis.* Et ita fere Cicero, cum Iudice quaestionis compellans Adsessores: nominatim in Pro Quinctio. De huiusmodi *Consiliariis* παρακαθημένοις multi multa. Adi vel Tit. Cod. *de Assess. et domest. Cancell.*

Ibid. *Senem notissimae temeritatis*] Sic in Pacati Panaegyr. *Notissimae pietatis mater.* Suetonii Vespasiano, *Vir notae impudicitiae.* Valerio libro 7. cap. 8. *Vir notae insaniae.* Nostro Miles. X. *Medicus notae perfidiae.*

Ibid. *Penuria criminum, solis convitiis impleturum*] Aeschines περὶ παραπρεσβείας· Οὗτος οὐδὲν ἀληθὲς εἶπεν, ἀλλὰ ψεύδεται, καὶ κατηγορεῖν οὐδὲν ἀληθὲς ἔχων, τερατεύεται. Ammianus ubi supra: *Quum autem ad inopiam venerint muniendarum allegationum, ad effraenatam deflectunt convitiandi licentiam.* Et statim: *Ferociam maledicendi tunc effutiunt, quum commissarum sibi caussarum infirmitatem rationibus validis non possunt convelare*, (malim *convallare*, ut supra *munire*). Eleganter Optatus contra Donat. lib. 6. *Livore interveniente facile est iratis iactare, sed semper dum intenditur crimen, necessaria probatio est.*

Ibid. *Purgandae apud imperitos Philosophiae*] Sic infra: *Sustineo non modo meam, verum etiam Philosophiae defensionem.* Et in fine: *In omnibus non modo criminibus, verum etiam maledictis, procul a culpa Philosophiam tuitus sum.* Hausit hoc artificium Noster ab Apollonio, cuius defensio in hoc passim incumbit, ut ostendat obiectum ei crimen Philosophiam esse, perperam imperitae multitudini pro Magia habitam. Ipso Apologiae limine verba ad Domitianum faciens, πρὸς φιλοσοφίαν οὐδεμίᾳ δίκῃ διαβεβλῆσθαι δόξεις. Ibid. δείξω αὐτὸν (Αὐτοκράτωρα) φιλοσοφίαν ἀδικοῦντα. Noster inquam (quod et infra prout usus venerit, ex locorum collatione ostendemus) indubie lectam habuit Apollonii defensionem, eam quae superest e Philostrato necne, non affirmo. (potuit id sane, neque enim Appuleio recentiorem puto:) certe aliquam ab Apollonii aequali quopiam memoriae traditam, aut (quod proclive credere est) a seipso scriptam. Philostratus: Καὶ λόγος μὲν αὐτῷ ξυνεγράφη τις ὡς πρὸς ὕδωρ ἐς τὴν ἀπολογίαν ἀφηγήσοντι.

Ibid. *Istae calumniae, ut prima specie graves, ita ad difficultatem defensionis repentinae fuere*] Sic etiam infra verbis disertissimis: *Omnis ista accusatio temeraria et repentina fuit.* Quem locum si contendisset Scipio cum praesenti, eum quidvis potius prompturum fuisse puto quam quae in medium tulit.

Pag. 401. *Obiectamenta iurgio prolata*] Infra: *Item tibi ista accusatio iurgiis inita.*

Ibid. *Ex verbis rem factam*] Id est: *Litem.* Ausonius: *Imperium, litem, Venerem, cur una notat res?* Varro de L. L. 6. *Quibus Res erat in controversia, vocabatur Lis, ideo in actionibus videmus dici*, QUAM REM SIVE LITEM DICERE OPORTET. Et in XII. REI SIVE LITIS TREIS

(*) E notis Pricaei in Apologiam, illas, quae sunt e genere Critico, et quae firmandae aut refutandae alicui lectioni inservire debebant, ipsi textui subiecimus. Reliquas hic separatim edendas curavimus; paucis exceptis, quas, quia ad Appuleium aut emendandum aut illustrandum parum facere videbantur, omitti satius putavimus.

TREIS ARBITROS DATO. Ἀκριβολογία Ciceroni derisa in Pro Muraena: *Iam illud* (inquit) *mihi mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, post tot annos, etiamnunc statuere non potuisse, utrum diem tertium an perendinum: Iudicem an Arbitrum: Rem an Litem dicere oporteret.* Et a *Re* (eodem teste 2. de Orat.) vocabantur *Rei* non solum criminis qui arguebantur, generatim autem omnes de rebus quorum disceptabatur. Gallus apud Festum: *Reus est qui cum alio Litem contestatam habet, sive is egit, sive cum eo actum est.*

Ibid. *Eam solam* etc.] τὸ *Eam* παρέλκει. Scaevola L. *libertis* §. ult. D. *de aliment. et cib. leg. Quos libertos meos ubi corpus meum positum fuerit, ibi eos morari iubeo.* Plura de Hellenismo isto Casaubonus.

Ibid. *Ubi ut cominus ageret percellis*, etc. *eminus calumniis velitatur*] Miles. 5. *Videsne quantum tibi periculum velitatur fortuna eminus? ac nisi longe firmiter praecaves mox cominus congredietur.* Et 8. *Ut discernere prorsus nequiremus quam potissimum caveremus cladem, cominus canum, an eminus lapidum.*

Ibid. *Calumniis velitatur*] Ut Milesia 8. *Velitari iocis.* Afranius: *Verba iactare et velitari labiis.* Festus: *Velitatio, ultro citroque probrorum obiectio.* Idem: *Advelitatio, iactatio verborum.*

Ibid. *Si quidpiam veri in me explorasset*] h. e. si invenisset quod vere posset obiectare mihi. Sed Graecissat Appuleius. Aeschines iam citato loco: οὐδὲν ἀληθὲς κατηγορεῖν ἔχων, τερατεύεται.

Ibid. *Verum videri*] id est: *Esse.* Miles. 9. *Die sequenti molae, quae maxima videbatur, matutinus adstituor.* Sexta: *Impares nuptiae, et praeterea in villa* etc. *factae, legitimae non possunt videri.* Probus in Notis. I. E. C. V. *Iusta eius caussa videtur.* sic et Graeci νομίζειν καὶ δοκεῖν usurpabant οὐ πάντως ἐπ᾽ ἀμφισβόλου, ἀλλὰ πολλάκις καὶ ἐπὶ τοῦ ἀληθεύειν. notat Ulpian. ad Olynth. 1. quod et postea in Patrum Conciliis obtinuisse docet Savaro ad Sidon. Vide Brissonium de Formul. 2. 2.

Ibid. *Pronunciasset*] Proprie, nam non alius *pronunciat* quam qui ius cognoscendi habet. L. 46. D. *de verb. signif. Pronunciabat* e Tabella autem. Vide Elmenhorstium ad primum Floridorum. doctiss. Desid. Heraldum ad Tertull. Apologiam.

Ibid. *Adeo ut aegre Lollius Urbicus ab eius pernicie temperarit*] id est (inquit Gentilis) aegre manus abstinuit a tam impudenti convitiatore. Insulse. Notum quid *Pernicies*, duntaxat quam de Foro res. Tacitus Annal. 4. *Cremucius Cordus postulatur novo, ac tunc primum audito crimine, quod* etc. *id perniciabile reo visum.* h. e. *capitale.* Opponitur *Salus.* Infra Noster: *Posse literas eius ad perniciem, non posse ad salutem.* Iterum: *Cedo tu Aviti Epistolas, ut quae semper mihi ornamento fuerunt, sint nunc etiam saluti.*

Pag. 404. *Mercenaria loquacitate*] Ut apud Tertullian. Apolog. *Mercenaria advocatio.* Zenon. Veronens. Sermon. de Avarit. *Mercenaria ac duplex lingua.* Plautum in Stich. *Venditaria*, et Ovid. in Amor. Lib. 1. Epist. 48. *Empta.* Symmach. Lib. 3. Epist. 175. *In mercedem linguae ornamenta corrumpere.* Isid. Pelus. διὰ φιλοχρηματίαν καπηλεύειν, χρυσῷ προπίνειν τὴν ψῆφον, καὶ τὸν τῆς δικαιοσύνης ζυγὸν λήμματι παρασαλεύειν. Nicetas in Andron. χαριτογλωττοῦντες, καὶ πρὸς ἀργύριον λαλοῦντες.

Ibid. *Linguae suae virus*] Caelius Symphosius: *Effundit mala lingua virus atrum.* Sidon. Apollin. *Loquens venenum.*

Ibid. *Ne quid maculae* etc.] Miles. x. *Ignominiae maculam.* Cicero Verr. 2. *Adolescentiae maculas, ignominiasque.* Noster heic infra: *Omnem criminis maculam.*

Ibid. *Inhonestamenti*] Glossae Vindocinens. MS. *Dedecoratus inhonestius.* lege *inhonestatus.*

Ibid. *Videar cuipiam, si quid ex frivolis praeteriero, id agnovisse potius quam contempsisse*] D. Cyprian. Tractat. contra Demetrian. *Ultra tacere non oportet, ne iam non verecundiae sed diffidentiae esse incipiat, quod tacemus: et dum criminationes falsas contemnimus refutare, videamur crimen agnoscere.*

Ibid. *Prudentis animi*] Amplector istam lectionem prae altera, *Pudentis.*

Ibid. *Etiam hi qui sibi delicti alicuius conscii sunt, tamen quum male audiunt, impendio commoveantur*] Tacit. de Nerone Annal. 15. *Ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi quae faceret insolens.* Salvian. de gubern. etc. Lib. 8. *Omnes admodum se laudari volunt, nulli grata reprehensio est: imo (quod peius est,) quamlibet perditus, mavult mendaciter praedicari, quam iure reprehendi. Neque enim quisquam tam malus est, ut malus videri velit.* Fabius Lib. 3. cap. 8.

Pag. 405. *Laudis assuetudine contumeliae insolens*] Cicero Verr. 3. *Habet quendam aculeum contumelia, quem pati prudentes ac viri boni difficillime possunt.* Hesiodus Ἐργ. Ὕβρις γάρ τε κακὴ δειλῷ βροτῷ, οὐδὲ μὲν ἐσθλὸς Ῥηϊδίως φέρεμεν δύναται, βαρύθει δὲ ὑπ᾽ αὐτῆς.

Ibid. *Multo tanto*] Ubique multus est in hac φράσει Lucius noster. Exempla in medium ferre otiosae diligentiae foret. Varro ipse de L. L. L. 6. *Quod intervallum multo tanto propius nobis.* ubi temere vir eruditissimus *tanto* expungendum putat.

Ibid. *Quod utinam tam gravia formae et facun-*

cundiae crimina vere mihi opprobrasset] En Oratoris nostri astutiam, haec Tannonius ei non ut crimina obiectavit, sed ut Iudicem circumspectiorem redderet, ne lactaretur lenociniis hisce, alio Appuleius torquet, nempe ut Adversarii deridiculo habeantur, quasi tam pulchra tamque laudabilia obiicientes tanquam vitia. Artificium loci istius non praeteriit eruditiss. Vossium Orat. Instit. 3. 3.

Ibid. *Non difficile ei respondissem quod Homericus Alexander Hectori*] Et ex eo Diogenes Cynicus apud Laërtium, qui derisus ὅτι παρ' Ἀντιπάτρῳ (fullone) τριβώνιον ἔλαβεν, adduxit hunc ipsum versiculum in excusationem sui. Respondisses etiam (nec incommode) quod non nemo apud Livium: *Eorum quae obiecta sunt, partim ea sunt quibus nescio an gloriari debeam, partim quae fateri non erubescam.* Aut certe risu merito excepisses eum ut Musae Marsyam, ob non dissimiles dotes elevantem Apollinem.

Pag. 406. *Pythagoram qui primum se Philosophum nuncuparit*] Florid. 2. *Pythagoras primus Philosophiae nuncupator et conditor.* Clem. Alexandr. Πυθαγόρας etc. φιλόσοφον ἑαυτὸν πρῶτος ἀνηγόρευσεν. Et Iamblich. Λέγει δὲ Πυθαγόρας πρῶτος φιλόσοφον ἑαυτὸν προσαγορεῦσαι. Adde quae in Minuc. Octav. et in Epist. Ausonius. At haec post Ciceronem otiosa sunt, quem vide fusius narrantem ea 5. Tusculanarum.

Ibid. *Eum sui saeculi excellentissima forma fuisse*] Porphyrius: Τήν τε γὰρ ἰδέαν εἶναι ἐλευθέριον, καὶ μέγαν, χάριν τε πλείστην καὶ κόσμον, ἐπί τε τῆς φωνῆς, καὶ τοῦ ἤθους, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἔχειν. Florid. 2. Noster: *Pulchritudine apprime insignis.* Neque sui tantum saeculi, sed et Troiani: (de Pythagora loquentes enim cur non μετεμψύχωσιν memoremus?) vide ut a pulchritudine extollit eum adhuc Euphorbum, Apollonius apud Philostrat. Lib. 8. cap. 3. Et in corpore Alces meretricis Gellius 4. 11.

Ibid. *Colorem obliterat*] De florido pallidum facit. Non minima Satyrae 7. Iuvenalis pars huius argumenti est. Thomas Magister (ex bibliotheca eruditissimi Renati Moraei) ad Aristophan. Νεφελ. ὠχριῶντες καὶ ἀνυπόδητοί εἰσι, (οἱ φιλόσοφοι) ἐπειδὴ μόνης ἀρετῆς φροντίζοντες, οὐ τρυφῆς διώκουσι τὸ ἀπέριττον.

Pag. 407. *Promissum dixere*] Sic de caesarie Apollinis 1. Florid. *Praemissis antiis, et promissis caproneis.* ita doctissimus Bourdelotius, vulgo *promulsis capr.*

Ibid. *Stuppeo tormento*] Alii Scriptores vocant *stupeum vinculum.* Virgil. Aen. 2. *Et stupea vincula collo Intendunt.* Vetus Epigrammatarius Carmine de Funambulo: *Stupea suppositis tenduntur vincula lignis.* Lucanus Lib. x. *Nec piger ignis erat per stupea vincula, perque Manantes cera tabulas.* Ennodius Declamat. 5. *Et lassatae rudentibus manus, stupea rursus vincula meditentur.* Porro *tormentum* Appuleio funis est, et ita hoc crinium argumento sumpsere alii. adeo frustra *tomento* legebant Faber et Casaubonus in Semestr. Lib. 2. c. 15. Florus 2. 5. 10. *In tormentorum vincula Matronae crines suos contulerunt.* Paulinus Carm. 14. *Aut implexarum strue tormentoque comarum.* Iulianus de barba sua: Μισοπωγ. Ὑμεῖς δέ φατε καὶ σχοινία πλέκειν ἐνθένδε. Plura apud Gentilem vide, et Scalig. in Priapeis. Graeci has capilli convolutiones a serpentibus σπείρας vocant, quae vox me monet opportune ut Pollucem purgem. Lib. 2. cap. 3. Εὐθητῆσαι δὲ ἔλεγον (inquit) τὰς τρίχας, καὶ τὸ ὑπεύπειρον, εἶδος τριχῶν πλέγματος ὥσπερ καὶ σπεῖρα. Turbat τὸ ὑπεύπειρον, uti et ὑπόσπειρον, quod legendum aiunt, caetera autem quae sequuntur tota irreptitia sunt.

Ibid. *Inenodabilis*] Gloss. *Inenodabilis*, Δυσχερής, ἄλυτος, πλακείς. Gloss. Vindocinens. *Enodabile, dissolubile.* Eaedem: *Enodabile, quod solvi non potest.* aut legend. *inenodabile*, aut *quod solvi potest.*

Ibid. *Discriminandi*] Alibi ad *pecten* rettulit, ut Miles. 2. *Vel nunc guttis Arabicis obunctus, et pectinis arguti dente tenui discriminatus.* Claudian. etiam in de nupt. Honor. et Mar. — *haec morsu numerosi dentis eburno, Multifidum discrimen arat.* heic autem minus concinne *pectinationem* intelligendam puto, sed referendum ad id quod praecessit: *comendi.* neque est ut obiicias *comere* pro *ornare*, cum et infra heic disertius voce ea κτενισμὸν expresserit. *marinum pectinem* (inquit) *comendo capillo quaesitum.* Est ergo hoc loco *Discriminare*, crines *extricare*, neque aliud quam συνώνυμον appositae vocis *Expediendi.*

Ibid. *Satis ut puto, crinium crimen refutatum est*] Apollon. ubi supra: Μὴ πλείω διαλεγόμεθα ὑπὲρ τῆς κόμης.

Ibid. *Ab ineunte aevo* etc. *unis studiis literarum*] Florid. 3. *Ab ineunte aevo bonas artes sedulo colui.* [v. Add.]

Ibid. *Adhoc aevi*] Infra: *Nulli Deo ad hoc aevi supplicavit.* Symmachus (Appuleianae dictionis captator mirus): *Quem ad hoc aevi nulla actuum culpa fuscavit.*

Ibid. *Cum despectu*] Languet sententia, non displiceat, *certe cum despectu.*

Ibid. *Cum despectu et dispendio bonae valetudinis eam quaesissem*] Infra: *Haereditatem avitam cum despectu salutis suae quaesiisse.* Sarisburiens. de intestinis loquens Lib. 5. cap. 9. *Nec unquam sine salutis suae dispendio exterioribus exponuntur.*

Ibid. *Innocentiam eloquentiam esse*] Maternus apud

apud Authorem Dial. de Oratoribus: *Statum hucusque ad securitatem, melius innocentia tueor, quam eloquentia.* Huius loci est et quod infra occurrit, *Vir bonus, dicendi peritus.*

Pag. 408. *Cum risu illis succensentem*] Ita in Milesiis quater, vel uno Libro sexto: *Latissimum cachinnum extollens, et qualem solent furenter irati. Contortis superciliis subridens amarum.* Iterum: *Renidens exitiabile*, et demum: *Risu maligno salutant.* Isidor. Pelusiot. Lib. 5. Epist. 199 ὀλέθριόν τι καὶ σεσηρὸς προσεμειδίασεν, οἷον εἰώθει εἴποτε ὀργῆς ἐμπλησθείη. Ibid. Epist. 196. μειδίαμα θυμῷ κεκραμμένον. simile illud Silii Italici, *Arridens saevum.* Taciti de Tiberio *Renidens falsum.* Mercerum ad Aristaenetum vide, et Bourdelotium ad Petronium.

Ibid. *Sua sibi urina*] Imo aliena, eaque ἐν δεξαμεναῖς παλαιουμένη, si Straboni Lib. 3. fides.

Ibid. *Dentem atque russam*, etc.] Caussam hanc Diodorus affert: Ταύτην ἡγοῦνται θεραπείαν εἶναι τοῦ σώματος.

Ibid. *Russam*] Scalig. ad Varron. de L. L. L. 6.

Pag. 410. *Praesertim os, cuius in propatulo et conspicuo usus homini creberrimus*] Infra: *Est ea pars hominis loco celsa, visu prompta, usu foecunda.* Et Miles. 2. *Pars ista corporis in aperto et conspicuo posita, prima nostris luminibus occurrit.*

Ibid. *Cuipiam osculum ferat*] Vide in Electis Lipsium 2. 6.

Ibid. *Seu cum quopiam sermocinetur, sive in Auditorio dissertet, sive in Templo preces adleget*] Expressa ex Apollonio apud Philostrat. 8. qui haec eadem de capite: Ἐκεῖ πᾶσαι μὲν αἰσθητηρίων πηγαὶ, πᾶσαι δ' ὀμφαὶ, ὅθεν εὐχαί τε ἀναφαίνονται, καὶ σοφίας ἑρμηνεὺς λόγος.

Ibid. *Preces adleget*] Infra: *Preces in templo Diis adlegasti.* Et in de Deo Socratis: *Cui igitur preces adlegabo?* Zeno Veronens. Serm. de Pudicit. *Per te adlegatae priusquam fundantur, audiuntur preces.* Glossae: Ἱκεσίαν προσφέρω, *Adlego.* Πρόσδεσις, *Adlegatio, Adlegat.* Παρατίθεται μάρτυρας, δεήσεις.

Ibid. *E muro dentium*] Sic et in Floridis, *Intra murum dentium*; et in de Platonis Dogmate: *Lingua, et vallum dentium.* Solum apud Censorinum cap. XII. Παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος ἕρκος ὀδόντων Φύσας, ἐκβάλλει πρῶτον ἐν ἑπτ' ἔτεσιν. Etymologus: Ἕρκος, Φράγμα τῶν ὀδόντων. Pollux Lib. 6. cap. 26. Ἄπαυστος γλῶττα, ἀνερμάτιστος; μάτην αὐτοῦ τῇ γλώττῃ περίκειται τὸ ἕρκος τῶν ὀδόντων. Aelianus: Ἄδηλά εἰσι τὰ ἀνθρώπινα ἕως ἂν ἑκάστῳ ἡ ψυχὴ εἴσω τοῦ τῶν ὀδόντων ἕρκους ᾖ. et Nicetas in Manuel. Comneno: Πρὸ πάντων δὲ τιθέναι τῷ στόματι φυλακὴν, καὶ μὴ ἐᾷν τὴν γλῶτταν προπετῶς ἐκπηδᾷν τοῦ ἕρκεος τῶν ὀδόντων. Traxerunt omnes ab Homero ita saepius loquente. Gellius Lib. I. cap. 15. *Petulantiaeque verborum vallum esse oppositum dentium, ut loquendi temeritas non cordis tantum custodia atque vigilia cohibeatur, sed et quibusdam quasi excubiis in ore positis sepiatur.* Lactantius de opif. Dei. cap. 10. *Haec* (lingua) *palati concavo tanquam testudine tegitur, eamque dentium ordine sepiens Deus quasi muro quodam circumvallavit.* Simili tralatione Varro Papiap. *palpebras oculorum septum* vocavit. Plinius *vallum* L. XI. cap. XXXVII.

Ibid. *Quod esset animi vestibulum, et orationis ianua*] In de Dogm. Platonis: *Hominis* (lege *homini*) *promptuarium rectae rationis, et suavissimae orationis hoc datum est, ut quae prudentia corde conceperit, ea sensa promat oratio.* D. Ambros. Hexaem. 6. 9. *Quid est igitur os hominis nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis?*

Ibid. *Orationis ianua*] Baccharius Epist. ad Ianuar. de recip. laps. *Prope fuerat, ut et ego superposita manu ori, et obturato linguae sibilo, ianuas labiorum meorum concluderem.* Euripid. Hippol. στόματος πύλαι. Anthol. 7. στόματος πρόθυρα. et in Regula Magistri MS. *Oris regia.* citat Rosweyd. not. ad Paulin.

Ibid. *Cogitationum comitium*] *Comitium* hoc loco est, *exterius atrium;* ut ex Livio et Asconio Semestr. 7. 19. docuit eruditissimus Langlaeus, cui certe hanc vocis notionem libens acceptam fero.

Ibid. *Pro captu meo*] Florid. 2. *Patior et ipse in meis studiis aliquam pro meo captu similitudinem.* Et 3. *Iampridem pro captu suo hominibus rotius est, quam ut* etc. Corrige in hac loquutione Sallustium Catilin. cap. 35. ubi impressi *Pro meo casu.* item Gellium L. 20. cap. XI. ubi vulg. *caeptus noster.* Aurel. Victor hac forma, *Quantum ingenium est.* Noster in Milesiis passim: *Pro meo modulo.*

Pag. 411. *Lingua mendaciorum et amaritudinum praeministra*] Tertullian. de Patient. *Si linguae amaritudo convitio sive maledicto eruperit.* Gregor. Turonens. Lib. 8. *Verba amaritudinis.* Macrob. Sat. I. 7. *Amarulenta dicacitas.*

Ibid. *Factutinis et olenticetis*] Sic 2. Florid. *Rupinas et senticeta.* Ubi male Stewechius, *spinas et senticeta.* Mirum quantum complaceat sibi in his terminationibus Appuleius noster.

Ibid. *Venenum inspirare*] Virgil. de apibus: *Laesaeque venenum Morsibus inspirant.* Idem de Alecto: *Vipeream inspirans animam.* Et alibi Aeneid. I. *Occultum inspires ignem, fallasque veneno.*

Ibid. *Innoxio hiatu*] D. Ambros. Hexaem. L. 5. cap. 3. *Aperire ora*, *innoxio* etc. *dente suspendere.*

Ibid. *Ore amplo*, *sed elingui*] Ita diserte Herodotus, Diodorus, Solinus, Ammianus: aliter Cardanus de variet. L. 7. Crocodilum non *elinguem* esse, lingua brevi autem, et affixa prorsus superiori mandibulae. Hausit a Plinio Lib. 8. cap. 25. forsan, qui eum usu linguae carere ait, quod nescio quid diversum ab *elingui* sonat, tametsi alia sentiant Grammatici. Fronto Cornel. *Elinguis habet linguam*, *caret autem usu eius: elinguatus amisit.*

Pag. 412. *Sine noxae periculo exscalpit*] Rectius *sine noxa*, quam *sine noxae periculo*; nam etsi caput illaesum extrahat, periclitatur.

Ibid. *Dure et rustice legere*] Quod supra *Absone et indocte pronunciare vocat.* Claudianus Dial. *Lacerare*; ut et Lucianus, qui in rem lepidule: *πρὸς ἀπαιδ. Δημήτριος ὁ Κυνικὸς ἰδὼν ἐν Κορίνθῳ ἀπαίδευτόν τινα βιβλίον κάλλιστον ἀναγινώσκοντα· (τὰς Βάκχας οἶμαι τοῦ Εὐριπίδου.) κατὰ τὸν ἄγγελον δὲ ἦν τὸν διηγούμενον τὰ τοῦ Πενθέως πάθη, καὶ τὸ τῆς Ἀγαυῆς ἔργον, ἁρπάσας διέσπασεν αὐτὸ, εἰπὼν, ἄμεινόν ἐστι τῷ Πενθεῖ ἅπαξ σπαραχθῆναι ὑπ' ἐμοῦ, ἢ ὑπὸ σοῦ πολλάκις.* (paria quibus affert Scipio ex Hesychio.) Addam e Gellii Lib. 13. cap. 29. locum, quo eiusmodi fringultiens blattero in conspectum datur. *Accipit* (inquit) *a me librum veterem fidei spectatae*, *luculente scriptum: accipit autem inconstantissimo vultu et moestissimo. Sed quid deinde dicam? non audeo hercle postulare ut id credatur mihi. Pueri in ludo rudes si eum librum accepissent*, *non ii magis in legendo deridiculi fuissent*; *ita et sententias intercidebat*, *et verba corrupte pronuntiabat.* Membrum periodi prava interpunctione laborat, simul tantillo mendo ut abstergere vix operae sit. Duximus commonstranda autem, ne tam contempsisse ea quam ignorasse videamur. Scribe et distingue igitur ad hanc faciem, *sed quod deinde dicam non audeo h. p. v. i. c. m.*

Ibid. *Quis unquam fando audivit?*] Infra: *Quis enim fando audivit?* Iterum, *multa fando maxime audisti.* Miles. VI. *Fando comperisti.* et in Floridis I. *Fando accepimus.* Gellius Lib. XVII. cap. X. *Hoc nec a Pindaro scriptum*, *nec fando unquam auditum.* Virgil. II. Aen. *Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures.* Plaut. Amphitr. *Quaecunque neque fieri Possunt*, *nec fando unquam accepit quisquam.*

Pag. 413. *Mea delitia*] Sic amores masculos vocabant. Cicer. pro Caelio: *Amores autem et hae delitiae quae vocantur*, *quae firmiore animo praeditis diutius molestae non solent esse*, *maturae enim et celeriter deflorescunt*, *nunquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt.* Glossae: *Deliciae*, **Σπατάλαι.** Aliae: **Σπατάλαι**, *Lascivia*, *deliciae.* inde *spatalo-cinaedi.*

Ibid. *Pax in amore meo vita tibi remanet*] Scalig. ad Propert. legit, *Par in amore meo biga tibi remanet. biga* ut apud Lucian. Amor. *Ζεῦγος ἐρωτικὸν.*

Pag. 414. *Ignis torreat ut vult*] Catullus: *Quum vesana meas torreret flamma medullas.*

Ibid. *Florea serta*] Plinius de Coronis: *Quum vero e floribus fierent*, *serta a serendo seriéve appellabantur.* Gloss. Vindocinens. MS. *Sertum*, *ex floribus texta corona.*

Ibid. *Haec tibi carmina dono*] Ex more, qui antiquitus obtinuit inter eruditos, Natales amicorum Elegidiis cohonestandi. Censorin. Proem. D. Natal.

Ibid. *Serta tuo Genio*] Optime, nam et is Numen natalitium, et hoc florali cultu affectus passim. Tibullus Lib. 2. Eleg. 2. *Dicamus bona verba*, *venit Natalis ad aras*, *Quisquis ades*, *lingua vir mulierque fave: Urantur pia thura focis*, *urantur odores*, *Quos tener a terra divite mittit Arabs. Ipse suos adsit Genius visurus honores: Cui decorent sanctas florea serta comas.* Et alibi Lib. I. Eleg. 7. *Illius e nitido stillent unguenta capillo*, *et capite et collo mollia serta gerat.*

Ibid. *Aetatis florem*] Miles. 9. *Aetatis tuae flore mulieres appetis.* 10. *Flos aetatis nuptialem virgini diem flagitabat.* Infra heic: *In ipso aetatis suae flore tamdiu vidua.* Tibullus: *Dum primi floret tibi temporis aetas.*

Ibid. *Tuum ver*] Catullus: *Iucundum quum aetas florida ver ageret.* Theodoret. de Iosepho: (*περὶ προνοίας* Serm. 8.) Ἐν ἦρι μὲν ἦν τῆς ἡλικίας. Stobaeus Serm. 260. Ἐρατοσθένης ὁ Κυρηναῖος τῆς ἡλικίας ἔφη τὸ μὲν ἀκμάζον ἔαρ εἶναι. Herric. Altisiodor. *Aetatis breve ver.* de Vit. S. Germ. Lib. I.

Ibid. *Exuperes munera muneribus*] Malim *exaeques.* gratiae paritatem subinnui circumiecta evincunt.

Ibid. *Implexis sertis*] Miles. 6. *Videt spicas frumentarias in acervo*, *et alias flexiles in corona:* ferri haec lectio potest, malim vero *plexiles*, vel *plectiles.* Gellius Lib. 18. cap. 2. *Coronam e lauro plexam.* Plaut. Bacchid. *Corona plectilis.* Euripid. Hippol. **Στέφανος πλεκτὸς.** Gloss. Vindocinens. (quas corrige) *Serta*, *coronae plectiles et floribus.* habet MS. male *corona reptilis.*

Ibid. *Complexum corpore redde*] Vocem *complexus* fere semper eo sensu ponit. Infra heic de Venere voluptaria: *Immodico trucique perculsorum animalium serva corpora complexu vincientem.* Miles. 2. *Ede complexus amabiles.* Et 10. *complexus meos ardenter adpetebat.*

Pag. 415. *Dulciloquo calamo*] Onomast. vet.

Dul-

Dulciloquus, μελίλογος. Naevius in Alcest. ap. Gellium L. 12. c. 5. *Dulcioriloquus*.

Pag. 416. *Amici sui Pollionis*] An potius *Maecaenatis?* si tamen hic *Tuscus Eques* ille de quo Martialis Lib. 8. Epig. 56. *Risit Tuscus Eques, paupertatemque malignam Reppulit, et celeri iussit abire fugâ. Accipe divitias, et vatum maximus esto, Tu licet et nostrum, dixit, Alexin ames.*

Ibid. *Virgilianos opiliones et bubsequas*] Florid. 1. *Nil aliud plerique callebant quam Virgilianus opilio, seu bubsequa.* Miles. 8. *Equisones, opilionesque, et bubsequae.* De Deo Socrat. *Velut pastor, vel opilio, vel bubsequa.* Infra heic: *Villicorum, et opilionum, et equisonum rationibus.* Commode heic offert se Sidonii Lib. 1. Epist. 6. illud, *bubulcosque runcantes.* Et quia non tantum non alienum est, sed et ab interpretibus eius aut praeteritum, aut (quod peius) male enarratum, ponam (idque apicibus ipsius) expositionem Ioannis Bourdelotii, ab eodem ex Adversariis suis amice communicatam nobis. Quid sit *runcantes* (inquit) Savaro reticuit plene. Pius infaeliciter exposuerat, *herbas vellentes:* alius dum insultat interpretationi isti, infelicius *stertentes* exponit. Scimus quid *ronchus* et unde *runco* apud Glossographos, sed *runcare* Sidonio, est *implere cornua bubulcorum seu Mimallonum more*, ut Amycus apud Theocrit. Eidyll. 22. Ἠ ῥ᾽ Ἄμυκος καὶ κόχλον ἑλὼν μυχάσατο κοῖλον. hinc *runcare*, aut suillum cornu sonitum imitari. hinc βραγχιᾶν, de quo morbo Aristoteles Histor. Animal. Lib. 8. cap. 25. ubi bene Iulius Scaliger *anginam* vertit, est enim faucium morbus. Hesychius corruptissimus in hac dictione: Βράγχος νόσημά τι τῶν ἐν τῷ σώματι γιγνομένων τὸν πρόγχον, ὅταν ὗς μάλιστα διαφθείρηται, lege, B. v. τι τῶν ἐν τῷ στόματι καὶ τῷ βρόγχῳ γιγνομένων, ᾧ ὗς μάλιστα διαφθείρηται. Idem legend. verbo γοργύζειν et γογγύζειν, sed ubique reponendum est τονθυρίζειν. Posterior aetas vocavit *Gorriones.* Excerpt. ex Gloss. Isidori, *Gorriones, cum errore sonantes*, lege, *G. cum horrore s.* Galli dictionem *gorret* etiamnum retinent, nec audiendus B. Vulcanius qui ad passeres refert.

Ibid. *Cuius nulla carmina extant, nisi Amoris Elegia*] Plutarch. περὶ τοῦ μὴ χρᾶν etc. ὅτι οὐδὲ ὅσιον εἰπεῖν ἢ καλὸν, ὡς ἀνέραστος ἦν ἡ Ἀκαδημία, καὶ ὁ Σωκράτους καὶ Πλάτωνος χορὸς, ὧν λόγοις μὲν ἐρωτικοῖς ἐντυχεῖν ἐστι, ποιήματα δὲ οὐκ ἀπολελοίπασι.

Ibid. *Caetera omnia* etc. *igni deussit*] Dythyrambos puta, Tragaedias, et quae alia recensent Laërtius, et Aelianus Lib. 3. Var. 2. 30.

Ibid. Εἴθε γενοίμην Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σε βλέπω] Imitatus est Martialis Lib. 8. *Victorem modo cum videret Istri, Tot vultus sibi non satis putavit, Optavitque oculos habere plures.* nec abludunt Catulli haec: *Aut quam sidera multa quum tacet nox, Furtivos hominum vident amores.* profecto propius haec absunt a Platone quam quae Scipio affert.

Pag. 417. *Lucifer ante*, etc.] Ausonius sic transtulit, Epigr. 144. *Stella prius superis fulgebas Lucifer, at nunc Extinctus, cassis lumine vesper eris.*

Pag. 418. *Quasi ullum specimen morum sit, versibus ludere*] Sane. Sidonius Lib. 9. Ep. 16. *Ne reus cantu petulantiore, Sim reus actu.* Cicero in Pison. *In quibus* (versibus) *si quis velit, possit istius tanquam in speculo vitam intueri.* At non ob haec est ut ab Authoris sensu cedamus.

Ibid. *Voconii*] Id est, cuius ita frequens nomen apud Plin. Nepot. duntaxat L. 2. Epist. 13. Plura Gregor. Gyraldus 4. Dial.

Ibid. *Voconii tumulum versibus veneraretur*] Imitatus Augustum, quem hoc idem Druso fecisse narrat Sueton. Claud. cap. 1.

Pag. 419. *Geminam esse Deam Venerem*] Plutarch. ἐρωτικ. Achill. Tat. L. 7. Max. Tyr. Dissert. 8. 9. 10. et 11.

Ibid. *Vulgariam*] πάνδημον Ἀφροδίτην, quam Lucretius *Volgivagam* vocat, Marcian. Capella *Voluptuariam.*

Pag. 420. *Paucis curare*] Eadem infra syntaxi, *adeo rebus meis curat.* et in de Deo Socrat. *quibus eorum singuli curant.* Plautus passim. sic *cupere alicui* Cicero ad Quint. Fratr. *Alicui malle* in de Pallio Tertullianus.

Ibid. *Quippe eius Amore* etc.] Locus corruptus, sic a Casaub. curatus: *Quippe eius amorem non a. e. l. s. c. incomptum e. s. p. h. virtutis amorem amatoribus s. c.*

Ibid. *Si quando decora corpora commendet, a contumelia eorum procul absterrere*] Xenophon παιδ. v. Οἱ δέ καλοὶ κ' ἀγαθοὶ ἐπιθυμοῦντες καὶ χωρίου καὶ ἵππων ἀγαθῶν, καὶ γυναικῶν καλῶν, ὅμως ἁπάντων τούτων ῥαδίως δύνανται ἀπέχεσθαι, ὥστε μὴ ἅπτεσθαι αὐτῶν παρὰ τὸ δίκαιον.

Ibid. *Neque enim quidquam aliud in corporum forma diligendum, quam quod admoneat divinos animos eius pulchritudinis* etc.] Ioh. Scholast. de religioso quodam Grad. 15. Κάλλος θεασάμενος, τὸν ποιητὴν μεγάλως ἐδόξασε, καὶ ἀπὸ μόνης τῆς θέας εἰς ἀγάπην θεοῦ etc. κατεφέρετο. Porro signatissime Noster *admoneat.* Plutarch. Ἐρωτικ. Τὸ τοῦ σώματος κάλλος τῆς μνήμης ὄργανον.

Pag. 421. *Audias ut adhuc fecisti, libenter et diligenter*] Cicero Verr. 7. *Quaeso ut fecistis adhuc, diligenter attendite.* Philipp. 13. *Ut adhuc fecistis, me attente audiatis.* Pro Cluentio: *Ut adhuc me attente audistis, item quae re-*

reliqua sunt audiatis. Infra Noster: *Quaeso uti adhuc feceritis* (lege *fecistis*) *vel si quo magis etiam potestis, ipsum fontem et fundamentum mendacii huius diligentissime cognoscatis.*

Ibid. *Pene diruptus est Pudens*] A vocis intentione nempe, quod in foro non infrequens. Cicero: *Dirupi paene me in iudicio Galli Caninii.* Lucian. Dial. adv. indoct. etc. διακεκραγέναι καὶ διαρραγῆναι, βοῶντας. Solebant Patroni Actoresque hunc Φωνῆς τόνον καὶ τραχύτητα προσθεῖναι. ut incenderent animos iudicum, ultra verbis fidem quaererent. Lepidum in hanc mentem est Demosthenis illud apud Chaeronensem: Λέγεται ἀνθρώπου προσελθόντος δεομένου συνηγορίας, καὶ διεξιόντος ὡς ὑπό του λάβοι πληγὰς, ἀλλὰ σύγε Φάναι τούτων ὧν λέγεις, οὐδὲν πέπονθας. ἐπιτείνοντος δὲ τὴν Φωνὴν τοῦ ἀνθρώπου, καὶ βοῶντος, Ἐγὼ Δημόσθενες οὐδὲν πέπονθα; νὴ Δία Φάναι, νῦν ἀκούω Φωνὴν ἀδικουμένου καὶ πεπονθότος. οὕτως ᾤετο μέγα πρὸς πίστιν εἶναι τὸν τόνον.

Pag. 422. *Crotalove*] Scholiast. Aristoph. ΝεΦελ. Κρόταλον κυρίως ὁ σχιζόμενος κάλαμος ὁ κατασκευαζόμενος, ἐπίτηδες ὥστε ἠχεῖν, εἴ τις αὐτὸν δονοίη ταῖς χερσὶ καθάπερ κρότον ἀποτελῶν. Eustath. in Homer. Ἰλιάδ. λ. Κρόταλα εἰσὶ σκεύη τινὰ ἐξ ὀστράκου τυχὸν, ἢ ξύλου, ἢ χαλκοῦ, ἃ ἐν χερσὶ κρατούμενα θορυβεῖ. Ioan. Sarisburiens. (aut profecto verius Scholiastes eius) *Crotala sunt sphaerulae sonorae, quae quibusdam granis interpositis, pro quantitate sui, et specie metalli, varios sonos edunt.* Vide quam ab invicem differant hi Magistri. Et certe in veteris Musices instrumento nil ignotius occurrit, sive formam, sive materiam spectes, sive quatiendi modum. Mitto de prioribus dicere: libet heic de modo quaerere: nimirum quo discrimine a sistrali agnosceretur. Nam quae de utroque hac parte legi, adeo consimilia sunt, ut quid quo loco subintelligam, vix dicere habeam. Rem illustratum eo scriptorum commissione. Noster describens *Sistrum* in pompa Isidis, Miles. 11. *Aeneum crepitaculum* vocat, *cuius per angustam laminam in modum baltei recurvatam, traiectae mediae paucae virgulae, crispante brachio tergeminos ictus, reddebant argutum sonorem.* Plutarchus de Isid. et Osir. Τῇ ἁψῖδι τοῦ σείστρου κατὰ κορυφὴν ἐντορεύουσιν αἴλουρον ἀνθρώπου πρόσωπον ἔχοντα, κάτω δὲ ὑπὸ τὰ σειόμενα, πῇ μὲν Ἴσιδος, πῇδε ΝέΦθυος πρόσωπον. Ex Scriptoribus his (ut id obiter dicam) coniunctis, en exactam *Sistri* deformationem, qualemque nuper vidimus in Italia cusam, e Musaeo Francisci Gualdi Ariminensis Equitis; omnium, quotquot uspiam pictas vidi, longe optimam eam, et (ut puto) non pessimo consilio heic oblatam tibi. [Sequitur in Ed. Pricaei delineatio sistri.] At in viam e diverticulo. Vides in *Sistri* concussione *crispans brachium*; iamque Virgilius audi ut *Crotalistriam* describit: *Copa Syrisca caput Graia redimita mitella, Crispum sub crotalo docta movere latus: Ebria formosa* (scribe *fumosa*) *saltat lasciva Taberna, Ad cubitum raucos excutiens calamos.* quaero hoc loci quid est *crispum latus*, scilicet an alios motus signet ab Appuleii *crispante brachio*, et χειρονομοῦντι πήχει Epigrammatarii. Habes en nodum sensu meo vindice non indignum, eo magis, quod et Salmasius et Scaliger eum integrum liquere. At ne videar controversia mota hoc argumentum deserere, aut aufugere (ut cum Plauto loquar) tragula iniecta; doctissimi Bourdelotii super hac re, atque adeo praesenti Authoris loco sententiam depromam, eamque ipsius verbis meo more appingam. Locum infirmum (inquit) praestantissimi Medici iudicarunt, et varie illius curam aggressi sunt: quidam amputatione sanatum crediderunt, sed simplex luxatio est. repono, *Tragaedi syrmate, histrionis crotalo, ut ad Trieterica Orgia, mimi centunculo.* Nullus autem inter Grammaticos dissensus est, si quidem quisque varias *crotali* materias designat; Appuleius *aes*, ut et Sarisburiens. Eustath. ὄστρακα. Prioribus convenit Martialis non semel, ubi agit de Baeticis crumatibus. Cum Eustathio Aristophanes Βατραχ. ποῦστιν ἡ τοῖς ὀστράκοις αὕτου κρατοῦσα; Iuvenalis Sat. xi. *Audiat ille Testarum crepitus cum bombis.* Lege D. Hieronym. Praefat. in Sophoniam. Quod autem quaeritur quid sit *crispum latus*, nihil aliud est quam motus obscaenissimus clunium, quo *Iam frigidus aevo Laomedontiades, et Nestoris hernia possit Incendi.* Iuvenalis, unicus huius moris interpres, ead. Satyr. *Plausuque probatae Ad terram tremulo descendant clune puellae.* Loquitur enim de Ambubaiis et Gaditanis, quae nunc etiam in his motibus doctissimae. *lumbum fluctuantem* dixit obscaenus vates, et veteres *fluxum* vocaverunt. sic in Iuvenalis illo Sat. 6. *Medullinae frictum*, Codd. nonnulli *fluxum*, quanquam idem est. Et in *Pantomimo*, Epigrammatum Vett. Lib. 4. ubi vulgo: *Mascula faemineo derivans pectora sexu.* Codex V. C. Salmasii habet *fluxu* rectissime, aut *flexu*, quod non alienum est.

Pag. 423. *Homini nato*] Petron. *En homo quemadmodum natus.* supra heic: *quid ego de homine nato diutius?* Miles. 9. *Nil fortuna renuente licet homini nato dextrum provenire.* Plautus: *Qui suum repetunt, alienum reddant nemini nato.* Plinius Lib. 4. Proaemio: *Hominem genitum.*

Ibid. *Imagines effigiatae*] Macrob. Saturnal. Lib. 5. c. 17. *Hac materia vel maxime in efficiendis simulachris utuntur.* putabam (summa iniuria) τὸ *efficiendis* stribiligmem fuisse: per hoc

hoc reponere gestiebam *effigiandis*. iam ineptisse me video, et Macrob. probe loquutum esse. Fabius L. 12. c. 10. *Phidias Diis quam hominibus efficiendis melior artifex traditur*. Cod. Theod. l. ult. *de artif. Efficiendos sacros vultus*.

Ibid. *Vigor*] Florid. 1. eod. argum. *Utique omnibus statuis, et tabulis, et toreumatis, idem Vigor acerrimi bellatoris*. Vim vocis explicant Ausonii illa in Mosella: *Quique sub amne suo mansit vigor, aëre nostro Segnis, anhelatis vitam consumit in auris*. loquitur de pisce capto, et in littore abiecto.

Ibid. *Rigor*] Senec. in sap. non cad. iniur. cap. 3. *Quaedam non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa, rigorem suum, habitumque conservant*. Videtur vox haec deprompta e Stoicorum Philosophia. Eam qui colebant sectam, aiebant animam non in utero concipi, sed effuso, necdum vivo partui, extrinsecus imprimi. Tertullian. de Anima cap. 25. *Semen ex concubitu muliebribus locis sequestratum, motuque naturali vegetatum, dixerunt compinguescere in solam* (lege *solidam*) *carnis substantiam; eam editam et de veteri fornace fumantem, et calore solutam, ut ignitum ferrum ibidem frigidae immersam, ita aëris rigore percussam, et vim animalem rapere, et vocalem sonum reddere*. En tibi *Rigorem* illum quem thesaurum animae dixere, adeoque ψυχὴν dictam παρὰ τὴν ψύξιν. Et fors hinc lucem capiet Papinii illud 3. Sylvar. *Animaeque supremum Frigus amat*. Lucem inquam, neque creperam eam, accipiet, de quo hactenus nil interpretes. Porro πύκνωσιν hanc, sive περίψυξιν, (quam et Plato ipse nonnunquam innuit) perstringit Plutarch. περὶ Στοικ. ἐναντ.

Ibid. *Mobilis, et ad omnem nutum hominis sui morigera*] Lucretius, lib. 4. p. 319. *Indugredi porro pariter simulachra, pedemque Ponere nobiscum credas, gestumque imitari*.

Ibid. *Tot vultus eiusdem laetantis, vel dolentis imitatur*] Allusit scriptor eruditus Zeno Veronensis Serm. de Resurr. *Caro quasi quoddam est speculum intuentis plenitudine gravidatum, quod non tam imaginem suam, quam eius cuius est in visibus gerit; denique tot efficit vultus, quot ille intrinsecus tristes seu hilares suos fecerit motus*.

Ibid. *Luto fictum*] κοροπλαθία. Cicero Pisoniana: *Homullus ex argilla et luto fictus*. Varro ταφῇ Μενίππου· *Ut hirundines singulis oblitis luto tegulas fingebant*. Martialis 10. 39. *Ficta Prometheo diceris esse luto*. Gregor. P. Homil. 43. *Fingere componere est, unde compositores luti figulos vocamus*. Balb. Cathol. *Figulus, Ollarius, luti compositor: qui lutum confingit*.

Ibid. *Cera inustum*] Ausonius: *Ceris inurens ianuarum limina, Et atriorum pegmata*. veteris inscript. Fragm. ΤΗΝ ΓΡΑΦΗΝ ΤΩΝ ΤΕ ΤΟΙΧΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ ΟΡΟΦΗΣ ΚΑΙ ΤΗΝ ΕΓΚΑΥΣΙΝ ΤΩΝ ΘΥΡΩΝ. Vide Salmasium ad Vopisc. et in Plinianis suis ad Solin.

Pag. 424. *Neque pingi, neque fingi*] Passim coniunguntur haec, posterius Statuariam notat. In de Deo Socratis: *Nescio ut Apelles coloribus pingere, ut Lysippus fingere*. Ammian. Marcell. Lib. 24. *Neque enim apud eos pingitur vel fingitur aliud, praeter varias caedes et bella*. Macrob. Saturnal. 5. 17. *Pictores, fictoresque*. Lactant. divin. instit. 1. 11. *Sed et pictores etiam, fictoresque imaginum*. Pacat. Paneg. *Pictorum atque fictorum assequetur imitatio*. Senec. ἀποκολ. *Qui contra hoc SC. Deus factus, fictus pictusve erit* etc. Plaut. Asin. *Neque fictum unquam, neque pictum, neque scriptum in Poëmatis*. Cicero de Alexandro Famil. Lib. 5. Epist. 12. *Ab Apelle potissimum pingi, et a Lysippo fingi volebat*. Ibid. de Agesilao nostro: *Neque minus enim est Spartiates Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem suam passus est esse*. Subest non leve mendum post tot Interpretes. lege (monente Bourdelotio) *perennis*. firmat tota Epistolae series, quae de *perennitate* est.

Ibid. *Diffidens formae suae*] Observat idem Bourdelotius hoc ex vulgi opinione dictum, nam errorem hunc, seu calumniam potius, elegantissime Dio Chrysost. refellit Orat. Corinthiac. Animum scilicet, quo potissimum conspicui homines, non posse pingi, quae mens Plotini etiam (Platonis aemuli) fuit, teste in eius vita Porphyrio. alia etiam utrique ratio, (illi apud Plutarch. huic apud Porphyr.) res ab iis gestas instar omnium imaginum fore.

Pag. 425. *Ut virtutis laude turpitudinem tegerent*] Laërtius: Παιδείας τὴν δυσείδειαν ἐπικαλύπτοιεν. Lysias (Scipioni notatus), Τὰ τοῦ σώματος δυστυχήματα τοῖς τῆς ψυχῆς ἐπιτηδεύμασιν ἰᾶσθαι. Senec. Nat. quaest. lib. 1. *Specula inventa sunt ut homo se ipse nosceat. multi ex his consequuntur primo sui notitiam, mox consilium quoddam: formosus, ut vitet infamiam*, etc. *deformis ut sciat virtutibus redimendum, quidquid corpori defuerit*. Phaedrus Lib. 3. *Quotidie speculo vos uti volo, Tu formam ne corrumpas nequitiae malis, Tu faciem ut istam moribus vincas bonis*. similia Galenus Adhortat. ad Art.

Ibid. *Primarium dicendi artificem*] Cicero de Orat. 1. *Quae Graeci dicendi artifices, et doctores reliquerunt*. Vide hominem doctiss. Lud. Cressolium Theatr. vett. Rhett. Lib. 3. cap. 1.

Ibid. *Ante speculum, quasi ante Magistrum, caussas meditatum*] Εἶναι αὐτῷ μέγα κάτοπτρον οἴκοι, καὶ πρὸς τοῦτο τὰς μελέτας ἐξ ἐναντίας ἱστάμενον περαίνειν, tradidisse ex ore ipsius Plutarc. Phalereum ait. Fabius Lib. XI. cap. III.

De-

Decor quoque a gestu et motu venit: ideoque Demosthenes grande quoddam intuens speculum, componere actionem solebat. Simile quid sonant Themistii ea Orat. XIII. nam quum absentem Imperatorem Constantium laudans, in Senatu caussam redderet cur Romam usque non fuisset profectus, ut eum coram praeconio ferret, dixit, ἐγγυμναστέον ἔτι καὶ ἐμμελετητέον πρὸ τῆς ἀληθινῆς θέας, ταῖς εἰκόσι καὶ τοῖς κατόπτροις, priusquam ad augustum illud spectaculum accederet, esse obtutum ad specula formandum, componendumque. B. Nazianz. Carm. 63. *speculum* vocat οὐκ ὁρόωντα διδάσκαλον. Non aliter aves quaedam edoceri solitae. Idem de sturnis: Ψῆρες μὲν λαλέουσιν ὁμοίιον ἀνθρώποισιν, Φωνῆς ἀλλοτρίης ζηλήμονες, ἣν ἐδίδαξεν Εἴδωλον ξεστοῖο κατ' εἰσόπτροιο Φαεινὸν Ψηρὸς, κρυπταδίην τε ἰεὶς ὄπα κερδαλέως Φῶς.

Pag. 426. *Philosopho obiurganti*] Apposita nimis vox illa *obiurganti*. Gellius lib. 5. cap. 1. *Cum Philosophus hortatur, monet, suadet, obiurgat.* Idem Lib. [vid. Add.] 19. cap. 10. *Cum sententia quidem tali, quali severissimae Philosophorum esse obiurgationes solent.* Iterum de Epicteto Philosopho Lib. 1. cap. 2. *Theorematibus nugalibus, et puerilium Isagogarum commentationibus dilatrantes, obiurgatione iusta incessuit.* Et ibid. cap. ult. de Plutarchi servo, homine (ut ipsius verbis loquar) nequam, et contumace; sed libris disputationibusque Philosophiae aures imbutas habente: *Postremo vociferari inter vapulandum incipit; neque iam querimonias, aut gemitus, eiulatusque facere, sed verba seria, et obiurgatoria.* Addam etiam quae sequuntur ibi, adeo tempestive se obiicientia, amplius, in exemplari Coloniensi meo ite faede interpolata. *Non ita* (inquit) *esse Plutarchum, ut diceret Philosophum irasci turpe esse: saepe cum de malo irae dissertavisse: librum quoque* περὶ ἀοργησίας *pulcherrimum conscripsisse. Is omnibus quae in eo Libro scripta sunt, nequaquam convenire*, etc. Scribe et interpunge: *Non ita esse Plutarchum ut deceret: Philosophum irasci turpe esse*, etc. Et statim: *iis omnibus* etc.

Ibid. *Iudices sorte ductos*] Κεκληρωμένους. De more ita Asconius 2. Verr. *Quam multi Iudices in consilio cum Praetore suo iudicaturi essent qui Quaesitor fuisset in causa publica*, etc. *necesse fuerat eos primum de Curia Senatoria conscribi quum Senatus iudicaret: deinde in urnam sortito mitti, ut de pluribus necessarius numerus confici posset. tertio permitti accusatori et reo, ut ex illo numero reiiciant quot putaverint sibi aut inimicos, aut ex aliqua re incommodos fore*, etc. *reiectione celebrata subsortiebatur Praetor alios, quibus Iudicum legitimus ille numerus compleretur.* Huius argumenti sunt corrupta ea in Isidori Glossis: *Sortiniidus, qui iudet per sortem.* Pro *iudet*, *iudicet* scribendum facile video: in prioribus comminisci nil possum quo acquiescam.

Pag. 427. *Corpori* etc. *spisso, et splendido, et laevi*] In de Deo Socrat. *Corpore denso, seu laevi, seu quodam speculo.*

Ibid. *Resultent ad faciem suam reduces*] Donat. in Adelph. *Inspiciendi speculi effectus, est formae per imaginem resultatio.* Gloss. Vindocinens. ineditae: *Resultare, similitudinem referre.*

Ibid. *Quod extra tangunt ac visunt, id intra speculum imaginentur*]. Opinio Hipparchi. Plutarch. de Plac. Philosoph. Lib. IV. cap. XIII. Ἵππαρχος ἀκτῖνάς Φησιν ἀφ' ἑκατέρων τῶν ὀΦθαλμῶν ἀποτεινομένας τοῖς πέρασιν αὐτῶν, οἷον χειρῶν ἐπαφαῖς περικαθαπτούσαις τοῖς ἐκτὸς σώμασι, τὴν ἀντίληψιν πρὸς τὸ ὁρατικὸν ἀποδιδόναι. ex quibus obiter etiam intelligas illud *tangunt*, quod Heliodorus Larissaeus ἐπιβάλλειν vocat. ὅτι (inquit) προβολῆς τινος ἀφ' ἡμῶν γενομένης, ἐπιβάλλομεν τοῖς ὁρωμένοις. In κεφαλ. ὀπτικ.

Ibid. *Cuncta specula vel uda, vel suda*] Seneca Natur. quaest. Lib. 1. cap. 16. *Quamvis enim eum* (Solem) *orientem occidentemque contemplari liceat, tamen habitum eius, ipsum qui verus est*, etc. *nesciremus, nisi in aliquo nobis humore laevoréve aspici facilior occurreret. humor et laevor* sunt quae heic *uda* et *suda*.

Pag. 428. *Cur cava specula si ex adversum soli retineantur, oppositum fomitem accendunt*] Plinius lib. 7. cap. 106. *Cum specula quoque concava adverso solis radiis, facilius etiam accenduntur.*

Ibid. *Ex adversum Soli*] Florid. 11. *Samos Icario in mari modica Insula est, exadversum Miletos.* leg. *Mileto.* Terent. *Exadversum loco Tonstrina erat.*

Ibid. *Duo Soles aemula similitudine*] Aristoteles παρηλίους vocat, ut et Seneca citato loco. Cicero *geminatum solem.* Caussas apud Ammian. Lib. 3. cap. 11. vide, Histor. Lib. 20. Senecam ubi supra. Aristot. in Meteorologicis.

Ibid. *Alia praeterea eiusdemmodi*] Infra: *Item alia eiusdemmodi.* Florid. 2. *Haec et alia eiusdemmodi.* In de Deo Socr. *Eiusdemmodi beneficio.*

Pag. 429. *Abaco et pulvisculo*] Vetus Persii Interpres: *Abacus dicitur mensa, in qua Geometrae designant loca vel mensuras.* Papias: *Abax, et Abacus, tabula in qua viridi pulvere formae depinguntur.* Barthius pro *viridi* legit *vi radii.* sed nil mutandum. *Pulvis viridis* est quem *hyalinum* vocat Marcianus Lib. 6. et ibid. (si memini) in princip. *glaucum pulverem.* Gloss. Vindocinens. MS. *Viridis, glauca.*

Ibid. *Pulvisculo*] Supra: *Candificum, nobilem pulvisculum.* Onomast. Vet. *Pulvisculus, κονίσαλος.*

Ibid.

Ibid. *Teterrimum os tuum a Thyesta Tragico demutet*] Ni Thyestis vomitum respiciat, non capio. videsis Eustath. ad Iliad. β. et ο. Etymologus: Ἔμεια, τόπος ἐστὶ Μυκηνῶν, παρὰ τὸ ἐμῶ etc. λέγεται δὲ, ἐπειδὴ ἐκεῖ ἔμεσεν ὁ Κέρβερος ἀνελθὼν ἐκ τοῦ Ἅδου· ἢ ἐπειδὴ ἐκεῖ ἔμεσεν ὁ Θυέστης φαγὼν τὰ τέκνα αὐτοῦ. Iuvat sane aliquantillum sententiam hanc quod subdit Noster, *vultu distortissimo*; oris enim inter vomendum distorsionem fieri vel usus probat. Mihi vero, (neque mala fide loquor, aut quo suspicionibus meis viam sternam) istiusmodi allusio frigida, nedum absona est. Novi *Thyestem* fabulam, non Tragaedum. Vide itaque an rectius *Thespi* legas, de quo Plutarchus et Laërtius. Hunc ex scriptoribus iis non solum *Tragicum* fuisse scimus, sed et (quod propius Appuleio accedit) deformitatis captatorem primum. Suidas: πρῶτος μὲν χρίσας τὸ πρόσωπον ψιμμυθίῳ ἐτραγῴδησεν, εἶτα σανδαράχῃ ἐσκέπασεν ἐν τῷ ἐπιδείκνυσθαι, καὶ μετὰ ταῦτα εἰσήνεγκε τὴν τῶν προσωπείων χρῆσιν. Horatius Art. Poët. *Ignotum Tragicae genus invenisse Camenae, Dicitur et plaustris vexisse Poëmata Thespis, Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.* Plura Casaub. de Satyr. Poës. Lib. 1. cap. 5. Fuit et *Thespis* Comicus quidam, de quo in Vesp. Aristophanes.

Ibid. *Sulcos rugarum*] Ovid. *Sulcavitque cutem rugis.* Claudian. 1. in Ruffin. *Rugisque severas Persulcata genas.* Idem in Eutrop. 1. *Sulcisque genarum Corruerat* (malim *aruerat*) *passa facies rugosior uva.* Virgil. *Frontem rugis arat.* D. Hieron. *Arata rugis frons.* Plaut. Bacchid. *Frontem consulcare.*

Ibid. *Distortissimo vultu tuo*] Bene *distorto* vocat, quod iam ante *Tragico* adsimilavit. Clemens Paedag. Στόματι τραγικῶν δίκην διελκομένῳ. Varroni *Facies maeandrata*, ταφῇ Μενιπ. Accius apud eund. 6. de Ling. Lat. *Personae distortae oribus, deformes, moriones.* Huius generis est sigillum ex antiquaria penu Cl. Bourdelotii depromptum. [Sequitur in Ed. Pric. delineatio sigilli, ut et paullo infra alia, e Pignorio.] Nec abeunt illa μορμολυκεῖα olim in anteludiis pomparum exhibita, nonnullis risui excutiendo, aliis incutiendo timori. *matticos*, et *manducos* veteres vocaverunt; homines nempe magnis malis dehiscentes magnumque dentibus strepitum facientes: mentio apud Iuvenalem, Prudentium, nec non alios. Lucian. περὶ ὀρχησ. Στόμα κεχηνὸς παμμέγα, ὡς καταπιόμενον τοὺς θεατάς. Eiusmodi ludicram effigiem invulgavit Pignorius Comment. de Servis.

Ibid. *Potius duxi mea peccata tegere, quam aliena indagare*] D. Hieron. ad Augustin. *Sufficit mihi probare mea, non carpere aliena.* Phaebad. contr. Arrian. *Sufficit conscientiae purae tenere quod credit, aestimanti fore rectius tueri propria, quam extranea et aliena discutere.* Optat. Milevit. cont. Donatist. Lib. 7. *Satis sit homini si de peccato suo reus non sit, quam ut de alieno iudex esse desideret.*

Pag. 430. *An ipse mutuarias operas cum vicinis tuis cambias*] Hoc enim moris fuisse cum ex aliis, tum ex Gellio patet, Lib. 2. cap. 29. in Aesopi Apologo: *Fac amicos adeas, et roges veniant, operamque mutuam dent, et messem hanc nobis adiuvent.* (quo loci inique τὸ *adiuvent* quidam proturbare adorti sunt, quo nil significantius potuit de multitudine efferri. Noster infra, *An adiutorio multitudo eorum necessaria fuit?*) Porro praedictae sententiae non absimilia haec Varronis περὶ Ἀφροδισ. *Utrum mercedem accipit is, qui meas venit Segetes ut sarriat, an ego ab illo.* hinc *mercenarii* isti, *metelli* dicti. Gloss. a Vulcanio editae, *Metellus*, μίσθιος. Gloss. MS. Claud. Puteani: *Metellus, mercenarius, a metendo.* Et verum hoc etymon putem, quidquid apud Festum lego.

Pag. 431. *Imperatores Pop. Rom. paucitate servorum gloriatos*] Quod Noster adsignat modestiae Romanorum Imperatorum, verius alii Veterum parsimoniae, qui Legatis et Imperatoribus non alium famulitii modum statuerunt. Ideo M. Cato senior quum Hispaniam regeret, intra Legatis praescriptum numerum remansit. Valer. Max. Lib. 4. cap. 3. Nec maiorem habuit Caesar quum Britanniam oppugnaret, ut ex Cotta eius Legato in Lib. de Repub. Rom. refert Athenaeus Lib. 6. cap. 8. Ἰούλιος δὲ ὁ Καῖσαρ ὁ πρῶτος πάντων ἀνθρώπων περαιωθεὶς ἐπὶ τὰς Βρεττανίδας νήσους μετὰ χιλίων σκαφῶν, τρεῖς οἰκέτας τοὺς πάντας συνεπήγετο, ὡς Κότας ἱστορεῖ ὁ τότε ὑποστρατηγῶν αὐτῷ, ἐν τῷ περὶ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας συγγράμματι. Neglectam hanc regulam paulo prius deprehendo apud eundem: Σώφρονες δὲ ἦσαν, καὶ πάντα ἄριστοι οἱ ἀρχαῖοι Ῥωμαῖοι· Σκιπίων γοῦν ὁ Ἀφρικανὸς ἐπίκλην, ἐκπεμπόμενος ὑπὸ τῆς συγκλήτου ἐπὶ τὸ καταστήσασθαι τὰς κατὰ τὴν οἰκουμένην βασιλείας, ἵνα τοῖς προσήκουσιν ἐγχειρισθῶσιν, πέντε μόνους ἐπήγετο οἰκέτας. huius rei testes Polybius et Posidonius: et quod de Catone diximus, quinarium ei numerum servorum in Hispania degenti, Plutarchus assignat in vita eius, et Scipioni in Apophthegmat. sed inter Valerium et Graecos nullum dissidium, quippe ex his quinque duo σύνοδοι, seu comites, nam legitimus servorum numerus ternarius. [Sequitur in Ed. Pric. Bourdelotii observatio, aliquanto prolixior, de legitimo servorum numero, ad familiam constituendam.]

Ibid. *Adoreis*] Miles. 7. *Domi, forisque fortibus factis adoreae plenae gloriarer.* Gloss. Δόξα, ἡ ἀπὸ τοῦ πολέμου, *adorea.* Gloss. Bourdelot. MS. *Adoream, laudem bellicam.* Gloss. Puteani MS. *Adoreis, Victoriis.*

Pag. 432. *Qui ter triumphum una porta egerit*] Ex his unum de Lucanis fuisse Casaub. ait: Cicero tamen Cat. Maior. ut et Noster heic, pro Lucanis Pyrrhum nominat. Equidem triumphatos eos non puto, de iis ovavit tantum. V. Fast. Sigon.

Ibid. *Villam publicam*] Δημόσιον κατκγώγιον; quod in nummo T. Didii apud Ursinum vidisse videor. Straboni Libro 5. Δημοσία ἔπαυλις. Positam in Campo Martio docet P. Victor 9. Region. Usus eius ad excipiendos Magistratus in Provincias euntes, Legatosque exterarum gentium peregre adventantes. Livius 43. *Macedones deducti in Villam publicam extra urbem, ibique iis locus, et lautia praebita.* Et 39. *Quibus vetitis urbem ingredi, hospitium in Villa publica, Senatus ad aedem Bellonae datus est.*

Pag. 433. *Paupertas olim Philosophiae vernacula*] Marcianus Lib. 6. de παιδείᾳ germanâ Philosophiae: *Haec utpote talentorum conscia in omnium rara congressus, nec cuiquam facile primores saltem vultus superba committens, plerumque tamen adhaesit arrisitque pauperibus; magisque illis quos aut pedibus nudos, aut intonso crine hispidos, aut sordenti conspexit pallio semitectos.*

Ibid. *Habitu secura*] Isid. Pelus. Lib. 2. Epist. 257. Πενία ἀσφαλείας ἁπάσης, καὶ μετριοφροσύνης ὑπόθεσις. Monost. de morib. *Divitiae trepidant, paupertas libera res est.* D. Chrysost. in Act. Homil. 13. Ὁ μὲν πλούσιος οὐδὲν ἕτερον εἶναι μοι δοκεῖ, ἀλλ' ἢ πόλις ἀτείχιστος ἐν πεδίῳ κειμένη, πολλαχόθεν ἐπισπωμένη τοὺς ἐπιβουλεύοντας. ἡ δὲ πενία φρούριον ἀσφαλὲς χαλκῷ περιβεβλημένον πολλῷ, καὶ δύσκολον ἔχον τὴν ἄνοδον.

Ibid. *Consilio benesuada*] Itane? male tum *malesuada* audit apud omnium fere gentium scriptores. At veniam non gravate damus: e causa, non sensu loqueris.

Pag. 434. *Omnium artium repertrix*] Theodoretus περὶ προνοίας. Orat. 6. Ὁ δημιουργὸς τέχναις παντοδαπαῖς τὴν πενίαν ἐκόσμησε. Plautus Stich. *Illa omnes artes perdocet ubi quemque attigit.* Xenophon Lib. 2. Epist. 118. eam Σοφίαν αὐτοδίδακτον vocat, et B. Isidorus πάσης ἐπιστήμης τε καὶ τέχνης μητέρα. Patria Aristophan. Πλουτ. 2. 5. Himerius apud Phot. Cod. 243. Demosth. contr. Eubul. Manil. 1. Claudian. rapt. Proserp. 3. Et haec obvia passim: illud non item, *Artes Paupertatemque* Gaditanos iisdem aris coluisse. Aelian. περὶ προνοίας, apud Eustath. in Dionys. Philostrat. de vita Apollon. 5. 1.

Ibid. *In Phocione benigna*] Ita Plutarchi χρηστὸν vertit Appuleius, et D. Pauli ad Galat. 5. χρηστότητα D. Hieronymus. notior tamen in hac historia *bonitatis* vox, quidni et aptior? *benignum* nescio quid facilitatis habet, quod abhorrebat a Phocionis moribus. *bonitas* eius erat austera probitas, et integritas.

Ibid. *Proque eo in hodiernum Diis immortalibus sympuvio, et catino fictili sacrificat*] Porphyr. περὶ ἀποχ. Διὰ τοῦτο καὶ τοῖς κεραμείοις ἀγγείοις, καὶ τοῖς ξυλίνοις, καὶ πλεκτοῖς ἐχρῶντο, καὶ μᾶλλον πρὸς τὰς δημοτελεῖς ἱεροποιΐας, τοιούτοις χαίρειν πεπεισμένοι τὸ θεῖον.

Ibid. *Catino fictili*] Nonnius in *Samium: Oratio extat Laelii, quam sympuvia Diis immortalibus grata sunt, Samiaeque ut heic vocat Capedines.* Eadem et Cicer. 3. de Nat. Deor. Ergo *Capedines* eadem *Catinis* videntur.

Pag. 435. *Quorum filiae ob paupertatem* etc.] Senec. ad Helviam cap. 12. *Beatioresne istos putas quorum Pantomimae decies sestertio nubunt, quam Scipionem, cuius liberi a Senatu in dotem aes grave acceperunt?* Ammian. Marcellin. Lib. 14. *Dotatur ex aerario filia Scipionis, quum nobilitas florem adultae virginis, diuturnam absentiam pauperis erubesceret Patris.* Locus non constat. Scribe, *quum nobilitas et flos adultae virginis.* etc. adde his quae Gentilis notat.

Ibid. *Usura lucis*] Cicero Verr. 7. *Lucis usuram tam diuturnam.* Idem pro Rabyr. *Usuram huius lucis.* Salvianus 6. de guber. *Vendunt nobis hostes lucis usuram.* L. 1. Cod. *de custod. reor. Luce usurpata.* Miles. 2. Noster: *Usuram Solis.* Prudent. 2. contra Symmach. *Luminis usum.* Herric. Altisiodorens. German. 6. *Usum spiraminis.*

Ibid. *Si eum ex fortunae indulgentia, non ex Philosophiae censura metiris*] Florid. 2. *Ingenii eius faecunditatem malo et doctrinae, quam supellectilis multiformi instrumento gloriari.* Ita eum locum lego, vulgo male acceptum.

Pag. 436. *Nihilo minus quam lacinia propendens, impedit et praecipitat*] Expressum ex his Xenophontis: Αἱ μὲν ποδήρεις ἐσθῆτες τὰ σώματα, αἱ δὲ ὑπέρμετροι περιουσίαι τὰς ψυχὰς ἐμποδίζουσι. Dio Chrysost. Orat. περὶ πλεονεξ. Καὶ ἐσθῆτα μὲν οὐδεὶς βούλεται μείζω τοῦ σώματος ἔχειν, ὡς δύσχεστον ὄν· οὐσίαν δὲ τῷ παντὶ μείζω τῆς χρείας ἐπιθυμοῦσιν ἅπαντες ἔχειν, οὐκ εἰδότες ὅτι τοῦτο ἐκείνου χαλεπώτερον. Symmachus 3. 10. *Odi in parvo corpore longa velamina: illa vestis decenter indutui est, quae non trahit pulverem, nec humum demissa calcatur.*

Ibid. *Quicquid aptam moderationem supergreditur, oneri potius quam usui exuberat*] Senec. Epist. 108. *Et ostendere quam quicquid usum excederet, pondus esset supervacuum, et grave ferenti.* Porphyr. περὶ ἀποχ. Lib. 1. πολὺ τὸ ἡδὺ ἐν τῷ κατανοεῖν ὅσων τὶς χρείαν οὐκ ἔχει, ἀρθείσης γὰρ πολυτελείας, ἀρθείσης τῆς περὶ τὰ ἀφροδίσια πτοίας, ἀρθείσης τῆς ἔξω φιλοτιμίας,

τὶς

τὶς λοιπὸν χρεία πλούτου ἀργοῦ; εἰς μηδὲν ἡμῖν χρησιμεύοντος, ἀλλα μόνον βαρήσοντος.

Ibid. *Oneri potius quam usui*] Utitur solenni metaphora ab oneribus sumptâ. Sic de Cratete 2. Floridorum: *Rem familiarem abiecit velut onus tergoris, magis labori quam usui.* Infra heic: *Ad vivendum, velut ad natandum, is melior qui onere liberior.* Salvianus I. contr. Avar. *Divitias onerum atque impedimentorum loco ducentes esse.* D. Hieron. ad Ageroch. *Divitiarum sarcina praegravati.* Theodoret. περὶ προνοίας. Serm. 6. Πῶς ἂν Φρονήσεως ἐν ἕξει γένοιτ᾽ ἂν ἄνθρωπος τοσούτοις Φορτίοις τὸ λογικὸν κατακεχωσμένος; Ibid. de pauperibus: τὰς αἰσθήσεις ἐῤῥωμενεστέρας πλουσίων ἔχοντες, καὶ τῶν περιττῶν Φορτίων ἀπηλλαγμένας. Satyrae de Lite Author, priscus et venustus: *Qui bona perdere avita Non dubitavit, ut hoc quasi pondere, mente levatus, Liberius studiis incumbere posset honestis.* D. Paulinus Epist. 38. *Quae veritas in tantum valet, ut de Gentilibus quoque qui vel extremae veritatis lineas celsioribus ingeniis attigerunt, inquirendae, nedum sequendae sapientiae vocari non posse senserint, nisi pecuniarum onera quasi stercorum etiam in mare quidam proiicerent.* Sarisburieneis (quem corrigo) Lib. 5. cap. 17. *Ad salutem via tutissima est divitiis et oneribus* (vulg. *rebus*) *aliis expedito: difficillimum enim est ut possessoris* (vulg. *possessorem*) *sui non impediant cursum.*

Ibid. *Irritam copiam, noxiam nimietatem*] Boëtius de Consolat. Lib. 2. *Satietatem si superfluis urgere velis, aut iniucundum quod infuderis fiet, aut noxium.*

Ibid. *Nullo strepitu, modico cultu*] Seneca de constant. Sap. cap. 15. *Domus sapientis angusta, sine cultu, sine strepitu*, etc. Iuvenalis Sat. 7. *Et strepitu, et facie maioris vivere census.*

Ibid. *Supervacanea*] Falsi qui scribi iubent *supervacua.* Florid. 3. *Supervacaneo studio.* Onomast. vet. *Supervacaneus*, περισσὸς.

Ibid. *Quae naturâ oppido pauca sunt*] Manil. *Parvos usus natura reposcit.* Lucanus: *Discite quam parvo liceat traducere vitam, Et quantum natura petat.* Senec. ad Helviam: *Id egit rerum natura, ut ad bene vivendum, non magno apparatu opus esset.*

Ibid. *Is plurimum habebit, qui minimum desiderabit*] Censorinus Proem. *Quisque non quanto plura possidet, sed quanto pauciora optat, tanto est locupletior.* P. Syrus: *Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.* Valerius de Fabricio: *Locupletem istum faciebat non multa possidere, sed modica desiderare.*

Pag. 437. *Divitiae non melius in faenore et fundis, quam in ipso hominis aestimantur animo*] Scitissimam γνώμην hanc quasi certatim plures expressere. D. Ambros. Epist. 82. *Non census divitem sed animus facit.* Ausonius: *Ex animo rem stare aequum puto, non animum ex re, Ille opibus modus est, quem statuas animo.* Seneca ad Helviam: *De contemptu pecuniae multa dicuntur, et longissimis Orationibus hoc praecipitur, ut homines in animo, non in patrimonio putent esse divitias.* Xenophon in Conviv. Νομίζω τοὺς ἀνθρώπους οὐκ ἐν τῷ οἴκῳ τὸν πλοῦτον καὶ τὴν πενίαν ἔχειν, ἀλλ᾽ ἐν ταῖς ψυχαῖς. Chremes Terentianus Heautont. *Quid reliqui est quin habeat quae quidem in homine dicuntur bona? Parentes, Patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias: Atqui haec perinde sunt ut illius animus qui ea possidet.*

Ibid. *Nec montibus auri satiabitur*] Themist. Euphrad. Οὐκ ἵστησι τοὺς ἀεὶ τοῦ πλείονος ὀρεγομένους πέρας οὐδὲν, οὐδὲ ὅρος οὐδεὶς, οὐδ᾽ ἂν πέλαγος εἴπῃς Ἀτλαντικὸν, οἷς γὰρ οὐ πέπηγεν ὅρος ἐν τῇ ψυχῇ, οὐδὲ ἐν τῇ γῇ. *Montes auri* proverbiale est. Plaut. Aulul. *Pici divitiis qui montes aureos colunt.* Varro περὶ γενεθλιακ. *Non demunt animis curas ac religiones, Persarum montes, non atria diviti' Crassi.* sic πόντος χρυσίου apud Phaenicem Poëtam veterem Epistol. l. 2. Ἀνὴρ Νίνος τὶς ἐγένεθ᾽ ὡς ἐγὼ κλύω Ἀσσύριος, ὅστις εἶχε χρυσίου πόντον. Καὶ σ᾽ ἀλλὰ πολλῷ πλεῦρα Κασσίης ψάμμου.

Ibid. *Nec Laelius quantum Scipio*] Cicero: *Nec me divitiae movent, quibus omnes Africanos et Laelios, multi venalicii mercatores superarunt.*

Pag. 438. *Nec refert quam magnum sit, quod tibi minus est*] Seneca de remed. etc. *Faelix est non qui aliis videtur esse, sed qui sibi.* Et Epist. 9. *Non est beatus esse qui se non putat: quid enim refert qualis status suus sit, si sibi videtur malus?*

Ibid. *Pauper fis appetendi egestate*] In de Philosophia: *Egestatem non absentia pecuniae, sed praesentia immoderatarum cupidinum gignit.* Ibid. *Quanto plurium cupidior, tanto egentior.* Hyperides apud Rutil. Lupum de figur. etc. *Qui parcus est, utitur eo quod satis est: tu contra propter avaritiam quo plus habes, magis eges: ita non tam diligentiae* (malim *opulentiae*) *fructus quam inopiae miseria te consequitur.*

Ibid. *Dives non egendi satietate*] Apud Philostrat. Apollonius: Τὸ δεῖσθαι μηδενὸς, ἐμοὶ Λυδία, καὶ τὸ Πακτωλοῦ πᾶν. Minuc. Octav. *Quis potest pauper esse qui non eget?* Dion. Halicarnass. Πλούσιος οὐκ ὁ πολλὰ κεκτημένος, ἀλλὰ ὁ μικρῶν δεησόμενος. Isid. Pelusiota Lib. 5. Epist. 450. Αὐτὸν πλοῦτον ἔχειν, ἀλλὰ τὸ μὴ δεῖσθαι πλούτου, πλοῦτός ἐστι μέγιστος.

Ibid. *Equus si virtutibus suis polleat*, etc.] E Xenophontis Oeconomico. Paria apud Stobaeum legere est Serm. I. Nostrum in de Deo Socrat. Iuvenal. Sat. 8.

Ibid. *Aequabilis vector, et cursor pernix*] D. Chrysost. Δρομικὸν εἶναι, καὶ εὐσκελῆ, καὶ βαδίζειν εὔρυθμα. Loco iam dicto Noster: *Ad cursum vegetus, ad vecturam validus.* Ibid. *Volo enim non modo perniciter, sed etiam permolliter pervehat.* Item 4. Florid. *Advectorem sibimet equum seligunt diutinae fortitudinis, vivacis pernicitatis: idem* (malim *eundem*) *et ferre validum, et ire rapidum.* Ennodius: *Sublimem validum, formosum, passibus aptum.* Idem: *Cornipedem scandi qualem vix Cyllarus aequat, Mollibus aethereas qui vincit cursibus auras: Immobilis cuius currat per devia sessor, In statione volans pedibus constanter adactis.*

Ibid. *Animi ut corporis, sanitas expedita, imbecillitas laciniosa est*] Lactant. Divin. Instit. L. 7. cap. 1. *Eo fit ut pauperes et humiles Deo credant,* (malim, *accedant*) *facilius, qui sunt expediti, quam divites, qui sunt impedimentis plurimis implicati: imo catenati et compediti, serviunt ad nutum Dominae cupiditatis, quae illos inextricabilibus vinculis irretivit.* D. Hieron. ad Rufin. *Nisi me attenuati corporis vires quadam compede praepedissent.* Fors et Glossarii mens ea, ubi Ποδάγρα, *pedica.* Vide quae notamus infra, ad ea *morbo impeditus.*

Pag. 439. *Velut ad natandum*] Eadem assimilatione Paulinus Epist. 38. *Atque utinam vel nudis nobis ex istius mundi salo liceat evadere, et in tempore isto quo in fragilitate corporea, et possessionum lubrico, tanquam in navigii fatiscentis infida compage fluitamus, exuere nos ad enatandum impedimentis augentibus, quasi vestibus madidis: et fidem salutarem qua in virtute Christi Dei, vexillo crucis nitimur, quasi tabulam perfugii meminerimus invadere.* Et in Polycrat. Sarisburiens. Lib. 5. cap. 17. *Sic omnes post divitias currunt, ac si alibi laborum requies dolorumque solatium inveniri non posset: ac si naufragi de profundo queant enatare facilius, si praegravi sarcina fuerint onerati.*

Ibid. *Cui quam minimis opus sit, eum esse Deo similiorem*] Scitum Cynicorum. Vide Laërtium in Menedemo. Silenus Marco Imperatori apud Iulianum in Caesarr. Τί ποτε ἐνόμιζες εἶναι τὴν τῶν Θεῶν μίμησιν; καὶ ὅς, δεῖσθαι μὲν ἐλαχίστων. Xenophon memorab. L. 1. Ἐγὼ μὲν νομίζω τὸ μὲν μηδενὸς δέεσθαι θεῖον εἶναι, τὸ δ' ὡς ἐλαχίστων ἐγγυτάτω τοῦ θείου. Eadem in Cynic. Lucianus, et in Proem. Censorinus.

Pag. 440. *Equitibus phaleras*] V. Marcilii Not. ad Persium.

Pag. 441. *Togam palmatam*] Qualis haec, quam expressimus e nummo Augusti. [Sequitur in Ed. Pric. haud inelegans delineatio togae palmatae.] primo Triumphantium, post Consulum et Consularium fuit. Sumebatur autem e Templo Iovis Capitolini. (Livius Lib. 10. Iuvenal. Sat. 10. Ausonius Paneg. Lamprid. in Severo) quem morem abrogavit Gordianus senior Capitolino teste c. 4.

Pag. 442. *Idque a me longa peregrinatione, etc.*] Tota ex Apollonio [Philostr. L. VIII. c. 7. pag. 332. Ed. Olear.]

Ibid. *Quorundam filias dote auxi*] Phalaris Epist. 143. Πέντε τάλαντον προῖκα κατέλιπεν αὐτῇ (θυγατέρι) Φιλόδημος ἐκπλέων παρ' ἡμῖν, καὶ οὐχὶ ταῦτα μόνον, ἔστι γὰρ αὐτῇ κοινὰ καὶ τὰ Φαλάριδος χρήματα. V. Hesych. Illustr. in Empedocle. Saepe integre dotabant etiam. Noster 10. Miles. *Ut desolatam puellam, parentumque praesidio viduatam, domus suae tutela receptaret: ac mox arctissimo, sibique multum dilecto, contubernali, largitus de proprio dotem, liberalissime traderet.* Specimen munificentiae huius insigne Vespasianus praebuit. Suetonius: *Vitellii hostis sui filiam splendidissime maritavit, dotavitque etiam et instruxit.*

Ibid. *Tanti revera estis, quantum habetis*] Horat. Serm. 2. *Tanti, quantum habeas, sis.* Poëta vetus apud Senecam, Epist. 115. *Tanti quisque, quantum habuit, fuit.* Lucillius: *Quantum habeas, tanti ipse fies, tantique habearis.*

Ibid. *Arbor infaecunda, et infaelix*] V. Muret. Var. 8. 9. Brodaeum Miscell. 1. 1. Iuret. ad Symmach. 10. 28. Mercer. ad Nonnium. Meurs. ad Lycophron.

Ibid. *Uno asello*] Miles. 9. de seipso tum sub asino delitescente: *Me pauperculus quidam hortulanus comparat quinquaginta nummis, magne ut aiebat, sed ut communi labore victum sibi quaereret.* Breviter porro, sed acerbe, Aemiliani sive μικρολογίαν, sive egestatem perstringit, nam *Quod fieri per asellum potest, vilissime constat,* inquit Plinius Lib. 18. cap. 6. quod et fuse persequitur Columella Lib. 7. cap. 1.

Pag. 443. *Numidiae et Getuliae in ipso confinio*] Hoc idem dicere voluit 4. Floridorum, sed is locus in Libris omnibus ita corruptus visitur, ut dixisse eum quidvis aliud putes. *Ita mihi et patria* (inquit) *in concilio Africae.* Lectio nihili, corrigend. ex hoc loco, *Confinio.*

Pag. 444. *Quid ex istis addi vel minui ad virtutem vel malitiam potest?*] Extat in hanc mentem sane Oratio quaedam Themistii περὶ τοῦ μὴ δεῖν τοῖς τόποις, ἀλλὰ τοῖς ἀνδράσι προσέχειν. alia tamen Curtius lib. 8. et Polyb. 4. Hippocrat. lib. de aer. et loc. Aristot. Polit. 7. 7. imo Plato tuus in Timaeo, Menedemo, de Legg. 5. de Republ. 8.

Ibid. *Apud socordissimos Scythas Anacharsis sapiens natus est*] Themistius: Ἀνάχαρσιν δὲ τὸν Σκύθην πάντων ἀκούεις, ὅτι καὶ σοφὸς ἦν καὶ Σκύθης. Iulianus Orat. ad Senat. et Pop. Athen. Τυχὸν οὐ παράδοξον ἐν πολλοῖς φύλοις ἕνα

ἔνα γίνεσθαι σπευδαῖον. ἢ γὰρ, οὐχὶ παρὰ Μήδοις ὑμνεῖταί τις Δηϊόκης, Ἀβαρίς τε ἐν Ὑπερβορείοις, καὶ Ἀνάχαρσις ἐν Σκύθαις; At cur *socordes* Scythas Appuleius vocat? Herodotus ex Diametro pugnat, en verba eius: Ὁ δὲ πόντος ὁ Εὔξεινος ἐπ' ὃν ἐστρατεύετο Δαρεῖος, χωρέων πασέων παρέχεται (ἔξω τοῦ Σκυθικοῦ) ἔθνεα ἀμαθέστατα· οὔτε γὰρ ἔθνος τῶν ἐντὸς τοῦ Πόντου οὐδὲν ἔχομεν προβαλέσθαι σοφίας πέρι, οὔτε ἄνδρα λόγιμον, παρὲξ τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνεος καὶ Ἀναχάρσιος. censendum itaque est Appuleium hoc nomine omnes Ponti accolas intellegisse, Herodotum unam eorum gentem ita proprie vocatam, quam Scymnus Chius *Nomadicam* appellasse videtur: Καὶ τὸν σοφὸν δ' Ἀνάχαρσιν ἐκ τῶν Νομαδικῶν Φησὶ γενέσθαι τῶν σφόδρα εὐσεβεστάτων.

Ibid. *Athenienses catos*] Miles. 1. *Athenienses catos illos, et omnis scientiae magistros.* Attici acuminis apud veteres fama non infrequens. Tertullian. de Anima cap. 20. *Thebis hebetes et brutos nasci relatum est: Athenis sapiendi di cendique acutissimos.* D. Hieron. in cap. 3. Galat. *Athenis expeditiora nasci ingenia Philosophi gloriantur.* Martialis: *Tibi cor limante Minerva Acrius, et tenues finxerunt pectus Athenae.* Putabant enim acumen gigni ab aëris tenuitate. Cicero de Fato: *Athenis tenue caelum, ex quo acutiores etiam putantur Attici.* Vitae Pythagorae Author apud Photium Cod. 249. Διὸ καὶ οὐδ' ἐπείσακτός ἐστιν (ὡς εἰπεῖν) ἡ παιδεία ἐν ταῖς Ἀθήναις, ἀλλ' ἐκ τῆς φύσεως ὑπάρχουσα· τοῦ τοιούτου ἀέρος ἰσχνοτάτου ὄντος καὶ καθαρωτάτου, ὡς μὴ μόνον τὴν γῆν λεπτύνειν etc. ἀλλὰ καὶ τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων. συμβαίνει γὰρ τὸν λεπτὸν ἀέρα τὴν μὲν γῆν βλάπτειν, τὰς δὲ ψυχὰς ὠφελεῖν. Adi Cassiodor. Var. 12. 15.

Ibid. *Splendidissima Colonia*] Omnia quae in Coloniam cadere ornamenta possunt, videtur unico hoc verbo congessisse. Tacit. German. *In splendidissima Rhetiae Provinciae Colonia.* Cicero Philipp. 5. *Mutinam firmissimam et splendidissimam Pop. Rom. Coloniam.* Lapides:

.... DECVRIONI SPLENDIDISSIMAE COLONIAE.

.... ORDO ET POP. SPLENDIDISSIMAE COLON. AVG. HIMEREORVM.

Ibid. *Patrem habui loco principe* etc.] Quam claritudinem stemmatis sui vel e Milesiis patere voluit. Lib. 3. *Neque tuae dignitatis, vel etiam prosapiae tuorum sumus ignari, Luci Domine: nam et Provinciam totam inclytae vestrae familiae nobilitas complectitur.* Et 11. *Nec tibi Natales, ac ne dignitas quidem* etc. *usquam profuit.* De Patre vero quem hoc loci memorat, quique vulgo *Theseus* perhibetur, vide alia omnia apud Salmas. in Prolegom. ad Solin.

Ibid. *Duumviralem*] Honoris apex in Municipiis, Coloniisque. Ulpian. l. 1. *D. de alb. scrib.* V. Scalig. Auson. Lect. L. 2. Panciroll. de Magistrat. Municipal. Alciat. Dispunct. Lib. 3. cap. 5. et ad l. 239. *de verb. signif.*

Ibid. *Cunctis honoribus perfunctum*] Miles. 10. *Gradatim permensis honoribus.* Scatet eiuscemodi Elogiis Inscriptionum corpus.

Pag. 446. *Exinde ut participare Curiam caepi*] Ausonius: *Curia me duplex, et uterque Senatus habebat, Muneris exortem, nomine, participem.* *Participare Curiam*, est in Decurionum ordinem adsciscí, secus enim impos fuisset Duumviratus. Paulus l. 7. *D. de Decurion.* At vero *tradi Curiae*, aut *Curialium obsequio*, tantum ab honore aberat, ut inter poenas esset. V. Forner. Quotid. Lib. 1. cap. 28.

Ibid. *Vana haec convitia aufertis?*] Gellius Lib. 18. cap. 4. *Vanos doctissimi veterum non (ut vulgus) desipientes, aut hebetes, aut ineptos: sed mendaces et infidos, et levia inaniaque pro gravibus et veris astutissime componentes, vocabant.* quae optime vocis pondus in Appuleio monstrant. Festus Avienus in Fab. *Vana laboratis aufer mendacia dictis. aufer* Plautinum est. Trucul. *aufer nugas.* Aulul. *aufer cavillum.* Pers. *Iurgium hinc auferas.*

Pag. 446. *Flammam stipula exortam*] Virgil. *Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis.* Sedulius Opere Paschali: *Velut ignis oberrans Arentes stipulas, vires cui summa cremandi Materies infirma rapit, victoque furore, Labitur invalidae deformis gloria flammae.*

Ibid. *Leges cerimoniarum*] Miles. 11. *Cerimoniarum ritus.* Florid. 2. *Cerimoniarum potentias.* Arnob. 6. *Cerimoniarum debita.* Gloss. MS. Cl. Bourdelotii: *Cerimoniae, observationes religionum.*

Ibid. *Magia id est quod Plato interpretatur* Θεῶν θεραπείαν] In Alcibiade puto. Porphyr. περὶ ἀποχ. L. 4. Παρά γε μὲν τοῖς Πέρσαις οἱ περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ, καὶ τούτου θεράποντες, Μάγοι μὲν προσαγορεύονται, etc. Hesych. Μαγεύειν, γοητεύειν, θεραπεύειν θεούς. Quod vero Laërtius e Clitarcho tradit, Chaldaeos περὶ Ἀστρονομίαν καὶ πρόῤῥησιν ἀσχολεῖσθαι, Magos περὶ θεραπείας Θεῶν διατρίβειν, videtur tantulum a vero abhorrere: nam et Magi vaticinabantur et astrorum peritissimi erant. Cicero de Divinat. *In Persis augurantur, et divinant Magi.* Lucian. Macrob. Οἱ καλούμενοι Μάγοι, γένος τοῦτο μαντικὸν etc. Iuvencus Hist. Apostol. Lib. 1. *Gens est Eoi Phaebo orto proxima, regni Astrorum sollers ortusque obitusque notare, Quorum primores nomen tenuere Magorum.* Ammian. Marcell. L. 23. *Hystaspes Darii Pater, quum superioris Indiae secreta fidentius* (suspectam hanc vocem habeo) *penetraret, ad nemorosam quandam venerat solitudinem, cuius tranquillis si-*

lentiis praecelsa Brachmannorum ingenia potiuntur: eorumque monitu rationes mundani motus, et siderum, purosque sacrorum ritus quantum colligere potuit eruditus, ex his quae didicit, aliqua sensibus Magorum infudit, quae illi cum disciplinis praesentiendi futura, per suam quisque progeniem posteris aetatibus tradunt.

Pag. 447. *Puerum regium adolescentem Persae imbuant*] Clemens Στρωμ. 5. ab Aegyptiis hunc morem eos traxisse ait.

Ibid. Θεραπεύεσθαι δὲ τὴν ψυχὴν ἐπῳδαῖς τισι] Eadem Pythagorae disciplina. Malchus in de vita eius: Τὰς ψυχὰς νοσοῦντας παρεμυθεῖτο, τοὺς μὲν ἐπῳδαῖς καὶ μαγείαις, τοὺς δὲ Μουσικῇ.

Pag. 448. *Vi cantaminum*] Miles. 1. *Violentia cantionum.* Ibid. *Cantionum virtutibus.* Orig. 1. contr. Celsum, ἐπῳδῶν δυνάμεις.

Ibid. *Venenarium*] De venenariis mentio l. 29. *D. de poenis.* Gloss. *Venenarius* φαρμακοποιός. Gloss. MS. Bourdelotii: *Veniarum, herbacē.* lege *Venenarium, herbarium.*

Pag. 449. *Socratis Daemonium*] Rectius heic quam in Apodeixi peculiari, ubi *Deus* vocatur. Ipse Socrates apud Platonem, Plutarchus, Cicero, Maximus Tyrius (qui duas edidit de eo dissertationes) ubique Δαιμόνιον vocant eum, non *Deum.*

Pag. 450. *Habet aliquid Appuleius domi quod secreto colit*] Idem hoc ab Ethnicis obiectum Christianis. Minuc. Octav. *Cur etenim occultare et abscondere quidquid illud colunt magnopere* (lego *tantopere*) *nituntur, quum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint?* Sophocl. Electr. πῶς τὸ δ' εἰ καλὸν τ' οὔργον σκότου δεῖ.

Pag. 451. *Cuius obtentu et voluntate a patruo eius accusor*] *Dederat Libellum enim nomine nepotis sui, adscripseratque se ei adsistere* etc. *scilicet ut obtentu eius aetatulae ipse insimulationis falsae non plecteretur.* Verba sunt Authoris in limine Apologiae.

Pag. 452. *Phrygionibus*] Salmas. ad Vopiscum. Scriverius ad Senecam.

Ibid. *Maleficio*] Magiae, *sic in* XII. QVI MALVM CARMEN INCANTASSIT. V. Heins. ad Silii Italici Lib. 3.

Ibid. *Cupediariis*] Quos Onomast. vetus reddit Σωμοποιούς, quasi dicas, *gnaros iuris condiendi:* ego nec de illis, nec καθόλου lautiorum edulium venditoribus Appuleium loqui puto, prorsus nec alio genere hominum quam Piscatoribus. Miles. 1. *Forum Cupedinis peto, inque eo piscatum opiparem expositum video. Forum Cupedinis, est Forum piscatorium*, ἰχθυοπώλιον, ut in vett. Glossis. Temere adversetur nemo, stat a nobis Scaliger, μάρτυρ σεμνὸς μάλα καὶ ἀξιόπιστος.

Pag. 453. *Quo proximo signo*] Infra, *Patiens et oppido proxima humanitate.* h. e. (ut supra notavimus) *manifesta.* Minuc. Octav. *Apertius, proximius.*

Ibid. *Altilia*] Miles. 10. *Carnes lasere infectas, altilia pipere inspersa. Altilia* dixeris omnia in saginam tradita, proprie tamen volatilia. Gloss. *Altilium*, Σιτευτῶν. *Altiles*, Σιτισταί. legendum fors. *Altores, Avarii* nempe, quos olim in Oeconomia lautiorum locum habuisse legimus, Lapis

.... PRISCVS.
L. VARI. AMBIBOLI.
AVIARIVS. ALTILIARIVS.

Alius:

ANTIGONVS. DRVSI. CAES.
AVIVM. FARTOR. etc.

Ibid. *Quid enim competit ad amoris ardorem* etc. *piscis, aut omnino res pelago quaesita?*] Multum. Hesych. Illustr. Αἴσωπος, οὐκ ὁ μυθοποιός, ἔγραψε περὶ Ἑλένης, ἔνθα φησὶ πάνα ἰχθῦν καλεῖσθαι κητώδη, ἐν τούτῳ δὲ τὸν Ἀστερίτην λίθον εὑρίσκεσθαι, ὃς ὑπὸ τῷ ἡλίῳ ἀνάπτεται, ποιεῖ δὲ πρὸς φίλτρα. Eadem Suidas, et Ephestion apud Photium. Nec dissimile de Echeneide tradit Aristoteles de Animal. 2. 14. de Mustela marina Aelianus Var. Hist. 15. 13.

Pag. 454. *Vittas molles, et verbenas pingues, et Thura mascula*] Eclog. 4. Ex eo Nemesianus: *Quid prodest quod me pagani mater Amyntae, Ter vittis, ter fronde sacra, ter thure vaporo Lustravit?*

Ibid. *Thura mascula*] Turneb. Advers. 10. 2. Tiraquell. ubi supra, num. 66. et 67.

Ibid. *Limum durabilem, ceram liquabilem*] Ioan. Sarisburiens. Polycrat. 1. 12. *Ad effectus hominum immutandos in molliori materia, cera forte vel limo, eorum quos pervertere nituntur, effigies exprimunt.* Plura de his malis pupis Heins. ad Theocrit.

Pag. 455. *Fluctum scrutaris*] Voce aptissima usus est, *Scrutari.* Manilius 4. *Scrutarique novum pelagus.* Claudian. 4. Consol. Honor. *Calidi scrutatus stagna profundi.* Priscian. in Perieg. *Scrutantur ripis alii torrentibus imbri, Berylli gemmas.* Ausonius Mosell. *Scrutatur toto populatrix turba profundo.* Ibid. *Ille hamis et rete potens, scrutator operti Nereos.* Stat. Theb. *Scrutator aquarum.* Et Sylv. 3. *Fluctivagos nautas, scrutatoresque profundi.* Nonnus in Ioann. cap. 1. Ἐρευνητῆρα θαλάσσης. Valeant deliria hominum in Appuleio nova omnia aut absoleta somniantium. Scriptor cum primis purus, elegans, Latinus est: Leporis et amoenitatis Pater, norma proprietatis.

Ibid. *Antipathes illud quaeritur*] Recte eruditiss. Salmasius Not. ad Solin. p. 661. ubi v. plura, duplex heic mendum advertit. In voce

quae-

quaeritur, et in ordine versiculi ipsius. Στίχος hic praeponendus priori, legendumque *quaerito.* nam quis adeo imperitus est qui non agnoscat προσφώνησιν?

Pag. 457. *Pythagoram Zoroastris sectatorem*] Imo *Auditorem.* Florid. 4. *Sunt qui Pythagoram aiunt eo temporis inter captivos Cambysae Regis Aegyptum quum adveheretur, doctores habuisse Persarum Magos, ut praecipue Zoroastrem, omnis divini arcani Antistitem.* Sed turbat temporis ratio, enim Pythagoras recentior multo. *Zaradae* tamen Pythagorae praeceptoris meminit Plutarchus in περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας. qui an idem cum Malchi *Zabrato*, et *Nazarato* Clementis Alexandrini, vide apud incomparabilem Seldenum nostrum in de Diis Syris, Syntag. 2. cap. 1.

Ibid. *A quibusdam piscatoribus everriculum trahi, fortunam iactus eius emisse*] Valerius Lib. 4. cap. 1. *A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus, quidam iactum emerat.* Gloss. et Onomast. *Verriculum*, Σαγήνη.

Ibid. *Iussisse illico pisces qui capti tenebantur, solvi retibus et reddi profundo*] Fusius rem narrat Plutarchus Sympos. 8. 8. et Tract. Πῶς ἄν τὶς ὑπὲρ ἐχθρῶν etc. Similem (ut Arnob. vocat) humanitatem, Plutarch. χρηστότητα εὐεργησίας, in Xenocrate Aelianus memorat, Var. 13. 31.

Ibid. *De manibus amissurum*] Miles. 6. *De manibus emittas offulam.* Et 8. *Praedam mediis manibus amittimus.* Caesar Bello civil. 1. *Hostem ex manibus dimitti.* Idem 6. Gall. *Praedam ex manibus dimitterent.* Et alibi: *Fortunam tantam ex manibus dimittant.*

Ibid. *Ulysses Scrobem*] Miles. 1. *Devotionibus sepulchralibus in scrobem procuratis.* Lycophron. ψυχαῖσι θερμὸν αἷμα προσράνας βόθρῳ. Ovid. Metam. 7. Horat. Sat. 8. Silius Ital. Lib. 13. Theodoret. θεραπευτ. Serm. 8. Iustin. Martyr. Apolog. 2. Philostrat. de vit. Apollonii. 4. 5. Euseb. in Hieroclem. Nicephor. ad Synes. περὶ ἐνυπν. Omnium accuratissime Heliodor. Lib. 6.

Pag. 459. *Illex animi Venus, et Luna noctium conscia, et Manium potens Trivia*] Diversis nominibus hisce intellige idem Numen: Lunam nempe, *Deorum Dearumque illam uniformem faciem, cuius Numen unicum multiformi specie, vario ritu, nomine multiiugo totus venerabatur orbis.* Verba sunt Authoris Milesia 11. Lunam autem praefuisse τοῖς ἐρωτικοῖς, Magorumque Venerem fuisse, doctissime Seldenus monstrat iam laudati operis Syntag. 1. cap. 2. Videsis et προλεγόμενα eius de ista πολυωνυμίᾳ, quam a Magis eo ostendit usurpatam, ut virtutis carminibus plus esset, et facilior venia.

Ibid. *Neptunus cum Salacia, et Portunus cum omni choro Nereidum*] Philostrat. Heroic. Ποσειδῶν τε αὐτὸς, καὶ Ἀμφιτρίτη, Νηρηΐδες τε ξύμπασαι. *Salacia* uxor Neptuni. D. Augustin. 7. de Civit. etc. *Iam utique habeat Salaciam uxorem Neptunus.* Nec aliud quam mare. Miles. 4. *Gravis piscoso sinu salacia.* Gloss. *Salacia*, Ἀμφιτρίτη. Varro D. L. L. 4. hoc nomine notat aestus recessum.

Pag. 460. *Qui vectem perfossor*] Festus, *vecticularia vita dicitur eorum, qui vectibus parietes alienos perfodiunt, furandi gratia.* Optatus (quem corrige) contra Donat. Lib. 2. *Divinum opus malitiae vectibus destruentes.* vulg. *militiae.* Gloss. *Vectis*, Μοχλὸς σιδηροῦς. Idem et *Laberna*, Gloss. Isid. *Laberna, ferramentum latronum, grassatorum, vel furum.*

Ibid. *Sicarius*] Glossae Nomicae, Σικάριος, ἀνδροφόνος· παρὰ τὴν σίκαν, ἥ ἐστι σιδηρᾶ μάχαιρα. Et quidem satis constat de *Sica.* at vero de *Cicra*, quam aliae Glossae ἀσπίδα λῃστρικὴν vocant, adeo in promptu res non est ut ne quaerendum sit. [sed vid. Add.]

Ibid. *Gulones, qui impenso pisces pretio a piscatoribus mercantur*] *Gulones* vocat quos Apollonius apud Philostrat. τῇ γαστρὶ πάντα χαριζομένους. *impenso pisces pretio mercari*, est quod ibidem τοὺς ἰχθύας ὠνεῖσθαι πλείονος ἢ τοὺς κοππατίας οἱ λαμπροί. passim (ut in limine dixi) exprimit Apollonium Noster.

Pag. 461. *Eius mihi aut formam commemorent*] *Commemorare* est *dicere.* Serenus Sammonicus: *Est et vis morbi quod telum commemoratur.* Supra Noster: *De quadam saga ad hunc modum memoravit.* Gloss. *Commemora*, φράσον.

Ibid. *Vel si id nequierint*] Miles. 9. *Vel si id nequierint, certe larva, vel aliquo diro Numine immisso.*

Ibid. *Interfeminium*] Onomast vet. *Interfeminium*, τὸ γυναικεῖον. An et ita in Glossario legend.? ubi vulg. Μεσομήριον, *Interfemus.*

Ibid. *Interfeminium tegat, et femoris obiectu, et palmae velamento*] Prorsus ut in isto signo Arundelliano. [Sequitur in Ed. Pric. effigies Veneris. V. Ovid. Art. Am. 2. 614. et ibi Burm. Bayer. in Mon. Petropol. de Venere Coa.] cuius schematis etiam expressionem videre esset in Milesiis, si liceret per caliginem spissam illam corruptorum Codicum. legitur, *Glabellum feminal rosea palmula obumbrans de industria, quam tegens verecundia.* Editt. Rom. et Ald. *Glabellum feminal vel. rosea palmula obumbrans* etc. Codex MS. meus, *G. f. velʒ ros. pal.* etc. quae certe scriptio proxime a vero abest: lege ex compendii vestigiis, *velamento roseae palmulae*, Miles. 11. *velamentum naturale* vocat.

Ibid. *Quibus tandem verbis accusasses crimen illud* etc.] Non aliud est hoc crimen quam balbuties illa. quod eo moneo, ut ne prima facie im-

impingant alii itidem ut ego feci, dum hoc crimen nimis longinque investigarem. Cur autem Naturae vitium appellat crimen? puto, quod cum prae infantia adeo inepte blatteraret, eloquentiam non timuit profiteri, et Patronum agere.

Ibid. *Veretillum*] Glossae et Onomast. vet. *Veretrum*, Αἰδοῖον. Glossae Arabico-lat. *Veretrum*, *portum orinum*. Legerim tantisper *porcum marinum*. V. in voce Ἀλεσούριος Etymologum. Isid. Orig. Lib. 11. cap. 1.

Ibid. *Virginal*] Idem in Gloss. *Virginal*, *membra virginis in quo habitat*. fors: *V.*, *membrana*, *virginitas in qua habitat*. Omnino altera lectio nil expedit.

Ibid. *Eliciendos mortuos*] Expressit voce aptissima vim eam quam passim Magicis carminibus tributam videas. Neque alio putem ferenda quae in Glossis lego, *Elicuit*, Ἐξεβιάσατο. *Eliciens*, Ἐκβιαζόμενος. *Elicia* haec ψυχαγωγίας vocat Max. Tyrius Dissert. 13. Iustin. Mart. Apolog. 2. ψυχῶν κλήσεις. Miles. 1. Noster, *Manium sublimationes*.

Ibid. *Marina calvaria*] Scilicet propter ὁμωνυμίαν terrenae, quae in maleficio frequens. Miles. 3. Noster (officinam feralem deformans,) *Heic nares et digiti, illic carnosi clavi pendentium: alibi trucidatorum servatus cruor, et extorta dentibus ferarum trunca calvaria*. Petronius de saga vetula: *Pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad usum reposita, et sincipitis vetustissima pars mille plagis dolata*. Ioannes Sarisburienses, ubi de maleficiis Iuliani Lib. 1. cap. 21. *In Carris aperto templo, quod usque ad reditum suum clausum esse praeceperat, inventa est mulier capillis appensa, manus extensas habens, aperto utero: in cuius iecore eventum belli Persici fuerat speculatus. In Antiochia quoque arcas in Palatio plurimas, humanis capitibus plenas invenerunt*. *Humana capita* ista non alia quam *calvaria* puto.

Ibid. *Nugas marinas, et quisquilias littoraleis*] Puta, *Conchiliorum reduvias*, ut apud Solinum. *Muricum, ostreorumque fragmenta*, ut apud Melam; φυκία καὶ βρύα, ἐκβαλλόμενα εἰς τοὺς αἰγιαλοὺς, καὶ εἰς τὰς ψάμμους, ἄτερπνα πάνυ, καὶ οὐδὲ ὀνομαζόμενα. Ita eas in Epistolis designat Iulianus.

Pag. 462. *Congestim et acervatim*] Miles. 4. *Pulmentis acervatim, panibus aggeratim, poculis agminatim ingestis*. Glossae: Σωρηδὸν, *Acervatim, concervatim*, lege *coacervatim*.

Ibid. *Conchulam striatam*] Plinius: *Striata concharum modo*. Sidonius Lib. 4. Epist. 8. *Quod posset aptari conchae capaci, quae per ansarum* (lego *ansatum*) *latus utrumque, in extremum gyri a rota fundi, senis cavatur striaturis*. Glossae *Striata*, Συστρωτά. V. Vitruvium Lib. 4. cap. 4. Palmariam corruptae vocis huius restitutionem debemus Colvio ad 2. Florid. Edebatur *decoris histricis*, et *decoris instrumentis:* correxit acutus iuvenis, *decoris striis*.

Ibid. *Lolliginum ligulas*] V. Sidonii Expositores Lib. 1. Epist. 2.

Ibid. *Assulas*] *Fomites* appellant Festus et Isidorus Lib. 7. c. 6. suntque proprie de ligno. Noster ad lapides transtulit, ut et Vitruvius. Vet. Onomast. *Assula*, Σκινδαλμός.

Ibid. *Maris eiectamenta*] Tacit. German. *Iacebat inter caetera maris eiectamenta*. Curtius Lib. 9. *Maris purgamenta*.

Ibid. *Ubique littorum*] Sic loqui amat Noster. Infra: *Ubicunque locorum*. In Milesiis, *ubique itineris, ubique gentium*, et similia, quae cum probam Antiquitatem praeferant, hinc inde exulant tamen.

Ibid. *Ventis expelluntur, salo exspuuntur*] Nazianz. ubi supra: Ἐξωθεῖτο καὶ ἀπεπτύετο. *Spuere* signantius dixit. Solinus: *Mari incito exspuuntur*. Carminis de Sodoma Author in Tertulliani Libris: *Maris exspuit aequor*. Catullus: *Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis*.

Ibid. *Spuria*] Graeci subsicivae vox est. Plutarch. Quaest. Rom. Τοὺς Σαβίνους φασὶ τὸ τῆς γυναικὸς αἰδοῖον ὀνομάζειν σπόριον. De Etymo recte Casaub. Σπόριμα μόρια.

Ibid. *Alga ad querquerum*] *Querquerum* Gentili algor est, vel stridor frigidus, qui ut plurimum febricitantibus oboritur, quum dentes collidunt: ita etiam accepisse videtur Minuc. in Octav. et nescio qui alii apud Festum. At si *querquerum* ex se frigidum, ad quid *alga?* ut intendatur frigus? nugae. *algam* facete Appuleius ut remedium caloris posuit: *querquerum* itaque censeamus oportet febrem calidam et siccam. Vise vocem eam ap. Guicciard. Ling. Harmon. Etymolog.

Pag. 463. *Occidua senectute*] Pollux Onomast. Lib. 2. cap. 2. Λέγοιτο δ' ἂν καθ' Ὑπερίδην, ἐπὶ δυσμαῖς βίου. Hesychius: Δυσμαῖς βίου, τὸ τέλος τῆς ζωῆς. Prudent. Cathemer. *Occasus vitae*.

Pag. 464. *Et superstes*] Annos sex, si Suidae fides. alii, iique plures, utriusque emortualem diem uno eodemque anno statuunt. V. Cl. Seldeni not. ad Marmora Arundeliana.

Ibid. *Vixit enim ad extremam senectutem*] Annum prope centesimum. Lucian. Macrob. Valerius, alii.

Ibid. *Quum accusaretur a filio*] Sophoclis historiam narrant Cicero, Valerius, Plutarchus. Quod ait *filio* Noster (qui Luciano et Aristophani *Iophon*) advertendum Ciceroni et Plutarcho plures memoratos.

Ibid. *Quasi iam per aetatem desiperet*] Ita Graecus eius βιογράφους, Ὡς ὑπὸ γήρως παραφρονοῦντα.

φρων. Cicero quod in Oeconomia aequo negligentior: et fors hoc vero propius; nam non alio nomine accusatus publice Democritus, non alio modo purgat se quam quo Sophocles noster. Athenaeus 4. Δημόκριτον Ἀβδηρῖται δημοσίᾳ κρίνοντες, ὡς κατεφθαρκότα τὰ πατρῷα, ἐπεὶ ἀναγνοὺς αὐτοῖς τὸν μέγαν διάκοσμον, καὶ τὰ περὶ τῶν ἐν Ἅδου, εἰπὼν εἰς ταῦτα ἀνηλωκέναι ἀφείθη. Fere eadem Laërtius.

Ibid. *Coloneum peregregiam Tragaediarum*] *Qua sola fabula omnium eiusdem studii Poëtarum praeripere gloriam potuit.* Verba sunt Valerii Lib. 7. cap. 7. Somniabam aliquando τὸ *Poëtarum* a Glossatore fuisse.

Pag. 465. *Omnes Iudices tanto Poëtae adsurrexisse*] In plausum nempe. Phaedrus: *In plausus consurrectum est.* Sueton. in August. *Assurrectum ei ab universis, et a stantibus plausum.* Arnob. Lib. 4. *Conclamant, et adsurgunt Theatra.* Author Dial. de clar. Orator. *Testis ipse Populus, qui auditis eius* (Virgilii) *versibus, surrexit universus.* Graeci ἀναπεδᾷν, *vocant*, et ὑπανίστασθαι.

Ibid. *Nec ita multum omnes abfuisse, quin* etc.] Imo nihil abfuisse ait Lucianus Μακροβ. Patrem enim absolutum narrat, et condemnatum filium.

Ibid. *Lege pauca* etc. *Tu interea* etc.] Illa ad Scribam refer, haec ad Apparitorem, ἐφύδωρα.

Ibid. *Interea dum legit*] Supra proxime, *Interea dum hic quaerit.* ne quid forte putes παρέλκειν.

Ibid. *Aquam sustine*] Sic in Attico foro Demost. κατὰ Κόνων· Λέγε αὐτοῖς ταύτας τὰς μαρτυρίας, σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ. Et κατὰ Στεφαν. Λάβε δ' αὐτὴν τὴν μαρτυρίαν, καὶ ἀνάγνωθί μοι, σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ.

Ibid. *Faeminae subent, mares suriant*] Paulo argutius haec quam pro more dicta: non enim usus loquendi hoc discrimen admittebat. *Subare* de maribus efferri solitum Colvius notavit: ego *surire* dictum et de faeminis docebo. Festus Pompeius: *Sues immundissimi sunt ex omni pecore mansueto, et ardentissimae libidinis: ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, quum subare et surire dicuntur.* Ubi male expungit vir doctus τὸ *surire:* nam et καπρᾷν, ut exponitur *surire* in Glossario, Aristoteles de sequiore sexu protulit, Lib. 6. de animal. Eustath. ad Iliad. λ. Καπρᾷν ἐκ τοῦ κάπρου λέγεται, τὸ ἀσελγαίνειν· ὅθεν καὶ γυνὴ καπρῶσα, ἡ ἀσελγής. Scaliger Not. ad Varr. tamen ex hoc loco Authoris nostri καπρᾷν tantum ad mares refert. De *subare* et *surire* non recoquo quae iam alii. V. Paul. Leopard. Emend. Lib. 2. cap. 10. Rittershus. ad Oppian. Κυνηγετ. 3. Salm. ad Solin. p. 661, a.

Pag. 466. *Moneta*] Gloss. Τύπος, τὸ χαραγεῖον, *moneta.*

Pag. 467. *Secundum Cynicam temeritatem rudi, et indocto*] Infra: *Mollitia rudi et indocta. Rudis et indoctus* est, qui (ut Cynici) neque Gratiis, neque Musis litavit. Athen. Deipnos. Οὐχ ὥσπερ σὺ Κύνικε, ὁ μηδέποτε ταῖς χάρισιν, ἀλλ' οὐδὲ ταῖς Μούσαις θύσας. Hinc apud Plautum Bacchid. *Indocti mores:* ex quo corrigendus apud Nonnium Caecilius: *Quid narras barbare cum indoctis moribus?* nam vulgo male editur, *indomitis.*

Ibid. *De Diis immortalibus Patri et Matri credere*] Deridet Philosophico more imperitam multitudinem, quae aut investigandae veritatis taedio succumbit cuilibet opinioni, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτοιμα τρέπεται μᾶλλον, (ut in Argumento pari Thucydides:) aut, ut potior pars, perculsa timore nescio atque inani, Parentum relligiones suscipit, ac caecos ritus. Minuc. Octav. *Has fabulas et errores, et ab imperitis parentibus discimus: et* (*quod est gravius*) *ipsis studiis* etc. *elaboramus.* Prudent. Lib. 1. contra Symmach. *Sic observatio crevit, Ex atavis quondam male caepta, deinde secutis Tradita temporibus, serisque nepotibus aucta, Traxerunt longam corda inconsulta catenam.* confer quae in Sat. 14. Iuvenalis.

Ibid. *Clupeae*] Quae et *Aspis.* Strabo Lib. 6. Solin. cap. 17. Meminerunt Stephanus etiam, Plinius, et Lucanus.

Pag. 469. *Cerebrum Iovis*] παροιμιακῶς. V. Adag. Διὸς ἐγκέφαλος.

Ibid. *Nestoris ad patriam hic capitur*] Aliter Archestratus: Καὶ σκάρον ἐν παράλῳ Καρχηδόνι τὸν μέγαν. et Petronius: *Siculo scarus aequore mersus.* an et hinc Gellius corrigendus Lib. 7. cap. 16. ubi vulgo *Scari Cilices?*

Ibid. *Dulces quoque Echini*] Etiam γλυκεῖς eos Athenaeus Deipnos. 3. vocat, at ὑπολαμβανομένοις μετ' ὀξυμέλιτος, καὶ σελίνου, καὶ ἡδυόσμου. Massilienses vero ob nativum saporem, quibus vulgo *Doussins.* Bellon. de piscibus Lib. 2.

Pag. 470. *Et ubi gentium quisque eorum inveniatur, qualiter assus aut iussulentus optime sapiat*] D. Hieronymus (μιμητικῶς) Epist. ad Nepotianum: *Novi nomina et genera piscium, in quo littore concha lecta sit, calleo: sapores avium discerno, et provincias.* Iuvenalis Sat. 14. *Nulli maior fuit usus edendi Tempestate mea: Circaeis nata forent, an Lucrinum ad Saxum, Rutupinove edita fundo Ostrea, callebat primo deprendere morsu: Et simul adspecti dicebat littus Echini.* quin et aptius in hanc mentem Boëtius quam ut omitti debeat, de consol. lib. 4. *Ipsos quinetiam fluctibus abditos, Norunt recessus aequoris: Quae gemmis niveis unda feracior,*

Vel quae rubentis purpurae: Nec non quae tenero pisce, vel asperis Praestent echinis littora. cuius loci me admonuit doctiss. Bourdelotius.

Ibid. *Iussulentus*] Miles. 10. *Pisces exotico iure perfusos.*

Ibid. *Ad suppetias*] Vocem militiae propriam, ad medicinam transtulit.

Ibid. *Veteres quidem carmina remedia vulnerum norant*] Pindar. Pyth. Od. 3. et ibi Scholiast. Virgil. *Neque cum iuvere in vulnere cantus.* Marcian. Capel. *Febrem curabant vulneraque veteres cantione.* Medendi modus tractus a Pythagora. Porphyr. in vita eius. Iamblich. cap. 29. et 34.

Pag. 471. *Ego nihil clanculo, sed omnia in propatulo ago*] Plautus Trinummo: *Nil ego in occulto agere soleo.* Suetonius de Augusto: *Filiam et neptes ita instituit, ut vetaret loqui aut agere quidquam, nisi propalam.* Velleius Paterculus de Druso Lib. 2. *Quum aedificaret domum in Palatio, in eo loco ubi est, quae quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennae est: promitteretque ei Architectus ita secam aedificaturum, ut libera a conspectu, immunis ab omnibus hominibus* (legebam *omnium luminibus*) *esset, nec quisquam in eam despicere posset: Tu vero inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quidquid agam ab omnibus perspici possit.*

Ibid. *Extrarius arbiter*] Tertullian. Apolog. *Eo magis, quia nec verebatur extraneos arbitros.*

Ibid. *In primori fronte animum gestare*] Symmachus: *Te in primori affectionum mearum fronte constituo.* Lucretius L. 4. *Iam prima in fronte parata.*

Ibid. *Duodecim numero ossa*] τὸ numero παρέλκει, et id adeo frequenter in Authore nostro, ut si exempla congerere liberet, occupandae paginae forent. Symmachus (quem putem emendandum, etsi non in voce ea:) *Piget dicere in quinque numero solidos potissimum subscriptoris fuisse legatum.* legerim *potissimi*, i. e. *honestissimi*, nam signabant plures.

Pag. 472. *Rusparer*] Gloss. Isidori: *Ruspantur, perquirunt anxie.* Glossae Philoxeni: *Ruspinat*, Χειροτριβεῖ. [v. ad Gell. XVII, 19.]

Ibid. *Hepatia suffoderem*] Onomast. vet. *Iecuscula*, Ἡπάτια. Lucillius (Colvio notatus) *Gigeriae sunt, sive adeo hepatia.*

Ibid. *An hariolis licet iocinera rimari?*] Proprie *iocinera.* οὐ γὰρ πᾶσι τοῖς σπλάγχνοις οἱ μάντεις ἐχρῶντο πρὸς δήλωσιν τῶν ἐσομένων, ἀλλὰ τῷ ἥπατι μόνῳ. verba sunt Nicephorae ad Synes. περὶ ἐνυπν. Petronius: *Recluso pectore extraxit fortissimum iecur, atque inde mihi futura praedixit.* Apollon. ap. Philostrat. τὸ ἧπαρ, ἐν ᾧ φασι τὸν τῆς αὐτῶν μαντικῆς εἶναι τρίποδα, οἱ δεινοὶ ταῦτα. Festus generalius paulo: *Cuius ad exta inspiciunda conducuntur harioli.* hinc ὑπαρκτικῶς *Inspicia* apud Tertullianum 1. contra Marcion., quae *Fissiculationes extorum* Noster de Deo Socratis et Capella de nupt. etc. L. 2. vocant. Abrogata haec deliria ab Impp. Valerian. Gratian. et Theodos. L. 2. Cod. de *Pagan. et Sacrif.*

Ibid. *E Bibliothecis*] *Publicis* nempe, de quibus infra etiam mentio occurrit.

Pag. 473. *Desquamari*] Onomast. vetus: *Desquamo*, Ἐκλεπίζω.

Ibid. *Exdorsuari*] Festus: *Exdorsua, dorsum confringe: alii exime.* Nonnius: *Exdorsuare, dorso nudare.* Vet. Onomast. *Exdorsuo*, Ἀπονοτίζω.

Ibid. *Paucis consciis testibus corruisse*] Seneca de Epilepticis, de Ira 3. 10. *Vitaverunt turbam, et sine teste ceciderunt.*

Ibid. *Carmine cantatum corruisse*] Zonaras in Constant. M. Ζαμβρῆς παρὰ Ἰουδαίοις ἀνὴρ γόης βοῦν ἐνεχθῆναι ἠξίου διὰ τοῦτο λέγειν, μέλλων ἐνδείξασθαι τὴν δύναμιν τοῦ οἰκείου θεοῦ. προσηνέχθη ὁ βοῦς, πεπλησίακεν αὐτῷ, ὑπεψιθύρισέ τε εἰς τὸ οὖς, κἀκεῖνος μέγα τε καὶ γοερὸν μυκησάμενος, καὶ τρόμῳ συνδινηθεὶς, καταπέπτωκε. Daemonas καταβολικοὺς habes apud Tertullian. Lib. de Anima cap. 28.

Ibid. *Progredi mendacio*] Lactant. Divin. Instit. L. 3. cap. 11. *Quousque progredi fingendo liceat.*

Ibid. *Nec modo vulgi opinione, verumetiam doctorum virorum auctoritate*] Suprà eadem Antithesi: *Tam rudes vos esse omnium literarum, omnium denique vulgi fabularum.* Gellius Lib. 2. cap. 18. *Non modo his communibus hominum sensibus opinionibusque compertum non est, sed ne inter Physicas quidem Philosophias* etc.

Pag. 474. *Puerum in aqua* etc.] Specimen Hydromantiae, de qua passim in Libris. Propertius: *Umbraque quae Magicis mortua prodit aquis.* Damascius apud Photium Cod. 242. Nicet. Choniat. Lib. 2.

Ibid. *Indicasse ubi locorum defossa erat crumena*] Varro in Fragmentis: *Demonstratum praeterea quo in loco defodisset aurum.*

Pag. 475. *A pedissequo*] Ex more honestiorum, de quo fuse et eleganter heic Casaubonus. Plautus Asinar. *Ego baiulabo, tu ut Dominum decet, ante me ito inanis.*

Ibid. *In stipem Apollinis*] Inscriptio vetus:

APOLLINI SIANNO
STIPE ANN.

Varro de L. L. 6. *Diis quum Thesauris asserdant, stipem dicunt.* Seneca de benef. Lib. 7. cap. 4. *Omnia Deorum sunt, tamen Diis posuimus donum, et stipem iecimus.* De modo alicubi apud Graecos usitato, haec Pausanias Achaic.

Ἀφι-

'Αφικόμενος ὁ τῷ Θεῷ χρώμενος τίθησιν ἐπὶ βωμὸν τοῦ ἀγάλματος ἐν δεξιᾷ νόμισμα ἐπιχώριον, καὶ ἐρωτᾷ πρὸς τὸ οὖς τὸν Θεὸν etc.

Ibid. *Inter Deos atque homines, natura et loco medias quasdam Divorum potestates intersitas*] In de Deo Socrat. *Sunt quaedam mediae divinae potestates inter summum aethera et infimas terras, in isto aëris spatio intersitae.* Ibid. de iisdem; *Inter nos ac Deos ut loco regionis, ita ingenio mentis intersitae. Secundae Beatitatis Numina* Marciano Capellae Lib. 2. Dissert. 27. 'Αθάνατοι δεύτεροι Max. Tyrio.

Ibid. *Easque divinationes cunctas, et Magorum miracula gubernare*] Ibid. Noster: *Per hos eosdem, ut Plato in Symposio autumat, cuncta denunciata, et varia Magorum miracula, omnesque praesagiorum species reguntur.* Nicephor. ad Synes. Μαγεία ἐς' ἡ διὰ τῶν μέσων Δαιμόνων ἐνεργοῦσα. Minuc. Octav. *Magi non tantum sciunt Daemonas, sed etiam quidquid miraculi ludunt, per Daemonas faciunt.*

Pag. 476. *Sopore quodam futura rerum praesagire*] Cicero Cat. M. Xenophon. παιδ. 8. Damascius apud Photium.

Ibid. *Verum enimvero utut ista sunt*] Sic in de Deo Socratis lege, pro eo quod vulgo, *Verum enimvero ut ista sunt.*

Ibid. *Fides impertienda est*] In de Syllogis. Categ. *Fidemque illis ex se impertiant.* Et in de Deo Socrat. *Relligionum observationibus, et sacrorum suppliciis, fides impertienda est.* ubi Scaligerum *impetrienda* legisse aiunt, quod nollem factum.

Ibid. *Corpore decorus atque integer deligi*] Plinius de Nerone Lib. 30. cap. 2. *Sunt quaedam Magis perfugia, veluti lentiginem habentibus non obsequi Numina: forte hoc in illo, nihil membris defuit.* Imo et legitimis eorum sacris mutilatio exclusa. Seneca in controvers. *Sacerdos non integri corporis quasi mali ominis res vocanda est:* (legebam *vitanda*) *hoc in victimis notatur, quanto magis in Sacerdotibus.* Idem in Pontificio Christianorum Iure observatum etiam, Decretal. P. 5. Dist. 55. *De corpore vitiatis*, h. e. quos sola mutilos voluntas fecit, at P. Eugenius etiam Presbyterum cuius duos digitos cum medietate palmae a praedone abscissos cognoverat, omnino a celebratione Missae arcendum censuit; *quia nec secure* (inquit) *propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri, hoc fieri posse confidimus: caeteris autem officiis Sacerdotalibus fungi minime prohibemus.* Decret. Greg. L. 3. Tit. 6. *de Cler. aegrot.*

Ibid. *Non ex omni ligno debet Mercurius exsculpi*] Plinius Lib. 16. *Quidam superstitiosius exquirunt materiam unde Numen exsculpant, et quanquam Priapus ille Deus facilis et crassus, haud gravatur ficulnus esse, non tamen idem liceat in Mercurio, Deo tam ingenioso, totque praedito artibus.* Iamblich. Vit. Pythag. cap. 34. Τὸν μὲν γὰρ ἐκδομένου τινὸς 'Ερμῆν ζητεῖν εἰς τὴν διάθεσιν ξύλον ἐπιτήδειον. Hoc ξύλον ἐπιτήδειον Pausanias Arcadic. ait θύον esse, de quo Theophrast. V. Lib. 5. cap. 5.

Ibid. *Quid in Thallo despuant*] Morbum comitialem nempe. Plinius Lib. 28. cap. 4. *Despuimus comitiales morbos, hoc est, contagia regerimus.* Plaut. Capteiv. *Illic isti qui insputatur morbus, interdum venit.*

Ibid. *Eodem poclo bibere*] Lucillius apud Nonium: *Eodem poclo bibo, eodem amplector.*

Pag. 478. *Rus ablegatus in longinquos agros, ne familiam contaminaret*] Titinnius apud Festum: *Rus detrudetur pedicosus squallidus.* D. Ambros. Apolog. David. cap. 14. *Plerique divitum amandare consueverunt mancipia sua, et per agellulos relegare.*

Ibid. *Corpore morbido*] Νοσερῷ, Onomast. vet.

Ibid. *Cuius caput contingat*] Profecto hic locus, si quis alius, observatione dignus. habet enim ritum quempiam in susurris Magicis instinguendis usitatum, ut a nullo Commentatorum expositum, ita reapse minus protritum. Fateor non incommode referri posse ad προσεγγύσεις illas, quibus Magi ut plurimum carmina infundebant sua: ut ex Zonara superius adducto, Heliodoro Lib. 6. aliisque conspecti nominis Scriptoribus haud incompertum est. imo (ut quod sentio dicam,) ita capiendum censeo. obiter admonebo tamen, sententiam hanc non eam esse, quae etiam aliûs aditum praecludat prorsus. Oro, quî scimus an protensio manus designetur, necne? male non convenit certe τὸ *contingat:* quin et nescio quid legisse videor mihi apud D. Chrysost. in Act. Apost. ubi de pueri contacto capite disertim mentio; quod tamen loci huius esse non affirmare ausim. Liber ad manum non est, eoque minus eum locum adduco: caeterum defectum eius (idque ni fallor, prolixe) sarciam, adscripto alio necdum typis edito, in quo eiusmodi extensionis, chartâ inter digitos conclusâ, ad quodcunque libido ferret instinguendum potentiam, planéque Diabolicam vim luculentissime expressam videas. Extat autem in Chronico Richerii Senoniensis Monachi, stilo rudiore scriptus, neque tantum temporibus iis, sed et nonnihil narrationis fidei consentaneo forsan. [Sequitur narratio de Magistro Roberto, qui chartulam tanta arte composuerat, ut si eam capiti alicuius imponeret, quaecunque ille vellet, fateretur: qua Magister ille usus dicitur ad matronam, quae eius libidini obsequi nolebat, morti addicendam, ut quae confessa fuerat, se e secta Haereticorum esse. Detecta tamen fuit

fraus ab ipsius matronae filio, qui nefario Praedicatori chartulam de manibus excussit: quo facto meritas sceleris poenas dedisse dicitur Magister Robertus.]

Ibid. *Oculos truces in te invertisset*] Salvian. Massil. *Vibrans in os meum truces oculos.*

Ibid. *Oculos t. i. t. i. faciem tuam spumabundus conspuisset*] Lucian. hoc ipso argumento in Φιλοψευδ. Τῷ ὀφθαλμῷ διαστρέφοντας, καὶ ἀφροῦ πιμπλαμένους τὸ στόμα. Gellius de irascente Lib. 1. cap ult. *Oculi truces, os turbidum, et in spumam effervescens.* Nicander de intoxicato Ἀλεξιφαρ. Λοξαῖς δὲ κόραις ταυρώδεα λεύσσων, Θήγει λευκὸν ὀδόντα, παραφρίζει δὲ χαλινοῖς.

Ibid. *Caput succussisset*] In eadem re Seneca, de Ira 3. 10. *Memoria sublabitur, caputque versatur.*

Ibid. *Eius ruina*] Hac voce, hoc eodem argumento Sammonicus utitur cap. 58. *Ipse Deus memorat dubiae per tempora Lunae Conceptum, talis quem saepe ruina profudit.*

Ibid. *Cuius odore etiam* etc.] Optime heic locum habere possunt, quae de pisciculo quodam supra Noster: *Apud veteres Philosophos proprietatem hanc non reperio, quanquam omnium rarissima sit, et hercle memoranda.*

Ibid. *In venalitiis*] Scribend. per *c. Venalicium* est *forum venalium*, Δουλοπρατήριον. Venuleius. l. ult. §. 2. de edilit. Edict. *E venalicio novitiorum emptus.* Ulpianus autem l. 5. §. 1. *de Iure delib.* videtur posuisse id verbi pro *venalibus.* quam coniecturam nostram non respuet qui inspexerit locum, et in emendis speciosis mancipiis Romanorum luxus meminerit. Ab huiusmodi *venalibus* dicti *Mercatores venalicii.* Cicero Oratore: *Neque me divitiae movent, quibus omnes Africanos et Laelios multi venalicii mercatores superarunt.* Inscriptio vetus:

L. VALERIVS.
ZABDAE MERCAT.
VENALICI. L.

Onomast. vet. *Venalicius*, Ἀγοραστής. Iidem et *Venaliciarii.* Glossae: Μεταβόλος, μεταπράτης ἀνδραπόδων, *Mango, venaliciarius.* Aliae: *Venaliciarius*, Σωματέμπορος.

Pag. 480. *Piaculari sacro*] Ἀποδιοπομπήσει. In de Deo Socrat. *Piacularibus sceleribus.* Isidor. *Proculum, abominatio.* fors *Piaculum.*

Ibid. *Facilius fuit*] *Facilius* hoc loco non εὐχερέστερον est, sed συμφερώτερον. Q. Cicero ad M. Fratr. de petit. Consul. *Facile praeceptum est ut quod acturus sis, id significes te studiose ac libenter esse facturum.* Varro de R. R. Lib. 2. *Facile est quod habeant conservam in Villa.* Salvian. 3. contra Avar. *Facilius est heic deesse filiis quippiam, quam parentibus in futuro.*

Ibid. *Tete ut ipsum diceres interfuisse, et ex eo sacro caepisse dementire*] Venustam Ironiam! si finxisses (inquit) mentis invaletudinem, prospexisses melius tibi, aperuisses veniam calumniae. Iuvenal. Sat. 2. *Furor ipse Dat veniam.* Senec. Herc. Fur. *Solus te iam praestare potest Furor insontem.* Salvian. Massiliens. *Nulla res minus culpanda est quam amentia: voluntas crimen non habet, ubi furore peccatur.* V. l. 4. D. *de in ius voc.* Iul. Paul. *Recept. Sent.* Lib. 5. Tit. *de Iniur.* Et huc refer quae de Octavio quodam narrat in Iulio Suetonius, et de Druso Tacitus Annal. 16.

Ibid. *Dementire*] V. Colvium, aut (qui eum exscripsisse videtur) Gentilem. Estne hoc novas observationes afferre, an alienas recoquere?

Ibid. *Mendacium frigere*] Καινοπρεπῶς· sic Graeci suum ψυχρόν. V. Casaub. Not. ad Suetonii Claud.

Ibid. *Pueros quos spe libertatis audio confirmatos ad mentiendum*] Sisenna apud Nonnium 3. Historiarum: *Servulum eius praemio libertatis inductum, cum tumultu conventum populum perduxit armatum.* scribebam, *conventum populi perduxe armatum.*

Pag. 481. *Postulo, et flagito*] Cicero pro Fonteio: *Insector ultro atque insto accusatori: insector inquam, ac flagito testeis.* Et pro Plancio: *Etiam atque etiam insto, atque urgeo: insector, posco, atque adeo flagito crimen.*

Ibid. *Mea aqua licet ad hoc utare*] Demosth. κατ' Εὐβυλιδ. Εἰ φασί με τοῦτο ψεύδεσθαι, ἐπὶ τοῦ ἐμοῦ ὕδατος ὅστις βούλεται, τ' ἐναντία μαρτυρησάτω.

Ibid. *Legibus delegata*] l. 9. Cod. de Assess. *Iudicio, legibusque tradantur.* Sidon. Lib. 7. Epist. 7. *Seronatum Barbaris Provincias propinantem, non timuerunt legibus tradere.*

Ibid. *Duodecim Tabulis interdicta*] Ammian. Marcellin. Lib. 26. *Filium suum venefico tradidisse, docendum artium nefariarum secreta, legibus interdicta.*

Pag. 482. *Ob incredundas frugum illecebras*] *Illecebrae* sunt *Excantationes*, ut in verbis legis. *Si quis alienas frugeis excantassit.* h. e. *de loco suo carminibus pellexerit.* D. August. de Civit. 8. 19. *Hac pestifera sceleratque doctrina fructus alieni in alias terras transferri perhibentur.* Author Queroli: *Messes hac atque illac transferunt diris tempestatibus.* obiter adverte etiam, quid sit *Incantare:* fruges necare nempe, facere ut arescant. De hoc maleficii genere capiendus Petronius: *Florida Tellus Quum volo, spissatis arescit languida succis.* Et Ovid. *Carmine laesa Ceres steriles vanescit in herbas.*

Ibid. *Cui non modo servorum* etc.] Casaub. ad Athen. 14. 10. Elmenhorst. ad Minucium.

Pag. 483. *Ad inspiciundum*] Sic etiam Plautus Pers. *Morbum inspicere:* Valerius *caussam inspi-*

spi-

spicere, et Petronius *querelam*. Cicero pro Flacco: *Vos oro Iudices, et obtestor, ut totam caussam quam maxime intentis oculis ut aiunt, acerrime contemplemini.*

Ibid. *Sedulo impresentiarum, a laudibus tuis tempero*] Eodem artificio 3. Floridorum: *Metuo quidem Scipio quoniam laudes tuas attigi, ne me impresentiarum fraenet vel tua generosa modestia, vel mea ingenua verecundia.* Simillime Libro 4. etiam, ad Pop. Carthag. *Facilius laudes vestras alibi gentium quam apud vos praedicarim; ita apud vos cuique modestia obnoxia est, apud extrarios autem veritas libera.* male se habet locus, Brantius tentabat, *Ita apud vos utique modestia o. e.* melius (aut fallor) ego, *Ita apud suos cuique* etc.

Ibid. *Quaesisti tu* etc. *quod mihi emolumentum fuerit incantandi*] Infra: *Respondeat Aemilianus aut Ruffinus, ob quod emolumentum, etsi maxime Magus forem, Pudentillam carminibus et venenis pellexissem.* Cicero pro Roscio: *L. Cassius ille, quem Pop. Romanus verissimum et sapientissimum Iudicem putabat, identidem in caussis quaerere solebat, cui bono fuisset; sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere.* Fulgent. I. Mythol. *Ubi emolumentum deest negotii, causa cessat inquiri.* Lysias Λόγῳ Ἀρειοπαγ. Πάντες γὰρ ἄνθρωποι τὰ τοιαῦτα οὐκ ὕβρεως, ἀλλὰ κέρδους ἕνεκα ποιοῦσι· καὶ ὑμᾶς εἰκὸς οὕτω σκοπεῖν, καὶ τοὺς ἀντιδίκους ἐκ τούτων τὰς κατηγορίας ποιεῖσθαι, ἀποφαίνοντας ἥ τις ὠφέλεια τοῖς ἀδικήμασιν ἐγένετο. Miles. 3. Noster: *Vel certe ulla praeda monstretur, cuius cupidine tantum flagitium credatur admissum.*

Ibid. *Pulchre ac perseveranter tertio quaesivisti*] Haec est *Solertia* illa *percontandi* quam supra laudat: quae tamen Iudici an permissa, disceptant quidam. Phavorinus apud Gellium Lib. 14. cap. 2. *Atque illud amplius ambigi ac dubitari scio, debeatne Iudex inter cognoscendum ea quae dicto quaesitoque opus est, dicere et quaerere, etiamsi cuius ea dici quaerique interest, neque dicat, neque postulet; patrocinari enim prorsus hoc esse aiunt, non iudicare.* Locus est perquam luculentus, et omnino dignus qui inspiciatur, plura enim quaesita habet super Iudicis officio.

Ibid. *Neque culpae* etc. *confinem*] Savar. ad Sidon. Lib. 1. Epist. 6.

Ibid. *Admonendus es mihi, non docendus*] Fabius Lib. 4. cap. 1. *Heic est admonendus Iudex, illic docendus.* Gellius Lib. 16. cap. 8. *Sui magis admonendi, quam aliorum docendi gratia.* Idem Lib. ult. cap. ult. *Ut ea non docendi magis quam admonendi gratia scripta existiment.* Hyginus Poët. Astron. *Scripsi ad te, non ut imperito monstrans, sed ut scientissimum commonens.*

Ibid. *Plato* etc. *caelesti quadam facundia*] In de Deo Socratis: *Plato caelesti facundia praeditus, aequiparabilia Diis immortalibus disserens.* Minuc. Octav. *Platoni apertior de Deo, ac rebus ipsis, et nominibus oratio est, et quae tota esset caelestis, nisi persuasionis civilis admistione nonnunquam sordesceret.*

Pag. 485. *Concreta ex simplicibus elementis, una tamen specie coaluerunt*] *Partes consimiles* vocat cit. Libro.

Ibid. *Visceris et ossis*] eod. Lib. *Visceribus ossa sunt tecta.* Miles. 8. *Suisque visceribus nudatis ossibus.* *Viscus* pro *carne* accipit. Miles. 2. *Viscus fartim concisum.* inde *Visceratio*, κρεανομία, vet. Onomast.

Ibid. *Inimico igni colliquescit*] Eadem sententia et loquutione Laberius apud Nonium corrigendus: *Figura humana inimico ardore ignescitur.* vulg. *inimici.* Forsan et Noster emendandus 4. Miles. legitur concinne minus, *Flagrantia Solis inimici*, scripserim ut supra utrobique, *inimico.* [Nescio ubi.]

Ibid. *Albida*] vet. Onomast. *Albidus*, Ὑπόλευκος. Gloss. vett Ὑπόλευκος, *subalbus.*

Ibid. *Maiore dedecore quam noxa diffunditur*] Efficiendo vitiliginem. Lucilius: *Haec odiosa mihi est vitiligo, non dolet.* Celsus Lib. 5. cap. ult. *Vitiligo quamvis per se nullum periculum afferat, tamen faeda est.*

Pag. 486. *Intus cohibita, et atrae bili sociata*] Alcinous: Εἴσω δὲ κερασθὲν χολῇ μελαίνῃ, τὴν καλουμένην ἱερὰν νόσον ἐπάγει.

Ibid. *Venis omnibus furens pervasit, deinde ad summum caput viam molita* etc.] Recte, et pro Philosopho, vel enim et Medico disputatum. Philostrat. Ἡρακλ. μαινομ. Icon. lib. 2. Καὶ ἀνοιδοῦσιν οἱ περὶ αὐτὸν φλέβες, δι' ὧν ἐς τὰ καίρια τῆς κεφαλῆς ἀναῤῥεῖ πᾶσα χορηγία τῆς νόσου. quae sint τῆς κεφαλῆς καίρια, ego hercle non plus intelligo, quam quod ibidem Interpres reddit, *capitis lethalia.* olim fortasse discam, interim χωρία legam.

Ibid. *Verticem hominis velut arcem et regiam*] In de Dogm. Platonis: *Rationabilem, id est, mentis optimam portionem, hanc ait capitis arcem tenere.* Ibid. *Machinamenta quibus ad sentiendas diiudicandasque quantitates et qualitates sensus instructi sunt, erga regiam capitis constituta esse.* Oppido venusta est assimilatio ista, nos ideo eam firmabimus ex aliorum scriptis. Priscian. *Erit nobis de capite tanquam ex arce, ad reliquam corporis curam descendendum.* Seren. Sammonicus: *Principio celsa de corporis arce loquamur.* Idem de oculis: *Quos quasi custodes defensoresque periclis, Prospiciens summa* No-

Natura locavit in arce. Cicero Natura Deo. 2. *Sensus interpretes ac nuntii rerum, in capite tanquam in arce*, etc. Minuc. Octav. *Et omnes caeteri sensus velut in arce compositi.* Manilius: *In arcem Erectus capitis.* Claudianus: *Capitis fundavit in arce.* Lactantius: *In summo capite collocata tanquam in arce.* Pauca etiam e Graecis cape. Philostrat. Herc. et Pigm. Οἱ δὲ τῇ κεφαλῇ προσμαχόμενοι, etc. καρτερωτάτου αὐτῆς τούτου δοκοῦντος, ἐπάγουσι καὶ οἷον ἀκροπόλει μηχανάς. Gregor. Nyssen. περὶ κατασκευ. ἀνθρωπ. Οἱ δὲ τὸν ἐγκέφαλον ἀφιεροῦντες τῷ λογισμῷ, ὥσπερ ἀκρόπολίν τινα τοῦ παντὸς σώματος τὴν κεφαλὴν δεδομῆσθαι παρὰ τῆς φύσεως λέγουσιν. Theodoret. περὶ προνοίας. Serm. 3. Ἐπειδὴ εἰς αὐτὴν ἀφικόμεθα τὴν κεφαλὴν, βλέπε αὐτὴν ὥσπερ ἀκρόπολίν τινα τῆς τοῦ σώματος πόλεως ἐν ὕψει καθημένην. Alcinous cap. 23. Ὡσὰν δὲ μὴ τῆς φλυαρίας τῆς θνητῆς ἀναπιμπλάμενον ᾖ τὸ θεῖον αὐτῆς (ψυχῆς) καὶ ἀθάνατον, κατῴκισαν (οἱ θεοὶ) ἐπὶ τοῦ σώματος ἐπὶ τῆς οἷον ἀκροπόλεως ἄρχον καὶ βασιλεῦον ἀποφήναντες, οἴκησίν τε ἀπονείμαντες αὐτῷ τὴν κεφαλήν. Paria Chalcidius in Timaeum Platonis.

Ibid. *Sapientes meatus*] *artificiosos.* Hellenismus.

Pag. 487. *Cessante animo*] *Cessare* est ἀναισθητεῖν, Ciceroni *sine sensu esse.*

Ibid. *Maiorem*] Hesychius: Μεγάλη νόσος, ἡ ἐπιληψία.

Ibid. *Dextera corporis validiora*] Ita Plinius Lib. 7. cap. 17. et Aristot. de animal. Lib. 1. cap. 128. rationem ibid. reddit. Lib. 3. cap. 9. διὰ τὸ τὴν κίνησιν εἶναι ἐκ τῶν δεξιῶν. aliter Macrobius Saturnal. 7. 4. *Ideo* (inquit) *omnes dextrae partes validiores sunt, et debiliores sinistrae, quia has regit calor visceris sui; illae contagione frigoris sinistra obtinentis, hebetantur.* Transpositio pronominum omnem loci sententiam destruit. lege, *quia illas* (nempe dexteras partes) *tegit*, (non *regit*) *calor visceris sui:* (h. e. iecoris) *hac* (scil. sinistrae) *contagione frigoris* etc. *hebetantur.* quem locum miror a castigatoribus adeo impune dimissum.

Pag. 488. *Exuvias stellionum*] V. Vulcan. ad Gloss. col. 84.

Ibid. *Malignone praesagio an naturali adpetentia? illico convertuntur et devorant*] Antig. Carysth. ἱστορ. παραδ. Οὐχ ἧττον τὰ φθαρτικὰ τῶν ὠφελούντων, οἷον ὁ γαλεώτης, ὅταν ἐκδύῃ τὸ γῆρας, ἐπιστραφεὶς κατέπιεν.

Ibid. *Malignone p. a. n. a.*] Idem, Εἴτε κατὰ προαίρεσιν, εἴτε κατὰ τύχην.

Pag. 489. *Tu potius caducus, qui tot iam calumniis cecidisti*] Alludit solennia illa, *Caussa, formula cadere.* scil. quum actio rite non intenditur. neque inficetum est, quidquid Scipio obganniat de frigiditate.

Ibid. *Tanta vis morbi*] Sic loqui amant Scriptores. Lucretius: *Atque ea vis omnis morborum, pestilitasque.* Idem: *Unde queat vis immensi procrescere morbi.* Cicero in de Fato: *In quo vis morbi tanta non appareat.* Nepos in Attico: *Subito tanta vis morbi in unum intestinum prorupit.* Et Sallust. Catilin. *Tanta vis morbi* etc. *civium animos invaserat.* Gellius Lib. 12. cap. 5. *Vis illa, et natura morbi.* Seren. Sammonicus: *Est et vis morbi quod telum commemoratur.*

Ibid. *Quem innocentem liquido scis, tamen accusas ut nocentem*] Lactant. Divin. Instit. Lib. 5. cap. 1. *Student damnare tanquam nocentes, quos utique sciunt innocentes.*

Pag. 490. *Tantum super omnes stultitia evectus es*] Demosth. περὶ στέφ. Τοσοῦτον ὑπερβέβληκεν ἅπαντας ἀνθρώπους ὠμότητι, καὶ συκοφαντίᾳ. Plaut. Bacchid. *Quicunque ubique sunt, quique futuri sunt posthac, Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones: Solus ego omnes antedeo stultitia, et moribus indoctis.* Terent. Heautont. *In me quidvis harum rerum convenit, Quae sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus, In illum nil potest, nam exuperat eius stultitia omnia haec.*

Pag. 491. *Qui in individuo contubernio mecum vixit*] Miles. 4. *Mecum primis ab annis nutritus et adultus individuo contubernio.* Infra heic: *Arto contubernio intime mihi iunctus.* Onomast. vet. *Contubernium*, ὁμοροφία.

Ibid. *Finge quidvis, reminiscere, excogita*] Afranius Fratriis: *Finge, fabricare uti lubet.* Plaut. Bacchid. *Compara, fabricare, finge quod lubet, conglutina.*

Ibid. *Sacro traditum*] Familiae nempe, seu privato.

Ibid. *Somnio imperatum*] Petronius: *Medicinam somnio petii, iussaque sum vos perquirere.* Sueton. Vespas. *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro Tribunali adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam a Serapide per quietem. Somnia monitura* habes apud Statium Lib. 8. cap. 7. Ὀνειράτων φήμας apud Philostr. de Apollon. Ὀνειράτων βοηθήματα apud Antonin. in de vita sua. huius loci sunt EX VISV, IVSSV, et similia, quae occurrunt passim in antiquis inscriptionibus.

Pag. 492. *More communi, et vulgatissima observationum consuetudine*] In de Mundo: *Hanc opinionem communis mos, et hominum observationes secutae affirmant.* Gellius (eadem copula) Lib. 5. cap. 13. *Huius moris observationisque multa sunt testimonia.* Idem Lib. 1. cap. 6. *Quotidiana intelligentia, et communi pervulgatoque*

toque vitae usu. Lactant. Divin. Instit. Lib. 3. cap. 7. *Quod ipse usus rerum, et quotidiana experimenta possunt docere.* Ioann. Sarisburiens. Proëm. Lib. 7. *Usu quotidiano, et rerum experientia.*

Ibid. *Votum in alicuius statuae femore adsignasti?*] Fuse Rutgersius Var. 5. 5.

Ibid. *Tacitas preces* etc.] Scalig. ad Tibull. Lips. ad Senec. Schott. Observ. human. 2. 11.

Pag. 493. *Donum posueris*] Florid. 1. *Donum apponere.* Seneca Epist. 115. *Omnia Deorum sunt, tamen Diis posuimus donum.* Inscriptio vetus:

SANCTO SILVANO NINIVS
PHILENVS IN PRAEDIO
DONVM POSVIT.

Alius Excellentissimi Arundeliae Comitis, a Cl. Seldeno editus:

SILVANO SACRVM SODAL.
EIVS ET LARVM DONVM
POSVIT. TI. CLAVDIVS AVG.
LIB. FORTVNATVS etc.

Ibid. *Cella promptuaria*] Gloss. *Penaria cella, promptuarium,* ταμιεῖον. *Cellarium, et cellar, promarium:* (ita docti legunt) ταμιεῖον. Stephan. Byzant. Ταμεῖον, οἶκος ἐν ᾧ τὰ ἀναγκαῖα ἀπετίθησαν. Firmic. de err. etc. *Omne quo vescuntur homines Penus vocatur. hinc et cella penaria.* Sidon. Lib. 2. Epist. 1. *Cui continuatur vicinante textrino cella penuaria.* Ammianus tralate, *Promptuaria cella calumniarum.* nec male. Φρύνιχος ἐν σοφιστικῇ παρασκευῇ καὶ ἐπὶ τῶν κακῶν φησὶ τὸ ταμιεῖον. Ibid. Stephan.

Ibid. *Quantique sudores innocentibus hoc uno sudariolo afferantur*] Elegans cum irrisione παρήχησις, sic supra. *Satis, ut puto, crinium crimen, quod illi quasi capitale intenderunt, refutatum est.* Et infra: *Quod ad sudarium pertinet, omnem criminis maculam detersisse.* Lepidulum Lucium meum! mellitulum meum! meum cor et suavium! agnosco festivas Ironias tuas, ingenium osculor.

Pag. 494. *Manticularentur*] V. heic Colvium. Scalig. ad Fest. H. Stephan. Animad. in Adag.

Ibid. *Nihil insolitum, nihil incognitum dico*] Symmachus: *Non novum, vel incognitum, sed compertum iam fide insinuo.*

Ibid. *Tacite veneremini*] Ritu mystarum. Hesych. Μύστης, τελούμενος, σιωπηλός. Tertullian. (sive alius quis) Carm. de Iudic. Dom. *Et picturatas timuit sine voce figuras.* apud Aegyptios ubicunque locorum colebantur Isis et Serapis, collocabatur iuxta Harpocrates statu os digito obsignantis. Augustin. de Civit. etc. Lib. 18. at quid de silentio loquor isto? sonant omnia.

Ibid. *Nec ad hoc tempus compono*] Hegesippus *de excid.* etc. 1. 41. *Id plerique ad tempus compositum rati.* Tacit. Annal. 1. *Sensit miles in tempus conficta.*

Ibid. *Primis diebus quibus Oeam veneram, publice disserens*] Infra: *Interibi* (Oeae) *revalesco, dissero aliquid postulantibus amicis publice.*

Pag. 495. *Mentione Aesculapii religiosis Oeensibus commendata*] Quomodo accipiemus haec? an quasi Oeensium πολιοῦχος fuerit? minime, nam et Carthagine disserens ab eiusdem nomine exorsus est. Florid. 4. *Principium mihi apud vestras aures auspicatissimum, ab Aesculapio Deo capiam.* Ego diffusum eius cultum innui putarim, quo Daemonas et Heroas omnes antestabat. In de Deo Socratis: *Eos tantum Deos appellant, qui iuste ac prudenter vitae curriculo gubernato, pro Numine postea ab hominibus praedicati, fanis et cerimoniis vulgo admittuntur: ut in Baeotia Amphiaraus: in Africa Mopsus: in Aegypto Osiris: alius alibi gentium: Aesculapius ubique.*

Ibid. *Quaedam sacrorum crepundia*] Quae supra proxime *initia sacrorum* vocat. Glossae Isidori, *Crepundia, initia.* Gloss. Philox. *Crepundia,* γνωρίσματα, ἀρχαί. legit Vulcanius ἀρχαίως. vellem rationem addidisset.

Ibid. *Lineo texto*] *Lintea texta* apud Symmach. lego, 4. 34.

Ibid. *Lana segnissimi c. c.*] Multa Plutarch. Isid. et Osir.

Pag. 496. *Segnissimi corporis*] Ut supra *pectus* pro *corpore* posuit, ita heic *corpus* pro *animali* ponit. idem ante et post eum, etiam alii fecere. Virgil. *Placidum carpebant fessa soporem Corpora.* Iulius Firmic. *Qui laborem terrenorum nocturnis opibus recreasti.* Ennodius Ticinens. *Tubera, perdices, grus, turdus, turtur, echinus: Non implent ventrem corpora mille tuum.* hac facie Galli etiam *un pauvre corps:* Anglo-Saxones, *Some-bodye, No-bodye.* innuitur ab utrisque non tam σῶμα quam ζῶον.

Ibid. *Non modo indutui et amictui sanctissimis Aegyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpatur*] Apollonius apud Philostrat. Καθαρὸν μὲν Ἰνδοῖς δοκεῖ, καθαρὸν δ' Αἰγυπτίοις· ἐμοὶ δὲ καὶ Πυθαγόρᾳ διὰ τοῦτο σχῆμα γέγονε διαλεγομένοις, εὐχομένοις, θύουσι.

Ibid. *Facetiae sibi habere*] Gellius Lib. 15. cap. 8. *Pro facetiis procedit.* Sidon. Lib. 3. Epist. 13. *Videntur sibi granditer facetiari.*

Ibid. *Adorandi gratia manum labris admovere*] Adeundi Pytheus Advers. Subsic. 1. 17. Lips. Elect. 2. 6. Glossae Vindocinens. MS. in Lib. Regum: *Osculans manum. Solebant osculari manum propriam, ut per hoc quasi osculum idolo porrigerent.* τιμεῖν τοῖς διὰ τῶν χειρῶν φιλήμασι vocat Libanius Orat. περὶ προστασιῶν· quam

quam cum aliis tribus, ante triennium edidit e Bibliotheca Augustana, Clariss. ac iureconsultissimus Iacobus Gothofredus, vir in his studiis etiam qua parte voluit, eminentissimus. Nec adorantium mos iste tantum, sed et amantium. Miles. 6. *Iupiter perpressa Cupidinis buccula, manuque ad os suum relata, consuaviat.*

Ibid. *Diis rurationis*] Quos *Numina ruris* vocat Iuvenalis Sat. 14. Virgilius Georg. 2. *Deos agrestes.* Propertius: *Deos quibus est tutela per agros.* Tibullus *Caelites agricolas*, Lib. 2. Eleg. 1. et *Agricolas Deos* Lib. 1. Eleg. 1. quod non adverterunt interpretes. verba eius: *Et quodcunque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolae ponitur ante Deo.* legerim *agricolas ponitur ante Deos.* sic in Authore de Nuce etiam contra quam impressi, scribo: *Agricolas fructu praeveniente Deos.* Porro non alii sunt, quos Ἀγροίκων ἐφόρους Δαίμονας Alciphron in Epistolis vocat: et Inscriptio vetus Graeca ΘΕΟΥΣ ΝΟΜΙΟΥΣ. Genera eorum quatuor memorat Maximus Tyrius Dissert. 14. Ἐπικαρπίους, ἀλόους, ἐπιληναίους, προηροσίους· quos Varro de R. R. l. I. duodecim numero complexus videtur, titulo *Consentium Deorum, Agricolarum ducum.* Extat in Arundelianis monumentis lapis selectissimus iste, *Inseratur heic Marmoris figura.* [neque tamen inserta est, in meo utique exemplari, quare totam Pricaei commentationem in marmor istud, hic omittendam putavi.]

Ibid. *Segetis ullas, aut vitis, aut gregis primitias impertit*] Tibullus 1. 5. *Pro vitibus uvam, Pro segete spicas, pro grege ferre dapes.*

Pag. 497. *Lapidem unctum*] Multa de hoc ritu Colvius ad 1. Florid. et Casaub. ad Theophrast. cap. περὶ δεισιδαιμονίας. Qualis heic vero *lapis* intelligendus? *terminalis* an *sepulchralis?* nam et cippi in finibus ponebantur, et nonnunquam pro terminis errorem faciebant. Siculus Flaccus de condit. agror. ungi etiam solitos constat ex Anacreonte.

Ibid *Ramum coronatum*] Ovid. Metam. 8. *Pendentia vidi Serta super Ramos.* Arnob. Lib. 5. *Quid lanarum vellera quibus arbores colligatis, et circumvolvitis stipitem?* Miles. 6. Noster: *Videt dona speciosa, et lacinias auro literatas, ramis arborum, postibusque suffixas.* Plutarch. Timol. Ἐκ τῶν κρεμαμένων ἀναθημάτων ταινία τις ἀποῤῥυεῖσα, καὶ φερομένη, στεφάνους ἔχουσα καὶ νίκας ἐμπεποικιλμένας, περιέπεσε τῇ κεφαλῇ τοῦ Τιμολέοντος. V. Etymolog. in Εἰρεσιώνη.

Ibid. *Manum non verterim*] Phalaris Epist. 63. Πάντων ἂν εἴην ἀψυχότατος, εἰ καὶ τῶν σῶν ἐπιστραφείην δραμάτων. Et 66. Ἐγὼ δὲ οὐδὲ τῆς ἐπὶ Περιλάῳ τιμωρίας ἐπαινούμενος ἐπιστρέφομαι. Antholog. 7. Τῆς λευκῆς καλάμης οὐδὲν ἐπιστρέφομαι.

Ibid, *Signum dato, et audiat* etc.] τὸ signum exponere potes σύνθημα, h. e. *tesseram vocalem*, qualem Casaubonus affert ex Clemente Alexandrino, et Arnobio. Ego intelligi malim cuticulare quodpiam invisum signum, quo participes sacrorum eorundem invicem agnoscebant se. Minucius Faelix vocat *corporis notaculum:* suavissimus scriptor Prudentius, σφραγῖδα. Neque temere hinc colligas, tametsi rara eorum mentio occurrat, fuisse apud Graecos, sacerdotes quosdam σφραγιστῶν nomine insignitos. Apud Aegyptios certe, a quibus bonam partem τῆς τῶν Θεῶν θεραπείας hausere, fuisse eiusmodi munus disertissime Plutarchus de Isid. et Osir. docet. Sacri enim ab iis in Typhonis execrationem facti ritus, ac ceremoniarum debita describens, τὸν μέλλοντα θύεσθαι βοῦν (inquit) οἱ σφραγισταὶ λεγόμενοι τῶν ἱερέων κατεσημαίνοντο. imo sigillum enarrans ipsum ex antiquioris se Historici fide habuisse insculptum ait, ἄνθρωπον εἰς γόνυ καθεικότα, ταῖς χερσὶν ὀπίσω περιηγμέναις· prorsus ut in sigillo isto marmoreo cubitali. [Insertum est sigillum.] ex Illustrissimi Arundeliae Comitis reconditioribus cimeliis deprompto, ipsisque Athenis ab amicissimo et eruditissimo Pettaeo in Britanniam advecto, cuius humanitati edecumatissimae imaginis istius non tantum copiam acceptam fero, sed et μήνυτρα doctrinae debeo de Plutarchi loco.

Pag. 498. *Omnem criminis maculam detersisse*] Claudianus 2. Eutrop. *Tunc ire recentes Detersum maculas.* Gregor. Turonens. *Quo facilius detergeretur a crimine.* Optat. Milevit. *Pulsa, atque extersa infamia.* Demosth. Olynth. 1. Ἀδοξίαν ἀποτριψόμεθα· ubi Ulpianus, οἱονεὶ ἐκκαθάρωμεν καὶ ἀποπλύνωμεν, ὡς μεταφορᾶς τῆς κηλῖδος, τῆς γενομένης ἀκαθαρσίας περὶ τὴν ἐσθῆτα. V. Etymolog. in Κηλὶς, Festum in *Labes.*

Ibid. *Gumiae cuiusdam*] *Gumias* quasi *Gurgites* dictos Turnebus vult, deducitque ἀπὸ τῶν κυμάτων. audiamus Scalig. Advers. 27. 8. potius, Not. ad Varr. *Gumia* a γόμος, quod est πλήρωμα τῆς νεὼς· Latinus *Saburra*, inde Plauto *mulieres saburratae.*

Ibid. *Me in eius domo nocturna sacra factitasse*] Probus in vita Alcibiadis: *Aspergebatur infamia, quod in domo sua facere mysteria dicebatur.*

Ibid. *De die*] h. e. non *interdiu*, sed *diluculo, summo mane.* sic ap. Plautum Asinar. *de die potare.* Sueton. Domit. *de die lavare.* Tertullian. de Spectac. *de die ad balneas condicere:* quod in Apolog. vocat, *diluculo lavari.*

Ibid. *In ganeas correpat*] Proprie *correpat*, nam *correpimus* in occulta loca, cuiusmodi *ganeae* sunt, et id genus latibula. Sylloge rariorum vocum e Gloss. vett. *Ganea*, (sic recte Vul-

Vulcanius,) *occulta loca et subterranea.* Isidorus Orig. Lib. 10. *Ganeo, luxuriosus: tanquam in occultis locis et subterraneis.* Donat. in Adelph. *Veteres ganeum meritoriam tabernam dixerunt ἀπὸ τῆς γᾶς, τοῦτ' ἐστὶ τῆς γῆς.* Balb. in Cathol. *Ganeum dicitur locus in terra defossus, ad quem ad ludendum et scortandum populi confluebant.* allusit Noster etiam figurate in de Platonis dogmate: *Cupidinem atque appetitum postremam mentis portionem, infernas abdominis sedes tenere, ut popinas quasdam et latrinarum latebras, diversoria nequitiae atque luxuriae.*

Pag. 499. *Ulysses fumum terra sua emergentem*] Lucianus: Ὁ τῆς πατρίδος αὐτῷ καπνὸς λαμπρότερος ὀφθήσεται τοῦ παρ' ἄλλοις πυρός. Eustathius Ἐρωτικῶν Scriptor Libro 3. Καπνὸν πατρίδος οὐ μόνον ἐλευθερίας, ἀλλὰ καὶ θεώσεως αὐτῆς τιμώτερον ἔκρινε. Philostrat. Ariad. Ὁ Θησεὺς δὲ ἐρᾷ, ἀλλὰ τοῦ τῶν Ἀθηνῶν καπνοῦ. Rutil. Numat. Itinerar. Lib. 1. *Signa levis fumi commendat Homerus, Dilecto quoties surgit in astra solo*

Ibid. *Vincit sagacitate odorandi canes et vulturios*] Τῶν πτηνῶν καὶ τῶν πεζῶν, οἱ γύπες καὶ οἱ κύνες πόῤῥωθεν τῶν ὀσμῶν ἀντιλαμβάνονται. Suidas in Κογχύλη.

Ibid. *Omnis fumi non imperitus*] Vitam Parasiticam heic obiici recte Casaubonus notat. Ea enim natio culinarum fumos captare solebat, vel (ut verbis Appuleianis loquar) nidores naribus hariolabatur. Ammian. Marcellin. Lib. 28. *Plerique distentioribus saginis addicti, praeeunte nidoris indagine*, etc. *humum summis pedum unguibus contingentes, aulis adsistunt, digitos praerodentes dum patinae defervescunt.*

Ibid. *Facilius ad eum vini aura quam fumi pervenerit*] Plaut. Curcul. *Vinosissima, Eaque ex templo ubi vino has conspersi fores, de odore adesse me scit.*

Ibid. *Ieiunus et abstemius*] Tertullianus de Pall. de Chamaeleonte, *Ieiunus et irrefectus.* quae non laudo quasi eodem dicta modo quo Authoris verba, sed quia sub manum cadunt, nec fortassis infaeliciter. Eruditissimus Interpres *indefectus* scribit: h. e. ἄλειπτος. (Noster Graecissans diceret, *fame melior.*) nam *irrefectus* (inquit) ipsum illud quod *ieiunus* est, ita bis idem diceret, quod absurdum foret. Nil imminutum ibimus ab illius Genio profectum, cuius acumen, εὐστοχίαν, eruditionem inter paucos suspicimus: stari tamen putamus posse a receptâ lectione; idque citra ullum sensus aut Latinitatis dispendium. Miles. 7. Noster, *Caecam et exoculatam Fortunam.* Nonâ, *Sub dio, et intecto conclusus stabulo.* Ibid. *Nudis, et intectis pedibus* 3. *Intecti atque nudati bacchamur.* (ita in MSS. legi monent, vulg. *intecti h.*) 10. *Nudo et intecto corpore.* Mire frequentes Afri sunt in his loquutionibus, ubi Criticam limam ponere, foret polire in detrimentum, adhibere pumicem, detergere nativam gratiam.

Ibid. *Abstemius*] Recte Casaub. *abstemius*, non ὁ μὴ μετέχων οἴνου, sed ὁ μήπω. Miles. 7. *Sauciis illis, et crapula vinolentiaque madidis, ipse abstemius vinum non cessat impingere.* Miles. 10. alibi *invinium* vocat. Plautus et Horatius *Siccum.*

Ibid. *Ieiunus et abstemius, testimonium illud vendidisse*] Quare *ieiunus?* an ut plus fidei quaereret? an quod ita leges iuberent? eiusmodi quidem μαρτυρίας religionem in Pontificio iure servatam video, ut *Decretal.* Lib. 2. *de Test.* c. 1. Et *Capp. Karoli* M. L. 3. *Tit.* 10. et 52. at in Pandectis nec volam illius reperio, nec vestigium.

Pag. 500. *Quintianum istum qui mihi adsistit*] Ut amicum decuit, amplius e consuetudine. Plin. in Epistolis, *Adsistebam ei* etc. *ut amicus.* Miles. 3. Noster: *Non contentus quod mihi nec adsistendi solatium perhibuit; insuper exitium meum cachinnat.* Cicero et Seneca vocant *reo adesse.* Graeci Oratores, τῷ ἀπολογουμένῳ παρίστασθαι. Suetonius (contra Gellii mentem) *superesse.*

Ibid. *Non potest, nec in testimonio dando, discedere longius a culina*] Trahas huc, nec invita ut puto, Varronis ea in Modio. *Ganeones, quibus est modulus vitae culina.* Et in Manio: *Habens ante positam alimoniam, Sedens altus alieno sumptu: Neque post respiciens, neque ante prospiciens, Sed limus intra limites culinae.*

Ibid. *Testimonium ex libello* etc.] Harpocration in Ἐκμαρτυρία. Donat. ad Andr.

Pag. 501. *Quid sit diei vides? dico Crassum iamdudum ebrium stertere*] Ex Plautinis illis in Trinummo: *Diei tempus non vides? quid illum putes Natura illa atque ingenio? iamdudum ebriu'st.*

Ibid. *Ad repotia caenae obeunda, vinolentum sudorem in balneo desudare*] Plutarch. in de cura valetud. Οἱ μὲν ὑπὸ λαιμαργίας καὶ φιληδονίας ἐμβάλλουσιν ἑαυτοὺς ἐπὶ τὰ βαλανεῖα, καὶ σπεύδουσιν ἐπὶ τὰς προσπόσεις. Nonnunquam Sole apricabant etiam, ut se largius mero invitarent. Arnobius 1. *Numquid ideo dicenda sunt nubila inimicâ obductione pendere, quia libidini non permittitur otiose rutilare se flammis, et caussas potionibus praeparare?* quandoque ad ignem. Sisenna 4. Historiarum: *Dum pristinum vinum apud ignem per sudorem corpore exhauserunt.*

Pag. 502. *Madentes oculos*] Rutil. Lupus *de fig.* etc. L. 2. *Oculi mero madidi.* Ibid. *Oculi vinum lacrymantes.*

Ibid. *Manuum tremorem*] Pers. *Tremor inter vina subit.* Seneca Ep. 94. *Pallor, et nervorum vino madentium tremor.* Plinius Lib. 14. cap. 22. eod.

eod. argum. *Oculorum ulcera, tremulae manus.* Glossae: Μέθη, *Trementura, ebrietas.* Ubi vide an recte Vulcanius, *Temulentia, e.*

Ibid. *Patrimonium omne iampridem abligurivit*] Caenis nempe, cupediis, et culinae sumptibus. Cicero Catilin. 2. *Patrimonia sua profuderunt, fortunas suas abligurrierunt.* Terentius: *Patria qui abligurrierat bona.* Sidonius Lib. 9. Ep. 6. *Quantum de bonusculis avitis paternisque, sumptuositas domesticae Charybdis abligurisset. In patrimonio belluari* vocat Gellius 2. 24. *Familiam et pecuniam suam prandiorum gurgitibus proluere.* Noster infra: *In ventrem condere.* Athen. Lib. IV. τὴν πατρώαν οὐσίαν σφαῖραν ποιεῖν, sive ut pillulam deglutire. Huc pertinet quod de Acteone Fulgentius Mytholog. ex Anaximene: *Dum periculum venandi fugeret, affectum tamen canum non dimisit, quos inaniter,* (lege *immaniter*) *pascendo, paene omnem substantiam perdidit: ideo a canibus suis dictus devoratus esse.*

Ibid. *Nec quidquam ei de bonis paternis superest, nisi una domus ad calumniam venditandam*] Et haec e Plauti Sticho: *Nec aliud quidquam nisi hoc quod habeo pallium Praeterque linguam unam venditariam.* vel ex his Trinummi: *Est ager sub urbe heic nobis, eum dabo Dotem sorori, nam is de stultitia mea Solus superfit praeter* (lego *propter*) *vitam reliquus.*

Ibid. *Damno affici*] Glossarium *Affici damno*, Ζημιοῦσθαι.

Pag. 503. *Coitionem adversum me*] Glossae: *Coëris,* (lege *coetus*) *Coitio*, Συνέλευσις. Lex Sempronia: *Qui convenerit, consenserit, coierit.* etc. Lex Gabinia: *Qui coitiones* etc. *conflavisset.*

Ibid. *Pinnarum formidines*] Alludit notas illas *venatorias formidines.* V. heic Colvium. Meurs. ad Lycophron. Rittersh. ad Oppian. Cyneget. 4. Nicol. Loens. Epiphyll. 7. 1. Turneb. Advers. 5. 5. Lips. ad Senec. de Clement. 1. 12.

Ibid. *Aemiliano, homini rustico*] Supra: *Aemilianus, vir ultra Virgilianos opiliones et bubsequas, rusticanus.* Infra de eodem: *Rustico et barbaro.*

Ibid. *Fumum vendidit*] Sed et haec de *fumi venditoribus* notissima. V. Quintilian Mandos. de Prax. et Theor. Commiss. a. P. dat. Commiss. 25. verbo *Remissoria.*

Pag. 504. *Nuncupare* Βασιλέα] Tractum hoc ex imâ penu vetustatis. passim in vet. Instrumento Idola hoc vocabulo insignita videas. V. Cl. Selden. *de Diis Syris*, Syntagm. 1. cap. 2. et 6.

Ibid. *Affabre factos*] Cicero Verr. 2. *Affabre atque antiquo artificio factus.* Miles. 11. Noster: *Navem faberrime factam.* Plautus: *Hoc lepidum est, hoc factum est fabre.* Glossae Vindoc. MS. *Fabrefactum, ornate compositum.* Excerpta e vett. Glossis, *Affabre*, καλῶς. contra apud Nonium Pacuvius *Infabre.* apponam verba eius hactenus corrupte edita: *Barbaricam pestem navibus nostris obtulit, Nova figura factam, commissam infabre.* doctiss. Dionys. Gothofredus quia *navium* mentio, *restim* legebat; at non exemit mendum, et ut exemisset, neque sic versum purgasset, nam et ipsa vox *navibus* vitiosa est; maculam utramque nos hoc modo abstersimus: *Barbaricam vestem manibus nostris obtulit.* vestem acu pictam nempe, a Phrygionibus elaboratam. Miles. 11. *In modum Paridis Phrygii pastoris, Barbaricis amiculis* etc. *indusitatus.* Virgil. Aen. 11. *Pictus acu tunicas, et Barbara tegmina crurum.*

Pag. 505. *Quacunque materiâ, dummodo ligneâ*] Rationem infra ponit ex doctrina Platonis.

Pag. 506. *Mendacii non revincat*] Ulpian. l 3. de suspect. tutor. *Si datis pupillo advocatis in mendacio revincatur.*

Ibid. *Splendidissimus Eques*] Valer. Lib. 7. cap. 8. *Filius Carseolani Equitis splendidissimi.* Lapis:

A MVNIO A. F.
MINVTIO EVARISTO.
SPL. EQ. ROM. PAT. COL.

Plinius 9. 5. *Authores habeo in Equestri ordine splendentes.* Cicero Philipp. 13. *Trebonii Pater splendidus Eques.* 10. Famil. *Splendore Equiti Romano nemini cedit.* Pro Caecinna: *Splendor Equestris ordinis.* pro Roscio: *Equestrem splendorem.*

Ibid. *Quem quidem abfuisse in eo tempore scitis.*] Supra: *Eo in tempore, quo me non negabunt in Getuliae mediterraneis montibus fuisse.*

Ibid. *Evisceratam formam*] Pacuvius apud Ciceron. *Adspectu truci, eviscerata, inanima. eviscerata forma* quae nullo *viscere.* h. e. *carne* contegitur. inde apud alios Scriptores *ossea* vocata. Ovidius: *Insequar et vultus ossea forma tuos.* Seneca Epist. 24. *Larvarum habitum nudis ossibus cohaerentium.* Lucian. Φιλοψευδ. Μόνα τὰ ὀστᾶ κατὰ σχῆμα συγκείμενον.

Ibid. *Larvalem*] Miles. 1. *Larvale simulachrum.* Sidonius: *Facies veluti umbris maestificata larvalibus.*

Ibid. *Morem mihi habeo, quoquo eam, simulachrum alicuius Dei inter libellos conditum gestare*] Eandem hanc consuetudinem alludunt Arriani in Epictet. 2. 8. ea: Θεὸν περιφέρεις τάλας, δοκεῖς με λέγειν ἀργυροῦν τινα; ἢ χρυσοῦν ἔξωθεν, ἐν σαυτῷ φέρεις αὐτὸν. Ammian. Marcellin. de Philosopho Asclepiade: *Caelestis Deae argenteum breve figmentum quocunque ibat, secum solitus afferre.* Neque aliter nonnulli a morte colebant sanguine aut amicitia iunctos, quos quia sub figurâ hominum non audebant venerari, in speciem Numinum caelestium effigiandos cura-

raverunt, ut vel sic divino cultu prosequerentur eos. Milesia 8. Noster in historia Charites: *Dies totos, totasque noctes insumebat luctuoso desiderio, et imaginem defuncti* (Tlepolemi mariti) *quam ad habitum Dei Liberi formaverat, affixo servitio; divinis percolens honoribus, ipso se solatio cruciabat.* Nullum vero in Antiquitate omni tam insani officii illustrius specimen exquiras, quam illud Aegypti Regis *Mycerini;* quod profecto libenter, et prope operâ deditâ huc advocatum volui, quia non tantum ex Herodoto superest, sed et antiquo Marmore Venetiis, in aedibus Illustrissimi Mauroceni D. Marci Procuratoris. Indaginem delineationemque eius (ut et aliorum quoque quae indigne his nugis inseruimus) debemus nunquam laudato satis Pettaeo nostro; applicationem ad Historici narrationem Patricio Iunio, serenissimi Regis nostri Bibliothecario, homini ad literaturae omnis, duntaxat Graecae, beneficium nato. Lapis autem quia ut instructius accedatur, inspiciendus est Herodoti locus cap. 129. Euterpes. [quo loco eiusdem marmoris delineatio conspici potest in Ed. Gronoviana.]

Ibid. *Iussi curriculo iret aliquis, et ex hospitio meo Mercuriolum adferret*] Miles. 10. *Iussi de meis aliquem curriculo tabernâ promptam afferre.* Ibid. *Misitque protinus cursorem.* Supra heic: *Misimus qui cum curriculo advehat.* Vocem hanc, ut omnia, Author signantissime extulit. *Liberi* incessus lentus debet esse, et compositus, *servi*, (ex more) properus et citatus. Plaut. Paenul. *Liberos homines per Urbem modico magis par est gradu Ire, servi esse duco festinantem* (lego *festinatim*) *currere.* cui geminum dictum est Severi apud Lampridium. Gellius Lib. 17. cap. 8. *Verbero, nonne is curriculo?* Colloquia vett. Scholast. Σὺ δὲ παιδάριον ὕπαγε, τρέχε ταχέως. hinc apud Aeschylum in Prometh. τρόχις. Scholiastes ἀπὸ τοῦ τρέχειν deducit, exponitque τὸν σπουδαῖον οἰκέτην, τὸν σπουδαίως πράττοντα τὰ προστάγματα τοῦ κυρίου αὐτοῦ, καὶ μὴ βραδύνοντα, ἢ χρονίζοντα.

Pag. 507. *Auditisne reclamationem omnium qui adsunt?*] Mussitabat nempe prae indignatione circumstantium corona. Frequentes in conventibus fuere hoc genus θόρυβοι, quoties auribus ingererentur molesta ἀκροάματα. Cicero Philip. 6. *Quinque et triginta Tribus Patrono Pop. Romani. Igitur est Patronus L. Antonius? malam quidem illi pestem. clamori enim vestro adsentior.* Noster infra de accusatoribus suis: *Vide quaeso Maxime quem tumultum suscitarint, quoniam ego paucos Magorum nominatim percensui.* D. Chrysost. Homil. 5. in Epist. ad Tit. Πολλὰ ὑμῖν γένοιτο ἀγαθὰ, ὅτι οὐδὲ τὸ ῥῆμα ἀκοῦσαι φέρετε.

Ibid. *Et succi plena sit*] Cod. Florent. *Succi pala et vici sit.* legend. *Succi palaestrici plena sit*, ut recte habent nuperae editiones quaedam. De eodem Marcian. Capella Lib. I. *Palaestra crebrisque discursibus exercitum corpus, lacertosis in iuvenilis roboris excellentiam toris, virili quadam amplitudine renidebat.* (aio legendum ego *renitebat.*) quem locum ita imitatus est Lactant. de opif. Dei, cap. 10. *Valida, et substricta nervis ad fortitudinem brachia, toris insignibus extentum lacertorum ingens robur.* Theophilact. Simocatta Histor. Mauric. Lib. 7. cap. 16. Τὴν παρειὰν τοῖς εὐσωματοῦσι, καὶ πρὸς τὰς παλαίστρας γενομένοις παρεοικώς. D. Hieronym. ad Paul. *Corpus solidum, et succi plenum.* Florid. 2. Noster: *Cervix succi plena.* Hilarius in vita Honorati: *Speciosa facies, et prius succi plena, fit plena gravitatis.* Martialis (Graecorum ὑγρότητα alludens) *liquorem* vocat: sic apud Ambros. de Offic. *Vox succi virilis plena: cui rythmum* opponit *scaenicum et modulatum.*

Ibid. *Lanugo malis deserpit*] Miles. 7. *Commodum lanugo malis inserpebat.* Graeci eâdem venustate ἕρπειν. Philostrat. in Epist. Ἕρπει ὁ ἴουλος, αἱ δὲ παρειαὶ χνοάζουσι. Callistratus in Imag. Occasionis: Ἡ κόμη κατὰ τῶν ὀφρύων ἐφέρπουσα ταῖς παρειαῖς etc. Theodoret. περὶ προνοίας. Serm. 8. Τοὺς ἰούλους ἔχων ἐπὶ τὴν γένυν καθέρποντας. Tralatio ab haedera, inde apud Theodor. Prodrom. Πλοκαμῶν κιττὸς, *Amorum* etc. Lib. 6.

Ibid. *Crispatus capillus*] Marc. Capella L. 4. *Crines tortuosi, decentique inflexione crispati, et nexiles.* Miles. 11. Noster: *Capillos in mutuos nexus obditos atque nodatos.* Vetus Glossarium, *Crispicapillus*, Οὐλόθριξ.

Ibid. *Quam lepide super tempora pares pinnulae emineant*] Miles. 10. *Inter comas eius aureae pinnulae cognatione simili sociatae prominebant.*

Ibid. *Quam festive circa humeros vestis substricta sit*] *Vestis* haec est quam alibi vocat *Ephebicam chlamydam.* Velabat ea humeros tantum adusque articulos palmarum, ut in statua *Bathylli* 2. Floridorum. sed de schemate cognoscamus. Quod ait Author *circa humeros substringi* eam, id vero non ita accipio, quasi de sub dextro ad laevum recurreret, (quâ tamen saepius figurâ fingitur in lapidibus et nummis) sed eam structuram imaginor quam in de Pallio Tertullianus ponit; *regestam ab utroque laterum, cervicibus circumstrictam.* hoc est, (ut eruditissimus ibi Interpres) ἑκατέρωθεν ἀναβεβλημένην. Describit clare his verbis Oppianus Cyneget. I. Αὐχένος αὖθ' ἑκάτερθε παρήορον, ἐκ παλαμάων Εἷμα περιστέλλοιτ' ὀπίσω σθεναρῶν ὑπὲρ ὤμων Ῥήϊον εἰς κάματον. Et Philostrat. in Mea.

leagro: Χλαμύδα ὑπὲρ αὐχένος κολπώσας, τὸ θηρίον ἐφίσταται. Plautus Capt. et Epid. *In collum pallii coniectionem* vocat. Neque est ut hinc putet quis delapsurum humeris amiculum: prohibebat id fibula submentalis, cuius morsu collo acquiescebat. Sidonius Carm. 2. *Fibula mordaci refugas a pectore vestes Dente capit.*

Ibid. *Duat*] Det. Gloss. *Duit*, Δοίη. *Duint*, Δοῖεν, δώσωσιν.

Ibid. *Deus iste Superum et Inferum commeator*] Miles. 11. *Ille Superûm commeator et Inferûm.* Inde Aristot. et Luciano κοινὸν κτῆμα· Claudiano Rhet. 2. in vet. *Commune profundis Et superis Numen, qui fas per limen utrumque Solus habet, geminoque facit commercia mundo.* innuitur Physice accessus et recessus Solis, qui apud Aegyptios idem cum Mercurio; itaque simulachra eius quaedam caerula fingebant, alia clariore specie: quorum illa quidem *infera*, haec *supera* vocabant. Videsis Macrob. Sat. 1. 19. et Albricum de pileo eius, partim albo, partim nigricante.

Ibid. *Malam gratiam*] Miles. 6. *Bonae praeterea foeminae malam gratiam subire nequeo.* Terent. Phorm. *Potius cum bonâ ut componantur, quam cum malâ gratiâ.* Metellus Numidicus apud Gellium 12. 9. *Malum honorem.*

Pag. 508. *Lemurum*] Gloss. *Lemures*, Νυκτερινοὶ δαίμονες. Nonnius Marcellus: *Lemures, larvae nocturnae, et terrificationes imaginum* etc. Noster in de Deo Socrat. *Est et secundo significatu species Daemonum animus humanus, emeritus stipendiis vitae, corpore suo abiurans:* (malim *abiugatus*) *hunc vetere linguâ Latinâ reperio Lemurem dictitatum.* Species horum duas subdit, *Larium*, et *Larvarum*: illi posterorum suorum curam sortiti, placato et quieto Numine domos ac familias possidebant: hae ob adversa vitae merita, incerta vagatione, ceu quodam exilio punitae, bonis hominibus inane terriculamentum, malis noxium discurrebant. tales Miles. 9. *dira Numina* vocat. quum vero incertum esset quae cuique sortitio evenisset, nimirum utrum *Lar* esset, an *Larva*, solebant *Deum Manem* nuncupare, *Dei* vocabulo addito honoris ergò. Clare et strictim ex Authore posui horum Daemonum differentias, nec, ut arbitror, loco importuno, ubi de quatuor tres occurrunt.

Ibid. *Noctium occursacula*] Horat. *Nocturnus occurram furor.* Iuvenalis Sat. 5. *Et cui per mediam nolis occurrere noctem.*

Ibid. *Totius rerum Naturae causa et ratio, et origo initialis*] Sidon. Lib. 1. Epist. 2. *Deus arbiter et ratio Naturae.* Macrob. Somn. Scip. 1. *Prima causa, unus omnium quae sunt, quaeque videntur esse, fons et origo.* Lactant. 1. 11. *Fons et origo rerum.* Salvian. de Gub. 4. *Fons et origo cunctorum.* Boëth. Consol. *Rex et Dominus: fons et origo.*

Pag. 509. *Paucis cogitabilis, nemini effabilis*] Plato: Θεὸν εὑρεῖν τε ἔργον, εὑρόντα δὲ εἰς πολλοὺς ἐκφέρειν ἀδύνατον. Ex eo Noster: *Cuius naturam invenire difficile sit, si inventa sit, eam in multos enunciari non posse.* Et Minuc. Octav. *Quem et invenire difficile prae nimiâ et incredibili potestate, et quum inveneris, in publicum dicere impossibile.*

Ibid. *Quod superest, nec ipse sum nescius quosdam circumstantium cupere audire* etc.] Imper. Manuel Palaeolog. Orat. 5. Οἶμαι δέ τινας τῶν παρόντων σαφέστερον ἐθέλειν ἀκοῦσαι etc.

Pag. 510. Χρυσὸς δὲ καὶ ἄργυρος. etc.] Lampridius de Severo: *In templis nunquam praeter quatuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem aut bracteolam posuit, susurrans versum Persii: In sacris quid facit aurum?* Georg. Cedrenus de Imper. Nicephora: Τοὺς ἀπ' αἰῶνος ἀναθεμένους τῷ Θεῷ χρυσᾶ ἢ ἀργυρᾶ σκεύη ἔψεγε, καὶ τὰ τῶν ἐκκλησιῶν ἱερὰ κοινοῦσθαι ἄξιον ἐδογμάτιζε. Locus Platonis laudatus Nostro, est in *de Legg.* 12. cui et alii affines extant in Alcibiade et Eutyphrone.

Ibid. Ξύλον δὲ etc.] Haec Plato, non quod purius censeret hoc, aut ad Deorum cultum accommodatius, sed ut ne in totum imaginum usum videretur tollere, τὴν Ἀθηναίων φιλοτησίαν (ὡς ἔοικεν) ὀῤῥωδήσας, καὶ τὸ τῷ Σωκράτει προσενεχθὲν ὑφορώμενος κώνειον, ut notat θεραπευτ. 3. Theodoretus.

Ibid. *Ut vitae Magistro, ita caussae Patrono*] De Aristotele Themistius Orat. 1. Ὃν προυταξάμην βίου τε καὶ τῆς σοφίας. De eodem Cicero 3. de Orat. *A quo ille* (Alexander) *et agendi acciperet praecepta, et eloquendi.* Ibid. de Platone: *Ille non linguae solum, verum etiam animi, ac virtutis Magister.* Iterum: *Iidem erant vivendi Praeceptores, et dicendi Magistri.* Florid. 1. Noster, de Philosophia: *Disciplina regalis, tam ad bene dicendum, quam ad bene vivendum reperta.*

Ibid. *Prosperum matrimonium*] Loquitur signate. Tertullian. Apolog. *Faelicitas matrimoniorum de moribus prosperata.* Sidon. Lib. 2. Epist. 4. *Optantii Cl. Viri* etc. *filiam* (*quod Deo prosperante succedat*) *licet in coniugium petierit*, etc. Idem Carm. 14. *Prosper connubio dies coruscat.*

Pag. 511. *Iuvenes laudis gratia*] Fabius: *Principes in Republicâ viri non detrectaverunt hanc officii partem, creditique sunt etiam clari iuvenes obsidem Reipublicae dare malorum civium accusationem: quia nec odisse improbos, nec simultates provocare nisi ex fiduciâ bonae mentis videbantur.*

Ibid. *Qui nos* etc. *diu exolevit*] Rationem pete-

pete e Ciceron. Orat. 5. in Verr. unde totum hunc locum deprompsisse Appuleium puto.

Ibid. *Rustico et barbaro*] Supra de eodem: *Agrestis et barbarus.* De puero Thallo: *Barbarum et rusticanum.*

Ibid. *Incaeptio patrociniorum capulari seni*] V. Quintilian. 12. 6.

Pag. 512. *Ad nectendas* etc. *calumnias*] Supra: *Omnem calumniae textum retexo.*

Ibid. *Quod in Villâ, non in oppido, Tabulae nuptiales sint consignatae*] Solemnis in hac re obiectatio. Seneca Lib. 8. Contr. 6. *Matrimonii celebritatem remoti angulo ruris abscondit.* Miles. 6. Noster: *Impares nuptiae, et praeterea in villa factae, legitimae non possunt videri.*

Ibid. *Ibi omne virus totis viribus adnixi effudere*] Ennod. Apolog. *Heic tota ingenii vela suspenditis: heic resupinae cervicis, et secessu pectoris, quidquid habuit flaminis ructus evomuit.* Misere corruptus locus. ego sic legebam: *Heic tota ingenii vela intenditis: heic resupinâ cervice ex secessu pectoris, quidquid habuit flaminis, ructus evomuit.* nec vel ita satisfacio mihi, nec plus operae tamen restitutioni impendam. non est is Scriptor tanti ut sudorem mereatur.

Ibid. *Grandem ducem mox in principio coniunctionis nostrae*] Cato apud Gellium 17. 6. *Principio mulier nobis magnam dotem attulit.*

Pag. 513. *Subornatum*] Glossae: Ὑπόβλητος μάρτυρ, *Subornatus testis.*

Ibid. *Longe a vero aberrasse*] Minuc. Octav. *Longe de viciniâ veritatis erratis.*

Ibid. *Ipsum fontem* etc. *mendacii huiusce*] Idem Minuc. *Aggrediar fontem ipsum erroris et pravitatis.*

Ibid. *Non tamen libenter in ipso aetatis suae flore tamdiu vidua*] Nec mirum, cum vel intra luctus anniculum tot ad secundas nuptias transirent, imo *tepido mariti busto*, ut apud Lucanum *Cornelia. Una de multis face nuptiali Digna;* Livia Ruffina nempe, de quâ egregiam memoriam vide in Inscriptionum Corpore. 305. 5.

Pag. 514. *Nuptias vanis frustrationibus eludit*] Non enim *Tabulae* nuptias consummabant. Iuvenalis: *Si tibi legitimis pactam iunctamque Tabellis Non es amaturus, ducendi nulla videtur Caussa.* Fabius Lib. 5. cap. 11. *Nil proderit signasse Tabulas, si mentem matrimonii non fuisse constabit. V. l. 31. D. de Donation.* Nonnihil rem illustrat hoc Adriani rescriptum: Λεγούσης τινος γυναικὸς τὴν ἐπίδοσιν τοῦ ἰδίου υἱοῦ ἀφῃρῆσθαι ὑπό τινὸς, αὐτόν τε υἱὸν ἴδιον εἶναι, καὶ πρὸς αὐτὴν ἀνήκειν τὴν ἐπίδοσιν, ἠρνήσατο ἄλλος. ἀπεκρίθη γυνὴ Ῥωμαϊκὴν αὐτὴν γεγενῆσθαι, καὶ δέλτους μὲν γεγράφθαι, γάμους δὲ μὴ γεγονέναι; μὴ δυνηθέντος οὖν αὐτὸν ἀποδεῖξαι υἱὸν ἴδιον εἶναι περὶ οὗ ἐπράττετο, ὁπότε μὴ εἴη σὸς υἱὸς, τὴν ἐπίδοσιν ἀπόδος.

Ibid. *Sine fabula*] Senec. L. 9. Contr. 6. *Duxi uxorem nullis inquinatam fabulis.* Idem L. 2. Contr. 15. *Adversus omnes illecebras atque omnia delinimenta muliebris ingenii est veluti solum firmamentum, in nullam incidisse fabulam.* Miles. 5. irata Venus Cupidini: *Nec enim vos utique domus meae famosa fabula latuerit.* Et 6. *Quotidianis fabulis ob adulteria et corruptelas infamatum.*

Ibid. *Medici cum obstetricibus*] Tertullianus de carne Christi cap. 20. *Respondeant obstetrices, medici et physici.* recte uterque *Medicis obstetrices* iunxit, nam et harum nonnullae partes in Medicina. l. 1. §. 2. *De extraord. cognit.* et l. 1. *De inspic. ventr.* Pollux e Platone Lib. 4. cap. ult. Διδοῦσι φαρμάκια αἱ μαῖαι ταῖς δυστοκούσαις. hinc insignitae etiam nomine *Medicarum.* Gloss. Isidori *Maia, medica, obstetrix.* Anianus ad Paul. Recept. sentent. L. 5. *Quoties de mulieris praegnatione dubitatur, quinque Obstetrices, id est Medicae, ventrem iubentur inspicere.* Imo Medicis non minoris aestimatas, solidis sexaginta nempe, patet ex l. 3. Cod. *Comm. de Legat. et fideicom.* adeo minus probabilis videtur Scipionis sententia, quae quas Plato περὶ γάμων γυναῖκας, et γυναῖκας τῶν γάμων ἐπιμελουμένας, longe honestiore loco quam *Obstetrices* statuit.

Pag. 519. *Qui tum adultus Romae agebat*] Ut etiam vitricus eius adhuc iuvenis. Florid. 3. *Ab ineunte aevo bonas artes sedulo colui, eamque existimationem morum ac studiorum, cum in Provinciâ nostrâ, tum etiam Romae penes amicos tuos quaesisse me, tute ipse locupletissimus testis es.* Qui forensibus incumbebant studiis, eo ex Provinciis commeabant. Constantius vit. S. Germani: *Ut in eum perfectio literarum plena conflueret, post auditoria Gallicana, intra urbem Romam iuris scientiam plenitudini perfectionis adiecit.* Rutilius Numatian. Itiner. Lib. 1. *Facundus iuvenis Gallorum nuper ab arvis Missus, Romani discere iura fori.*

Ibid. *Suâ sibi voce, suisque verbis sese revincat*] Infra: *Quin tu meismet factis, non alienis verbis revincis?* Iterum: *Nescisti te tuomet testimonio convictum iri. Iisdem verbis et sententiis quas quis profert, vincire:* et *quasi elatum Goliam suo gladio iugulare*, vocat Eucherius ad Regum L. 1. cap. 18. Sidonius: *Vernaculis implicaturis in retia sua implagari.* Lib. 9. Ep. 9.

Ibid. *Quid palluisti? nam erubescere tu quidem non potes*] Iuvenalis: *Sanguinis in facie non haeret gutta, morantur Pauci ridiculum effugientem ex urbe pudorem.* est tamen ubi et ruborem reperias in ἀναισχυντίᾳ. Seneca Epist. 11. *Quidam nunquam magis quam quum erubuerint timendi sunt. quasi omnem verecundiam effuderint.*

Plinius de Domitiano Panegyr. *Femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa.* (ubi frustra corrigit vir doctus, *nullo rubore.* De eodem Tacitus: *Saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat.*

Ibid. *Falsâ spe inductus*] Terent. Andr. *Nisi me lactasses, et falsa spe produceres.*

Ibid. *Cum despectu salutis suae*] Supra: *Cum despectu et dispendio bonae valetudinis.*

Ibid. *Supremo iudicio*] Infra: *Quod utinam supremum eius iudicium non impedisses.* Ammian. Marcell. L. 28. *Supremis iudiciis ordinatis.* l. 5. D. Quemadmodum test. aper. *Suprema hominum iudicia. Suprema arbitria vocat* Sextus Rufus. V. Brisson. ad l. 17. de V. S.

Pag. 517. *Quod quidem illa ut faceret*] *Iudicium* nempe, sive *electionem*, de quâ supra proxime. monui ne remotior Syntaxis faceret locum de hiatu suspectum.

Ibid. *Spes in facultatibus matris sitae erant*] Genus loquendi tractum a Sallustio. Catil. *Mihi spes omnes in memet sitae sunt.* Ibid. *Spes atque opes civitatis in illo sitae.* Alibi: *Spes omnis in fugâ sita erat.*

Ibid. *Mulier HS. quadragies possidebat*] Seneca de Catone: *Possidebat ipse quadragies sestertium.* De vit. beata cap. 21.

Pag. 518. *Timorem mussitabat*] Sic 3. Miles. *Demussare contumeliam.* quod nonâ vocat *Iniuriam devorare:* et ibid. *Tacitos secum mugitus iterare.* Claudian. 1. in Ruffin. *Tacitique sepultos Suspirant gemitus, indignarique verentur.* Glossae Vindoc. MS. *Mussitat, prae timore murmurat.* Grammatici vett. *Mussare, est occulte et pressâ voce loqui quod celatum velis.*

Ibid. *Hyems anni erat*] Sueton. Iulio: *Neque loco, neque tempore aequo, sed hyeme anni.* Noster Hermagorae 1. apud Priscianum: *Aspera hyems erat, omnia ningue canebant.*

Ibid. *Aliquammultis diebus*] Florid. 3. *Post aliquammultos dies.* Miles. 9. *Post multum equidem temporis.* fors: *Post aliquammultum c. t.*

Ibid. *Domus fortunam*] Livius 36. *Etiam fortunam domus horrebant.*

Ibid. *Inversis verbis*] Lucretius Lib. 5. *Inversis quae sub verbis latitantia cernis.* Gellius L. 3. cap. 15. *Involucra sensuum* vocat, et *Verborum volumina.* Phaedrus *Verbosas strophas.* Plautus Cistellar. *Orationem intortam.* Gloss. Συνεστραμμένη ὁμιλία, *tortiloquium.*

Pag. 519. *Conversum ab re uxoria*] Terent. Andr. *Abhorrentem ab re uxoriâ.* Libanius Sophist. Ἐχθρᾶς ἔχοντα πρὸς τὸν γάμον.

Ibid. *Orat alterm paulisper manerem* etc. *hyemem alteram* etc. *opperiendam*] Similis et argumenti et artificii ea apud Poëtam praecipuum, Aen. 4. *Indulge hospitio, caussasque innecte morandi, Dum pelago desaevit hyems, et aquosus Orion, Quassataeque rates, et non tractabile caelum.* Verba Annae sunt ad Didonem Aeneam advenam depereuntem.

Ibid. *Propter Syrtis aestus*] Recte, nam qui ex Libya terrestri itinere Aegyptum contendebant, omnino necesse habebant hanc Syrtin pertransire. Lucian. Διψάδ. Οἱ ἐκ Λιβύης ἀπιόντες εἰς Αἴγυπτον, παρὰ τὴν μεγάλην Σύρτιν ποιοῦντο τὴν πορείαν, οὐ γάρ ἐστιν ἄλλως.

Ibid. *Syrtis aestus*] Horat. *Sive per Syrtes iter aestuosas.*

Ibid. *Prospectu maris, qui mihi gratissimus est*] Menander: Ὡς ἡδὺ τὴν θάλατταν ἄποθεν γῆς ὁρᾶν! V. quae de ἀπόψεσι Salmas. ad Spartian.

Ibid. *Interibi*] ἐν τούτῳ· Gentilis nullibi quam heic legisse meminit. utitur tamen Plautus Asin. Capt. bis minimum, etiam Cato apud Gellium L. 3. c. 7. Falsus est et de vocis compositione idem Scipio, terminatio enim localis non est, merus ἀρχαϊσμὸς est. sic apud Plaut. *postibi*, h. e. *postea.*

Ibid. *Dissero aliquid postulantibus amicis publice*] Supra: *Abhinc triennium est quum primis diebus quibus Oëam veneram, publice disserens* etc. *Postulantibus amicis* quod ait, habet id coloris speciem. Voluit (puto) excusatum se quod Philosophus disserere sustinuit. Florid. 4. *Tanta multitudo ad audiendum confluxistis, ut potius gratulari Carthagini debeam quod tam multos eruditionis amicos habeat, quam excusare quod Philosophus non recusaverim dissertare.* hoc scilicet Sophistarum erat, qui non (ut Philosophi) μάθησιν, sed ἐπίδειξιν spectabant. Glossae: Σοφιστὴς, *disertor, sophista.* ego legendum puto, *Dissertor.*

Ibid. *Ingenti celebritate Basilicam complentes*] Paulinus Epist. 33. *Tantis influere penitus agminibus in amplissimam gloriosi Petri Basilicam.* Sidonius Lib. 5. Epist. 17. *Populus ingens sexu ex utroque, quem capacissima Basilica non caperet, quamlibet cincta diffusis cryptoporticibus.*

Ibid. *Congruentissima voce* etc. *acclamant*] Miles. 3. *Cuncti consona voce flagitant.* Virgil. Aen. 11. *Unoque omnes eadem ore fremebant. Convasare acclamationes* vocat Sidonius L. 1. Epist. 9. Cassiodor. 1. 13. *Dicere uno sono.* Plato de *Leg.* 1. Μιᾷ φωνῇ, καὶ ἐξ ἑνὸς στόματος συμφωνεῖν. Lucianus Zeux. Ἓν, καὶ τὸ αὐτὸ σημαίνεσθαι. Dio in Pertinace: Εὐρύθμως ἐκβοᾶν. At nae ego ineptus qui vel pauxilla haec in eo Argumento, quod Libris septem *de Veterum acclamationibus* inscriptis, adeo accurate persequutus est, doctissimus idemque amicissimus Bernardinus Ferrarius, cuius instructissimam *Dactyliothecam* etiam expectamus iam quotidie, nec non alia cum ab eruditione elegantia, tum ab Argumentis.

Pag.

Pag. 520. *Consensum publicae vocis pro divino auspicio*] Herric. Altisiodor. de vit. S. Germ. Lib. 2. *Populos in consona vota ruentes Adspiceres, spirante Deo.* Nazarius Panaegyr. *Sed negliguntur praeconia hominum ubi quaeruntur iudicia divina.* quot verba, tot menda. lege, et interpunge, *Si n. p. h. u. quaerentur indicia divina?* Apud Symmach. Presbyteri ad Imperr. Honor. et Theodos. *Venerabilem virum Bonifacium acclamatione totius populi, ac consensu meliorum civitatis asseruimus:* etc. quam *electionem* statim *divinam sententiam* vocat: et continenter, *Divinum est quidquid tantorum firmat electio.* Iterum intervallo minimo: *Presbyteri omnes aderunt, qui voluntatem suam h. e. Dei iudicium proloquantur.* Anastasius Bibliothecarius in vita Valentini: *Collectis in unum venerabilibus Episcopis, et gloriosis Romanorum proceribus, omnique amplo* (malim *amplae*) *Urbis populo in Palatio Lateranensi, ut quod iam cordi caelitus revelatum aequiter omnes tenebant, in uno multorum sonitu resonaret*, etc. Latro in Catilin. *Is rumor sparsus est de moribus Catilinae, eaque ubique opinio pervagata, quatenus existimem voces istas publicas non hominum esse sed Oraculi potius nuncupandas.*

Ibid. *Si ego non nolim*] Cicero ad Attic. L. 13. *Proximis tuis literis te id non nolle agnovi.* Ulpianus L. 1. §. 1. et 2. *de Tribut. act. Non enim velle debet Dominus sed non nolle.* Catullus: *Quae tu volebas, nec puella nolebat. Non nolle* valet *pati, non contradicere*; atque inter *velle* et *nolle* quiddam medium est. Quidam *non velle* putarunt medium, perperam: nam inter affirmativum et negativum qui constituere medium volet, oportet ex negativo sumat, neutiquam ex affirmativo.

Ibid. *Mediocri facie*] *Speciem temperatam* vocat Fulgent. 3. Mythol. Noster, Miles. 4., *Temperatam formositatem.* Euripides Μετρίαν χάριν. Ennius *formam statam.* Phavorinus apud Gellium 5. 11. *uxoriam.*

Ibid. *Ad aliam conditionem*] Infra: *Longâ dote, et molli conditione.* propria connubiis vox. V. Colvii Not.

Ibid. *Neque pro amico, neque pro Philosopho facturum*] Sallust. Iugurth. *Neque pro recto, neque pro bono facturum.* Caesar. Bell. Gall. 5. *Nihil hunc sese absente pro sano facturum.*

Ibid. *Verbigeratum*] Onomast. vet. *Verbigera*, λογοποιῶ. Glossae MS. Cl. Bourdelotii: *Altercatur, ligat, verbosatur.* leg. *A., litigat, verbigeratur.*

Ibid. *Persuaderat idem Pontianus matri suae ut me omnibus aliis mallet*] Infra ex literis ipsis Pudentillae: Βουλοιμένην γάρ με δι' ἃς εἶπον αἰτίας γαμηθῆναι, αὐτὸς τοῦτον ἔπεισας ἀντὶ πάντων αἱρεῖσθαι. etc.

Pag. 521. *Quidvis pati, quidvis facere*] Miles. 9. *Quidvis facere, quidvis pati paratus*, et in Phaedone apud Priscianum, *Sic agere aut pati.* Horatius: *Iubet quidvis et facere et pati.* Pollux Onomast. Lib. 6. cap. 32. Οὔτε παθεῖν δέδοιεν, οὔτε ποιεῖν ὀκνεῖ. Imp. Manuel Palaeolog. 4. Orat. Παθεῖν πᾶν ὁτιοῦν, καὶ πάνθ' ὁμοῦ διαπράξασθαι πρόθυμοι. Iulian. Orat. ad Athen. Ὅ τι ἂν ᾖ τοῖς θεοῖς φίλον, πάσχειν ἢ πράττειν.

Ibid. *Qui neminem unum in terris viliorem se* etc.] Senec. Lib. 3. Contr. 17. *Deduxi ad vos reum, omnium quos terra sustinet, nocentissimum.* Sallust. *Iugurtha, homo omnium quos terra sustinet sceleratissimus.* Plaut. Pseud. *Quantum terra tegit hominum periurissime.*

Pag. 522. *Calumniae fornacula*] Ut apud Ciceron. pro Rosc. *Officina nequitiae.* Zosimum, Ἐργαστήρια συκοφαντιῶν, et Boeth. de Consol. *Sceleratorum officinae.* Sidonius hac facie etiam *calumniam sufflamare.* Lib. 4. Epist. 6.

Ibid. *Litium depector*] h. e. *redemptor*, sive qui alienas lites pro suis suscepit, pactione dimidiae aut tertiae partis, aut de quotâ convenire potuit. *Litium mercatores* vocat, Cicero in Verr. Divin.

Ibid. *Simulationum architectus*] Idem pro Rosc. Amer. *Omnium Architectum et machinatorem.* pro Cluent. *Sceleris principem ipsum, atque architectum.* Demosth. πρὸς Διόνυσ. Τῷ ἀρχιτέκτονι τῆς ἐπιβουλῆς. Themist. Euphrad. 9. Orat. Τὰ μηχανήματα ὧν αὐτὸς ἦν τέκτων καὶ μηχανοῤῥάφος.

Ibid. *Simulationum*] Διαβολῶν, non προσποιήσεων.

Ibid. *Malorum seminarium*] Sic apud Homer. Ὀδυσσ. ξ. Φυτεύειν κακά. Miles. 11. Noster: *Malorum disseminationes.* ubi pessime quidam codices, *dissensiones.*

Ibid. *Calvitio deformaretur*] Lactant. de opif. Dei cap. 7. *Quanta in eo deformitas futura esset, ex calvitio apparet.* Sueton. de Domitiano: *Calvitio quoque deformis.*

Ibid. *Ad omnia infanda morigerus*] Donat. ad Terent. *Morem gerere lenonium et meretricium notat.* Afranius: *Aetas, et corpus tenerum, et morigeratio.*

Ibid. *Saltandis fabulis exossis et enervis*] Miles. 1. *Exossem et enervem saltationem.* Minuc. Octav. *Enervis histrio.* Gaudent. Brixiens. *Gestus colubrini.* de Lect. Evang. Tract. 2.

Ibid. *In hac etiam aetate quâ nunc est*] Iul. Firmic. de Sylla 1. 3. *Senex exoletus, alienâ aetate, flagitia corporis detinebat.* Seneca Epist. 122. *Cum illum contumeliae sexus eripuisse debuerat, ne aetas quidem eripiet.* Gregor. Nazianz. Orat. 40. Αἰσχρὸν μὲν τὴν ἡλικίαν παρακμάσαι, μὴ παρακμάσαι δὲ τὴν ἀσέλγειαν. Salvian,

vian. de Gubern. Lib. 7. *Ab usitatâ impuritate nec miseriarum egestate, nec vitae extremitate revocantur.*

Ibid. *Uxor lupa*] *Lupa* ut plurimum signat meretricem, at ne cui hac parte imponatur minus cauto, sciat non ubique occurrere eo sensu. Specimen e Prudentio damus (quem eàdem operà emendatum imus). Loquitur de Priapo priore contra Symmach. Libro: *Scortator nimius, multâque libidine suetus Rusticulas vexare lupas.* Legebat Gasp. Barthius, *Lustricolas:* bonâ coniecturâ quidem, si heic *Lupae* meretrices essent, at non caepisse videtur Poëtae mentem. Prudentius *Lupas* vocat agrestes et montanas puellas, assuetas pecorum pastui, et id genus animalium. Fasti Siculi, seu mavis, Chronicon Alexandrinum: Εἰς ἐκείνην τὴν χώραν (Ἰταλίαν) λυκαίνας καλοῦσιν ἕως ἄρτι τὰς βοσκούσας τὰ πρόβατα, ὡς αἰεὶ τὸν βίον καὶ τὴν διαγωγὴν ἐχούσας μετὰ τῶν ἀλόγων, καὶ τῶν λύκων. Cedrenus: Εἴθιστο δὲ τοῖς ἐγχωρίοις λυκαίνας τὰς τοιαύτας καλεῖν γυναῖκας, διὰ τὸ ἐπίπαν ἐν τοῖς ὄρεσι μετὰ λύκων διατρίβειν. Itaque aut mutandum nil, aut legendum *Ruricolas.*

Ibid. *De uxoris noctibus paciscuntur*] Miles. 10. *Depacta est noctis unius concubitum.*

Ibid. *Collusio*] Glossae: *Conludit*, συνδυάζει. *Collusio et compactum*, συνδυασμὸς. Nomicum Glossar. συμπαίγνια, ἀπάτη.

Ibid. *Qui amplam stipem mulieri detulerunt*, etc.] Tibullus: *Sed pretium si grande feras, custodia vincta est, Nec prohibent claves, et canis ipse tacet.* Propert. *Ianitor ad dantes vigilet, si pulsat inanis, Surdus in obductam somniet usque seram.*

Ibid. *Maluit retinere pecuniam quam pudorem*] Lucius Pomponius: *Ego rumorem parvi faciam dum sit rumen qui impleam.* Sophocles: Δοκῶ μὲν οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν. Iuvenalis: *Quid enim salvis infamia nummis?* Horatius: *Quidam memoratur Athenis Sordidus ac dives, populi contemnere voces Sic solitus: populus me sibilat, at mihi plaudo Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arcâ.* Sarisburiens. *Polycrat.* 7. 16. *Avaro nihil vile videtur aut sordidum: sibilante populo seipsum consolatur.*

Ibid. *Flagitaretur*] Apte, nam hoc proprium obaeratis. Gellius Lib. 17. cap. 6. *Flagitare pecuniam iubebatur.* Plaut. Casin. *Ducite ex animo curam atque aes alienum, Nec quis formidet flagitatorem suum.* Idem Pseud. *Si non dabis Clamore magno, et multum flagitabere.* recte *clamore.* Lactant. de opif. D. cap. 3. *Magnisque clamoribus conditionem pristinam flagitant.* Glossae: *Flagitaverit*, μετὰ βοῆς ἀπαιτήσῃ. Gloss. Vindoc. MS. *Flagitat, commovet*, (an *commonet?*) *cum clamore exposcit.*

Ibid. *Et quasi insanus ab omnibus obviis teneretur*] Achil. Tat. Amor. Lib. 7. Οἱ δὲ φυλάσσοντες ἐδίωκον, νομίζοντες ἀποδιδράσκειν· καὶ ἐβόων τοῖς ἐντυγχάνουσι λαβέσθαι.

Pag. 523. *Annulos aureos, et omnia insignia dignitatis abiicit*] Horat. Lib. 2. Sat. 7. *Proiectis insignibus, annulo equestri, Romanoque habitu.* Martialis 2. 52. *Oppigneravit ad modo Claudii mensam Vix octo nummis annulum unde caenaret.* ultimae egestatis signum: nam et aliis exuti omnibus, solebant annulos saltem custodire. Iuvenal. Sat. 11. *Post cuncta novissimus exit Annulus.* Sueton. Iul. *Affirmavit se ad satisfaciendum omnibus per quos dignitatem suam defensurus esset, annulum quoque aequo animo detracturum sibi.*

Ibid. *Pleraque in uxoris nomen* etc.] Etymolog. in Ἐγγύης.

Ibid. *Ignominiâ suâ tectus*] Aeschines (Scipioni notatus): Ὥστε μηδὲν ἀλλ' ἢ τὰς αἰσχύνας αὐτῷ περιεῖναι. Sallust. Catil. *Flagitiis et facinoribus coopertus.* Tacitus Annal. 3. *Probrosus, et infamiâ coopertus.*

Ibid. *Liberum venit*] Estne quod *laxum* Martiali 3. 22?

Ibid. *Praeter quod ei uxor sua quotidianis dotibus quaesivit*] Herodot. I. de Lydorum filiabus: Πορνεύονται πᾶσαι, συλλέγουσαι σφισὶ φέρνας. Fere eadem de *Punicis* Valerius 2. 6. de *Phaenicibus* D. Augustin. de civit. 4. 10. de *Cypriis* Iustinus 18. 5. de *Tuscis* Plautus Cistell. 2. 3.

Ibid. *Quotidianis dotibus*] Ut apud alios *Nuptiae quotidianae.* Ibid. Plautus: *Habemus nuptias quotidianas, Haec quidem ecastor viro quotidie nubit.* Auctor ad Herennium: *Cuius mater quotidianis nuptiis delectatur.* quod expressum ex Demosthenis κατὰ στεφ. videtur: Ὡς ἡ μήτηρ σου τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις χρωμένη.

Ibid. *In ventrem condidit*] Iuvenalis Sat. 11. *Aere paterno, Ac rebus mersis in ventrem.*

Ibid. *Dilapidavit*] Onomast. vet. *Dilapido*, διαφορέω. Firmic. 4. 8. *Patrimonium miserâ laceratione dilapidat.* D. Paulin. *Incassum reditus dilapidare suos.* extulit meliore sensu D. Hieron. *Censum omnem* (inquit) *quem habere potuit, dilapidavit et vendidit, et in pecuniam congregatum usibus pauperum praeparavit.* Epist. Lib. 3.

Pag. 524. *Male partum*] Fors quod in Milesiis Lib. 5. vocat: *Aes de malo habitum.*

Ibid. *Profundam gulam*] Vulgus hodiernum Venetum, *Gola sfondradona.* Miles. 4. *Ventri profundo serviens.* 8. *Insatiabilem, profundumque ventrem.* Pluscula ad hunc locum notaveram quae missa facio, video enim a Casaub. congesta ad Sueton. Vitell.

Ibid. *Uxor propemodum vetula et effaeta, totam domum contumeliis abnuit; filia autem per* ado-

adolescentulos ditiores invitamento Matris suae nequicquam circumlata etc.] Synesius Epist. 3. Καὶ αὐτὴ πάλαι μὲν ἐπαλλακεύετο ναυκλήρῳ δεσπότῃ· ἔπειτα μὲν τῷ Ῥήτορι, καὶ τούτῳ δεσπότῃ· τρίτῳ μετ' ἐκείνους ὁμοδούλῳ, καὶ λάθρα τῇ πόλει, καὶ προὔστη τῆς τέχνης, ἧς ἐπειδὴ τὴν ἐργασίαν ὑπὸ χαλαρᾷ ῥυτίδι κατέλυσε, τὰς ἐν ἡλικίᾳ παιδοτριβεῖ, καὶ τοῖς ξένοις ἀντικαθίστησιν. Similem disciplinam Petronius in Philumene expressit: *Multas haereditates officio aetatis extorserat, tum anus et floris extincti, filium filiamque ingerebat orbis senibus, et per hanc successionem artem suam perseverabat extendere.*

Ibid. *Circumlata*] *Circumferri* eodem venditandi sensu apud Senecam de benef. 1. 9. habes, Libro *de remed. fortuitorum.* alibi *in sella prostare* vocat: *admissis inspectoribus undique perspicuam vehi.*

Ibid. *Facilitatem Pontiani*] Infra: *Quo facilius Pontiani facilitatem* etc. *circumveniret.*

Ibid. *Vidua antequam nupta, domi sedisset*] Scaliger ad Arist. de Animal. 5. 6. inepte dici ait: *Virginem marito viduam.* Vidua enim (inquit) est quae separata est a marito quicum iuncta erat. Imo *vidua* est, etiam *quae necdum nupsit*, ἡ μήπω γεγαμημένη. mitto qui prae manibus est Authoris locum, cape alium 4. Milesia: *Psyche virgo vidua domi residens:* aut si Noster novator nimis, audi Senecam in Agamemnone: *Ante te morantur Virgines viduae domi.* Ibid. *Vidua ante thalamos.* D. Hieronym. ad Eustoch. *Videas plerasque viduas antequam nuptas.* Cyprian. *Furtivo dedecore corruptae, viduae antequam nuptae.* Sic apud Graecos Χήρια et *viduitatem* et *celibatum* notat. Constant. Harmenop. L. 6. Tit. De V. S. Χήρα ἐστὶ οὐ μόνον ἡ διαζευχθεῖσα, ἀλλὰ καὶ ἡ μὴ οὕτως ἄνδρα ἐσχηκυῖα. Glossae: Χήρωσις, *Viduitas*, *caelibatus.* Χήρια ἀνδρὸς, *caelibatus.*

Ibid. *Domi sedisset*] Idque cum dedecore. Phalaris Epist. 14. Ἡ μὲν ἐπ' ἀνδρὶ χήρα χρόνους προσλαμβάνουσα πλείω ἀρετὴν, ἡ δὲ ἐπὶ παιδὶ παρ' ὥραν μηκυνομένη παρθενία διαβολὴν κτᾶται· πᾶσι γὰρ ἀνθρώποις αἴσχιστον δέδοκται, καὶ νὴ Δία ἐστὶ, παρὰ τοὺς τῆς φύσεως χρόνους θυγάτηρ οἰκουροῦσα.

Ibid. *Nuptiarum titulum*] *Nuptiarum nomen* Petronius, ubi Bourdelotium vide.

Ibid. *Honestissimo*] Ditissimo, ut l. 52. §. 15. D. *de furt.* et apud Ascon. ni fallor, in Verrinas.

Ibid. *Secura et intrepida*] Haud infidum praeflorationis signum, cum sit virginum trepidare. D. Ambros. in Evang. Luc. cap. 2. Miles. 5. Noster: *Virginitati suae metuens, pavet et horrescit.* Theocrit. ubi supra: Θάρσει κώρα φίλα, τί μοι ἔτρεμες; ὡς μάλα δειλά! Claudian. *Iam nuptae trepidat sollicitus pudor.* Lucan. *Non timidum nuptae leviter tectura pudorem.* Titinnius apud Festum: *Accede ad sponsum audaciter, virgo nulla es.*

Ibid. *Flore exoleto*] Heliodor. Lib. 3. Τὴν παρειὰν ἤδη καὶ ἄνθος ἔφευγε. Philo Iudaeus: Ἀπομαρανθείσης ὥσπερ τινῶν ἄνθων τῆς ἀκμῆς.

Pag. 525. *Vectabatur*] More νεονυμφῶν, et (ut videtur) peculiari Provinciae Africanae, illius enim potissimum apud Scriptores memoratum reperio. Optat. Milevit. Lib. 6. *Hoc nec mulieres patiuntur quae carnaliter nubunt, ex quibus si alicui mutare maritum contigerit, non repetitur illa temporalis festivitas, non in altum tollitur* etc. Marcian. Capella *de Nupt.* Lib. 2. *Cum sonitu introfertur lectica interstincta sideribus, cui ritu mystico crepitus praecinebant, quo mos fuerat nubentes Deas in caelestis thalami pervenire consortia.* Tertullian. *ad Uxor.* cap. 4. *Non monilium pondera, non vestium taedia, non Gallicos vultus, nec Germanicos baiulos, quae nuptiarum gloriam accendunt.* Porro hodiéque in Africa viget mos iste, deferturque ante novam nuptam sanguinolentum indusium, utpote interfectae signum virginitatis. monuit me ex Leone et aliis Cl. Bourdelotius.

Ibid. *Octophoro*] Epigramma ex MSS. eiusdem Bourdelotii: *Porcius octophoro fertur resupinus ad aedem Iunonis Triviae, priscaque templa Deae. Et circum Phaebi: merito stupet inscia turba, Atque ait, an horum victima Porcus erit?* plura de *Octophoro* Pythaeus Advers. Subsic. Corras. Miscell. Iur. Lib. 3. cap. 20. Lips. Elect Lib. 1. cap. 19. Nugatur autem suaviter compilator Iuris Lexici *Octophorum* pro *vehiculo* capiens *octo rotas habente.*

Ibid. *Improba iuvenum circumspectatrix*] Lucian. Ἐπιβάλλειν τοῖς νέοις τοὺς ὀφθαλμοὺς. Senec. Declam. 6. *Puellari lenocinio oculos circumdare.* D. Hieron. *Vultus meretricis circumferre.* D. Ambros. *de Virg.* Lib. 3. *Ludere oculis, rotare cervicem.* Prudent. *Vagari oculis.* Phaedr. *Oculis venaturam facere.*

Ibid. *Quis non disciplinam matris agnovit?* etc.] Iuvenalis Sat. 14. *Expectas ut non sit adultera Largae Filia?* Idem 6. *Scilicet expectas ut tradat mater honestos, Aut alios mores quam quos habet?* Ambros. ubi supra de Herodiade: *Quid potuit filia de adulterâ matre discere nisi damnum pudoris?*

Ibid. *Disciplinam*] Cicero Verr. 5. *Meretriciam disciplinam.* Catullus: *Uno in lectulo erudituli ambo.*

Ibid. *Immedicatum os*] Tacit. de Tiberio: *Ulcerosa facies, et plerumque medicaminibus interstincta.* Petron. *Facies medicamine attrita.* Commodianus: *Inducis malis medicamina ficta.*

[Ooo] Ibid.

Ibid. *Praesumptione cassa devorârat*] Cicero Verr. 3. *Spe atque opinione praedam illam devorasset.* Salvian. 4. *de Gubern. Praedam spe atque cupiditate devoraverat.* Boëth. 1. *de consol. Cuius opes Palatini canes iam spe atque opinione devorassent.* Prudent. περὶ στεφ. *Spe devorat aurum.*

Ibid. *Iniicit scrupulum*] Miles. 1. *Mihi non parvam incussisti sollicitudinem* etc. *iniecto non scrupulo, sed lanceâ.* Nil moveo, moneo tantum posse *spiculo* legi. *tragulam iniicere* certe passim apud Plautum legas: fulcrum validius autem ab hoc loco Tertulliani accedit: *Non lucernae spiculo lumine, sed totius Solis lanceâ.* Extat in Libro eius *de Pudicitia.*

Ibid. *Minatur se filiam abducturum*] Iure paterno nempe, cuius specimen hoc ex Ennio cape: *Iniuriâ abs te afficior indigna Pater, Nam si improbum Cresphontem existimaveras, Cur me huic locabas nuptui? sin est probus Cur talem invitum invitam cogis linquere?* Iunge Afranium: *Indignum facinus, adolescentes optumos, Bene convenientes, concordes cum viro, Repente viduas facit spurcities Patris.*

Ibid. *Illecebris offraenatum*] Miles. 6. *Unius offulae praedâ offraenatum.* Plautus Capteiv. *Usque offraenatum suis me ductarent dolis.*

Ibid. *De viâ deflectit*] Glossae MS. Cl. Puteani: *Deflectit, deviat.* heic autem *deflectere*, est *seducere*, εἰς τὰ κατ' ἰδίαν ἀποσπᾷν, καὶ ἐξάγειν· ut in Philox. Gloss.

Pag. 526. *Iram quoque accessisse, non mediocre pertinaciae adiumentum*] Cicero ad Attic. Lib. 1. Epist. 9. *Incredibile est quanto mihi videatur illius voluntas obstinatior, et in hac iracundiâ obfirmatior.*

Ibid. *Exacerbatus*] Gloss. Ἐκκεχόλωμαι, *Exacervatus sum.* Ἐκχολοῦμαι, *Exacervor.* Eaedem, Παραπικραίνω, *Exacerbo, ad iram provoco.* Gloss. Vindocin. MS. *Exasperare, exacerbare.*

Ibid. *Aquariolus*] Gloss. MS. Ioan. Bourdelotii, *Ovariolus*, (leg. *aquariolus*) *puer lenonis.* Gloss. Philox. *Bacario*, πορνοδιάκονος. Lamprid. Commodo: *Gessit aquam ut lenonum minister.* Ubi v. Casaub. et Salmas. ad Vopisc.

Ibid. *Digna cubiculo suo diceret*] Vitiata delitescit haec loquendi forma Libro de Philosophia: *Dum vitam colit, digna Diis discere.* scribe *dicere.* quod indubie verum esse, patet ex discrimine τοῦ *agere* quod sequitur statim, tum quod *dicta* haec *Diis digna* non alia videntur quam καλοὶ λόγοι, de quibus supra heic Plato e Zamolxi.

Ibid. *Se mihi suâ manu mortem illaturum*] Livius Andron. apud Macrob. Sat. 6. *Nunquam hodie effugies quin meâ manu moriare.* Cicero Catil. 1. *Q. Servilius Halae Spur. Melium novis rebus studentem, suâ manu occidit.* Idem pro Caelio: *Qui Consulem incipientem furere atque conantem, suâ se manu interfecturum* etc. *dixerit.* Miles. 10. *Mortem mihi meâ volens manu consciscere.*

Pag. 527. *Sed inquieti animi fuit*] Ἀπάντησις, *quam subsequitur* ἀπόκρισις, *concedo interim.*

Pag. 529. *Quae similiter pro me scripta in memet ipsum vertit cornua*] Infra: *Quae defensio fuerat, eadem manentibus iisdem literis in accusationem transverteretur.* Iterum: *Quae purgandi mei gratiâ scripta erant, eadem mihi immanem invidiam apud imperitos concivere.*

Ibid. *Vertit cornua*] Ita Plaut. *Pseud.* Graeci ἐν αἰτίᾳ ποιεῖσθαι.

Pag. 530. *Multa fando* etc.] Ex illis Cicer. 4. Philipp. *Multa memini, multa audivi, multa legi: nihil ex omnium saeculorum memoria tale cognovi.*

Ibid. *Plura legendo didicisti, et non pauca experiundo comperisti*] Florid. 4. *Quam equidem non didici modo, verum etiam experiundo comprobavi.*

Ibid. *Palamedes*] Quem ego nullo iure inter impostores recensitum puto, cum ex Philostrato Heroic., aliisque constet iniuste eum morti datum. Noster Miles. 10. ipse, *inter inclytos Archivorum Duces falsis simulationibus, eruditione doctrinâque praepollens Palamedes damnatur.* Inde inter κακούργους positus ab imperitâ multitudine, ex cuius sensu certissime heic Appuleius loquitur.

Ibid. *Sisyphus*] V. Schol. Aristoph. *Acharn.*

Ibid. *Eurybates*] Harpocration. Aristaenet. 1. 20. Eustath. ad *Odyss.* T.

Ibid. *Phrynondas*] Ἀθηναίοις περιβόητος ἐπὶ πονηρίᾳ οὐδὲν ἧττον Εὐρυβάτου. Ita Harpocrat. Hesychius: Φρυνώνδας, πονηρούς. Diogenianus Cent. 8. Num. 29. Τοῦ Φρυνίχου πάλαισμα scribend. puto Φρυνώνδου.

Ibid. *Buccones*] Gloss. Isid. *Bucco, rusticus, stultus.* Idem Hesych. Βέκος, ἀνόητος.

Pag. 531. *Turbabat*] Οὐδετέρως, sic saepe Tacitus: et ita Graeci ponunt ταράσσειν suum.

Ibid. *In medio foro bacchabundus*] Lucian. Ἐκώμαζε διὰ τῆς ἀγορᾶς μέσης. Iulianus: Παραφρονήσας ὥσπερ οἱ θεόληπτοι, δημοσίᾳ βοᾷν ἤρξατο κατὰ τὴν ἀγορὰν. Nicet. in Andron. Comneno: Διὰ τῆς Λεωφόρου μέσης, καὶ τῆς ἀγορᾶς διιὼν, καὶ πᾶσι διαπρυσίως φθεγγόμενος. Minuc. Octav. *Hi sunt et furentes quos in publicum videtis excurrere* etc. *sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur:* etc. Miles. 8. Noster: *Amens et vecordiâ percita, cursuque bacchata furibundo, per plateas populosas* etc. *fertur.* Infra heic: *Totum forum tumultu complessent.*

Ibid.

Ibid. *Proquiritabat*] Sic in Milesiis Lib. 10. expressit: *Magnoque fidem eius protestata clamore, et populi concitato tumultu.* Iterum Lib. 2. *Vos in hanc rem boni Quirites testimonium perhibetote.* *Proquiritare* ergo est βοᾶν, διαμαρτύρεσθαι. Demosthenes: Διεμαρτύρου βοῶν, καὶ κεκραγώς. Glossae Isidori: *Quiritare*, *Populare.*

Ibid. *Multa sunt quae sola prolata, calumniae possint videri obnoxia*] Geta Terentianus Phorm. 4. 4. *Nihil est Antipho, Quin male narrando possit depravarier: Tu id quod boni est excerpis, dicis quod mali est.* Supra heic: *Nihil in rebus omnibus tam innoxium dices, quin id possit aliquid aliqua obesse: nec tam laetum quin possit ad tristitudinem intelligi.* Video in Glossis Isidori, *Subsicivus*, *malus interpres.* si maior menda non subest, scripserim *subsecivus:* nempe *qui excerpendo et quasi subsecando bene dicta depravat.* puto vix commodius exponi eam vocem posse.

Pag. 532. *Si ea quae ex prioribus nexa sunt, principio sui defraudentur*] Demosthenes: Νόμους τοὺς μὲν μεταποιεῖν, τῶν δ' ἀφαίρειν μέρη, οὓς ὅλους δίκαιον ἦν ἀναγινώσκεσθαι. V. heic Gentilis Notas.

Ibid. *Ita ut partim vocales*] locus apertior quam qui interpretationis egeat.

Pag. 533. *Detectum mendacium est, veritas olim interversa, nunc se effert*] Cicero pro Cluent. *Improbitate depressa veritas emergit, et innocentiae defensio interclusa respirat*] Phoebadius contr. Arrian. *Ut malum quod sub opinione verborum simplicium latet, deprehendatur: et mendacio detecto, veritas interclusa respiret.* Optat. Milevit. contr. Donat. L. 1. *Iamdudum* etc. *inter caligines quas Livor et invidia exhalaverat, latere veritas videbatur, sed iam* etc. *revelata est.* Suaviter autem an apposite magis Polybius Eclog. L. 14. Scriptor gravissimus? Καί μοί δοκεῖ μεγίστην θεὸν τοῖς ἀνθρώποις ἡ φύσις ἀποδεῖξαι τὴν ἀλήθειαν, καὶ μεγίστην αὐτῇ προσθῆναι δύναμιν. πάντων γὰρ αὐτὴν καταγωνιζομένων, ἐνίοτε καὶ πασῶν τῶν πιθανοτήτων μετὰ τοῦ ψεύδους ταττομένων, οὐκ οἶδ' ὅπως αὐτὴ δι' αὑτῆς εἰς τὰς ψυχὰς εἰσδύεται τῶν ἀνθρώπων, καὶ ποτὲ δὲ πολὺν χρόνον ἐπισκοτισθεῖσα, τέλος αὐτὴ δι' αὑτῆς ἐπικρατεῖ, καὶ καταγωνίζεται τὸ ψεῦδος.

Ibid. *Velut alto Barathro* etc. *emergit*] Virgil. *Imo se emergere hiatu.* [Non est Virg. sed. Severi Aetnae vs. 118.]

Ibid. *Nubendi seu rationem, seu necessitatem, Fato ascribit*] Cui omnes plerosque etiam malae mentis impetus Maiorum caeca scripsit ignorantia. Panaegyrist. ad Canstantin. *Usurpabo illa communia omnium factorum patrocinia, quae tamen plerumque etiam a sapientibus adseruntur, neminem hominem peccare nisi Fato, et ipsa scelera mortalium actus esse Fortunae.* Specimen e veteri lapide non importunum cape.

D. M.
L. AEMILII VICTORIS. QVI PRIDIE.
NATALEM SVVM. VICESIMVM. ET.
SECVNDVM. PRVNA. IN PENSILI.
POSITA. VRGVENTE. FATO.
SANVM. IPSE. NECAVIT. SE. etc.

cum autem in aliis plurimis quaesitum hoc patrocinii videamus, tum praecipue in Amoribus, et inconcessis cupidinibus. Libanius *Progymnas. contr. homicid.* Κάλλους τὶς ἡττηθεὶς ἀδικεῖ μέν, ἀλλ' ἔχει παραίτησιν, ἐβιάσθη γὰρ ὑπὸ τοῦ θεοῦ, καὶ πρὸς τὸν Ἔρωτα δυναστείαν ἀνταίρειν οὐκ εὔπορον. Plautus Aulul. *Deus mihi impulsor fuit, is me ad eam illexit.* Pater filium prae amore decumbentem excusabundus apud Lucianum de Dea Syria: οὐκ ἐθέλων ταύτῃ τῇ συμφορῇ ἔσχετο, ἀλλ' οἱ ἡ νοῦσος ἀεκουσίη. Miles. 10. Noster: *Mulier seu naturaliter impudica, seu fato ad extremum flagitium impulsa.* Plura non congero, occupavit omnem heic diligentiam Cl. Desid. Heraldus ad *Tertulliani Apologiam.*

Pag. 534. *Praecipitasti*] Vim huius verbi Gentilis non assequutus videtur. *Praecipitare*, est *praevenire, praecipere, praeoccupare.* Miles. 9. *Praecipitante consilium periculi praesentia.*

Ibid. *Subnervasti*] Vet. Onomast. *Subnervo*, ὑπονευρίζω. Gloss. Νευροκοπῶ, *Subnervo.* Demosth. ὑποτέμνειν τὰ νεῦρα. Festus *suppernare.* Noster in Miles. *Poplites enervare.*

Ibid. *Hoccine verum?* etc.] h. e. *aequum.* Cicero pro Quinct. *Continuone verum fuit postulare, ut ex Edicto bona possidere liceret?* Idem pro Rosc. *Verissimum et sapientissimum Iudicem.* Priscianus Lib. 17. *Iustum pro vero, et verum pro iusto frequenter, tam nos quam Attici ponimus.* est ergo proprie Atticum loquendi genus.

Ibid. *Ante has Imperatoris Pii statuas*] Fuit nempe quum animadverteretur severe in quaevis facta dictuve turpia, si vel merae Imperatorum statuae in conspectu essent. Primam tam insani cultus ἐπίδειξιν video Augusti simulachris exhibitam. Suetonius Tiber. *Statuae quidam Augusti caput dempserat ut alterius imponeret; acta res in Senatu, et quia ambigebatur, per tormenta quaesita est. Damnato reo, paullatim hoc genus calumniae eo processit, ut haec quoque capitalia essent, circa Augusti simulacrum servum caecidisse: vestimenta mutasse: nummo vel annulo effigiem impressam latrinae aut lupanari intulisse*, etc. Ridiculas ineptias! nam quae ad Epictetum Arrianus Dissert. 2. 8. Ἀγάλματος τοῦ θεοῦ παρόντος οὐκ ἂν τολμήσαις τι τούτων ποιεῖν ὧν ποιεῖς, utcunque pro temporum caecitate tolerabilia erant.

Ibid. *Amorem revincis?*] Tu (inquit) filius matris amorem arguis? alibi e converso, Miles. 5. *Mater autem Tu, et praeterea cordata mulier, filii tui lusus explorabis curiose? et in eo luxuriem culpabis? amores revinces?*

Pag. 535. *O infaelix uterum tuum!*] Tacit. Annal. 2. *Infaelix faecunditas.* Sidonius 2. 8. *Faecunditas infortunata.* Cicero Philipp. 2. *Faecunditatem calamitosam!*

Ibid. *Viventi et videnti*] Homer. Ζῶντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο. vertit Priscianus: *Vivo, et in terra videndo.*

Ibid. *Viscera intima protrahuntur*] Miles. 6. *Canes et vultures intima protrahent viscera.* Eustath. Ἐρωτικῶν Scriptor, Lib. 6. Τὴν ἐμὴν ὅλην γαστέρα παντελῶς κατορώρυχε, καὶ τὰ σπλάγχνα κατεδηδόκει μου. Ovidius: *Viscera nostra, tuae dilacerantur opes.*

Ibid. *Ob quatuordecim annorum longas alimonias*] Nam et liberi parentibus educationis velut praemia quaedam pendebant, lege (si memini) Solonis apud Laërtium. Hesiod. Ἐργ. α. Γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀποθρεπτήρια δοῖεν. ubi Tzetzes: Οἱ παλαιοὶ τοῖς γονεῦσιν ἐδίδουν τὰ θρέπτρα. Etiam apud Hebraeos video moris fuisse. V. Theophilact. ad Evang. Matth. cap. 15. comm. 5.

Pag. 536. *Viridi pueritia*] Savar. ad Sidon. Lib. 7. Epist. 6.

Ibid. *Nondum paenae*] Quia nondum in viros relatus. hinc de Triumviris Dio proscriptione grassante: Παιδίσκον τινὰ εἰς ἐφήβους εἰσήγαγον, ἵν' ὡς εἰς ἄνδρας ἤδη τελῶν ἀποθάνῃ. Similis relligio circa virgines capitis damnatas, quas priusquam morti traderentur, corruptas legimus. Tacit. Annal. 5. Sueton. Tiber.

Ibid. *Impetibili*] *Turpi*, ut ex Symmacho notat Casaubonus. Idem Lib. 2. Epist. 91. *Grave hoc et impetibile.* Glossae vett. Iureto ad eum locum laudatae: *Impetibile*, *improbum*, *scaevum.* Ego tamen aliquando putabam pro *Impetuoso* positum, tralatione nimis obviâ, quae sceleribus violentiam tribuit. Nemo terminationem passivam ut turbantem oggerat: mille talia apud alios Scriptores, ne Authorem nostrum.

Ibid. *Athenienses quidem* etc.] Plutarch. πολιτ. παραγγ. Οἱ Ἀθηναῖοι Φιλίππου γραμματοφόρους λαβόντες ἐπιστολὴν ἐπιγεγραμμένην Ὀλυμπιάδι κομίζοντας, οὐκ ἔλυσαν, οὐδὲ ἀπεκάλυψαν ἀνδρὸς ἀποδήμου πρὸς γυναῖκα φιλοφροσύνην. Eadem Helladius narrat apud Photium. nec aliena de Caesare Plinius 7. 25.

Pag. 537. *Scilicet ne semel peccasses*] Supra: *Peccatum semel ut bonus quisque postea sollicitius cavet, ita qui ingenio malo est, confidentius integrat.*

Ibid. *Ac tam bonum factum tuum oblivio capesseret*] Sallust. in Catil. *Parum est quod impune fecisti, verum etiam commemorando exprobras, neque licet oblivisci.*

Ibid. *Vulpionem*] De *vulpe* et *vulpiculâ* inter convitia, v. *Leg. Salicae Lib.* Tit. 32. et ibid. Glossatorem. at *vulpio* μονήρης λέξις est, neque alibi lectitata.

Ibid. *In animum inducere*] Gellius de Aesopo Lib. 2. cap. 29. *Res salubriter ac prospicienter animadversas, in mentes animosque hominum cum audiendi quâdam illecebrâ induit.* legebam, *induxit.*

Pag. 538. *Per aliquem fidelem missa*] Apte, et ex solenni ritu loquendi. Cicero Famil. Lib. 4. *Si quem tuorum fidelium voles, ad me mittes.* Sallust. Iugurth. *Literas ad eum per homines fideles mittit.* Lucanus: *Atque haec dicta monet famulos perferre fideles.* Lampridius in Severo: *De omnibus hominibus per homines fideles suos semper quaesivit.* Miles. 10. Noster: *Mittit quendam servulum sibi quidem fidelem.* Glossae: *Fidelis*, πιστὸς δοῦλος.

Ibid. *Tabernariis blanditiis subagitarem*] Prorsus ut apud Comicum Graec. *in Equit.* Ὑπογλυκαίνειν ῥηματίοις μαγειρικοῖς.

Ibid. *Subagitarem*] Plaut. Capteiv. *Ad mores pudicos facta haec fabella est, Neque in hac subagitationes sunt, neque ulla amatio.* Idem Cistell. *Subagito blandis et benedicis dictis.* sic Graeci ὑπάγειν. Etymologus: Ὑπάγει, ἐξαπατᾷ· καὶ ὑπαγωγαὶ, αἱ ἀπάται. *sermonum illicia* nempe, vel *delinimenta.*

Ibid. *Rationibus villicorum*] Symmach. L. 6. Epist. 81. *Exasperat animum male gesta ratio villicorum.*

Pag. 539. *Sportulas*] Δῶρα γαμήλια, Theophilacto Simocattae *Histor. Mauric.* Lib. 1. cap. 10. Ammian. Marcellin. Lib. 14. *Quidam vigore artuum imminuto, rogati ad nuptias, ubi aurum dextris manibus cavatis offertur, impigre vel usque Spoletium pergunt.* V. quae e Symmacho affert P. Colvius.

Ibid. *Expunxisset*] Petita vox a Libris rationum. V. Casaub. ad *Pers.* Sat. 2.

Ibid. *Et hic puerulus togâ involveretur*] Plinius (Scipioni notatus Lib. 10. Epist. 117. *Qui virilem togam sumunt* etc. *solent totam βουλὴν, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios vel singulos dare.* Paria Cornelius *Annalium* Lib. 3. Suetonius in vit. Calig. et Neronis. Similes Athenis impensae factae, sumpto pallio Sophistico. Olympiodorus apud Photium Tmem. LXXX. ἐνδυσάμενος ἐδέχετο τὴν τοῦ τρίβωνος ἐξουσίαν, καὶ αὐτόθεν μετὰ τοῦ τρίβωνος ἐκ τοῦ βαλανείου ἐντίμῳ καὶ περιδόξῳ δορυφορούμενος πομπῇ ἀπῄει, δαπάνας ἐπιγνοὺς φανερὰς εἰς τοὺς τῶν διατριβῶν προστά-

στάτας, τοὺς λεγομένους Ἀκεραίτας. Locus integer legendus, quia lepidum ob oculos morem ponit, vix alibi occurrentem.

Ibid. *Conviviis multis*] Avarus apud Libanium Sophist. *Declam.* 37. Ἐμοὶ οὐκ ἦν ὦ δικασταὶ γνώμη τὸ ἐξ ἀρχῆς γαμεῖν, λογιζομένῳ τὸ δαπανηρὸν τοῦ πράγματος, καὶ ὅτι πρὶν τινα λαβεῖν, ἀναλῶσαι δεῖ, παῖδας ὠνούμενον, ζεῦγος μισθούμενον, ἑστιῶντα τοὺς οἰκείους τοῖς φράτερσι τὴν γαμηλίαν εἰσάγοντα.

Ibid. *Nec tecum, aut apud te caenandum*] Id enim moris fuit ut post consummatas nuptias propinqui ex utrâque domo vicissim convivarentur. Plato passim 1. *de Legg.* Plutarch. *Sympos.* 4. 3. Pindarus *convivia* ista ἀμοιβαῖα δεῖπνα vocat. Virgil. *mutua*, 1. Georg. (forsan et Noster heic, et mendosa vulgaris lectio.) hinc apud Gellium *mutitare*, (vel ut Turnebus, *mutuitare*,) Lib. 2. cap. 24. (quo quae sequuntur loco glossae manifesta sunt) Dion. Chrysost. Orat. 41. Συνεστιᾶσθαι, καὶ ἀλλήλους ὑποδέχεσθαι.

Ibid. *Lex Iulia de maritandis ordinibus*] Mentio eius l. 1. D. *unde vir et uxor*. Et l. 6. Cod. *de oper. libert.* Eadem et *marita lex*. Scholiast. Horat. ad *Carm. saecul.* V. Lips. ad Tacit. *Annal.* Lib. 3. Charond. in *Catal. Legg. antiquarum*.

Pag. 540. *Faecundam glebam*] Glossae Puteani MS. *Faecundi cespites, fertiles glebae*. Miles. 1. Noster, *Glebae faelices*.

Ibid. *Ulmo maritâ*] Catullus: *Ulmo coniuncta maritâ. vitibus nempe*. Pentadius, vet. Poëta: *Vitea musta tument vicinos iuncta per ulmos*. Alius Epigrammatarius: *Faecunda vitis coniuges ulmos gravat*. Virgil. *Ulmisque adiungere vites*. Horat. *Amicta vitibus ulmo*. Plin. Lib. 14. cap. 1. *In agro Campano populis nubunt vites, maritosque complexae, atque per ramos earum procacibus brachiis, geniculato cursu scandentes, cacumina aequant*. opponuntur *viduae arbores*, ut iam aliis notatum.

Ibid. *In ipso gremio terrae Matris*] Lucretius L. 1. *In gremio matris terrai praecipitavit*. Plin. Lib. 2. cap. 63. *Sequitur Terra, cui omnium Naturae partim eximia propter merita cognomen indidimus maternae venerationis: sic hominum illa, ut caelum Dei, quae nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper: novissime complexa gremio iam a reliquâ Naturâ abdicatos, tum maxime ut mater operiens* etc. Inscript. vetus:

V. F.
T. VETTIVS. T. L.
HERMES.
SEPLASIARIVS.
MATER GENVIT.
MATER RECEPIT.

Ibid. *Soboles herbarum*] Ennod. vit. Epiphan. *Agricolarum laboriosae stirpes, et duris exercitatae ligonibus soboles*. Idem in Epigr. *Sylvae sobolem*.

Pag. 541. *Natam sibi filiam caeterorum more professus est*] Inde l. *statum* Cod. *De fide instrum. Natalis professio*. Hunc morem facile credat qui ab Antonino Philosopho inductum. Capitolinus in vitâ eius: *Inter haec liberales caussas ita munivit, ut primus iuberet apud Praefectos aerarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri* etc. Ego multo antiquiorem puto, institutumque a Servio Tullio; ita didicisse videor ex Halicarnassaei Libro 4. Eadem hodiéque consuetudo fere ubique viget: nec absimilem fuisse putem apud Hebraeos τὴν τῶν βρεφῶν εἰς τὸ ἱερὸν εἰσαγωγὴν, cuius meminit D. Lucas. cap. 2. comm. 27.

Ibid. *Partim domi adservantur*] Patresfamilias has *Tabulas* e publicis describere solebant, eo ut videtur consilio, ut si publica vi aut igne intercidere nt, haberent domi unde Natales assererere possent.

Ibid. *Signa quae impressa sunt, recognoscat*] Scilicet ut ne ruptis tabulis ficta quiritaret. ita autem praefari soliti qui Epistolas, et id genus obsignata tradebant. Miles. 10. *Videat, et suum sigillum recognoscat*. Cicero Catilin. 2. *Ostendi Tabellas Lentulo, et quaesivi cognosceret ne signum*. Idem ad Attic. *Statilius agnovit manum, et signum suum*. Plautus Pseud. *Cedo mihi epistolam. accipe, cognosce signum*. Idem Bacchid. *Orabat quod isthic scriptum est, fieret Cedo: Sed nosce signum. Novi*. frequens olim et multiformis hac parte impostura fuit, ideo Solon neutiquam permittendum censuit, δακτυλιογλύφους σφραγίδα φυλάττειν τοῦ πραθέντος δακτυλίου. Author in eius vitâ Laërtius.

Pag. 542. *Decem annos Mezentius cum Ulysse erravit*] Varro Sesqui Ulysse: *Navibus duodecim domo profectum, decem annos solidos errasse*. apud Plautum *Viginti* lego: ita enim in fragmentis eius: *Ulyssem audivi fuisse aerumnosissimum, Qui annis viginti errans a patriâ abfuit*. [At vid. Cuper. in Hom. p. 53. — Oud.]

Ibid. *Sesquialtera*] Glossae: *Sesquialtera*, Ἡμιόλια. Fit proportio ea, ὅταν ὁ μείζων ἀριθμὸς ἔχῃ ὅλον τὸν ἐλάττονα, καὶ τὸ τοῦ ἐλάττονος ἥμισυ. Verba sunt Nicephorae ad Synes. περὶ ἐνυπν. V. Scalig. ad Aristot. *de animal.* Lib. 9. cap. 408.

Pag. 543. *Non omnia quae fieri potuerint pro factis habenda*] Miles. 2. *Facti verisimilitudine ad criminis credulitatem impelli*. Ennodius: *Et fecisse scelus creditur, qui potuisse facere perhibetur*.

Pag. 544. *Dardanus*] Turneb. *Advers.* 2. 4. et 9. 17.

Pag. 545. *Bibliothecis publicis*] Pollux *Onomast.* 10. 5. Ἐν δὲ τῶν κοινῶν, βιβλιοθήκαι. Videntur ex Authoris hisce in integrum restitutae, captâ enim Carthagine, eas a Romanis, Africanis Regulis donatas, constat e Plinii Histor. 18. 3.

Ibid. *Eruditionis memoriam*] Ut apud Symmach. Lib. 10. Ep. 25. *Memoria literarum.* Gellium Lib. 2. cap. 21. *Literas et memorias.* Arnob. 6. *Scripta memoralia.* adeo externa omnia quae refovendae *memoriae* erant, hac voce designabant. hinc et *sepulchra*, *memoriae*, uti et Graecis μνημεῖα. Varr. de L. L. 5. et ex eo D. Augustin. de *curâ mortuorum* cap. 4.

Ibid. *Nil verbis opus est, cum multo disertius ipsae Tabulae loquantur*] Cicero in Sallust. *Ubi rerum testimonia adsunt, nil verbis opus.* Idem Verr. 4. *Nil dicimus, Tabulae sunt in medio, quae se corruptas atque interlitas esse clamant.*

Ibid. *Ex suâ rapacitate de me quoque coniectaverunt*] Terent. Heautont. *Illos tuo ex ingenio iudicas.* Plaut. Pers. *Tuo ex ingenio mores alienos probas.* Basil. Seleuciens. de Vitâ S. Teclae L. 1. Καθ' ἑαυτῶν ἀεὶ κακῶν, καὶ τὰ ἡμέτερα κρίνοντες.

Pag. 546. *Ambitiosae mendicitatis*] Iuvenal. *Heic vivimus ambitiosa Paupertate omnes.* Salvian. 7. *de Gubern. Quis rogo ferre possit in homine egestuoso lasciviam? criminosior ex luxuriosa paupertas, et maioris invidiae miser nugator.*

Ibid. *Ipse egens, nudus* etc.] Supra: *Ipse egens, nudus, at ignominiâ suâ tectus.* Quintilian. *Declam.* 336. *Ego nudus, ego egenus.* Porphyrius Epigrammatarius: *Nudus, egens, Veneris naufragus in pelago.*

Ibid. *CCCC millibus nummûm a Creditore acceptis, filiam dotavit*] Supra: *Dos erat a Creditore omnis ad teruncium sumpta.*

Ibid. *At non aetate mediocri*] Nimirum plusquam *media aetate.* ita frequenter loqui Scriptores solent. Plaut. Aulul. *Post mediam aetatem qui mediam ducit uxorem domum.* Gellius Lib. 3. cap. 4. *Non admodum senum, sed in medio aetatis.* Miles. 5. Noster, *Virum mediae aetatis.* Ibid. *Medium aetatis cursum.* Glossae Μεσῆλιξ, *Mediae aetatis.*

Ibid. *Multis saepe, et ingentibus dotibus spretis*] Calpurn. Eclog. 3. *Callirrhoën sprevi quamvis cum dote rogaret.* Florid. 2. *Spretis iunioribus ac ditioribus procis.*

Pag. 547. *Virgo formosa, etsi sit oppido pauper, abunde dotata est*] Ovidius: *Dos est sua forma puellis.* Mercator Tyrius socero inopi apud Heliodorum Lib. 5. Πέπαυσο τούτων ὦ πάτερ. τὴν μὲν γὰρ προῖκα ἀπέχειν ἡγήσομαι, καὶ πολλὰ τάλαντα, καὶ πλοῦτον ὅλον τὴν κόρην. Terent. Adelph. *Peiore loco esse non potest quam in hoc quo nunc sita est, Primum indotata est, tum praeterea quae ei secunda dos erat periit; Pro virgine nuptum dari non potest.*

Ibid. *Virginitas quum semel accepta est, reddi nequitur*] *Virginitas corrupta restitui non potest.* l. unic. C. *de rapt. virg.* D. Hieron. ad Eustach. *Audacter dico, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam.*

Ibid. *Praeflorata*] Onomast. vet. *Praefloro*, ἀπανθίζω. fors προαπανθίζω. Gellius Lib. 14. cap. 2. *Futurum gaudii fructum spes tibi iam praefloraverit.* nec sequendas editiones putem legentes *defloraverit*; melius *refloraverit* scribas. Puteani Gloss. MS. *Delibatio, refloratio, illibatio.* (puto *libatio*). Eaedem: *Refloratio, defloratio.*

Ibid. *Tibi ad quae velis, minime docilis*] Ideo (quod subdit) non sine auctâ dote capienda. Eadem apud Macrobium mens Musici Timothei, qui a discipulis alios apud Magistros exercitatis mercedem duplicem solebat imperare.

Pag. 548. *Transvoraram*] Africanismus, sic *Transglutire* pro *deglutire*, Optatus Libro 1. et *transnominare* pro *denominare*, Tertullianus contra *Marcion.*

Ibid. *Suasi, ac denique persuasi*] Miles. 4. *Nulli nostrûm spontale parricidium suadens, persuadere posset.* Septimâ: *Ei suasisse, ac denique persuasisse.* Et Nonâ: *Suasi, ac denique persuasi.* Donat. ad Terent. *Suademus facilia, persuademus difficilia: suadere facientis est, persuadere proficientis.* lego *perficientis.*

Ibid. *Grandem domum*] Ex quâ *domo*, quum ad eum non ita multo post, Pontiani fratris morte, devolveretur, Tannonius advocatâ manu perditissimorum iuvenum, matrem quae eâ donaverat ipsum, excludere aggressus est. infra disertissimis verbis obiectat hoc ei vitricus.

Ibid. *Servos quoque haud minus quadringentos*] Ergastularios, mancipia ruralia. Seneca Epist. 114. *Aspice quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant.* Petronius: *Familiam tam magnam per agros Numidiae esse sparsam, ut possit vel Carthaginem capere.*

Ibid. *Ut eos ex ea quam tribuisset parte, securas haberet*] In Lapide:

QVOD VNVS OMNIVM PRINCIPVM ET SOLVS
REMITTENDO HS NOVIES MILLIES DEBITVM
FISCI NON PRAESENTES MODO SED ET POSTEROS
PRAESTITIT HAC LIBERALITATE SECVROS.

Pag. 549. *Cum dissimili isto fratre suo Pontianus*] Hesiodus Ἀσπ. Ἡρακλ. Διδυμάονε παῖδε Οὐκ ἔθ' ὁμὰ φρονέοντε· (κασιγνήτω γέ μεν ἤστην;) Τὸν μὲν χειρότερον, τὸν δ' αὖ μέγ' ἀμείνονα φῶτα. Noster autem modestâ, nec eleganti

ganti minus εὐφημίᾳ utitur. Sic supra: *Patruo Aemiliano potius quam fratri Pontiano similem futurum.* Plin. Lib. I. Epist. 5. *Addit preces suas, ut decebat optimum virum pro dissimillimo.*

Ibid. *Ante pedes nostros advolutus*] In Epistolis Salviani: *Advolvor vestris ô parentes* etc. *pedibus.*

Ibid. *Veniam et oblivionem praeteritorum omnium*] Herodianus Lib. 5. Ἀμνηστίαν, ἄνεσίν τε πάντων ἁμαρτημάτων. Idem: Ἀμνηστίαν, συγγνώμην τε τῶν ἁμαρτηθέντων. Nota est Atheniensium lex in hanc mentem lata, e Ciceron. *Philipp.* 2. Aeschin. περὶ παραπρ. Probo in *Thrasyb.* Valer. 4. I. Vopisc. in *Aureliano.* Ψήφισμα ἀμνηστίας memorat Plutarchus etiam Παραγγ. πολ.

Ibid. *Cui haud pridem tyrocinio professionis suae fuerat a me commendatus*] Moris fuit in sagatâ militiâ ut honestioris notae tyrones darentur ducibus viris in disciplinam, ad quorum facta et virtutes componerent se. Evander ad Aeneam apud Virgil. Lib. 8. *Hunc tibi praeterea spes et solatia nostri Pallanta adiungam: sub te tolerare Magistro Militiam, et grave Martis opus: tua cernere facta Assuescat, teneris et te miretur ab annis.* Ab hanc faciem etiam in togatâ militiâ receptum, iuvenes recens togâ involutos, commendatos Oratoribus velle in foro primi nominis. Auctor Dialogi *de Orat.* Tacit. seu Quintilianus: *Apud Maiores nostros iuvenis ille qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domesticâ disciplinâ, refertus honestis studiis, deducebatur a Patre vel propinquis ad eum Oratorem qui principem locum in civitate tenebat: hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse, sive in iudiciis, sive in concionibus assuescebat*, etc. *magnus ex hoc usus, multum constantiae, plurimum iudicii iuvenibus contingebat.* Cicero in Laelio: *Ego autem a Patre ita eram deductus ad Scaevolam sumptâ virili togâ, ut quoad posset et liceret, a senis latere nunquam discederem.* Symmachus (cuius et Epistolam 75. lib. 5. vide) L. 2. Ep. 42. *Commendaveram tibi dudum Macedonii Viri clarissimi filium, quum foro tuo nomen dedisset.* Eadem heic Pontiani institutio, Lolliano Avito commendati: imo vero Appuleii in urbe Dominâ apud Orfiti amicos. Videsis Lib. 3. *Floridorum.*

Pag. 550. *Vir bonus dicendi peritus*] id est, *perfectus Orator.* Quintilian. Lib. 12. cap. I. *Habemus ante omnia virum bonum, posthaec adiecit dicendi peritum.* Gellius Lib. 18. cap. 5. *Antonius Iulianus Rhetor, vir bonus, et facundiae florentis.* Victor in Dioclet. *Adolescens bonus facundusque.* Sidonius Apoll. Lib. 4. Epist. I. *Ideoque non minus te bonum quam peritum pronunciari.* Cicero pro Caecinna: *Ita bonus et iustus vir est, ut naturâ, non disciplinâ consultus esse videatur: ita peritus ac prudens, ut ex iure civili non scientia solum quaedam, verum etiam bonitas nata videatur.* Rutilius Numatian. Itiner. Lib. I. *Hic docuit qualem poscat facundia sedem, Vt bonus esse velit quisque disertus erit.*

Ibid. *Laudatorem locupletiorem*] Alludit veterem forensem consuetudinem, qua obtinuit ut *Rei* non *Patronos* tantum, sed et *Laudatores* haberent, summae quantum potuit notae authoritatisque viros. Passim de his Cicero in Orationibus: *Vitae laudatores* vocat in pro Balbo Lib. 3. Noster in *Floridis* de Aemiliano Strabone: *Cui notum esse tantummodo summus honor est, is etiam Laudator mihi apud principes Africae viros quodammodo extitit.* Hunc morem inhibuit Consulatu tertio suo Pompeius. Plutarchus Dio Lib. 40.

Pag. 551. *Laelius lenitatem*] Vocat Sidonius in Adelphio *Teneritudinem.*

Ibid. *Gracchus impetum*] Author. Dial. de Orat. *Malim C. Gracchi impetum, aut L. Crassi maturitatem.* Quis vero, et cuiusmodi hic *impetus* fuit, ex his Plutarchi disce: Ὁ λόγος τοῦ μὲν Γαΐου (Γράκχου) φοβερὸς, καὶ περιπαθὴς εἰς δείνωσιν. et statim: Τραχὺς καὶ θυμοειδὴς, ὥστε καὶ παρὰ γνώμην ἐν τῷ λέγειν ἐκφερόμενον πολλάκις ὑπ' ὀργῆς, τήν τε φωνὴν ἀποξύνειν, καὶ βλασφημεῖν, καὶ συνταράττειν τὸν λόγον. Subdit de fistulâ eius, quae sat (arbitror) nota est, e Cicerone, Valerio, Quintiliano, Gellio.

Ibid. *Caesar calorem*] Fabius de eodem loquens, *Excitationem* vocat. Plinius, *Vigorem igneum.* Suetonius, *Ardentem motum gestumque.* Sidonius in Cethego, *Aestum:* Valerius in Hybrea *concitationem.* Talis ea Plinii Nepotis, Epistol. L. 2. ab Imperatore admoniti ut lateribus parceret.

Ibid. *Hortensius distributionem*] Cicero in Pro Quinctio: *Faciam quod te saepe animadverti facere Hortensi; totam caussae meae dictionem certas in partes dividam.* Monuit ex eiusd. *Divin. in Verr.* Scipio, in digitis caussas solitum eum constituere.

Ibid. *Calvus argutias*] Fabius ei *sanctitatem* tribuit, quae vox suspecta mihi.

Ibid. *Salustius parsimoniam*] Συντομίαν vocasse videtur Hermogenes in *Idaeis.* *Cohibile dicendi genus*, Noster et Agellius.

Ibid. *Opulentiam Cicero*] Ausonius: *Euthymemata Demosthenis, opulentiam Tullianam.* Sidonius: *Varicosi Arpinatis opulentiam.* Idem: *Arpinas dat Consul opem.* Claudian. *Victrix opulentia linguae.*

Ibid. *Ne omnia persequar*] Sic in *de Deo Socratis* lege, ubi vulgo, *Ne omnes prosequar*

Εμ-

[p. 698. Ed. Flor.] alibi eod. Lib. *Ne caeteros longius persequar.*

Ibid. *Neque additum quidquam velis, neque detractum, neque autem aliquid commutatum*] In Floridis Lib. 4. *Neque augeri literâ unâ, neque autem minui potest.* Et statim: *Nec revocare illud, nec ante* (lege *autem*) *mutare, nec emendare mihi inde quidquam licet.* Tertullianus in Apologia: *Detrahens, adiiciens, demutans de veritate.*

Ibid. *Non usque adeo indulgebo humanitati tuae*] Admodum (ut videtur mihi) rara loquutio ista, nec tamen absone Minucius in Octavio: *Indulgentes inepto atque insano labori, ultra humilitatis nostrae terminos evagamur.* *Indulgere* utrobique puto esse τολμᾷν, θαῤῥύνειν. Seneca eo sensu *Imperare.* de *Tranquil.* cap. 15. *Fertilibus agris non est imperandum.*

Ibid. *Vestro instinctu*] Bene in Glossario, *Instinguit*, παροξύνει.

Pag. 552. *Curriculum*] Eâdem figurâ in de Deo Socrat. *Prudenter vitae curriculo gubernato.* Cicero pro Rabyr. *In hoc tam exiguo vitae curriculo.* Corrige Authorem Carminis *de Iudic. Dom.* quod vulgo nomen praefert Tertulliani: *Quod pretium superest, carae invigilate saluti, Et faciles, certique bonum decurrite cursum.* lege, *Quod spatium superest* etc. Seneca de Tranquill. *Non in cursu Circique certamine, sed in his spatiis vitae interius flectendum est.* Noster in Milesiis Lib. 9. *Ad senectutis meae spatia, validi laetique veniatis.*

Pag. 553. *Nescio quos Chaldaeos consuluerat*] *Studii*, non *gentis* est vocabulum, *Chaldaei.* Ex his praecipue celebres Africani nostri. Spartianus in Geta: *Severus gnarus geniturae illius, cuius (ut plerique Afrorum) peritissimus erat.* Sidonius Lib. 8. Epist. 11. *Mathematicos quondam* (malim *quo'dam*) *de vitae suae fine consuluit, urbium cives Africanarum: quibus ut est Regio, sic animus ardentior.*

Ibid. *Quo lucro filiam collocaret*] Porphyr. περὶ ἀποχῆς, etc. Οὔτε γὰρ εἰς γάμον καθίησιν, ἵνα περὶ γάμου τῷ μάντει ἐνοχλήσῃ. Tacit. *Annal.* 12. *Chaldaeos, Magos, interrogatumque Apollinis Clarii simulachrum super nuptiis Imperatoris.* Miles. 2. Noster: *Chaldaeus quidam hospes miris totam Civitatem responsis turbulentat*, etc. *qui dies copulam nuptialem affirmet*, etc.

Ibid. *Ad consulentis votum confinxere*] Caesar *Bell. Gall.* Lib. 3. *Ad voluntatem eorum fictae respondeant.*

Ibid. *Quasi caeca bestia incassum hiavit*] Suidas: Λύκος ἔχανεν, Παροιμία ἐπὶ τῶν ἐλπιζόντων τὶ ἕξειν, διαμαρτόντων δὲ τῆς ἐλπίδος. λέγουσι δὲ τὸν λύκον ἐπειδὰν ἁρπάσαι τὶ βούληται, κεχηνότα παραγίνεσθαι ἐπ' αὐτό. ὅταν οὖν μὴ λάβῃ ὃ προαιρεῖται κατὰ κενὸν αὐτὸν χανεῖν φασίν. (quae repetit iisdem fere verbis Apostolius.) Theophilact. Simocatta *Hist. Maur.* Lib. 2. cap. 17. Ἀπῄει ἀσχάλλων καὶ τὸ τῇ λεγόμενον τὸ τοῦ λύκου παθών· κεναῖς γὰρ ἐκεχύνει ἐλπίσι. An vero hanc *bestiam* Appuleius innuat, nec sat scio; si *Lupum* voluit intelligi, cur *caecam* dixit?

Ibid. *Honesto legato*] Proprie *Honesto.* Infra: *Mihi tenue nescio quid, honoris gratiâ legatum.* Supra: *In quo* (Testamento) *mei officiosissime et honestissime meminit.*

Pag. 554. *Externasse eam*] Gloss. eiusd. *Externavit, extraneum fecit.*

Ibid. *Praeteriisse*] Glossae Nomicae: Πρετέριτος, ἀπόκληρος παῖς· μνημονευθεὶς (fors οὐ μνημονευθεὶς) ἐν τῇ διαθήκῃ. Excerpt. ex aliis Gloss. *Praeteritus*, Ὁ ἀμνήμων.

Ibid. *Filiae suae machinam Ruffinus admovet*] Cicero pro Cluent. *Oppianicus sperare caepit, hoc se Aiulio tanquam aliquâ machinâ admotâ, capere Asinii adolescentiam* etc. *posse.*

Ibid. *Meretriciis blandimentis*] Sidonius Lib. 9. Epist. 6. *Meretricii blandimenta naufragii.* Theodoret. περὶ προνοίας in Histor. Iosephi: Λόγους ἑταιρικοὺς, καὶ ἡδονῇ κεχρωσμένους.

Pag. 555. *Intestati pueri legitimum magis quam iustum haeredem*] *Haeres legitimus* est quem κατ' ἀγχιστείαν, vel κατὰ γένος κληρονόμον Aristoteles vocat. 2. *Polit.* nempe qui intestati haeres est proximitatis iure. Quintilian. *Declam.* 308. *Proximum a testamentis locum habent propinqui, at ita si intestatus quis, ac sine liberis decesserit; non quoniam utique iustum sit ad hos pervenire bona defunctorum, sed quoniam relicta, et velut in medio posita, nulli propius videntur contingere.* *Haeres iustus* est, cui ex Testamento et voluntate defuncti, haereditas obvenit. Aristoteli ibid. Lib. 9. Ep. 62. κληρονόμος κατὰ δόσιν. Symmacho *successor scriptus*, et a *legitimo* distinctus. Multa de utrisque congessêre ex Prudentium placitis Alciat. *Paradox.* Lib. 4. et Fornerius ad l. 130. de V. S.

Ibid. *Si verum velis*] Supra: *Imo enimvero si verum audire velis.* In Milesiis: *Vis verum scire materfamilias?* Florus Lib. 3. cap. 7. *Si vera volumus noscere.*

Ibid. *Inter scorta et pocula, puer hoc aevi in convivio agitat*] Cicero Catil. 2. *Accubantes in conviviis, complexi mulieres impudicas.* Miles. 8. Noster: *Iuvenis luxuriae popinalis, scortisque et diurnis potationibus exercitatus.* P. Africanus apud Gellium 7. 12. *Qui in conviviis adolescentulus cum Amatore, cum chiridotâ tunica inferior accubuerit.* quae verba (aliquantillum emendans ea, et glossemate expurgans) fere ad hanc faciem puto componenda: *Qui in conviviis adolescentulus cum Amatore in chiridotâ accu-*

buer

vit. Operam neque se suam, neque nos nostram heic lusisse, speramus deprehensurum eum quisquis locum inspexerit.

Ibid. *Magister in convivio*] Varro *Antiquit. Human.* Lib. 20. *In conviviis qui sunt instituti potandi Modimperatores, Magistri.* Idem de *Ling. Lat.* Lib. 4. *In publico convivio etiam nunc Antiquitatis retinendae caussâ, quum Magistri fiunt, potio circumfertur.* Sidonius, *Regem convivii* vocat. *Regem mensae* Macrobius. Horatius *Patrem caenae*, et *Bibendi arbitrum.*

Ibid. *Nomina gladiatorum, et pugnas* etc.] Eorum nempe qui tum temporis in Provincia noti maxime. Tales *famosos* vocat Milesiis 4. et 10. Firmicus *celebres.* M. Cicero *nobiles.* et quo melius innotescerent, eorum imagines in publico exponi solebant: nunc tabulis, nunc parietibus pictae, aut aliter, pro Munerarii libitu. videatur Plinius Lib. 35. cap. 7. Morem hunc illustrat pavimenti veteris ex tessellato opere fragmentum, in quo paria sex septem videre est, nominibus adscriptis. edidit Clariss. Velserus in *Monumentis Augustanis.*

Ibid. *Ab ipso lanistâ docetur*] Spectant huc *lanistarum dictata* apud Suetonium Iul. et *Lanistae regia verba* apud Iuvenalem Sat. 11. quod ait, *ab ipso lanistâ*, subest Emphasis: et vera est viri summi coniectura, docuisse *lanistas* ipsos, non nisi honestioris notae tyrones, alios per *subdoctores* suos; quod et in caeteris tabernariis artibus consuetudinis fuisse, docent ea Satyrici eiusdem, Sat. 6. *A Tonsore magistro Pecteris.* etiam e Petronio locus, et Martiali 8. 52.

Pag. 557. *Vix singulas syllabas fringultientem*] Quod περιφραστικῶς Miles. 1. *Incertâ verborum salebrâ balbutire* vocat. 5. *Singultu sermonem incertare.* et ibid. *Tertiata verba semihianti ore substrepere.* 8. *Incerto sermone balbutire.* et 11. *Devorare verba, singultu crebro sermonem interficere.* D. Hieronym. *Balbutientem linguam in dimidiata verba moderari.* Quintilian. *Intersistere, offensare, et singultantium more verba eiicere.* Calpurn. Eclog. 6. *Qui vix stillantes arida voces Rumpis, et expellis male singultantia verba.* Iuliano 4. Orat. Λόγον κόπτειν πνεύματι. Plutarcho in Cicer. Ἐνίσχεσθαι τὴν φωνήν.

Ibid. *Damna morum*] Symmachus Lib. 5. Epist. 48. *Morum eius damna non sinunt*, etc. Estne a Graecis sumptum hoc, qui ἐλαττώματα non absimiliter enunciant?

Ibid. *Candidato illo socero*] Sentit Herennium Ruffinum, de quo alibi saepe. Scipio *candidatum* hunc vocari putat, quia haereditatem pueri cum Aemiliano petebat. nihil ab Authoris mente longinquius est. *Socerum candidatum* appellavit, quia Tannonio filiam obtrudebat. Supra: *Scripsit haeredes* (Pontianus) *tam hoc Testamento, quam priore quod lectum est, matrem cum fratre: cui ut vides, admodum puero, eandem illam filiae suae machinam Ruffinus admovet, ac mulierem alioqui multo natu maiorem* etc. *misero puero obiicit, et obsternit.*

Ibid. *Exhaeredaret*] Gloss. *Exhaeredare*, ἀποκληρονόμον ποιεῖν. Plauto *Exheredem facere.* Bacchid. et Mostell.

Ibid. *Elogium gravissimum*] Loquitur signantissime. Cicero pro Cluent. pari argumento: *Elogium recitasti Cn. Egnatii Patris, idcirco se exhaeredasse filium*, etc. Glossae: Τελευταῖα βούλησις, *Elogium.* Aliae: *Elogium*, ἀπόκρισις ἢ διὰ λόγων.

Ibid. *Mihi hanc veniam tribueret*] Miles. 3. *Cubitum tributâ veniâ concedo.* 4. *Numinis sui passim tributâ veniâ.* 5. *Novae nuptae precibus veniam tribuit.* Recte Castigator summus, *Venia*, χάρις, non συγγνώμη. Virgil. 4. *Extremam hanc ora veniam.* Idem 10. *Sin altior istis Sub precibus venia ulla latet, miserere sororis.* Florid. 1. Noster: *Veniam postulare.* i. e. *a Diis gratiam, vel beneficium petere.*

Pag. 558. *Si quid ei humanitus attigisset*] Cicero *Philipp.* 1. *Si quid mihi humanitus accidisset.* et in vet. Lapide: ΕΙ ΜΗ ΤΙ ΑΥΤΟΣ Ο ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΠΑΘΟΙ ΤΙ ΑΝΘΡΩΠΙΝΟΝ.

Ibid. *Nomen maritus in Tabulis uxoris non haberem*] Valerius: *Cum interim nec nomen quidem eius Tabulis Testamenti adiecerit.* Magno hoc dedecori habitum, amicorum *supremis iudiciis* praeteriri. Inde Suetonii illud de Augusto: *Voluntates ultimas morose eum pensitare solitum*, et Ciceronis in Antonium, eiusmodi eum hominem fuisse, *ut nec nomen eius in Tabulis ullius repperiri posset.*

Pag. 559. *Obsequentissimum maritum*] Inscriptio vetus:

.... ALBANA SABINA
MARITO OBSEQVENTISSIMO ......

Alia:

.... IVLIA AGAPE POS.
OBSEQV. MARITO ....

Tertia, Casaubono notata:

.... ANTONIA TORTONA
MARITO OBSEQVENTISSIMO .....

Ibid. *Temulentum illud collegium, Parasitos tuos*] Ausonius Ep. 9. 4. 6. ubi v. *Et Parasitorum collegia Plautinorum.* ubi Turnebum *collecta* magis curiose quam faeliciter legisse, vel ex isto Authoris nostri loco comprobatum puto. *Collegia* ista (quae et *Sodalitates* dicta, et *Sodalitia*, erant *corpora*, *conventusve hominum, ut plurimum artes humiles colentium.* Et quia in *corporibus* his quotidie compotationes fiebant, fabulae item, commessationesque, et similia deliramenta: inde factum, ut gradatim vox ea in nequiorem sensum traheretur, caetusque ebrioso-

rum, helluonumque non alio tandem nomine signarentur. Horatius *Serm.* 1. *Ambubaiarum collegia, pharmacopolae.* Philo Iudaeus de Civitate Alexandrinâ: Θίασοι κατὰ πόλιν εἰσὶ πολυάνθρωποι, ὧν κατάρχει τῆς κοινωνίας οὐδὲν ὑγιὲς, ἀλλ' ἄκρατος, καὶ μέθη καὶ παροινίαι. Tertullian. ad *Uxor.* Lib. 2. cap. 6. *Discumbit* etc. *in sodalitiis, saepe in popinis.* Aristotel. *Polit.* 2. Ἑταιρειῶν τὰ συσσίτια.

Ibid. *Et quidem mox a principio*] Proprie, et ex consuetudine. Horat. *Serm.* 2. *Quid prima secundo Cera velit versu: solus, multisne cohaeres, Veloci percurrere oculo.* Iuvenalis Sat. 4. *Si munere tanto, Praecipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi.* Scholiastes: *Praecipuam, id est, primam, in quâ haeredes scribuntur.*

Ibid. *Manu*] Glossae: Πολυπληθία, *Multitudo, caterva manusio.* Lege Πολυπληθεία, *m. c. manus.*

Ibid. *De sinu tuo*] Supra: *Quum adhuc in eius sinu alerere.* Symmach. Lib. 2. Epist. 17. *Filii nostri in sinu aviae morantur.* Author Dial. de *clar. Orator. In gremio, ac sinu matris educabatur.*

Ibid. *Contumelias dixit, et fecit*] Cicero Philip. 3. hanc ipsam locutionem in Antonio vellicat: *Porro* (ait) *quid est contumeliam facere? quis sic loquitur?* boni Scriptores inquam ego, Seneca Epist. 71. Quintilianus Decl. 5. et 19. Sic et Petronius, *Fastum facere:* Phaedrus *convitia.* neque aliter Latini nominis principes, Plautus Asin. et Terentius Phor.

Ibid. *Nomen tuum pro Tribunalibus ventilavit*] Optat. Milevit. *Quorum nomina flabello invidiae ventilasti.* D. Hieronymus in Epistolis: *Ventilare Collegae famam ore maledico.* Gregor. Nazianz. Τοῦ καιροῦ ῥιπισθέντος ἤδη ταῖς αὔραις τοῦ πονηροῦ. at nemo spissior hac φράσει D. Cypriano.

Pag. 560. *Mihi ut ultra pro eo deprecer, locum non reliquit*] Lysias apud Rutil. Lupum *de Figur.* etc. Lib. 2. *Quem sciam tantum facinus in se admisisse, ut in reliquum tempus, neque beneficii locum, neque benevolentiae spem relinqueret.*

Ibid. *Qui potuit perorare, poterit exorare*] Sidonius Lib. 9. Epist. 3. *Collegarum sacrosanctorum oratu exorareris, ut perorares.* Ennod. Ticinens. *Erat orandi fastidium, dum perorandi tenebar cupiditate. Perorare* his locis non est ἐπιλέγειν· sed simpliciter *habere Orationem*, certe *persequi, adlegare.* Glossae: *Perorat*, δικαιολογεῖται.

Pag. 561. *Id quoque non me, sed Pudentillam suo nomine emisse*, etc.] Cicero de Menone Xeneno quodam, in Verrinis: *Dicebat ille, non modo non arasse se id quod in satis erat, sed nec Dominum eius esse fundi, nec locatorem; uxorem esse, eam ipsam suum negotium gerere, ipsam locavisse.*

Ibid. *Quaestor publicus, cui depensum est*] Sidon. Carm. 5. *Erat ille quod olim Quaestor Consulibus: tractabat publica iure Aera suo.* Asconius 3. Verr. *Prima Senatoris administratio est Quaestorem fieri: et in Provinciâ curam gerere pecuniae publicae.* Glossae Vindocinens. MS. *Quaestores, pecuniae publicae Procuratores.* Eaedem: *Quaestor, qui pecuniae publicae condendae praeest.*

Ibid. *Tutor, auctor mulieris*] Tiraquell. ad l. 1. *Connub. Num.* 72. Brisson. *de ritu nupt.* Hotoman. ad Cicer. *Orat. pro Caecinnâ.* Nicol. Loens. *Epiphyll.* 7. 9. Raevard. *Var.* 1. et 2. cap. 10.

Pag. 562. *An ut eam dotem filiis suis restipularetur?*] Supra: *Praeter haec, eâ conditione factam coniunctionem; si nullis ex me susceptis liberis, vitâ demigrasset, ut dos omnis apud filios eius Pontianum et Pudentem maneret.* En restipulationem de quâ hoc loco agit.

Ibid. *Cui offensa erat*] Probum loquendi genus, et cum optimis Latinum. Sueton. Iul. 19. *In Pontificatu Pontificibus offensio.* et in Galbâ 16. *Universis ordinibus offensus.* Propertius Lib. 3. *Offensa illa mihi non sibi amica dedit.* Glossae: *Offensio animi*, ἀνία ψυχῆς.

Pag. 563. *Solet fieri*] Seneca *de Irâ* Lib. 3. cap. 19. *Ipse effecit, ut dici posset: Solet fieri.* Epictet. cap. 33. Πρόχειρόν ἐστιν εὐθὺς λέγειν, ὅτι τῶν γινομένων ἐστί.

Pag. 564. *Dotale accipe*] Glossae: *Dotalia*, προικιμαῖα. *Dotale strumentum*, προικῷον.

Ibid. *Non modo criminibus, verum etiam maledictis* etc.] Cicero pro Flacco: *Maledictum omne, non modo crimen effugit.* Idem in pro Coelio: *Accusatorum non modo criminibus, sed vocibus maledictisque celebratum.*

ADDENDA.

Pag. 440, a. lin. 25. (malim *convallare*, ut supra *munire*). Dele haec, nam rectum illud *convelare.* Cato apud Gell. VII. 3. *Multis eam modis praefulcit, multisque etiam argumentis convelat.*

Ibid. b. lin. 25. post *tulit*, insere: *Cum me causam*

sam pro uxore] Arrianus ad L. 3. et 4. Cod. Theod. de Cognitor. et Procurat. *Ut is qui causam alterius prosequitur, et qui uxoris suae negotium fuerit prosequutus.*

Pag. 442, b. lin. 45. post *colui*, adde: Gell. de Tirone L. VII. c. 3. *Eoque ab ineunte aetate* etc. *in studiis literarum Cicero usus est.*

Pag. 448, a. lin. 22. post *Idem Lib.* insere: 9. cap. 2. *Vultu sonituque vocis obiurgatorio Philosophum se esse dicit.* L. 10. c. 19. *Incessebat quempiam Taurus Philosophus, severa atque vehementi obiurgatione.* et L. 19. etc.

Pag. 452, a. lin. 25. *ubi ποδάγρα, pedica*] Fatua non erat coniectura haec; sed nec sana, ποδάγρα loco eo παγὶς est non πάθος. Ibid. eadem facie ὀδοντάγρα, et κρεάγρα. Sic terminabant voces *Inuncatoria* signantes.

Pag. 455, b. lin. 21. De *cicra* videor mihi iam non amplius dubitare. Legendum *cetra* puto. Nonnius cap. 14. *Cetra, scutum breve.* et 2. *Cetra, obstaculum, scutum.* Idem Glossarium Σκυτάριον, *citra.* recte Erudit. Vulcanius *cetra.*

Pag. 477, a. lin. 22. ὑποδέχεσθαι] adde: Quaere an huc spectent Glossarii ea *Prandicularius*, Ἡ μετὰ μνηστείαν ἡμέρα. alio Vulcan. refert. vise notas eius.



SCIPIONIS GENTILIS

NOTAE SELECTAE (*)

IN

APPULEII APOLOGIAM.

ARGUMENTUM.

Magicarum artium multi Romae insimulati postulatique fuerunt, etiam priscis Reipublicae temporibus. Crimen enim hoc in Italia et in ipsa urbe olim increbuisse, leges Decemvirales declarant, quae capite sanxerunt mala, id est Magica carmina, et si quis frugem alienam excantasset. Judicium exercitum publicum et nobilissimum de hoc crimine apud Livium legimus inter Albinum et Furnium. Etiam Magi nobilissimi et antiquissimi in Italia enumerantur, Picus et Faunus, aliique nonnulli; et cum iis Numa rex. Sed patescente latius Imperio, ut reliquae artes atque doctrinae laudandae omnes, sic vitia et maleficia, et superstitiones, ritusque externi in urbem influxere. Hinc jam sub imperio Principum creberrima mentio Chaldaeorum, Magorum, et (hoc enim nomine honestissimo sua flagitia velabant) Mathematicorum. Nec remedia sera fuerunt; sed multis Senatusconsultis malum coërcitum, plerumque irritis, et ideo multis. „ *Genus hominum* (inquit Cornelius Tacitus I. histor.) *potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper, et retinebitur.*" Caussa, non solum cupiditas ingenii humani semper vetita et inconcessa vel cum periculo deligendi ac persequendi: sed potentia eorum, qui iis studiis attinebantur. Principes etiam ipsi, licet nulli magis quam nationi illi Mathematicorum infensi infestique essent, ob praedictiones, quibus leves animi ad res novas et mutationes dominorum sperandas, aut procurandas impellerentur; tamen eos inter instrumenta aulae, arcanaque domus plerique habuerunt, ut Tiberius Thrasyllum intimâ familiaritate sibi adiunxit, ipse ἐμπειρότατος τῆς διὰ τῶν ἄστρων μαντικῆς, ut ait Dio. Sed omnium nobilissimos ob Magiam Caesarum temporibus comperior, Apollonium Thyanaeum, et Appuleium hunc nostrum Madaurensem. Uterque etiam publice earum artium accusati, Apollonius apud Imperatorem Domitianum, Appuleius Carthagine apud Maximum Claudium Africae proconsulem sub imperio Divi Pii, vel Hadriani (nam circa illa tempora vixit). Ipsique sese suaque studia, nullo adiuvante, defenderunt; sed Appuleius noster inficiando, Apollonius ultro profitendo et insultando. Tanta certe fama uterque fuit, ut ethnici homines, religionis nostrae hostes, non alios Christo Servatori nostro opponere, et praeponere maiestate miraculorum consueverint, ut Lactantius lib. V. cap. III. D. Augustinus in Epist. ad Marcellinum scribit. Sed Thyanaeus certissimus Magus, et praestigiator fuit, iisque praestigiis iudicio se, et poenae eripuit, quum repente e media cognitione conspectuque iudicum evanuisset. Appuleius absolutus fuit. Et meruit haec eius Oratio: non enim temere dixerim, innocentia; ne quid praeiudicatae omnium eius saeculi hominum et Christianorum in primis scriptorum opinioni detraham; et quia non obscure ipse

(*) E Scipionis Gentilis commentario notas Selectas dedi: integri enim istius Commentarii mole hanc Appuleii editionem onerare, religio mihi fuit. Eas omisi observationes, quae ad Ius Romanum illustrandum, magis quam ad Appuleium, pertinere existimarem.

ipse se Magicarum artium studiosissimum fuisse, earumque etiam experimenta cepisse, non uno loco operis illius sui Milesii demonstrat. Neque in hac pulcherrima Apologia tam se negat Magum, quam talem Magum, ut vulgo id nominis adcipiebatur, id est, maleficum, et scientia numinum, naturaeque arcanorum investigatione, ad res improbas sceleratasque, abutentem. Breviter, Philosophum sese esse, et cultorem Deorum, familiaeque Platonicae alumnum, quae nihil nisi sanctum, et laetum, et festivum probaret. Praevidit tamen sibi aliquando negotium futurum hac de caussa; lib. III. eiusdem operis extremi: *Ne, si rursum asino remoto prodirem in Lucium, evidens exitium inter manus latronum offenderem, vel artis Magicae suspicione vel indicii* (malo *iudicii*) *futuri criminatione.* Plane mihi et haec Oratio, et eius incredibilis singularisque doctrina, et summorum omnium virorum qui illis temporibus vivebant, amicitia persuadent, bonum et temperantem virum fuisse, etiamque, quod paulo ante nondum ausus dicere, innocentem; si nulli iniuriam fecisse ostendatur, sed contra plurimorum commodis atque honori serviisse, subvenisse egestati: quae ipse de se, ut omnibus notissima et in hac oratione profitetur et aliis in operibus. Neque vitio aut crimini dandum, si lacunas illas rei familiaris explere honesto et locuplete matrimonio voluit. Neque Magicis artibus aut incantamentis, ut inimici obiecerunt, opus ei fuit ad Pudentillae sibi animum nuptiasque conciliandas, iuveni quum eximia forma, tum nobilitate et eruditione et amicitiis florentissimo; quum illa vidua esset, vergensque aetate, et intestinis viscerum ob desuetudinem viri saucia, et certe adversus tot insidiatores, impietatemque filiorum, non magis marito egens, quam tutore et defensore. et satis constat, saepiusque in hac apologia inculcatur, Magiae crimen inductum ab inimicis Appuleii fuisse, non alia de caussa, quam ob invidiam et dolorem, quod bona Pudentillae, quae spe cassa devorarant, ab Appuleio marito possideri viderent. Qua ratione olim perculsus Servilius Taurus Africae Proconsul, cuius hortis Agrippina quum inhiaret, adcusatorem ei subiecit Tarquitium Priscum eius legatum, qui pauca repetundarum crimina, caeterum Magicas superstitiones obiectabat, inquit Tacitus *lib.* XII. *Annal.*

Adcusatores Appuleii fuerunt Pudens, ipsius privignus, admodum puer, et Sicinnius Aemilianus, et Herennius Rufinus, hic Pudentis socer, ille patruus ac tutor. Sed solus Pudens palam et cominus, illi eminus; et instigatores potius ac machinatores calumniae quam adcusatores, vel subscriptores fuerunt. Duo primario obiecerunt, Magicas artes, et possessam contra privignos, atque eversam Pudentillae domum. Etenim duo filii Pudentillae fuerant ex Sicinnio Claro suscepti, Pudens, quem dixi, et Pontianus, natu maior, qui ante hanc adcusationem iam decesserat, inimico animo in vitricum, et idem ausurus, si vixisset. Magiae crimen pluribus verbis eloquentissime a se amolitur, magnamque defensionis partem in illo diluendo consumit: quod, eo refutato, alterum facile refutatu esset. Libro V. Anthologiae Graecorum Poëtarum, exstat elegans Epigramma Christodori, Thebani Poëtae, in laudem Appuleii nostri, cum inscriptione hac, Εἰς Ἀπυλήϊον τὸν μάγον, ut adpareat hoc ei quasi cognomentum adhaesisse. Sed quam Magiam intelligat, in ipso epigrammate demonstrat, quum eum μύστην ἀῤῥήτου σοφίης adpellat, Mystem, et sacerdotem arcanae sapientiae, quod in hac Apologia Christodorus legerat, ubi id pluribus verbis explicatur. Vulgo haec oratio, quasi duae essent, inscribitur: atque ita passim ab omnibus etiam viris doctissimis adlegatur, Apologia prima, Apologia secunda, quod temere factum videtur, ut P. Colvio primum suboluit, et probavit postea doctissimus Casaubonus. Una enim Oratio sive Apologia fuit. Atque ita D. Augustinus eius meminit, copiosissimam orationem adpellans, quae certe non esset copiosissima, si in duas divisa esset. Nec huius divisionis ulla ratio. Melius et eruditius liber vocetur, ut ab Erasmo liber de Magia: neque enim ita dicta est ut scripta nisi fallor. Semel quidem dixisse, non bis, quum ex tota serie adparet, tum ex illis verbis, *At non usque adeo tuae indulgebo benevolentiae, ut mihi permittam iam propemodum fesso in caussa prorsus ad finem inclinata, de egregiis virtutibus eius nunc demum incipere: quin potius eas integris viribus et tempori libero servem.* Quam inepte haec dicerentur, si altera esset actio sive oratio, cuius initium ab illo loco trahunt: *Nunc tempus est ad epistolas Pudentillae praevertere.* Quam hoc ipsum absonum, ita nulla praefatiuncula, ac ne nomine quidem quaesitoris, Cl. Maximi, adpellato, ad alteram et novam actionem integris viribus accedere? Immo, ut inquit Caius noster, in foro caussas dicentibus nefas videtur esse, nulla praefatione facta, iudici rem exponere. Non tamen nego potuisse Appuleium, vel alium quemvis, qui se defendat, bis dicere. Nam et in veterum Graecorum oratorum libro duas Apologias de eadem re scriptas legimus. Sed fecisse id Appuleium nego. Nec longitudo duas probat: quum Ciceronis aliquae sint etiam longiores. Nec in duas divisit, quum scriberet, quam unam et semel pronunciaverat: quum adferri huius consilii ratio nulla possit. Tametsi non ignoro, disertissimum et prudentissimum Isocratem Apologiam suam περὶ ἀντιδόσεως sic legi velle, ut in ipsamet oratione scribit, ne primo im-

impetu tota perlegatur, sed tanta eius pars, quanta non adferat auditoribus molestiam. Scripsit eam orationem tantum, non etiam habuit Isocrates: et cur ita legi vellet, aperuit. Nec absurdum foret, si diceretur hanc orationem duabus esse actionibus ab Appuleio dictam, ut caussa M. Fonteii a Cicerone dicitur duabus orationibus perorata, duabusque Fonteius actionibus adcusatus. Idem Cicero quatriduo Cornelium defendit, quas actiones (inquit Paedianus) contulisse eum in duas Orationes, adparet.

Postremo de Iudicibus, apud quos Appuleius hanc orationem habuit, breviter absolvam. Fuere illi Ethnici omnes, Cl. Maximus, Africae Proconsul, et alii qui in consilio erant. Quod (ut alia testimonia taceam) in hac ipsa oratione clarissime adparet, praesertim eo loco, ubi Appuleius Mercurii sigillum in manus Maximi tradit. Nec notarem id; nisi ridicule in ea re lapsus fuisset eruditus alioqui iuvenis P. Colvius, qui initio notarum suarum Christianos hos Iudices fuisse adfirmat. Credo, verbis Augustini inductus, quae supra retulimus ex libro VIII. de Civitate Dei, quibus tamen contrarium evincitur, et manifesto ex toto illo D. Augustini capite cognosci potest.

De Variis paenarum generibus, quibus iam olim Magi adfici consueverint, Albericus Gentilis, optimus et doctissimus frater meus, breviter ille quidem et concise, ut solet, sed adcurate et diligenter exposuit in Commentario ad Titulum Codicis de Maleficis et Mathematicis.

Pag. 399. Ed. Flor. *Proque vero obtinebam*] Obtinere, antique dixit pro existimare, vel iudicare. Ita Sallustius Oratione I. de Republica ordinanda, statim initio: *Populus Rom. antea obtinebat, regna atque imperia fortunam dono dare, item alia, quae per mortales avide cupiuntur.* Sed placet vehementer quod in duobus MSS. legitur: *Pro vero antea obtinebat, regna atque imperia* etc. Quae lectio et ab elegantia, et ab hac, quam observavimus, Appuleii imitatione confirmatur. Cui consequens est, ut, *Obtinebant*, illic legamus, vel, *P. Rom. pro vero:* facili librarii lapsu. Ita enim Sallustius hominum tum opinioni mox opponit experientiam certiorem. *Sed contra res docuit*, inquit, *id verum esse, quod Appius ait, Fabrum esse suae quemque fortunae.*

Pag. 400. *Quamquam istae calumniae, ut primâ specie graves, ita ad difficultatem defensionis repentinae fuere*] Quum primum hanc orationem legerem, hoc mihi dicere Appuleius visus est, difficiles sibi defensu fuisse has calumnias, utpote repentinas, et ad quas respondere ex tempore oportuerit, etiam respondit, de quo mox. Et eo pertinet, quod Cicero ait in Oratione pro Cluentio, *falsam invidiam vehementes habere repentinos impetus.* Sed contrarium plane Appuleius dicit, nimirum facile sibi fuisse eas calumnias refutare, ut ex sequentibus apparet.

Ibid. *Nam, ut meministi, dies abhinc quintus, an sextus est*] Quid ais Luci? ut ne aliquis tibi credat, hanc tam copiosam et eruditam, omniumque prope scientiarum sententiis confertam, orationem uno vel altero die a te compositam esse? nam tres, quatuor dies ab adcusatore occupati fuerunt; quamvis et hoc exiguum sit, et minutissimum quiddam. nec id solum; si veterem publicorum Iudiciorum morem consideres, quum per intervalla et intermissis diebus reus destinabatur, deferebatur, referebatur inter reos, interrogabatur, denique adcusabatur: sed etiam remotis ambagibus, vix ac ne vix quidem fieri hoc potuit. Maximus magus est, qui talia uno et altero die potest efficere. Citius credam orationem quae

Volvitur a prima divina Philippica fama,

a Cicerone vel ex tempore habitam esse, utpote meram invectivam et versantem in rebus notissimis, quam tribus vel quinque diebus hanc ab Appuleio confici potuisse. Nihil vero in numeris mutandum, nam et infra satis clare Appuleius dicit, *Bene quod festinatio iudicii vos antevertit*, et quae ibi sequuntur. Quid igitur? mihi videtur dicendum, aliam fuisse orationem, quam Appuleius dixit, aliam hanc, quam scripsit, ut Ciceronis Oratio pro Milone alia dicta, alia scripta, et contra oratio Crassi pro lege Servilia, quae edita postea est, non omnia habuit, quae dicta fuerant a Crasso, ut Cicero in Bruto significat. Quod in omnibus fere orationibus usuvenisse puto. Certe Cornelius Nepos, quasi pro re inusitata et rara notavit, Orationem pro Cornelio a Cicerone iisdem verbis, quibus edita est, peroratam fuisse se praesente, ut refert D. Hieronymus epist. LXI. Et Cato maior apud Ciceronem: *caussarum illustrium*, inquit, *quascumque defendi, nunc quam maxime orationes conficio.* Liber igitur haec Apologia fuerit potius, quam Oratio adpellanda: Ut Ciceronis Verrinae, Libri. Egregius quidem Erasmus citat Librum Appuleii de Magia, hanc orationem intelligens, in adagio, *Vulpina lingua.*

Ibid. *Quum me caussam, pro uxore meâ, Pudentilla, adversus Granios adgressum*] Advocatus enim Appuleius fuit, nec Carthagini solum, ubi hoc iudicium peractum, sed etiam Romae, non sine gloriâ et emolumento; ut ipsemet profitetur lib. XI. Metamorph. extremo. Sed initio eius.

eiusdem operis praefatur veniam: *si quid*, inquit, *exotici ac forensis sermonis, rudis elocutor offendero.*

Ibid. *Pro Uxore mea Pudentilla*] Id officii et tamquam advocatus suscepit, et tamquam maritus. Iure antiquo in tutela maritorum erant uxores, quod ius postea absolevit. Ceterum caussas uxoris suae agere potest, etiam sine mandato, dum de rato caveat, *l.* XXI. *Cod. de Procurator.* Si de rebus dotalibus vel paraphernalibus agatur, ne de rato quidem satisdat. *l. ult. Cod. de pact. conv. tam sup. dot.* Appuleium de rebus propriis uxoris vel receptitiis egisse verisimile est, quod tenuem sibi dotem constitutam infra dicit, quum alias opulentissima mulier esset.

Ibid. *Patroni eius*] Cuius Patroni? an Pudentillae? ita videtur, neque enim ad Granios referri haec vocula potest. Sed Pudentillae ipsi erat Appuleius patronus et advocatus. Igitur ad Sicinium Aemilianum referendum est: qui enim nunc Aemiliani patroni sunt, iidem tunc, quum caussa pro Pudentilla ab Appuleio contra Granios ageretur, Graniorum erant.

Ibid. *Ac denique necis Pontiani privigni mei caepere*] Insimulatus videtur Lucius, vel, quod ipse privignum necasset, vel quod noluerit aliâ conditione Pudentillam, matrem pueri, ducere, quam illo amoto. ut Catilina, qui captus amore Aureliae Orestillae, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adultum aetate, pro certo creditur necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse; inquit Sallustius. Eiusdem sceleris exemplum in Cluentiana, ubi de Oppianico et Sassia. Vere igitur imperator Constantinus de mulieribus iterum nubentibus, *eas novis maritis non solum res filiorum, sed etiam vitam addicere. L.* XXII. *Cod. de administrat. tutor.* Contrarium superioribus exemplum, maxime memorabile vide apud Agellium, libro XII. cap. VII. nec minus memorabile Dolabellae Procos. Iudicium, vel potius Areopagitarum.

Pag. 401. *Non tam crimina Iudicio*] Neque enim cum Graniis actum est, nisi de rebus Uxoris Pudentillae, et Iudicio Civili. in veteri Codice scriptum aiunt, *Indicio.*

Ibid. *Ibi vero Aemilianus*] Cur se hic Aemilianus interposuit, quum Graniorum patroni ea obiecissent Appuleio et ab Appuleio provocati ad accusandum essent? Existimo, id eâ re factum, quod patroni illi auctorem eorum maledictorum nominassent Aemilianum, qui et ipse illa eadem maledicta suâ voce confirmaverit. Sequitur enim de ipso Aemiliano, *Pontianum fratris sui filium eum paullo prius a me occisum clamitaret.*

Ibid. *Ex verbis rem factam videret*] Et quidem capitalem. Livius alicubi: *Ne sermones cum amatore habitos in rem non modo seriam, sed capitalem duceret.* Terentius, verba ad rem conferri. intelligit Appuleius ex iurgio iudicium natum, ex minis litem. Ita rem in medium vocare eleganter Cicero, et alii dixerunt, pro litem movere vel controversiam. Aliud est, *Rem factam habere*, Martiali libro VI. Epigram. IX.

Rem factam Pompillus habet, Faustine; legetur,
Et nomen toto sparget in orbe suum.

Ibid. *Calumniam Magiae, quae facilius infamatur, quam probatur*] Tacitus lib. XV. Annalium: *Glitio Gallo, atque Annio Pollioni, infamatis magis, quam convictis, data exilia.*

Ibid. *Ne sic quidem quitus est*] Quid igitur? Licuitne contemnere iussum Proconsulis impune et toties? Licuit, quum Aemilianus iure aperto niteretur, quo cautum, ne invitus quis agere vel adcusare cogatur. ut mox dicam.

Pag. 402. *Quitus est*] Id est compelli ad adcusandam non potuit. Perperam alii, *Quietus*, ut amicus noster eruditissimus hic notat, illud Terentianum allegans: *Forma in tenebris nosci non quita est.* unde *nequitur*, recte dixeris. Priscianus in Dionysio de situ orbis:

Hic nasci linum, qui tacta adcensus ab igni
Extingui nequitur.

Ibid. *Ubi ut cominus ageret*] *Cominus* est, proprio nomine, quod antea dixit, *de professo*, alludens ad formulam inscriptionis, quae extat in *L. libellorum ff. de adcusat.* Cur ergo infra dicit, *cuius fuerat professor et machinator?* Sed hoc pertinet ad Aemiliani iactantiam extra ius, qui profiteri et gloriari solebat, suo machinatu Appuleium reum factum, ut alio loco infra scriptum est. Vel *cominus* est, Directo et per sese et principaliter, suo nomine. Nam et subscribens, quasi alieno adcusare videtur, qui non est princeps in agendo. Cornelius Nepos in vita Pomponii Attici: *Neminem neque suo nomine, neque subscribens adcusavit.* Quanto minus is, qui ne subscripsit quidem, ut hic Aemilianus; sic stipulatio dicitur a Venuleio fieri debere cominus, quod nemo possit stipulari nisi praesens et de se ipso, et loquens conceptis directisque verbis, *L. continuus ff. de verb. oblig.*

Ibid. *In adsistendi venia perseveravit*] Non male tamen in quibusdam MSS. *In adsistendi vice*, legi putem: id est, munere et partibus fungi adsistentis perseveravit.

Pag. 403. *De consilio consularium virorum*] Consulares et senatores quinque Romae in consilio aderant, item quinque equites: in provinciis XXV. Recuperatores, peregrini adpellati, ut scribit Theophilus lib. I. Institut. Tit. VI. ubi nomine συγκαθεζόμένων συγκλητικῶν, Consulares intelligere licet, et interpretari ex hoc Appuleii loco. nisi distinguendum putes inter Praetorem, de quo Theophilus et Praefectum

urbi, ut hic Consulares, ille Senatores tantum in Consilio habuerit.

Ibid. *Quam quidem vocem*] Obscura oratio, sed hoc Appuleius vult: dixerat antea Aemilianum in adcusatione falsi testamenti victum, contumeliose in Lollium Praefectum Urbi locutum esse. Similis vecordiae vocem ab eo erupturam in Claudium Maximum Proconsulem auguratur hoc iudicio Appuleius, fretus et aequitate Maximi, et innocentiâ suâ. Quorum utrumque pariter ad condemnationem Aemiliani valere videbat: unde ille dolore adcensus similis vecordiae vocem in Claudium erumperet. In V. C. legi aiunt: *Meâ innocentiâ fretus, subit hoc quoque iudicio.*

Pag. 404. *Quo ferinae solent linguae suae virus alieno dolori locare*] *Mercenariâ loquacitate*, ut paulo ante dixit. Ammianus lib. XXX. de Caussidicina sui temporis: *Ad expugnandam veritatem ora mercenaria producentes, per prostitutas frontes* etc. Quod Orator noster, *ob mercedem, et auctoramenta impudentiae.*

Ibid. *Ferinae linguae virus*] Id est, viperinae. Sic infra: *Viperae ritu niveo denticulo atrum venenum inspirare.* Ita accipiendum in illo dicto Augusti ad Pollionem, de Timagine virulentissimo homine, et qui ipsum Caesarem acerbissimis dictis confixerat, et interdictâ illi Caesaris domo ad Asinium Pollionem confugerat, Θηριοτροφεῖς, id est, *viperam alis.* Ut refert Seneca lib. III. de Ira, cap. XXV. Etiam ingrati animi vitium eo verbo, et impietatem in se Caesar notare voluit. A sono autem et sibilo Graecus poëta litteram S, θηριώδη adpellavit, Lucilius litteram R, caninam:

Irritata canis, quam homo, quod planius dicat. ita enim emendandus is versus apud Donatum est. Hieronymus adversus Ruffinum cap. IV. Demosthenem scribit a cane Rho litteram didicisse. *Canina facundia* apud eundem, et alios: item *canina lingua* apud Lucilium referente Velio Longo, libello de Orthographia: eo sensu, hic *viperina lingua.*

Pag. 405. *In principio adcusationis*] Duo prooemia diversa adcusationis in se institutae recitat Appuleius. unum hoc, *Adcusamus apud te* etc. alterum in fine huius Orationis, tale, *Hunc ego, Domine Maxime, reum apud te facere institui*, etc. sed unum est principium libelli adcusatorii: ut ipse Appuleius ibi demonstrat. alterum hoc, adcusationis ipsius, id est, orationis perpetuae patronorum adcusatoris.

Ibid. *Homo vere ille quidem non disertissimus*] De eodem Tannonio, infra: *Quas Tannonius ille, quum eloqui propter infantiam, causidicus summus, nequiret. Non disertissimus* igitur, hoc loco est, maxime infans et indoctus: figura veteribus usitata. Sic Homerus de Achille, εὖ γήθων, id est, summe dolens, aliaque similia.

Pag. 406. *Zenonem Veliâ oriundum*] Pueriliter magnus vir hoc loco lapsus est, qui *Elea* reponit; quod Zeno Eleates esset. quasi non idem sit Velia, et Elea. Servius in lib. VI. Aeneid. *Velia dicta est a paludibus, quibus cingitur, quas Graeci ἕλη dicunt. Fuit ergo Helia, sed accepit Digamma et facta Velia, ut Enetus, Venetus.* Plura huius generis legas apud Dionysium in Antiquitatibus Romanis et Terentianum Maurum de Syllabis: et nos exposuimus in libris de Antiquis Italiae linguis. Sic Andelusia hodie provincia Hispaniae, quae Vandalusia olim, utpote a Vandalis dicta, teste Sancio Histor. Hispaniae lib. I. cap. VII.

Ibid. *Ut Plato autumat*] Ita emendavit Casaubonus noster, quum antea *et Plato* legeretur. Est autem *autumat*, λέγει, ut in veteri Glossario: et docet Gellius adversus Nigidium lib. XV. cap. III. Forte aliquid in hoc loco Appuleii deest. Suspicabarque legendum, et *Parmenidem, ut Plato autumat.* eos enim ambos in dicto libro Plato coniungit, commendatque pariter a forma; dicens Parmenidem καλὸν καὶ ἀγαθὸν τὴν ὄψιν, id est, *aspectu decorum*, ut Ficinus vertit, ad haec Appuleii forte respiciens, quem ut bonum Platonicum optimus ipse lectitavit.

Pag. 407. *Horrore implexus, atque impeditus, stuppeo tormento adsimilis*] Non probo amici nostri coniecturam, qui *Tomento* scribi mallet, quod, ut ait, frigidius sibi videretur, ut Capillus funi (id est enim tormentum) adsimilaretur. Sed aperte Lucius ita vocat, quod implexus et globosus, et congestus et inenodabilis diuturna incuria discriminandi et expediendi esset; his enim aliisque verbis eum depingit quae tormento et funi potius conveniunt. Simillimus locus apud Iulianum Imperatorem in Misopogone adversus Antiochenas: ὑμεῖς δὲ φατὲ καὶ σχοινία δεῖν πλέκειν ἐνθένδε. καὶ ἑτοίμως παρέχειν ἔχω, ἣν μόνον ἕλκειν συνηθείητε, καὶ μὴ τὰς ἀτρίπτους καὶ μαλακὰς ὑμῶν χεῖρας ἡ τραχύτης αὐτῶν δεινὰ ἐργάσηται. et mox dicit hircorum similem barbam. Quid quod ex crinibus mulierum, tormenta saepe in bello facta, legimus? Servius lib. II. Aeneidos: *Quum Galli Capitolium obsiderent, et deessent funes Romanis ad tormenta facienda.* et mox: *Crines, unde tormenta facta.* Idem apud Caesarem de bello Gallico, Pausan. lib. VII. alios.

Ibid. *Innocentiam eloquentiam esse*] In dialogo Adriani et Epicteti: *Quae est vera libertas? Innocentia.* Sed Caecilii sententiam, et Appuleii pluribus explicat D. Chrysostomus lib. III. adversus Gentiles, ubi ait, Eloquentiam neminem unquam adsecutum esse sine probitate morum,

quum per flagitia tempus consumeret, Anacharsidis, Cratetis, Diogenis, Socratis exempla affert, qui omnes Eloquentiam contempserint, veritate et innocentiâ freti. cf. Nep. in Arist. I.

Ibid. *Ludicris meis*] Titulus operis, quo carmina amatoria continebantur, et alia similia, cuiusmodi epistolium versibus scriptis hic refert Catullus ad Manlium,

Quod scriptum lacrymis mittis epistolium.

Elegeiam, ni fallor, Manlii intelligens.

Ibid. *Ad quemdam Calpurnianum*] Atqui familiarissimus Lucio fuit: sed per contemptum sic adpellavit, a quo laesus erat. Illud ridiculum quod Pausanias de Scipione Africano loquens, *Quidam Scipio*, inquit. Sed tamen eodem modo veterem et prudentem historiographum Quadrigarium locutum reperio: *Id subito perdolitum est cuidam T. Manlio, summo genere nato.* Vide Gellium lib. IX. cap. XIII.

Pag. 410. *Ut ait poëta praecipuus*] Sic et Claudius Iurisconsultus Homerum indigitat: *Apud Graecos*, inquit, *exilio voluntario fortuiti casus luebantur, ut apud praecipuum poëtarum scriptum est. L. Aut facta ff. de poenis.*

Ibid. *Cogitationum comitium*] Quia ex ore scilicet cogitationes animi in apertum prodeunt. Nam alias ineptum sit cogitationes concipi in ore, dicere: in pectore enim et in corde (ut Aristoteli visum est) cogitationis sedes est. Atque ita Mamertinus in Panegyrico Imperatori Iuliano dicto, *Versari coepit in sacri pectoris comitio consulatus.* et Plautus facete et erudite, cor, senatum adpellat.

Ibid. *Vestigio et pabulo proximum*] Expressit elegantissime illud Sallustianum: *Quae natura prona et ventri obedientia finxit.*

Ibid. *Censor meus Aemilianus*] Eodem sensu Cicero: *Corrector, et emendator meus:* ex Terentio.

Pag. 411. *Carbone de rogo obtriverit*] Recte adiecit, *de rogo.* nam carbonum is etiam hodieque usus apud elegantes, et munditiei studiosos, pulvisculo uti ex carbone, et aliis quibusdam rebus confecto.

Ibid. *Viperae ritu, niveo denticulo atrum venenum inspirare*] Memorabile est, quod Nicephorus de hoc scribit lib. VII. Historiae Romanae, ubi de quodam aulico calumniatore et adulatore scribit. *In quo Libycum*, inquit, *serpentem imitabatur. Aiunt enim serpentem nasci in Africa, viperae non absimilem, qui multâ arenâ obrutus, ore et linguâ tantum exertâ praetereuntes improviso multat interitu.* Libet hic adscribere locum elegantissimum Chrysostomi, quo multas feras in homine inesse demonstrat, Homilia Antiochena XXIII. et rursum Homilia IV. in cap. I. Matthaei. *Nec enim es homo, si clare possum videre. Quum enim tamquam Asinus recalcitres, lascivias ut Taurus: tamquam Equus post mulieres hinnias: ventri tamquam Ursus indulgeas: et ut Mulus carnem impingues: et malum memoriâ teneas, ut Camelus: rapias quidem ut Lupus: et ut serpens irascaris: ferias ut Scorpius: sis subdolus ut Vulpes: nequitiam vero tamquam Aspis; et tamquam vipera venenum serves: et sicut ille malignus Daemon fratres impugnes: quomodo te inter homines connumerare valeam, talis in te naturae signa quum intuear?*

Pag. 413. *At philosophi non fuere*] Vide extrema verba Plinii L. V. Epist. ad Aristonem ICtum: *non quidem Senatores* etc. Miror, cur Appuleius tres illos tantum poëtas Latinos ablegaverit, et non aliquem ex tot Senatoribus et Consularibus viris. Sed hi aliis laudibus in vulgus noti erant.

Ibid. *Ut taceam scripta Diogenis Cynici, et Zenonis Stoïcae sectae conditoris*] Ideo hos allegat, quod illae duae sectae prae ceteris ad virtutem et austeritatem vitae morumque directae: ut excusatius peccare sibi videatur Lucius noster, si ipse similiter luserit. Zenonis Stoïci lib. περὶ ἐρώτων, de amoribus, laudat Diogenes Laërtius, idemque inter γνήσια volumina Diogenis Cynici refert, ἐρωτικὸν, Amatorium.

Pag. 414. *Aetatis florem floribus ut decores*] τὴν ἥβην. Terentius de puella XVI. annorum; *Flos ipse.* videri potest etiam intelligere ipsos crines capitis Critiae, quos olim ea de caussa flores adpellabant et florulentos. testis est Servius in lib. XII. Aeneïdos.

Ibid. *Quod si animum inspires*] Putaret aliquis hoc velle Appuleium dicere, animam ex suaviis Critiae, quae proxime nominavit, sibi inspirari, vel suam animam eo elici, ut est in mollissimo Platonis carmine, apud Gellium:

Τὴν ψυχὴν, Ἀγάθωνα φιλῶν, ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον,
Ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων, ὡς διαβησομένη.

Ubi iuvenis Latinus, qui id epigramma lepidissime exposuit, *Florem dulcem spiritus*, dixit. Sed aspernatur hanc interpretationem, quod in fine huius Epigrammatis scriptum est de dulciloquo calamo; quo cantus significatur. Unde animare calamos vel tibiam pro canere. Sed iacet, et flaccet hoc sensu totum epigramma, cuius saltem conclusio arguta debet esse, praesertim quum iam antea, sua munera Appuleius, muneribus pueri superari dixerit. Quare ita puto exponendum esse, quod ait, *cedent victa*, ut quum antea varia sua dona cum pueri donis compararit, licet inferiora; in hoc munere canendi adeo se vindicat, ut plane cedere cogatur, nec audeat contra hiscere.

Pag. 415. *Catullum, quod Lesbiam pro Clodia*, etc.] In his amicarum nominibus mutat illud, *Plania*, Casaubonus in *Flaviam:* quod magis ex consuetudine linguae Romanae videatur;

 nes-

nescio, inquit, an satis ex veritate Fulv. Ursini codex, Plautiam nominat. Sed vulgarem scripturam secutus est Angelus Politianus in illo eruditissimo carmine, Nutricia, in quo hunc locum Appuleii ita elegantissimis numeris expressit:

Sed quamquam in primis docto Verona Catullo
Gaudet, vulnificos elegis qui miscet iambos;
Et sub adoptivum redigit te Clodia nomen.

Et infra:

— ni blanda Propertius ora
Solvat, et ambiguam faciat certamine palmam.
Plania materiam teneri dat et Hostia cantus,
Nomine supposito ceu Galli mima Cytheris,
Personam falsae lasciva Lycoridis adfert
In scenam; et docto clausum se iactat amanti,
Dum miser ipse suo fodiat praecordia ferro.
At non exigui tenuis quoque pagina Calvi
Dissimulat pulchram, sed acerbo funere raptam,
Quinteliam.

Et multo post:

Mitto et Cornifici lusus, Ticidaeque Perillam
Et Cinnum obscurum, teque ore protervior Anser.

Ceterum mirari satis non possum, Ovidium in hoc Catalogo, et tamquam Albo nequitiae, praeteritum fuisse, praesertim quum apud eum legisset, illa IX. Trist. *Macerat ingenium totum cantata per orbem Nomine non vero dicta Corinna mihi.* An ideo praeteritum dicemus, quod mali ominis visum fuerit oratori nostro, eum in hac Apologia nominare, qui ob tales nequitias ac lusus relegatus fuerat: ne admonere iudices videretur, quam haec acerbo supplicio luerit ingeniosissimus poëtarum. An potius quia nomen verae amicae Ovidianae ignotum fuerit? Nam quod *Caesaream puellam* Sidonius eam adpellet, potest id et de filia, vel nepte Augusti intelligi, vel de liberta aliqua, vel ancilla eius, aut denique amasia. Hoc credo.

Ibid. *C. Catullum*] *Caium* nominat Appuleius, quem alii *Quintum.* alius est Q. Catulus Senator, cuius lepidissimos versus de Roscio laudat alicubi Cicero.

Pag. 419. *Quod Imperator, et Divus, et Censor Hadrianus fecit*] Plus est Divus, quam Imperator, et plus Censor, quam Divus; in hac utique re. Nam Divi illi Ethnicorum etiam spurcissimis amoribus exarsisse finguntur. At Censores, vindices horum flagitiorum.

Ibid. *Omnibus profanis incognita*] Locus Platonis, quem intelligit, est in Convivio: et ibi hoc explicat doctissimus Ficinus cap. VII. allegorice, ut solet. Caeterum Appuleius noster brevissime haec narrat, quae Plato illic longissimâ oratione edisserit.

Ibid. *Geminam esse Venerem Deam*] Tertiam addidere quidam. Pausanias in Arcadicis: *Veneris in ea simulacra tria. Unum Caelestem Venerem, alterum popularem cognominant. Tertium sine proprio colunt nomine.* In Baeoticis vero Tertiae nomen exprimit, ut a Thebanis colebantur. *Tres*, inquit, *Veneres sunt, quarum unam caelestem, alteram Popularem, tertiam Apostrophiam nominant. Cognomina haec imposuit Harmonia: Caelestis, sive Uraniae, purum significans, et corporum cupiditate vacantem amorem. Popularis ob venereos congressus. Apostrophiae, id est, Aversatricis, quo ab exlege cupiditate et incestis stupris hominum genus averteret. Multa enim apud barbaros, multa apud Graecos sciebat Harmonia turpiter commissa etc.*

Pag. 420. *Neque enim quidquam aliud in corporum forma diligendum*] Appuleium autem nostrum toto hoc libro πλατωνίζειν manifestum est, etiam cum Platonis nomen reticet. Quale hoc ipsum est, quod hoc loco dixit, ex illius dialogo Phaedro, ubi de Pulchro agit, sicut et in Hippia et in Symposio. Sed maxime ex Protagora haec Appuleius hausisse videtur, in quo Socrates ait se a Diotima, fatidica anu, didicisse artem amatoriam, quâ per corporum pulchritudinem gradibus veluti quibusdam ad pulchritudinem Divinam adscenditur. Idem in Charmide.

Ibid. *Amabit Sapiens; cupient caeteri*] Ex Stoïcorum decretis hoc promptum. Seneca Epistolâ XXXI. *Solus sapiens scit amare; solus sapiens amicus est.*

Pag. 422. *Tragoedi syrmate histrionis*] Foenum esse oportuit qui vocem, *Syrmate*, hic sollicitaverunt, quum nihil sit magis proprium. Vopiscus in Carino de Iun. Messala loquens: *Matris tunicam dedit mimae, lacernam patris mimo: et recte; si aviae pallio aurato atque purpurato pro Syrmate Tragaedus uteretur.* Martialis lib. II. Epigr. 49.

Musa nec insano Syrmate nostra tumet,

id est longâ et tractâ oratione, qualis est Tragaedorum vestis. Idem lib. XII. cap. XCVI.

Transtulit ad Tragicos se nostra Thalia cothurnos,
Aptasti longum tu quoque syrma tibi.

Et ibi doctus Domitius illud Valerii notat: *Quid hic cum Tragicis versibus et syrma facis?* et Iuvenalis, *Syrma vel Antigones*, id est, Tragoedia Accii cui nomen Antigona.

Ibid. *Trieterica Orgia*] Id est, Bacchi sacra triennalia, quod triennio quoque instaurentur. Virgilius:

— ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia.

Qui locus me admonet, ut in hoc Appuleii loco Crotalum dici putem cymbalum, quo Bacchae deo suo hilaritatis caussâ proludebant, ut in pulcherrimo antiquitatis monumento apparet, gemma Christianissimi Regis Henrici IV. ab inclyto Casaubono edita in libris de Satyra: et fronti Commentarii in Persium praefixa. Quaerat hic ali-

aliquis, cur Appuleius in Choragio sive instrumento thymelico scenicove crotalum ponens addiderit haec verba *orgia trieterica.* Quid enim sacra Dionysia ad scenam et fabulas? Nam crotalum quidem in scena et dramatis usurpari solitum docet descriptus a me paullo ante ex veteri Scholiaste locus: sed haec de ludis Dionysiacis intelligenda sunt, in quibus apparatus a choragis instruebantur, unde apud Graecos passim legitur *ἠγωνίσαντο χορῷ παιδῶν aut χορῷ ἀνδρῶν*, et apud Demosthenem *χορηγεῖν παισὶ Διονύσια*, ut docet idem eruditissimus amicus noster lib. I. de Satyrica poësi, cap. 2. Aptissime autem Appuleius Tragicae scenae et *σκευῇ* adiungit instrumenta et ludos Bacchi, in qua Satyri et Sileni, eius dei famuli, olim immixti ad temperandam iocis et lusibus tragoediae austeritatem: sicuti et mox mimos. Marius Victorinus lib. II. *Haec apud Graecos metri* (Iambici) *species frequens est, sub hac conditionis lege, ut non heroas aut reges, sed satyros inducat ludendi, iocandique caussa, quo spectatoris animus inter tristes res Tragicas Satyrorum iocis relaxetur.* Et quum trina essent Athenis liberalia, totidem fabulae agi solitae, quarum duae Tragoediae, postrema Satyrica erat. Scaliger I. de emend. temp. Sic Dionysiaci artifices a Graecis dicti Scenici, quasi Dionysio, id est Baccho sacri. teste Gellio et aliis.

Pag. 423. *Nihil esse aspectabilius homini nato, quam formam suam*] Et supra: *quid ego de homine nato diutius.* ubi Casaubonus notat, Graecum id esse, *περὶ ἀνθρώπου φύντος* vel *πεφυκότος*, Cicero, *qui se hominem meminerit.* Idem puto voluisse exprimere Propertium illo versu:

Unicuique dedit vitium natura creato.

Id est unicuique homini nato.

Ibid. *Filiorum chariores esse, qui similes videntur*] Hinc illud Ciceronis, *effigiem atque Imaginem corporis et animi mei*, de filio. Symmachus Epistola IX. *Non vultus aut color asserit posteros in honorem parentum. Certiores habet natura vindicias bene sentiendi, ac bene loquendi. Gignuntur, non scribuntur heredes. Quod alii docentur, hic natus est.*

Pag. 424. *Laevitas illa speculi fabra*] Id est, artificiosa, vel artifex, ut statim, *Splendor opifex.* Lucretius solet dicere, *daedala*, eodem sensu.

Pag. 426. *Quum laeve aliquid*] Observandum est, hic Appuleium agere non de ratione videndi, neque oculorum in genere, sed proprie de visu et simulachris, quae a speculo redduntur. Nam visus quomodo fiat extra speculum ita ex Epicuro docet Aul. Gellius lib. V. cap. XVI. *Epicurus adfluere semper ex omnibus corporibus simulachra quaedam corporum ipsorum, eaque sese inferre, atque ita fieri sensum videndi putat.* Plutarchus de Placitis Philosophorum lib. IV. cap. XIII. *Δημόκριτος, Ἐπίκουρος, κατὰ εἰδώλων εἰς κρίσεις ᾤοντο τὸ ὁρατικὸν συμβαίνειν.* nullam hic reflectionis illius, quae a speculo in oculos fit, mentionem vides, item reciprocationis imaginum ab oculis in speculum, ita ut eae in speculo controversim respondeant. Quod ita eodem libro cap. sequenti Plutarchus exponit, *τὰς κατοπτρικὰς ἐμφάσεις γίνεσθαι κατ' εἰδώλων ὑποστάσεις, ἅτινα φέρεσθαι μὲν ἀφ' ἡμῶν, συνίστασθαι δὲ ἐπὶ τοῦ κατόπτρου κατὰ τὴν ἀντιπεριστροφήν.* Quae verba interpretatus hic videtur Appuleius, clarissime et elegantissime, at Plutarchi interpres obscure et mutile haec eadem vertit.

Pag. 427. *Ut Architas putat*] De Architae hac sententia nihil reperi vel in Laërtio, vel in alio auctore. Sed Pythagorae, et discipulorum eadem fuit sententia. Plutarchus eodem loco *περὶ κατοπτρικῶν ἐμφάσεων· Οἱ ἀπὸ Πυθαγόρου, κατ' ἀντανακλάσεις τῆς ὄψεως. φέρεσθαι μετὰ γὰρ τὴν ὄψιν τεταμένην, ὡς ἐπὶ τὸν χαλκὸν, στείχουσαν δὲ πυκνῷ καὶ λείῳ πληχθεῖσαν, ὑποστρέφειν αὖ τὴν ἐφ' ἑαυτὴν, ὁμοιόν τι πάσχουσαν τῇ ἐκτάσει τῆς χειρὸς καὶ τῇ ἐπὶ τὸν ὦμον ἀντεπιστροφῇ.* Quae itidem verba ante oculos vel in mente habebat magni Plutarchi magnus nepos orator hic noster.

Pag. 432. *M. autem Cato nihil oppertus, ut alii de se praedicarent, ipse in Oratione scriptum reliquit*] Id est, suarum ipse laudum praeconium ab alio non expectans. quod demonstrat Titulus Orationum eius, de laudibus suis apud veteres Grammaticos. Ex hac porro, quam hic citat Appuleius, oratione fragmentum Festus refert: *Navitas*, inquit, *secundum incorruptam consuetudinem dictos, quos nunc Nautas dicimus, testis est Cato in ea, quam scripsit, quum in Hispaniam proficisceretur, quum ait: Navitae quod secum portaverant, vinum atque oleum usus tantum eo sum.* Aliud fragmentum apud eumdem exstat tale: *Maledictores*, inquit, *dicebant antiqui, quos nos appellamus maledicos. Cato, quum proficisceretur in Hispaniam, removendi maledictores.*

Pag. 433. *Paupertas olim philosophiae vernacula*] Petronio, *bonae mentis soror.* Chrysostomo Homilia XVI. in acta: *Mater sanitatis. Parvo potens* ex Virgilio:

—— Parvoque potentem
Fabritium.

Eleganter idem Chrysostomus Homilia XIII. in eumdem librum: *Dives*, inquit, *nihil aliud mihi esse videtur, quam civitas absque muris in agro sita, et undique insidiantibus exposita. Paupertas vero securum praesidium aeneis muris et expugnatu difficile.*

Pag. 435. *Quorum filiae etc.*] Vid. Seneca

Consol. ad Helviam. Valer. Maxim. L. IV. c. 4.

Pag. 436. *Oneri potius, quam usui exuberat*] Clare imitatur illa Senecae, ad Helviam: *Quicquid extra concupiscitur, vitiis, non usibus laboratur.*

Pag. 438. *Sed congruentibus desideriis*] Eadem plane docet Chrysostomus Homil. LXXXI. in Matthaeum, ubi Avaritiae mala enumerat atque exagitat incredibili facundiâ. Vide divinam orationem, quae mirifice hunc totum locum Appuleii de paupertate et divitiis illustrat: delectabit te duorum eloquentissimorum hominum similitudo, et quasi certamen: me quidem haec collatio singulari voluptate adfecit.

Pag. 439. *Proinde gratum habitum*] Insanabile vulnus inesse in his verbis doctissimus Interpres ait. Sententia tamen Appulei nihil clarius, gaudentis, sibi talia vitio verti, quae pro gloriosis ipse amplectitur.

Ibid. *Pera et baculus*] omittit Pallium: quod et divites usi.

Pag. 442. *Modice imminutum*] Prudenter dicit, *modice*; et caussas honestissimas huius imminutionis recenset: quod probro id sibi, ut aliis, datum iri videbat. Alibi contra de se scribit, Milesiâ ultimâ: *Nam et viriculas patrimonii peregrinationis attriverant impensae: et erogationes urbicae pristinis illis provincialibus antestabant.* Sed hic in Iudicio loquebatur, et capitis res erat: vel quia, ut doctissimus amicus noster putat, nihilominus dives remansisse videri solebat. Quod autem in eadem Milesia dicit, se adeo pauperem esse, ut vestem vendere sit coactus, quo sacrorum impensis parem summam corraderet, ad illud tempus, quum haec diceret, referendum videtur.

Pag. 444. *Novo conditu, splendidissima colonia sumus*] Ne intelligas, iterum exaedificatum illud oppidum fuisse, vel e ruinis excitatum, sicut Carthaginem Colonia deducta est: sed quia ex oppido vectigali et stipendiario colonia populi Rom. facta sit. Vide M. Velseri, nobilissimi et eruditissimi Germanorum historici Rerum Vindel. August. lib. V. ubi et hunc locum Appuleii et totam rationem Coloniarum illustrat.

Pag. 445. *Cuius ego locum in ea Republica*] Opinor a patre nominatus. Nam duumviri sibi successores nominabant et creabant, pro quibus etiam tamquam fideiussores Reipublicae obligabantur, *Tit. de periculo nominatorum lib.* XI. *Codicis.* Sed pater Appuleii iam multo antea decesserat; et Duumviratus magistratus annuus fuit: de loco igitur, et honore paterno loquitur, non de nominatione, et successione. D. Augustinus epist. V. *Appuleius enim qui nobis Afris Afer est notior, Non dico ad regnum sed nec ad aliquam quidem iudiciariam potestatem cum omnibus suis magicis artibus potuit pervenire, honesto patriae suae loco natus et liberaliter educatus, magnaque praeditus eloquentia. An forte ista ut Philosophus, voluntate contempsit, cui cum sacerdos provinciae pro magno fuit, ut munera ederet, venatoresque vestiret, et pro statua sibi apud Oeenses locanda, ex qua civitate habebat uxorem, adversus contradictionem quorumdam civium litigaret: quod posteros ne lateret eiusdem litis orationem scriptam memoriae commendavit. Quod ergo ad istam terrenam pertinet felicitatem, fuit magnus, quod potuit. Unde apparet eum nihil amplius fuisse, non quia non voluit sed quia non potuit. Quamquam et adversus quosdam, qui ei Magicarum artium crimen intenderant, eloquentissime se defendit.*

Pag. 446. *Aggredior enim iam ad ipsum crimen Magiae*] Adhuc respondit maledictis adcusatorum: hic refutationem criminis Magiae, quod principaliter ei intentatum adgreditur. Est igitur haec pars altera iudicii et legitimae quaestionis.

Pag. 451. *Privignum meum, nuperrime curae meae ereptum*] Id Solon lege cavit, Ne curator cum pupillorum matre cohabitaret, neve is fieret curator, ad quos post pupillorum obitum substantia pertineret. Sed aliud est, quod Appuleius hoc loco significat: nam maritus is erat matris pupillorum, neque divelli ab ea sic poterat. Immo, ne vir seorsim ab uxore habitare cogatur, multa contra leges constituta videntur, veluti, si ususfructus aedium vel habitatio alicui relicta sit, etiam cum uxore et familia habitare poterit, immo, de quo dubitatum fuit, si mulieri relictus usus sit, habitare cum viro poterit. Quod Q. Mutius primus admisit, inquit Ulpianus lib. XVII. ad Sabinum. Idemque in vidua admissum postea est, ut possit cum secundo marito habitare. Caeterum quod Appuleius ait privignum suae curae ereptum, id iure factum est. *l.* 1. *Cod. ubi Pupill. educ. deb.* Quod intelligendum de educatione et habitatione privigni est: fuit enim is ab Appuleio abductus ad patruum: potest enim vitricus tutor privigno dari. *l. ult. Cod. de Contrar. Iudic. tutel.* Trogus lib. XXVIII. *Cui* (filio Demetrii regis Macedoniae) *Antigonus tutor datus, acceptâ in matrimonium matre pupilli, regem se constituere laborat.*

Pag. 453. *Quae depenso parantur*] Id est, immenso pretio emuntur. Caesar de bello Gallico: *Quaeque Galli impenso parant pretio.* Appuleius infra, *Pretio impenso quaesisse.* Item, *impenso pisces pretio mercari.* Quare in alio loco infra ubi scriptum est, *Ut merito statuto praemio quaererentur*, malim *pretio* legere. Statuto autem non est ordinario et communi, sed

quod

quodcumque piscatori libuerit vel cupediario, id est, plurimo, ut mox loquitur. Vox populi Rom. *Statue pretium humanae carni.* Quum fame suffocaretur.

Pag. 457. *In littore Italiae suae quam subsicivam Graeciam fecerat*] In veteri Cod. legi aiunt, *Italiae, sibi quam* etc. Quod pro illorum opinione est, qui Pythagoram advenam in Italia dicunt: contra Appuleius hic innuit, quum ait: *suae*.

Pag. 459. *Et Luna noctium conscia*] Id est, libidinum et dulcium furtorum, quae noctu plerumque committuntur, unde *noctes emere* vel *pacisci*. Propertius:

Luna ministrat iter, demonstrant astra salebras,
Ipse amor adcensas concutit ante faces.

Adde prologum Plautinae Mercatoris, ubi amatores ait nocti et Lunae suas miserias narrare. Appuleius igitur Lunam *consciam* dixit, Propertius *ministram*, Plautus *quasi consiliariam*, Cicero *sociam*, Philipp. II. *Cum tamen tu nocte socia, hortante libidine.* Lunam enim intelligit.

Pag. 461. *Themison servus noster, medicinae non ignarus*] Et infra *Themison medicus.* Hoc nomen, qui magni haberi in arte medicâ volebant, vel ominis boni caussa, olim sumebant, praesertim servi, quorum possessio illa ars, alioquin nobilissima, erat apud Romanos. Cornelius Celsus lib. I. *Themisonis vero aemuli, si perpetua, quae promittunt, habent; magis etiam quam ulli rationales sunt.* Iuvenalis:

Quot Themison aegros Autumno occiderit uno.

Eleganter D. Hieronymus talia nomina, quae sic sumuntur, *Votiva vocabula*, adpellat.

Ibid. *Nugas marinas et quisquilias littorales*] Ioannes Passeratius praefat. in Propertium, sic legi debere ait, ubi pessime nunc legitur, inquit, *qui scyllas*. Vide elegantissimi viri locum illum, in quo hunc illustrat ad probandum, naturae solertiam etiam in minimis et contemptissimis rebus adparere, vereque vaticinatum esse Plinium: *nusquam magis, quam in minimis totam esse naturam.*

Pag. 465. *Ibi comperior omnes iudices tanto poëtae adsurrexisse*] More Romano puto Appuleium nostrum loqui. Virgilius:

Utque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis.

se ipsum intelligens, cui recitanti populus Romanus adsurrexerit, vel [ut opinor] collegium poëtarum, quod Romae fuit, in quod quum C. Caesar venerit illâ dignitate vir, numquam ei adsurrexisse Accium poëtam Valerius refert, ut qui facultate poëticâ, et dignitate collegis praestaret.

Pag. 468. *Scarum Praeterii, cerebrum Iovis paene supremi*] Huius piscis etiam multa apud veteres scriptores mentio. illud moneo, alium piscem esse, qui vocatur *squarus*, vel *squalus*, Plinio lib. IX. cap. XXIV. Oppiano ῥίνη. doctissimus Turnebus apud Plinium legere malit cum Massatio, *Galei*, pro *Squalei*: quasi Plinius vocem Graecam illam usurpaverit, quum Latinam, quae ei responderet, non haberet.

Pag. 470. *Medicinae neque instudiosus, neque imperitus*] Priscianus quidem libros Appuleii Medicinalium laudat: de herbis autem liber non huius nostri Appuleii est, sed Appuleii, Celsi medici, ut docti iudicarunt, puto, et illos medicinalium.

Pag. 472. *Quod ego et Maximus in Aristotele miramur*] Non est arrogantiae tribuendum, quod se ante Claudium Maximum Proconsulem nominet: ita enim et ratio et consuetudo Latini sermonis postulabat; et alia de caussa Imperator Tiberius in Crispo municipe Vicellensi, qui in Senatu ita exorsus erat, PC. ET TU CAESAR offensionem dissimulavit; ut est apud Veterem Iuvenalis scholiastem, Satyrâ IV.

Pag. 473. *Ad praescriptum opinionis et famae*] Id est, ut famam et opinionem hominum retinerent.

Pag. 474. *Verum adcuratissime doctum atque eruditum*] *Doctus*, refertur ad disciplinas graviores, et solidam, ut ita dicam, perfectamque doctrinam. *Eruditus*, ad humaniorem literaturam et elegantiam. Sic Sallustius L. Sullam *Graece et latine iuxta atque eruditissime doctum dicit.* Cicero in Bruto, *Literate doctus.*

Ibid. *Simulachrum Mercurii*] Nam deorum imagines in aqua videri dicebantur vi Magicâ evocatae, ut idem scribit lib. ultimo, cap. XI. *Ananchitide in hydromantia dicunt evocari imagines Deorum: Synochitide umbras inferorum evocatas teneri.* Idem tradit D. Augustinus lib. VIII. de Civit. Dei, cap. XXXV. de rege Numa: *Hydromantiam facere compulsus est: ut in aqua videret imagines Deorum, vel potius ludificationes Daemonum, a quibus audiret, quid in sacris constituere, atque observare deberet, quod genus divinationis Varro a Persis dicit fuisse allatum. A Persis*, id est, ab Osthane, ut Plinius dicto lib. XXX. cap. I. docet, ubi et Pythagoram in eas regiones huius Magiae discendae caussâ profectum dicit, ex quo forte Numa rex hausit, cuius dicitur Pythagoras familiaris et magister fuisse. Plura de his eruditissimus Casaubonus in Spartianum in vita Iuliani, ubi κατοπτρομαντείας plures species enumerat, quibus omnibus species e laevis tortisque corporibus reddantur, qualia enses lucidi, pelves, Cyathi, variaque genera speculorum; etiamque orbis lunae ad hanc insaniam advocatus a Thessalis sagis, in quo literas speculo inscriptas legerent. Spartianus: *Et ea, quae ad speculum dicuntur fieri, in quo pueri praeligatis oculis incantato vertice respicere dicuntur.* Ubi idem vir doc-

doctissimus malit legere, *Res prospicere.* unde et *providus puer* infra adpellatur. Sed nihil forte mutandum. Ita enim et Lucanus in hac re locutus est lib. VI.

—— Maestum fletu manante cadaver
Tristia non equidem Parcarum stamina, dixit,
Respexi. ——

De his ego pueris Tertullianum loqui arbitror Apologetici XXIII. ubi scribit: *Magi phantasmata edunt, etiam defunctorum inclamant animas, pueros in oraculum eloquii eliciunt, multa miracula circulatoriis praestigiis ludunt.* Vide et memorabile Hydromantiae exemplum apud Nic. Choniatem in imperio Andronici Comneni circa finem.

Ibid. *Quum quingentos denarios perdidisset, ad Nigidium consultum venisse*] Ita loquitur, quasi non illicitum fuerit hoc tum divinationis genus, quum ad talem virum consultum venerint. Imperator Tiberius vetuit aruspices secreto, et sine testibus consuli. Suetonius in eo, cap. XXXVI.

Pag. 479. *Quum incensus Gagates lapis, ut apud Physicos lego*] Libet de hoc lapide verba Henrici Huntingdonii Anglicanarum Histor. lib. I. in principio, in descriptione Britanniae, adscribere: *Gignit etiam lapidem Gagatem plurimum optimumque. Est autem nigrogemmeus, et ardens: igne adcensus serpentes fugat, attritu calefactus adplicita detinet aeque, ut succinum.* Alius est lapis Achates, sive Agathes, in Sicilia, de quo Facellus lib. I. de Rebus Sicul. cap. IV. et Priscianus de situ orbis.

Pag. 480. *Cuius pueritia, etsi nihil ad religionem suffragaretur, tamen adcusatio fidem derogaret*] Haeret vir doctissimus in verbo, *Religionem*, atque inclinat, ut legat, *ad libidinem.* Nihil mutandum est: etenim religionem Iudicum intelligit, quam instruere testimonium pueri non potest, quum Pueri a testimonio dicendo arceantur in caussis, praesertim capitalibus; immo et minores XXV. annis. Neque puer solum Pudens, sed et inimicus et adcusator Appuleii; quae altera caussa repellendi testis. Appuleius ipse infra utramque coniunxit, quum ait: *Caeterum nequeo in animum inducere, tam stultum Aemilianum esse, ut arbitretur mihi literas pueri, et adcusatoris mei obfuturas.* Ubi et tertiam caussam notes, quod literis non voce testimonium dicat. At Divus Adrianus generaliter rescripsit, testibus se, non testimoniis credere. *L. 3. vers. divi. ff. de testib.* Et orator idem noster, infra alio loco: *Cur autem testimonium ex libello legistis? Crassus ipse, ubi gentium est?* Quartum etiam vitium in hoc testimonio notari potest, quod unius pueri, quum ne duorum quidem aut plurium idoneum sit.

Ibid. *Atque ita ad aliam speciem argumenti transgressus est*] Cur autem speciem? immo eadem plane videatur, id est, de puerorum testimoniis: sed aliam dicit duabus de caussis: una est quod pueri isti, de quibus nunc loquitur, servi erant: altera, quod spe libertatis ad mentiendum erant confirmati. Species quaedam Translationis Rhetoricae hic notanda est; de quibus Quintilianus lib. III. et Alciatus, et Antonius Augustinus in libris Emendationum.

Pag. 481. *Quid taces? quid contaris? quid respectas?*] Antea, *Postulo, Flagito, ultro provoco*, dixit. Plane, ut Cicero in ea pro Plancio: *Quid taces? quid dissimulas? quid tergiversaris? Etiam, atque etiam insto, atque urgeo, insector, posco, atque adeo flagito crimen.*

Pag. 482. *Quindecim liberi homines, populus est*] Mirum hoc alicui videatur. Sed populum intellige, vicum, vel aliam exiguam multitudinem in unum locum iure congregatam. Sic Graecum Δῆμος accipitur. Tradit enim Aristoteles in libello de Poëtica δήμους ab Atticis vocatos esse, quos alii κώμας, seu vicos appellarent. et Festus, δῆμοι, *apud Atticos, sunt apud nos pagi.* Non est autem absurdum, vicum quindecim tantum liberis hominibus constare, praesertim si solos patres familiarum eo nomine intelligamus; quibus alii multi subsunt. At Iustinus lib. X. *in tanto populo*, inquit; loquens de quinquaginta filiis.

Pag. 483. *Totidem vincti, ergastulum*] Veteres glossae: *Ergastulum*, τόπος ἐν ᾧ οἱ δεσμῶται ἐργάζονται; Locus in quo vincti operantur. de ergastulis servorum apud Romanos erudite, ut omnia, doctor noster I. Lipsius exposuit lib. II. Electorum, cap. XV. ubi locum hunc Appuleii citans, ait: Non sic tamen, ut dico, tres servi vincti Ergastulum confecerint: sed certo numero, quem acceptum referes soli Appuleio, quindecim, etc. Quod tamen de pleno legitimoque ergastulo dictum capio: quia alias scio, paenalem illum carcerem stetisse numero minore. Ibidem servos ergastularios, ἁπλῶς vinctos nominatos docet: ut hic Appuleii locus etiam demonstrat; qui Milesia IX. pedes iis annulatos tribuit, quod catenae, quibus ii adstricti, orbes e ferro essent, instar annulorum. Florus, *catenatos cultores*, dicit.

Ibid. *Themison medicus, a quo mulier ad inspiciendum perducta est*] Id est, ut inspiceretur, antique. Sallustius: *Quo cum Tisidius ad imperandum vocaretur*, id est, ut imperium acciperet, pareret. Cicero: *Ades ad imperandum. sic enim veteres loquebantur.* Idem in iure nostro Duarenus annotavit, licet quidam dissentiant.

Pag. 484. *Caussam morborum omnium trifariam percenset*] Videtur Plato hac in re dissentire ab Hippocrate et Galeno, et ita ego accepi. Sed contra revocat me idem vir doctissimus Fici-

cinus, ita scribens eodem loco: *Distinguit quoque morborum, tum aliorum, tum febrium species, singulorumque rationes adsignat. Quales esse potissimum rationes, quas apud Galenum Platonicum legi, iamdiu existimavi, ac nuper a Georgio Cyprio, insigni medico, sum in sententia confirmatus. His enim diebus quum ad me curandae matris meae gratiâ frequenter adcederet, meque reperiret haec ipsa legentem, miro quodam ordine Galeni mentem cum Platonicâ mente coniunxit.*

Ibid. *Trifariam percenset*] Postremo tertiam speciem item tripartito dividit; alios enim morbos a spiritu, alios a pituita, alios a bile fieri: quas singulas caussas ordine deinceps explicat. Appuleius ita interpretatur, *Concrementa varii fellis* (χολῆς) *et turbidi spiritus* (πνεύματος) *et pinguis humoris* (φλέγματος). Ubi notandum est, quae vocabula simpliciter et sine ullo adiecto Plato posuit, ea Appuleium epithetis vestivisse; ut quae ille prolixius exponit, ipse quodammodo explicaret.

Pag. 485. *Quorum e numero praecipua sit materia morbi comitialis*] τὸ, *Quorum*, referendum est ad verbum *Concrementa*, vel ad omnes illas tres caussas, quas dixi: omnes enim in morbum comitialem concurrunt, spiritus, pituita, bilis; ut intelligi potest ex loco Platonis, quem hîc Appuleius ad verbum paene vertit: τὸ δὲ λευκὸν φλέγμα διὰ τὸ τῶν πομφολύγων πνεῦμα χαλεπὸν ἀποληφθὲν, ἔξω δὲ τοῦ σώματος ἀναπνοὰς ἴσχον, ἠπιώτερον μέν, καταποικίλλει δὲ τὸ σῶμα, λευκὰς, ἀλφούς τε καὶ τὰ τούτων ξυγγενῆ νοσήματα ἀποτίκτον. μετὰ χολῆς δὲ μελαίνης κερασθὲν, ἐπὶ τὰς περιόδους τε τὰς ἐν τῇ κεφαλῇ θειοτάτας οὔσας, ἐπισκεδαννύμενον, καὶ ξυνταράττον αὐτὰς, καθ᾽ ὕπνον μὲν ἰὸν, πραΰτερον, ἐγρηγορόσι δὲ ἐπιτιθέμενον, δυσαπαλλακτότερον, νόσημα δὲ ἱερᾶς ὂν φύσεως, ἐνδικώτατα ἱερὸν λέγεται.

Ibid. *Ex candore compressi aëris albida*] Albidam et tumidam tabem fluere in hoc morbo ex candore compressi aëris, vel potius ex spiritu, qui ex illa spumida carnis colliquatione existit. Nec id mirum, quum caro naturâ suâ sit alba. Quod apparet ex eo, si sanguinem expresseris, aut eam abluas. Et signate Appuleius, *spumidum humorem* hunc dixit; omnis enim spuma albescit; omnisque conclusus aër albidus est, praesertim a pituita alba generatus. ut docet Galenus III. Symptom. cap. II.

Ibid. *Pectoris enim primorem cutim*] Plato, ἔξω δὲ τοῦ σώματος ἀναπνοὰς ἴσχον. Ficinus, ad *exteriorem cutim delapsa*. Vocat *exteriorem*, quam Appuleius, *primorem*. Sed cur adiecit; *pectoris?* quasi non et facies ipsa commaculetur vitiligine istâ, vel, ut ipse loquitur, insigniatur. An pectus pro toto corpore posuit, ut Latini faciem, pro totius corporis forma dicunt, non pro vultu atque ore; ut Gellius alicubi docet? nisi, *corporis*, hic legendum sit. *Primorem*, autem, sive *exteriorem*, erudite dixerunt, quia vitium cutis vitiligo est, raro et leviter tangit subiectam carnem; eaque duplex alba a pituita, nigra a melancholia. Utraque cutim squamosam reddit, et si altius serpat, ea alba vitiligine fit lepra, λεύκη, ex nigra, elephantiasis. ut docet Galenus lib. III. de Symptom. caussis cap. II. In veteri Glossario scriptum est, λέπρα, λειχὴν. Item, *impetigo*, λιχὴν, λεπρός. Appuleius eam tantum vitiliginem hic intelligit, quae primorem, ut ait, cutim attingit, proprieque Vitiligo adpellatur, non etiam quae altius in carne insidet, id est Leucen quae et ipsa Vitiligo dicitur. Tria enim Vitiliginis genera, Corn. Celsus lib. V. extremo, Ἄλφος, in quo color albus est, fere subasper, et non continuus, ut quaedam quasi guttae dispersae videantur. Μέλας, quod solo colore ab alpho distat, utpote nigrum et umbrae simile. Λεύκην magis quam Alphon, albescens et in carnem altius descendens, eoque et pilos albos reddit, et lanugini similes.

Pag. 486. *Sed cui hoc usu venerit, numquam postea comitiali morbo attentatur*] Id Plato reticet. At contra Plato non solum vitiligine corpus commaculari dicit, sed illud praeterea addit, alios cognatos morbos inde generari, quod Appuleio omissum: aut certe Platonis mentem sic est interpretatus, ut aliorum morborum successu comitialem morbum penitus extingui putaverit. Sed repugnat, quod mox ait, *ita aegritudinem animi gravissimam levi turpitudine corporis compensat.* Ut adpareat ex illis causis nullum existimavisse alium morbum oriri. Quod notandum est, ne in eo, qui aliena interpretatur, semper eadem, quae auctor eius dicit, requiramus. Idque ipse etiam Appuleius de se profitetur supra, quum ait de libris quibusdam Aristotelis; *Et in omnibus aut omissa anquirere, aut defecta supplere.* Quod in hoc loco Platonis interpretando insigniter praestat: adeo omnia mutat pro arbitrio.

Ibid. *Perniciosa illa albedo*] Ita Colvius emendavit, adsentiturque Casaubonus: quod ita exprimantur illa Platonis: Τὸ λευκὸν φλέγμα ἀποληφθὲν μετὰ χολῆς μελαίνης κερασθέν. ego, *Dulcedo* (quae vox in omnibus libris legitur) retinendam censeo: nec video, quomodo recte dicere potuerit Orator noster, *Albedo*, pro alba pituita, λευκὸν φλέγμα, praesertim quum sit color nullius rei efficiens caussa. At contra, *Dulcedinem*, vocat, quod supra dixerat, pinguem humorem: pinguia enim dulcia plerumque esse, nemo nescit. Repugnat tamen, quod mox Plato quasi concludens hunc locum dicit, φλέγμα δὲ ὀξὺ καὶ ἁλμυρὸν πήγη πάντων νοσημάτων.

Nisi

Nisi dicas, Appuleium ad colliquationem illam carnis, quam supra describit, respexisse: eamque dulcem existimavisse. Mira certe est in hac interpretatione Appuleii solertia, nam et quae Plato de secunda specie morborum dicit, ea Appuleius in tertiam transtulit. Ita enim Plato in secunda specie principali loquitur, Ταύτην πᾶσαν τηκεδόνα ἁπαλῆς σαρκὸς μετὰ πνεύματος ξυμπλακεῖσαν, λευκὸν εἶναι φλέγμα φαμέν. Colliquationem carnis hic aperte vides. et quod ait Appuleius, *inimico igni colliquescit*, id Plato paulo superius dixerat, ὅταν νέα ξυντακῇ σὰρξ ὑπὸ τοῦ περὶ τὴν φλόγα πυρὸς. Quod item Appuleius humoris crassi mentionem facit, id Hippocratis vel Galeni sententiae ea parte convenire videtur. Ita enim Galenus lib. III. de locis affectis VII. et II. de Symptom. Caussis, et II. Aphorism. XLV. caussam morbi comitialis facit crassum humorem et lentum, ventriculos cerebri obstruentem, eumque humorem vel pituitam esse dicit, vel melancholiam. Quorum utrumque Appuleius hic coniungit, et epilepsiam conciliari dicit, simul ac in spiritum conversa fuerit: eamque Appuleii sententiam defendunt contra Galenum clarissimi nostra tempestate Medici, Rondeletius cap. de Epilepsia, Fernelius II. de abditis rerum caussis, II. ex Averrois III. collectaneorum cap. ult. Aiunt enim, tenuem, fumosum, acrem et mordicantem spiritum ex tali materia, qualem hic Appuleius noster describit, excitatum stimulare cerebrum, ceu principium nervorum et motus, unde illa membrorum existit laboriosa commissio.

Pag. 488. *Exuvias stellionum*] Hunc locum Theophrasti etiam Plinius intelligit, quum ait: *Theophrastus auctor est, anguis modo et stelliones senectutem exuere.* Et melius sane alii (inquit Casaubonus) inter lacertos ponunt: etsi Aristoteles ab utroque genere distinguit, ut in Octavo Historiarum: φωλεῖ τὰ πολλὰ τῶν ἐναίμων. οἷον τὰ τε φολιδωτὰ, ὄφεις τε καὶ σαῦραι, καὶ ἀσκαλαβῶται. Donatus in Terentium, *stellionem esse, quem Graeci γαλεώτην adpellant.* Plinius non γαλεώτην solum, sed et κωλώτην et ἀσκαλαβώτην dici scribit lib. XXIX. cap. IV.

Pag. 489. *Tu potius caducus, qui iam tot calumniis cecidisti*] Frigidior hic iocus alicui videatur, ab Etymologia petitus. At noster Ulpianus non inepte de legibus caducariis agens, *Caducum*, inquit, *legatum dicitur, quod a legatario cadit in fiscum*, id est, quod legatarius capere non potest. Qua de re exposui pluribus ad nobilissimam orationem Iustiniani *de caducis tollendis.*

Pag. 490. *Et misera insania crudae senectutis*] Notum est illud Virgilii: *Et cruda Deo viridisque senectus.* Medicis cruda et viridis senectus dicitur ab anno 50. ad 60. aetatis: ut qui tamdiu negotiis pares aptique sint. Galeno tales dicuntur ὠμογέροντες, crudi senes et semicani lib. V. de sanit. tuenda. At Pythagoras ultra progressus est, qui puerum XX. annos implere, iuvenem itidem XX. virum etiam XX. senem XX. atque ita aetates distinguebat, teste Laërtio.

Pag. 494. *Per me licet fuerit repertissimum*] Hoc est, quod supra ait, *deprehensum*, et *detentum*: male quidam *detectum*; quod minus est, quam deprehensum. At detentum est, quod manibus tenetur. Potest quis deprehendi, non tamen teneri, aut capi: ut deprehensus in furto, fur manifestus dicitur, licet, procul visus, nec teneatur.

Pag. 495. *Dicite aliqui, si quis forte meminit huius loci principium*] Mirum hoc videatur, oratorem in ipsa actione rogare aliquem ex populo, qui initium suarum orationum recitet: magis mirum, fuisse qui recitarent. Sed composito et compacto haec agi solita pacto, sicut et id, quod de libro allato sequitur. Illud verum est, oratorem interdum orationem ad adversarium vel patronos et advocatos eius convertisse, dum aliqua in re haesitant. Ut illud Ciceronis: *Recte mones.*

Pag. 496. *Pythagorae scitis*] Contrarium plane scribit in Pythagora Laërtius, lanea veste eum usum, non linea: στολὴ δὲ αὐτῷ λευκὰ ἐξ ἐρίων. Τὰ γὰρ λινᾶ οὔπω εἰς ἐκείνους ἀφίκετο τόπους. Sed ex alia forte lana, quam pecoris, vestitus Pythagorae fuit: aut dicendum est, nihil Appuleium hic adfirmare, quasi recte is fuerit usus; sed hoc tantum, quid de lana et lino senserit: quod nihil adversatur testimonio Laërtii.

Ibid. *Nullum in villa eius delubrum situm, nullus locus aut lucus consecratus*] Etiam privatis hominibus haec religio olim fuit, sacras aediculas in suis agris habere, pro cuiusque opibus vel magnificentia. Plinius Caecilius lib. IX. Epistol. XXXIX. *Aruspicum monitu reficienda est mihi aedes Cereris in praediis meis et in melius et in maius.* et statim: *multa ibi vota suscipi, multa reddi.* Nota, *Aruspicum monitu:* Neque enim privata auctoritate, ut existimo, id licebat. Dedicatio certe, ut hodie, sic olim tota erat iuris Pontificii: ut adparet ex oratione Ciceronis de Aruspicum responsis. Neque aliter usi hac potestate Imperatores, quam quod iidem erant Pontifices Maximi: ut Traianus apud eumdem Plinium lib. X.

Pag. 497. *Negant vidisse se, qui fuere, unum saltem in finibus eius aut lapidem unctum, aut ramum coronatum*] Notandum est, quod Appuleius noster, *in finibus*, ait. Nam licet de tota villa vel fundo id intelligi possit, tamen videtur alludere ad veterem ritum terminorum defigendorum,

rum, quem describit Flaccus Siculus: *Quum terminos*, inquit, *disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram conlocabant proxime ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant, et unguento velaminibusque et coronis eos ornabant.* . . . .

Pag. 498. *Testimonium ex libello legi audisti gumiae cuiusdam*] Quod licet prohibitum non sit, tamen nulla fere vis est horum testimoniorum, praesertim in caussis capitalibus. infra iterat Appuleius: *Cur autem testimonium ex libello legistis. Crassus ipse ubi gentium est?* Seneca lib. IV. Natur. Quaest. *ex his me testibus numero secundae notae, qui vidisse quidem se negant, sed audisse.* Sed hic Appuleius non improbat Crassum quasi testem ex auditu, sed quod non ipse coram testimonium dicat, sed ex libello recitetur, eo absente. Cicero pro L. Flacco: *Ergo is, cui si aram tenens iuraret, crederet nemo per epistolam, quod volet, iniuratus probabit?* . . . . .

Ibid. *Symposia obiret*] Quod statim, *de die in ganeas correpere.* Emendandus hic locus auctoris nostri, Milesia X. *Hortulanus detorsus in ipsam tabernam clam direpsit*, etc. Detorsus, antique. Cato II. Originum: *Propterea Mamertini vocantur, a Marse detorsum nomen.* Significat enim Appuleius contorto et compresso corpore in cistulam correpsisse. Eamdem rem Horatius ita expressit Satyr. VII.

—— an turpi clausus in arca
Quo te detrusit peccati conscia herilis
Contractum genibus, tangas caput. ——

Pag. 503. *Ipso Rufino et Calpurniano*] An ille Calpurnianus, cuius supra facta mentio, ad quem versiculos de dentifricio scripsit? Videtur ab eo oppugnatus in iudicio Appuleius. nisi hoc nomen existimes improbitatis nobilitatae hominis. D. Hieronymus mentionem facit non semel *Sallustiani* cuiusdam *Calpurnii*, quem et *Lanarium* alibi nominat, quo nomine fuit homo scelestissimus, proditor, et percussor Salinatoris, ut refert Plutarchus in vita Sertorii. Idem Hieronymus in Apol. III. cap. XVIII. *discipulos Calpurnianos* vocat, his verbis adversarium suum Rufinum, notans, quasi sceleratum et proditorem. Proverbiale igitur nomen hoc fuit, ut dixi.

Pag. 506. *In tabernula sua sedens propalam sculpsit*] *Propalam* intellige, in foro, vel quo alio celebriori urbis loco. In Graeciae quidem oppidis sculptores isti signorum versari solebant in celeberrimis locis, et prope Basilicas, curiasve Iudiciarias. Plutarchus de Socratis Genio: Πορευομένοις δὲ αὐτοῖς διὰ τῶν ἑρμογλυφιῶν παρὰ τὰ δικαστήρια. Bene autem et prudenter Appuleius hoc argumento utitur ad suam innocentiam tuendam, ut in simili re, L. Flacci M. Tullius. Et L. ille Piso Frugi, Praetor in Hispania quum sibi annulus esset fractus, aurificem (inquit Verrina VI. Cicero) iussit vocari in foro ad sellam Cordubae, et ei palam adpendit aurum, hominem in foro iubet sellam ponere, et facere annulum omnibus praesentibus.

Ibid. *Lignum a me toto oppido, et quidem oppido quaesitum*] Et hic alludit ad originem huius adverbii, *oppido.* Quam sic exposuit Andreas Alciatus, ille eximius, in Titul. de verbor. significatione, quod quum agricolae rogarentur de proventu messis, responderunt, si copiosa ea foret, *oppido:* id est, abundantem esse, et sibi et oppido suffecturam. Quod unice confirmat hic Appuleii locus.

Pag. 507. *Quam autem festive circa humeros vestis substricta sit*] Respicit forte ad figuram, quâ Mercurius effingi solebat, id est, τετράγωνος, quadratus, quod maxime in humeris cernitur, qualem describit Nestorem Homerus. Auctores eius figurae primi Athenienses, unde alii Graeci acceptam in sigillis usurparunt, inquit Pausanias in Messenicis. Sex. Pompeius: *Cyllenius Mercurius dictus est, quod omnem rem sermo sine manibus conficiat. quibus corporis partibus qui carent*, κυλλοὶ, *mutili vocantur. Ideoque quadratum eum fingunt.* Et nota, humerorum tenus, ab Appuleio describi, quia partes infra pectus vel humeros non solebant effingi aut expoliri: ut Pausanias de quodam simulachro Mercurii in Arcadicis narrat: *Eo habitu*, inquit, *ut pallium induere videatur, in quadrangulam figuram desinens, neque pedum tenus expolitum.* Ubi doctissimus Sylburgius, *vestiti hominis specie*, vertit illa verba ἀμπεχομένῳ μὲν ἔοικεν ἱμάτιον, quod possis ex hoc loco Appuleii probare.

Pag. 511. *Pro morum integritate*] Eâdem periodo supra dixit, *pro suâ severitate.* Integritatem autem morum intelligit non suorum, id est, Aemiliani, sed civitatis, quasi dicat pro conservatione honestae et publicae disciplinae.

Pag. 513. *Aemilia*] Narratio brevis et dilucida, quâ Rhetores praecipiunt: cui simillima est M. Tulli in Oratione pro Cluentio, quam saepe imitatum Appuleium multis vestigiis odorati sumus.

Pag. 514. *Nihil se filiis eius ex paternis eorum bonis testamento relicturum*] An de hereditate paterna intelligit? Nequaquam. Pater enim eorum filiusfamilias decesserat, et in potestate avi: ideoque heredem habere non potuit, nec bona propria nisi forte castrensia. Diu enim post Appuleii tempora nata illa iura sunt de bonis adventitiis, in quibus pater decedens quamvis filiusfamilias, tamèn non patrem suum, sed filios habet heredes legitimos. *L. XI. Cod. de suis et legit. Novell.* CXVIII. Testari enim nec de

iis possunt. *L. ult. Cod. de bon. quae liber.* Qua de re pluribus exposui nuper in Commentario nostro, *De bonis maternis.* Quid igitur ad Appuleium nostrum dicendum? Existimo, patrem hunc defunctum habuisse bona materna, puto hereditatem matris suae, in qua paulo ante Appuleii tempora ius istud novum ab Antonino constitutum fuit, ut Alciato videtur ex *L. pen. D. ad SC. Tertull.* quae tamen ius succedendi matri intestatae liberis tantum dat, non ius ea bona per filios adquirendi parentibus adimit. Igitur de bonis paternis exponamus, de parte illa bonorum, quae patri horum liberorum ab avo debebatur, et civili et naturae iure. *L. Quum ratio ff. de bon. damnat.* Nam filii etiam vivo patre quodammodo domini esse dicuntur, ut ait Paulus in *l. in suis ff. de lib. et postum.* a Terentio *Participes*, quod cum iis parentes bona partiantur, ut Cicero ait. Ergo et bona parentum bona filiorum quodammodo dici possunt.

Pag. 516. *De pietate sua et supremo iudicio*] Id est, Testamento, sic passim in libris nostris. Dicitur et *supremum.* Sex. Rufus, *Lybiam supremo Appionis regis arbitrio adsecuti sumus.* et eleganter Imperator Constantinus, *Licitum sit, quod non redit, arbitrium. L. I. Cod. de SS. Eccles.* Cicero mire dixit, Verrinâ II. *Eripias tu voluntatem mortuis, bona vivis, ius omnibus.* Nam voluntas morte extinguitur, et ambulatoria dicitur usque ad supremum vitae spiritum. *L. 4. ff. de adim. leg.* L. *Quum his status ff. de donat. inter vir. et uxor.* Sed voluntatem intellige testamentum. Seneca *imperia mortuorum* vocat.

Pag. 517. *Nullis tabulis, sed ut aequum erat, merâ fide acceptam filiis debebat*] Merâ fide, id est, sine chirographo, ut ait, sine pignore, sine fideiussore. Quo sensu elegantissime scriptum est in *L. XXVII. ff. de probation. Titio centum do lego, quae mihi pertulit, quae ideo ei non cavi, quod omnem fortunam et substantiam, si quam a matre susceperat, in sinu meo habui sine ulla cautione.* Sic et Pudentilla liberorum avitas facultates, ut supra dictum. *Mera fides*, est sola fides. Festus *Merum antiqui dicebant, Solum.* at nunc *merum adpellamus purum.* Dixi de mero imperio in libris nostris de Iurisdictione. [V. Voss. Etym. in V.]

Pag. 518. *Hyems anni erat*] Addit, *anni:* quod Hyems solet interdum accipi pro turbida tempestate, qualis hyberno tempore solet esse. *Tempus anni* vocat in quadam epistola Plancus. Hyems anni quo tempore olim inciperet ante annum Iulianum, ostendit in Opere incomparabili Scaliger lib. II. de emendat. temp. et in lib. III. cap. I.

Pag. 519. *Hyemem alteram propter Syrtis aestus, et bestias opperiendam*] De terrestri in Africa Syrti cape, quae maxime aestate metuenda, cum propter arenarum et sabuli tempestatem, quem aestum Appuleius vocat, tum propter bestias, ut ait. Vide huius terrestris Syrtis descriptionem apud Solinum. Similia de Arabiae et Syriae quibusdam locis legimus.

Pag. 520. *Formosa pupilla*] Id est, virgo: neque enim ad divitias respicit. Inde ad oculos translatum. Chrysostomus Homilia Antiochen. XXII. *Pupilla* (κόρη) *adpellatur oculus: ut sicut ille duabus palpebris velut in quadam conclavi clausus est: ita et virgo praemaneat.* Glossae veteres, *Pupilla*, κόρη. Homero Iliad. Θ. γλήνη dicitur, et ibi Eustachio κόρη, παρθένος, κοράσιον dicitur. Nihil igitur mutandum.

Pag. 522. *Hic Aemiliani huius fax, et flagellum*] Milesiâ IX. *Quod oleum igni, quod flagellum Furiae.* id est virga ad incitandum. Plinius lib. VIII. cap. XVI. de cauda Leonis: *In principio terra verberatur: incremento terga ceu quodam incitamento flagellantur.* Hesiodus in Scuto Herculis: πλευρὰς τε καὶ ὤμους —— οὐρῇ μαστιόων. Wower. putat allusum ad morem theatralem, quo receptum face et flagello pugnantes incitare. Tertullianus adversus Gnosticos: *Caestus dilaniant, flagella dilacerant. Nemo tamen agonis praesidem sugillaverit, quod homines violentiae obiectat.*

Ibid. *Est enim omnium litium depector*] *Depectus*, id est, *turpiter pactus*, inquit Ulpianus in *lege 3. ff. de calumniat.* Quod improbat Hotomannus, et alii, quod et honeste quis dicatur depacisci; Ulpianum autem accommodate ad Edictum de Calumniatoribus ita scripsisse; aut valere ad eius excusationem, quod Syrus esset, non Romanus. Sed hoc loco Appuleii *depector* est redemptor litium: quod vetant leges nostrae.

Ibid. *Cunctis probris palam notus*] Cato: *Stupris intercutibus flagitatus.* Quod autem Appuleius non contentus dicere, *notus*, addit *palam;* intelligi voluit eum palam et quasi in fornice prostitisse. Vetus interpres Iuvenalis in Satyram. II. in verbo Peribonius: *nomen*, inquit, *Archi-Galli cinaedi, quem Magulum conspicatum dicimus, qui publice inpudicitiam perpessus est.* forte, *professus est*, scribendum. Seneca de Provid. cap. IV. *Interim in urbe servos esse praecisos et professos.* De quo more, dixi supra.

Ibid. *Ita ei lecti sui contumelia vectigalis est*] Seneca lib. II. Controvers. VII. *Contumelia penetralium meorum.* Alludit ad vectigal meretricium, quod Athenis vendi solitum. Aeschines in Timarchum: καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἡ βουλὴ πωλεῖ τὸ πορνικὸν τέλος· καὶ τοὺς πριαμένους τὸ τέλος τοῦτο οὐκ εἰκάζειν, ἀλλ' ἀκριβῶς εἰδέναι τοὺς ταύτῃ χρωμένους τῇ ἐργασίᾳ. Et ab his puto didicere Romani quidam principes,

Suetonius in Caligula: *ex capturis prostitutarum vectigal instituit, quantum quaeque uno concubitu mereret.* Intendit Caligula, et exoletorum etiam, ut de Atheniensibus memoravi, vectigal exegit. Manetque ad haec usque tempora (o Probrum!) faedissimum hoc, ut audio, vectigal Romae.

Ibid. *Olim solens suo*] Solens, et hoc obscoenum verbum est. Plautus Cistellaria: *Quae cum suis viris praedicant nos solere.* Alius vetus Poëta:

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant
Moechi. ——

Ibid. *Et quasi ad discendum venerint, non prius abeunt quam aliquid scripserint*] Id est, chirographis et syngraphis caverint, pecuniam se aliquam debere, incertis nominibus tamen, non expresso vero titulo, ob stuprum. Plautus Paenulo de lenonis domo: *Ibi tu videas litteratas, fictiles epistolas, pice signatas, nomina insunt cubitum, longis litteris: Ita vinariorum habemus nostrae delectum domi.* Et hoc est, quod supra Appuleius dixit: *domus eius tota lenonia.* De huiusmodi syngraphis scortorum videnda eadem oratio Aeschinis in Timarchum, ubi recte nullius momenti esse dicuntur, si ex iis agatur, sive a conductore, sive a conducto. Ideoque incertis nominibus haec perscribi et caveri solita, supra dixi. Quo pertinet veteris proverbii ex versu Sophoclis vel Philoclis, ὅρκους ἐγὼ γυναικὸς εἰς ὕδωρ γράφω. parodia etiam vetus Philonidae, ὅρκους δὲ μοιχῶν εἰς τέφραν ἐγὼ γράφω. ut refert in Bibliotheca sua Photius. Quod ita vertas, *In cinere scribo, adulter quod iuraverit.* Iure nostro ita cautum est, ut deprehensus in adulterio si dedit, vel promisit pecuniam, metu, ne occideretur, aut vinciretur, aut proderetur, habeat Quod metus caussâ actionem, *Lege 7. ff. illo titulo.* condictionem ob turpem caussam dati non habet: quia dantis etiam vel maxime hîc turpitudo versatur *Lege 4. ff. de cond. ob turp. causs.* In illo edicto metus consideratur, in hac, caussa. Sed de his alibi adcuratius.

Ibid. *Quasi ad discendum venerint*] Similis est iocus Ciceronis de quadam impudica: Eam, dum viveret, ludum habuisse; post mortem caepisse habere magistrum. Sensus est, viva capturas fecit et discipulos habuit, quasi aperto ludo meretricio, eâ mortuâ, creditores eius bona ex Edicto possederunt, magistroque, ut moris fuit, ex ipsorum numero creato, ea publice proscripserunt ac vendiderunt. Non ignoro Quintilianum aliter interpretari, feminas scilicet infames ad eam convenire solitas, lib. VII. cap. III.

Pag. 524. *Domi sedisset*] Proprie dictum, *sedere* de virginibus, quae conditionem non reperiunt. Terentius: *An sedere oportuit Domi virginem tam grandem?* Germani elegantius sine ullo adiuncto hoc exprimunt sedendi verbo: quo diuturnitas praeterea, et cupiditas, et mora significatur. Chrysostomus Homiliâ I. in Symbolo Apostolico: *Sedere dicitur, Permanere. Nam dicimus Ille sedit tres annos in civitate, id est, mansit.*

Pag. 525. *Quum in puella videret immedicatum os, etc.*] Idem doctissimus Patrum epistolâ ad Demetriadem virginem VIII. cap. X. *Fuge lasciviam puellarum, quae ornant capita, crines a fronte demittunt, cutem poliunt, utuntur pigmentis, adstrictas habent manicas, vestimenta sine ruga, soccosque crispantes, ut sub nomine virginali vendibilius pereant.* Iuvenalis optime, quid sit *immedicatum os*, describit:

Sed quae mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctaeque siliginis offas
Accipit, et madidae, facies dicetur, an ulcus?

Immedicatum os; id est, valde medicatum, ut *incana menta*, apud Virgilium; alia similia.

Ibid. *Ad teruncium pridie sumpta*] Romani denariis, Graeci drachmis computabant. Unde ad denarium solvere, vel ratio ad denarium. Hic *ad teruncium* puto significari usque ad unum nummulum, id est, totam omnino dotem a Creditore sumptam esse.

Pag. 529. *Nam ad diverticulum rei ventum est*] Terentius in Eunucho: *ubi ad ipsum veni diverticulum, constiti.* Id est, ad ipsam quasi semitam fraudum Rufini, ut mox exponit. Cicero pro Roscio Com. *Aliud fraudis, et insidiarum in eodem vestigio diverticulum est.*

Ibid. *Superest ea pars epistolae, quae similiter pro me scripta, in memetipsum vertit cornua*] Id est, me oppugnat. Plautus Pseudolo: *Ne in re secunda nunc mihi obvertat cornua, si occasionem capsit, qui fiet malus.* Horatius: ..... *namque in malos asperrimus Parata collo cornua.* Translatio, ut adparet, a tauris iratis et petulantibus: unde et proverbium, *Faenum in cornu gerit.* de quo elegantissima est narratiuncula Plutarchi in Quaestionibus Romanis: Διὸ καὶ Μάρκον Κράσσον οἱ Ῥωμαῖοι χόρτον ἔχειν ἔφασαν. ἐφυλάττοντο γὰρ αὐτὸν οἱ τοὺς ἄλλους ἐν τῇ πολιτείᾳ σπαράττοντες. ὡς ἀμυντικὸν καὶ δυσεπιχείρητον. οὐ μὴν ἀλλ' ὕστερον ἐλέγχθη πάλιν ὅτι Κράσσον Καῖσαρ ἀφῃρήκει τὸν χόρτον. ἀντέστη γὰρ αὐτὸς ἐν τῇ πολιτείᾳ καὶ κατεφρόνησε. Quae eo libentius recitavi, quod lucem aliquam maximo historico adferant, qui statim initio Annalium ita scribit: *Et Pompeii Crassique potentia cito in Caesarem:* ut in notis ad eum dicebamus.

Pag. 530. *Macci prorsus, et buccones*] Id est fatui, stulti. Fuit autem titulus veteris cuiusdam comoediae *Macci.* Buccones autem, a buccis fluen-

fluentibus puto dictos, quod signum stultitiae. Itali, *Buffoni*, scurras adpellant. Mar. Anton. Sabellicus, Maccones dici putat ab anu Macco delira. unde μακκοᾷ, pro *desipit*, *delirat*, Aristophanes et Lucianus dixere. Diomedes etiam Grammaticus Maccum pro fatuo poni docet lib. III. ubi ait, in Atellanis fabulis Maccos inseri. et Photius in Bibliotheca ex Helladii Bisantini Chrestomathia, refert, ὅτι τὸ μακκοᾶν, ἀρχαϊκῶς ἔστι τὸ μὴ ἀκούειν, ἢ τὸ μηκούειν, ὅπερ τὸ νοεῖν ἐδήλου. Ubi vides et significationem verbi, et originationem vetustissimam.

Pag. 531. *Proquiritabat*] Elegantissime dictum: praecessit enim, eum *in foro bachabundum* haec iactavisse. Verbum factum a *Pro* et *Quirites*. Sic enim inclamare solebant, qui opprimebantur, *Pro*, *Pro*, *Quirites*. Perperam in Laberii mimo legitur, *Porro Quirites libertatem amisimus*. Rescribe, *Pro*, *Pro*, *Quirites*. Similis illa Graecorum inclamatio, γοῦ, γοῦ. Sed haec natura ipsa homines docuit, et expressit: illam Iuris Romani usus. Inde, *ejulare* et *iubilare*, quod antiquis significabat, lamentatione voceque rusticà inclamare, ut *quiritare* urbana, Varrone et Festo testibus.

Pag. 532. *Cuiavis oratio*] Id est, quaevis. Alibi hoc verbum legere me non memini. Non dubitandum tamen quin proba et antiqua vox sit, ut *cuia* inde facta. Cicero pro L. Cornelio Balbo post illum versum Ennii de Hannibale:

Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis.

ita subiicit: *Quisquis erit, cuiati fiet, id habent omnes leve, et semper habuerunt.* Puto subintelligi, patria, vel gente: ut sit, ex quacumque gente, vel civitate fiet.

Pag. 535. *O Infausti decem menses*] Quibus te in utero gestavit. In veterum scriptis, ipsisque adeo legibus semper decem menses nominantur ad legitimum pariendi tempus. Sed nimirum lunares intelligendi sunt, vel annus Romuli, ut Ovidius in Fastis, et alii testantur. Idem observasse Aeolas ex Homero constat:

Χαῖρε γύναι φιλότητι, περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ
Τέξεις ἀγλαὰ τέκνα. —

Ibid. *Vipera, ut audio, exeso matris utero in lucem proserpit*] Considerate adiecit, *ut audio*: nam dubia ea res, et multis non credita. Eodem temperamento usus elegantissimus Poëta Aurelius Prudentius in Hamartigenia:

—— *Sic vipera (ut aiunt)*
Dentibus emoritur fusae per viscera prolis.

Et Plutarchus libro de Garrulitate: τὰς μὲν γὰρ βελόνας φασὶ ῥήγνυσθαι τικτούσας, καὶ τὰς ἐχίδνας. Photius ex Philostrato lib. de Apollonio: ὅτι ὁ Ἀπολλώνιος ἀπαράδεκτον ἡγεῖται τὸν λόγον, ὅς λέγει τὰς ἐχίδνας τίκτεσθαι φθειρούσας τὴν μητρῴαν νηδὺν. μηδὲ γὰρ δυνατὸν ὅλως τοῦτο ἐπί τινὸς ζῶσθαι, καὶ ἡ φύσις ἀπαιτεῖ, καὶ ἡ πεῖρα συνᾴδει. Photius in Bibliotheca pag. 541.

Pag. 537. *Iam tum vulpionem et impium fuisse*] Erasmus hunc locum intelligit in Adagio, *Vulpina lingua*, quum scribit: Appuleius quoque vulpinarium amasionem nuncupat amatorem subdolum, et fraudulenter agentem. Idem lib. de Magia, vulpionem vocavit veteratorem. Pindarus:

—— ὀργαῖς ἀτενὲς ἀλωπέκων ἴκελοι.

Pag. 540. *Celeberrimus in Comoediis versus*] Ego videor mihi versum reperisse, illum scilicet Philemonis Comici vetustissimi, quem habuisse aemulum Menander dicitur:

Δικαιότατον κτῆμ' ἐστὶν ἀνθρώποις ἀγρός.

Iustissimam esse, ait, possessionem mortalibus agrum. Quod plane huic loco Appuleii congruit. Sequitur enim illico de Quintiis et Serranis, agricultoribus, iisdemque hominibus iustissimis.

Pag. 542. *Decem annos Mezentius cum Ulixe erravit*] Id est Aemilianus, qui vulgo Mezentius adpellatus, tot annos in computandà aetate Pudentillae erravit, quot Ulixes in illa sua in Patriam reversione: quum decem antea consumpsisset in obsidione Troiae. Vicesimo igitur anno domum rediit; ut vates Halitherses ei praedixerat, Homeri Odyss. β'.

Pag. 543. *Quos circulare debueris digitos aperuisse*] Circulare est, quum digitus index digitum pollicem leviter attingit, unde effingitur et efficitur Decem, ut ait Beda. at Triginta summo Indicis summum pollicis velut Osculante. D. Hieronymus ad Iovenianum: *Triginta referuntur ad nuptias: nam et ipsa digitorum coniunctio, quasi molli osculo se complexans, et foederans, maritum pingit et coniugem. Sexaginta vero ad viduas, eo quod in angustia, et tribulatione sunt posita: unde et superiori digito deprimuntur.* Ausonius epistolà VII.

Quot ter luctatus cum pollice computat index.

Ubi observa, *Luctari* in eadem re, eodemque numero exprimendo dici, quod Hieronymus *quasi molli osculo se complexare et foederare*, apte ad id, quod agebat, id est, nuptias. Quamvis et in osculis lucta quaedam est, et certe in nuptiis. Adtexam reliquum illius loci Hieronymiani: *Porro centesimus numerus de sinistra transfertur ad dexteram, et iisdem quidem digitis, sed non eàdem manu, quibus in laeva nuptae et viduae, circulum faciens, virginitatis exprimit coronam.* Ubi vides, *circulum facere esse*, quod auctor noster hic ait, *circulare*.

Pag. 544. *Ego ille sim Carinondas*] Nota tot celebria nomina Magorum, aut qui falso pro Magis habiti, ut Moses. Tertullianus de Anima cap. LVII. *Hostanes et Typhon, et Dardanus,* et

et Damigeron, *et Nectabis*, *et Berenice*. Species, et sectas Magorum Plinius exponit lib. XXX. cap. I. Miror autem externos tantum nominari Appuleio, nullum Italum. Nam Picus, et Faunus in Italia (inquit Plutarchus in Numa) Dactyli Idaei veneficiorum, et magicae artis peritiam tractarunt. Sed ignobiliores ii fuerunt. Theodorus apud Photium in Bibliotheca scripserat lib. I. de Magia Persarum: *ἐκτίθεται τὸ μιαρὸν τῶν Περσῶν δόγμα, ὃ Ζαραδής εἰσηγήσατο, ἤτοι περὶ Ζαρουάμ; ὃν ἀρχηγὸν πάντων εἰσάγει, ὃν καὶ Τύχην καλεῖ, καὶ ὅτι σπένδων, ἵνα τέκῃ τὸν Ὁρμίσδαν, ἔτεκεν ἐκεῖνον καὶ Σατανᾶν. καὶ περὶ τῆς (αὐτῆς) αὐτῶν αἱμομιξίας.* De aliis qui hic nominantur Appuleio Magi, a multis scriptum est. Legendum autem, *Moses*, *aut Iannes*, non *Iohannes*, primus docuit Parrhasius in epistolis ex Eusebio. Eum Plinius Iudaeum fuisse tradit, libro XXX. cap. I. Est et alia Magices factio a Moyse; et Ioanne, et Iotape Iudaeis pendens. Sed Casaubonus, magis se credere ait Numenio Pythagorico, qui Aegyptios *ἱερογραμματεῖς* fuisse scribit, qui se Moysi opposuerunt, ut et Iambres. D. Paulus: *Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς ἀντέστησαν Μωϋσεῖ.*

Ibid. *Sola trecenta millia numum scripta*, *eorumque repetitionem filiis Pudentillae pacto datam*] Intellige dotem Appuleio promissam. Sed cur dicit repetitionem, quum data non fuerit, unde paullo ante, *ut dos*, inquit, *omnis apud filios eius maneret*. Sed utrumque in pactis comprehensum fuisse existimandum est; neque promissa aliter fuit, quam ut Appuleio mox daretur. Nec infrequens est, ut composita verba pro simplicibus accipiantur, Reddere pro Dare et similia. Et Seneca irridet alicubi differentiam inter haec verba. Postremo possidere et administrare mariti uxorum res omnes solent dotales, paraphernales, quas uxores sibi receperunt, et *Receptitiae* dicuntur.

Pag. 546. *CCC. millibus dotis fuit contenta*] Locuples faemina, vel potius, ut ante dixit, locupletissima. Sed cur ait, contentam eam fuisse tam modicâ dote? immo potius id de se dicere Appuleius debuit: quod et statim dicit. Sed profecto etiam ea in re moderatio Pudentillae apparuit, quod noluerit videri, et dici Dotata, ut plerarum mulierum ingenium est, etiam sapientium. Iuvenalis de Cornelia matre Gracchorum:

—— *et numeras in dote triumphos.*

Ibid. *Longâ dote et molli conditione*] *Largam dotem* saepe legi, numquam longam. Sed haec vocabula mutuatitias operas sibi praestare solent. Sic Ulpianus, *longam differentiam* dixit pro latam vel largam. *L.* XXXI. *ff. de solut.* Quum Genus in longum dividat, Differentia in latum, ut Scholastici dicunt.

Pag. 550. *Meâ voce pronuntiabo*] Honori Maximi vel Aviti id Appuleius tribuit, quum alioquî moris esset, per nomenclatores, ut saepe in hac oratione, recitare epistolas, aliaque testimonia, vel scripta. Magistratui autem recitare vel codicem tenere non impune fuisset, immo inter crimina maiestatis imminutae habitum olim fuit, ut in Cornelio Tribuno plebis, quem luculentâ oratione Cicero defendit. Oratores Graeci interdum etiam poëtarum testimonia vel sententias per scribas recitabant. Ut Aeschines in Timarchum: *Ἀναγνώσεται ὑμῖν ὁ γραμματεὺς τὰ ἔπη τὰ περὶ τούτων, ἃ Ὅμηρος πεποίηκε. λέγε πρῶτον τὰ περὶ τῆς Ἕκτορος τιμωρίας.* De tribus lectoribus contra Brutum excitatis a L. Crasso, nota res ex Cicerone de Oratore, et alibi.

Pag. 551. *Iam propemodum fesso*] Et hinc collige unam esse hanc orationem, non duas.

Pag. 555. *Male vos qui suggessistis*] Nutu vel admurmuratione, vel risu ad illa verba Appuleii secuto: *Favet enim Rufino Aemilianus et proventum cupit. Hem!* Significat enim sibi soli consulere Aemilianum, nec ad Rufinum quicquam ex haereditate pueri, praeter plorare, pervenire velle.

Ibid. *Investem a nobis accepisti; vesticipem illico reddidisti*] Investis est idem quod impubes, ut veteres Grammatici docent. Palladius lib. II. cap. XIV. *Investis puer hoc*, *aut aliquis satis purus efficiat.* Ita dicitur non a Vesta, id est pudicitia, ut nugatur suo more Nonius, sed a lanugine, quâ carent, quae vestis adpellatur. Gellius lib. V. cap. XIX. *Sed arrogari non potest*, *nisi iam vesticeps*, *id est*, *pubes*, *et maior* XXV. *annis*. Eruditissimus Casaubonus probat, quod in veteribus glossis scriptum est, *investis ἄφθορος*: nam quod, inquit, in femina virgo, id in mare investis. Tertullianus de virginibus velandis: *Materfamiliae vocatur licet virgo*, *et paterfamiliae*, *licet investis*. Ibidem: *Si virgo mulier non est*, *nec vir investis est.* esse igitur investem, qui Graecis ἤϊθεος, quo sensu et pueros virgines vocarunt Latini veteres; et in patrum scriptis frequens est. Vesticeps ergo ὁ ἐφθαρμένος καὶ τῶν ἀφροδισίων πεῖραν ἔχων. Cui significationi plane congruit hic locus Appuleii. Significat enim scortis eum deditum, et Veneris cognitionem habere, ut Caesar loquitur.

Pag. 556. *Plane quidem ut puer honestus a lanista docetur*] P. Scipionis ad locum respexisse Appuleium, dixi. Ironice autem dictum est, *plane ut puer honestus*, id est, ingenuus et nobilis, quum in ludo gladiatorio servi tantum, et damnati docerentur. Casauboni interpretatio, et sententia nondum mihi probari potérit.

Ibid. *Loquitur numquam nisi Punice*] Lingua Punica ei patria erat. Sed Romana lingua

tamen in summo et pretio et usu fuit in Provinciis, maximeque in Africa, tandem etiam, ut populus ea promiscue loqueretur, quod ex D. Augustino, et aliis docuimus in libris de Antiquis Italiae linguis.

Pag. 557. *Fringultientem*] Ita et supra: *Fringultiat, vel omnino obmutescat.* Ubi Colvius hanc vocem restituit Sidonio Apollin. Epistol. X. lib. VII. *Presbyterorum paucis angulatim fringultientibus.* Ubi vulgo, *singultientibus*, et recte meo iudicio. Ita enim Horatius lib. I. Sat. VI.

Ut veni coram, singultim pauca locutus;

Infans namque pudor prohibebat plura profari.

Ibid. *Et candidato illi socero*] Cur candidatum adpellat? opinor, quia hereditatem pueri cum Aemiliano petebat, quasi competitor quidam. Candidati enim iidem qui competitores. Unde iocus in quemdam negligentius ludentem, *Eum pilam petere tamquam candidatum Caesaris:* id est, negligenter et securo animo, ut qui repulsam non timeret.

Pag. 558. *Rumpi tabulas istas iube Maxime*] Id est, aperiri, quod non poterat fieri, nisi lino prius rupto vel inciso, quo tabulas traiici mos fuit ex Senatusconsulto Neroniano. Et Proconsulem rogat. Licuit enim magistratui, non privato; ut dixi ad *L.* 2. *Cod. de testam.*

Pag. 561. *Vir ornatus*] Mirum, quod non ornatissimus, dixerit, praesertim quum de Quaestore publico loquatur. Sed parciores olim in his titulis et encomiis fuere: meminique hoc loco T. Livium ab eruditissimo Victorio malevolentiae crimine liberari; qui Polybium laudans, haudquaquam aspernandum auctorem dixerit. Forte ornatum dixit Quaestorem Appuleius; non tam laudis caussâ, quam ordinis et dignitatis, ut qui ornamentis senatoriis uteretur: primus enim gradus in Senatum veniendi quaestura fuit.

Ibid. TUTORIS] Pudentilla ergo Appuleii iam uxor alium tutorem habuit. Id quod moribus Graeciae, ex qua natione fuit Pudentilla, conveniens erat. Cicero pro L. Flacco: *Emptiones falsas cum mulierculis fecisti. Tutor his moribus Graecorum adscribendus fuit.* Iure Romano nuptae in tutela maritorum erant: ut patet ex Oratione M. Catonis de L. Oppia, Livii lib. XXXIX. Utique eae quae in maritorum manum convenissent; alias enim solutas tutelâ fuisse Cicero in Topicis et Boëtius demonstrant. Sed haec ita olim. Postea nec curator quidem vir esse mulieri potuit, ut alibi supra docui; id est initio huius Orationis. Alium esse tutorem mulieris etiam nuptae, iure non interdictum, et hic Appuleii locus demonstrat: tametsi non proprie et plene, Tutorem fuisse eum existimandum sit. Nam nec iis quidem temporibus quum in tutela maritorum erant, ea tutela eadem quae pupillorum fuit, ut ostendit idem Boëtius. Consultor potius quidam et παραστάτης fuit, quam tutor. Virgines Vestales Plutarchus scribit in lege Numae et testari vivo patre potuisse, et alia facere ἄνευ προστάτου, eodem modo, et iure, inquit, quo matribus trium liberorum id permissum est. Duos habuit tantum Pudentilla liberos, ut ex hoc colligas non immerito tutore ei opus fuisse in emptione praedii, aliisque negotiis. Obiter emendem hoc loco Dionem lib. LV. ubi scribit, Ταῖς ἀειπαρθένοις πανὶ ὅσαπερ καὶ τεκοῦσαι εἶχον, ἐχαρίσατο, Augustus scilicet. Puto enim legendum, τρὶς τεκοῦσαι, *quae ter pepererunt*, ex dicto Plutarchi loco, et ratione ipsa. Nam cur alioquin non dixisset Dio, *Matres?* et nota privilegia sunt, quae tributa mulieribus ter enixis. Dotem etiam dicere mulier non poterat, nisi tutore auctore, ut est in ea pro Flacco.

Pag. 564. *Dotale accipe*] Subaudi instrumentum, quo modo Harmenopulus, et alii Graeci Iurisconsulti τὸ προικῷον dicere solent. Glossae veterum: *dotale strumentum*, προικῷον. Recte, ut tum loquebantur, *Strumentum*, pro instrumentum; quod retinuit lingua Italica, temporibus Dantis; et illorum scriptorum, apud quos saepe legas, *Strumento*, vel *Stormento.* Similiter *tabulae* abscise, pro *dotalibus* ponuntur. Ut in Adriani sententiis, Ῥωμαικὴν αὐτὴν γεγεννῆσθαι, καὶ δέλτους μόνον συγγεγράφθαι, γάμους δὲ μὴ γεγονέναι. Ubi notes tabulas non efficere, sed nec probare nuptias factas, ut Adrianus respondit. Quod et antea in Pudentilla sua dixit Appuleius, quae fecit tabulas nuptiales cum Sicinnio Claro, sed nuptias variis frustrationibus elusit.

Ibid. *Dixi*] Solemne verbum, quo orationes suas concludebant, ut adpareret, quando desiissent, possetque Praetor illud suum (nam et ipsi legitima quaedam Carmina Iurisconsulti composuerunt, quos Cicero in Muraeniana irridet) pronuntiare, DIXERUNT.

AP-

APPULEII VITA.

(Partim ex Editione Colvii, partim Wowerii.)

L. Appuleius (*) Madaurae, quae civitas Africae, in Numidiae Gaetuliaeque confinio, et ante sub ditione Syphacis, deinde Massinissae, post colonia populi Romani splendidissima, honesto satis loco natus fuit. Patrem enim habuit Theseum, loco principe duumviralem, et honoribus aliis cunctis perfunctum: matrem vero Salviam, ab inclito illo Plutarcho Chaeronensi (†), eiusque nepote Sexto Philosopho, genus ducentem. Hunc autem Sextum Philosophum audivisse Imperatorem Antoninum Philosophum, in eius vita scribit Capitolinus. Natus fuisse videtur Appuleius Hadriano imperante, et quidem postremo illius imperii tempore. Nam eum sub Antonino Pio, Divisque fratribus praecipue floruisse, argumentis satis certis colligere nobis datur. Meminit enim Cl. V. Lolliani Aviti, quem Divorum fratrum imperio Bithyniae praesidem fuisse, et Helvii Pertinacis aetate etiamnum vixisse, tunc virum consularem, ex Ulpiano L 3. ff. I. De Decur. eodemque Iulio Capitolino apparet (§). Lollium quoque praefectum urbis vocat, per quem, tum legatum suum, Antoninum Pium Britannos debellasse, idem etiam historicus (cap. 5.) memoriae prodidit: Scipionem Orphitum Africae praesidem facere videtur, quem praefectum urbis, eiusdem D. Pii aevo, et post, imperante Antonino Philosopho, quamvis inter illos, qui cum Faustina clandestine solerent, haberetur, tamen ad varios honores promotum, ex eodem Scriptore (cap. 8 et 29.) constat; qui etiam consulatu functus circa idem tempus fuisse videtur. Scribunt enim ICti, temporibus D. Marci Senatusconsultum factum Orphito et Rufo Coss. quod Orphitianum, ab altero scilicet consulum, dictum fuit. Sed et Aelius Lampridius (cap. 12.) etiam Orphitum cum Maximo, item cum Rufo, sub Commodo Imperatore consulem fuisse notat. At fortassis plures Orphiti fuerunt eodem illo aevo. Utut est, ex his omnibus duntaxat adserere licet, Appuleium temporibus Antonini Pii, Divorumque fratrum vixisse. Decora illi et elegans corporis species, ut etiam sine vi carminum non solum Pudentillam, prope iam floris exstincti, sed vel Penelopen ad amorem sui inducere potuisset: si qua tamen auctoritas tabulis, quibus imagines virorum illustrium ex antiquis monumentis doctissimus vir Fulvius Ursinus excudit. Et sane illarum fidem certam probarunt Appuleii accusatores, qui vultus liberalitatem, capillos delicatos, atque ad lenocinium decoris promissos, nimiumque adeo mundiciarum studium, tamquam crimina intenderunt. Ab ineunte aetate studiis semper addictissimus fuit. Nam pueritia eius Carthagini, iuventus vero Athenis omne genus liberalibus imbuta fuit disciplinis, ubi doctrinam Platonicam praecipue secutus est, et assecutus. Magno etiam cum labore, utpote magistro nullo praeeunte, Romae Latinum sermonem addidicit. ubi etiam tam peritus iuris Quiritium evasit, ut advocati munus obierit, et in foro caussas egerit. Sacris plurimis sese in Graecia et alibi initiatum, immo sacerdotem in provincia Africa fuisse, ipsemet saepius indicat: quod et D. Augustinus alibi notat, qui eum tunc et munera edidisse et venatores vestivisse scri-

(*) Lucius Apuleius] Recte censet vir plurifariam doctus, et multiformibus eminens disciplinis Erycius Puteanus Centur. I. Epist. 38 ad Lipsium, praenomen *Lucii* a vulgo sive miniatoribus esse. Nam in omnibus MSS. quos vidi, ut et Lactantio, Hieronymo, Augustino, Saresberiensi, Karulo Magno, *de non adorandis imaginibus*, Petro Blesensi, Vincentio Belvacensi, Herbario Celsi Apuleii ante aliquot secula capitibus literis exarato, et aliis, non *Lucius Apuleius*, sed *Apuleius Platonicus* sive *Madaurensis* praetitulatur. Quinimo ipse in *Floridis* et *de Syllogismo Categorico*, *Madaurensem Platonicum* se dicit. Unde iure optimo *Lucium* istum ad suos similes *Lucios*, a quibus malum pedem retulit, abire iubeo. Elmenh.

(†) Sed vide tu, Lector, ad Metam. L. I. p. 13.

(§) Vide ad Apol. p. 443. Ed. Flor. dicta.

scribit. Et circa id tempus Carthagini ex decreto amplissimi Ordinis statua ex aere illi posita fuit. Patrimonium ei satis amplum erat: nisi id diutinis studiis et variis longisque peregrinationibus modice imminuisset (*). Uxorem habuit ex Oea, Africae etiam civitate, Pudentillam nomine, quae sestertiûm quadragies possidebat. Quam ob rem tunc apud Cl. Maximum Africae proconsulem Magicarum artium a Sicinio Aemiliano insimulatus fuit; quod et Pudentillam viduam provectiorisque aetatis feminam cantaminibus in amorem sui pellexisset, et Pontianum privignum suum e medio sustulisset. Quae crimina a se alienissima, luculentissima oratione ostendit. Sed tamen etiam ipse in Milesiis suis, scripto quidem ludicro, Magicae disciplinae sese studiosissimum amantissimumque fuisse non semel dumtaxat indicat: et olim quoque Lactantii, Augustini veterumque aliorum patrum aevo talis audiebat; ut etiam Apollonio Tyaneo aliisque principibus Magis adiungeretur: quorum maiora quam Christi domini nostri Ethnici contendebant exstitisse miracula. Aequaevos aequalesque suos, praeter illos, quos iam memoravimus, nominat Severianum Africae proconsulem, Honorinumque filium eius, et legatum, Strabonem Aemilianum Numantinum V. C. condiscipulum suum, cui librum dedicare voluisse videtur; Clementem poëtam, qui res gestas Alexandri Magni carmine conscribebat. Multa vorsa, multa prorsa, multa Graeca, multa Latina oratione scripsit, quorum bona pars iniuria temporis incuriaque intercidit. Fuit autem in Appuleio elegans ingenium, et indolis gratiosa quaedam festivitas. Doctrinae vero varietas tanta, ut inter praecipua eius exempla merito censeri possit. *Universas*, inquit, *Philosophiae crateras bibi. Canit Empedocles carmina, Plato dialogos, Socrates hymnos, Epicharmus modos, Xenophon historias, Xenophanes satyras; Appuleius haec omnia: novemque Musas pari studio colit.* Hanc tamen tantam tamque variam eruditionem ingenii et industriae pari consensu adsecutus est: quanta enim animi contentione, quam indefesso studio optimas artes sectatus sit, ipse de se testatum reliquit. Scribit in Apologia: *continuationem literati laboris omnem gratiam corpore detersisse, habitudinem tenuasse, colorem oblitterasse, vigorem debilitasse. Se ab ineunte aevo unis studiis literarum ex summis viribus deditum, omnibus aliis spretis voluptatibus, super omnes homines immenso labore, diu noctuque, cum despectu et dispendio bonae valetudinis eloquentiam quaesivisse.* Nihil vero optimorum studiorum intactum reliquit. *Poëmata omne genus se confecisse*, gloriatur, *apta lyrae, socco, cothurno; satyras et griphos: historias variarum rerum, orationes, dialogos, et alia eiusmodi tam Graece, quam Latine.* Et quidem quae integra ad nos pervenisse censentur, sunt haec: Metamorphoseos sive de Asino aureo libri undecim; Oratio de Magia; De Mundo liber; De Dogmate Platonis, sive de Philosophia lib. 3; I De Philosophia Naturali; II De Philosophia Morali; III De Philosophia Rationali; De Deo Socratis liber; Florida; Ἀνεχόμενος, carmen ludicrum ex Menandro tralatum. Quorum titulos dumtaxat Fragmentaque quaedam e veterum Grammaticorum aliorumque scriptis enotare potuimus, ista: Carmina varia, inter quae Epigrammata multa amatoria, Epistolae etiam, libri Ludicrorum, de Proverbiis, de Arboribus, de Numeris, de Republica; Convivalium Quaestionum, Naturalium Quaestionum, Medicinalium; Hermogoras prior, Hermagoras posterior, Phaedo a Platone conversus, Epitome Historiarum, Hymnus et Dialogus in Aesculapium, Oratio pro statua sibi Oeae locanda. Et haec de L. Appuleio nostro Madaurensi. Fuit et quidam alius Tiberii aevo Appuleius Celsus Centuripinus Siculus, medicus celebris, quem Scribonius Largus lib. de Compositione Medicamentorum praeceptorem suum et Valentis vocat: Marcellus vero Empiricus, qui sub Theodosio Gratianoque vixit, inter medicinae artis auctores Latinos recenset. Hunc eundem putem esse, quem Palladius lib. de re Rustica laudat, et e quo Cassianus Bassus, Geoponicon, quae Imp. Constantini nomine passim circumferuntur, concinnator, multa descripsit. Est et scriptum quoddam de Herbis, Appuleio adscriptum, in posteriorique editione Basileensi nostri auctoris operibus reliquis adcusum; quod potius Celso illi medico tribuatur. Sed illud quidem mihi tale videtur, ut nec Augusti Tiberiive aetate inoffenso cursu elegantiae Romanae fluens aequor, nec Appuleiani sermonis uberem laciniosumque torrentem, ut ita dicam, redolere videatur. Non bene illi etiam de stilo filoque orationis Appuleianae iudicare videntur, qui ab eo Asclepium Hermetis Trismegisti e Graeco in Latinum conversum volunt, interque eius scripta numerare et excudere non dubitant: cum eo Dialogo, quantum ad verba, et ad phrases, vix quidquam in tota lingua Latina exstet ineptius.

(*) V. Sc. Gent. ad Apol. p. 412. Ed. Flor.

DE APPULEII

VITA, SCRIPTIS, CODICIBUS MSS. ET EDITIONIBUS.

AUCTORE

I. BOSSCHA.

In vita Appuleii, quae supra a nobis edita est, ea tantum collegimus, quae variis Editionibus praemissa leguntur; in quibus quoniam alia minus vere dicta sunt, alia clarius explicari merentur: breviter enarrabimus quae de Appuleio ad notitiam nostram venerunt. Itaque dicemus primo de vita eius; deinde de operibus, tam deperditis, quam iis, quae supersunt, quaeque Appuleio sint tribuenda aut abiudicanda; tum de MSS. quibus ea continentur; postremo de Editionibus.

Editorum vero omnium accuratissime de Appuleii vita et scriptis exposuit Wowerius in praefat. suae Edit. e qua, quae ad vitam auctoris pertinent, supra dedimus, quae ad scripta eius spectant, infra suis locis commemorabimus; reliquam praefationis partem exhibebimus, ubi de Edit. ea dicendum erit. Quae in Bibliotheca Latina Fabricio-Ernestina de auctore nostro dicta sunt, ea commentariolo nostro, laudato tamen auctore, inseremus.

Appuleiorum nomen non ignobile est in historia Romana, et tam consulatus dignitate, quam seditiosis tribuniciae potestatis furoribus, inclaruit. Catalogum Appuleiorum, a Salmasio contextum, vide in Bibl. Lat. Fabricio-Ernestina, et apud Glandorp. p. 110. Onomastici, ibi cit. cf. et Ind. Inscript. Gruter. et Aldus de Ortographia cit. ab Elmenh. Non constat autem, a quonam eorum Madaurensis noster philosophus originem duxerit, quoniam de eius genere omnia prorsus incerta sunt. Quod enim vulgo ferunt, Appuleium patre Theseo quodam genitum, materno ge-

 nere

nere a Sexto Philosopho et Plutarcho ortum fuisse, id falsum esse, et e male intellectis Metamorphoseon locis L. II. p. 11 et 71. fluxisse, ibid. in notis docuit Oudend. Putarunt enim Viri Docti, auctorem toto illo Metamorphoseon opere suam ipsius transformationem in asinum narrare, quum contra ea Lucium Graecum sese fingat, a Plutarcho, non Chaeronensi, sed Thessalo, oriundum. Neque mirum tamen est, viros doctos in errorem fuisse inductos, quum auctor ipse Met. L. XI. p. 812. sui oblitus, Madaurensem se dicat, quem toto opere Lucium Graecum finxisset. An vero eodem modo sui oblitus sit auctor L. II. p. 87. ubi matris suae *Salviae* meminit, minus apparet, et in medio relinquit Oud. p. 11, b. Illud constat, patrem fuisse Appuleio, virum nobilem, summis honoribus perfunctum, qui et duumviratum Madaurae gessit, summum in coloniis et municipiis magistratum (1). Praenomen *Lucii* Appuleio vulgo tribuitur, quod ei revera fuisse idoneis argumentis probari non potest: sed in eundem errorem, de quo supra diximus, rursus lapsos fuisse viros doctos, apparet ex disputatis ad init. Metamorph. Ceterum *L. Saturantii Apuleii* nomen Madaurensi nostro tribuit Sabbathier, *Dictionnaire pour l'Intelligence des Auteurs Classiques* etc. credo, ex male intellecto Fulgentii loco Mythol. III, 6. ubi legitur: *Quia haec saturantius Appuleius pene duorum continentia librorum, tantam falsitatum congeriem, enarraverit.* sed ibi *saturantius* est, uberius, plenius. Videtur Appuleius, uti in omnibus Platonem suum reliquosque Graecos imitatus est, ita et horum more praenominis usu abstinuisse.

Appuleius igitur natus est Madaurae, urbe Africae in confinio Numidiae et Gaetuliae (2), genere honesto, patre satis diti, qui duobus, quos habebat, filiis vicies sestertium reliquit (3), et liberaliter eos educandos curavit (4). Hoc patrimonio auctus Appuleius noster, quum facultatem datam sibi videret obsequendi studiis suis, primo Carthagine literarum studia inchoavit, quae urbs, sedes Proconsulis Africae, eo tempore ceteras urbes eius provinciae humanitate praestabat, et hominibus eruditis literarumque studiosis affluebat (5). Postea Romam, quo ex provinciis commeare solebant, qui in iurisprudentiae studia incumbebant, et Athenas, studiorum causa, petivit; Asiam quoque minorem adiit (6); atque in ea peregrinatione, ut religionibus mire tenebatur, ita plurimos sacrorum ritus et varias cerimonias, *studio veri*, ut ipse profitetur (7) *et officio erga Deos*, didicit. Inde in patriam redux, Madaurae honoribus operam dedit, et magistratus gessit (8); neque tamen doctrinae studia et literas exco-

(1) Testatur id ipse App. in Apol. p. h. Ed. 447. (2) Cf. Apol. p. 445. (3) Apol. p. 443. (4) Augustin. ad Marcellin. Ep. 5. (5) Cf. Florid. N. 20. (6) De Mundo p. 327. (7) Apol. p. 494. (8) Apol. p. 447.

colere destitit, quibus unice ab ineunte aevo deditus fuit (1). Etsi enim peregrinatio, in Italiam et Graeciam suscepta, rei familiari ingens detrimentum attulerat, tanta tamen ei supererat patrimonii pars, ut non solum in vicinas regiones nonnunquam excurreret, ad uberiorem cognitionem Historiae Naturalis et Medicinae sibi comparandam, quarum disciplinarum erat cupidissimus (2); sed etiam ut Alexandriam commeare constitueret, quo celeberrimum illud Museum Alexandrinum, ut opinor, inviseret, et instructissimam eius urbis Bibliothecam perlustraret. Itaque Alexandriam proficiscens, quum iter faceret per Oeam, urbem Africae minoris, in agro Tripolitano, ex fatigatione et itinere paululum affectus, in ea urbe aliquamdiu moratur; publice orationem habet de maiestate Aesculapii; compluribus Oeensibus fit gratiosus, et inprimis adolescentis venustate et humanitate capitur Aemilia Pudentilla, mulier nobilis, quae prius Sicinio Amico cuidam fuerat nupta, ex quo duos habebat filios, Sicinium Pontianum et Sicinium Pudentem. Hanc, mulierem quadragenariam, sed locupletem, sibi despondet Appuleius, conciliante in primis has nuptias Pontiano, Pudentillae filio, iuvene docto et diserto, quem dudum Athenis cognoverat Appuleius. Sed aegerrime hoc ferebat Herennius Rufinus, cuius filia Pontiano erat desponsa, quique, quoniam patrimonium omne abligurriverat, quam lautissimam conditionem filiae sibi quaerendam ratus, Appuleium amoliri necessarium iudicabat. Itaque Pontianus, nequissimae puellae meretriciis illecebris irretitus, Rufino obtemperat, et nuptias matris cum Appuleio, quas prius ipse conciliaverat, quum tabulae nuptiales iam essent factae, turbare conatur. Neque tamen prohibere potuit, quominus in villa suburbana contraherentur. Imo, bonus iuvenis mox cum matre et vitrico in gratiam redit, veniam et oblivionem praeteritorum postulat; at, paulo post diem obit supremum. Neque tamen a conatu suo destitit Rufinus, cuius filia, tali patre digna, marito vixdum amisso, alterum Pudentillae filium, Sicinium Pudentem, adolescentulum, fratri Pontiano longe dissimilem, et a patruo Sicinio Aemiliano turpissimis imbutum cupiditatibus, iisdem quibus antea Pontianum, illecebris suis delinivit. Idem ille Aemilianus et Rufinus dein consilium ineunt, nuptias Appuleii cum Pudentilla, si fieri posset, dissolvendi. Itaque Aemilianus, per subscriptionem, nomine Sicinii Pudentis, Appuleio litem intendit, quod lucri cupiditate inductus Pudentillae animum Magicis artibus subverterit et grandem dotem mulieri contra fas extorserit. Tali modo in crimen vocatus Appuleius, Sabratae, quae urbs non longe ab Oea abest, magna auditorum frequentia, triennio postquam Oeam primo advenerat, causam dixit, absou-

(1) Apol. p. 390. (2) Apol. p. 494.

lutumque eum fuisse, nemo, credo, erit, qui, lecta disertissima illa Apologia, facile dubitet. Verosimile quidem videtur, iuvenem, forma et humanitate praestantem, nuptias cum muliere quadragenaria, nullis formae dotibus praedita, adspernaturum fuisse, nisi divitiarum spe allectum. Sed omni tamen avaritiae labe caruisse censendus est; quoniam paterna bona non tantum longinquae peregrinationes absumserant, sed etiam, si qua fides ipsius testimonio (1) amicorum plurimorum inopiam opibus suis sublevaverat, et quorumdam filias dote auxerat. Quamdiu dein Oeae habitaverit, non constat, sed eloquentiae laude crevit, ita ut etiam statua ei ab Oeensibus fuerit decreta. Postea videtur Appuleius Carthaginem demigrasse, ubi sacerdotio functus est (2), munera edidit (3), et saepe publice disseruit, sicuti etiam Oeam adveniens, in magna celebritate orationem habuerat. Nam principatum eloquentiae illis temporibus in Africa obtinebat, tantaque inter aequales eloquentiae fama florebat, ut quae publice dissereret non solum statim excerperent (4), sed etiam Strabo Aemilianus, Vir Consularis, a Senatu Carthaginiensi statuam ei postularet, quae publice ei decreta est (5).

Fuit autem Appuleius singulari morum comitate et facilitate; elegantiarum et mundiciarum studiosissimus fuit, ut qui *viliter semetipsum colere*, *sui contemtum* putaret (6), et Philosophum non decere arbitraretur quidquam in se sordidum sinere (7). Nullum disciplinae genus non attigisse videtur. Poëticen, Geometriam, Musicen, Dialecticam, excoluit (8). Iurisprudentiae studium Romae arripuerat, et in foro causas egit (9).

Verum, etsi omnium doctrinarum studiosissimus erat, philosophiae tamen studio prae ceteris delectabatur; et, quum Athenis veterum philosophorum placita percepisset, Platonicam philosophiam maxime probabat, quae tum temporis universum fere orbem Romanum impleverat (10). Platonem ubique in coelum effert laudibus, Platonem in omnibus imitari se, eoque ut animi et virtutis magistro, ita et disciplinae praeceptore uti, profitetur (11). In primis autem ea philosophiae parte, quae ad naturae cognitionem et rerum physicarum contemplationem pertinet, mirifice delectabatur; quumque rerum cognitionem cum orationis exercitatione semper coniungeret, et nihil magis consequi cuperet, quam ut dicendo valeret, ita ut subito quoque nonnunquam dissereret (12): etiam in illis libris, quos de Historia Naturali scripsit, il-

(1) Apol. p. 443.
(2) Vid. Flor. N. 15. coll. Iureto ad Symm. IV. 62. (3) Augustin. Epist. 5.
(4) Florid. N. 9. (5) Florid. N. 16.
(6) Florid. N. 7. (7) Apol. p. 393.
(8) Florid. N. 21. (9) Cf. Apol. init.
(10) Nam male omnino Madaurensem Appuleium a Platonico distinguit Königius, in Bibl. vet. et nov. Altdorf. 1678.
(11) Cf. notata ad Apol. p. 495.
(12) Florid. N. 23.

illud praecipue elaborasse videtur, ut quae a Graecis philosophis essent disputata, amplificaret, et Latinis vocabulis enunciaret: quocirca idem gloriatur quodammodo, quod Cicero (1), qui, quum complures ea quae a Graecis accepissent Latine dici posse diffiderent, eo in genere tantum profecisse sibi videbatur, ut a Graecis ne verborum quidem copia vinceretur. (2). Quo magis dolendum est, physica Appuleii scripta aetatem nostram non tulisse. Neque tamen a foedae superstitionis labe animum eius purum praestare potuit naturae contemplatio, et investigatio veri, ac disciplina Platonis. Nimirum Platonica philosophia, quam postea corruperunt illi, qui eam Christianorum rationibus attemperare studebant, Appuleii aevo iam, ut videtur, adulterari coepta erat, ab iis, qui ingenii sui commentis libere indulgerent, dummodo haberent, quod Christianae religioni opponerent. His autem acerrimis sincerae religionis adversariis Appuleius accensetur, eiusque odium erga Christianos confirmatum et auctum esse nonnulli putant, lite, quam ei intenderat Aemilianus, quem hominem Christianum fuisse pronunciat Warburtonus (3): cui opinioni disertam aliquam auctoritatem, quam opponam, non habeo. Imo, homo fanaticus et magicis superstitionibus addictus divinae religionis cultorem aliter vix describere poterat, atque Appuleius Aemilianum, accusatorem suum, pingit (4). Quia tamen ex eo loco, quod sciam, solo, argumentum Warburtoni ductum videtur, eius coniecturam, ut probabilem, haudquaquam adspernor, ceterum ut omni dubio carentem nondum amplector.

Illud certum est, iudices, apud quos causam dixit, Christianos non fuisse, quod quidam putarunt. Tota oratio pluribus locis id demonstrat. Ceterum de religione Appuleii, qui philosophum non decere arbitrabatur, de Diis Immortalibus matri et patri credere (5) melius quum non habeam quod dicam, verbis utar Moshemii ad Cudworth. Syst. Intell. cap. IV. §. 32. „ *Quatenus ex eius cognoscitur Metamorphosibus, erat is ex eorum genere, qui religionem populorum, invita licet* „ *ac reluctante veritate, ad philosophiae, quam probabant, praecepta studebant* „ *accommodare. Ipse, id quod etiam ex aliis librorum eius locis apparet, toti re-* „ *rum universitati bina praeponebat principia, masculum alterum, si loqui ita fas* „ *est, alterum femineum, Deum quemdam praepotentem et summum, et naturam* „ *quamdam administrationi huius orbis et generationi rerum omnium praefectam,* „ *seu mundi animam, efficientem omnia et moderantem. Ad has binas naturas* „ *universam Deorum, quibus populi supplicabant, turbam revocabat. Summum il-*

(1) De Nat. De. I. c. 4. (2) Apol. p. 481. (4) Apol. p. 518 seq.
(3) *De Div. Legat. Mosis.* (5) Apol. p. 483.

„ *illum Deum in Osiride primum, deinde in reliquis Diis omnibus virilis sexus* „ *coli, aut Deos omnes unius tantum illius Dei varia esse nomina, statuebat.* „ *Dearum autem quidquid esset, Isidem, Minervam, Iunonem et reliquas, id omne* „ *unam illam mundi animam seu naturam genetricem referre, arbitrabatur. Utrum-* „ *que vero hoc principium vinculo quodam autumabat connexum esse, ut, qui unum* „ *coleret ac veneraretur, alterum quoque simul non posset non revereri.* „ Quam- „ „ quam enim connexa, immo vero unica ratio Numinis religionisque esset, tamen „ „ teletae discrimen esse maximum, aiunt." *Ita loquitur Metamorph. Lib.* XI." A crimine Magiae Appuleium defendunt Naudéus, *Apologie des Grands Hommes, faus-sement accusés de Magie.* la Haye 1679. et Arnaldus Forcalqueriensis in *Apologia Apuleii, Bacchi, Epicuri et Phalaridis*, cit. in Bibl. Lat.

Fuit autem Appuleius vultu liberali et facie decora, ut non minus formae venustate quam morum elegantia Pudentillam in amorem sui traxisse videatur. In ipsa accusatione scriptum fuerat: *Accusamus apud te Philosophum formosum* (1). Ipse tamen Appuleius formae mediocritatem sibi tribuit, et *continuationem literati laboris omnem gratiam corpore detersisse* fatetur (2).

Restat ut de aetate, qua vixit Appuleius, pauca dicamus. Alii enim eam ad Traiani tempora retulerunt, alii ad Theodosii, alii ad Commodi, Severi et Caracallae imperium. Sed sub Antonino Pio, ac fratribus M. Antonino philosopho et Vero floruit Appuleius (3). Evidenter id apparet e loco Florid. N. 9. extr. ubi *Caesarum* meminit. Praeterea Apologiam dixit apud Maximum Claudium, qui sub Antonino Pio floruit (4). In eadem oratione Lollii Urbici meminit, qui eiusdem Imperatoris legatus fuit (5), et Lolliani Aviti, quem sub Divis fratribus vixisse aliunde constat (6). Severianum, Proconsulem Africae, eiusque filium Honorinum laudat Florid. N. 9. de quibus an aliunde quid constet, non inveni. Putarunt quidem nonnulli esse hunc *Aufidium Severianum*, cuius apud Ulpianum in l. 4. ff. de Off. Procons. et Leg. mentio facta, unde et Appuleii aetatem ad imperium Severi retulerunt: sed pari iure

(1) Apol. p. 386. Confirmant id effigies Appuleii, si qua illis fides habenda, quas vide in *Thes. Antiq. Graec. Gronoviani T. III, nnnn.* et in veteri gemma duplici apud Licetum p. 253, 255. *antiquor. schematum gemmarum anularium*, apud Morell. *Specim. rei num. ant. T. II. p.* 45. et Sigebertum Havercamp. *Diss. de nummis contorniatis p.* 152. citt. in Bibl. Lat. Fabricio-Ernestina. Vid. et Fabrett. *ad Col. Trai. c. 7. p.* 211.

(2) Apol. p. 388.

(3) Vid. Noris. ad Cenot. Pis. p. 33. cf. Salm. ad Solin. p. 714. Barth. ad Stat. IV. Theb. 835.

(4) Vid. ad Apol. p. 377, a.

(5) Vid. ibid. p. 381, b.

(6) Vid. ibid. p. 443, b. De Orfito, Proconsule Africae, quem Florid. N. 17. memorat, vide Tillemontium *in Hist. Imperatorum* Gallice edita *T. II. p.* 570. citatum a Fabricio. Eius mentio etiam apud Spon. Misc. p. 269. et alibi.

iure adserere quis possit, eumdem esse, qui *Severianus Julianus* vocatur apud Murator. p. 543, aut alium quempiam e Severianis, quorum nomen non infrequens in Inscriptionibus (1). Sed Severianus, cuius meminit Appuleius, floruit sub Divis fratribus, ut patet e *Caesarum* mentione. Ceterum de aetate Appuleii qui egerunt, praeter editores, citantur a Fabricio P. Pithoeus *L. II. c.* 10. *Advers. Subsiciv.* Iac. Raevard. *L. I. Varior. c.* 20. Ioan. Ionsius *L. III. cap.* 2. *de scriptoribus Hist. Philosophicae*, et Baylius *in Lexico.*

DE SCRIPTIS APPULEII.

Pro se apud Claudium Maximum Apologia, sive de Magia Liber. — Copiosissima hac oratione, Sabratae, oppido Africae, habita, contra adversariorum accusationem, non solum a Magicarum Artium crimine se defendit Appuleius, sed etiam ad reliquas criminationes de extorta dote et invasa ex lucri cupiditate Pudentillae domo, luculentissime respondet. Quoniam vero Magiae accusationem in prima Orationis parte, dein reliqua tractat: hinc in duas Orationes haec Apologia in MSS. et Edd. vett. dividi solebat, quod male esse factum dudum observarunt VV. DD. (2). Oratio haec videtur habita esse antequam Metamorphoseon opus conficeret auctor, quoniam in eo multa invenissent adversarii, quae Magiae suspicionem non parum augere potuissent. *Apologiae* nomen in MSS. non inveniri, monui in nota ad Titulum. Postea tamen didici *Apologiam* vocari hanc orationem in MS. Bibl. D. Marci (3), si modo fides Catalogo, cuius auctor fortasse in MS. nomen illud non invenit, sed Librum citavit, prout vulgo citari solet. Ceterum, quoniam Appuleius testatur, sibi ad defendendum vix tres vel quinque dies integros fuisse, hinc Scipio Gentilis suspicatur, aliam fuisse orationem, quam Appuleius dixit, aliam hanc Apologiam, quam edidit. Sed hac de re suum cuique sit iudicium.

Metamorphoseon Libri Undecim. — Lucius Patrensis, Patris, Achaiae urbe, oriundus, Μεταμορφώσεως λόγους scripserat, teste Photio Cod. CXXIX. quod opus an unum constituerit Librum Romanensem, seu Fabulam Milesiam, ut vulgo putant, an vero, (ut videtur esse maxime probabilis opinio Hueti *Histoire des Romans* p. 22.) Μεταμορφώσεων quamdam συναγωγὴν, ferme qualis illa Antonini Liberalis, non constat; imo, vel omnino exstitisse Lucium illum, negat Wielandus (4). Ex

(1) Cf. Ind. Corporis Gruteriani.

(2) Vide ad init. Apol.

(3) De quo vide infra.

(4) Vid. Harl. ad Fabr. Bibl. Gr. Vol. V. p. 340. et de Lucio Patrensi Fabr. Vol. X. p. 716. et Vol. VIII. p. 159.

Ex hoc Lucii Patrensis opere Lucianus obscoenum illum libellum, cui titulus Λοῦκιος ἢ Ὄνος, expresserat, ut sale satyrico lascivas mulieres suae aetatis perstringeret. Appuleius autem, quum hoc propositum sibi haberet, ut specie usus fabulae Milesiae, quo narrationis genere istius aevi homines, et Afri praecipue, magnopere delectabantur, mysteriorum utilitatem et sanctimoniam commendaret: camdem illam fabulam de homine in asinum mutato idoneum argumentum ratus quo uteretur, praesertim quia coniunctum quodammodo erat cum metempsychoseos et palingenesios doctrina, in mysteriis tradi solita, eam ornavit et amplificavit. Qui enim in Appuleii Metamorphosibus nihil nisi inanem fabulam Milesiam, et putidam obscoenitatum farraginem, reperire sibi videntur, perquam inique illi sentiunt de Appuleio, qui, etsi a superstitionis labe haudquaquam purus est existimandus, tamen ab adolescentia veterum philosophorum praeceptis imbutus, in naturae investigatione perpetuo versabatur, et cum Platone suo et in philosophia quasi habitabat. Verum sub Imperatoribus Romanis, invectis praesertim Priapeïis sacris, turpissimarum libidinum latebris, tanta morum corruptela universum pene orbem Romanum invaserat, ut incesti amores, stupra et adulteria, singulas fere familias inquinassent, et matrimonii sanctissimam religionem polluissent. Testantur id, praeter historiae monumenta, istorum temporum scriptores, qui seculi sui corruptelam in rebus venereis, passim, aut vivis coloribus depingunt, aut censoria animadversione perstringunt. Antiquis autem illis mysteriis, quibus nil melius Athenas peperisse, et quibus ex agresti immanique vita excoli ad humanitatem et mitigari hominem praedicat Cicero (1), quum non solum verior Dei et naturae cognitio contineretur, sed et purioribus morum praeceptis, ultra seculi sui indolem, eorum participes imbuerentur, quumque iisdem mysteriis initiatus esset Appuleius: hoc sibi condendo Metamorphoseon opere proposuisse videtur, ut aequales suos doceret, in tanta morum corruptela, ad humaniorem vitae rationem, unicum et efficacissimum esse remedium, mysteriorum initiationem. Itaque inducitur Lucius, iuvenis voluptatibus deditus (2), cognoscendarum artium magicarum studio Thessaliam petens; sed adeo penitus voluptatibus se immergens, ut ad bruti naturam prorsus delabatur, et nimia Magiae curiositate, eius artis experimentum facere cupiens, in asinum transformetur: quo figmento se et mysteria a Magiae suspicione defendere voluisse auctorem, haud absurda videatur opinio. Postquam autem Lucius, in miserrimam asini conditionem redactus, omnes belluinae suae sortis miserias exantlasset, et spurcissimis se libidinibus polluere esset co-

(1) De Legg. II, 14.

(2) Unde Lucii nomen quodammodo in proverbium abiisse videtur. cf. Tertull. Apologet. c. 3.

coactus, tandem humanitatis suae memor, nactus opacae noctis silentia, adspectu lunae candentis commotus, Isidem Deam deprecatur, ut illa tandem miseriis suis finem imponat, et quadrupedis diram faciem a se depellat. Illa tandem miseretur miseri iuvenis, qui in solemni Deae Isidis pompa, devorata corona rosea, ad humanam formam redit; castimoniae religiosa observatione, ad sincerae religionis communionem praeparatur; Osiridis sacris initiatur; et in Pastophororum collegium adscitur (1). Ex hoc Metamorphoseon conspectu, clare, ni fallor, apparet, nihil aliud sibi proposuisse auctorem, nisi ut adversus seculi sui mores corruptos, mysteriorum religionem commendaret, pure sancteque servandam; quae ipsa, superstitionibus infecta, et a Deorum cultus sanctitate ad morum corruptelam quum descivisset, ad quantam foeditatis immanitatem homines proripiat, ipse auctor indicare voluisse videtur, narratione spurcissimarum turpitudinum, quibus Deae Cybeles sacerdotes se contaminasse leguntur Libb. Metam. VIII. et IX.

Restat, ut de fabula Psyches et Cupidinis dicamus, magis artis operibus, quam scriptorum literis celebrata. Narratur illa Metam. Libb. IV. V. et VI. ab anu quadam, ut puellam recens nuptam soletur, quam ex coniugis amplexu praedones rapuerant, et est cum dicto auctoris proposito quam maxime coniuncta. Hac enim fabula illicitis Veneris commerciis, quibus ad omnem nequitiam rapi aequales suos videbat Appuleius, opponere voluit fidem coniugalem, quae, quamvis multa saepe inveniat impedimenta, tamen aliquando felicem experitur eventum, Deorum favore compensatur, et homines ad Immortalium Deorum beatitudinem evehit. Quomodo et haec fabula cum mysteriorum commendatione sit coniuncta, exponere, supra a nobis disputata postulare videantur. Sed totam fabulam de Psyche et Cupidine, mythis moralibus accensendam, et cum mysteriorum religione coniunctam, uberius et erudite ex artis operibus illustravit Birgerus Thorlacius *in Fabulas de Psyche et Cupidine, disquisitione mythologica, Havniae et Lipsiae* 1802. ad quem libellum etiam Appuleii studiosos delegamus.

Floridorum Libri IV. ut vulgo distinguuntur. Putat Wower. esse ἀνθολογίας seu χρηστομαθίας quemadmodum Plin. III. Epl. 5. testatur avunculum suum reliquisse electorum commentarios: unde et *eclogarii* apud Cicer. ad Att. L. XVI. et *analectae* ap. Senec. Epl. 27. Sic etiam ἐκλογῶν libros VI. reliquisse Melitonem Asianum refert D. Hieronymus: et *Flores* et *Deflorare* etc. hoc sensu saepe usurpari Cassiod. aliisque eius aevi scriptoribus, idem monet Wow.

De Deo Socratis Liber. — Orationem esse extemporalem vulgo putarunt, quia duo

(1) Ziegleri Disputatio *de L. Apuleio Aegyptiorum mysteriis ter initiato. Argentor.* 1786. quam tamen inspicere mihi non licuit.

duo Floridorum fragmenta vulgo huic libello male iuncta fuerant, quorum alterum incipit: „ *Qui me voluistis dicere ex tempore.*" Quaedam huic libello deesse videbantur Wowerio, Scriverio et Oudendorpio.

De Dogmate Platonis Libri III. — Tribus his Libris Platonis doctrinam exposuit Appuleius; et pro triplici Philosophandi ratione a Platone adhibita, una de natura, altera de vita et moribus, tertia de disserendo, Appuleius quoque primo Libro agit *de Philosophia Naturali*, altero, *de Philosophia Morali*, tertio, *de Philosophia Rationali*, sive περὶ Ἑρμηνείας. Inscripsit autem totum opus *de Dogmate Platonis*, ut Alcinous similis argumenti librum: εἰσαγωγὴν τῶν δογμάτων Πλάτωνος. monente Wowerio, qui bene vidit, quomodo tres totius operis libri cohaereant.

De Mundo Liber. — De hoc libro et Aristotelico περὶ κόσμου, quid sentiant Viri Docti, vide in nota ad init. Libri. Auctorem Latini libri esse Appuleium falso dubitat Menagius ad Diog. Laërt. VII, 154. monente Fabricio, qui testatur etiam ex hoc libello Theologiam Appuleii cum notis exhibuisse Christianum Falsterum in Cogitationibus Philologicis, Cogit. VI. p. 37 seqq.

Itaque trium celeberrimorum philosophorum placita explicare voluisse videtur Appuleius: Socratis, in Libro de eius Deo; Platonis, in tribus Libris de Dogmate eius; Aristotelis, in Libro de Mundo.

Phaedo. — Platonis Phaedonem Latine vertisse Appuleium testatur Sidon. Apollin. L. II. c. 9. „ *Quamquam sic esset ad verbum sententiamque translatus, ut nec Apuleius Phaedonem sic Platonis; neque Tullius Ctesiphontem sic Demosthenis in usum regulamque Romani sermonis exscripserint.*" Ipsum opus periit, sed duo eius fragmenta servavit Priscianus Lib. X. quae vide inter fragm. Appuleii.

Hermagoras. — Cuius argumenti fuerit Hermagoras Appuleii nobis non constat, nam periit, et non nisi pauca fragmenta servarunt Grammatici. In plures Hermagoras, imitatione Platonis, opus fuisse divisum, observat Wower. et coniicere licet ex locis a Prisciano citatis.

De Proverbiis. — Huius operis, quod duobus ad minimum Libris constitisse videtur, unum fragmentum servavit Charisius.

Epitome. — Historiarum Epitomen fuisse suspicatur Colvius, quod in medio reliquit Scriv. Ex unico fragmento quod servavit Priscianus L. VI. nihil certi colligas. Fortasse ad Arithmeticam pertinuit, de qua primum Appuleium Latine scripsisse testantur Cassiodorus et Isidorus. Historias varias rerum tamen scripsisse se profitetur ipse Appuleius (1).

De

(1) Florid. N. 9. hui. Ed. p. 37. et N. 20. p. 98.

DE REPUBLICA LIBER. — Eius fragmentum servavit Fulgentius.

MEDICINALIA. — Medicinae studiosissimus quum fuerit Appuleius, mirum non est, eum de hac arte quoque scripsisse. Testatur id etiam Marcellus, *de Medicamentis*, in praefatione ad filios: *Veteres Medicinae artis auctores Latino sermone perscripti, Apuleius et Celsus et Apollinaris.* Appuleium in Medicinalibus citat Priscian. L. VI.

DE ARBORIBUS LIBRI. (1). — Suspicatur Salmasius (2), hoc opus verbis Plinii compositum esse, pariter ut Herbarium, de quo infra dicetur; et ex illis Libris sumtum, qui arborum naturam exponunt, quales sunt XIV. et seqq. usque adXVII qui τὰ γεωργικὰ continet.

DE ARITHMETICA. — Aurel. Cassiod. de Arithmetica: *Arithmeticam disciplinam apud Graecos Nicomachus diligenter exposuit. Hunc primum Madaurensis Apuleius, deinde magnificus vir Boëtius Latino sermone translatum, Romanis contulit lectitandum.* Ibidem: *Huius disciplinae tota vis in exemplis, additionibus et detractionibus partium est sita. Quam partem qui volet plenissime pernosse, Apuleium legat, qui primus Latinis haec argumenta illustravit.* Isidor. Orig. L. III. *Numeri disciplinam apud Graecos primum Pythagoram autumant scripsisse, ac deinde a Nicomacho diffusius esse compositam; quam apud Latinos primus Apuleius, deinde Boëtius, transtulerunt.* De ipsis operibus Appuleii Arithmeticis nihil constat. Suspicatur Colvius Librum *de Numeris* inscriptum ab eo fuisse, quem inter Deperdita Appuleii enumerat etiam Fabricius. Nicomachi Arithmeticam transtulisse Appuleium, e Cassiodoro colligas cum Wowerio.

DE MUSICA. — Cassiodorus de Musica: *Fertur etiam Latino sermone et Apuleium Madaurensem instituta huius operis effecisse.* Musicen attigisse se ipse profitetur Appuleius Florid. N. 21.

LUDICRA ET CONVIVALES QUAESTIONES. — Macrob. Saturn. L. VIII. cap. 3, *Cum videas anceps esse omne scommatum genus; suadeo in conviviis, in quibus laetitiae insidiabitur ira, ab eiusmodi facessas: et magis* CONVIVALES QUAESTIONES *vel proponas, vel ipse dissolvas. Quod genus veteres ita ludicrum non putarunt, ut et Aristoteles de ipsis aliqua conscripserit, et Plutarchus, et vester Apuleius.* quae ad verbum fere transcripsit Ioannes Sarisberiensis Policratici sive de Nugis Curialium L. VIII. cap. 10. Sidon. Apollin. IX. Ep. 13. *Quoties epulo mensae lautioris hilarabere, religiosis narrationibus vaca. Iis proferendis, confabulatio frequens; iis re-*

(1) Citantur a Servio ad Virg. Georg. II. 126. (2) Ad Solin. p. 12.

redicendis sollicitus studiis inserviat. Certe si saluberrimis avocamentis, at qui adhuc iuvenis, tepidius inflecteris; a Platonis Madaurensi saltem formulas mutare Convivalium Quaestionum. Quaque redderis instructior, has solve propositas, has propone solvendas, iisque te studiis et dum otiaris exerce. Imp Severus, Epistola ad Senatum de Clodio Albino, apud Iul. Capitolin. *Maior fuit dolor, quod illum pro literato laudandum plerique duxistis, cum ille naeniis quibusdam anilibus occupatus, inter Milesias Punicas et Ludicra Literaria Apuleii sui consenesceret.* Ipse Appul. in Apol. p. 391. *Primo igitur legerunt e* Ludicris *meis Epistolium de dentifricio, versibus scriptum ad quemdam Calpurnianum* etc. Non apparet igitur quale fuerit opus, ad quod respexerunt Macrobius, et Apollinaris, aut Severus et ipse Appuleius. Lubet tamen adscribere Seriverii notam eius Edit. Appul. p. 376. „ *Libri Ludicrorum, (opinor) quorum obscure veteres meminerunt, cum Quaestionibus Convivalibus, quae plurium auctoritate clarae, cognati argumenti fuerint. Suadere videtur Macrobius, qui totum hoc scribendi genus ludicrum vocat, ex quo etiam, cuius argumenti fuerint, colligere licet; nam Plutarchum eiusdem argumenti libros reliquisse tradit. Quo pertinet, quod in Floridis legimus, Apuleium inter alia scripsisse griphos. Moris enim fuit γρίφους, seu quaestiones ambagibus involutas in conviviis ad solvendum proponere. De quibus praeter Hesychium, Suidam, Scholiasten Aristophanis, Athenaeus Lib. X. ex Clearcho et aliis. Pollux κυλίκεια ζητήματα vocat. Sed Convivales Quaestiones Apuleii non ab urbanitate dicteriorum et salibus tantum quibus in conviviis ludebant, verum etiam a praeceptis salubribusque monitis commendantur, et quidem voce Apolinaris.*" Pleraque haec desumsit Scriv. e Wowerio, qui putat in Libris Ludicrorum tractasse Appuleium illud dicteriorum et cavillationum genus, quo inter pocula delectabantur veteres, sed quod cum contumelia alterius coniunctum; unde dissidia et rixae saepe obortae: in Convivalibus Quaestionibus vero magis ingenuam et seriam iocandi rationem.

Oratio de Maiestate Aesculapii. — Habuit Appuleius hanc Orationem primis diebus quibus Oeam venerat, eamque Orationem celebratissimam esse testatur Apol. p. 517. Ad nos tamen non pervenit.

Dialogus et hymnus in honorem Aesculapii. — Meminit horum Appuleius Florid. N. 18. In Dialogo loquentes fecit Sabidium Severum et Iulium Persium, ita ut Severus Latine loqueretur, Persio vero Romanae linguae partes essent datae. Hymnus quoque utraque lingua compositus fuit: sed ambo perierunt.

Libri Physici. — Librum scripsisse Appuleium, cui titulus fuerit, Naturales

Quae-

Quaestiones, vulgo creditum, ex Apol. p. 478. sed eum locum nos aliter constituimus et exposuimus. Apparet tamen ex eo, Appuleium utraque lingua scripsisse opus de piscibus et reliquis animalibus. Ibid. p. 492. dicit, se de particulis omnium animalium, de situ earum, deque numero, deque causa conscribere: ex quo opere defloratos esse, qui exstant sub nomine Sexti Placiti, sive Platonici Iatrosophistae Afri, Libellos duo de remediis animalium et avium, editos a Francisco Emerico Oppuriano, Gabriele Hummelbergio et Andrea Rivino, non sine magna veri specie suspicatur Fabricius.

De Re Rustica. — Citatur aliquoties Appuleius in Geoponicis, et Lib. I. cap. 16. dicitur Ῥωμαϊκὸς, h. e. Latinus scriptor. Palladius quoque De re rust. L. I. tit. 35. *Apuleius asserit semina bubulo felle maceranda, antequam spargas*. Fortasse tamen scriptum id fuerat in opere de Arboribus.

Oratio pro statua Oeae sibi locanda. — Meminit huius Orationis Augustin. ad Marcell. Ep. 5. aiens, Appuleium *pro statua sibi apud Oeenses locanda adversus contradictionem quorumdam civium litigasse*, et *posteros ne lateret eiusdem litis orationem scriptam memoriae commendasse.*

Satyrae et Griphi. — Ipse Appul. Florid. N. 9. *Pro his praeoptare me fateor, uno chartario calamo conficere poëmata omne genus, apta virgae, lyrae, socco, cothurno: item satyras, ac griphos.* Hinc inter poëtas Satyricos Appuleius quoque recensetur a Casaub. de Satyr. Poësi L. II. c. 3. p. m. 301.

Menandri ’ΑΝΕΧΟΜΕΝΟΣ. — Elegantissimum hoc, sed obscoenum poëmation Appuleio a nonnullis esse abiudicatum, videre est e Burmanni nota. Tamquam genuinum Appuleii citat Hugo Grotius ad Iacobi IV. 2.

Hermetis Trismegisti Asclepius, de Natura Deorum dialogus, sive, de Natura Deorum ad Asclepium adlocuta. — Versionem Latinam Hermetici Dialogi de Deo, homine et mundo, cum Asclepio habiti, praesentibus Ammone et Tatio, Appuleio nostro tribuunt alii (1), abiudicant alii (2). Atque adeo, si suffragiorum numero causa unice sit iudicanda, Hermetici Dialogi versio Latina ab Appuleio non est profecta. Sed audiamus argumenta. Qui eam Appuleio revera tribuunt, nituntur auctori-

(1) Albertus ad Eyb. Margar. Poët. I. 4. Betuleius ad Lactant. VII. 13. Cudworth. Syst. Intell. p. 383. Ed. Ienens. et, ut videtur, Pricaeus ad Met. L. I. p. 158. Append. Appul.

(2) Colvius, Wowerius, Elmenhorstius, Scriverius, Floridus, Lambecius in Prodrom. Hist. Liter. p. 141. Fabricius Bibl. Gr. L. I. c. 8. et ibi Harlesius. In medio relinquere videtur Cannegieterus ad Caton. Distich. Ed. Arntzen. p. 398.

ritate MStorum omnium, in quibus inter alia Appuleii opera Asclepius quoque Appuleio tribuitur. Excipio tamen MS. in Bibl. D. Marci, quem infra inter MSS. enumerabo. Praeterea infirmum hoc est argumentum, ubi idoneae afferri possunt rationes, quae auctori abiudicandum opus illud suadeant. Et Colvius quidem in fine vitae Appuleii, suae editioni praemissae: „ *Non bene*, inquit, *illi etiam de stilo filoque orationis* „ *Apuleianae iudicare videntur*, *qui ab eo Asclepium Hermetis Trismegisti e Graeco* „ *in Latinum conversum volunt*, *interque eius scripta numerare et excudere non* „ *dubitant; cum eo dialogo*, *quantum ad verba et ad phrases*, *vix quidquam in* „ *tota lingua Latina exstet ineptius.*" Wowerii autem iudicium eiusmodi est: „ *Sunt qui Asclepium Hermetis Trismegisti dialogum*, *tanquam ab Apuleio versum* „ *inter eius opera vulgare solent. Impellere illum poterat auctoris dignitas et ar-* „ *gumenti praestantia: sed oratio plane sicca et exsanguis*, *nihilque simile habens* „ *cum Apuleiana ubertate et laetitia.*" Idem de stilo huius versionis, Appuleio non tribuendae, iudicant Elmenh et Scriv. Lubet denique adscribere iudicium Harlesii Bibl. Gr. Vol. I. p. 63. „ *Primum non omnes codices praefixum habent*, *uti vidi-* „ *mus* (Harles. quoque MS. D. Marci laudaverat) *nomen Apuleii*, *interpretis: dein* „ *Apuleius de libris Hermeticis*, *eorumque cum philosophia Platonica consensione* „ *nunquam disserit; quod cur non fecerit*, *ne divinando quidem intelligi poterit:* „ *denique*, *cur veteres scriptores*, *atque ipse Augustinus*" (et Lactantius, quorum uterque alibi Appuleii scripta laudat) „ *nomen Apuleii*, *si fuisset interpres*, *reticuis-* „ *sent*, *perspectu erit difficile.*" Post diligentem Appuleii lectionem, nulla, ut mihi videbar, praeiudicata opinione occupatus, ad Hermetis dialogum legendum me converti: et inveni quidem in eo rariora quaedam vocabula, quibus Appuleius quoque usus est, *impossibilis*, *medietas*, alia; aut eiusmodi, quae ab eius sermone non abhorrent, ut *humanitas*, de genere humano, *adunatus*, *sustollere*, *mutescere*, *vivificare:* sed totus dialogi stilus ab Appuleiano adeo prorsus diversus est, ut ab auctore nostro eum non esse profectum, audacter ausim affirmare. Non Graecorum frequentes illae imitationes; non periodi paribus membris procedentes, quibus intemperantius delectabatur Appuleius; non adverbiorum creber usus; non reliquae Appuleiani stili proprietates, in Asclepio comparent: sed contra, voces inauditae, *inaltatus* pro, in altum evectus, *transiet* pro, transibit, *ambitudo*, *inaversabilis*, *salvatus* et quaedam aliae. Delectatur interpres Latinus inchoativis, ad fastidium usque, quod in Appuleio non deprehenditur. Sic pag. 320. Ed. Bip. legitur: *Coelum humescens*, *vel arescens*, *vel frigescens*, *vel ignescens*, *vel clarescens*, *vel sordescens in una coeli specie*, *hae sunt quae saepe alternantur species.* Dein vox *benedictiones*, et locutio

pas-

passio poenarum, et similes, ab Appuleio proficisci potuisse mihi non videntur. *Angelos*, diversos a Daemonibus, qui memorantur p. 321. et *angelos nocentes* p. 309. (quos ἀγγέλους πονηροὺς vocaverat Hermes. (1)) si ex hoc dialogo et sua ipsius versione novisset Appuleius, eorum haud dubie in Libro de Deo Socratis meminisset, aut in sua versione de illis verbo monuisset. Sed qui penitus sibi persuadere volunt, Asclepii versionem ab Appuleio confectam non esse, ii legant Aristotelicum Librum περὶ κόσμου ab auctore nostro Latine versum: et ut appareat aliquomodo huius comparationis ratio, apponam hic istius versionis specimen, prout sese mihi offert:

Aristoteles.

Ὅταν οὖν ὁ πάντων ἡγεμών τε καὶ γενέτωρ, ἀόρατος ὢν ἄλλως πλὴν λογισμῷ, σημήνῃ πάσῃ φύσει μεταξὺ οὐρανοῦ τε καὶ γῆς φερομένῃ, κινεῖται πᾶσα ἐνδελεχῶς ἐν κύκλοις καὶ πέρασιν ἰδίοις ποτὲ μὲν ἀφανιζομένη, ποτὲ δὲ φαινομένη, μυρίας ἰδέας ἀναφαίνουσά τε καὶ πάλιν ἀποκρύπτουσα ἐκ μιᾶς ἀρχῆς. Ἔοικε δὲ κομιδῇ τὸ δρώμενον, τοῖς ἐν πολέμου καιροῖς μάλιστα γινομένοις, ἐπειδὰν ἡ σάλπιγξ σημήνῃ τῷ στρατοπέδῳ. Τότε γὰρ τῆς φωνῆς ἕκαστος ἀκούσας, ὁ μὲν ἀσπίδα ἀναιρεῖται, ὁ δὲ θώρακα ἐνδύεται, ὁ δὲ κνημίδας, ἢ κράνος, ἢ ζωστῆρα περιτίθεται. καὶ ὁ μὲν ἵππον χαλινοῖ, ὁ δὲ συνωρίδα ἀναβαίνει, ὁ δὲ σύνθημα παρεγγυᾷ. καθίσταται δὲ εὐθέως, ὁ μὲν λοχαγὸς εἰς λόχον, ὁ δὲ ταξίαρχος εἰς τάξιν, ὁ δὲ ἱππεὺς ἐπὶ κέρας, ὁ δὲ ψιλὸς εἰς τὴν ἰδίαν ἐκτρέχει χώραν. πάντα δὲ ὑφ' ἕνα σημάντορα κινεῖται κατὰ πρόσταξιν τοῦ τὸ κράτος ἔχοντος ἡγεμόνος· οὕτω χρὴ καὶ περὶ τοῦ σύμπαντος φρονεῖν.

Appuleius de Mundo p. hui. Ed. 357.

Quum igitur rex omnium et pater, quem tantummodo animae oculis nostrae cogitationes vident, machinam omnem iugiter per circuitum suis legibus terminatam, claram et sideribus relucentem, speciesque innumeras modo propalam, saepe contectas, ab uno, ut supra dixi, principio agitari iubet: simile istuc esse bellicis rebus, hinc liceat arbitrari. Nam quum tuba bellicum cecinit, milites clangore incensi, alius accingitur gladio; alius clypeum capit; ille lorica se induit; hic galea caput, vel crura ocreis involvit; ille equum temperat frenis, et loris iugales ad concordiam copulat; et protinus unusquisque competens capessit officium. Velites excursionem adornant, ordinibus principes curant, equites cornibus praesunt, ceteri negotia, quae nacti sunt, agitant: quum interea unius ducis imperio tantus exercitus paret, quem praefecerit, penes quem est summa rerum. Non aliter di-

vi-

(1) Cf. Lactant. II. 15.

vinarum et humanarum rerum status regitur, etc.

Graeca Dialogi Hermetici interciderunt, praeter pauca fragmenta, quorum insigniora, collata versione Latina, apponam.

Hermes apud Lactant. IV. 6.

Ὁ κύριος καὶ τῶν πάντων ποιητὴς, ὃν θεὸν καλεῖν νενομίκαμεν, ἐπεὶ τὸν δεύτερον ἐποίησε θεὸν ὁρατὸν καὶ αἰσθητὸν (αἰσθητὸν δέ φημι οὐ διὰ τὸ αἰσθέσθαι αὐτὸν, περὶ γὰρ τούτου οὐκ ἔστι πότερον αὐτὸς αἴσθοιτο, ἀλλ' ὅτι εἰς αἴσθησιν ὑποπέμπει καὶ εἰς νοῦν) ἐπεὶ τοῦτον ἐποίησε πρῶτον καὶ μόνον καὶ ἕνα, καλὸς δὲ αὐτῷ ἐφάνη καὶ πληρέστατος πάντων τῶν ἀγαθῶν ἡγίασέ τε καὶ πάνυ ἐφίλησεν ὡς ἴδιον τόκον.

Interpres Latinus.

Dominus et omnium conformator, quem recte Deum dicimus, quem a se secundum fecerit, qui videri et sentiri possit, eundem secundum sensibilem ita dixerim, non ideo quod ipse sentiat (de hoc enim, an ipse sentiat, an non, alio dicemus tempore) sed eo, quod videntium sensus incurrit. Quoniam ergo hunc fecit ex se primum et a se secundum, visusque est ei pulcher, utpote qui sit omnium bonitate plenissimus, amavit eum ut divinitatis suae partem.

Hermes apud Lactant. VII. 18.

Ἐπὰν δὴ ταῦτα ὧδε γένηται, ὦ Ἀσκλεπιὲ, τότε ὁ κύριος καὶ πατὴρ καὶ θεὸς καὶ τοῦ πρώτου καὶ ἑνὸς θεοῦ δημιουργὸς, ἐπιβλέψας τοῖς γενομένοις καὶ τῇ ἑαυτοῦ βουλήσει τοῖς τοιούτοις, τὸ ἀγαθὸν ἀντερείσας τῇ ἀταξίᾳ, καὶ ἀνακαλεσάμενος τὴν πλάνην, καὶ τὴν κακίαν ἐκκαθήρας πῆ μὲν ὕδατι πολλῷ καταλύσας, πῆ δὲ πυρὶ ὀξυτάτῳ διακαύσας, ἐνίοτε δὲ πολέμοις, καὶ λοιμοῖς ἐκπιέσας ἤγαγεν ἐπὶ τὸ ἀρχαῖον καὶ ἀπεκατέστησε τὸν ἑαυτοῦ κόσμον.

Sed Graeca haec pluribus in locis corrupta sunt.

Interpres Latinus.

Cum haec cuncta contigerint, o Asclepi, tunc ille Dominus et pater et Deus primipotens, et unus gubernator mundi, intuens in mores factaque voluntaria voluntate sua, quae est Dei benignitas, vitiis resistens, et corruptelae omnium, errorem revocans, malignitatem omnem vel alluvione diluens, vel igne consumens, vel morbis pestilentibus ubique per diversa loca dispersis finiens, ad antiquam faciem mundum revocabit.

Tan-

Tandem speciminis loco apponam Gratiarum actionem, qua Dialogus clauditur: „ *Gratias tibi agimus, summe et exsuperantissime. Tua enim gratia tantum sumus cognitionis tuae lumen consecuti. O nomen sanctum et honorandum, nomen unum, quo solus Deus est benedicendus religione paterna, quoniam omnibus paternam pietatem, et religionem, et amorem, et quaecunque est dulcior efficacia, praebere dignaris! Condonas nos sensu, ratione, intelligentia. Sensu, ut te cognoscamus. Ratione, ut te suspicionibus indagemus. Cognitione, ut te cognoscentes gaudeamus. Ac numine salvati tuo gaudemus, quod te nobis ostenderis totum. Gaudemus, quod nos in corporibus sitos aeternitati fueris consecrare dignatus. Haec est enim sola humana gratulatio, cognitio maiestatis tuae. Cognovimus te, [et] lumen maximum, solo intellectu sensibili. Intelleximus te, o vitae vera vita, o naturarum omnium foecunda praegnatio. Cognovimus te, totius naturae tuo conceptu plenissime: cognovimus te, aeterna perseveratio. In omni enim ista oratione adorantes bonum bonitatis tuae, hoc tantum deprecamur, ut nos velis conservare perseverantes in amore cognitionis tuae, et nunquam ab hoc genere vitae separari. Hoc optantes convertimus nos ad puram et sine animalibus coenam.*"

Stilus versionis Asclepii, nostro quidem iudicio, Tertulliani orationi quam Appuleii videtur similior. Quaedam sane locutiones auctorem indicare videntur, qui si minus ipse Christianus fuerit, certe Christianorum scripta lectitaverit. Huc refero locutiones, *mundanus homo*, de corpore humano, *benedicere Deum*, *salvatus*. Notandum etiam quod ab interprete Asclepii *dominari* genitivo iungitur p. 323. *Coelestes Dii Catholicorum dominantur;* quod legere me non memini nisi apud unum Tertullian. Apologet. cap. 26 extr. *nunquam dominaturi eius, si non ultimo deliquisset in Christum.* Sed quisnam fuerit auctor versionis Asclepii, non affirmo, modo ne Appuleio tribuatur. Vixit certe ante tempora Augustini, a quo versionem lectam esse constat e L. VIII. de Civ. Dei cap. 23, 24 et 26. et Orat. de 5 haeresibus cap. 3. Ceterum de ipso Hermete eiusque Asclepio vide Fabric. Bibl. Gr. L. I. c. 8. Viris Doctis ibi citatis add. Beausobre Histoire Critique de Manichée et du Manicheisme Tom. II. p. 36. et 101, 202. ubi de Basilide: *Cette Théologie est tout-à-fait la même, que celle de cet ancien Gnostique, qui, si je ne me trompe, florissoit à Alexandrie, dans le même temps que Basilide (c'est-à-dire, dans le tems de Trajan et d'Adrien) et qui a pris le nom de Mercure Trismegiste.* Quem locum scriptum inveni in fronte Edit. Mercurii Trismegisti cum comm. Rosselii, quae olim fuit Wyttenbachii V. Cel.

Tractatus de Diphthongis, sub Appuleii nomine, cum aliis tractatibus eiusdem argumenti Ioannis Tortellii, Guarini Veronensis, Gasparini Pergamensis aliorumque scriptis ad rem Grammaticam pertinentibus, invenitur in Cod. Chartac. Colbertino, nunc in Bibl.

Reg. Paris. N. 7553; item olim in Bibliotheca Marq. Gudii, *Libellus de notis adspirationis et de diphthongis* in Cod. MS. Incipit libellus: *Omnis adspirationis nota aut principalis est syllabarum, aut terminalis, aut media.* Suspicatur Fabricius, huius libelli auctorem esse Caecilium Appuleium Minutianum, Grammaticum Gyraldo laudatum, cuius libri duo de Orthographia dicuntur manu exarati exstare in Bibl. Vaticana et aliis quibusdam. Inter alia laudat *Hieronymum*, *linguae Hebraeae*, ut ille quidem loquitur, *indubitanter peritum.*

De Ponderibus et mensuris ac signis cuiusque ponderis liber. — Sub Appuleii Madaurensis nomine circumfertur libellus e Graeco Latinus factus per Io. Baptistam Nicolaum, cum libello de notis sive signis vel characteribus ponderum et mensurarum incerti auctoris. Fabricius delegat lectorem ad Supplem. operum Ioannis Mesuae Damasceni, Venet. apud Iuntas 1558. fol. p. 304 et 309, apud Valgrisium a. 1575. fol. et ibidem apud Iuntas 1589 et 1623. fol. Gaspar Wolfius, eodem Fabricio teste, Apulienum sive Apulium quemdam auctorem vocat, ut notavit Labbeus in Parte secunda Bibliothecae numariae.

Liber de Herbis, sive de Nominibus ac virtutibus Herbarum, Al. De medicaminibus Herbarum, Al. De Herbis, Al. Herbarium, Salmasio, De Remediis Salutaribus. — De hoc opere an Madaurensem nostrum habuerit auctorem non minus in diversa abeunt Viri Docti. Appuleio Celso medico, qui Augusti temporibus vixit, et quo Scribonius Largus usus est praeceptore, tribuit illud Barth. Advers. XXXVII. 23. dubitanter tamen, cum Wowerio, aliis. Sed notarunt alii, Herbarii huius auctorem Dioscoridem Pliniumque legisse, atque adeo serioris fuisse aetatis. Imo totum ex Plinianis rebus verbisque concinnatum esse, notat, praeter Bodaeum a Stapel. p. 321. ad Theophrastum, Salmasius ad Solinum p. 254. 261. et aliis in locis, qui ibid. p. 12. *a nono decimo*, ait, *libro Plinii verus Apuleius exorsus erat Libros suos* De Remediis salutaribus *inscriptos, quos totos Plinii verbis contexuerat in Epitomen redactis. Grande fragmentum huius Apuleiani tractatus penes me est in antiquissimis membranis, descripti literis maiusculis, sive ut vocant capitalibus, quod nobis magno usui fuit ad eruendam veram lectionem in aliquot Plinianis fere desperatis, et quae nec ipse sanasset Aesculapius sine huius fragmenti ope: ita sinceriorem ubique scripturam conservavit Codex ille, quam Pliniana exemplaria, qui vetustior est omnibus Plinianis exemplaribus.* Pugnat etiam quodammodo contra eos qui Appuleio Celso, medico, Herbarium tribuunt, ipsius prologus, quo cives suos ita alloquitur auctor: „ *Ex pluribus paucas herbarum vires et curationes corporis ad fidem veritatis monumentis publicis tradidi, et succinctius con-*

strin-

strinxi, ob stupiditatem verbosam professionis. Et dicemus, medicorum omnes ferme res venditationes potius esse quam curas. Hos etiam homines inertia plerumque et imperitia enixos; certe lucripetas veros nuncupari, qui etiam a mortuis mercedes expetunt per occasionem, et faciunt reditus dum tempus curationum extrahunt, puto quia saeviores ipsis morbis existunt. Proponamus ergo remediorum titulos, quos vel nunc maxime tempus conducit, ut civibus meis, sociis quidem et peregrinis, quibus vexatio acciderit aliqua corporalis, nostra literata scientia, invitis etiam Medicis, profuisse videatur. Apparet ex hisce, Libelli auctorem Medicinam ipsum non factitasse, sed eiusdem artis fuisse peritissimum, qualis fuit Madaurensis noster Appuleius, a cuius moribus etiam non abhorret illa gloriatio de literata sua scientia; uti nec vox *Lucripeta*, efficta ad similitudinem Plautinae *Lucrifuga*, aliena est ab Appuleiano stilo. Et sane, ut mihi quidem videtur, totum herbarium Appuleiani sermonis proprietatem multo magis redolet, quam Asclepii versio, de qua supra dictum. Leguntur quidem in eo vocabula, quae nec in Appuleio, neque alibi, quod sciam, legas, sed quae tamen eleganter satis ficta sunt ad rem propositam indicandam; et supra vidimus, Appuleium in Libris, quos de Historia Naturali scripserit, illud praesertim egisse, ut novis vocabulis Latinis enunciaret, quae a Graecis essent disputata. Huc referri possunt, *agnatio* cap. LIX. et LXII. de tuberculis, quae ligno aut ramulis agnascuntur; *folliculosum* cap. LIII. de papavere, a folliculis; *rotundula* cap. XIII. *floscellus* cap. XLIX. *humorosus* cap. LI. *vomificus* cap. CVIII. Gr. ἐμετικός. *Fulvaster* cap. CIX. Gr. ὑπόξανθος, quod et *subfulvus* verti posset. *Mictualis* cap. CXVII. Gr. οὐρητικός. *Amorificus* cap. CXXIII. Gr. ἐρωτικός. *Insufflare* cap. CXXVIII. Gr. ἐμφυσᾷν. *Memorant etiam appellari viperalem, eo quod interfectibilis earum comprobetur.* cap. LXXXIX. Gr. φονικὸς vel θανάσιμος τῶν ἐχιδνῶν. Notanda quoque locutio *antequam thus sciretur*, pro, cognitum esset, cap. LXXV. et *simulans folia*, pro, foliorum similitudinem referens, cap. CXIII. cf. CXXIII. Adverbia inaudita, sed ab Appuleii usu non abhorrentia, sunt *deintus* cap. LXXIII. *summotenus* cap. LXXV. *abinvicem discernuntur* cap. CXI. Inveni etiam cap. XXXI. τὸ *luxus*, quartae decl. pro luxatione, quod legitur quoque apud Appul. Florid. N. 16. ubi Oudend. affirmat, id nusquam alibi legi. *Viror* cap. CXXIV. et App. Flor. N. 10. *Prosternere terrae* cap. CIX. et App. Met. L. IX. p. 663. vid. Oud. ad L. de Mundo p. 310, a. Nihilominus Appuleio Madaurensi Herbarium non esse tribuendum, plurimorum Doctorum est sententia. Fabricius quidem suspicatur, ex Appuleii nostri Medicinalibus, quorum apud Priscian. L. VI. mentio, et aliis auctoribus, collectum contractumque esse, quae est etiam opinio Arpii, de Talisman. et Amuletis cap. 5. Bandinii in Ind. Catal. MSS.

Latin. Medic. Contra, nec illos de Medicina libros a nostro auctore esse profectos, opinatur Scipio Gentilis ad Apol. supra p. 493. me minime adsentiente, qui Fabricii opinioni libenter accedo, cum quia Herbarii stilus quaedam habet ab Appuleiano non abhorrentia, cum quia philosopho nostro Platonico nugas tribuendas esse, quibus scatet Herbarium, mihi persuadere non possum: cuiusmodi nugae sunt ex. gr. cap. XXIII. „*Herbam chamaemelon siquis ante Solis ortum carpserit, et dicat: Ad albuginem oculorum te carpo ut subvenias; et eam alligatam secum gestat, iuvat.*" Similia deliramenta alibi passim legas. Ex variorum auctorum operibus esse conflatum, inde etiam colligere licet, quod leguntur in Herbario vocabula, quae non nisi apud Rei Medicae aut Agrariae scriptores hodie exstant, ut *remediare*, *commanducari*, *verticillus*, *panicula*, *suffumigare*. Auctores in Herbario citantur, praeter antiquiores Osthanem, Zoroastrem, Pythagoram, Dardanum, Dioscorides, cap. CIX. Andreas, cap. LXVII et seq. medicus, cuius et Plinius meminit, et Soranus, cap. LXXIX et CIX; sic enim legendum, non, ut editum, *Foranus*. De Soranis Medicis vid. Fabric. Bibl. Gr. L. VI. cap. 7. Multa huic libro deesse, colligas ex Indice; ei praemisso in Cod. MS. Colbertino. cf Catal Bibl. Reg. T. IV. p. 286. Plura de hoc libro legi possunt apud le Clerc Histoire de la Médécine Part. III. L. 3. c. 9. et in centuria Plagiariorum num. 58. notante Fabric in Bibl. Lat. ex qua sequentia hausta sunt. Editum est Herbarium inter Appuleii opera in Editionibus Basileensibus, et sub Appuleii Platonici nomine cum Antonii Musae libello de Betonica (quem Barth. Adv. XXXVIII. c. 1. habet pro parte Herbarii Appuleiani) ad Marcum Agrippam, Basil. 1528. fol. ad calcem Plinii Valeriani, ex recens. Albani Torini, et anno 1537. 4. Tiguri, cum commentario Gabr. Hummelbergii, qui ab Appuleio ipso ita scriptum esse non ambigit, nisi quod fatetur, multa, nunc quidem circa nomenclaturas, nunc circa herbarum descriptiones et historiam illi deesse, codicesque maxime depravatos ac pluribus locis mire varios ad nos pervenisse. Io. Rhodius ad Scribonium laudat editionem Appuleii *de Herbis* Parisiensem, Aldina locupletiorem, anni 1529. quam Io. Philipp. de Lignamine dederit. Habet illa Ed. quaedam additamenta in Aldino cod. recte praetermissa. In Pandectis Brandeburgicis ita huius Libri fit mentio: *Apuleii, seu huius, seu Apuliensis, liber de medicamentis vel viribus herbarum, quem a Chirone Centauro praeceptore Achillis et Aesculapio accepit auctor.* Thomas Iohnsonus, Londinensis, praefatione ad Ioannis Gerardi historiam emaculatam, coniicit, parum credibili coniectura, Appuleium de herbarum virtutibus Graece scripsisse, et vixisse ante annos circiter 700. Idem refert, in 2 Codd. MSS. vocari Appuleium *Apoliensem*. Constantinopolin autem dictam *Apoley*, ex Philippo Ferrario notat Ioannes Raius. Nomina barbara plantarum, quae apud Ap-

pu-

puleium occurrunt, ex Arabica et Coptica lingua illustrare conatur Kircherus T. III. Oedipi Aegyptiaci pag. 69 seqq. Vide et T. II. part. 2. p. 177 seq. atque Salmasium de homonymis hyles iatricae.

Ratio Sphaerae Pythagoricae quam ex MS. Cod. vulgavit Barth. L. XXX. Advers. c. 7. Sub Appuleii nomine invenitur etiam in aliis MSS. ut in Bibl. Reg. Paris. N. 7418. v. Catal. T. IV. p. 355. et in MS. Voss. N. 31. in Bibl. Lugd. Bat. Cat. p. 370. et in 2 Bodleian. Catal. MSS. Angl. et Hibern. N. 1871 et 2072. De rota Pythagorica consuli posse Ge. Paschium in Inventis Novantiquis p. 600. et Kircherum T. II. Oedipi part. 2. pag. 491. notat Fabric. qui addit: *Merito quidem Ios. Scaliger Ep.* 181. *haec nugis adscribit canoris, quas negat assis se facere.*

Epistolas inter deperdita Appuleii opera recensent etiam Wower. et Fabricius, quas editas ab auctore fuisse, nusquam inveni: nisi quod e Ludicrorum Libris Epistolium, versibus scriptum, laudatur Apol. p. 391. Sed epistolas ad Caerelliam, ab Ausonio memoratas in Cent. Nupt. Appuleio a viris doctis falso tributas fuisse patet e notatis a Gronovio et Tollio ad locum illum Ausonii.

Carmen de Virtutibus Scipionis Orfiti se composuisse testatur App. Flor. N. 17. et Librum, quo Carthaginiensibus gratias ageret, et Aemiliani Strabonis laudes efferret, confecturum se pollicetur Florid. N. 16.

Postremo in Catal. Bibl Lugd. Bat. p. 373. Appuleio tribuitur *libellus in Aristotelis Perihermenias*, ex MS. Voss. n°. 70. sed falso. Nam in MS. eo, post Ciceronis Topica et Boëthii in ea commentarium, est Periermeniarum liber, ut vocatur, Aristotelis, a Boëthio translatus, in cuius fine haec adscripta sunt: *Explicit liber Periermeniarum Aristotelis, cuius obscuritati maximam lucem infudit non solum duplex commentum Boëtii sed etiam futilis libellus Apuleii Madaur.* Tunc continenter, sed a nova linea, sequitur *de IIII speciebus argumentorum*, qui tractatus non nisi unam columnam istius MS. complet, neque dici potest maximam lucem Aristoteli infundere. Verum libellus iste Appuleii (*utilis* legendum videtur, non *futilis*; nam *futilis* et *maximam lucem infundere* contraria sunt) libellus iste intelligitur L. III. de Dogm. Plat. sive περὶ ἑρμηνείας, qui et alibi in MSS. cum Aristotelis dicto libro et Boëthii in eum commentario saepius coniunctus legitur. cf. infra de MSS. Videntur autem pauca illa de quatuor speciebus argumentorum, aut e Boëthii commentariis esse desumta, aut nescio unde excerpta.

Hisce de vita et scriptis Appuleii disputatis, addamus veterum et recentiorum quorumdam de eo testimonia.

DE APPULEIO TESTIMONIA.

Imp. Severus Epist. ad Senatum de Clodio Albino apud Iul. Capitolinum.

Maior fuit dolor, quod illum pro litterato laudandum plerique duxistis, cum ille naeniis quibusdam anilibus occupatus, inter Milesias Punicas Appuleii sui consenesceret.

Palladius de Re Rusticâ, Lib. I. Tit. XXXV.

Appuleius asserit semina bubulo felle maceranda antequam spargas.

Marcellus de Medicamentis in Epist. ad filios.

Veteres Medicinae artis auctores, Latino sermone perscripti, Appuleius et Celsus et Apollinaris.

D. Hieronymus in Psalm. 81.

Non est grande facere signa, nam fecere signa in Aegypto Magi contra Moysen, fecit et Apollonius, fecit et Appuleius.

Lactantius Div. Instit. Lib. V. cap. III.

Item cum facta eius mirabiliter destrueret, nec tamen negaret; voluit ostendere Apollonium vel paria vel etiam maiora fecisse. Mirum quod Appuleium praetermisit, cuius solent multa et mira commemorari.

Marcellinus ad D. Augustinum.

Sed tamen etiam ego in hac parte, quia plurimis quidquid rescripseris profuturum esse confido, peccator accesserim; ut adeo vigilantius respondere digneris, in quibus nihil aliud Dominum quam alii homines facere potuerunt, fecisse vel legisse mentiuntur. Apollonium siquidem suum nobis et Appuleium, aliosque Magicae artis homines in medium proferunt, quorum maiora contendunt extitisse miracula.

D. Augustinus ad illum, Epist. V.

Quis autem vel risu dignum non putet, quod Apollonium et Appuleium, caeterosque artium Magicarum peritissimos conferre Christo, vel etiam praeferre conantur.

Et post:

Appuleius enim, ut de illo potissimum loquamur, qui nobis Afris Afer notior, non dico ad regnum, sed nec ad aliquam quidem iudiciariam potestatem cum omnibus suis Magicis artibus potuit pervenire: honesto patriae suae loco natus, et liberaliter educatus, magnâque praeditus eloquentiâ. An forte ista, ut Philosophus voluntate contem-

tempsit, cui sacerdos Provinciae pro magno fuit; ut munera ederet venatoresque vestiret, et pro statua sibi apud Oeenses locanda, ex quâ civitate habebat uxorem, adversus contradictionem quorumdam civium litigaret? Quod posteros ne lateret, eiusdem litis Orationem scriptam memoriae commendavit. Quod ergo ad istam terrenam pertinet felicitatem, fuit magnus quoad potuit. Unde apparet, cum nihil amplius fuisse, non quia noluit, sed quia non potuit. Quamquam et adversus quosdam qui ei Magicarum artium crimen intenderant eloquentissime se defendit.

Idem ad Deogratias, Epist. XLIX.

Et tamen si hoc quod de Iona scriptum est, Appuleius Madaurensis, vel Apollonius Tyaneus fecisse diceretur, quorum multa mira nullo fideli auctore iactitant, quamvis et Daemones nonnulla faciant Angelis sanctis similia, non veritate, sed specie, non sapientiâ, sed plane fallaciâ: tamen, si de istis, ut dixi, quos Magos vel Philosophos laudabiliter nominant, tale aliquid narraretur.

Idem de Civit. Dei Lib. IV. cap. II.

Quae uno loco Appuleius breviter stringit in eo libro, quem *DE MUNDO* conscripsit.

Idem Lib. VIII. cap. XII.

Recentiores tamen Philosophi nobilissimi quibus Plato sectandus placuit, noluerunt se dici Peripateticos, aut Academicos, sed Platonicos. Ex quibus sunt valde nobilitati Graeci, Plotinus, Iamblichus, Porphyrius: in utrâque autem linguâ, id est, Graecâ et Latinâ, Appuleius Afer extitit Platonicus nobilis.

Paulo post:

Haec si ita sunt, quae licet apud alios quoque reperiantur, Appuleius tamen Platonicus Madaurensis de hac re solâ unum scripsit librum, cuius titulum esse voluit *DE DEO SOCRATIS*. Ubi disserit et exponit, ex quo genere Numinum Numen sibi Socrates habebat adiunctum et amicitiâ quadam conciliatum; a quo perhibetur solitus admoneri, ut desisteret ab agendo, quando id quod agere volebat prospere non fuerat eventurum. Dicit enim apertissime et copiosissime disserit, non eum Deum esse, sed Daemonem: diligenti disputatione pertractans istam Platonis de Deorum sublimitate, et hominum humilitate, et Daemonum medietate sententiam.

Ibidem deinde:

Aut ergo fallitur Appuleius, et non ex isto genere numinum habuit amicum Socrates, aut contraria inter se sentit Plato, modo Daemones honorando, modo eorum delicias a civitate bene moratâ removendo: aut non est amicitia Daemonis gratulanda: de qua usque adeo et ipse Appuleius erubuit, ut *DE DEO SOCRATIS* praenotaret

ret librum: quem, secundum suam disputationem, quâ Deos a Daemonibus tam diligenter copioseque discernit, non appellare *DE DEO*, sed *DE DAEMONE SOCRATIS* debuit. Maluit hoc in ipsâ disputatione, quam in titulo libri ponere. Ita enim per sanam doctrinam quae humanis rebus illuxit, omnes vel paene omnes Daemonis nomen exhorrent; ut quisquis ante disputationem Appuleii, quâ Daemonum dignitas commendatur, titulum libri *DE DAEMONE SOCRATIS* legeret, nequaquam illum hominem sanum fuisse sentiret. Quid autem etiam ipse Appuleius quod in Daemonibus laudaret, invenit, praeter subtilitatem et firmitatem corporum, et habitationis altiorem locum? Nam de moribus eorum, cum de omnibus generaliter loqueretur, non solum nihil boni dixit, sed etiam plurimum mali. Denique, lecto illo libro, prorsus nemo miratur, eos etiam scenicam turpitudinem in rebus divinis habere voluisse: et, cum Deos se putari vellent, Deorum criminibus oblectari potuisse, et quicquid in eorum sacris obscoenâ solemnitate, seu turpi crudelitate vel ridetur, vel horretur, eorum affectibus convenire.

Idem eodem Lib. cap. XIX.

Postremo ipse Appuleius numquid apud Iudices Christianos de Magicis artibus accusatus est? Quas utique sibi obiectas, si divinas, et pias esse noverat, et divinarum potestatum operibus esse congruas, non solum eas confiteri debuit, sed etiam profiteri; leges culpans potius, quibus haec prohiberentur et damnanda putarentur, quae haberi miranda et veneranda oporteret. Ita enim vel sententiam suam persuaderet iudicibus, vel si illi secundum iniquas leges saperent, cumque talia praedicantem atque laudantem morte multarent, digna animae illius Daemones dona rependerent (sic leg. ut monuit Gentil. non *reprehenderent*,) pro quorum divinis operibus praedicandis humanam vitam sibi adimi non timeret.

Et post:

Huius autem Philosophi Platonici copiosissima et disertissima extat oratio, quae crimen artium Magicarum a se alienum esse defendit: seque aliter non vult innocentem videri, nisi ea negando quae non possunt ab innocente committi.

Idem Lib. X. cap. XXVII.

Quanto humanius et tolerabilius consectaneus tuus Platonicus Appuleius erravit, qui tantummodo Daemones a Luna, etc.

Idem Lib. XII. cap. X.

Unde et Appuleius cum hoc animantium genus describit: *Sigillatim*, inquit, *mortales, cunctim tamen universo genere perpetui.*

Idem

Idem Lib. XVIII. cap. XVIII.

Nam et nos cum essemus in Italiâ, audiebamus talia de quadam regione illarum partium: ubi stabularias mulieres imbutas his malis artibus in caseo dare solere dicebant quibus vellent seu possent viatoribus, unde in iumenta illico verterentur, et necessaria quaeque portarent, postque perfuncta opera iterum ad se redirent: nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanamque servari. Sicut Appuleius in libris quos *ASINI AUREI* titulo inscripsit, sibi ipsi accidisse, ut accepto veneno, humano animo permanente, asinus fieret, aut iudicavit aut finxit.

Christodorus, Poëta Thebanus Lib. V. Anthologiae.

Εἰς Ἀπουλήϊον Χριστοδώρου.

Καὶ νοερῆς ἄφθεγκτα Λατινίδος ὄργια μούσης
Ἄζετο παπταίνων Ἀπυλήϊος, ὅντινα μύστην
Αὐσονὶς ἀῤῥήτου σοφίης ἀνεθρέψατο σειρήν.

Ausonius Cent. Nupt.

Ne forte mores meos spectent de carmine; Lasciva est nobis pagina, vita proba: ut Plinius dixit. Meminerint autem, quippe eruditi, probatissimo viro Plinio in poëmatis lasciviam, in moribus constitisse censuram: prurire opusculum Sulpicii, nec frontem caperare: esse Appuleium in vita philosophum, in Epigrammatis amatorem.

Commentator vetus Horatii ad Epod. XV.

Simili modo etiam Appuleius scribit *DE ASINO AUREO*, animam suam fuisse in corpore asini, meminisseque se devexisse plurima segmenta et onera in Aegyptum.

Macrobius Saturnal. Lib. VIII. cap. III.

Cum ergo videas, mi Aviene, instituenda est enim adolescentia tua, quae ita docilis est, ut discendo praecipiat; cum videas, inquam, anceps omne esse scommatum genus; suadeo in conviviis, in quibus Laetitiae insidiabitur Ira, ab eiusmodi dictis facessas: et magis *CONVIVALES QUAESTIONES* vel proponas, vel ipse dissolvas. Quod genus veteres ita ludicrum non putarunt, ut et Aristoteles de ipsis aliqua conscripserit, et Plutarchus, et vester Appuleius.

Idem in Somn. Scipionis Lib. I. cap. II.

Fabulae in bonam frugem repertae sunt, velut Comoediae, quales Menander eiusve imitatores agendas dederunt, vel argumenta fictis casibus amatorum referta, quibus vel multum se Arbiter exercuit, vel Appuleium nonnunquam lusisse miramur.

Servius Honoratus in VIII. Aeneid.

Sunt enim numina aliqua tantum Coelestia, aliqua tantum Terrestria, aliqua Media; quos Deos Appuleius Medioxumos vocat, hoc est, qui ex hominibus Dii fiunt.

Sidon. Apollinaris, Lib. II. Epist. ad Hesperium.

Sisque oppido meminens, quod olim Martia Hortensio, Terentia Tullio, Calpurnia Plinio, Pudentilla Appuleio, Rusticiana Symmacho, legentibus meditantibusque candelas et candelabra tenuerunt.

Idem Lib. IV. ad Claudianum Ep. 3.

Si reare quemquam mortalium, cui tamen sermocinari Latialiter cordi est, non pavere cum in examen aurium tuarum, quippe scriptus adducitur: tuarum, inquam, aurium, quarum peritiae, si me decursorum ad hoc aevi temporum praerogativa non obruat, nec Frontonianae gravitatis aut ponderis Appuleiani fulmen (*nam sic leg. e MSS. non* flumen) aequiparem; cui Varrones, vel Atacinus, vel Terentius, Plinii, vel avunculus vel secundus, compositi, impraesentiarum rusticabuntur.

Aurel. Cassiodorus Dialecticae compendio.

Tertiae formulae inveniuntur species sex. quas omnes atque eius generis alia qui plenius nosse desiderat, legat librum Appuleii Madaurensis, qui de hac re eleganter et copiose disseruit.

Idem ibidem.

Appuleius Madaurensis syllogismos categoricos breviter enodavit.

Priscianus Lib. X.

Dispesco, *dispescui*, quod ponit Appuleius in Dialogo qui est *DE DEO SOCRATIS: cum et habitacula summa ab infimis tantâ intercapedine fastigii dispescant*, id est, distent.

Isidorus Originum Lib. II.

Has formulas categoricorum syllogismorum qui plene nosse desiderat, librum legat qui inscribitur ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ Appuleii, et quae subtilius sunt tractata cognoscet.

Fulgentius Placiades de prisco sermone.

Appuleius *ASINO AUREO* introducit sororem Psyches marito detrahentem dicere: *Patre meo seniorem maritum sortita sum, dein quovis pumilo pumiliorem, et cucurbita glabriorem.*

Idem ibid.

Choragium, virginale funus vocatur. Appuleius *METAMORPH. Choragio itaque perfecto, domuitionem parant.*

Idem ibidem.

Edulium ab edendo dicitur praegustativa comestio. Appuleius *ASINO AUREO: Eduliis opipare excepta.* Opipare, id est, laute, et deliciose.

Idem

Idem Mytholog. Lib. III. de Psyche.

Appuleius in libris *METAMORPHOSEON* hanc fabulam planissime designavit, etc. *quae vide, et ibi fabulae Psyches expositionem.*

Io. Salisberiensis de Nug. Curial. Lib. VI. cap. XXVII.

Et hic quidem non est meus sermo, sed quem omnium sapientium coetus concelebrat, et quem in libro qui inscribitur *DE DEO SOCRATIS* facile est invenire. Cuius verba, propter elegantiam sensuum et orationis lepidam venustatem, curavi inserere: ut his quae scribuntur promptius adhibeatur fides; cum de purissimo fonte majorum eadem profluxisse constiterit. Ait itaque Appuleius: etc.

Deinde:

Haec Appuleius eleganter quidem et splendide.

Idem Lib. VII. cap. VI.

Ex quibus valde nobilitati sunt Graeci, Plotinus, Iamblichus, et Porphyrius Catholicae, ut dicitur, fidei pessimus impugnator. In utraque vero Linguâ, Graecâ scilicet et Latinâ, nobilis extitit Appuleius Afer: vir magnus in primis, et qui venustate morum et dicendi copia Socraticum fontem et Platonicum torrentem facile redoleat vel tenuiter sapienti.

Idem Lib. VIII. cap. X.

Verum quia Laetitiae in conviviis frequenter insidiatur Ira, ab eiusmodi dictis temperandum est, et *QUAESTIONES CONVIVALES* in omnes proponendae sunt aut solvendae. Quod genus ita veteres ludicrum non putarunt; ut et Aristoteles aliqua de ipsis scripserit, et Plutarchus, et Appuleius, cum Frontone.

Idem Epist. CLXXII.

Ut ait Appuleius in libris *DE DEO SOCRATIS*, laudem celeritatis simul et diligentiae nemo assequitur.

Vincentius Beluacensis Specul. Historiar. Lib. IV. cap. VII.

De Appuleio multa loquitur Augustinus, in libris de Civitate Dei. Huius reperi duos libros, unum de Vitâ et Moribus Platonis, alium qui intitulatur *DE DEO SOCRATIS.*

Carolus Magnus de non adorandis imaginibus, Lib. IV.

Dicente Appuleio Platonico Philosopho Madaurensi, in libro qui inscribitur περὶ ἑρμηνείας.

Fridericus de Re Accipitrariâ.

Pelicani qui ab Appuleio dicuntur cofani.

P. Blesensis Epist. LXXXV.

Cicero, et Appuleius, et Augustinus, et Hieronymus testantur plus esse animam quam corpus.

RECENTIORUM ALIQUOT

DE APPULEIO EIUSQUE OPERIBUS IUDICIA.

Volaterranus Anthologia, qui est Comment. Urbanorum, Lib. XIII.

Lucius Appuleius Philosophus Platonicus e Madaura Africae oppido, patrem habuit Theseum, matrem Salviam, ut ipsemet in Metamorphoseos libris testatur. Athenis liberales artes adsecutus, Platonis decreta sibi proposuit ante omnia sectanda. Omnigenae vir eloquentiae, et diversam ab antiquis ingressus viam, novum dicendi genus adsumpsit. In verbis enim novus, in sententiis creber, in translationibus audax, in inventione acutus, in elocutione varius, ut in ipsius operibus licet deprehendere. Nam libros undecim Metamorphoseos scripsit de Asino Aureo, Lucianum imitatus Sophistam, etc.

Galeottus Martius Lib de Dictis et factis Mathiae Corvini Regis Hungaricae cap. X.

Tenebat praeterea (Rex Mathias) Apologiam, et in operibus Appuleii Platonici ita detritus, ut eius dogma omnino calleret: unde et apud eum Theologi, Philosophi, Medici, Poëtae, Oratores, et Astrologi, qui omnes disciplinas profitebantur, frequentes erant.

Gaspar Barthius Adversariorum Lib. XIX. cap. XV.

Quem scriptorem omnium nobis maxime fecimus obnoxium, eius perpetuam illustrationem ideo ad tempus deseruimus, ne cura illa alias nobis prorsus interstingueret, etc. Scriptorem nos loqui eruditissimum, ingeniosissimum, eloquentissimum, L. Appuleium norunt fortasse qui nostras curas hactenus promulgatas non fastidierunt, etc.

Idem Lib. XX. cap. VII.

Penu perpetuum eruditionum est Madaurensis Philosophus; unde nec mirum post tot aliorum observationes, nobis novam talium messem quotidie succrescere. Scioli, et delicatae naris magistri aliorsum pastam suam quaesitum abeant: nos institutum eius illustrandi promptius persequemur.

Idem Lib. XLVI. cap. XVI. in medio.

Et Appuleius proprietatis Latinae amator eximius (qui splendide mentitus est in Pro-

Prooemio sui Operis, de eâ Linguâ a se aerumnose perceptâ, et difficulter scribendâ, cum affectet semipoëticum dictionis genus, et fabulam ipsâ stili novitate commendare voluerit) *sempiternam viciniam amnis*, dixit Lib. I. Metamorphos. etc.

Et locis his innumeris totius Operis Adversariorum varios Appuleii locos illustrans, eius honorifice meminit.

Iustus Lipsius Epistolicarum Quaest. Lib. II. Epist. XXII.

Ego vero Appuleii lectionem abhorrendam non censeo, quidquid isti de Arpinati scholâ investes pueri dicant. Ciceronem admirantur? Laudo. Et scilicet nos eo modo non scripsimus, aut scribere nunc, si res ferat, non possimus. Sed non hoc agitur. Et ut dem illis ad eloquentiam Ciceronem unicum esse: intelligere et sapere tamen est a multis. Quanquam, illum ipsum Appuleii stilum quod contemnunt, vellem parcius. Et canus ab istis discipulis ad iudices ex Lege Pompeiâ triginta annorum. Tumidus fortasse, vegrandis, et adfectatae elegantiae scriptor est: at certe doctus litteras et mores veteres, et in sermone ipso Plauti in primis imitator. Itaque ille nescio quis Rhetorista, qui rudere illum dixit, non loqui: probet prius de Plauto, et credam de Appuleio. Sed Afer ille fuit, et est nimirum etiam nunc in Italiâ odium Poenorum, etc.

Id. Ibid. III, 12.

Amat unice (Appuleius) uti voces Plauti. Et sunt tamen, qui illum ut barbarum rideant, medius fidius barbari ipsi.

Idem Lib. Electorum I. cap. XVIII.

Appuleii graviora quaedam intexere huic capiti constitui, et hanc operam gratificari doctis. tantum doctis, quos magni facere scriptorem illum, et multa haurire quotidie ex eius fontibus, satis mihi constat. At vos, Tulliani pueri, bonum factum, si hoc caput non tangetis.

Idem Lib. II. Electorum, cap. XXI.

De Appuleio non sum nescius quid vulgus hodie sentiat, et quid melior doctorum ordo. Iacet apud illum, stat vigetque apud istos, hoc saltem talo, quod nugarum illum ludum temperet, ac misceat crebro velut sale priscae ac reconditae doctrinae. Doctrinae in moribus dico, et in verbis. Nam stilum eius quod ineptum esse volunt, fatebor in parte (nec enim asperitatem illam et horrorem quaesitae dictionis usquequaque excuso.) Sed tamen docte ineptum, et e quo multa bona selectaque hauriat bonae electaeque mentis Lector. Verba non pleraque omnia proba? propria? phrasis non saepe florida? metaphoris et imaginibus amoena? mihi sic videtur: etsi in universo orationis filo, scabrum illud, et ex adfectatâ nimis antiquitate horridum, radit saepe et

et laedit meas aures. Sed hic quoque duo ei patrocinantur, Patria et argumentum. Ortu enim Afer fuit: quibus velut insitum in sententiis inventionibusque acutis esse: asperis durisque in sermone. Iam argumentum miscellum ei est, et Satyricum, quod amat hunc cultum quaesitum, pinguem, et squallenti quodam auro. Varronis Fragmenta e Satyris vident? etiam examinent. reperient ea haud longe esse a Milesiis istis Punicis, et inculti cultûs stilo.

Ludovicus Vives Comment. in D. Augustin. de Civit. Dei. L. VIII. c. 19.

Exstant (Appuleii) Apologiae duae de Magia, in quibus exuit nimiam illam sermonis lasciviam, et antiquaria et audacter innovata verba: adcommodavitque se forensi dicendi generi, sed ita tamen, ut nescio quo pacto, Appuleium internoscas temporaria persona contectum.

Cudworth. Syst. Intell. cap. IV. p. 524. *Ed. Ien.*

Iam quid de Appuleio dicam? cuius commentitiis miraculis Deorum amici, quemadmodum et Apollonii Tyanaei mirabiliter factis, caussam suam teneri conabantur. Multis ille librorum suorum locis unum profitetur excellentissimumque Numen, ex quibus unum referre placet: „ Quum summus Deorum cuncta haec non solum cogitationum ratione consideret, sed prima, media et ultima obeat, compertaque intimae providentiae ordinationis universitate et constantia regat."

B. Pius Annot. Prior. pag. 367. *Thes. Crit. T. I.*

Lucium Appuleium Madaurensem florentissimi stili, nitidissimique characterismi, fuisse, si Sidonio credamus atque Fulmineo, quem Platonicorum eruditissimum Augustin. de Civ. Dei L. VIII. iudicat, cuius opinamina et sententias aemulabundus, non pauca Platonice protulit. At is aureus libellus et bracteatus quem non genium, quam non habet charitem! cf. id. Annot. post. ibid. p. 446.

Gruter. Suspic. L. I. c. 11.

Non nemo est, cui Appuleius vilet, nec indignor. Idem ei potius dixero, quod pictor cuidam Zeuxidis Helenam adspernanti: *Meis oculis utere, dices divinam.* Mihi, hercles, Appuleius apprime placet, placeret magis, si ad hanc aetatem pervenisset purus putus. Nunc, plures ipsi adfectae maculae, quam vulgus facile credat etc.

G. I. Vossius de Anal. L. IV. c. 8.

Si nunquam veteres sic essent locuti, credo nec ita loqui ausus fuisset Appuleius, quem antiquitatis verba sedulo adeo sublegisse, nemo ignorat.

Nic. Heinsius Syll. Epist. Burmanni Vol. V. p. 783.

Appuleius est dignissimus quem castigatiorem publice legamus: quum vix scriptor alius plus leporis atque urbanitatis cum tanta eruditione coniungat.

Pri-

Pricaeus Apolog. p. 84.

Scriptor cum primis purus, elegans, Latinus est: leporis et amoenitatis pater, norma proprietatis.

Id. ad Met. L. IV. supra hui. Ed. p. 233.

Doctissime et signantissime passim se explicat bipes asinus noster: ubi male feriati homines inscitia antiquitatis non tantum absone loqui eum, sed et rudere existimant.

Gataker. Diss. de Novi Instrumenti stylo cap. 5.

Appuleium unum e sequioris aevi scriptoribus seligamus. Hunc Tullius, si ad vivos redire concederetur, quin maxima ex parte intelligeret, nullus ambigo. Nec tamen stylum Appuleianum ideo pure Latinum aut Romanum esse assentiri quisquam me adegerit.

Id. ibid. cap. 8.

Quis Tertulliano in suo genere disertior? quis Appuleio locupletior? figuris ac pigmentis rhetoricis abundat uterque; alter etiam luxuriat. Quae narranda suscepere, adeo vivis coloribus describunt, vel depingunt potius, sed diversimodo prorsus, ut legentium oculis ipsis exhibita et exposita videantur. — Ecquis tamen Appuleium aut Tertullianum etiam, de dictionis Latinae puritate praedicet? Ecquis non Afrum magis quam Romanum dicendi characterem in utroque agnoscat?

Iac. de Rhoer Feriae Daventr. p. 225.

Multa sunt apud Madaurensem inepta et futilia, multa etiam praeclara et iucunda.

Aliorum de Appuleio eiusque dictione iudicia citantur in Morhofii Polyhist. L. IV. cap. 13. §. 3.



ELEN-

ELENCHUS CODICUM MSS. QUIBUS APPULEII OPERA CONTINENTUR.

Brevem indicem Codicum MSS. qui in castigando Appuleio Editoribus usui fuere, singulis libris praemisimus, ut haberet Lector, quo compendia referret, quibus MStorum Variae Lectiones passim laudantur; de iis autem MSS. e quibus ad veram Appuleii scripturam constituendam nullum adhuc adiumentum accesserit, breviter quoque nos dicturos esse, promisimus initio animadversionum ad Apologiam. Quoniam vero postea deprehendimus, Viros Doctos, qui Codd. Appuleii, per varias Europae bibliothecas dispersos, oculis usurparunt, eorumque recensum dederunt, de eorum bonitate iudicium omnino nullum, de aetate vero, non satis subtile, plerumque tulisse: parum exspectationi lectorum satisfacere licet. Ne tamen prorsus promissioni nostrae deesse videamur, omnes Appuleii MStos, quorum subsidium in conficienda Oudendorpiana editione adhibitum est, aliquanto accuratius recensebimus, ut uno in conspectu videre possit studiosus Lector, quaenam copiae ad Appuleium expoliendum e MSS. sint petitae, aut adhuc petendae.

I. Agmen itaque ducant illi, quibus maxima Appuleio lux oborta est

MSS. Florentini duo, quorum varias lectiones Lindenbrogius cum Elmenhorstio communicarat, sed quorum collationem ipsius Lindenbrogii manu scriptam, Oudendorpio miserat Io. Alb. Fabricius. In excerptis, tam Lindenbrogii quam Elmenhorstii, duo hi MSS. promiscue citantur, licet, si minus bonitate, at certe aetate, discrepent. Raro in Exc. Lindenbr. MS. Longobardicus ab altero distinguitur.

Alter horum est Codex membranaceus MS. in folio, saec. XII. binis columnis, characteribus Longobardicis. Graeca vocabula, quae in Archetypo, unde descriptus est hic MS. maiusculis erant litteris expressa, picta potius quam descripta sunt, atque ita, ut scriptor Graecae Linguae prorsus ignarus fuisse videatur. Vid. in primis Apol. p. 482. hui. Ed. cf. et de Mundo p. 335 et 369. ubi tamen animadvertendum, formas literarum, prout scriptae erant in Excerptis, typis exprimi non potuisse. Fieri tamen potuit, ut iam in Ar-

che-

chetypo corrupta fuerint Graeca. Alibi certe, etiam in hoc Cod. Graeca prorsus desunt. cf. Apol. p. 466. Continet autem hic MS. *Madaurensis Apuleii Platonici de Magia Lib. II.* Post illa, *cuius legibus obedientem me videtis*, ubi vulgo Apologiae alteram partem incipere aiunt, haec leguntur: *Ego Crispus Salustius emendavi Romae felix.* ac deinde APULEII PLATONICI MADAURENSIS PRO SE DE ARTE MAGIA LIBER PRIMUS EXPLICIT. INCIPIT LIBER SECUNDUS. In fine quoque legitur, ut supra, *Apuleii Plat. Mad. pro se de Magia Liber II. explicit. Ego Salustius emendavi Romae felix.* Porro hoc Codice continentur *Metamorphoseon seu de Asino Aureo Libri XI.* In fine singulorum librorum, ultimo excepto, eadem Salustii subscriptio legitur; in calce vero Libri XI. aliquanto longior, hoc pacto: EGO SALUSTIUS LEGI ET EMENDAVI ROMAE FELIX, OLIBRIO ET PROBINO V. C. CONSS. [A. U. C. 1148. p. C. N. 395.] IN FORO MARTIS CONTROVERSIAS DECLAMANS ORATORI ENDELECHIO, RURSUSQUE CONSTANTINOPOLI RECOGNOVI CAESAREO [leg. *Caesario*] ET ATTICO CONSS. [A. U. C. 1150. p. C. N. 397.]

Subscriptio illa *Ego Sallustius legi et emendavi Romae felix*, legitur etiam post L. III. Metam. in MS. Lipsii, item post L. IX. qui ibi est VIII. et ante verba *post dies pluscules* init. L. X. in Cod. qui fuit olim Franc. Petrarchae, ut notavit V. D. ad marg. Ed. Vicent. item in MS. Pith. passim, et in MS. D'Orvill. post Apologiae partem primam, item in aliis MSS. Florentinis, vid. Montfauc. Bibl. Biblioth. p. 344 et 374 et in MS. Vaticano, vid. Sirm ad Sidon. Apollin. L. IV. Ep. 8. ubi agit de Endelechio oratore, quem eundem esse putant, cuius exstat de Mortibus Boum carmen. cf. Burman. ad Vales. L. 1. de Crit. p. 181. Aliorum istiusmodi subscriptionum exempla vide apud Lindenbrog. ad Terent. Andr. extr.

Sed ut ad Cod. MS. revertamur. Continet is, praeter Apologiam et Metamorphoses, etiam Floridorum Libros. In calce legitur nomen Francisci Aretini, cuius esse notas quasdam marginales et interlineares, quae passim in hoc Cod. inveniuntur, arbitratur Bandinius in Catal. Codd. Latinorum Mediceorum T. II. p. 4. e quo plurima ad hunc Cod. describendum hausi. Bandinium autem hunc MS. descripsisse didici ex Ruhnkenii V. Cel. praefat. p. VIII.

Alterum Codicem Florent. a Lindenbrogio collatum, eum esse, quem describit Bandinius l. c. p. 654. idem monet Ruhnken. Describitur autem ita, ut sit Cod. Membranaceus in fol. saec. XV. nitidissimus, cum correctionibus quibusdam in margine, et initialibus librorum litteris, auro variisque coloribus eleganter depictis. In fine haec adscripta sunt litteris partim rubris, partim nigris: *Antonius Marius Florentinus transcripsit Florentiae XII. Kal. Iulii MCCCCXXV. Liber Petri de Medicis Cos. fil.* Spatia ad Graeca exscribenda passim vacua relicta sunt. Continentur hoc Cod. Liber *de Deo Socratis*, cum duobus ultimis Floridorum fragmentis, quae vulgo huic libro addi solent; *Hermetis Trismegisti Aegyptii de* . . . . . (lacuna est) *ad Asclepium Liber*; Libri *de Dogmate Platonis*, ut in hac Oudend. Editione dividuntur, Primus et Secundus, sed ita ut unum efficiant Librum, et postrema Libri I. verba, cum primis Secundi ita coniungantur: *veluti singillatim*

tim exaequatum cunctis partibus dividitur. Verum enimvero tunc exitium: copo: moralis philosophiae caput est etc.; *de Mundo* Liber; *Metamorphoseon* Libri XI. cum epigraphe: *Ego Sallustius legi et emendavi Romae felix.* (Maioribus litteris partim rubris, partim nigris adscriptum est: *Apuleii Platonici Madaurensis Metamorphoseon Liber ultimus explicit, quem transcripsi cum duobus incorruptissimis exemplaribus me inscio, neque cognito. Correctus deinde et emendatus per me ipsum scriptorem cum optimo atque vetustissimo exemplari MCCCCXXV. Valeas feliciter;*) Appuleii *pro se apud Claudium Maximum Procos. Africae Orationes duae de magia;* (in fine orationis primae additur: *Ego Crispus Sallustius emendavi Romae felix*, et secunda inscribitur, *Pro uxore Pudentilla apud Claudium Maximum Procos. Africae.*) denique *Floridorum Libri IV.* Non omni ex parte haec descriptio convenit cum variis lectionibus, quae a Lindenbrogio sunt enotatae. In fine Lib. I. de Dogm. Plat. certe de illa lectione *copo*, quae totidem literis exstat in MS. Voss. nihil monuit Lindenbrogius. In fronte vero Var. Lect. Libri I. de Dogm. Plat. Lindenbrogius MS. quem contulit, vocat *Florentinum D. Marci.* Quare primo suspicatus sum, alterum Florent. ab illo collatum, eum esse, quem describit Bandin. T. II. p. 834. ubi est Cod. N°. II. Plut. LXVIII. qui exstat sub N°. XXVIII. apud Montf. Continentur hoc Cod primo loco Taciti Libri XI. Tum *Apuleii Platonici Madaurensis de Magia Libri duo.* In calce libri primi, characteribus quadratis Romanis scriptum: *Ego Sallustius emendavi Romae felix. Apuleii Platonici Madaurensis prose aput Cl. Maximum Procos. de Magia Liber primus explicit. Incipit Liber secundus. Lege feliciter.* Itemque in calce Libri II legitur: *Apuleii Platonici Madaurensis Prosae de Magia Liber secundus explicit. Ego Sallustius* etc. Prior subscriptio plane convenit cum Excerpt. Lindenbrog. quae tamen non habent *τὰ Lege feliciter*, quae enotare operae pretium non duxisse potuit Lindenbrog. uti nec posteriorem subscriptionem, quam non enotavit quoque. Loca Graeca quae in Apologia leguntur sunt in hoc Cod. Graecis quidem characteribus, sed valde corruptis expressa. Recentior tamen ac docta manus eadem in margine emendate diligenterque conscripsit. Fortasse hinc petita est emendatio Graecorum verborum, quam Excerptis suis adscripsit Lindenbrog., pag. hui. Ed. 536, a sibique arripuit Elmenh. Praeterea reperiuntur in hoc Cod. *Metamorphoseon seu de asino aureo Libri XI*, cum eadem subscriptione, atque in Florent. priore, in calce singulorum librorum, exceptis Libro I et ultimo. In calce vero L. IX. ita: *Ego Sallustius legi et emendavi Romae felix Olibio et Probino V. C. Cons. in foro Martis causas declamans Oratori Endelechio. Rursus Constantinopoli recognovi Caesario et Attico Conss.* Tandem continet etiam Floridorum Libros. In principio Codicis haec legitur notula: *De XII. banco ex parte occidentis. Cornelius Tacitus et Opera Appuleii* etc. *Conventus S. Marci de Florentia Ordinis Praedicatorum de hereditate Nicolai Nicoli Florentini viri doctissimi.* Est hic Cod. Membr. in fol. saec. XI. charactere Longobardico, eumque admirabilem Codicem dici ab Holstenio in schedis MSS. testatur ibid. Bandin. Videtur esse idem, quem vidit Burnet. Itinerar. p. 138. Ed. Belg. qui notat, in hoc Cod. aliquoties diphthongorum duas vocales in unam literam esse contractas, quem scribendi

bendi morem non adeo antiquum esse putabat. Neque tamen hic esse potest Cod. D. Marci quem laudat Lindenbrog. quia non habet Libr. de Dogm. Plat. Sed videntur variae lectiones a Lindenbrogio e diversis Codd. Florent. esse notatae. Apparuit autem mihi e Lindenbrogii excerptis, cum Metamorphoseon et Floridorum libros, itemque Apologiam, cum 2 MSS. Florentinis, reliqua vero opera cum uno Florentino contulisse.

Itaque non clare apparet, quinam sint Codd. Florentini, quorum variae lectiones ab Elmenhorstio et Lindenbrogio citantur: nam complures exstant Florentiae auctoris nostri Codices. Praeter iam memoratos, in Pluteo LXXXIV. a Bandinio Catal. T. III. p. 254. laudatur Cod. XXIV. mirae pulchritudinis in fol. saec. XV. quo continentur *de Deo Socratis*, *Trismegistus*, *de habitudine doctrinaque et nativitate Platonis philosophi Liber secundus*, *de habitudine doctrinaque Platonis Liber III*, *Metamorphoseon Libri XI.* Alius optime servatus, saec. XV. in cuius primae paginae infimo margine legitur: *Dalla Communita di S. Gimignano*, continet Metamorph. Libb. XI. Floridorum Libb. IV. cum scholiis marginalibus et interlinearibus. In fine rubrica notatum: *Explicit Liber quartus Floridorum Apuleii Platonici completus die XXVI. Jan. MCCCCXXII. hora XVI.* Tum additur index capitum, quae pertractantur in 2 Oratt. de Magia. V. Bandin. ib. p. 681. Alium Florentinum Appuleii MS. supra quam dici possit elegantissimum et ornatissimum vocat Bandin. T. II. p. 5. Cod. est membr. in fol. saec. XV. complectens Asclepium, de Dogm. Plat., de Mundo, Metamorph., Apolog. et Florid. Alios vide apud Bandin. ibid. et p. 529. et T. III. p. 107. et T. IV. p. 177.

II. MS. Lipsianus, ita dictus ab eo, qui praecipue hunc Codicem ad Appuleium castigandum adhibuit, Iusto Lipsio. Acceperat is eum a Victore Giselino, a quo iam antea eum suo usui impetraverat Groslotius Lislaeus, ut didici ex Gruteri Suspicionibus editis supra p. 426. ubi, operarum vitio, *Giselium* legitur pro *Giselini.* Est itaque *vet. cod. Giselini*, qui vocatur ad Met. L. X. p. 748, b. idem ac Cod. Lipsianus. Collatio Groslotii, enotata in marg. exemplaris Aldini 1521. quod in Bibl. Reg. Galliae adservatur, inde descripta est in marg. alius exemplaris Aldini, quod habuit Oudend. et nunc est in Bibl. Lugd. Bat. Non igitur hic est alius Cod. ut putasse videtur Ruhnk. praef. p. IX. Ante Giselinum possedit eum Lucas Fruterius. Continet Metamorphoses, exceptis iis quae de Psyche L. IV. V. et VI. narrantur, Florida et Apologiam. Lipsius hunc Cod. commodavit Colvio, qui nimis temere nonnunquam eius lectiones in contextum recepisse, arguitur a Pricaeo ad Met. supra p. 367, b. Lipsius ipse varias lectiones margini Ed. Bas. adscripsit, et eiusdem Codicis ea est collatio, quae ad oram Ed. Vulcan. post. facta est a Gerardo Vossio, cuius patrem MSti Lipsiani fuisse possessorem, didici ex Oudendorpii schedula. Quare non incerti Codicis est illa collatio, ut monuit Ruhnken. in praef. p. IX.

III. MS. Fuxensis sive Tolosani, adhibitus a Salmasio, (v. ad Solin. p. 662,) et Roaldo, qui eum hoc modo describit in *Libro Variarum Lectionum in Apuleii Metamorphosim ex C. MS. perantiquo Collegii Fuxensis exscrib. F. R. F. F.:* „ *Omnino vetus ille li-* „ *ber (quamquam elegantissimis literis exaratus) quod est in notis optimorum librorum,*

„ *non adeo vetustus et probus, sed ex pervetusto et longe optimo exemplari, ut videtur,* „ *descriptus est. Nam in eo variantes duae lectiones saepissime ipsi textui simul appinguntur. Porro librorum ordo ut numerus, alius est a vulgaria partitione, nempe XI. librorum cum MS. X. circumscribatur: ea mutatio incipit ab narratione fabulae Psyches,* „ *quae in vulgatis Lib. IV. annumeratur, in MS. Lib. V. esse incipit. Libri autem in* „ *quaedam veluti capitula tributi sunt, sine numero tamen et ratione: eorum ergo nullam* „ *rationem habuimus, cum nimiae prope diligentiae fuisset, ea suo quaeque loco indicare.*" Continet hic Codex praeter Metamorphoseon libros, etiam Apologiam, in cuius fronte eius mentionem facere neglexinus; quia non nisi perpaucas eius MS. lectiones potuimus adhibere, quas invenimus in marg. Ed. Vulc. licet saepe non potuerit distingui, fueritne adscripta lectio e Codice Fuxensi petita, an vero Salmasii coniectura. Ceterum suspicatur Oudend. hunc eundem Codicem esse cum Parisiensi ex Bibl. Episc. Tolosani, apud Montfauc. Bibl. p. 909, n°. 318. unde *Fuxensem seu Tolosani MS.* passim vocat; quia et ibi Metamorphoseon opus in X Libros distinguitur. Sed idem dicendum de MSto Regio, de quo infra, qui ubique fere cum Fuxensi conspirat.

IV. MS. D'ORVILLIANUS, ita dictus ab eius possessore Iac. Phil. D'Orvillio, a quo eum acceperat Oudend. Membrana est eleganter scripta, saeculi XIII. in parvo 4to. Servatur in Bibl. Lugd. Bat. in Legato Oudendorp. n°. 113. Caret autem primo folio, incipit Met. p. 77, hui. Ed. et continet Libros *Metamorphoseos qui et de asino aureo dicuntur*, et Apologiam, in duas partes, ut vulgo, divisam, quarum prima inscribitur: *Incipit primus liber Apulcii Platonici philosophi de Magia;* et in fine legitur haec subscriptio:

Ego Crispus Salustius emendavi rome felix, Apuleii Platonici madaurte set pro se apud claudium maxim̄ proconsulem de magia liber primus explicit. Alia deerant, sed deleta sunt. In fine totius Apologiae nulla subscriptio legitur, praeter verba: *Explicit Deo Gratias.* Accurata huius optimi Codicis collatione, ab ipso Oudendorpio instituta, (cf. Ruhnken. in praef. p. x.) multum adiumenti ad Appuleium expoliendum accessit, et plus etiam accessisset, nisi multis locis Codex esset lacunosus, qui ceteroquin cum Ed. Iunt. post. saepissime convenit.

V. MSS. GUELPHERBYTANI duo, a G. Cortio cum Colviano exemplari collati in Bibliotheca Gudii, qui eos in Italia emisse videtur, ut apparet ex Epist. Heinsii in Syllog. Epp. T. III. p. 484. cf. Cort. ad Plinii Epist. Hos Codd. quomodo describat Ernestus, videndum in praef. Ruhnken. p. x.

VI. MS. PALATINUS, collatus a I. Grutero, ad oram Edit. Colvianae, in Bibl. Lugd. Bat. v. Catal. p. 153. Habuisse se hanc collationem testatur Wow. in praef. aiens Gruterum librum illum cum plurimis MSS. Bibliothecae Palatinae contulisse. Sed in fine istius exemplaris Colvianae Edit. haec adscripta sunt manu Gruteri: „ *Explicit liber undecimus et ultimus Lucii Apuleii Platonici Mandorensis de asino aureo metamorphoseon. MS. Palatinus: quo unico tantum usus fui in istis Metamorph. libris, non pluribus; ut voluit Wowerius in praef. Apuleiana.*" Eiusdem collatio forsan est, quam Freherus instituit et pos-

sedit

edit Fabricius V. Bibl. Lat. T. III. p. 39. Contineri hoc codice videntur Metamorphoseon Libri, de Deo Socr. et de Dogm. Plat. Libri I et II. licet Wow. l. c. dicat se ex Palatino Cod. solos Metamorphoseon libros emendasse. Sunt sane variae lectiones in Libb. de Dogm. Plat a Grutero adscriptae, admodum paucae, sed in de Deo Socr. plures. Eundem quoque esse MS. quem adhibuit Vulcanius, (vid. eius praefat.) affirmat Oudend. Quod si verum est, continet etiam de Mundo Librum, et Hermetis Trismegisti dialogum.

VII. MS. Regius, in Bibl. Reg. Paris. n°. 5301[2]. secundum collationem, et Montf. Bibl. p. 756. sed Catal. MSS. eum n°. 8668. adsignat. vid Ruhnken. praef. p. IX. ubi corrigendum n°. 8667 in 8668. cf. Catal. MSS. Bibl. Reg. T. IV. p. 481. Codex membranaceus, olim Tellerianus, XV saeculi, quo solae continentur Metamorphoses, in libros tantum X. divisae. Nam Lib. IV. pag. huius Edit. 300. haec leguntur: *Lucii Apuleii Platonici Madaurensis Metamorphoseon Liber quartus explicit, incipit eiusdem liber quintus continens fabulam phsice formosissime puelle.* Dein L. VI. p. hui. Ed. 429. *L. A. Pl. M. Met. Liber quintus explicit, incipit sextus liber eiusdem.* Tum in fine Libri VIII. *L. A. Pl. M. Met. Liber sextus explicit, incipit septimus eiusdem;* et sic porro.

Collatus est hic MS. sumtu Oudendorpii, Parisiis, a nescio quo, qui scribit, esse praeterea in eadem Bibliotheca Codd. 2 alios membranaceos, in quorum antiquissimo exstat Latina interpretatio Isagoges Porphyrianae, Appuleio tributa; in altero, versio Libri περὶ ἑρμηνείας.

VIII. MS. Oxoniensis, sive Laudianus, dictus a veteri possessore Gulielmo Laudo, Archiepiscopo Cantuariensi, olim Pricaei, qui emerat Venetiis, an. 1629. collatus a Iac. Gronovio, et citatus passim a Pricaeo. Variae lectiones ad Metamorphoseon libros tantum enotatae sunt. An et alia opera contineat, nescio.

IX. MS. Cantabrigiensis, ab eodem Gronovio collatus Cantabrigiae. Continet de Deo Socratis Librum. Videtur esse Cod. ille, qui in Catal. MSS. Angliae et Hiberniae est n. 2375, post Gregorium Nazianzenum, Trogum Pompeium, Solinum, aliaque scripta. Alius Cantabrigiensis ibid. est n. 1009. MS. nitidissimae scriptionis, continens de Deo Socr. Librum, Hermetis Dialogum, De Dogmate Plat. L. I et II.

X. MS. Benedictinus, itidem a Gronovio collatus Cantabrigiae, continens Libros de Deo Socr. de Dogm. Platonis I et II. et de Mundo. Librum esse minimae auctoritatis affirmat Oudend. ad de Deo Socr. p. 160. hui. Ed. In Catal. MS. Angliae et Hiberniae laudatur MS. Benedictinus n. 1566. sed qui tantum Librum de Deo Socratis, post Macrobium, continet.

XI. MSS. Fulviani, duo: nam duos esse, colligas ex Scioppii notula ad Met. L. III. p. hui. Ed. 216, b. licet Wower. in praef. unum tantum memoret Fulvii Ursini codicem, qui, cum aliquot manu exaratis libris comparatus, lectiones et emendationes adscriptas exhibebat, quemque Romae a Scioppio sibi suppeditatum scribit. Reperiuntur in his membranis opera, quae Appuleio sine controversia tribuenda sunt, omnia, excepto libello

περὶ ἑρμηνείας. Varias earum lectiones exhibent Wowerius et Scioppius in *Symbola Critica in L. Apulei Platonici Opera*, edita Aug. Vindel. an. 1605, dein repetita Lugd. Bat. 1644 et Amst. 1664. Hunc Cod. vel eorum alterum suspicatur Oudend. esse MS. Vaticanum, ab aliis citatum: a Iac. Sirmondo nempe, ad Sidon. Apollin. vid. Heins. in Ep. ad Reginam Christinam inter Gudian. p. 9. et in Sylloge Burmann. T. V. p. 783. Quod si verum est, veterrimum est exemplar, si credas Sirmondo. Sed Burnetus in Itiner. Helvet. p. 138. Ed. Belg. affirmat, in Bibliotheca Vaticana Latinos MSS. vetustos admodum se non vidisse, exceptis Virgilianis.

XII. MS. Bertinianus, collatus a Fr. Modio. De hoc Cod. Colviano exemplari, quod possedit I. Chr. Wolfius, haec adscripta sunt, omnia eadem manu: „ *Libros hos omnes* „ *XI. de Asino aureo contuli cum MS. Sti Bertini, optimo illo quidem, sed in charta, sa-* „ *tis recenti characteris genere; ex eo igitur sunt omnes variantes, quibus aut nihil, aut* „ *M. literà adiuncta est. Arcae Postr. Kal. Octob. a. CIↃIↃLXXXIX. F. Modius.* „ *Communicavit mecum hunc cod. Illustris vir Marcus Velserus, Reip. Augustanae duum-* „ *vir A. CIↃIↃCIII.* Eidem exemplari Putschius adscripserat, se Palatini Codicis lectiones a Grutero accepisse, quarum pleraeque ibi etiam adscriptae erant. Hic Codex ad solos Metamorphoseon libros adhibitus est.

XIII. MSS. Bembinus et Manganus, quorum varias lectiones ab Erycio Puteano, sed parce, enotatas, exhibet Edit. Elmenh. In Epist. ad Elmenh. queritur Puteanus, se Bembini Codicis lectiones amico cuidam dedisse, qui eas perdidit.

XIV. MS. Anglicanus s. Paraei s. Etonensis, cuius varias lectiones in Metamorph. a Wassio accepit Oudend.

XV. MS. Zabarellae, nunc Patavii in Bibliotheca Publica, v. Montf. p. 482. collatus a Ferrario in Electis. Huius collationem forte possedit Ioh. Christoph. Wagenselius: nam testatur, se habere varias lectiones ex optimo Cod. ab Octavio Ferrario collectas, in dissertat. de fragmento Petronii Traguriano p. 141.

XVI. MS. Vossianus, Cod. membranaceus, sine columnis, distincta manu scriptus, continens: *Platonis Timaeum de generatione mundi Chalcidio interprete*, maiori characteris genere, quam reliqua, excepta ultima pag. *Ciceronis disputat. super Timaeo Platonis; Mercurii Trismegisti ad Asclepium dialogum, interprete L. Apuleio; L. Apuleii Madaurensis de Dogmate Platonis; Eiusdem de Philosophia Morali; Eiusdem de Mundo; Eiusdem de Deo Socratis*, cui libro, ut solent, praemissa sunt, duo ultima Floridorum fragmenta. Additur Theologicum aliquid alia manu.

XVII. MS. Vossianus alter, quem G. I. Vossius accepit a C. Barlaeo, nunc Romae servatur in Bibl. Ottoboni, vid. Montf. p. 185. Continet Metamorphoses et Florida. Collatus hic Cod. nondum videtur, nisi quod duobus locis eius varias lectiones citat Voss. de Anal. II, c. 20.

XVIII. MS. Pithoeanus, cuius varias lectiones Aldino exemplari adscripsit P. Pithoeus. Ad Apolog. huius Cod. variantes in margine Edit. Casaub. descripsit Oudend. ex

ex-

exemplari Colvii Ed. e Bibl. Reg. Gall. Plura de hoc Codice indagare non potui. Citatur de eo ab Oudendorpio, Salmas. Ep. 87. cuius libri inspiciendi facultatem frustra quaesivi.

XIX. MSS. BARTHIANI. In pervetusto Cod. Grammaticorum nonnullorum opuscula continente, Venetiis a se emto, Floridorum Appuleianorum excerpta invenit Barth. Adv. XVI. 8. qui ex hoc Cod. conatur probare, primum Floridorum excerptorem fuisse Placiadem Fulgentium. sed vid. Oudend. ad init. Florid. An hic idem sit MS. cum eo, e quo Metamorphoseon Lib. III. locum citat Advers. L. XXXII. c. 6. non liquet. Certe et eum Venetiis emtum (unde MS. VENETUS vocatur ab Oudend. ad Met. L. III. p. 199.) longeque esse optimum ait. Alium Cod. Metamorphoseon libros complectentem, rarae vetustatis librum, qui nihil vituperandum habeat, nisi *quod deformissime scriptus et consarcinatus* sit, praedicat id. Barth. Advers. L. XXIV. cap. 1.

XX. MS. PETRARCHAE, cuius varias lectiones ad Metamorph. orae Ed. Vicentinae adscripsit Vir Doctus.

XXI. MS. PUTEANEUS. Lindenbrogius contulit hunc Cod. Lutetiae Paris. anno 1601, eamque collationem Oudendorpio misit I. A. Fabricius. Continet haec collatio varias lectiones ad Libb. de Dogm. Plat. I, II. et de Deo Socr. Est itaque procul dubio MS. 6286. in Bibl. Reg. Paris. Cod. membranaceus, olim Puteani, qui XIV° saec. exaratus videtur. vid. Catal. Bibl. Reg. T. IV. p. 224. Continet etiam *Hermetis Trismegisti Librum ad Asclepium*, aliaque ab Appuleio non profecta.

XXII. MS. THUANEUS, continens Librum de Deo Socr. cum 2 ultimis Floridorum fragmentis, et parte Libri I. de Dogm. Plat. De hoc MS. vide Notitiam MSS. in fronte L. de Deo Socr.

XXIII. MS. HARLEMENSIS, membranaceus, in Bibl. Harlemensi n°. 8. Catal. p. 141. sine columnis, literis initialibus eleganter deauratis, quae tamen ante Hermetis Trismegisti Dialogum et Lib. de Dogm. Platonis exsectae sunt, ita ut ante Lib. de Deo Socr. tantum integra sit relicta. Continentur hoc Cod. *Lucii Apuleii Philosophi Platonici Asclepius seu Liber Hermetis Trismegisti de Natura Deorum;* foliis XIII, primo folio mutilato propter exsectam literam initialem. Fol. XIII° legitur *Apulei Madaurensis Platonis discipuli de Deo Socratis Liber incipit*, et tum fol. seq. *Liber Apuleii de Deo Socratis*, foliis IX; *Apuleii Madaurensis Platonis discipuli de Platone et eius Dogmate Liber*, foliis V; primo folio mutilato, ut in principio; sequuntur *Hermetis Trismegisti Poemander*, et alia opuscula octo. Sed Poemander et octo reliqui libelli alia manu scripti sunt, ac tres Appuleiani. In calce codicis adscripta haec leguntur: *Hunc librum comparavit Raphaël divina miseratione Episcopus Rosensis, Abbas Sti Bayonis, et quoad potuit correxit anno Dni* 1485, *die* 14 *Martii.* Membrana, licet non pervetusta videatur scriptura, tamen ex optimo exemplari descripta est, et bonas lectiones plerumque tuetur. Eius descriptio debetur Humanitati Doctissimi Viri Ab. de Vries.

XXIV. MSS. CUJACIANI tres, a Mercero adhibiti ad Lib. de Deo Socr. Eorum unum

esse

esse optimae notae, alium paulo recentiorem priori, sed ex optimo exemplari descriptum, tertium multo recentiorem et minus emendatum, testatur Mercerus.

XXV. MS. Fabri, item a Mercero adhibitus ad Lib. de Deo Socr. sed, ut ait Mercerus, multo deterior Cuiacianis.

XXVI. MSS. Becichemi. Mar. Becichemi Opuscula varia, a. 1504. eadem auctiora a. 1506. eadem ipsius Becichemi manu emendata et adaucta Paris. 1519. memorantur in Catal. Librorum N. Heinsii. Hic igitur Becichemus complures Appuleii MSS. habuisse videtur. cf. Colv. ad Metam. p. hui. Ed. 8. Citantur enim ab eo MSS. *Maripetri*, *Flaminii*, *Baduarii Beatiani*, *Moreti*, *Ciaziani*, aliusque, quem suum vocat. vid. Becichem. Epp. 58, 65, 71 et 72.

XXVII. MS. Bremensis, cuius varias lectiones ad Lib. de Deo Socr. citat Elmenh. qui idem liber videtur cum MS. Boumanni, quem contulit Lindenbrog. Alia de hoc Cod. comperire non potui.

XXVIII. MS. Leidensis. Sic vocatur MS. Lib. de Deo Socratis, quem contulit Lindenbrogius an. 1595. Ex hoc Cod. varias lectiones citat etiam Elmenh. sub titulo *Excerpt. Batav.* Neque de hoc Cod. quidquam aliud didici, neque ubi servetur, invenire potui. Ceterum probe ab eo distinguendus

XXIX. MS. Leidensis alter, qui hodieque in Bibliotheca Leidensi servatur, n°. 25. et in quo solus Liber περὶ ἑρμηνείας exstat; ut solet libellus iste in MSS. separatus esse a reliquis Appuleii operibus. Codex est membranaceus, optimae notae, in folio quadrato, sine columnis, continens *Expositionis in Periermenias Aristotelis commentarios Boëthii*, *et Apuleii librum* περὶ ἑρμηνείας.

XXX. MS. Nansii, a Colvio citatus ad Lib. περὶ ἑρμηνείας, qui scribit eum satis veterem, at non ex omni parte emendatissimum esse.

XXXI. MSS. Carnotenses duo, eumdem περὶ ἑρμηνείας librum continentes, a Florido citantur, qui eorum alterum ad saec. XI. alterum ad saec. X. refert. Plurimum hi MSS. contulerunt, ad corruptissimum illud Appuleii opusculum emendandum.

XXXII. MS. Petavianus eiusdem Libri περὶ ἑρμ. ex Bibl. Besheidii, postea ipsius Oudendorpii, in 4to. post Boëthii scripta quaedam. Codex optimus est, qui saepe cum Carnotensibus conspirat.

XXXIII. MS. Bononiensis, e quo variam lectionem in Met. L. IV. hui. Ed. p. 244. citat B. Pius in Thes. Crit. T. I. p. 368.

XXXIV. Scheda Cannegieteri. Diu quaesivi quaenam tandem esset *Sch. Canneg.* cuius variae lectiones aliquoties citantur ab Oudend. ad Florid. N. 8 et 9. Tandem inveni schedam membranaceam, quatuor paginarum MSti Appuleiani, quae olim compingendo libro cuidam inservivit. In ea distincta manu scripta legitur ipsa illa Floridorum pars, ad quam variae lectiones e *Sch. Canneg.* ab Oudend. sunt enotatae, inde a pag. hui. Ed. 27 extr. *et adhuc ex bonis paucis* (sic) *eruditi*, usque ad pag. 38. *nostram Camenam frui: non.* Floridorum Lib. II. incipit *Et Hippias* etc. litera initiali auro et coloribus depicta.

picta. Suspicor igitur, hanc schedam a Cannegietero accepisse Oudend. qui propterea eam vocaverit *Schedam Cannegieteri.* Eadem scheda, cuius duae postremae paginae dictam Floridorum partem continent, duabus prioribus habet Metamorph. partem L. XI. pag hui. Ed. 770. *solum sternebant flosculis*, ad pag. 780. *felicius auspicarer quibus.* Videtur Oudend. quum Metamorphoseon libros recenseret, schedam illam nondum possedisse; certe non contulisse. Itaque ego contuli: neque tamen variantes a reliquis MSS. admodum diversas in ea inveni, nisi quod pag 771. habeat quoque *ficti luminis*, et pag. 774. addita sit praepositio, *in medio sui pectore* (sic), ubi Oudend. ait in MSS. omnibus deesse praepositionem. Codex, cuius pars fuit haec scheda, videtur minime contemnendus.

Codices autem qui cum vulgata scriptura nondum, quod sciam, collati sunt, in Bibliothecis passim latent. In his

XXXV. In Bibliotheca Regia MS. n. 6634. membranaceus, primum Coenobii Sancti Victoris Parisiensis, postea Henrici Memmii, quo continentur Lib. de Deo Socr. Herm. Trismeg. Asclepius, Libb. de Dogm. Plat. I et II, et de Mundo. Exaratus videtur saec. XII. vid. Catal. MSS Bibl. Reg. T. IV. p. 264.

XXXVI. In eadem Bibl. duo MSS. Colbertini exstant, quorum alter n. 8624. Libros de Deo Socr. et de Dogm. Platonis, alter n. 6288. Librum περὶ ἑρμ. continet. Catalogus hunc ad saec. X. illum ad XIII. refert. vid. T. IV. p. 425 et 477. Alii Codd. Appuleii in eadem Bibliotheca sunt n. 6366, 6369, 6398, 6638, qui olim Petavianus fuit et continet Lib. I de Dogm. Plat. probe distinguendus a Petaviano supra memorato. Porro n. 7730.

XXXVII. MS. Neapolitanus, membran. in Bibl D. Valettae, continens Metamorph. Florida, Apologiam, De Deo Socratis et De Dogm. Plat. Libros, Cosmographiam (i. e. Librum de Mundo) et Trismegisti Dial. v. Montfauc. in Diar. Ital. p. 304. et Bibl. MSS. p. 230.

XXXVIII. MS. Trivisini, ex Museo Nicolai Trivisini, in Bibl. Patavina, continens Appuleii *Cosmographiam*. v. Montfauc. Bibl. p. 488.

XXXIX. MS. Vaticanus, continens Florida. vid. ibid. p. 54. Cod. 1834. De alio Vaticano Cod. v. supra, ubi de Fulvianis.

XL. MS. Monasterii B. M. de Becco, complectens *De Deo Socratis*, *de Habitudine*, *Doctrina et nativitate Philosophi Platonis*, et *Hermetem Trismegistum.* vid. ibid. p. 1251.

XLI. MSS. D. Marci Bibl. Venet. duo, quorum altero, qui est Cod. membr. saec. XIV. n. 468. Catal. p. 185, continentur soli Metamorphoseon Libri; altero vero ibid. n. 467 Cod. membr. in 4to. saec. XV. *de Deo Socratis; de Magia sive pro se ipso Apologia; de Habitudine doctrinarum* etc. *Hermetis Trismegisti de divinitate ad Asclepium.* Notabilis est hic Codex, quia Hermetici Dialogi versio in eo non tribuitur Appuleio.

DE EDITIONIBUS APPULEII.

Ut et aliae sunt virtutes, quibus Editiones Bipontinae, earum multae certe, sese commendant, ita praecipua earum laus censenda est accurato Indice Editionum, singulis Auctoribus praefixo. Itaque, quoniam de Appuleii Editionibus nobis dicendum est, ex Editione Bipontina, Indicem illum, per quinque aetates digestum, hic exhibebimus, aliquanto auctiorem, de nonnullis Editionibus iudicium aliquod breviter interponemus, et quarumdam praefationes ipsi huic Indici inserendas curabimus.

Aetas I Romana 1469—1521.

ab ed. principe, auctoritate *Bessarionis*, cura *Io. Andreae* Episc. *Aleriensis*, opera *Conr. Sweynhemii* et *Arn. Pannarz*, Romae 1469 facta, 1472 et [illegible] repetita, quam aemulati sunt Veneti 1473, 1483 et 1493, Vicentini an. 1480, [illegible] 1498. Mediolanenses *Leon. Pachel* 1497. Parmensem memorat Gul. Dan. Mollerus, in Diss. de Appuleio. Anno 1472 Albertus de Eyb, Papae Pii II Cubicularius Margaritam Poeticam, et in ea Appuleii quaedam edidit. Accessit commentator in Appuleii Asinum Phil. Beroaldus, qui primus eum ratione critica tractavit in ed. Bononiensi 1500, repetita statim Venetiis 1501, iterumque 1504, tertium 1510, et quartum 1516, Parisiisque bis, 1510 et 1512. Appuleium cum pluribus MSS. contulit Mar. Becichemus, et aliquot emendationes proposuit in Epistolis, editis inter eius Opuscula Varia an. 1504, quae deinde auctiora prodierunt 1506, et emendata atque adaucta Paris. 1519. Emendationes Becichemi in Omissis suae Edit. adiecit Colvius. Florida Appuleii, librosque I et II de Dogmate Platonis rectius edidit, Graecaque restituit, Nic. Gerbelius I. C. Argent. 1516. Florida sigillatim castigavit Io. Pyrrhus Englebermaeus Paris. 1518. Praecessit hos Iuntina Appuleii Prima 1512; quam superatura erat altera Iuntina, novae aetatis princeps.

1469. Romana I. fol. Editio Princeps. *L. Apuleii Madaurensis Philosophi Platonici Metamorphoseos Liber, ac nonnulla alia opuscula eiusdem, nec non epitoma Alcinoi in Platonem, Romae, in domo Petri de Maximo, anno 1469. in fol.* Hunc titulum habet haec Ed. in Dict. Bibl. Hist. et Crit. des Livres Rares; sed in Catal. de Crevenna n°. 5365, paulo aliter: *L. Apulcii Madaurensis Philosophi Opera omnia, nec non Epitoma Alcinoi disciplinarum Platonis, ex recognitione et cum praef. Io. Andreae Episcopi Alerientis Romae (per Conr. Sweynheim et Arn. Pannartz)*

nartz) in domo Petri de Maximo, 1469, *die ultima mensis Februarii.* Add. Bandin. Catal. Codd. Mediceor. Lat. II. p. 657. Stolles Nachricht von den Büchern in seiner Bibliothec Vol. I. p. 453. de Bure Bibliogr. n°. 3583. Renouard Catal. T. IV. p. 107. Haec ed. facta est auctoritate Bessarionis S. R. E. ecclesiae Cardinalis, eique praefuit *Io. Andreas* Episcopus *Aleriensis*, cuius et praefatio inest, repetita in sequentibus. De praestantia eius, ut correctorum manu minime interpolatae sive corruptae, vid. Casaubon. in praef. suae Edit. Apolog. Additam habet Alcinoi Epitomen philosophiae Platonicae ex versione Nic. Cusani Cardinalis, quae et in sequentibus legitur. Alii primam editionem memorant Romanam anni 1472, quae est repetitio illius. Fabricii, Maittariique errorem, qui eius editorem faciunt Bessarionem, refutavit Hambergerus, in Zuverlaessigen Nachrichten T. II. pag. 342 seqq.

1472. Romana II. fol. Repetitio prioris.

1480. Vid. infra ad an. 1488.

1483. Veneta I. fol. Fuit in Bibliotheca Gudiana, eaque usus videtur Colvius.

1485. Hoc anno edita legitur Vicentina editio, quae cum notis marginalibus MSS. in Bibliotheca Romana reperta est a Montf. Bibl. Biblioth. p. 178. licet vulgo Vicentina I. dicatur, quae prodiit an. 1488.

1488. Vicentina I. fol. *Apuleii* etc. *cum Alcinoi Opusculo*, *ex recognitione et cum Praefat. Io. Andreae Episcopi Hylariensis* (sic, pro *Aleriensis*) *Vicentiae per Henr. de Sancto Urso.* 1488. *Die nona Augusti.* Cf. Catal. de Crevenna n°. 5366, Maitt. Annal. Typogr. T. I. p. 14. Ea usus est Io. Pricaeus, qui eam cum Romana II. principes vocat, et perperam Vicentinam Romanae subiungit. Nisi ille Vicentinam anni 1480 viderit, quam, cum alia Vicent. an. 1486 memorat Maittaire.

1493. Veneta II. fol. *L. Apuleii Opera. Impressa Venetiis per Philipp. Pincium, Mantuanum. Anno Domini MCCCCLXXXXIII.* — Exstabat quondam in Bibl. C. G. Schwarzii Prof. Altorfini, et in Bibl. Io. Mori Episc. Eliensis Cantabrigiae; pariterque exstat in Bibliotheca Paullina Lipsiensi. cf. Clement. Biblioth. Curieuse p. 438. Falso ea in Catalogo Bibl. Gudianae ad an. 1473 relata, unde Io. de la Caille de Orig. Typogr. pag. 22. et ex eo Maittaire p. 103. Annal. Typogr. et p. 174. in errorem inducti sunt.

1494. Memmingae, fol. *L. Apuleii Epitoma de mundo, seu Cosmographia, ductu Conr. Celtis. Memmingen, per Alb. Kanne, de Duderstadt.* — Vid. Cat. Bibl. Bun. T. I. Vol. I. pag. 384. et Hamberger. l. supra cit. p. 347.

1497. Ad hunc annum refert simillimam praecedenti Edit. Clement. p. 439, quam, ut omnium rarissimam, hoc titulo recenset: *L. Apuleii Platonici et Aristotelici philosophi Epitoma Divinum de Mundo, seu Cosmographia ductu Conradi Celtis impressum Viennae;* et in fine: *Impressum per Ioannem de hiberna urce haud procul rivis Rhenanis et urbe inventrice et parente impressorie artis Moguntiaco feliciter.*

1497. Mediolani, fol. per Leon. Pachel. Omissa Fabricio et Maittario, memoratur Hambergero l. l. p. 347.

1498. Vicentina II. fol. teste Bibliotheca Fabriciana.

1499. Romana III. fol. quam post Venetam 1493 et Vicentinam memorat Th. Crenius in Animadv. Philol. et Crit. P. XI. p. 16.

1500. Bononiae, fol. *Commentarii a Phil. Beroaldo conditi in Asinum aureum Lucii Apuleii.* — Vid. Hamberger. l. l. p. 347. Singulari industria in Appuleio versatum esse Beroaldum indicat Boecier. Bibliogr. Crit. p. 460. Contra audacter ab eo tractatum esse auctorem, censet Daumius in Coll. Graev. p. 493. In prolixo Beroaldi commentario licet alia sint multa, quae ad Appuleium nihil faciunt, alia, ad fastidium usque repetita; imo, non pauca loca ab eo perperam sint intellecta et explicata: nihilo minus tamen haud exiguam operam Appuleii studiosis praestitisse censendus est. Praefatio et specimen commentarii supra in hac Ed. edita sunt, unde intelligi possit, quae commentarii istius sit ratio.

1501. Veneta III, fol. Eadem reperita per *Simonem Papiensem dictum Bivilaquam. A. D. I. Ch.* 1501. *d.* 29 *Aprilis.*

1504. Veneta IV, fol. *Apuleius cum commentariis Philipp Beroaldi, Impressum Venetiis per Bartholomaeum de Zanis de Portesio. Anno Domini MCCCCCIV. die XI. mensis Novembris.* cf. inter incunab. artis typogr. n. CCXXVI. in Bibl. Uffenbach. T. II. App. p. 79.

1510. Veneta V, fol. eadem cum figuris noviter additis exstabat in Bibl. Schwarzii Prof. Altorf. P. I. p. 107, n. 1778.

1510. Parisina I, 4. eiusdem repetitio.

1512. Parisina II, fol. nitidissima: Metamorphoses cum Philippi Beroaldi commentariis etc. ap. Io. Philippum Magistrum.

s. a. Paris. 4. cum Beroaldi argumentis.

1512. Iuntina I. 12mo vel parvo 8vo. *L. Apuleio de Asino aureo Libelli XI. Floridorum L. IV. De Dogmate Platonis Liber unicus. De philosophia item Liber unicus. Asclepii Mercurii Trismegisti Dialogus de voluntate divina, interprete L. Apuleio. Eiusdem Trismegisti Dialogus de potestate et sapientia Dei, interprete Marsilio Ficino. Apuleii Orationes duae pro se ipso. L. Apuleii Cosmographia sive de mundo Liber. Florentiae, apud Phil. Iuntam* (Phil. de Giunta) 1512. Ita titulus scribitur apud Clement. p. 438. cf. Catal. de Crevenna n. 5367.

1516. Argentorati, 4. *L. Apuleii Floridorum Libri IV, de Dogmate Platonis liber unus; de Philosophia liber unus, in quibus restituta Graecanica quaedam, quae in reliquis fere omnibus exemplaribus desiderantur* (editore Nic Gerbelio) *Argentor. in aed. Schurer.* — Vid. Cat. Bibl. Bun. T. I. Vol. III. pag. 2134. et Hamberger. l. l. p. 348.

1516. Veneta VI, fol. cum Beroaldi Comm. et fig. Venalis erat in Bibl. Harscheriana Basil. an. 1769, pag. 218.

1518. Parisiis, 4. Florida, ex castigatione *Io. Pyrrhi Englebermaei*, ex officina Ascensii.

Aetas II. Aldino-Iuntina 1521 — 1533. Henrico Petrina s. Basileensis 1533 — 1585.

Scilicet an. 1521 *Aldus* Appuleium accuratiorem dedit, addito Alcinoi libro Graece. Sed Bernardus Philomathes, Iuntinae II curator, eam ad vetustissimi Codicis fidem denuo se exegisse profitetur. Secutus inde typographus celebris Basileensis *Henricus Petrus* dedit primam 1533: quae cura *Marci Hopperi* melior et Beroaldi Comm. aucta an. 1560 prodiit. Parisiis quoque post illam *Sim. Colinaei* 1536, prodiit praestantior *Henr. Stephani* 1585. Ex quo autem Stewechius an. 1586 publicaverat suas in Appuleium Quaestiones et Coniecturas, atque adhibere etiam alii lumen Appuleio quum coepissent, suborta est nova aetas, eaque tertia.

1521. Venetiis, 8. *L. Apuleii Metamorphoseos, sive lusus Asini libri XI. Floridorum libri IV. De Deo Socratis I. De Philosophia I. Asclepius Trismegisti dialogus eodem Apuleio interprete. Eiusdem Apuleii liber de Dogmatis Platonicis. Eiusdem liber de Mundo, ad fidem antiquissimi Codicis restitutus Apologiae II. Isagogicus liber Platonicae philosophiae per Alcinoum philosophum, Graece impressus. Venetiis, in aedibus Aldi et Andreae Soceri, mense Maio.* Editio rara. Vid. Clement. p. 438.

1522. Iuntina II, 8. *L. Apuleii Madaurensis, Metamorphoseon sive de Asino aureo Libri XI. Floridorum Libri IIII. De Deo Socratis Libellus. Apologiae Libri II. Trismegisti dialogus. De Mundo sive de Cosmographia Liber I. Omnes ante nostram impressionem mutilati, nunc autem ad fidem vetustissimi Codicis, diligentissime recogniti ac castigati.* et in fine: *Florentiae per haeredes Philippi Iuntae Anno domini M.D.XXII Kalen. Octobris.* Hanc praeclaram Editionem, cuius textum, acri iudicio et bonis libris usus, constituit Bernardus Philomathes Pisanus, omnibus aliis longe multumque praeferebat Oudendorpius, eaque quantum Appuleio profuerit, singulae paginae ostendunt. v. Ruhnken. in praef. Non magnifice tamen de ea iudicat Casaub. in praef. ad Apolog. quoniam, credo, aliquoties corruptae MStorum lectiones in ea sunt expressae. Sed id ipsum facit, ut Editio haec Iuntina posterior etiam scripti Codicis auctoritatem habeat.

BERNARDI PHILOMATHIS PRAEFATIO AD APPULEII EDITIONEM IUNTINAM POSTERIOREM.

Bernardus Philomathes Pisanus studiosis S.

„ Statueram a principio, studiosi adolescentes, cum castigandi auctoris huius provinciam „ suscepissem, nihil ex his, quae aut restituissem aut immutassem omittere, quin quo con„ silio, quave ratione id fecissem, legentes commonefacerem. Ita enim futurum prorsus vi„ debatur, ut et labor hic noster gratior esset, et nos, veterum exemplarium fide (quae nobis „ inviolabilis ac pene sacrosancta fuit), non nostris commentis emendatum esse Apuleium „ testificaremur. Verum cum, ipsa exemplaria conferens, deprehendissem adeo mendosum, „ adeo mutilatum mancumque scriptorem hunc fuisse, ut non modo unum et alterum interim „ verbum corrigere, reponereve oporteret, verum etiam integrae multis in locis periodi de„ siderarentur, tum ubi ille Graeca aliquando carmina interposuisset, caeca tantummodo „ loco comparerent, quae nos nisi plane omnia, eorum certe quam plurima ex veteribus qua „ potuimus diligentia restituimus: intellexi equidem haud sane opportunum fore, quod nihil „ magis quam fastidium ac taedium legentibus afferret. Si quidem videbar quasi alterum Apu„ leium scripturus, mihique vel avidissimus lector insusurrare illud iure potuisset, in crasti„ num historias. Quamobrem quod maxime ad rem pertineret, id satis mihi esse duxi, si „ omnes facti mei admonerem; quî autem rem melius cognoscere optarent, eos et Venetam „ editionem, et quotcumque ad hoc aevi circumgestatae sunt, cum nostra hac conferre ad„ precarer. Quod si quis fecerit, sciat idem, nullum se gratius labori huic nostro praemium „ parare potuisse; quando nos nihil tam cupide optamus; quam ut planum omnibus fiat, et „ nos ut studiosis prodessemus pro virili laborasse. Quod quidem an fecerimus, aequum „ sane id iudicem censere oportet: quem nos etiam atque etiam oratum volumus, ut iudicia„ riam illam tabellam eo usque substineat, donec totum librum perlegerit. Vos autem illud „ scire volumus, nos, nequa diligentiae pars in hoc castigandi munere a nobis excluderetur, „ summo studio dedisse operam ut videremus, quas complures bene literati viri alius collec„ taneis, alius adnotationibus, alius scholiis suis in Apuleium castigationes interseruerint. „ Quibus accurate perpensis, non pauca quidem subscribente etiam Codicum fide recepimus. „ In quibusdam autem ipsa eadem refragante, quoniam idoneo sensu et intellectu minime ca„ rere videbantur, pluris nobis fuit antiquae lectionis veritas, quam perspicax eorum inge„ nium. Ex illis prooemium est in libros Metamorphoseon, quod ab Epigrammate incipere „ nonnulli adseverant. Quod ut probabilius facerent, immutarunt singulis versiculis dictio„ nes, nam pro *fabulas*, *fabellas*, pro *aurisque tuas*, *atque aures tuas*, reposuere, atque „ alia adiecerunt, quae contra omnium veterum exemplarium fidem sunt commenti. Le„ gunt enim:

At ego sermone isto Milesio
Varias fabellas conseram, atque aures tuas

Be-

Benevolas lepido susurro permulceam
Modo si papyrum Aegyptiam tu argutia
Nilotici calami inscriptam non spreveris
Inspicere, figuras fortunasque hominum in alias imagines
Conversas, et in se rursum nexu mutuo
Refectas, ut mireris hic exordior.

„ Atqui ut penitus liqueat, esse haec nugamenta et somnia, demus sic legi in probatis co„ dicibus, demus versiculos esse hos metrica ratione dispositos, demus denique ab Epi„ grammate Iambico bimembri, ut quidam scripsit, Apuleium incepisse. Quaero, quo pacto „ temporum, syllabarum, pedum distributio in his versibus competat. Profecto Iambicum „ carmen Iambos plerumque paribus locis expostulat, hic quam rarissimus Iambus invenitur. „ Contra Trochaeum, Pyrrichium, Amphimacrum, nothosque alios pedes videmus, ut ni„ hil minus possimus dicere, quam Iambicum hoc esse epigramma. Quo ex censu si exclu„ ditur, multo minus opinor in Phalerios, Scazontas, Asclepiadeos aut Adonios referetur. „ Verum credo ego, his priores duos versiculos arrisisse, quos speciem quidem aliquam sena„ riorum prae se ferre non negaverim, quod nihilominus credibile fuit, casu auctori accidisse; „ nam et senarios saepenumero in Oratione se sponte nobis offerre testatur M. Tullius. At „ dicunt quidem esse omnino carmina; sed ex multiplici genere, ut illud senarium, aliud „ quadratum, aliud acatalecton, aliud hypercatalecticum. Hic illud solum respondere libet „ ac de nobis magnifice praedicare, si ita ex vario multiiugo perplexoque carminum acervo „ epigrammata coalescunt, quandocumque placeat totum Apuleium in metra concludere. Sed „ impendio longiores in re tam tenui eam ob causam fuimus, quod probatorum et inveteratae „ iam famae virorum auctoritas, nostro quod nunc primum exoritur nomini sinistram opinio„ nem conflare posse videbatur, si illorum praeiudicium in hac re vim iudicii habuisset. „ Multoque posthac deterius de Apuleio nos statuisse legentes sibi persuadere poterant, „ si solventes adhuc in ipso portu impegissemus. At neque praetereundum, librum, cui de „ philosophia nomen erat, falso hoc titulo inscriptum fuisse, atque divulsum a reliquo cor„ pore membrum huc usque iacuisse. Est enim sive fragmentum sive liber alter de Platonica „ isagoge, quod nos ex vetustissimo e Septiniana bibliotheca codice comperimus, cum nulla „ interiecta distinctionis nota priori libro eum videremus annexum. Quod autem librum al„ terum potius quam fragmentum censuerimus, duplex nobis ratio persuasit. Primum quod „ nomen Faustini filii veluti in prooemio quodam auctor adpellat, deinde quod a principio „ prioris libri triplicem ponit philosophiae partitionem, a naturalique auspicatur, hic vero „ de morali agit. Unde nobis coniicere subiit non modo hunc alterum de Platonis dogmate „ esse librum; sed et alium quoque desiderari, in quo de rationali fuisset disserendum. Cu„ ravimus igitur, ut corpori membrum iungeretur amoto scilicet libello de Deo Socratis, qui „ praepostere et importune se inter duos illos, veluti inter fratres alienus quidam, interiece„ rat. Haec nos ac multo plura quam hic narrare sit commodum, secus quam in omnibus „ Editionibus habeatur, et fide antiquae lectionis pensitata, et doctorum virorum, quos con-

„ su-

„ suluimus, iudicio adhibito correximus. Quod si in nonnullis aut negligentiae aut ruditatis
„ arguemur, non adeo sumus nostri ipsius amatores, ut melioribus cedere poeniteat, et si
„ opus fuerit, Stesichori illius more, canere Palinodiam. Etenim eiusmodi est ingenium
„ nostrum, ut pluris multo semper nobis fuerit doceri, quam laudari. Valete studiosi
„ adolescentes, et Apuleii enchiridion hilari fronte suscipite.

Ad Lectorem.

„ Antequam lector candidissime ad Apuleium ipsum aggrediaris hoc te volumus admo-
„ nuisse. Quoniam librorum cusores non satis habent literarum ut possint vel leviores quos-
„ dam errores corrigere, nobis autem nec ocium fuit, nec nostri officii erat diurnam illis
„ operam exhibere, factum est ut plures dictiones corrupte provenerint, quas nos omnes re-
„ cognovimus, restituimus et post omnia auctoris opera adnotavimus, inscripto singulatim
„ paginarum numero. Hoc volebam nescius ne esses. Vale."

1524. h. a. editionem Rob. Stephani memorat Mollerus, in Diss. de Appuleio § 37. sed commentitiam esse, notat Maittarius T. II. pag. 649. Errori occasionem dedisse videtur editio, 1625. ap. Rob. Stephanum nepotem, Libelli de Deo Socratis.

1533. Basileensis I, Henrico-Petrina. *L. Apuleii Madaurensis Philosophi Platonici quae quidem extare novimus monimenta, quorum catalogum sequens exhibet pagella. Basileae excudebat Henricus Petrus.* In pagina aversa: *L. Apuleii Madaurensis Platonici hoc encheridiolo continentur lucubrationes, nempe: Metamorphoses, sive de Asino aureo Libri XI. Floridorum Libri IV. De Dogmate Platonis Liber I. De Philosophia Liber I. De Deo Socratis Liber I. Apologiae sive defensionis Magiae pro se ipso orationes II. Postremo de Mundo Liber I. Adiecta sunt insuper vita auctoris, quantum ex scriptis eius colligere licet: Singulorum librorum Metamorphoseon argumenta.* In fine: *Basileae excudebat Henricus Petrus mense Martis, anno XXXIII.* Hanc Editionem, quae semper primis Edd. adhaeret, curavit *Albanus Torinus*, ut apparet ex epistola Nuncupatoria *Dignissimis atque praestantissimis viris D. Mauritio Huterio, et Danieli Stibaro, equitibus auratis, et Herbipolensis ecclesiae canonicis*, inscripta.

1536. Parisiis, 8. Metamorph. cum praef. et argg. Phil. Beroaldi, et auctoris vita, cum interpr. verborum difficilium, ap. *Sim. Colinaeum.*

1560. Basileensis, sive, Henrico-Petrina II. 8. *L. Apuleii Opera omnia et inprimis de Asino aureo cum Comm. Phil. Beroaldi, adiecto indice copioso.* 8. *Basil. H. Pet.* 1560. 3 *voll.* Hunc titulum habet Catal. Bibl. Thuanae rec. Hamburgi 1704. sed Bibl. Harscheriana an. 1769. in titulo huius Edit. memorat etiam Stewechii notas, quae an. 1586 demum editae sunt apud Plantinum. Huius Edit. non nisi partem ultimam vidi, in qua tamen Stewechii notae ad Florida et Apologiam

giam comparere debebant, si omnino in ea Ed. editae essent, neque tamen comparent. Sed confusa videtur Basileensis sec. cum Basil. tertia: quod facile fieri potuit, quoniam et in ea legitur Epistola Nuncupatoria *Marci Hopperi*, *Nobilib.* etc. *adolescentibus Stanislao et Ioanni Pieniaszek* an. 1560 scripta, et in quibusdam edit. tertiae exemplaribus in fine deest notula: *Basileae Per Sebastianum Henric Petri: Anno Salutis humanae* CIϽIϽXCVII. Elmenhorstius quoque citat nonnunquam Basil. sec. intelligens tertiam anni 1597. Sed haec secunda anni 1560 in margine habet hic illic varias lectiones Iuntinae post. unde, et quia ea usus est Colvius, olim Appuleio haud parum profuit.

AETAS III. STEWECHIO-COLVIANA SEU VULCANII. 1586—1620.

Primum quidem GODESCH. STEWECHIUS Belga in Appuleium quaestiones et coniecturas edidit in off. Plantini 1586, quae dein Basileensibus s. Henrico Petrinis III, IV et V. adjectae leguntur. Successit PETR. COLVIUS, itidem Belga, iuvenis apprime doctus, qui 1588 Appuleii opera notis suis illustrata apud eundem Plantinum edidit. Tertius curator BONAV. VULCANIUS lectionem Appuleii recensuit ap. Raphelengium 1594, quae adeo dici possit *Colvio-Vulcaniana*. Repetita est 1600, 1601, 1610 et 1623. Idem Vulcanius versum ab Appuleio Aristotelem de Mundo, apud Raphelengium, paulo ante curaverat; et Is. CASAUBONUS in castiganda Apologia Appuleii ap. H. Commelinum Heidelb. 1594. similem operam praestiterat, quem aemulati sunt Io. MEURSIUS et SCIPIO GENTILIS. Colvio et Vulcanio sese iunxit Io. WOWERIUS in ed. Hamburg. 1606. adversarium vero invenit CASP. illum SCIOPPIUM, cuius Symbola critica in Appuleium Aug. Vindel. edita an. 1605, postea recusa est Lugd. B. 1644. et Amst. 1664. Tandem, quae Beroaldus, Stewechius, Casaubonus, Io. Pyrrhus, Fr. Roaldus, Gruterus et Scioppius contulere bona in Appuleium, coniuncta habet ed. Lugdunensis 1614. Praeter eos, qui Editiones Appuleii curarunt, sub finem huius aetatis etiam alii Viri Docti Auctori emendando aut illustrando operam dederunt: ut *M. Schickeradus* in Epist. Crit. *Rycquius* in Primitiis, *Contarenus* in Variis Lectionibus, *Pontanus* in Analectis. *Erycius Puteanus* Appuleii edendi consilium ceperat, vid. Promuls. Cent. III. 44. Spicilegium animadversionum eius exhibet Edit. Elmenh. *Valens Acidalius* notas in Appul. promisit ad Vellei. Pat. I. 9. et ad Curt. p. 345. Ed. Snakenb. Quaedam eius animadversiones ad Apolog. in hac Edit. primum editae sunt. *Casp. Barthius* indicem operosum in Appul. fecerat, qui igne periit. vid. Advers. III, 10. ad Claud. II. in Rufin 469. Praef. ad Stat. L. I. Silv. in fine.

1586 Antverpiae, 8. ex offic. Plantin. Godeschalci Stewechii in Appuleii opera integra Quaestiones et coniecturae.

1587. Hoc anno editum fuisse Appuleium Lugduni Batav. in 8. ita ut ea editio saepe conspiret cum Iunt. post. praesertim in Philosophicis, scriptum video in Schedula ab Oudendorpio. Sed nusquam alibi istius Edit. mentionem inveni.

1588. Lugduni Bat. 8. *L. Apuleii opera omnia quae exstant, emendata et aucta cura Petri Colvii, cum eiusdem ad omnia uberioribus notis. Accessit nunc primum inter alia liber περὶ ἑρμηνείας, ex bibl. Franc. Nansii. Lugd. B. ex offic. Plantiniana.* — De Colvio haec in suo Codice annotavit Marquardus Freherus: *Hic doctus iuvenis, qui etiam militiam experiri volens cum Principe Anhaltino Bernhardino ut interpres castra* Gallica *a.* 1591. *secutus est, cum incaute aliis adequitavit, crus ipsi a calcitrante equo vicino fractum est. Ipse delatus in oppidum Normandiae Granville, ibidem exstinctus, et 26 Dec. sepultus est.* cf. de Colvii morte Barth. ad Stat. Sylv. V. 2. 30. Ianus Dousa in Epigramm.

Auctor mula necis iuvenem quae calce peremit,
Heu scelus, heu dira bestia caede nocens.
I nunc, Luci asino nativum redde nitorem,
Nata asino rumpat quo tibi mula caput.

Colvius, cui Lipsius pro Aristarcho fuit, in Appuleium multa bona contulit, et eruditis notis suis plurimam lucem ei affudit. Contextus tamen adhuc valde corruptus est, et amor MSti sui, quem a Lipsio acceperat, Colvium, ut fieri solet, saepius fefellit: quocirca acriter eum perstringit Pricaeus ad Met. hui. Ed. Append. p. 367, b. et 396, a.

PRAEFATIO COLVII.

Ad Lectorem.

„ Haud immerito nostro patrumque nostrorum aevo doctiores viri L. Apuleium, scriptorem tersum et doctrinae in moribus inque verbis antiquis reconditioris, maximi semper fecerunt. Unde fit, ut post Philippi Beroaldi operam, suo nostroque tempore certe non nisi laudabilem, ex tanta deinde Criticorum manu neminem extitisse qui ei, etiamnum depravatissimo, umquam serio manus admoverit, admirari saepius satis non potuerim. Cuius ego cum iamdudum lectione etiam cumprimis caperer, sed in eo mutila mendosa multa ad quae offenderem reperirem: editiones veteres aliquot consulere institui; si qua fortassis ex earum collatione variarumque lectionum inter se comparatione integriora reddi, coniecturisque etiam nonnumquam iuvari possent. Et aliquamdiu quidem non sine fructu hoc studium nostrum fuit; cum accessit postea exaratum manu exemplar vetus Cl. V. I. Lipsii, quod ipse ab humanissimo doctissimoque viro Victore Giselino nostro donum acceperat. E quo statim, simul atque comparare id ad editiones vulgatas coepimus, multa quae manca maculosaque ante, feliciter satis in integrum a nobis restitui posse visa sunt. adeo ut in hoc coepto pergeremus Lipsius ipse saepius nos moneret, et post etiam ut de nova Apuleii totius editione cogitare auderemus, auctor esset. Sed ut tibi, studiose Lector, diligentiae operaeque in hoc scriptore nostrae omnis plane constet ratio; en tibi editiones librosque varios quos inspeximus, qui isti. Primum, Clarissimi Lipsii membranaceus codex, in quo Floridorum et Metamorphoseon libri toti, exceptis iis paucisque aliis, quae

„ de

„ de Psyche libro quarto, quinto, et sexto narrantur. Romana editio, quae ante annos centumviginti, adnitente Cardinale Bessarione, in lucem omnium, ni fallor, prima venit. Veneta Lipsii, ante annos etiam cusa centum (*): et Aldina, quam humanissimus doctissimusque vir Bonaventura Vulcanius suppeditavit. Basileensis prima anni cIↄ. Iↄ. XXXIII. et altera, quae post una cum Beroaldi Commentariis ibidem ex eadem officina prodiit, longe omnium, quantum quidem ad Floridorum reliquosque Philosophicos libros attinet, emendatissima. Consuluimus et Colonaei editionem, in qua de Asino aureo libri solummodo erant. Addidimus nunc primum numquam totum editum ante libellum ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ, quem C. V. Franciscus Nansius ex locupletissima bibliotheca sua nobis dedit, ut ipsemet olim in usum studiosae iuventutis vulgandum manu sua descripserat. item ΑΝΕΧΟΜΕΝΟΝ, carmen ludicrum versum Latine e Menandro, a Cl. Bineto cum aliis quibusdam aliorum Epigrammatis ante vulgatum. Fragmenta etiam Titulosque librorum aliorum eiusdem auctoris nostri, qui integri ad nos non pervenere, e veterum Grammaticorum aliorumque scriptis enotavimus. Quae in ipso contextu orationis, ut vocant, hic a nobis emendata sunt, ea pleraque ex fide scripti codicis, pauciora ab ingenio aliisque editionibus esse, scias velim. Quod te hîc semel monere volui, quia non semper quam lectionem, et praecipue cum e libro scripto emendamus, secuti simus, in Notis nostris indicavimus. in quibus hoc agimus, ut omnium librorum omnes variasque lectiones annotemus, emendationum nostrarum rationem reddamus, et, quantum potest, obscuriores locos, qui in hoc auctore multi, nonnumquam illustremus. Ideo omnia simul, bona mala, sana non sana annotamus, iudicioque tuo et oculis subiicimus; ut cuique liberum sit, quam lectionem velit ut veriorem amplecti, vel, pro captu suo, ut deteriorem reiicere: aut etiam quamlibet aliam, ductu huius vel istius veteris corruptaeque scripturae, saniorem planioremque ex ingenio suo eruere. Nam ut bonam partem mendorum nos iam hinc sustulisse quilibet aequus operae nostrae aestimator facile iudicabit: sic nos etiamnum multa parum correcta aut integra, et in Philosophicis libris praecipue, restare ingenue fatemur. Nec enim tot ineptarum insulsarumque lectionum monstris expurgandis aut expugnandis hanc vicem nos tirones sufficere potuimus. Sed hoc pro certo tibi persuadeas velim, nos, ut hic scriptor magna ex parte emendatior nitidiorque quam hactenus, ad te veniret, ex summis viribus adnisos esse; cum bona spe, fore ut hunc qualemcunque laborem nostrum, Lector candide, boni consulas. qua conditione, quisquis es, iam is tuus est. Vale."

1591. Lugduni Bat. 8. *Aristotelis de Mundo Lib. Graece: cum duplici interpretatione Latina; priore quidem L. Apuleii: altera vero Gulielmi Budaei. Cum scholiis et castigationibus Bonaventurae Vulcanii, tam in Aristotelem, quam in utrumque eius interpretem* etc. *Lugd. Bat. ex off. Plantin. ap. Franc. Raphelengium.* Dedicavit Vulcanius hanc Editionem Illustrissimo Mauritio Principi Auriaco. In ea de-

(*) Itaque fallebar supra, pag. 547. quum scriberem, Colvium usum fuisse Ed. Ven. an. 1483. quae nulla est. Sed totum illum locum corrigemus in Addend. Usus est Colvius Ed. Ven. 1488.

dedicatione de Appuleii versione Aristotelici libri, suaque in eam opera ita loquitur Vulcanius: „ In quo (Aristotelis libro *περὶ κόσμου*) Latine vertendo, ita proprie „ atque eleganter omnes Graecanici sermonis delicias ac Veneres expressit, ut omnes „ optimi interpretis partes explevisse iure censeri debeat, et studiosis utriusque „ linguae veluti canon quidam atque exemplar ad imitandum proponi. Sed factum „ est magno rei literariae malo, ut nitidissimus hic Apuleii Mundus, partim in- „ curiosa longinquitate temporum, partim librariorum et scribarum audaci, ut „ fit, imperitia, ita fuerit contaminatus, ut nihil fere in eo mundi sit relictum. „ Ita enim foede corrupta, depravata, luxata, mutila, et hiulca in eo multa in „ hunc usque diem passim occurrebant, ut nullum propemodum eius esset mem- „ brum, quod non atrox aliquod atque immane vulnus accepisset. Sed ne Aristo- „ telis quidem ipsius Mundus, ad cuius Archetypum suum efformarat Apuleius, „ satis mundus fuit relictus. In Aristotele itaque emendavi non pauca, ab Apu- „ leio innumera mendarum portenta profligavi; totamque hanc Aristotelici pariter „ et Apuleiani Mundi fabricam, pristinae suae, quoad eius fieri potuit, integri- „ tati restitui; et Scholiis, quae conciliando cum Aristotele Apuleio, aut alioqui „ intricatioribus locis explicandis sufficerent, illustravi; adeo ut me bona spes ha- „ beat, operam quam hac in re non parvam posui, Philologis (neque diffido „ quin et philosophis) utilem pariter et iucundam futuram."

1594. Lugd. Bat. 16. *L. Apulei Madaurensis opera omnia quae exstant. E quibus, post ultimam P. Colvii editionem, Philosophici Libri ope vetustiss. Cod. MS. innumeris mendis expurgati, quam plurimis locis aucti, per Bon. Vulcanium Brugensem. Lugd. Bat. ex off. Plantiniana ap. Franciscum Raphelengium* CIↃIↃXCIV.

PRAEFATIO VULCANII.

NOBILISS. AMPLISSIMOQUE VIRO

THEODORO CANTERO,

ULTRAIECTINAE

REIPUBL. CONSULI

BON. VULCANIUS S. D.

„ Magna semper habita fuit eorum hominum laus, vir nobilissime, qui in veterum au- „ thorum scriptis recognoscendis pristinaeque suae integritati restituendis elaborarunt; „ quales profecto exstiterunt et avorum nostrorum memoria et nostra aetate viri aliquot „ eruditione excellenti, ingenio iudicioque acerrimo praediti, qui multum lucis atque „ splendoris classicis authoribus attulerunt. Quo quidem nomine ut Reip. literariae mag- „ nopere gratulandum est, ita dolendum vehementer, exstitisse hac tempestate nonnullos, „ qui

„ qui iuvenili potius quadam ingenii confidentiâ quam singulari aliqua eruditione fulti, „ hoc studii genus aggressi, incredibile dictu est quanta licentiâ quamque indignis modis „ in veterum authorum scripta saevierunt, dum passim pro suâ libidine vocabula vel in „ speciem corrupta, vel alioqui parum ab ipsis intellecta proterve reiiciunt, atque e nullâ „ plerumque coniecturâ, quaeque nullâ MS. codicis authoritate nitatur, casca quaedam „ et iam inde ab Euandro petita vocabula substituunt, magnum operae precium fecisse „ rati, si se ἀρχαίους esse aliis probaverint. Grassata est haec sciolorum audacia atque „ vesania (ut de mendis quae inscitia librariorum irrepserunt nihil dicam) cum in optimos „ quosque veteris illius aevi scriptores, qui si reviviscant, sua ipsi scripta aegre sint ag„ nituri; tum vero praecipue in Apuleium, scriptorem, qui sive verba sive rem, et sum„ mam Latina de Graecis convertendi dexteritatem spectes, nemini classicorum authorum „ facile cedit; qui quam hodie corruptus et foedis mendis obsitus circumferatur, sciunt „ et dolent mecum multi. Argumento sunt variae doctorum virorum in hunc auctorem „ Animadversiones. Nemo enim fere est aliqua eruditionis laude celebris, cuius non ex„ stet aliqua in Apuleium emendatio. Quae causa nuper Petrum Colvium, iuvenem eru„ ditum, nunc pluribus additum, impulerat, ut collectis undequaque doctissimorum vi„ rorum in hunc authorem castigationibus, et conquisitis quotquot exstabant editionibus, „ iisque cum MS. codice quem ipsi suppeditarat Cl. V. Iustus Lipsius, accurate collatis, „ eum quam fieri poterat castigatissimum ederet, et Notis uberioribus, uti eas vocat, il„ lustraret. Et certe non poenitendam ille hac in re operam navavit, quamplurimis men„ dis e medio sublatis. In Philosophicis tamen Apulei libris multa se parum correcta re„ liquisse ingenue fatetur. Eos ego libros nunc temporis ad vetusti et probi admodum „ MS. codicis mei fidem emendatos emitto; in quibus hanc rationem tenui, ut quaecun„ que a Colvii editione discreparent, alio typorum genere in contextu ipso excudi cura„ rem: quae vero in prioribus editionibus desiderabantur, suis locis e veteri meo codice „ suppleta, diversis etiam characteribus, et paragraphis quibusdam inclusa a contextu „ dispescui. Prolixas Notas adiicere nec libuit, nec opus fuit. Nam et voluminis „ εὐμεταχειρίστῳ legentium commodati bene consulere voluimus; et librum Apuleii De „ mundo, qui omnium erat corruptissimus, castigaram antea cum curâ, et Notis illustra„ ram, quas Aristoteli De mundo ante biennium a me edito adieci, e quibus ratio casti„ gationum mearum tam in Apuleium De mundo, quam in Aristotelem ipsum, e quo fide„ lissime elegantissimeque eum Latine convertit, plenissime cuivis constabit. Cum vero „ MS. exemplar meum quod secutus sum, non omni ex parte ita fuerit probum, quin et „ suos habuerit naevos; non omnia promiscue in quibus ab excuso discrepabat in contex„ tum recipienda iudicavi, sed ubi excusi codicis lectio non incommoda videbatur, eam „ reliqui, et variam veteris Codicis lectionem annotavi; meam quoque de nonnullorum „ locorum emendatione sententiam paucissimis verbis adieci. Hermetis Trismegisti De na„ tura deorum ad Asclepium adlocuta, tametsi Dialogum hunc plerique docti ab Apuleio „ versum negant, tamen quia et in veteri editione Aldi exstat, et multum reconditae doc-

 „ tri-

„ trinae in se habet, neque stilus ipse ita ac nonnulli clamitant est ineptus; non abs re „ facturus sum visus si et eum cum veteri meo codice MS. collatum et castigatum adiungerem. Philosophicis vero Apuleii scriptis principem in hac novâ editione locum tribuendum censui, citra ullam uti spero Asini aurei, quantumvis longissimi temporis possessionem praetendat, iniuriam; quum hi non auro sed gemmis contra merito sint habendi. Hoc vero quicquid est operae, quâ meliorem ullam vix crediderim (absit verbo invidia) alteri cuiquam veteri authori nostra aetate fuisse praestitam, tuo, Vir Amplissime, nomini merito inscribendum dicandumque putavi. Primaria causa fuit; quod te hoc studiorum genere mirifice oblectari sciam, quippe qui quantum tibi temporis a Reipublicae administratione est vacui, lectioni scriptionique totum impendas. Testantur id abunde *Variae Lectiones* tuae, in quibus cum multa gravissimorum authorum loca emendaris ac declararis, tum vero nonnulla in Apuleio etiam nostro feliciter restituisti! Testatur idem Arnobius infinitis locis a te castigatus et Notis illustratus: testabuntur et in eundem authorem aliosque veteres Patres, tam Graecos quam Latinos, commentarii tui, aliaque quamplurima eruditionis industriaeque tuae monumenta, quae etiamnum premis, publici aliquando Deo annuente iuris facturus. Altera causa haec fuit, ut nova haec editio aliquem ex nominis tui praefatione splendorem mutuaretur. Quo enim non pervasit Canterianae gentis celebritas? quam nobilis amplissimusque vir Lambertus Canterus Pater f. m. tuus, insigni eruditione suâ, maximisque honoribus, quos integerrime summaque cum laude gessit, familiae vestrae peperit; auxit Guilielmus Canterus, frater tuus, immortalibus scriptis suis, et eximiis in rem literariam meritis, longiore vita ipse, si Deo ita visum fuisset, dignissimus; perpetuasti tu, editis praeclaris et libris et liberis; Lamberto inquam, et Ioanne Canteris, iuvenibus eruditissimis, quique summam de se expectationem non in hac tantum sed in aliis celeberrimis totius Europae Academiis concitarunt. De quibus non dicam plura, evitandae suspicioni adulationis, alienissimae ab amicitiâ nostrâ, quam sanctissime inter nos multos iam annos coluimus. Cuius quidem, et singularis mei erga te studii, exstabit hoc apud posteros aeternum uti spero monumentum. Deus te, Vir Nobilis amplissimeque, quam diutissime servet incolumem. Lugduni Batavorum. Anno cIↄ.Iↄ.xciii. Calendis Octobris."

In hac Editione paucae quaedam Animadversiones Vulcanii in libros Philosophicos habentur, quae omissae sunt in Edd. an. 1600 et 1601. Nihil boni a Vulcanio esse praestitum, nimis dure censet Scriverius, quemadmodum etiam non multum ab eo praestitum iri, antequam ipsa ed. prodiret, praeiudicavit Groslot. Lislaeus. vid. Syllog. Epp. Burm. T. I. p. 360.

1594. Heidelbergae, 4. *L. Apuleii Apologia, Isaacus Casaubonus recensuit, Graeca supplevit, et castigationum libellum adiecit. Ex typogr. H. Commelin.* — Usus est Casaub. Edit. Rom. principe, cuius ope plurimas mendas se sustulisse fatetur, et revera sustulit. (cf. Casaub. ad init. Apol.)

DE-

DEDICATIO IS. CASAUBONI.

VIRO ILLUSTRI

IOSEPHO SCALIGERO, IUL. CAESARIS FIL.

IS. CASAUBONUS *S. D.*

„ Eritne, vir nobilissime, ut tu me putes otio meo abusum, cum hisce diebus recen„ sendae huic quam tibi mitto Orationi, temporis aliquantum posui? Scis enim pater il„ lius quam male apud multos audiat: quam graves de eius Latinitate sententiae vulgo fe„ rantur. Quod si tu idem censes, quid aliud de me, et ea quam hic impendi opera pro„ nunties, nisi bonas horas male me collocasse? Ego vero cum ab eo longe absum, ut „ ita de hoc scripto (nam reliqua eiusdem nihil moror) existimantibus assentiar: tum „ eiusdem te mihi iudicii esse, nullus dubito. Nisi enim illorum opinioni accedimus, qui „ totius Latinitatis fines sex, septem auctorum scriptis contineri putant: quid est cur hic „ liber lectione ac studio nostro indignus esse videatur? Nam equidem sic censeo: post „ tempora Antoninorum vix quicquam aliud extare hodie magis πεπινωμένον, magis com„ tum, magis denique Latinum. Aut dicat mihi aliquis, ubi maior quam in hoc tantulo, „ et eo quidem forensi scripto, eruditionis non protritae copia. quam eleganter, quam „ docte loci hic aliquot e Philosophia tractantur? quantum in sententiis acumen? quanta „ in dictione, ut iis temporibus et locis, castitas? Non hic mihi quisquam reperiat ullos „ τῶν νοημάτων ὄγκους et tumores vanos, aut argutiolas ineptas: non ullas verborum sor„ des: quae maxima orationis vitia plerisque omnibus eius saeculi auctoribus, et qui „ deinceps insecuti, fato quodam Eloquentiae et Imperii Romani simul ruentium, adhae„ sere. At erunt fortasse qui non verborum, sed rerum crimina obiectent: quippe Apo„ logiam hanc, a famoso olim mago pro defensione Magiae scriptam, ab oculis conspectu„ que nostro esse reiiciendam: more multorum videlicet facient, ut ea damnent quae nun„ quam legerint, si qui ita sibi persuadebunt. Nos contra, non defensionem hanc esse „ Magiae, sed gravissimam eiusdem accusationem, audenter affirmamus. Quid enim aliud „ hinc colligas, quam fuisse omnibus semper sani iudicii hominibus curiosas artes impro„ batas, et legibus vetitas? ni ita sit, nunquam profecto, ut docte sanctissimus vir Au„ gustinus disputat, tanta contentione, tantoque opere id crimen, ceu omnium maximum, „ a se auctor disertissimus amolitum isset. Quamobrem dabunt, spero, nobis optimi et „ gravissimi viri voti nostri veniam, quod tam eruditum antiquitatis monumentum non ita „ lacerum circumferri, neque ita ἀεικέσι πληγαῖς deformari, semper optaverimus. Quam„ quam votum hoc nostrum nihil aliud nisi votum fuisse, nosque de hac editione nun„ quam ante hoc tempus, quicquam cogitasse, et liquido iurare ipsi possumus: et no„ runt illi optime, quorum petitu suscepta mihi et nata haec scriptio est. Nuper adeo „ cum apud me essent amici quidam et familiares mei, adolescentes has literas apprime

„ doc-

„ docti, et super mensam orto de huius libri mendis sermone, ostendissem iis quae pri-
„ dem inter legendum, ut fit, ad oram mei codicis adnotaveram: coeperunt vehementer
„ a me contendere, vellem illa ipsa cum studiosis communicare. Quid multa? non ante
„ finem orandi mei fecerunt, quam exorarunt. Haec ita accidisse, meque paene invitum,
„ certe ἑκόντα ἀέκοντί γε θυμῷ horsum fuisse impulsum, illi ipsi amici mei, quod gaudeo,
„ testimonium mihi apud te perhibebunt. Commodum enim, ut spero et opto, eodem
„ tempore et illi isthuc appellent, et haec nostra in tuas manus venient. En igitur tibi,
„ Iosephe Scaliger, princeps eruditorum, paucorum dierum dicam, an horarum foetum:
„ quem etsi ὑπηνέμιον, ausus sum muneri tibi mittere. Nam et gestiebat pridem animus
„ mei in te amoris atque observantiae monumentum aliquod in vulgus edere: et me nunc
„ illustris tui nominis patrocinio cum maxime indigere probe intelligebam. Tu ne aucto-
„ ritatem defugias, per ego te nostram amicitiam, etiam atque etiam rogo atque obtestor.
„ Debes hoc mihi, vir nobilissime, debes: qui tuis literis ita me nuper excitasti, ita
„ ἐπτέρωσας, ut si quid in hoc negotio confidentius a me sit admissum, id ego non tam
„ meum quam tuum iudicium secutus peccaverim. Quae ergo eius generis erunt, ea tu,
„ pro divina illa tua aequanimitate, quae me non ita pridem in ruborem dedit, excusabis:
„ pro illa singulari eruditione, qua omnes mortales in tui admirationem rapuisti, corri-
„ ges: ac, pro tuo, tuique parentis illius Sophi, more, quae nobis aliisque sunt incom-
„ perta, nos docebis. Deus Opt. Max. te servet Μουσηγέτα. Vale: et proxima foetura,
„ si vitam idem Deus, si otium concesserit, Athenaeum ac Suetonium a nobis expecta."

1597. Basileenses sive Henrico-Petrina III. 8. 3 voll. *L. Apuleii Madaurensis philoso-phi Platonici Opera, quae quidem extant, omnia. In primis vero de Asino aureo Libri XI. cum eruditissimis Philippi Beroaldi Commentariis. Et Godescalci Ste-wechii Heusdani in L. Apuleii Opera omnia Quaestionibus et Coniecturis: nec non aliorum doctiss. virorum in eundem Emendationibus. Demum totus Apuleius ab innumeris, quibus scatebat, mendis, non solum vindicatus, verum etiam cum ve-tustiss. Codicibus collatus, notis marginalibus lucidior est redditus. Adiecto quoque ad calcem Operis rerum et verborum in iisdem memorabilium Indice copioso. Reli-quorum Operum catalogum Partis II. Titulus indicabit. Basileae per Sebastianum Henricpetri.* In fine: *Basileae per Sebastianum Henricpetri. Anno salutis humanae* CIↃIↃXCVII. cf. supra dicta de Basil. II. Passim sequitur haec Ed. Vulcania-nam, et habet, praeter Herbarium, etiam Asclepii dialogum, qui abest Basil. II.

1600. Hoc anno repetita est Vulcanii editio a Christophoro Raphelengio, cura Scali-geri, qui nimis pronus fuit ad novas lectiones, in primis coniecturas Vulcanii marginales, admittendas. cf. Ruhnken. in praef. p. VII. Editionem ipsam non vi-di, sed eius varias lectiones enotaverat Oudend. qui eam saepius citat, et vocat *Ed. Vulc. sec.* cf. ad Met. p. 6, a. et Burmanni not. in Syllog. Epp. T. I. p. 360.

1601. Paris. *L. Apuleii opera omnia quae exstant. E quibus, post ultimam P. Colvii editionem, Philosophici Libri ope vetustiss. Cod. MS. innumeris mendis expurgati; quam plurimis locis aucti, per Bon. Vulcanium Brugensem. Lutetiae Parisiorum ex off. Christophori Beys, viā Iacobaea. MDCI.* — Itaque titulus, praeterquam in loco et tempore impressionis, ad verbum respondet Edit. Vulc. anni 1594. Nescio quo errore inductus, Oudendorpius fere ubique hanc Edit. vocat Vulcan. primam, quum videatur esse tertia, quomodo nos eam vocavimus. Duobus locis Metam. p. 579 et 814, b. citat Oudend. Merceri Edit. Paris. 1601. quam mihi clare apparuit eamdem esse, quam Vulcanii primam dixerat alibi, nos Vulcanii tertiam dicendam putavimus. Habet quoque haec Ed. dedicationem Theod. Cantero inscriptam, quam ab editore Parisiensi reiectam esse, monet Burm. l. c. Sed alia quoque Ed. Paris. hoc anno prodiit: quae in Bibl. Röveriana, Part. II. p. 308. hoc titulo recensetur: *L. Apuleii opera omnia quae exstant, e quibus Philosophici Libri mendis expurgati et aucti per B. Vulcanium. Lutetiae Paris., Michael Sonnius*, 1601. Mirum sane videatur bis eodem anno Parisiis editum fuisse Appuleium, qui etiam proximo anno in eadem urbe fuerat editus: si qua fides Oudendorpio, Burmanno, Ruhnkenio. Vid. supra.

1606. *L. Apuleii Madaurensis Platonici opera Ioan. a Wouuer ad veterum librorum fidem recensuit, infinitis locis emendavit, nonnullis auxit. Ex Bibliopoli, Frobeniano.* CIϽIϽCVI. 12. — Ad Appuleii contextum emendandum non multum contulit Wowerius, et aliorum emendationes non raro sibi vindicavit: sed omnium accuratissime de auctoris vita et scriptis egit in praefatione, quam hic exhibebimus, omissis quae de vita Appuleii dicta sunt, quoniam ea supra iam a nobis sunt relata.

WOWERII PRAEFATIO.

„ Ex multis (Appuleii) operibus pauca admodum laudanda maiorum curiositas, velut „ iacturae naufragio subduxit Maximam vero illorum partem, sive fatali patrum oscitan„ tia, sive insidiosa magnis ingeniis longi temporis serie periisse verisimile est. Nam quae „ de rerum naturalium cognitione reliquerat, tota interciderunt: cum tamen hanc Philoso„ phiae partem praecipue excolendam suscepisset. Abdita enim naturae et rerum causas, „ animalium proprietates inter varia experimenta se investigasse narrat; quae ab Aristo„ tele, Theophrasto, aliisque naturae patronis incomposite congesta, se ordine tradidis„ se, et illis omissa supplevisse refert. Ex his omnibus collegit opus naturalium quae„ stionum haud dubie magnum, nam et quintum eius Librum laudari video, et quamvis „ Graece hoc opus cnnscripserat, pleraque tamen et Latine invulgavit, ac praesertim quae „ de piscibus in eo docuerat. Quod autem praecipuum istorum librorum argumentum fue„ rit, ipse in Apologia docet. Servius Virgilii interpres Apuleii *de Arboribus* mentionem

„ facit, Priscianus *Medicinalium* auctoritate usus. Medicinae certe se peritum et studio-
„ sum memorat; unde et Themison Medicus mulierem morbo comitiali miseram in domum
„ eius, ut inspiceret, deduxit. Medicus igitur Apuleius; sed Medicus Philosophus, qui
„ non tam curando morbo, ut accusatores finxerant, quam ut morbi causam indagaret,
„ mulierem ad se perduci passus, quod fieri solitum, in Commentario de disciplinis priscis
„ notabo. Observatur liber *de Herbis* Apuleio inscriptus, falso huic Platonici Madaurensi
„ assignatus: sed eruditi erroneum scriptum Apuleio Celso Medico vindicant, quem Scri-
„ bonius Largus praeceptorem suum laudat, et Marcellus inter Medicinae auctores recen-
„ set. *Phaedonem* Platonis Apuleium transtulisse ex Graeco, Sidonius et Priscianus pro-
„ didere. *de Republica* scripsisse Fulgentii testimonio constat. *de Numeris* ipsum Latine
„ docuisse Cassiodorus et Isidorus tradunt. transtulit etiam Nicomachi *Arithmeticam*, ut
„ ex eodem Cassiodoro constat, qui et *de Musica* illum Latine scripsisse auctor est. Phi-
„ lologici vero argumenti quamplurima conscripsit. Poëmata varia et plurimas dissertatio-
„ nes. Epigrammata amatoria Ausonio laudata, Carmen de virtutibus Scipionis Orphiti,
„ Hymnus Aesculapio dedicatus Graeco et Latino sermone conscriptus, item dialogus
„ hymno praefixus ipsius testimonio nota. Epistolarum ad Cerelliam idem Ausonius me-
„ minit, quas lascivioris argumenti fuisse apparet. Librum *de Proverbiis* secundum lau-
„ dat Charisius. *Convivales quaestiones* plurimorum auctoritate clarae cuius argumenti fue-
„ rint, colligere licet ex Macrobio, qui Plutarchum eiusdem argumenti libros reliquisse
„ tradit. quo pertinet quod in Floridis legimus: Apuleium scripsisse griphos. Moris
„ enim fuit γρίφους, seu quaestiones ambagibus involutas in conviviis ad solvendum pro-
„ ponere, de quibus praeter Hesychium, Suidam, Scholiasten Aristophanis, Athenaeus
„ lib. 10. ex Clearcho et aliis. Pollux κυλίκεια ζητήματα vocat. Ambigo an libri Ludi-
„ crorum, quorum meminit Nonius, ad idem opus referendi. Suadere videtur Macro-
„ bius, qui totum hoc scribendi genus ludicrum vocat. Cognati indubie argumenti. In
„ conviviis antiquorum frequens urbanitas. soluti enim vino, ut solet, dicteriis et salibus
„ ludebant: unde apud Ciceronem Epist. ad Paetum: *non multi cibi sed ioci hospes.* Et
„ senex iste apud Plautum Milite: *vel cavillator facetus, vel conviva commodus.* Apul.
„ Metam. 1. *cibo satio, poculo mitigo, fabulis permulceo. iam ad lubentiam proclives erant*
„ *sermones et ioci, scitum et cavillum.* Lib. 2. *iam epularis sermo percrebuit, iam risus*
„ *affluens, et ioci liberales et cavillus hinc inde.* Varium autem hoc cavillationum genus: ut
„ Plutarch. Sympos. 2. et Macrob. Saturnal. 7, saepius cum contumelia alterius con-
„ iunctum: unde dissidia et rixae obortae: ideo prudentiores ad quaestiones convivales de-
„ flectere maluerunt. Utrumque argumentum Apuleio pertractatum, et hoc quidem lib.
„ *Quaestionum*, illud vero *Ludicrorum*. Ita legimus apud Suetonium, Caium Melissum
„ Grammaticum conscripsisse libros *ineptiarum*, sive *iocorum* CL. Sed ipse Nonii locus
„ cuiuscuius iudicium secuti parum probae fidei videtur. Neque enim satis aperte Apu-
„ leio libros Ludicrorum vindicat. Disputationis de Aesculapio, quam apud Oeenses re-
„ citavit, in Apologia meminit. Librum de statua sibi erecta, in quo gratias agebat Car-
„ thaginiensibus, et librum Scipionis Aemiliani honoribus dedicatum ipse quoque laudat.

„ Prae-

„ Praeterea orationem vulgasse adversus contradictionem quorumdam civium, de statua
„ apud Oenses locanda, D. Aug. testis. *Hermagoras* Apuleii, Fulgentii et Prisciani
„ mentione notus, cuius argumenti fuerit, adsequi non potui. Dialogi speciem prae se
„ ferre videtur. inscriptio a persona, cui partes loquentis dederat. Tributus autem in
„ plures Hermagoras, imitatione Platonis, ut ex locis a Prisciano citatis coniicere licet.
„ quam vero idem Priscianus *Epitomam* eius laudet, ignoro: nisi ad historiarum epitomen
„ referas; quo et locus, quem profert, ducere videtur, et illa in Floridis: *historias va-*
„ *riarum rerum, nec non dialogos laudatos philosophis.* Et haec quidem omnia iniuria tem-
„ poris invida molitione nobis subtraxit. Inter illa vero, quae velut ex communi incendio
„ reservata, primi occurrunt Metamorphoseôn libri suo iure primum locum occupaturi, si
„ aetatis aut annorum censu aestimarentur. Nam prima foetura excidisse Apuleio liquido
„ dignoscimus ex ipso, quod cum alias gloriari soleat de verborum proprietate, initio ho-
„ rum librorum veniam praefatus sit: *si quid exotici ac forensis sermonis rudis locutor of-*
„ *fenderet*, tanquam si recens a studio fori, huic meditationi se tradidisset. Nam primum
„ eius tyrocinium postquam Latine didicisset, in causis agendis, et primum hoc opus
„ Latine vulgasse, etiam illa produnt, quae subnectit eodem loco, *haec ipsa vocis immu-*
„ *tatio, desultoriae scientiae stilo, quem arcessimus, respondet.* Quae enim illa vocis im-
„ mutatio, nisi quod Graecum sermonem familiarem et consuetum mutaret, et iam Latine
„ scribere institueret? Sed vicit materiae dignitas ut loco moveretur. Merito enim fabu-
„ lae Milesiae cedunt Philosophiae. Libros ad eam pertinentes, quod optimi Imperato-
„ ris erat, dispersos et palantes collegi, et recto, ni fallor, ordine digessi. Observan-
„ dum autem inprimis laudabile studîum Apuleii in vertendis Graecorum scriptis. quale
„ sit illud, in Apologia docet, ubi ait: *se cohibilius et ordinatius conscribere Latine, et*
„ *in omnibus aut omissa inquirere, aut defecta supplere, res paucissimis cognitas Graece et*
„ *Latine propriis et elegantibus vocabulis conscribere*, et quae deinde sequuntur. hoc insti-
„ tutum cum accurata diligentia exequutus sit, non tam a Graecis translata, quam propria
„ et vernacula ipsius videntur quae huius argumenti reliquit. Ita Platonis decreta in com-
„ pendium coegit, eaque induta elegantissimae orationis specie Latinis prodidit, illo
„ opere quod *de Dogmate Platonis* inscripsit. Non intelligo autem unicum libellum, quem
„ hactenus titulo isto vulgarunt, sed adiunctum oportuit librum *de Philosophia* et περὶ ἑρ-
„ μηνείας. ita demum Platonicae Philosophiae corpus integrum erit. quae ratio est quod
„ in libris antiquis duo isti priores nulla distinctione separantur. Inscripsit autem totum
„ hoc opus, quo Platonis decreta narravit, *de Dogmate Platonis*, ut Alcinous, apud Grae-
„ cos similis argumenti librum, εἰσαγωγὴν τῶν δογμάτων Πλάτωνος. Quo vero ordine haec
„ Platonis decreta traditurus, ipse docet libro *de Dogmate Platonis*, ubi, postquam pauca
„ de ipso Platone praefatus, subiungit, *quae autem consulta, quae dogmata Graece licet di-*
„ *ci, ad utilitatem hominum, vivendique, et intelligendi et loquendi rationem extulerit,*
„ *hinc ordiemur. Nam quoniam tres partes Philosophiae congruere inter se primus obti-*
„ *nuit; nos quoque separatim dicemus de singulis, a naturali Philosophia facientes exor-*
„ *dium.* Vulgatissima Philosophiae divisio ex sententia Platonis, εἰς γνῶσιν τῶν ὄντων,

„ quae est φυσική, πρᾶξιν τῶν καλῶν, quae ἠθική, καὶ τοῦ λόγου θεωρίαν, quae διαλεκτική.
„ Primo igitur loco, sive libro isto qui hactenus *de Dogmate Platonis* inscriptus, de Phi-
„ losophia Naturali agit. libro, qui *de Philosophia*, τὴν ἠθικὴν docet. ita enim orditur
„ *Moralis Philosophiae caput*. etc. libro περὶ ἑρμηνείας τὴν λογικὴν complexus. initio eius
„ libelli: *studium sapientiae*, inquit, *plerisque videtur tres species seu partes habere, Na-*
„ *turalem, Moralem, et de qua nunc dicere proposui, Rationalem.* Non intelligo autem
„ quâ ratione solus ille libellus de dogmate Platonis inscribi debeat, quo Philosophiam
„ naturalem tradit, cum non minus in reliquis Platonis dogmata exequutus sit: quemadmo-
„ dum nec ille solus sit de Philosophia quo τὸν ἠθικὸν τόπον complexus. Vere quidem Phi-
„ losophia, qua nostri meliores efficimur, ἡ τῶν τῆς ψυχῆς ἀῤῥωστημάτων καὶ παθῶν φάρ-
„ μακον: nec tamen propterea obtinebit ut sola Philosophia audiat. Quare totum opus
„ decretorum Platonis, *de dogmate Platonis* inscripsit, et singulas Philosophiae partes ex
„ recepta divisione tribus libellis separatim tradidit, quorum prior continet Naturalem,
„ alter Moralem, tertius Rationalem. Absolutâ igitur triplici Philosophia, commodum
„ succedit ἡ πρώτη φιλοσοφία, quae dedita rebus corpore et materia solutis, ut Deo, An-
„ gelis, Geniis, et illorum adiunctis. Hanc complexus est Apuleius lib. *de Deo Socratis*,
„ cuius praeter alios saepe mentionem facit D. Aug. lib. 7. et 10. de Civitate Dei, pluri-
„ ma ex illo loca erroris convincere conatus. quae vero de Manibus ex Apuleio profert
„ Isidorus, sine dubio ad hoc scriptum pertinent, in quo tamen eadem non facile repe-
„ ries. Priscianus *Dialogum* vocat. Non invitus illorum sententiae accesserim, qui mi-
„ nus integram hanc disputationem existimarunt, nam et ipsa fine mutila et deficiens vide-
„ tur: initium vero plane irreptitium et alieno loco positum, nihil cognatum habet cum
„ gravissima disputatione et rerum divinarum contemplatione. Qui autem inducti iis ver-
„ bis: *ut caetera Latinae materiae persequamur*, existimarunt, principium Graeco ser-
„ mone conceptum fuisse, minus recte sentire videntur. Quid attinet ea Graece enar-
„ rare, quae copiosa facundia et divina quadam maiestate verborum a Platone tradita?
„ non deflectit ab instituto: constituerat autem mutuata a Platone Latinis verbis prodere.
„ Libet deinde interrogare quomodo dicat, *quam tenuis huius modii severimus*, quam postea
„ ab ipso capite deducit? Quae denique tam desultoria loquentis oratio, ut iam velut in
„ auditorio apud plures sermocinetur, mox ad unum orationem convertat? Quare, ne lec-
„ torem Philosophiae intentum intempestive a seriis ad ludicra avocaret, induci me passus
„ sum ut *Floridis* ob similitudinem adiungerem. Nemo me vituperabit, quod ad votum
„ legentis haec composui: non abieci partum, sed aptiori loco exposui. Platonicae Philo-
„ sophiae compendium recte sequitur liber *de Mundo*: Peripateticae doctrinae contracta
„ quaedam definitio. continet enim descriptionem universi, quam velut in tabella de-
„ pictam uno aspectu intueri licet. Eximia doctrina, pari elegantiae consensu tradita.
„ dignum opus, in quo eloquentiae suae Veneres exprimeret; quod hac, ut ita dicam,
„ transfusione non mutat saporem, nec quidquam gratiae illi perit. ea est interpretis dili-
„ gentia et ingenii quaedam vis peculiaris. Et haec quidem Philosophiae propria, quae
„ temporum iniuriam effugerunt. Metamorphoseon libri ludicri plane, et varii argumenti: in

„ quī-

„ quibus tamen non deseri. institutum, ut a Graecis accepta Latine tradat. infinita quidem
„ de suo miscet, secutus tamen vestigia Luciani, qui fere simili fictione λεύκιον sive ὄνον
„ scripsit. Rationem inscriptionis ipse Apuleius reddidit initio lib. 1. *figuras fortunasque*
„ *hominum in alias imagines conversas, et in se rursum mutuo nexu refectas hic exordior:*
„ et potior sane argumenti pars sui ipsius transmutatio. Hunc itaque titulum imposuit
„ auctor, quem solum antiqua exemplaria praeferunt: illum vero de *Asino aureo* alii af-
„ finxerunt. Si enim ad argumenti indicium adiicere aliquid voluisset, imitatione Luciani,
„ *de Asino* fortasse, nunquam vero *de Asino aureo* inscripsisset. ita Ciceronis Dialogum,
„ quem *Brutum* appellarat, sub titulo *de claris Oratoribus* exposuerunt. Idem in aliis
„ Ciceronis libris et Platonis dialogis observare licet: qua parte saepius erratum in Auso-
„ nii aliorumque operum lemmatis. velim autem doceri ex ipso Apuleii opere, quae ratio
„ suadere potuisset, ut de *Asino aureo* inscriberet: velim ostendi quo proximo argumento
„ hoc colligi possit. At Augustino, et aliis hoc indice laudantur. quis negabit? sed ut
„ notos antiquis hoc titulo concesserim, ita ab Apuleio hac inscriptione vulgatos non fit
„ verisimile. Quia vero hoc opus placuit, sive ob figmenti festivitatem et leporem fabula-
„ rum, sive aliam quamvis ob causam, obtinuit ut *de Asino aureo* diceretur. Pervulgatum
„ est pulcra et elegantia aurea dici, ut Graecis τὰ χρυσᾶ, ἄριστα δὲ καλά. Ita apud Pli-
„ nium lib. Epist. 2. *aurea Fabula*, et Caii Iurisconsulti *Aureorum Commentarii*. Atqui
„ ut τῶν Πυθαγορείων ἔπη τὰ χρυσᾶ, ita Apuleii *de Asino aureo*. Video et *Milesiarum* ἐπι-
„ γραφὴν iisdem libris assignari, nullo tamen certo antiquo auctore, nisi quod Imperator
„ Severus Epist. ad Senatum apud Capitolinum *Milesias Punicas* appellet. Nunquam ta-
„ men *Milesiarum* libros inscriptos affirmabis. nam illa Severi contemptim dicta in Albi-
„ num itidem Afrum. Ipse autem Apuleius initio operis sermone Milesio varias fabu-
„ las conscripturum se ait. Milesiae enim huius argumenti fabulae, in quibus ut Hie-
„ ronym. ad Eustochium, ludus et oblectatio: unde Tertullianus de anima, cap. 23. Mi-
„ lesias Aeonum appellat commenta Aeonum Valentiniani. Μιλησιακῶν Ἀριστείδου meminit
„ Ovidius Tristium lib. 2. Plutarchus in Crasso vocat βιβλία ἀκόλαστα. Sisennae Mile-
„ siarum lib. 11. laudat Charisius. Verba vero Fulgentii, ut hoc in transcursu moneam,
„ 3. Mytholog. in fabula Psyches, ubi librorum *Metamorphoseôn* mentionem facit, cor-
„ rupta sunt: *sed quia haec*, inquit, *Saturantius et Apuleius pene duorum continentia li-*
„ *brorum tantam falsitatum congeriem enarravit*. Nullis, quod sciam, scriptorum indi-
„ ciis notus hic Saturantius, neque adeo auctoris nomen. Mendosa autem Fulgentii verba
„ ita restituenda: *sed quia haec saturantius Apuleius pene duorum continentia librorum*.
„ Lib. de Allegoria, lib. Virgilii: *ut tuis saturantius aliquid adhuc faciamus ingeniis*, et:
„ *saturantur haec in libro Physiolog.* Tertullianus de anima, *Caetera Hermippus quinione*
„ *voluminum satiatissime exhibebit*. Apologiae quod opponas, sive eloquentiam, sive re-
„ conditam eruditionem spectes; frustra quaeris. Eam unicam et continuam auctorita-
„ te Divi Augustini, ipsiusque adeo orationis cohaerentia aequis censoribus Viri eruditi
„ sim persuaserunt. et fingamus duplici actione recitatam, una nihilominus oratio erit.
„ *Florida* omnium maxime depravata ad nos pervenerunt: neque enim foedis solum

„ mendis contaminata et hiulca, sed passim intemperata commixtione confusa: ipsa ἐπι-
„ γραφὴ supposita, et ab aliena manu: dispositio ab imperitis. Neque enim video quo-
„ modo sub certos libros redigas, quae sine ullo connexu ubique lacera, luxata, mu-
„ tila, nihil aliud promittunt quam reliquias integri corporis, nuda scilicet fragmenta,
„ excerpta et dissertationibus Apuleii, quas plerasque Carthagini habuit. ea a studiosis
„ Apuleii congesta titulo *Floridorum* nobis transmissa sunt, falsa librorum distributio-
„ ne. Verum me dicere ipsa ἐπιγραφὴ loquitur. Nam, qui Florida dici existimant ab
„ efflorescenti et laeto dicendi genere, inscitiam suam produnt, hac enim ratione totum
„ opus *Florida* inscripserint. *Florida* sunt *Electa* ἀνθολογίαι, χρηστομαθίαι (*). Sic
„ *Defloratorum* libri inscribuntur, in quibus variae Ciceronis aliorumque χρεῖαι. *Florida*
„ igitur sunt τὰ ἀνθηρά. Ita *Electa* ex veteri poëmatio excerptores inscripserunt *Floridum*
„ *de qualitate vitae:* plane simili indice et materia, est enim Cento plurium versuum
„ concinnatus ex integro poëmate. Satis iam, ut arbitror, constat quid *Floridorum* titu-
„ lus notet, quem convenientem his fragmentis fateantur necesse est qui ipsa verba con-
„ siderarint. Vera haec praesto, non mea assertione nec fide, sed proprio cuiusque iudi-
„ cio. Omnes in rem praesentem voco, atque ut ipsam orationem eiusque connexum fixis
„ oculis intueantur, rogo. Audebo interim repetere verba antiqui pictoris, qui cum in-
„ tellexisset Helenam Zeuxidis a quodam contemni, petiit, ut suis in ea contemplanda
„ oculis intueretur; abesse non posse, quin divinam et pulcram cerneret. Utinam pari
„ modo impetrarem, ut animi mei obtutu haec considerare dignarentur! nullius auctoritas
„ rationem vinceret, nec longi temporis praescriptio errori inveterato patrocinium prae-
„ staret. Equidem miror inter tot eruditos Apuleii interpretes neminem advertisse col-
„ lecta haec Florida incondite coaluisse. Nimirum hoc poterat receptus error, ut vel
„ acute cernentibus caliginosam caecitatis nubem offunderet. Etenim si toties iniuria coeli
„ impedita recitatio est, quoties sermo intercisus; Iovem Pluvium valde iratum, imo im-
„ placabilem habuisse Apuleium credendum est. Si toties diversi casus intervenere, qui
„ disserentem abegerunt, quoties abrupta oratio; plane inauspicato ad dicendum acces-
„ serat. Et maluissem profecto semel haec adserere, quam suadere; si per eorum moro-
„ sitatem liceret, qui, stimulati ambitione φιλοδοξίας, vel mero meridie lucere negant. à
„ quibus quid expectem nisi operosum contemptum? quo solo utinam resideret maledicen-
„ tium rabies. Sed non lenient impetum morbi, etiamsi me feliciter operam lusisse dixe-
„ rint, nisi hoc quoque adiecerint, deprecandum mihi infandae temeritatis crimen. quod
„ tamen non prohibebit, quin os aperiam adversus vulgi sententiam et tot aetatum con-
„ sensum. Rescindere igitur libuit male coacta, et non recte cohaerentia separare. quod
„ apud aequos censores fraudi mihi non erit. Superest ἀνεχόμενος poëmation vulgatum à
„ Clodio Bineto, lepidum quidem et venustum, quod tamen Apuleio non adscripse-
„ rint,

(*) Quae hic de ἀνθολογιῶν et ἐκλογῶν inscriptione sequuntur apud Wower. eorum summam dedimus supra pag. 513.

„ rim: nisi induxerit fortior ratio, quam mollis haec et deliciosa elegantia (*). „ Haec tam varia tamque praeclara praestantis ingenii monumenta cum nunquam sine „ fructu reconditae eruditionis lectorem dimitterent, et tamen mirum in modum corrup- „ ta et mendis depravata oberrarent; non defuerunt viri docti, qui in iis restituendis „ serio laborarunt, quos laude sua non fraudabit grata posteritas. Horum vestigia, etsi „ longo intervallo, impares sequimur. quanquam, sine arrogantia dixerim, haud minus „ mihi debet, quam cuiquam illorum. Iam destinatum morti ad vitam revocarunt, sed „ debilem et aegrotantem destituerunt. Quod laetior caput exerat, quod sani coloris et „ sanguinis, quod firmi artus et constans valetudo, nostrum est opus. Certum; Apu- „ leium infinitis mendis liberavi; nec tamen dissimulo haud pauca etiamnum residere falsa „ et corrupta lectione obvoluta: sed ea etiam aliis pro desperatis exposita et relicta, quae „ tamen facile emendabunt quibus in divinando felicior Genius addicit, aut in eruendis li- „ bris fortuna benignior magis favet. Aequiores nobis erunt, nec invidiosa calumnia di- „ ligentiam nostram differant, quod aut felicius in his litteris versari, aut prolixiori otio „ uti contigit. hoc tamen palam profiteri non verebor, si alii parem operam Apuleio lo- „ carint, futurum ut penitus emendatus et incorruptus sit. Ut autem plane constet dili- „ gentiae nostrae ratio; plurimum ad hanc editionem contulit codex Fulvii Ursini, erudi- „ tissimi viri, qui cum aliquot manu exaratis libris comparatus, varias lectiones et „ emendationes adscriptas exhibuit: eum mihi Romae amice suppeditavit, ingenii et do- „ ctrinae laude clarus, Gasper Schoppius, cuius etiam fidem secutus sum in iis, quae ex „ coenobii Bertiniani Codice expressi. Accedit liber Iani Gruteri, quem cum plurimis „ libris manuscriptis Bibliothecae Palatinae contulerat, et optima fide ac religiosa diligentia „ variantes lectiones enotarat. Hunc non recusavit mihi cedere optimus vir: quem excel- „ lentis ingenii et eruditionis gloria iam orbi notum frustra narrabo. Henricus Linden- „ bruch, amicissimus mihi et optimis studiis, aliquam multas lectiones varias ex libris „ MSS. excerptas communicavit. Ex Fulvii autem Ursini Codice omnia Apuleii opera „ emendavi; ex Palatino et Bertiniano solos Metamorphoseon libros. Quae certa et mani- „ festo vera ex fide veterum librorum, aut doctorum emendatione suo loco recepi. In „ quibus vero non arrisit ingeniosum nimis aliorum acumen, aut praeposterum immutandi „ studium, vulgatis adhaesi. Nempe hoc egi, ut legentem iuvarem, qui planiora et „ minus remorantia amat. Quae vero ab ingenio nostro, timide admisi. Nolim tamen „ ignorari, me innumeris locis Apuleium emendasse, qua distinctione, et incondita ver- „ borum traiectione, qua ineptis repetitionibus, quae gloriose prostituere nolui. Stultus „ est labor ineptiarum, et inanis in friuolis iactantia. Peream, si omnis haec opera vel „ exiguae laudis lenocinio mihi blanditur: studia vero recte iudicantium industria mea ad- „ iuta, hoc me consolatur et erigit. Quod si ineptissimorum hominum voces audirem, pe- „ riisset hoc quicquid est ocii, datum inertissimae occupationi. Neque enim me fugit dam-

„ na-

(*) Wowerii de versione Asclepii iudicium, quod hic sequitur, vid. supra p. 518.

,, natum Apuleium et vulgo invisum. Certe sub gravissimo elogio proscripserunt nescio
,, qui ludimagistri, cymbala fanaticae et ebriosae iuventutis, quibus nihil pulcrum aut
,, probum, nisi quod humi serperet, quod paucis scriptoribus usurpatum: ex quibus
,, mendosa quaeque et vulgaria ad imitandum seligunt. Inde cum illorum scripta attigeris,
,, simul commiseratio aut somnus obrepit, nec sane mirum fastidientis stomachi illos esse,
,, quos peritiores censeas commessatores, quam oratorum iudices: ideoque eorum sententias
,, ii soli receperunt, quos ex crapula heluco attentatos et semisopitos deprehendas; sobriis
,, vero non magis obhaeserunt, quam heluonum ructus. Dicant nunc in primis, si pos-
,, sunt diserte, an quisquam ab Antoninorum aevo extitit, qui Apuleio comparari susti-
,, neat. certe reliquis omnibus abstulit nomen, et suae claritatis fulgore tenebras obduxit.
,, Quam eleganter, quam perite Philosophiam tradit! quantum acumen sententiarum! quae
,, festivitas argumentorum! ut taceam nugarum hanc lancem conditam antiquae et non pro-
,, tritae doctrinae succo; quis denique in dictione lepos, perpetuis imaginibus aspersis,
,, amoenâ et floridâ! Sed redundat atque effunditur libero nimis fluxu. Habes quod repre-
,, hendas, at copiae vitium erit. Admiranda enim in explicando facundia et perennis fons
,, ubertatis. At verbis audax et obsoletus. utrobique tamen felix. Nam quae ex penu
,, eius petita videntur, excusat significationis proprietas. Sola asperitas et affectatae com-
,, positionis horror aures laedere poterat: in quo idoneum patriae patrocinium. Peregrinus
,, litteris Romanis Apuleius, et Afer, quibus peculiare fuit vincere acumine et sententiis.
,, Observandum autem incultam hanc et duram phrasin praecipue obviam in libris Meta-
,, morphoseôn. Excusabit igitur et argumentum, quod, varium et iocosum, involvendum
,, fuit pingui hac et squallenti, ut ita dicam, lacerna: quâ et Varronis Menippeas, et
,, Martiani Capellae Artes, quas Satyra dictante conceperat, incinctas videas. Satius ergo
,, fuerat vitia haec Apuleii erudita interpretatione levare, frui his deliciis, et, si quae in
,, iis stomachi nostri infirmitatem solverent, cauta observatione sublegere, et ab eorum
,, contactu temperare potius, quam totum inconsulta temeritate damnare. Sed nae ego
,, imperitus, qui causam Apuleii agam, cum recte sentientes accusatores non habet. quin
,, potius cohibebo me, et contemnam stultis et imperitis respondere, quibus, ut pueris,
,, terrori rerum umbrae, cum de ipsis corporibus parum constat, quae intueri aut tangere
,, verentur. nempe spernunt quae ignorant, et difficultate territi admovere manus non au-
,, dent. Ego profecto grande operae pretium tuli, quod Genio meo paucissimis hisce ho-
,, ris litavi. Quid enim attinet circuitu agere? semper adeo amatorem me habuit Apuleius,
,, ad cuius lectionem etiam primis annis impetuose rapiebar: non quod placerent dulcia
,, illa vitia, aut quod magnopere me caperent Milesiae et id genus nugamenta, quae ne
,, tralatitia quidem lectione dignari soleo, et a quibus etiam illa aetate iudicio abhorrebam
,, (quanquam et summi viri ad lusus et amores narrandos descenderunt, et gravissimae
,, doctrinae praecepta ludicris istis temperarunt: quorum exemplo incitatus aliquando si-
,, mile argumentum suscepi, nec visa est eruditis illepida prorsus et inelegans composi-
,, tio, cuius praecipuus finis ut Latini sermonis parum peritis eriperem falsam persuasio-

,, nem,

„ nem, qua imbiberunt Latinae Linguae tantum rigorem, ita enim vocant, ut flecti ad „ has Veneres non possit) sed trahebat me consensus ingeniorum, vel potius proprietas „ quaedam et peculiaris gratia Apuleiani ingenii, quam sentio et intelligo potius quam „ profero. Ut non dicam de secta Platonica et tota philosophandi ratione. Nihil adeo et „ nos amamus, nihil novimus, nisi festum, et laetum, et superum, et coeleste: ut „ rite decebat hominem optimo loco natum, et liberaliter educatum. Salve igitur, mihi „ iucunda anima, et has corollas, quas sparsi ad tumulum iam arescentis, lubens excipe."

1606. Francofurti, 12. Ἀνεχόμενος cum Priapeiis Gasp. Scioppii, et c. n. varr.

1607. Apologia hoc anno, cum notis, Heidelbergae, a Ioanne Meursio edita legitur in Act. Lips. m. April. 1736. Lugduni Batavorum hoc anno prodiisse Meursii Editionem, monet Hallewordius Bibl. Curiosa v. Appul. Sed nunquam equidem a Meursio Appuleii ullam partem editam credo. Error inde ortus est, quod hoc anno Meursius Scipioni Gentili, Apologiae editionem paranti, misit per epistolam, datam Altorphii Noricorum, postrid. Non. Iun. CIↃIↃCVII. animadversiones paucas, exigui sane pretii, quae post Editionem Scipionis Gent. leguntur, et huic etiam Edit. insertae sunt.

1607. Lugd. Bat. 8. Appuleii Liber de Deo Socratis subiectus est priori ed. Heinsianae dissertationum Maximi Tyrii.

1607. Hanoviae, 8. Apologia, cum commentario Scipionis Gentilis, cui Meursii castigationes subiectae sunt. Scipio Gentilis, ICtus nobilissimus, Apologiam uberrimo et utilissimo commentario ornavit, multa loca e Iure Romano illustravit, et vicissim Ius Romanum ex Appuleio explicuit. Commentarius ille cum textu Appuleiano constituit Vol. VI. Operum omnium Scip. Gent. quae edita sunt Neapoli an. 1768.

1610. Lugd. Bat. 8. *Apuleii opera omnia, quae exstant. Ex off. Plantin. Rapheleng.* — Exstabat inter libros in Bibl. regia Acad. Gotting. in duplo exstantes, an. 1734. divenditos, num. 3444.

1614. Lugduni, 8. II voll. *L. Apuleii Madaurensis philosophi Platonici opera quae exstant omnia. Cum Philippi Beroaldi in Asinum aureum eruditissimis commentariis: recensque Godeschalci Stewechl in L. Apuleii opera omnia quaestionibus et coniecturis, nec non aliorum doctorum virorum in eundem emendationibus adiectis. Postremae huic editioni accesserunt Is. Casauboni in Apologiam doctissimae castigationes. Io. Pirrhi in libros quatuor Floridorum scholia. F. Roaldi variae lectiones. Iani Gruteri suspiciones, et Gasp. Scioppii suspectae lectiones. Nova editio emendatior, et variis lectionibus locupletior. Cum Indice. Lugduni; vid. Ant. de Harsy.* — Scioppius in Lectionibus, quae Augustae Vindel. iam an. 1605, 12. seorsim editae fuerunt, et Lugd. Bat. 1644, et Amst. 1664, 8. postea recusae sunt, Wowerium hinc inde acerbius perstringit.

1614. Henrico Petrina IV. Appuleium ex editione Seb Henrici Petri Basileensi recusum esse hoc anno, testis est Fabricius. Sed videtur eadem esse Ed. ac Lugdunensis.

1620. Basileae, 8. Henrico Petrina V, II voll *L. Apuleii Madaurensis philosophi Platonici opera, quae quidem exstant omnia. In primis vero de Asino aureo libri XI, cum eruditissimis Ph. Beroaldi commentariis, et Godescalci Stewechii Heusdani in L. Apuleii opera omnia Quaestionibus et Coniecturis. Nec non aliorum doctissimorum virorum in eundem Emendationibus. Demum totus Apuleius ab innumeris, quibus scatebat, mendis, non solum vindicatus, verum etiam cum vetustiss. Codicibus collatus, notis marginalibus lucidior est redditus. Adiecto quoque ad calcem operis rerum et verborum in iisdem memorabilium Indice copioso* etc. *Basileae per Sebastianum Henricpetri.* — In fine: *Basileae per Seb. Henricpetri. Anno salutis humanae* CIƆIƆCXX. — Itaque huius Edit. titulus non differt a Basil. III. an. 1597.

AETAS IV. ELMENHORSTIO SCRIVERIANA 1621—1650, inde PRICAEI, et IUL. FLORIDI.

GEV. ELMENHORSTIUS quum Appuleium ex MSS. Florentinis aliisque emendasset, successit P. SCRIVERIUS, qui textum accuratius ad criticam rationem exigeret, quam Vulcanius. In singulis libellis laudabilem praeterea posuerunt operam IOS. MERCERUS, Gallus, editor Libelli de Deo Socratis; IO. PRICAEUS, Anglo-Britannus, in Apologia et in Metamorphoseon Libris. Praeterea quaedam in Appuleio emendarunt LATINUS LATINIUS, in Bibl. Sacra et Prof. PICCARTUS in Periculis Criticis, CRUSIUS in Probabil. Crit. alii. Editor Operum in usum Delphini, IULIANUS FLORIDUS, in primis libros περὶ ἑρμηνείας et de Deo Socratis ex MSS. emendatiores dedit. Posteriorem hunc libellum etiam notis suis illustravit interpres alius Gallus, BARO DE COUTURES. Germani, inde ab Elmenhorstio ad nostra usque tempora, philosophum Platonicum plane neglexerunt, nisi quod Altenburgi 1778. nitide magis quam emendate editus est. Sed in Gallia THEOD. IUGEUS (DE IUGES), is qui Senecae editionem curavit, in Appuleio quoque studium operamque suam posuit, eumque edendi non solum consilium cepit, sed etiam aliquot folia, forma maxima, typographorum operis iam expressa fuerunt. Constituerat Iugeus, textum reddere Elmenhorstianum, et priorum Editorum notis suas adiungere. Sed MStorum copiam Iugeus nullam habuisse videtur, neque in eius commentario ingenium criticum aut magna doctrina comparet. Apparatus Iugei nunc adservatur in Bibliotheca Guelpherbitana, in quam devenit an. 1664. cf. Burckhardi Histor. Biblioth. Augustae P. I. p. 228. Eius notitiam debeo humanitati et diligentiae Schönemanni Viri Doct. cf. Praefat.

1621. Francofurti, 8. *Apuleii Mad. Plat. Opera omnia quae exstant. Geverhartus Elmenhorstius ex MStis et vett. Codd. recensuit, Librumque Emendationum et Indices*

ces absolutissimos adiecit. Francof. in offic. Wechel. — Praeter Elmenhorstii emendationes ac notas, habet haec Ed. Spicilegia *Iani Rutgersii*, *Erycii Puteani*, *Io. Brantii*, et *Corn. Martini* animadversiones in librum περὶ ἑρμηνείας. Praemittuntur etiam vita auctoris veterumque de eo testimonia. Optima vulgo habita est haec Editio; et habet etiam suas virtutes, textum exhibens multis locis emendatum e MSS. et haud exiguam variarum lectionum copiam. Sed Elmenhorstius ipse ei non multum ingenii et diligentiae adhibuit, qui ubique Lindenbrogii excerpta compilavit, et doctrinam suam magis ex aliorum scriniis, quam ex antiquorum fontibus hausit. Desideratur etiam in eius animadversionibus ingenium criticum et accurata linguae scientia. Quum editio fere ad finem perducta esset, mortuus est Elmenh. eique finem imposuit *Io. Loccenius*.

PRAEFATIO ELMENHORSTII.

(*Omissa sunt, quae ad vitam et scripta auctoris pertinent.*)

„ Plurimum ad hanc editionem nobis contulerunt, viri et municipes mei amicissimi Lindenbrugii fratres, excerpta Codd. Puteani, Batavici, Bremensis et Membranarum Florentinarum (quarum alibi memini) benigne suppeditando. Submisit et nobis ex Bibliotheca Leidensi optimus Heinsius MStum Cod. quo olim usus Vulcanius, sed parum diligenter. Nacti etiam sumus venerandissimi senis Iani Gruteri librum, ad cuius marginem religiosa diligentia Variantes Codicis Palatini olim adscripserat, et Melchior Goldastus, homo in studiis bonarum artium praecellentissimus, Excerpta Bertini Codicis amice communicavit. Contulimus quoque ipsi Romanam, Aldinam, Venetam et Basileenses editiones, semper pro regula habentes *Florentinas Membranas*, quarum ope aliquam multa scabie prius atque ulceribus foeda, nitori pristino et nativae integritati restitui. Resident tamen adhuc haud pauca, falsa, corrupta, hiulca lacunis, deformata maculis, obvoluta obscuritatum ambagibus et tenebris errorum, quae felicioris ingenii homines, et quibus in eruendis Codd. MStis fortuna benignior adfulserit, fortasse an emendabunt: nobis hoc tempore negatum fuit. In lib. EMENDATIONUM rationem correctionis dedi; In INDICE obscuris lucem attuli, et ea quae ad salutem eruditissimi scriptoris facerent, breviter disserui, quae omnia si probi et eruditi probabunt, (improbos et ineruditos nihil moror) magno, imo nimio praemio labores nostros compensatos iudicabo. Tantum est! salve, LECTOR STUDIOSE, et nostris in literis ornandis conatibus fave."

1623. Lugd. Bat. 12. Opera omnia serio emendata. Editio nova. in Catal. univ. Bibl. Uffenbach. Editionem hoc anno Lugd. Bat. proditam citat V. D. in Misc. Obs. Vol. II. p. 401. ubi ea Scriverio tribuitur, ut et ab Oudend. ad Met. L. I. p. 5, b.

1624. Amstelodami, 12. *Apuleius Madaurensis Platonicus serio castigatus. Amsterod. apud Guili. Caesium*, CIƆIƆCXIIII. — Curavit hanc Edit. *Petr. Scriverius*, qui tamen non nominatur. Scriverius, cui notulas suas quoque transmiserat Io. Isaacius Pontanus (vid. Ant. Matthaei Syllog. Epist. p. 269.) textum multis locis emendavit, adhibitis subsidiis criticis, quae in Edit. Elmenhorstii aderant.

PRAEFATIO EDIT. AMSTELOD. 1624.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

„ Lector candide, Apuleium tibi damus: sed verum legitimumque; non σκότιον aut no-
„ thum: qui tum demum id probaturum se tibi confidit, si cum ἠλιτομήνοις aliquot col-
„ latus fuerit. Novum, inquam, Apuleium damus, aut renatum verius; sine Notis ta-
„ men, hoc est sine phaleris et ephippio: non enim equum damus, sed Asinum aureum
„ tamen. et cum eo quicquid Apuleio huic nostro adscriptum fuit hactenus. Argumenta
„ libris Metamorphoseon praemisimus, ut scopum auctoris videat lector antequam ipsum:
„ ea e Beroaldo desumsimus. De editione hoc unum dicam, tam dissimilem prioribus
„ esse quam ille Asinus Apuleius sibi, qui iam, post multos diuturnosque errores, forte
„ fortuna in rosas incidit, Clarissimi Vulcanii opera: nec Asinus ad vos venit profecto,
„ sed homo, patriae sibique redditus. Vale et diligentiae nostrae fave."

1624. Lugd. Bat. 12. Apuleius ex rec. Petr. Scriverii memoratur Fabricio in Bibl. Lat. Sed videtur eadem esse Ed. ac Leidensis an. 1623. vel Amstelodamensis, supra memorata.

1625. Paris. 12. *Apuleii Liber de Deo Socratis. Iosias Mercerus e libris manuscribtis recensuit, et Notas adiecit. Lutet. ex off. Rob. Stephani MDCXXV.* — In emendando Libro de Deo Socratis egregiam operam navavit Mercerus, MStorum copia adiutus.

PRAEFATIO MERCERI.

„ Apuleii plerisque scribtis idem iam olim accidit, benigne Lector, quod multis pris-
„ cis auctoribus, ut dum iudicio et commendatione doctorum in pretio habentur, describta
„ sint passim, et sparsa per omnes fere Romani orbis bibliothecas. Sed ea commendatio,
„ quae vitam illis initio servavit, eadem fecit ut postea infinitis maculis foedata et conta-
„ minata sint, eodem prorsus fato, quod et optimis quibusque auctoribus paene exitio
„ fuit: nam dum in manibus sciolorum promiscue versantur, permisit sibi quisque pes-
„ sima confidentia, ut omnia quae non intelligebant mutarent, et nimia diligentia, ut
„ quae meliora posse fieri inepte crederent, pro arbitrio interpolarent. Hoc praecipue ac-
„ cidit in libris Metamorphoseon, qui magis quam ceteri vulgi manibus triti; sed et in phi-
„ losophicis, quorum passim exemplaria describta servaverunt plutei librarii, verum plera-

„ que

„ que tam incuriose describta, ut et mendis scaterent, et foedis lacunis hiarent. Et nescio quo fato accidit ut quamvis eorum, ut dixi, plurima exemplaria exstarent in diversis bibliothecis, tamen pessima quaeque et maxime hiulca secuti sint, qui editionibus eorum praefuere, Aldinae, Florentinae, Basiliensibus, Parisiensibus, et aliis, etiam recenti aevo Lugdunensi, quam curavit optimus et sane non ineruditus Petrus Colvius. Nos ante annos quadraginta, quatuor exemplaria Philosophicorum habuimus, quibus diligentissime collatis multas iam tum in iis lacunas explevimus, mendas sustulimus. Vidimus postea in diversis bibliothecis eorumdem librorum alia exemplaria, magnam partem similia, sed non contulimus tota. Vidimus et quaedam Metamorphoseos, Floridorum, et Apologiae. Habuimus et ab amicis Palatini et aliorum codicum scribturas. Sed quum eruditissimus Vulcanius bonum philosophicorum codicem nactus lacunas eorum explevisset, et multa ex eo feliciter et docte restituisset; postea etiam Wowerius et Scioppius eamdem provinciam adorti et aliis manuscribtis codicibus freti multa praestitissent, speravimus fore ut sine opera nostra Apuleius tandem quam emendatissimus in manus hominum venire posset; idque praecipue, quum τὸν μακαρίτην Helmenorstium audivimus idem aggressum, adiutum praeter alias vetustissimorum Florentinorum librorum notis. Et sane omnes egregiam operam navasse non infitiandum est. Pauca tamen supersunt veteris fraudis, ut ait poëta, vestigia, quae doctis illis viris exciderunt, dum animo ad sublimia evecto ἀεροβατοῦντες negligunt ea quae sub pedibus, quaeque si humi reptantes vestigia librorum sequi maluissent, facillima fuere; ut in ipso initio tractatus de Deo Socratis locus ille tot doctis tentatus; *Plato omnem naturam rerum, quod eius ad animalia praecipue pertineat, trifariam divisit, censuitque esse summos Deos, summum, medium et infimum:* quae certatim mutaverunt contra librorum auctoritatem. At quam proclive fuit interpunctione sola mutata medicinam facere? *Censuitque esse summos Deos: Summum, medium, et infimum fac intelligas non modo loci disclusione, verum etiam naturae dignitate.* Et in eodem tractatu: *Utra harum vera sententia est, nam hoc postea videro, tamen neque de Luna neque de Sole quisquam Graecus aut Barbarus facile cunctaverit Deos esse.* Item ille locus contaminatissimus, et tot coniecturis tentatus: *Ut eae preces, quibus Genium et genuae precantur ad coniunctionem nostram, nec desunt qui videantur mihi obtestari*, etc. libri omnes scribti habent: *Nec sunt quae*; unde quam facile fuit facere, *nexumque*, et totum locum sic concipere: *Ut eae preces quibus Genium et G. precamur, coniunctionem nostram nexumque videantur mihi obtestari, corpus atque animum duobus nominibus comprehendentes, quorum communio et copulatio sumus.* Similia multa in aliis huius scribtoris locis notavimus. Fuerunt et quaedam in omnibus libris quos et nos et alii tractarunt, quae ipsis neglecta nos manu duxerunt ad veras lectiones: ut illud in eodem libro, ubi vulgo, *Nec audet aliquid pronuntiare vel Hector, vel Lampo, vel Clitius:* quod omnes intentatum reliquere, quum in libris esset, *vel hic etiam*, e quo non neglecto nos vere restituimus, *vel Hicetaon:* Et illud, *plumbi rubor, vel lapis;* ubi libri omnes, *plumbi robus*, e quo nos recte, ro-

„ Itaque nos quamvis tenuitatis nostrae conscii, diligentiae tamen securi, censuimus ali„ quando tandem iuvare et pro nostra virili hunc scribtorem, non ut aliorum laudem im„ minutum eamus; quis ultro fatemur multum debere rempublicam literariam; sed ut et „ nos symbola nostra collata operam demus instruendo huic triclinio. Quod speramus „ nos in omnibus Apuleii quae exstant facturos sedulo, si Florentinorum codicum accu„ ratam collationem tandem videre nobis datum fuerit. Interea dabimus hoc specimen in „ libello de Deo Socratis; qui certe, si Apologiam excipias, accuratissimum, et erudi„ tione atque eloquentia clarissimum librum, inter ceteros auctoris nostri libros praeci„ pua in dignitate censendus est. Non quod integro operi Asini detractum velimus, quae „ velut perpetua satyra mores hominum varios ludendo effingit, effingendo carpit: sed „ quod hic liber quaestionem illustrem de daemonum natura et muniis, et de Socratis „ daemonio, ex philosophorum sententia diligenter et elegantissime tractet, variis argumen„ tis, exemplis, sententiis ornet, et ad extremum insigni exhortatione ad virtutem clau„ dat, ut vere liceat dicere, nullum philosophicorum Apuleii cum hoc conferendum. Nam „ liber περὶ ἑρμηνείας ieiunus, et negligentissime scribtus: quae caussa fuit cur in antiquis „ manuscribus et editionibus praetermissus sit, credo quia eius puderet editores et scrib„ tores: alii duo de Platonis scitis in naturali et morali philosophia, nimium quantum „ confusi et velut scopae dissolutae. Trismegisti versio nihil aliud quam mera versio; ut „ solus supersit liber de mundo, qui certe post nostrum hunc tractatum secundum locum „ obtinet, quamvis et ipse fere ubique mera versio, sed ea sane longe elegantior. Dolen„ dum igitur fuit, tam insignem diatribam tot mendis scatuisse, quorum nunc, praefiscine „ dixerim, supersunt paucissima, spicilegium tenue melioribus ingeniis.

1627. Amstel. 16. Ex rec. P. Scriverii, Hauptmanno memoratur.

1628. Amstel. 16. *Apuleii opera ex rec. Bonav. Vulcanii.* cf. Th. Crenii animadv. Philol. et Crit. P. XI. p. 17. Fuit haec Ed. in Bibl. Hermanni Cannegieteri, in cuius Catal. sub Vulcanii nomine tamen non recensetur, uti nec in Catal. Henrici Stinstra p. 140.

1635. Paris. 4. *L. Apulei Mad. Phil. Plat. Apologia, recognita et nonnullis notis ac observationibus illustrata a Ioanne Pricaeo Anglo-Britanno. Accesserunt Antiquitatum fragmenta quaedam aeri incisa. Paris. ap. Simon Fevrier MDCXXXV.* — v. Colomesii Opera Hamb. 1709. p. 463. Egregiam operam Pricaeus in Appuleii Apologia illustranda praestitit, et editionem suam ornavit figuris aliquot marmorum Arundelianorum, quorum quaedam memorantur etiam inter marmora Oxoniensia a Maettaerio promulgata. Quorum vero in iis nulla exstat memoria, eorum Indicem hic apponam ex scheda Oudendorpii.

Pag. 47. Lapis, in quo Schema domini servum flagris caedentis.

Pag. 93. Veneris Marinae signum.

Pag. 132, 133. alius monumenti meminit Pricaeus, quod Saturnum referre putat. Quoniam vero in exemplo, quod olim contulerat Oudendorpius, uti et in

alio

alio quod penes me est, figura deest, confirmare certo non potuit Oudend., exteine inter edita Academiae Oxoniensis, an secus. Suspicatur tamen Oudend. ibidem quoque desiderari.

Pag. 136. Sileni signum cubitale, ex Arundeliae Comitis reconditioribus cimeliis depromptum, quod Sylloge Maettariana non exhibet.

Pag. 207. Icon Magistri, in sella docentis puellam, dextraque ferulam tenentis, ex selectis, ut ait, Illustrissimi Arundeliae Comitis monumentis delineata exhibetur, quam frustra etiam in editis Maettarii quaeres.

PRAEFATIO PRICAEI AD APOLOGIAM.

LECTORI.

„ Ne quid de me sequius opineris, quod id operis denuo illustrandum suscepi, cui du„ dum Scipio Gentilis tam utiliter sudavit, scias cum primis velim, me has Notas profli„ gasse, priusquam de doctissimi hominis Commentario inaudirem. Tandem (ut volventi „ Libros fit) eum incidi: iudicansque ex mole voluminis diligentiam praeceptam omnem, „ statui quae collegeram ego pro otiosis seponere, prorsus a propatulo et celebri in aeter„ num ablegare. At dum altius repeto consilium, subiit cogitatio ea, nimiâ severitate in „ propria etiam peccari posse, et haec mea superessent necne etsi referret minimum, fore „ iniquum tamen damnare ea nec dum causâ inspectâ: certe non integrum πρὸς καιρὸν pre„ mere forsan olim in lucem eruptura, interpolata autem, et pro lubitu edentis faciem ha„ bitura. Fretus hoc sensu coepi ea ad Gentilem expendere, ratus haud multa deprehen„ surum me indicta ei, multo pauciora secus quam pro vero exposita. Neque animi fal„ sus fui, nam perlecto Commentario eius, plurima solertissimo viro observata e Notis „ expunxi; alia pro caligine textus a me crepere et vacillanter enarrata, maiore illustravi „ luce, explicavi fiduciâ. Facto ad hanc faciem examine revisi schedas meas, excerpturus „ quibus illi mecum non idem sensus fuit, et quae rem hinc inde illustrantia effugère in„ dustriam eius. Ex his fasciculus iste Observationum crevit, quem commendatum non „ imus ab acumine, non a Manuscriptorum copiâ, (quae ut omnium Apuleii operùm, ita „ huius vel maxime libri infrequentia sunt) sed ab elegantiâ quorumdam fragmentorum „ antiquariae rei, depromptorum ex celebribus Thesauris excellentissimi Arundeliae Comi„ tis, viri cuius erga Latium veteremque Graeciam talia beneficia extant, quae nulla de„ lebit aetas, nulla unquam oblivio capesset. At vero angustior hic locus est quam ut „ eiuscemodi Argumentum capiat, et si maxime capax esset, nae ego nimis quam ineptus „ qui tanti Herois Genium meo stilo adumbrem. Redeo ad Nugas istas, quas, qui per„ curris, eas tanti aestimare velim, quanti merebuntur aestimari, nec minoris, nec pluris. „ Recte et sapienter e Nostratibus Eques praestantissimus quidam, in operis serii illius „ de Historiâ mundi Praefatione: (summo literarum damno, addo Provincialium dedecore, „ intra vernaculi sermonis claustra etiamnum compressi:) Quam possumus humilibus et

„ an-

„ ancillaribus blandimentis Lectorum gratiam aucupemur, si nugatorie scribimus, Nu- „ gones audiemus. certe nil gravius dici potuit, aut ex usu magis. Escas itaque ac deli- „ nimenta verborum ego missa facio: neque nescio tamen permulta hele esse quae Patrono „ indigent. Si vero quidpiam occurrat pridem aliis observatum, (quod utique raro even- „ turum spondere audeo:) strenue censuram deprecor quae me ineptiae damnet, nam „ quum ultimam haec manum reciperent, a meâ procul eram Bibliothecâ positus, et ex „ tot qui feruntur circum Interpretibus, uno et altero misso, nullus praesto erat. Alio- „ rum autem cuiusce generis Scriptorum segetem uberem et prolixam, suppeditavit eximia „ atque infatigata benevolentia Ioannis Bourdelotii, qui me hominem extraneum incogni- „ tumque, non alloquio tantum et consuetudine suâ (suavissimâ quidem et utilissimâ eâ) „ non dedignatus est, sed et quidquid librarii sepellectilis cusi vel manuscripti habet, af- „ fectu vere fraterno communicavit mecum. Certe prospicue minus in se consulent Phi- „ lologi ad hanc urbem ventitantes, qui scientiae candorisque hominem tam non vulgaris „ invisitatum siverint. Longius progredior paulo, sed nec haec tacenda erant; gratam ar- „ gutiam optaverim, quam ingratum silentium. Finiam, si addiderim unum hoc de Ca- „ saubono; scisse me probe vel quum primum hanc provinciam susciperem, functum ea- „ dem fuisse illum, idque ex professo. At non visus est aliorum curas praecludere vo- „ luisse; evincunt Notae eius breves, subsicivae horae cuiuspiam exercitamentum, po- „ tius quam opus iustum et accuratum. Hoc innuendum duxi, ne importune audax vi- „ dear, aut in tanti Censoris eruditionem ac pudorem peccare, dum quid addo doctissimis „ Notis eius, at parcioribus."

1650, Goudae, 8. *L. Apuleii Mad. Metamorphoseos Libri XI, cum notis et amplissimo Indice Ioannis Pricaei. Accessit eiusdem Index Alphabeticus Scriptorum qui in Hesychii Graeco vocabulario laudantur. Goudae, Typis Gulielmi van der Hoeve MDCL.* — Praeclara haec est, et Metamorphoseon optima editio, qua Pricaeus textum quidem Wowerii expressit, sed multis locis ad fidem MStorum emendatum. In notis quid praestare studuerit Pricaeus, ipse in praefat. profitetur, quidque revera praestiterit, quivis potest cognoscere ex doctis illis notis, quas integras huic Editioni inseri placuit. Itaque hac Edit. quae pertinet ad Edd. *cum notis variorum*, multum lucis medelaeque Appuleio accessit: licet non magni eam faciant Bibliographi.

PRAEFATIO PRICAEI AD METAMORPH.

LECTORI.

„ In Notis quanto egimus fusius, tanto hic res rictius agemus. Quae praetereunda non „ duximus, ea sunt huiusmodi. Sequentes Libros contulimus cum uno tantum MS. Codice „ quem a nobis olim acceptum Gulielmus nuperus Cantuariae Archiepiscopus (vir literis „ ornandis attentissimus) donavit Oxoniensi Bibliothecae. Ex eo penu instructissimo in- „ ter-

„ terventu Cl. longeque doctissimi viri, Patricii Iunii, illius ad nos fluxit temporaria „ usura. Eiusdem amici beneficio inspeximus Colvianam editionem Casauboni manu nota- „ tam: ex qua quae pauca excerpsimus suis locis adducuntur. Erat ad manum etiam Vi- „ centina Anni 1488 editio: omnium, Romanâ *A.* 1472 excepta, quod scimus, prima, et „ quam, posthabitis recentibus, haud raro sequi melius putavimus. Quod nostra spectat „ Annotata, rem sic paucis accipe. Dedimus operam ut et apposita et nova afferremus: „ rem post tot alios haud adeo in proclivi sitam. Ut quae ex Tacito, Suetonio, Salu- „ stio, aliis: praecipue e Virgilio adumbravit Noster, in medio poneremus: quaeque ex „ eo ab Ammiano, Sidonio, Hieronymo, Augustino sumpta, in lucem protraheremus. „ Ut proprietates (quo genere excellit) sermonis eius latentes illustraremus: idque po- „ tissimum ex Donato et Servio, scriptoribus frugis optimae plenis, quosque iugi erudi- „ torum lectioni quantum possumus commendamus. Ante omnia, ut contextus veram „ scripturam erueremus: quod bis centies et fere nonagies mero sumus ex ingenio co- „ nati: saepissime ex ipsius paribus locis firmatis coniecturis nostris, quae si scopum non „ ubique attigerint, speramus paucas aberrationes locorum faelicius restitutorum copiam „ benigne compensaturam. Qui multa autem non explicata a nobis fortasse suboffensi vi- „ derint, cogitent quam multi ante nos hoc opus illustrarunt; sublegere quorum Notas „ ut inhonestum, ita toties ad eas Lectorem reiicere molestum iudicavimus. Scribendi „ porro in genere, quale istud, non tam ad laudem quam ad oblectamentum facto, sine „ ulla pudoris iactura quaedam ignorare licet."

1688. Paris. 4. II Tom. *Lucii Apuleii Mad. Plat. Phil. opera, interpretatione et notis illustravit Iulianus Floridus, I. U. L. Can. Carnot. Iussu Christianissimi Regis, in usum serenissimi Delphini. Paris. ap. Fed. Leonardum MDCLXXXVIII.* — In hac edit. liber περὶ ἑρμηνείας et Lib. de Deo Socratis emendati habentur, ille ex 2 MSS. Bibl. Capituli Carnotensis, hic ex Cod. Thuani. Textui subiecta est Interpretatio, ut solet in Edd. in usum Delphini, interpretationi autem notae, maximam partem ex aliorum commentariis compilatae. cf. de Florido, aliorum compilatore Spanhem. ad Callim. p. 137. Textui haudquaquam illam diligentiam adhibuit Floridus, quae in edendis veterum libris desideratur. Negligenter interdum vocabula omisit, aut alia pro vulgatis substituit. Ceterum ridicule satis omnia obscoena e textu sublata (quod tamen ubique indicatum est) ad calcem Editionis reiecta sunt: credo, ut Galliae Delphinus uno oculorum coniectu cuncta turpia simul contemplaretur. Subiectus est Index copiosissimus omnium vocabulorum, quae in Appuleio reperiuntur.

PRAEFATIO FLORIDI.

„ Ecce tibi, LECTOR OPTIME, L. Apuleius Madaurensis Philosophus Platonicus In-

„ terpretatione nostra, et Notis iamdudum illustratus, et plusquam nonum pressus in annum, munificentiâ Regiâ sub SERENISSIMI DELPHINI auspiciis tandem prodit in lucem. Cuius editionis rationem, et consilium accipe.

„ Cum primum impositum sibi a LUDOVICO MAGNO educandi unici Regii Pueri munus gloriosissimum suscepisset Illustrissimus MONTAUSERII DUX CAROLUS SANCTAMAURAEUS, Vir omnibus belli et pacis artibus dudum spectatissimus, fide antiqua magis, sanctisque moribus, atque omnigena eruditione, quam ipso nobilissimi generis splendore clarus, litterarum ac litteratorum apud Augustissimum Regem fautor studiosissimus ac vere MAECENAS alter; Regium esse imprimis arbitratus, prodesse quamplurimis, ratusque non mediocriter promotum iri studia, non solum privata Regii sui Alumni, sed etiam publica caeterae iuventutis, si Scriptores Latini omnes interpretatione faciliori, et notis non ad eruditionis ostentationem luxuriantibus, sed ad difficultatum omnium explanationem concinne contractis illustrarentur; communicato consilio cum Illustrissimo Condomensium antea, nunc Meldensium Episcopo IACOBO BENIGNO BOSSUETIO, Viro elegantissimis firmissimisque pro Fidei Catholicae assertione scriptis, strenuisque adversus haeresim conflictationibus toto orbe notissimo, vitaeque ac morum suavitate et sanctimonia non minus, quam Doctrinae profunditate, et pastorali cura commendato, cui erudiendi SERENISSIMI DELPHINI munus incumbebat; suasit Regi munificentissimo, ac pro ea, qua valet apud ipsum, auctoritate facile persuasit, uti selectis Viris ea provincia demandaretur.

„ Cum autem eos omnes Auctores, qui teri magis in scholis solent, iam occupassent alii Viri eruditione ac doctrinâ praestantes; ego quoque in partem operis vocatus Madaurensem hunc Platonicum mihi depoposci, Africanae quidem et durioris paulo locutionis, sed eruditionis reconditissimae, et praecipuae difficultatis, eoque nomine eadem quâ poëtas veste, hoc est, praeter notas, interpretatione perpetua exornandum.

„ Quod ut accuratius perficerem, prolixos Philippi Beroaldi in huius Scriptoris Metamorphosin seu Asinum commentarios, copiosissimam Ioannis Pricaei, tum in eandem Metamorphosin, tum in Apologiam, Collectaneorum sylvam, Isaaci Casauboni, et Scipionis Gentilis in eandem Apologiam observationes, Elmenhorstii, Woweriique notas, Gasp. Schoppii in opera haec omnia symbolam Criticam, et quidquid Stewechius, Brantius, Barthius, Lipsius, aliique, quotquot in manus venire potuerunt. in aliquos auctoris huius locos scripserunt, summo studio pervolvi, et ex iis, quae maxime ad rem visa sunt, in interpretationem, notasve nostras transtuli, laudatis utplurimum auctoribus. quae ab illis neglecta, aut transcursa fuerant (fuerunt autem non pauca) quam optime potui executus sum. Philosophicos scriptoris huius libros, quos pauci admodum et obiter tantum ac paucissimis in locis attigerant, adductis ex Platone, et Aristotele, unde desumpti sunt, similibus dissimilibusve, enucleavi, explanavi, supplevi. Librum περὶ ἑρμηνείας, sive *De Syllogismo Categorico*, foedissime corruptum, compluribus locis restitui ope duorum libelli tantum eius Manuscriptorum Codicum vetustissimorum,

„ qui

„ qui in Bibliotheca nostra Capituli Carnotensis asservantur. Iuvit etiam me nonnihil in „ exponendo libello *De Deo Socratis* Manuscriptus eius libri codex Bibliothecae tunc Thua„ nae, nunc Menarsianae.

„ Sed nitorem suum ac splendorem, si quem habet hoc opus, maxime debet acri et „ limato iudicio Viri omni eruditionis genere tota Europa celebratissimi, et optime cum „ de Re Litteraria, tum de Christiana Religione meriti PETRI DANIELIS HUETII Ab„ batis Alnetani, et Suessionensium Praesulis Designati, cuius post Illustrissimum BOS„ SUETIUM, in erudiendo SERENISSIMO DELPHINO secundae tunc partes erant, et lucu„ brationum nostrarum arbitrium.

„ Adieci ad calcem totius operis Indicem locupletissimum atque accuratissimum vocum „ omnium, quae in hoc scriptore reperiuntur; opus ut multo, quam prima fronte vi„ deatur, utilius, ita et longe difficilius. in quo conficiendo quantum mihi laboris, quan„ tum taedii fuerit devorandum, nemo, nisi qui idem saxum aliquando volverit, bene ae„ stimaverit.

„ Cur autem tam sero ad te hoc opus e praelo exierit, cum iam tua parvi referat scire, „ narrando hic operam nolim abuti. Hoc unum scias velim, per me non stetisse, quin „ hoc nostro qualicunque munere citius fruereris. Vale, LECTOR OPTIME, et Ausonium „ Poëtam simili ornatu comptum a nobis propediem exspecta."

1698. Paris. 12. Liber de Deo Socratis, cum Gallica versione Baronis de Coutures, et notis, praefixa Appuleii vita. Nihil novi attulit Couturius, qui ubique Mercerum exscripsit, licet eum nusquam laudet. cf. Oudend. ad L. de Deo Socr. p. 119, a.

1707. Paris. 12. II Voll. Libri Metamorphoseon et Lib. de Deo Socr. cum versione Gallica. vid. infra inter verss. Gall.

1768. Neapoli, 4. Hoc anno prodiit Tom. VI. Operum omnium Scipionis Gentilis, continens Apologiam, quae iam an. 1607. edita fuerat, vid. supra.

1778. Altenburgii, 8. II Voll. *L. Apuleii Mad. Phil. Opera. Altenburgi ex off. Richteria. MDCCLXXVIII.* — Nitidis typis cusa est haec Ed. sed semper adhaeret Edit. Floridi, a qua si aliquoties recedit, ut in primis in Lib. περὶ ἑρμ. factum, tamen vitia a Florido commissa in substituendis novis vocabulis non correxit editor. Posteriori Tomo adiuncta est Lectionis varietas, collecta ex Colvii, Stewechii, Brantii, Puteani, et Elmenhorstii commentariis. Praefatiuncula eadem est quae Editionis Amstelod. an. 1624.

1788. Biponti, 8. II Voll. *L. Apuleii Mad. Plat. Phil. Opera, ad optimas editiones collata. Praemittitur notitia Literaria studiis Societatis Bipontinae.* — Respondet plane haec Editio praecedenti.

AETAS V. OUDENDORPIANA.

Tandem exorta est aetas Oudendorpiana, Appuleii studiosis diu desiderata, cuius primordia incidunt in an. 1786. quo Celeb. Ruhnkenius Metamorphoseon libros Oudendorpii aliorumque notis instructos in lucem produxit. Ea quam felix auctori nostro fuerit, ii diiudicent, qui editionem hanc omnium operum Appuleii perscrutari velint.

1796. Paris. 12. III Voll. *Apuleii Metamorphoseon Libri undecim ex optimis exemplaribus emendati. Paris. apud Ant. Aug. Renouard.* — Nitidissima est Editio, textum habens ex Edit. Oudendorpio-Ruhnkeniana expressum.

VERSIONES

Germanicae.

1588. August. Vindel. fol. form. min. *Ain schön lieblich auch kurtzweylig Gedichte Lucii Apuleii von ainem gulden Esel, darinn gelert, wie menschliche Natur sogar blöd, schwach, und verderbet, das sy beweilen gar vihisch, unuerstendich und fleischlich, on verstand dahin lebet, gleichwie die Pferdt und Maul, wie David sagt, auch herwiderumb sich möge aus Gottes beystand erholen, und aus ainem Esel ein Mensch werden, Gott gefellig, auffrecht und verstendig. Lustig zu lesen, mit schönen figuren zugericht, grundlich verdeutscht, durch Herren Iohan Sieder Secretarien, weilendt des hochwürdigsten Fürsten und Herren Lorenzen von Biber, Bischoffen zu Würtzburg und Hertzogen zu Francken etc. Psalmo XXXI. Nolite fieri sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus, in chamo et freno maxillas eorum constringe, qui non adproximant ad te etc. cum privilegio Ro. Regiae maiestatis, Alexander Weissenhorn, Augustae Vindelicorum excudebat. Anno MCCCCCXXXVIII.*

1605. Frankfurt am M. 8. *Kurzweiliges Gedicht Lucii Apuleii von seiner aus einem Menschen in einen Esel schnellen Verwandlung, allen fürwitzigen zur warnung. Von Iohann. Sieder.* — Repetita Magdeburgi an. 1606. 8.

1768. Glogau, 8. *Apuleius Discours über das Mittel glücklich zu seyn, mit den Anmerkungen des Herrn Prof. Formey, aus dem Franz.*

1780. Berlin, 8. *Psyche, nach dem Lateinischen des Apuleius, von August Rode.*

1783. Dessau, 8. *Apuleius von Madaura goldener Esel, von August Rode uebersezt. 2 Theile.*

1789. Götting. 8. *Psyche ein feen Mährchen lat. nach Oudendorps und Ruhnken's Rec. mit Anmerk.* (v. Schulze.)

1805. Weimar. 4to. Mai. *Psyche metr. übersetzt von Iac. v. Lynker* (*).

Gallicae.

1517, 1518 et 1522. Paris. *L. Apul. de l'Asne d'ore translate de Latin en François, par Guillaume Michel, dict de Tours. Paris, Galliot du Pré, le dernier jour de Juillet*, 1518. *fol.* — Est haec repetita Ed. eius, quae anno 1517. in 4to. prodierat apud Vid. Iean Iannot, et rursus repetita est in 4to. an. 1522.

1553. Lugduni, 12. Metamorph. Libri, interprete *Georgio de la Bouthiere;* repetita est Ed. ibid. an. 1556.

1559. Lugduni, 8. Iidem, interprete *Ioanne Louveau;* recusi ibid. 1584.

1623. Paris. 8. *Les Metamorphoses, ou l'Asne d'or d'Apulée, traduites du Latin en François*, (par Jean de Montlyard) *avec figures en taille douce, gravées par Crisp. de Pas, Thiboust.* — Haec videtur esse huius versionis Ed. prima, licet alii iam an. 1612 et 1616 editam memorent. Est sane rara, repetita ann. 1631 et 1648. sed figurarum elegantia, qua sola commendatur, his praeferenda.

1648. Paris. 8. *Les Metamorphoses ou l'Asne d'Or de l'Apulée philosophe Platonicien, traduites en François, avec des notes et des commentaires. Paris, de la Coste*, 1648. vid. supra. Iudicium de hac Edit. vid. apud Brunet Manuel du Libraire.

1692. Paris. 12. *Les Amours de Psiche et de Cupidon traduits d'Apulée, avec des Remarques*, auctore *Fontano.*

1698. Parisiis, 12. Liber de Deo Socratis, ex versione Baronis de Coutures. vid. supra pag. 579.

1707. Paris. 12. II Voll. *Les Metamorphoses ou l'Asne d'Or d'Apulée, avec le Demon de Socrate du même auteur; traduits du Latin, avec des Remarques et la vie d'Apulée, (par l'Abbé Compain de Saint Martin) avec figures. Paris Brunet.* — Versio est parum accurata, et textus multis locis mutilatus. vid. Brunet Manuel du Libraire.

1769. Francof. et Lipsiae, 8. II Voll. *Les Metamorphoses ou l'Ane d'Or d'Apulée Philosophe Platonicien, avec le Demon de Socrate, traduits en François avec des Remar-*

(*) Notitiam huius versionis, uti et eius, quae an. 1789. Göttingae prodiit, itemque Siederianae Edit. primae, debeo humanitati V. Cl. Ferdin. Blümm, Profess. in Acad. Wirceburgensi.

marques, à Francfort et à Leipzig, par la compagnie des Libraires. — Repetitio antecedentis.

1787. *L'Asne d'Or d'Apulée, en Latin et en François: traduction retouchée par Bastien.*

Fabula Psyches separatim saepius, Gallice inprimis, versa, et magnifice figuris ornata, edita est.

Anglicae.

1571. Londini, 4. Metamorphosis, auctore Williamo Adlingtono. Repetita ibid. 1639. In MS. Biblioth. Bodleianae n°. 3872 adservatur, *An Apology for a looking glass by Apuleius agäinst Aemilian, in English verse.*

Italicae.

1518. Venet. 8. *Apulejo dell' Asino d'Oro, tradotto dal Conte Matteo Maria Bojardo. In Venezia per Nicolo d'Aristoteli.*

1544. Venet. 8. *L'Apulegio tradotto in volgare dal Conte Matteo Maria Bojardo Historiato, con un breve Discorso della vita dell' Autore. In Vinegia, per Bartholomeo detto l'Imperadore.*

1550. Venet. 12. *Apulejo dell' Asino d'Oro. Tradotto per M. Agnolo Tirenzuola Fiorentino.* Repetita 1566 seu 1567, 8. et 1591, 12. (Edd. rarae. vid. Clement. p. 441.) 1598 et 1603. vid. Catal. de Crevenna Vol. IV. pag. 170. et Bibl. Italiana o sia Notizia de Librari nella lingua Italiana p. 149. Alii citant etiam Edit. an. 1549. 8. quam nunquam exstitisse affirmat Renouard, Catal. T. III. p. 161. monens, Edd. 1550, 1566 seu 1567. solas esse integras, ceteras vero mutilatas. Omnium minimi aestimatur Ed. an. 1603.

1566. Venet. 8. *Apulejo dell' Asino d'Oro. Tradotto per M. Angelo Firenzuola Fiorentino. Nomente da molti errori di voci Toscane, mal intese, corretto, e con le Figure a suoi luoghi adornato. Con privilegio. In Vinegia appresso Gabriel Giolito de Ferrari MDLXVI.* — Vid. Theophili Sinceri Neu Nachrichten von lauter alten Büchern p. 219. Et haec est repetita Ed. praecedentis, ac valde rara. Videtur autem eadem esse, quae alibi an. 1567 edita legitur. cf. Clement. et Bibl. Italiana ll. cc.

1601. Venet. 4. Metamorphoses, ex interpretatione *Hieron. Parabosci.*

1607. Bononiae, 8. Eaedem, auctore *Pomponio Vizanio.* Prodiit et Venetiis 1662, 12.

1781. Paris. Hoc anno Parisiis recusa est versio Firenzuolae in 8vo et 4to.

His-

Hispanica.

1605. Madriti, 8. Metamorphoses.

Belgicae.

1636. Harlem. Metamorphoseon Libr.

1669. Antwerpiae, 12. Iidem.

Suecicae.

1666. Upsalae, 8. *Then underskioene Psyche, utaf Apulejo Madaurense utdragen och forswenskat igenom mattelighet nyckterhetennes Stalbroder.* — Cuius auctor est *Martinus Nyman*, consul postea Holmiensis. Vid. Acta literaria Suecica a. 1724. p. 588.

1690. Holmiae, 8. Idem liber.



ADDENDA ET EMENDANDA.

METAM. L. II. p. 149. AD LUCEM LUCI SUFFICIENS] Nondum mihi persuadent VV. DD. In mentem venit: *ad lucem lychni sufficiens:* modo bene dicatur *suffic. ad.*

MET. L. III. p. 231. GENUINO SERMONE] Arntzen. ad Mamert. Genethl. c. 2. cum Rhoerio tuetur *gemino.*

MET. L. IV. p. 246. VICE LAVACRI] Arntzen. ad Mamert Panaeg. c. 2. ultimam vocem male omissam esse testatur in Excerptis Codicis penes se.

MET. L. IV. p. 311. MONTIS IN EXCELSI etc.] „ Ediderunt Pithoeus Lib. I. pag. 8. „ et Scalig p. 230. Versu primo *ne siste* correxerat Opitius. *Dis siste* Heinsius. Sed „ nulla mutatione opus est. et *desistere* hic pro simplici *sistere* positum esse, monet „ Coler. ad Sallust. p. 419. sic in oratione Gracchi apud Gell. Lib. X. cap. 3. *palus* „ *destitutus est in foro.* ubi in aliis *defixus.* sed *destitutus* est statutus. qui *stipes desertus* „ dicitur Tibullo L. I. El. 1. 15 etc. —— quia tamen hic in MSS. *susiste* vel *subsiste* „ legebatur, Cl. Oudendorp. coniiciebat, *Montis in excelsi scopulosis siste puellam.* ut „ *scopulosa montis* dicantur, quomodo *ardua montis* Ovid. VIII. Met. 692" etc. BURM. *ad Anthol. Lat. T. II. p. 619.*

Ibid. SINGULA DEBILITAT] „ *saecula* Heinsius conieccerat." ID. *ibid.*

Ibid. FLUMINAQUE HORRESCUNT] „lege *Flumina quem horr.* PITHOEUS. recte. et sic Scri„ verius. Recte Oudendorpius reiiciebat Barthii emendationem in vs 2. *vipereum*, *atque* „ *malum.*" ID. *ibid.*

MET. L. XI. p. 768. Gruterus Suspic. Ined. XV. cap. 4. pro *vocibus*, vel, ut nunc legitur, *votivis*, coniicit *vestibus cuiusque studii*, ut sensus sit, vestibus quemque indutum fuisse, quae conveniebant iis personis, quas repraesentabant, quod sequitur apud Appul.

MET. L. XI. p. 786. Gruterus Ibid. cap. 8 legit: *nitens carbasus litteras notis intextas progerebat.* ut hoc velit quod postea dicit auctor: *de opertis adyti profert.*

MET. L. XI. p. 788. *stroppus* malebat Vales. ad Ammian. XIV. cap. 2.

MET. L. XI. p. 796. Gruterus Suspic. Ined. L. XV. cap. 10. legit: *Cognitis scilicet famulis meis nec non equo quoque illo meo — quem diverse distractum notae dorsualis agnitione recuperabam.*

MET.

Met. L. XI. p. 802. Gruterus ibid. suspicatur: *quae voce nequiora sunt.* adducens Martial. L. VI. Ep. 21. *Haec coram domina: sed nequius illud in aurem.* ut sit sensus: secreto in aurem mandasse sacerdotem ut a re omni Venerea abstineret, sed ceteris cunctis palam audientibus imperasse solummodo ut a vino et animatis abstineret.

Florid. N. 14. ne post querelae caussam caperet] *Postquerelae* uno verbo, ut *postliminium* et sim. legendum censet Gruterus ibid. cap. 8.

Florid. N. 14 extr. Gruterus Suspic. Ined. L. XVI. c. 8. legit: *procinctu palliastri circumstantis coronae obtutum magistri secreto defendisset.*

Florid. N. 17. p. 78. quon. nec. est eiusdem esse] Gruter. ibid. XVII. 2. *quon. n. e. cupitum esse.*

Florid. N. 17. p. 82. Pro *in solitudine Africana* Grutero ibid. XVII. 2. in mentem venit *in solitudine aprica.* Nisi statim sequeretur *apud avios fluvios*, probabiliter coniici posset *in solitudine avia*, ut *solitudines avias* dixit Lat. Pacat. Panaeg. c. 5. et alii plus semel. vid. Pric. ad Met. supra p. 160, b.

Florid. N. 18. p. 86. ita apud suos cuique modestia etc.] Gruterus Suspic. Ined. XVIII. cap. 2. *ita apud suos cuique modestiae obnoxia est; apud extrarios autem veritas libera semper audit et pudica. Obnoxia* scil. *veritas*, quod sequitur. *Pudica* i. e. sine offuciis, ut Gellius VII. 14. *caste pudiceque ornatur — cum fucatur* etc. Plaut. Poen. Sc. *fuit hodie: Ut pudice verba fecit.*

Florid. N. 19. p. 94. an vero ut ipse] Gruterus ibid. *aut vero* etc. Et idem paucis mutatis et transpositis sequentia ibid. ita legit: *contemplatus quam diligentissime, etiam atque etiam pertractavit corpus hominis, et, ut quibusdam signis animadvertit in illo vitam latentem, conf. etc.* In seqq. idem Gruterus probat emendationem Stewechii *avebant*, ipsi tamen in mentem venisse ait *hiabant.*

Florid. N. 23. p. 107. ex optimis oris] Legendum: *extimas oras.*

De Deo Socr. p. 115. esse Deos secundum summum, medium et inf.] Ita negligenter edi passi sumus: quum vellemus aut MStorum lectionem exhibere *esse summos Deos, summum, medium et infimum*, aut coniecturam, in nota propositam.

De Deo Socr. p. 117. pollens speciem sui variat] Lambin. ad Lucret. loc. a Merc. cit. citat *palans.*

De Dogm. Plat. p. 189. in not. ad v. extulerit, legend. δόγματα pro δείγματα.

De Mundo p. 288. *Coryci penetralia* recte restitutum esse monet Burm. ad Anthol. Lat. L. II. carm. 119. vs. 135. ubi vide plura de antro Corycio.

De Mundo pag. 300. lin. 9. leg. *fonte* pro *fontibus.*

De Mundo pag. 319. Burman. ad Anthol. Lat. L. V. Ep. 114. notandam esse ait Glossam Cod. Reg Gallicani ad Ovid L. V. Fast. 161. *Apuleius in Cosmographia sic loquit, ubi de ventis agit. Eurus* (leg. esse *Corus* vel *Caurus* monet Burm.) *qui Graece Ergastes* (leg. *Argestes*, eodem monente) *vocatur, is est adversus Aquiloni.*

De Mundo p. 326. Lipari.] Nimis religiose Oudendorpii emendationem *Liparae cunctae* non adoptavimus.

De Mundo p. 372.

„ *Iupiter omnipotens est primus et ultimus idem*,
„ *Iupiter est caput et medium. Iovis omnia munus.*
„ *Iupiter est fundamen humi, ac stellantis Olympi*
„ *Iupiter et mas est, et nescia femina mortis.*
„ *Spiritus est cunctis, validi vis Iupiter ignis,*
„ *Et pelagi radix, Sol Luna est Iupiter ipse.*
„ *Omnipotens Rex est; rei omnis Iupiter ortus.*
„ *Nam simul occuluit, rursum extulit omnia leto,*
„ *Corde suo e sacro, consultor lumine rebus.*

„ *Iupiter omnipotens* etc.] Carmen hoc, quod nec in Pithoei aut Scaligeri Catalectis, „ occurrit, ex Orpheo Latine versum legitur apud Apuleium de Mundo pag. 411. ed. „ Colvii. Sed non sunt Apuleii versus, verum a primis editoribus intrusi; certe in „ nullis MSS. aut editionibus vetustis, ut Romana, Vicentina, Aldina, Iuntina, aliis- „ que conspiciuntur; ut me monuit Celeb. Oudendorpius: neque eos in Florentino aut „ Leidensibus MSS. exstare testatur Elmenhorstius in notis pag. 102. proinde recte a „ Scriverio omissi sunt. Nam alii versus, quos in sua editione dedit Vulcanius pag. 238. „ quique incipiunt, *Primus cunctorum est, et Iupiter ultimus idem*, et seqq. sunt ipsius „ Vulcanii. Unde deceptus Boxhornius ad Plutarch. Quaest. Rom. pag. 134. eos tan- „ quam ab ipso Apuleio Latine versos perperam producit, et sic Borremans. in Var. Lect. „ cap. V. pag. 41 et 42. ubi proferunt inscriptionem veterem, *Iovi soli invicto Serapidi*, „ ex qua Cl. Otto de Tutel. Viar. pag. 114. coniiciendum putabat Iovem cum Sole eum- „ dem esse, qui etiam male hemistichium *Sol Iupiter ipse*, desumtum ex Virgilii Catalectis. „ Vide quae ea de re disputantur in Observ. Miscell. Vol. VI. Tom. III. p. 481. unde „ patebit, versum illum dimidiatum Pictorii esse, qui carminis huius versum sextum „ ita vertit:

„ *Et pelago radix, Sol Luna, est Iupiter ipse.*

„ quem sub Apuleii nomine, ita ut in Vulcanii editione legitur, eruditus Observationum „ auctor profert. Dici tamen debet, Viro Clarissimo sic praeivisse Illustrem Cuperum, „ qui in Harpocrate pag. 88. adducto itidem Macrobii loco de Iove per Solem intelligendo, „ sequentes hos ex Catalectis Pithoei profert versus:

„ *Sol facies mundi, coelique volubile templum.*
„ *Sol liber, Sol alma Ceres, Sol Iupiter ipse.*

„ Sed ille recte, ut vides, adducit non ex Virgilii Catalectis a Scaligero editis, sed ex „ Catalectis Pithoei, apud quem exstant in Carmine in laudem Solis pag. 446. In inscrip- „ tione autem illa, ut hoc addam, Iovem cum Sole non coniungendum, sed ut in Misc. „ Obs. bene explicatur, copulam subintelligendam esse, *Iovi et Soli invicto*, patet etiam

„ ex

„ ex alia inscriptione quam ibid. p. 133. profert Boxhornius, ubi habetur: *Soli invicto* „ *et Lunae aeternae*, nulla Iovis mentione." BURM. *ad Anth. Lat.*

APOL. p. 384. DEPENSA] Sic legit etiam I. a Costa ad Decretales p. 80.

Ibid. p. 393. COMPLANATOREM] Strada Prolus. p. 175. cit. a Viro Docto ad calcem Edit. Casaubon. in Biblioth. Clarissimi Viri M. Tydeman.

Ibid. p. 407. *ἀστέρας εἰσαθρεῖς*] Vid. Gevart. ad Stat. p. 58. ibid. cit. et Boschius ad Anthol. Gr. Vol. V. p. 27.

Ibid. p. 424. INTENTU AËRIS FRACTI] Haud ingratum fore sperabamus Appuleii studiosis, cognoscere, quid de hoc loco sentiret is, quo nemo melius de his rebus iudicare poterat, Celeberrimus Swindenus. Itaque a nobis rogatus, promiserat Vir Humanissimus, se de caussis et ratione videndi, ex disciplina veterum, nobiscum communicaturum esse, quidquid ad explicandum auctoris locum pertinere putaret. Has vero optatas literas in diem exspectabamus, quum ecce! tristis adfertur nuntius de subito morbo, qui optimo seni finem vitae attulit d. IX Martii. Itaque de loco Appuleii quod addamus, habemus nihil. Sed grata nobis accidit haec opportunitas, memoriam excitandi dilectissimi quondam praeceptoris, cuius doctrinae excellentiam suspicere et morum candorem atque elegantiam diligere nunquam desiimus. Quare et nos tenues has inferias egregii viri manibus affundimus, coelestemque animum avere debemus, a quo, dum in terris degebat, duae hominum generationes tantum doctrinae ac virtutis fructum tulerunt, ut dudum coelo debitus esset censendus, qui vero tantum sui desiderium reliquit, ut nec patriae, nec vitae communi, nec studiis philosophiae eripi unquam debuisse videatur.

Ibid. p. 438. Ad marmor Cretense, cuius mentio apud Pricaeum in nota citat idem V. D. ad calcem Ed. Casaub. Reines. VII. 22. p. 491. Reisk. ad Anthol. Cephalae p. 170.

Ibid. p. 460. Ad Laevii fragmentum citatur ab eodem Viro Docto, Tho. Bartholin. Hist. Anatom. Cent. III. hist. 78. p. 107.

Ibid. p. 495. *φρονεῖν ἀθάνατα καὶ θεῖα* etc.] Obliti eramus, in schedula nos olim notasse emendationem Gronovii Antiq. Gr. T. II. p. 83. qui, pro Platonicis a Casaubono invectis, alia invenit in Membrana Medicea, a se inspecta Florentiae: *ἀμεταμέλητον παιδίαν ἐν βίῳ παίζειν*. Itaque haec iam in locum succedant eorum, quae et nos sine MSti auctoritate retinuimus, quia nihil melius suppetebat.

Ibid. p. 540. AEMILIA PUDENTILLA etc.] Oisel. ad Caii Institt. p. 46. citatur a Viro Docto ad calcem Edit. Casaubon. quae est in Bibliotheca Clarissimi Viri M. Tydeman.

Ibid. p. 557. CONTUMELIIS ABNUIT] Casauboni coniectura *abluit* placet Toupio Cur. Noviss. p. 70.

Ibid. p. 588. CONSULATU PERACTO] Ad notam Casauboni de h. l. citatur a Viro Docto, supra memorato, Reines. Rupert. p. 139. Fabrett. Inscript. p. 723.

APPEND. APPUL. p. 513. Postquam haec de Fabula Psyches et Cupidinis scripsimus, comperimus, exstare librum quemdam, Anglice scriptum (the history of all Religions etc. by

Iohn Bellamy, (London, 1813.) cuius auctor probare conatus est, quemadmodum totam Graecorum Romanorumque Mythologiam, ita et fabulam Psyches et Cupidinis, ex sacris literis et originem habuisse et explicandam esse. Ita quidem, si auctori credas, Psyche habenda fuerit communis generis humani mater, Eva; et omnia quae de illa narrantur, referenda ad historiam de hominum lapsu, quemadmodum ea in sacris literis traditur; ipsum quoque Cupidinis nomen ex lingua Hebraea deducendum. Qui velit, credat, et auctoris lumen suspiciat. Voluntariae caecitatis ab eo incusari nos moleste non feremus.

Ibid. in nota. Legendum: *Ziegleri disputationem De* etc. *inspicere mihi non licuit.*

Ibid. pag. 547. lin. 4. *Renouard Catal. T. IV. p.* 107. leg. *Renouard Catal. T. III. p.* 157.

Ibid. lin. 13. 1472. *Romana II. fol. repetitio prioris.* haec ita legenda:

1472. *Hoc anno priorem Edit. Romae repetitam esse, vulgo creditum est, quod negat Brunet, Manuel du Libraire, in voc. Apul.*

1473. *Appuleium hoc anno Venetiis primum editum fuisse, quae quorumdam est opinio, negat idem Brunet ibid. cf. infra.*

Quae ibid. lin. 15. leguntur, 1483. *Veneta I. fol. Fuit in Bibliotheca Gudiana, eaque usus videtur Colvius.* haec prorsus delenda sunt. cf. p. 555. not.

Ibid. p. 552. lin. 30. Titulus Editionis Parisinae an. 1536. talis est: *L. Apuleii Madaurensis Philosophi Platonici Metamorphoseos, sive de asino aureo libri undecim, cum praefatione et argumentis Philippi Beroaldi, et authoris vita; et in calce difficilium quorunque verborum interpretatio. Parisiis, ex officina Simonis Colinaei.* 1536.



IN-

INDICES.

I N D E X I.

A U C T O R U M,

QUI IN NOTIS AD APPULEIUM VINDICANTUR, EMENDANTUR, ILLUSTRANTUR.

IN QUO NON TANTUM AUCTORUM NOMINA, SED ETIAM LOCA VINDICATA, EMENDATA, ILLUSTRATA, QUANTUM FIERI POTUIT, INDICANTUR.

Littera M. *notat Metamorphoseon Libros.* — *Numerus Romanus* II. *Appuleii Oudendorpiani Volumen Alterum.* — App. *Appendicem.* — *Numerus vulgaris paginam*, a *vel* b *columnam.*

Apol-

Onc-

Sal-

INDEX II.

NOMINUM PROPRIORUM,

ET

RERUM PRAECIPUARUM

QUAE IN APPULEII SCRIPTIS INVENIUNTUR,
ET IN NOTIS TRACTANTUR.

A.

Amor,

Auc-

B.

C.

Co-

D.

Dio-

E.

F.

Fo-

G.

H.

I.

L.

M.

Mare-

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

Scy-

Sy-

T.

V.

Z.



IN-

I N D E X   III.

G R A M M A T I C U S
O R A T I O N I S   L A T I N A E,
I N   N O T I S   I L L U S T R A T A E.

QUO CONTINENTUR ETIAM RARIORES IN APPULEIO DICTIONES, QUAEQUE IN ELMENHORSTII INDICE NOTATU DIGNA VIDEBANTUR.

A.

Ac-

B.

C.

Con-

Cum-

D.

Duc-

E.

F.

mi-





G.

Ge-

H.

I.

L.

M.

Mem-

Mul-

N.

O.

P.

Pere-

Prin-

Q.

R.

Re-

S.

Spi-

T.

V.

 geto

X.

Z.



INDEX IV.

GRAMMATICUS ORATIONIS GRAECAE, IN NOTIS ILLUSTRATAE.

QUO CONTINENTUR ETIAM VOCABULA GRAECA, QUIBUS APPULEIUS USUS EST, NOTATU DIGNA.

A.

B.

Γ.

Ρ.

Σ.

Τ.

Υ.

Φ.

Χ.

Ψ.

OMISSA ET EMENDANDA IN INDICE II.

OMISSA IN INDICE III.

